Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
3
Tabla 78

R. 2185

13
4
160

Nº 1
H-14

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 3
Tabla
Número 78

a-4-13
4
3-169
№ 1
11-14

R. 2185

# R. P. FRANCISCI PEÑA, SACRÆ ROTÆ DECANI, Recollectæ Deciſiones.

Es de la Libª del Colg. Mor ... de Sta Cruz ...

R. P.

# FRANCISCI PEÑA,

## SACRÆ ROTÆ DECANI,

## RECOLLECTÆ DECISIONES

*Per D. D.* DIDACVM ANTONIVM FRANCES DE VRRVTIGOITI,
*Archipresbyterum Darocenſem, Dignitatem in ſancta Metropolitana Eccleſia Cæſarauguſtana.*

Adponuntur in margine ADDITIONES diuerſarum Deciſionum eiuſdem Rotæ vſque nunc editarum, aliorúmque Doctorum de iis agentium,

*Cum* SVMMARIIS, *& duplici* INDICE, *vno Deciſionum, altero Rerum & verborum copioſo.*

NVNC PRIMVM LVCEM VIDENT.

*Ad Illuſtriſſimum D. D.* ANTONIVM AB ARAGONIA, *Ducum Segorbicenſium & Cardonenſium filium digniſſimum, in Supremo ſanctæ Inquiſitionis Tribunali, & in Regio Ordinum Senatu meritiſſimum Conſiliarium, Canonicum, & Archidiaconum de Castro in S. Eccleſia Cordubenſi, & in Aſtoricen. Decanum, Militiæ de Alcantara Equitem,* [redacted] *eiuſdémque Ordinis Theſaurarium; olim in Salmanticenſi S. Bartholomæi Collegio Collegam Maiorem.*

Tomus Primus.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y Santa Catalina.
Æ. 3. C. 6. N. 11.



LVGDVNI,
Sumpt. Hæred. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLVIII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE ...




*Inſpice Mauortis lauros, Oleasq. Mineruæ*
*Quas tecum, Antoni, protulit vna domus.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

*ILLVSTRISSIMO DOMINO,*

# DON ANTONIO DE ARAGON,

DVCVM SEGORBICENSIVM, ET CARDONÆ filio digniſſimo, in Supremo ſanctæ Inquiſitionis Tribunali, & in Regio Ordinum Senatu meritiſſimo Conſiliario, Eccleſiæ Cordubenſis Archidiacono de Caſtro, & Canonico, Aſtoricenſis Decano, Militiæ de Alcantara Equiti, eiuſque Ordinis Theſaurario, olim in Salmanticenſi S. Bartholomæi Collegio Collegæ Maiori,

*D. D. Didacus Antonius Frances de Vrrutigoiti, Archipresbyter Darocen. in ſancta Metropolitana Eccleſia Cæſaraugustana, S. P. D.*

LICEAT mihi, ILLVSTRISSIME DOMINE, tuorum clientum, ſi ſpectentur obſequia, minimo, ſi penſetur adfectus, non poſtremo, ſinceram illarum mentium indolem æmulari, quæ cùm ſibi non ſuppetant præſtantis ingenij, ac opulentæ eruditionis opes, quibus benefactoribus ſuis gratias referant, eas labore, & induſtriâ aliunde conquirunt, aut oſtiatim emendicant, vel cùm rubore, vt qui ſanè malint inopes haberi, quàm ingrati. Feciſſet vtinam Deus immortalis, vt ea mihi domi ornamenta eloquentiæ, ac doctrinæ præſidia naſcerentur, vnde ſolida ſperari poſſent animi mei aduersùs tantum Mæcenatem gratiſſimi monumenta, nec ea typis leuiter impreſſa, ſed ad memoriam ſeculorum ære perennia, qualia videlicet & tua dignitas, & obſeruantia in te mea ſuo ſibi iure poſcebant. At quando ſors illa mihi non obtigit, potentiorum imploranda ſubſidia, & in alienam falx eſt immittenda meſſem. Eſto damner audaciæ, ridearque pauperior Iro, dum nuſquam audiam minus gratus; & maximis tuis erga me beneficiis, & propenſiſſimæ in poſterum voluntati. Quamquam (vt ſapienter Ennodius,) * *Numquam pauper vena timetur ingenij, vbi diues eſt cauſa dicendi, diem laudare quis abnuat? Attollere Solis radios quis metuat in quolibet nocte ſermonis?* Enim verò Aragoniæ fax nobilitatis ita præteritis ſeculis vniuerſo illuxit orbi, ita illucet præſentibus, vt ſolares non tam laceſſens, quàm vincens radios lucidiſſimum quoquò verſus inuehat diem. Quid igitur verear de domeſtica inopia ruborem, qui poſſim opulenter de diuite veſtræ lucis vena diteſcere? Ergo dum diues Alcinous ſuos ad tua limina (Heros Illuſtriſſime) ſpargit flores, dum ferax Pomana proprios miniſtrat ad menſam fructus, dum tandem

** in Natali Laurentij Med.*

Veſta locuples præpingues fœtus ad aras litat; ego ſi de tua, tuorumque progenitorum exuberante penu pretioſa referens dona, Regia pedibus tuis munera aduoluam: & ſi de noſtro arenti ſolo, quãtum parua, at non auara manus capere poterit, tantum aquæ lubens rependam. Et me verè felicem, vel eo nomine iudico, quòd priſtino quaſi redeunte miraculo, de petra mihi (Hiſpanè dicam) *de Peña*, quos tanto propinem Principi, non minus puri ſcaturiant latices, quàm quos è ſilice olim ad ictum virgæ, & magni Hebræorum Ducis Imperium emanarunt.

Itaque cùm amor meus in Clariſſimum virum quondam Franciſcum Peña, Rotæ Decanum, & Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Archidiaconum, tum rei litterariæ promouendæ ſtudium, & Aragoniæ patriæ decus, cui de tanto, tanquam inſigni Magiſtro ingens ſit honoris acceſſio, eam mihi iniecerint mentem, vt eius ſcripta typis excudi, & in propatulo exponi curarem, non diu mihi deliberandum fuit in quærendo Patrono, cuius illa vel ſplendore radiarent, vel vti poſthuma tutore indiga, præſidio munirentur. Etenim rectè exiſtimaui, ſi tutelam, ac fidem tuam, Illuſtriſſime Aragoni, Aragonius ſcriptor mereretur, non ſolùm apud æquos rerum æſtimatores gratiam, & plauſum, verùm etiam apud iniquos venerationem, & pretium eſſent habitura. Et verò ſi tutelarem quærimus, in quo claritudo ſanguinis ad gloriam ſplendeat, quæ ſtirps (vtrumque intuere parentem) in Hiſpania, veſtra illuſtrior? Quæ familia aut Cardoniæ, aut Priegana geſtorum varietate locupletior, magnitudine glorioſior? Quæ domus magis Regia, aut inclytorum Procerum omnino fœcundior? In qua tot primæ nobilitatis lumina, quot in cœlo ſidera, tot fulmina belli, quot in ſole radij, vt quantum tota Hiſpana Reſpublica habuit hoſtium, tantum ſibi vtriuſque virtute familiæ pepererit triumphorum, tot Patriæ columina, quot faſtigia in Alpibus, tot ſapientiæ culmina, quot vertices in Pyrene.

Quamquam illa ſingularis, ac propria Ducum Cardonæ, ac Marchionum de Priego laus, quòd pleræque familiæ nobiliores, quòd aut nuperæ ſint, aut minus annoſæ, claritudinem quærant de conſequenti Natalium luce; Aragonij verò, & Cordubæ ex ipſius antiquitatis tenebris ſuum hauriunt lumen, quarum ipſa infantiæ incunabula videntur originis neſcia, & æternitatis veluti æmula primordia. Iure aliqui cum Mæcenate ſe iactant proauis, atauiſque editos Regibus, Cardonia domus, quòd Reges Orbi dederit meritò gloriatur, vt quod in Aragoniæ Prouinciæ commendationem vulgari prouerbio circumfertur, de Aragonia Gente verius dictum putes,

*Illuſtres Caſtella Duces, Aragonia Reges.*

Quòd ſi hîc ego aggrediar vtriuſque familiæ titulos, fumoſas imagines, obſequia in Reges, iſtorum ac Fortunæ beneficia, opum potentiam è vetuſtiſſimis ſcriniorum, hiſtoriarumque monumentis eruere, ſi Principes viros bellica laude conſpicuos non commendare laudando, ſed numerando percenſere, ſi repetere aut memoriâ, aut calamo vrbes, prouincias, Regna, Aragoniorum, & Cordubarum, ingenita virtute, & fide, Catholico adiunctas Imperio, non ſecus traducar, quàm ſi vel numerare innumerabiles Libyci littoris arenas, vel latè diffuſa telluris æquora palmo metiri, vel fragili demum cymba enitar circumfuſam Oceani immenſitatem tranare. Arduam, mehercle, difficilemque prouinciam, cui dum non par ſuſtinendæ, ſuccumbo, ſuſpicio tamen pronus, cunctos Heſperiæ Proceres de veſtra cognatione tumentes, imò & Europæam Nobilitatem, quanta, quanta eſt, quæ certè & plurima, & maxima de Aragoniorum, & Cordubarum ſanguinis communione gloriantem.

Hinc

Hinc verò procliue eſt intelligere, qualem iam prædicare debeam illuſtriſſimam dominationem tuam (ANTONI ILLVSTRISSIME) Aragoniæ ſtirpis auguſtiſſimum decus, Cardoniæ domus iubar ſplendidiſſimum, Cordubæ familiæ immortale ornamentum, cui non inſtillata guttatim Regalis nobilitas Proauorum, id quod Telemacho ſuo bonus iactabat Homerus, ſed in vtroque parente fuit hinc inde collecta, ac exundanti ſtagnans alueo, coronatiſque marginibus transfuſa. Certè *origo ipſa ſola* (vt cum Caſſiodoro loquar) * *tibi gloria eſſe poteſt, qui diues auis, & vtroque Iouem de ſanguine ducis.* Grandia hæc in te, & inuidenda, exigua tamen, & opinione mea tenuia, ſi cum aliis, quæ afferri in medium poterant, conferantur, pleno obſeruantiæ ſtylo leuiter perſtricta, non fuerunt oratorio more laudanda, ſed nec tamen penitus omittenda, cùm pro certo ducam, non parum ad laudis cumulum, & gloriæ coronamentum conducere natalia clariora.

*lib.3.var. epiſt.6.*

Non me latet (ILLVSTRISSIME DOMINE,) vt qui penè recens natus in iuriſprudentiæ ſinum exceptus fuerim, celebrem olim inter peritos iuris ſolitam exagitari controuerſiam, * vtra nobilitas honoratior, magiſque expetenda, num quæ venit hæreditario quaſi iure cum ſanguine, an potiùs ea, quæ propria adquiritur virtute. Fuerunt qui dicerent, maiorem eſſe innatam gloriam, quàm quæſitam, præſtantius eſſe quod venit ab origine, quàm quod ſequitur ex labore, beatius eſſe gloriam habere, quàm quærere. Cæterùm ea opinio parum firmis ſtabilitur, oppoſita verò firmioribus nititur fundamentis, teque iſtius patronum, meritò actiones ipſæ teſtantur. Neque enim is es qui nobilitatem in aſtragalis habeas; ſed qui ſatius cum Tullio ducas tuis florere geſtis, quàm opinione tantùm maiorum fulciri, & ita viuas, vt poſteris & virtutis exemplum, & veræ nobilitatis initium eſſe poſſis, ſcitè, & lepidè Soſtratus † cùm ei parentum obſcuritas à quodam obiiceretur; *atqui* (dixit) *propter hoc ipſum admirationi magis eſſe debebam, quoniam genus meum à me incipit.* In te verò duplicis gloriæ gratiſſima concertatio. Nobiliſſimus es, quia de Regio antiquiſſimóque genere ortus, & ſimul quia numquam deſciueris, vtpote generoſus à virtute maiorum. Audi (ſi placet) aurea Apuleij verba. * *Si laudas virum, quia diues eſt, fortunæ debetur: ſi quia fortis, ægritudine fatigabitur: ſi quia nobilis, non ipſum, ſed eius parentes laudas: ſi quia pulcher, pulchritudo ſenectute recedet; ſi verò laudas virum, quia ſapiens eſt, & bonis moribus adornatus, tunc eum veraciter laudas; quia nec hoc ætate caducum eſt, nec caſu pendulum, nec à Progenitoribus hæreditatum.* Sapienter Hiſpano dicimus prouerbio,

*Bobadilla in ſua Polit. lib.1. cap.4. Otalora de nobil.2. p.c. 3. & alij ab eis relati, noſter doctiſſimus Ramirez de lege Regia §.13.*

† *in Tereo.*

* *lib. de Deo Socratis.*

*Cada vno es hijo de ſus obras.* Etenim,

*——Quid prodeſt, Pontice, longo*
*Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus*
*Maiorum?*

Iuuenal. Sat.8.

Prodeſt quidem ſi ij tales ſint, quales apud te, quia, vt aiebat Caſſadorus, * *magnis verecundiæ ſtimulis eſt laus parentum, dum illis non patimur eſſe impares, quos gaudemus Autores.* Aliter,

*lib.9.var. epiſt.22.

* *Tota licèt veteres exornent vndique Ceræ*
*Atria; Nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.*

*Iuuenalis Sat.8.

Quid namque iniquius (vtar pace tua Oratoris voce) aut quid impudentius aut cogitari, aut fingi poteſt, quàm ignauos, aut fœdos homines niti ſola maiorum gloria, quam illi virtute, induſtria, conſtantia, rebuſque ſtrenuè geſtis adepti ſunt: quorum egregia facta ſi cum factis eorum componas; vix credas ex

talibus;

talibus, tantiſque viris tam immania, tam tetra portenta naſci potuiſſe? præſertim cùm in iuuencis ſit,& in equis patrum virtus,

* Horat. *Nec imbellem * feroces*
*Progenerent Aquilæ columbam.*

Vos ego Antoni ac Petre Aragonij germani fratres, (quidni vtrumque hoc loco appellem, cùm eorum quæ nunc à me dicenda ſunt, communis ſit gloria) lucida Heſperij poli ſidera, Aquilina ſoboles, Heroum par lectiſſimorum. Vos iterum, iterumque felices, & glorioſos prædico, qui veſtro nomini famam, fama maiorum maiorem, nouo & illuſtri rerum auctario pro patria, pro Rege, pro Deo gnauiter geſtarum, per laborum Iliadas pluſquam Herculeorum, per Scyllas, Charybdeſque,& Siſyphia ſaxa, per exilia, ſalutis diſpendia, & fortunarum iacturam, perque alia mille præſentiſſima vitæ pericula comparaſtis. Quorum facinorum tam inacceſſa lux, inuicti roboris tam inſolens ſplendor omnium oculis oboritur,vt adhuc ſub iudice lis ſit, vos ne parentibus veſtris, an vobis illi plus decoris attulerint, & ornamenti: ſcilicet Togatæ Hiſpaniæ hæc vna deerat, in qua ſe proderet tantæ virtutis palæſtra; hic petitoribus veræ gloriæ ad excurrendum campus, hoc familiæ veſtræ, quæ & nata, & adulta victoriis corollarium, hic Lydius lapis nobilitati probandæ, hæc denique fidei Regi debitæ exacuendæ.

Quid enim apud Gotholanos, quibus antea venerationi fueratis, aduerſi deinde non eſtis experti? Quibus non incommodis exagitati? Quot quantiſque inter decumanos fluctus iactati procellis? Et quibus tandem meritis parcere poterit Barcino, quæ veſtris non pepercit? Spectauiſtis impauidi bella per Gotholanos, pluſquam ciuilia campos, iuſque datum ſceleri, & populum furentem, poſt Gallos, Ruſcinione pulſos, Salſaſque reciperatas,

*In ſua victrici conuerſum viſcera dextra.*

Næ lugendi qui viperina crudelitate

*Nil tale merentis lacerarunt viſcera Matris.*

Vos beandi, quibus durior obtigit pugna, vt glorioſior eſſet victoria. Ad rem Seneca * ex Democrito: *Nihil infelicius eo, cui nihil aduenit vnquam aduerſi, malè tamen de illo dij iudicauerunt, indignus viſus eſt à quo vinceretur aliquando fortuna. Miſerum te eſſe iudico, qui nunquam fueris miſer. Traxiſti ſine aduerſario vitam, nemo ſcit quid potueris, neque tu quidem ipſe. Quid quiſque poſſit, non niſi tentando didicit.*

* lib. de prouid.

*Scilicet aduerſis probitas exercita rebus,*
*Triſti materiam tempore laudis habet.*
*Si nihil infeſti durus vidiſſet Vlyſſes,*
*Penelope Felix, ſed ſine laude foret.*

Quid pulcrius, & meo argumento, & laudibus veſtris? Siquidem nihil aduerſi apud Gotholanos ſubiiſſent Cardonæ Duces excellentiſſimi,

*Veſtra Parens felix, ſed ſine laude foret.*

Vos etiam iis eſſetis viduati præconiis, quæ inſigni patientiæ duramento, & præſentia gratanter pendunt, ac ſecula futura perſoluunt. Celebrabitur enim fides veſtra omnium gentium litteris, atque linguis, neque de veſtra conſtantia vlla vnquam ætas conticeſcet, quos dignos putarit Deus, à quibus ſæpe fortuna vinceretur, illa, illa, inquam, Domina (quam vocant) rerum humanarum. Quid demum veſtra virtus poſſet, niſi tentando docti, neque vos ad ſolatium agnouiſſetis, neque orbis ad exemplum; macte animi inclyti Heroës, miſeri iam numquam eſſe poteritis, quòd miſeri aliquando fuiſtis.

*Ocyor*

*Ocyor & vento, & ventos præeunte ſagitta.*

Rumor Catholici Regis Curiam peruaſit, Barcinone turbulentiſſimis ſeditionum conuulſa motibus Sanctæ Columbæ Comitem, Gotholaniæ Pro-Regem ipſo die ſacratiſſimo Corporis Chriſti, per ſummam iniuriam, à nefaria ſicariorum colluuie crudeliter trucidatum. Quale itaque fuerit Regis Magni ſemper de Cardonio Duce iudicium, tum ſæpe aliàs, tum luculentiùs eo rerum articulo palàm fecit, non aliter tanto iri malo obuiam poſſe exiſtimans, niſi eo ad clauum, quem paulo antè feliciter tenuerat, redeunte. Illum ergo cum ſumma poteſtate iterum Principatui præficit, ne quicquam adfectam valetudinem, & fractas vires cauſſantem. Paruit tandem optimus Dux extremum vſque ad ſpiritum, nulli vnquam labori ſuccumbens, nulli aduerſitati cedens. Et verò extra omnem adulandi ſuſpicionem dixerim, nemo ad tuendam in Prouincia pacem aptior Cardonio Duce, nemo ad bellum è Gotholaniæ finibus propulſandum ſubditorum ſibi populorum auxiliaribus copiis, opibuſque potentior, nemo ad frænandum plebis furorem, ad ſedandas militum iras, multis grauiſſimiſque accenſas iniuriis, ad ciuium impetus frangendos, nemo denique ad nobilitatem in officio continendam præſtantior. Vt non longè à vero abierint, qui cum ipſo totam pariter credidere Gotholaniam miſerabili funere elatam. Citatis equis Perpinianum aduolat. Eò curas omnes interdiu, noctuque conuertit, vt quas rapax ſeditio oues diſperſerat, eas ad Domini caulas, ac Regis Clementiſſimi Paſtor bonus, vel ſanguine profuſo reuocaret, luporumque hoſtium arceret rabiem, qui occaſione vſi, diſtracto per diſſidia gregi proximè imminebant. Quantum ille toto prudentiæ niſu, toto auctoritatis robore, toto corporis animique conatu adlaborârit in errantibus ad viam reducendis, in mollienda non vulgaribus beneuolentiæ argumentis obſirmatorum peruicacia, non facile dictu eſt. Quò id ſaltem operæ ſuæ pretium obtinuit, vt plenè iam labantem, ne dicam labentem, quandiu vixit, tandiu Gotholanorum fidem ſuſtentârit, neque ruere aliter potuerit, niſi Cardonio Duce cadente.

——*Quo ſoſpite, numquam*
*Barcino, res veſtras victas,* aut *Regina fatebor.*

Obiit tandem Dux magnus, quem immortalem eſſe oportuerat, nec dum tamen liquet an morbi vi, æſtuque obreptus, an curarum mole obrutus, & publicis oppreſſus ruinis; certè ſuimet, atque fortunæ victor proprio triumpho ſepultus, quem acerbo ereptum funere adhuc Gotholania luget, cuius vita omnibus ornata virtutibus, non vtilis modò, ſed & neceſſaria cenſebatur.

Agente ad Ruſcinionem animam Duce, agebat vitam Dux coniux. Qualis (Superi) quantaque fœmina? in vrbe Cardonia ſuæ ditionis principe, earumdem curarum particeps, mox & eiuſdem fortunæ conſors futura: cùm ecce mariti cariſſimi obitus renunciatur, doloris lacrymarumque abſorbendam gurgite plerique putabant; quæ tamen, licèt, pro eo ac debuit, grauiter moleſtéque tulit; adeò tamen excelſo erectoque ſtetit animo, vt exſequiis tenerrimo pietatis ſenſu magnificè peractis, Barcinonem extemplò feſtina contendit, quò, illam & Regiarum partium fouendarum ſtudium, & Regni, accolarumque amor, & non pauci de ciuibus, ac Patriciis, quibus publica ſalus cordi erat, repetita per litteras precum contentione vocabant, tanquam ſacram Anchoram, & alteram afflictæ Gotholaniæ ſpem, vnicúmque poſt defunctum coniugem Ducem, rebus propè deſperatis, aſylum, auxiliumque. Cùm ergo non modicam promeriti fuerint laudem, qui ſcriptis, aut monitis, maiorem, qui rei familiaris diſpendio, proſcri-

 ptione

ptione bonorum; maximam verò, qui vitæ diſcrimine pro tuenda Regi Catholico fide certarunt. Quid vniuerſus de vobis Orbis cenſeat, Antoni, ac Petre, Illuſtriſſimi viri, neceſſe eſt videre, qui non ſolùm de capite periclitati eſtis, ſed etiam luctuoſa ingentium opum, honorumque naufragia pertuliſtis? Qui picturatos tapetes, holoſerica periſtromata, pretioſam ſupellectilem, argenteos aureoſque abacos, ampliſſimos redditus, ſubiectorum tributa populorum, ingentem auri, argentique vim facti, & infecti in alieni domini, ac hoſtis ſpolia ceſſiſſe, ſiccis oculis ſpectaſtis, oppidis inſuper ac ditionibus florentiſſimis, potiorem æſtimantes omnibus Creſi theſauris exhibitam veſtro Regi fidem. Anceps hîc ego animi pendeo, num vobis gratulari debeam, quòd tam latè dominati eſtis, quòd tot pagos, tot vrbes in Gotholania veſtro habuiſtis ſubiectas imperio; an quòd earum pro Catholico Rege, ac Deo alacri animo iacturam feciſtis. Illud certè in confeſſo apud omnes eſt, potuiſſe quidem hoſtes rapere vobis opes, fidem verò, nec illata vi, nec malo dolo eripere potuiſſe. Hoc Seneca in Stilpone laudabat: *Stilpon capta patria, amiſſis liberis, amiſſa vxore, cùm ex incendio publico ſolus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, numquid omnia perdidiſſet? Nihil,* inquit, *perdidi, omnia mea mecum ſunt, Iuſtitia, Virtus, Prudentia. Nihil bonum putare potuit quod eripi poſſet.*

Quid ni ego potiori iure id celebrem in Excellentiſſima parente tua Duce Cardonia, quæ pudicitiæ, pietatis, manſuetudinis, ac virilis animi laude, Principibus noſtri ſeculi fœminis exemplo, Gentilibus tuis ornamento, veteribus Heroinis, quas infra ſe meritis, & virtute habuit, pudori venturis inuidiæ, & admirationi eſſe poſſit? Etenim cùm ſenſim, ac ſine ſenſu, ne quid grauius loquar, eò dementiæ cæcus Barcinonenſis plebeculæ proceſſiſſet furor, vt de nobilioribus viris (qui numquam deſunt) aliqui vererentur, ne in extremam efferata veſaniam, temerario Marte auderet aliquid in Ducis verendum caput; hæc prudentiori eorum conſilio vſa, propriis cedendum ædibus iudicauit, & vel clam ſibi fugâ conſulendum, vel in latibulis quærendum effugium, vbi non modò tuta, ſed etiam degeret omnino ſecura. Itaque captæ ſimilis ad diſſimulandam maieſtatem, dignitatis viduata ornamentis, vili veſtitu, & amictu ſordido (humanos caſus aſpice,) quod paſſim in theatro ab hiſtrionibus fictum videmus; amiſſo marito, (quo ſibi non præſtantior alter,) & in tetrum etiam detruſis carcerem liberis, ex inteſtini belli incendio, ſingulari Dei beneficio euaſit incolumis, ſola, & tamen beata; atque in Carmelitarum Cœnobium Monialium deſcalceatarum ſeſe recepit, vbi penè in ſqualore, & ſordibus abſcondita delituit, nec vitam tam egit, quàm traxit, quam paulo antè in altiſſimo dignitatis faſtigio collocatam ſuſpiciebat tota Gotholania. Nec quidquam tunc amiſiſſe putauit, cùm numquam inter ſolida repoſuerit bona, quæ eripi vnquam potuiſſent.

Ouid. *Fortis, & infelix, & pluſquam fœmina,*

Ouidij carmen ex parte mutatus; pluſquam fœminam fateor; at infelicem nego, malo cum Annæo dicere ſolam, & tamen cum duce Stilpone beatam.

*Vos quoque, vos tantæ digniſſima pignora matris,*
*Vos ego iure canam, bene fauſto ſidere natos.*

Aut ſileat hîc, aut ſua ſe in aula iactet Romana Cornelia, matronarum ſui temporis nobiliſſima. Hæc cùm Tiberium, & Caium filios cæſos vidiſſet, ac proinde miſera iudicaretur, *numquam*, inquit, *ego me infelicem putabo, quæ Gracchos pepererim.* Contemplare modò quiſquis hæc cernis ſpectacula, aut fortunæ ludibria,

dibria, Ducem Cardonæ magnifico ſuo pulſam Palatio, mulierculæ vilis inſtar, ſub attrita lacerna, Religioſo penè ſepultam ergaſtulo. Inde oculos conuerte ad amantiſſimos filios Antonium, ac Petrum ab eadem inſaniente plebe cum ſicariis, prædonibus, ac ſceleratis hominibus, iniuſtè in vincula coniectos: quin & perlatum non ſemel ad matris aures obtuncrati vtrique capitis nuncium. Miſeram forſan cenſebis matrem, filios infelices; illam tamen reor beatam, quæ peperit Aragonios; hos è tali parente ortos, vel inter ferreas compedes fortunatos, de quibus verè aſſeras, & opportunè quod de Platonis magiſtro Seneca, *Socrates eodem illo vultu, quo aliquando ſolus triginta tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intrauit, ignominiam loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri vbi Socrates erat.* Vos ego, vos Barcinonenſes ciues, vos Equites, & Gotholaniæ proceres teſtor, qui toties fratris vtriuſque conſtantiam, quaſi actis blanditiarum, pollicitationumque tentatam cuniculis; toties fidem minarum ictibus veluti miſſilium crebra verberatione impetitam, non labefactatam vidiſtis. Imò ipſi magis ad omnia inconcuſſi, quàm ad murmura blandientium placidè Syrenarum Vlyſſes, aut ad pelagi in ſumma tempeſtate fluctus, minantes gemini in cœlum ſcopuli. Eodem igitur vultu magnanimi Heroës, alacri ſcilicet, ac imperterrito, eadem fronte exporrecta, & Regiam ſpirante maieſtatem, qua ciuium ad defectionem ſollicitantium machinamenta eluſeratis, Barcinonenſem ingreſſi eſtis carcerem, ignominiam, cum Socrate, loco detracturi.

Grandia hæc fidei veſtræ virtutiſque inuictæ miracula, & ad poſterorum exemplum cedro, & adamante incidenda. Sed quòd à viris geſta minora forſitan nonnullis videantur. Celebrabo ergo admiranda de fœmina matre portenta. Cùm enim Gotholaniæ Triumvir, vnà cum Conſule Barcinonenſi Excellentiſſimam adiiſſent Ducem, neque ea, qua conſueuerant, quâque par erat, vrbanitate tractarent; imò verbis, imperio & arrogantia turgidis in mandatis darent, vt vnius tantùm ancillulæ comitatu, & obſequio, domi ſe veluti in cuſtodia contineret; hîc Matrona nobiliſſima, diuina violari dolens, humana iura deſpici videns, honoremque & ſibi, vtpote Duci Cardoniæ, & Prieganorum filiæ, ac tantorum filiorum matri, & Gotholaniæ demum Proregi debitum non deferri iniquo ferens animo, Oratoris vtriuſque exoſa impudentiam, & perfrictarum frontium auerſata nequitiam, vix ſe continuit, neque enim in tanta indignitate integrum foret erumpentem continere indignationem, quin ardenti vultu, minacibus oculis, pectore iuſta exæſtuante iracundia, *Ita ne*, inquit, *nepotum ſceleſtiſſimi, impunè audetis in fœminam nobilem, & inermem? Siccine apud homunculos nuperos, ac perduellionis reos ſexus, innocentia, dignitas, claritudo ſanguinis contemptui, & ludibrio habetur? O tempora! ô mores!* Nec plura. At illi quaſi tonantem audiuiſſent Demoſthenem, Æſchinem fulgentem vidiſſent, aut de ſummo cœlo Iouem Triſulca iacientem tela. Sic iis

*Obſtupuere animi, geliduſque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor.*

Attoniti, & magis quàm piſces taciturni pedem referunt, & qui fortaſſis armatas ferro acies non extimuiſſent, ij excelſi animi demirati præſtantiam nullis inſtructam armis, ac ſolam viraginem timuerunt. Deboram crederes, aut Palladem Chriſtianam.

Iam illud quàm vberem laudum ſegetem noſtri ſeculi Annalibus miniſtrabit? Cùm te ILLVSTRISSIME DOMINE Antoni, cum Petro Germano fratre

ſtre pia genitrix de materno ſinu abſtractos, imò de ipſis auulſos viſceribus, & ad carcerem raptos intueretur, ſponte euntibus calcar addendum, nouoſque animos faciundos ad omnia extrema ſubeunda putauit; *Et eia*, inquit, *filij viriliter agite, & quamquam probè intelligo, vos hortatione mea non egere,*

*Qui toto geritis animoque, & corpore Matrem.*

*Hæc tamen vna parentis vox altè, pluſquam trabali clauo cordibus inſideat, hæreatque veſtris.* Vnus Deus, vnus Rex! O ſententiam non iam licèt humano, ac fœmineo, vt videtur, prolatam ore, ſed de cœlo lapſam, ac, propè dicam, diuinam? Quid fidei, ac rationi magis conſonum, quàm vnum Deum colere, & vni parere Regi! Qui enim ab vno deſciſcit Deo, multos cùm ſe fingat venerari, nullum verè colit; ac proinde miſer in Atheiſmum ruit. Qui ab vno deficit Rege, in multitudinem ſæpe incidit Tyrannorum.

Attollit in cœlum vſque Romanæ Fidicen lyræ Iuſtum, ac propoſiti tenacem virum, quem

*Non ciuium ardor praua iubentium,*
*Non vultus inſtantis tyranni*
*Mente quatit ſolida; neque Auſter,*
*Dux inquieti turbidus Adriæ,*
*Nec fulminantis magna Iouis manus,*
*Et ſi fractus illabatur Orbis,*
*Impauidum ferient ruinæ.*

Admiranda hæc in viro meritò videantur. Ego verò mirari deſinam, cùm virum audio, qui nomine ipſo virtutis robur geſtat, cum patientiæ laude coniunctum. Quòd autem nobilis, ac delicata fœmina, omni delitiarum affluentia innutrita, ſexu mollis, ac fragilis, adeò ſit propoſiti, ac fidei tenax, vt non Barcinonenſium ciuium ardor improba iubentium, non ferociſſimæ plebis vultus ſolida eam mente deturbet, & ſi ruat cœlum, ſi terra dehiſcat, ſi horrendum immugeat mare, ſi Gotholania Reſpublica fracta, refracta dilabatur, impauidam feriant, non opprimant ruinæ, id ego lubens inter portenta repono, & Romanas omnes fides, lyras, cheleſque ad celebrandum inuito. Verè illud canant de Excellentiſſima Cardoniæ Duce, quod Maximus Valerius de Matronarum Latinarum Duce Lucretia protulit, *Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus ſortita eſt.* Quòd ſi, vt animum virilem Dux noſtra ſortita eſt, ita etiam fuiſſet & corpus, non alius profectò Dux exercituum, aut noſtros ductaret, aut terra, marique fugaret hoſtiles.

Hæc & alia eximiarum laudum argumenta, vt excellentiſſimorum Parentum tuorum propria ſint (ANTONI ILLVSTRISSIME) pluribus certè ad te ſpectant nominibus: non ſolùm quia per traducem ſanguinis cum virtute transfuſa, quod vnum ſat erat, vt tua inter decora perſenſerentur; verùm etiam, quòd maternus indiuiduus comes cinxeris latus, & in eodem ſemper defendendi Regis propoſito fueris, in eademque fortuna. Gradum facio ad alia, quæ opinione omnium ita tua ſunt, vt ſecundùm Deum, qui te præſtantiſſimis, & naturæ, & gratiæ ditauit bonis, ſi parentes excipias, quibus non poteſt non eſſe filiorum gloria communis, nemo mortalium quidquam ſibi de huiuſmodi laude decerpat. Te etenim, quod inſolens admodum, ac rarum eſt, prius adoleſcentem, quàm puerum, ante virum, quàm iuuenem, & in ipſo ætatis vernantis

flore

flore maturum ſenem læta ſuſpexit Hiſpania; cui cana, & maior rerum antè pilos venit prudentia.

Nondum enim ex ephebis exceſſeras, nec dum nonum ſupra decimum expleueras annum, cùm iam ita te totum mancipaueras optimarum artium ſtudiis, quaſi de vnico litterario puluere fama colligenda, aut victus de lucerna Cleantis quærendus. Quod nemo non videt, quàm rarum ſit, quamque glorioſum, in

*Nobilium Turba Quiritium.*

Nonnullis præſertim Magnatum filiis, quibus, quaſi ipſis interdictus, tantùm eſſet ad ſapientiam aditus, ſolemne, ac volupe eſt luſorias chartas

*Nocturna verſare manu, verſare diurna.*

Laudabili hac, & indefeſſa in ſtudiorum ſtadiis decurrendis cura, eam breui tempore doctrinæ famam tibi comparaſti, vt non tam nobilitatis merito, quàm ſapientiæ in Diui Bartholomæi Salmanticenſe Collegium omnium Collegarum calculis, publico vrbis, imò & Curiæ Philippicæ plauſu; & celeberrimæ Academiæ gratulatione fueris cooptatus in eo ſcientiarum emporio, & luce doctrinæ, ac virtutum omnium ſplendore, ita radiaſti cæteros inter Collegas,

——*Velut inter ignes*
*Luna minores.*

Vt viuis coloribus, ac prophetico (vt ita dicam) penicillo depictus ab Ennodio videare in ea, quam eleganter ſcripſit de alterius Antonij vita. *Qui*, inquit, *quamuis de ſplendore Natalium conſcientiæ iubar hauſeris, tamen fulgorem ſtirpis, præcipuè morum radijs obumbraſti, vincens decorem ſanguinis ingenij claritate.* Hæc ille de Antonio & ſuo, & meo.

Quotieſcumque verò te (ILLVSTRISSIME DOMINE) Aragonio ſanguine ortum memini: memini autem ſæpe cum ſumma animi mei voluptate; toties ante oculos ſpectare mihi videor Aragonium, qui

*Heſperios inter Fluuius non vltimus amnes.*

Ad Pyrenæ radices intra ipſam Aragoniam natum, tum illam, tum Nauarræ partem alluit, & ingenti vndarum copia influit in Iberum tumantem de tanti hoſpitis acceſſione. Nonnullorum opinio eſt, Tarraconenſis Hiſpaniæ prouinciam (quæ de Ibero Iberia olim Latinè dicebatur) à Mauris vindicatam, patria voce de Aragonio flumine Aragoniam dictam. Te igitur Aragonium, Aragonio ſimilem prædico. Excellis tamen in eo, quòd vbi naſcitur Aragonius, riuulus eſt, at longo decurſu, collectis hinc inde aquis, fluuius efficitur. Patienter audi Aragoniorum decus, & hanc amori meo veniam dabis, ſi pluribus fortaſſe, quàm velis onerauero modeſtiam: audi, inquam, quod in ſuo Florentio Paulinus commendat, illudque tuis addito laudibus, *Vbertatem ſapientiæ tuæ, mi Florenti,* (*aut florentiſſime* Antoni ab Aragonia) *magnis fontibus poſſumus comparare, qui originem ſuam latè profuſo ore rumpentes, ſtatim in ortu ſuo Flumina ſunt.* Hic tibi ortus aquarum exundans in Salmanticenſi Collegio; hæc ſcientiarum locuples in tenera ætate ſcaturigo.

Quid iam celebrem præclaram illam indolem tuam, ac verè Regiam? Quid ſingularem humanitatem, præſtanteſque alias animi dotes, quæ te amabilem, infimis, mediis, ſummis, quæ Principibus gratum; quæ dignum infulis, Purpura, imperio; quæ Regi Philippo IV. earum, quæ Summo Pontifici Innocentio X. commendabilem reddiderunt. Qui quidem Pontifex quid de

§ 3 tua

tua iudicarit virtute, datis honorificentiſſimis ad te Breuibus litteris declarauit. Earum exemplum hîc ſine faſtidio lubens releges.

*Dilecto Filio, Nobili Viro* ANTONIO DE ARAGON, *INNOCENTIVS PAPA X.*

DIlecte Fili, Nobilis vir, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Collatam in Nos diuina ope dudum Pontificiam dignitatem, gratiſſimis litteris iure ipſe gratularis, in quem & Noſtræ ante hac enituit peramantis propenſio voluntatis, & clariora in poſterum exſtabunt paternæ beneuolentiæ argumenta. Id ſanè, quod in Nos, & Apoſtolicam Sedem piè profiteris obſequium, ac ſtudium, iucundum non minus accidit Noſtris auribus, atque animo, quàm futurum apud te ſit perenne incrementum domeſticæ virtutis, ac laudis; interim Pontificiam Charitatem, quacumque ornamento, ac dignitati tuæ conducere exiſtimabimus, paratam tibi, atque expoſitam perpetuò pollicemur; cui Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 10. Martij 1645. Pontificatus noſtri anno primo.

GASPAR DE SIMEONIBVS.

Enim verò ſi

*Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt,*

quantæ laudis erit, omnium Principum Patri placuiſſe Pontifici? Quid autem iucundius clientibus tuis, quàm ipſum veritatis, ac Fidei Arbitrum quaſi vaticinantem, certè ſuam fidem ſpondentem audire, futurum te quondam perenne incrementum domeſticæ virtutis, ac laudis.

Pontificis Summi iudicio, Regum Maximi Philippi iudicium adnecto, qui pro eo ſtudio, quo egregios omnes amplectitur, quo litterarum, ac virtutis ſectatores fouet, quo benemeritos cumulat præmiis; te iam multis affecit, pluribus cumulandum, non ante Regiæ ſuæ munificentiæ metas poſiturus, quàm ipſe merendi facias finem, qui non alius profectò erit, quàm vitæ cum ſumma laude peractæ. Te nondum expleto vigeſimotertio ætatis anno ad ſacratiora, & ſecretiora Fidei ſubſellia extulit, cùm in ſupremo Sanctæ Inquiſitionis Tribunali Conſiliarium creauit. Qui quidem honoris gradus non niſi viris ſingulari morum probitate excellentibus, ætate prouectis, conſilio maturis, & rerum gerendarum experientia adultis deferri ſolet. Quæ virtutum, ſcientiarumque præſidia tanta in te adhuc adoleſcente fuiſſe, quanta ipſis ſeptuagenariis dignitatis poſtulat culmen, nemo qui te nouerat ignorabat, vt è cœlo peculiari Numinis beneficio donata videatur,

*Quæ nondum ſeris prudentia venit ab annis.*

Illa tibi, licèt non ſeni, ad Regium Ordinum Senatum muniuit viam. Illa Regem ad tua iam commoda, & dignitatis incrementa procliuem in eam impulit mentem, vt te militaribus Equitum de Alcantara inſignibus decoraret, & in eiuſdem Militiæ eligeret Theſaurarium. Illa in Eccleſia Cordubenſi Canonicum, & Archidiaconum de Caſtro, & in Aſtoricenſi Decanum, & Caput, etſi capite non cano, cana tamen virtute, ac fide conſtituit.

Nec inter decora tua poſtremum obtinet locum, quod nuper in noſtris Aragoniæ Comitiis accidit. Cùm enim Philippus Rex pro eo, quo fideliſſimum noſtrum Regnum amore proſequitur, reſtituendi Vice-Cancellarij in ſupremo rerum Aragonenſium conſilio ſpem non dubiam feciſſet. Quatuor Regni ordines publico, ac communi conſenſu, datis ad Regem epiſtolis commendatione pleniſſimis, vt te Vice-Cancellarium diceret enixè deprecati ſunt; idque poſthabitis plurimis, qui eo munere digniſſimi ab ipſis Ordinibus iudicabantur. Quo nihil dici grandius poteſt, vt planum omnibus fiat, qualem de te opinionem,

*O, & delitium, & dulce decus,* Horatius.

Aragones omnes conceperimus, quem donec inter Romanos fulgentem in Purpura Proceres non viderimus, haud ſatis vel noſtris votis, vel meritis tuis factum putabimus. In plura geſtientem epiſtolam cohibet modeſtiſſimus tuus ſanè animus, qui quantus in demerendis, tantus eſt in laudibus propulſandis. Itaque cum

*——Quæ ſparguntur in omnes,*
*In te mixtæ fluant, & quæ diuiſa beatos,*

efficiunt, collecta teneas, ſiue ad tutelam præſidia, ſiue ad gloriam ornamenta, imprudens eſſem ſi alium Illuſtriſſimi Franciſci Peña Rotæ Decani, deciſionibus poſthumis, & quæ meis ſunt adauctæ lucubrationibus, quærerem (vt dixi) tutelarem. Eas ſuſcipe, ILLVSTRISSIME DOMINE, qua ſoles humanitate; eas vmbra magni nominis tui tege; ita te æternent Superi, ad Hiſpaniæ Ornamentum, & Aragonum gloriam, &, vt cum Innocentio Pontifice repetam, perenne domeſticæ virtutis ac laudis incrementum. VALE.

PIO

# PIO ET CHRISTIANO LECTORI.

NON ſine ſpeciali diuinæ Prouidentiæ conſilio factum arbitror, Lector humaniſſime, vt Doctor Franciſcus de Peña, Nepos ſimul, & Hæres R. P. D. Franciſci de Peña, & Ego, dum inter mortales ageret, arctiſſimo familiaritatis vinculo inuicem necteremur, quem ego inſuper propter eximias animi ſui dotes ſumma obſeruantia, & amore proſequebar. Tum etiam quòd inter vtrumque Franciſcum & chariſſimum Parentem meum ac Dominum Martinum Frances de Vrrutigoiti eadem ſemper interceſſerit amicitia, animorumque coniunctio. Huc accedit quòd eiuſdem Numinis beneficio in hac eadem alma Eccleſia Cæſarauguſtana obtineam ipſe Archipresbyteratum de Daroca, vbi ille Cæſarauguſtæ Archidiaconatum obtinuit; in quam dignitatem Doctor Michaël Antonius Frances de Vrrutigoiti frater meus ſucceſſit. Cùm autem apud me ſint ipſiſſimi originales libri deciſionum numero quatuor ſupra viginti, ab Anno ſcilicet milleſimo, quingenteſimo octuageſimo octauo, vſque ad milleſimum, ſexcenteſimum, & duodecimum, ſat bene intelligis, Lector optime, quid à me & amicitiæ nomen, & officij mei ratio poſtulet. Prius tamen ſcias oportet quid R. P. vltimo ſuo teſtamento in hæc verba decreuerit: Reliquam verò Bibliothecæ partem relictam volo nominato iam Doctori Franciſco Peña bonorum meorum ex aſſe hæredi, Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Archidiacono, atque ex fratre germano, nepoti meo, ſimulque libros mea manu conſcriptos in eadem Bibliotheca repertos, & plurima, ingentiaque volumina informationum, & deciſionum Rotalium, quas ipſe confeci in meis cauſis ab anno 1588. vſque ad præſentem 1612. duodecim tomis contenta. quas iubeo, & decerno nullatenus in lucem edi, quin manifeſtationi earum præeant peruigiles curæ, & diligentiſſimum ſtudium cum acri maturitate coniunctum, & quia ab aliquibus conſcriptas percepi, &, vt reor, prælo mandentur; ſi caſu venerit, vt quiſpiam lucri vi illectus illas proferre voluerit, nothas illas fore, ſpurias, & omnino falſas cunctis teſtatum volo, niſi emendatæ, correctæque fuerint à me, vel à D. Franciſco Peña nepote meo, pariter & hærede, quem grauiter ſimul iterum hortor & moneo, &c.

Cenſeas hinc, amice Lector, quid demum iſta ſuo quaſi iure expoſcant ab homine minimè obliuioſo accepti beneficij, neque amicis, vel vita functis ingrato. Adde quòd nullæ aliæ deciſiones præter has pro genuinis habendæ, & vt ab ipſo Autore elaboratæ, cùm illas acceperim ab ipſomet D. Franciſco Peña, & omnes ſint vel conſcriptæ, vel rubricatæ eiuſdem R. P. manu. Quæ cùm ita ſint, iniurium me planè, & veteri amicitiæ, & Patriæ, & litterariæ Reip. fore putaui, niſi illas certum redactas in ordinem, remiſſionibus aptiſſimis, deciſionibuſque aliorum DD. Auditorum hucuſque in lucem editis, vel alijs, quæ indefeſſo ſtudio conquiſitæ ad meam manum peruenire potuerunt, pro virili illuſtrarem, locupletaremque quacumque ope, aut opella poſſem: & vt conſonent inter ſe, fixis numeris, ac certa

methodo

methodo cum Indicibus connecterem: Doctores præterea adducerem, qui de iiſdem pro dignitate tractarunt, additis appendicibus remiſſiuis apprimè neceſſarijs. Neque verò minorem iniuriam me facturum cenſui tanto Magiſtro, ac Doctori, ſi vnicuique Deciſionum additiones Doctorum appenderem, cùm ſat ſit auctoritas tam eximij viri. Imò cùm Deciſiones ipſæ tot ſint, arduam ſanè, ne dicam omnino impoſſibilem prouinciam ſuſciperem, & ſi vita mihi diuturnior, & firma valetudo ſuppeteret, neque vnquam me omnes abſoluturum ſperarem.

Prolixiorem commendationem attexere ſuperuacaneum iudico, cùm ipſæ Deciſiones ita compoſitæ ſint ad plauſus demerendos, eamque iam ſui famam, ac deſiderium excitarint, vt auidius, quàm credi poſſit à viris doctiſſimis, & de Iuriſprudentia optimè meritis expetantur, amico proinde & grato excipiendæ, ac fouendæ ſinu. Accipe ergo Lector humaniſſime, hoc qualecumque voluntatis meæ in Noſtrum R. P. monumentum, & ſi quid peccatum fuerit, amori condona. De illius ærario habebis cætera omnia, de inopia mea, illa ſolùm quæ hoc * vel illo † ſigno notentur.

Vt autem omnino maneat extra dubium, vnum R. P. Franciſcum Peña iſtorum partuum legitimum fuiſſe Parentem, teſtimonio erunt Deciſiones ipſæ, quæ apud me ſunt vel propria ipſius manu, vt ſuperiùs iam animaduerti, conſcriptæ, vel calamo rubricatæ. Quas præferre in medium diutius non diſtuli, ne eorum contra me iras accendam, qui tam maturis fructibus ſe tamdiu priuari ægerrimè ferunt. Ideoque dum ſecundum Tomum paro, præeat primus. En tibi cauſas, quæ me potiſſimum ad hoc opus aggrediendum abſoluendumque impulerunt, multis licèt negotijs præpeditum.

Vnum illud ſupereſt, vt penicillo leuiore quàm potero breuiter Autoris tibi vitam moreſque depingam, non equidem ijs coloribus, quos Illuſtriſſimi, ac Doctiſſimi viri claritudo, ſapientia, dignitas expetebant, ſed quos Prologi patientur anguſtiæ, idque eo tantùm fine, vt apud exteros innoteſcat, qui apud ſuos Aragonios vel poſt mortem ita viuit, vt eius memoria ac ſuperſtes fama nullis moritura ſeculis, nullis vnquam obliuionis tenebris ſepelienda videatur. Vt enim præclarè Thucyd. Illuſtrium virorum ſepulchrum omnis terra Lib. 2. eſt, & monumentum, non tantùm inſcriptio in tumulo, ſed non ſcripta memoria, quæ in mentibus, non in tumulis commoratur. Suſpice igitur ſuper erectam Franciſci ſepulcro Pyramidem, in eáque breuem hanc exaratam inſcriptionem meis & ſtylo, & manu.

Illuſtriſſimus Franciſcus Peña Rotæ Decanus, Cæſarauguſtanus Archidiaconus, decus Hiſpaniæ, Aragoniæ ornamentum, totus fictus, ac factus ad Regis Catholici Regum omnium Maximi, ac præcipuè ad S. Apoſtolicæ Sedis obſequium; natus in Celtiberiæ oppido non ignobili, cui vulgo nomen, Villa roya de los pinares: quod in ea Aragoniæ parte ſitum, quam vocant, las Baylias de Cantauieja; ſiue, vt non imperiti volunt, in agro Carthaginis veteris. Ab ineunte ætate ita ſe totum optimarum litterarum ſtudijs deuouit, vt & in Theologia, & in vtriuſque iuris ſcientia ſummus euaſerit, gemina & Theologi, & Iuriſperiti laurea inſignitus. Iberia Patria tanto lumini Sphæra anguſtior Romana in Vrbe felici ſorte obtigit, vt inde toti Orbi ad inuidiam illuceret. Romæ ſapientiæ fama iam celebrem, Cæſarauguſtana adhuc Regularis Eccleſia, vt in ſuorum Canonicorum numerum adſcriberetur, ſummis votis optauit. Ille tamen nobiliſſimæ Eccleſiæ gratijs pro tanto beneficio actis, quòd grauiſſimo cum negotiorum mole tunc diſtineretur, eo vti non potuit. A Catholico Rege in Sacra Rota factus Auditor; quo in munere ita ſe geſſit, vt dignus exſtiterit qui ab eodem Rege nouis, & amplioribus identidem donis cumularetur. Epiſcopatum Albarracinenſem in Aragonia noluit: magnus quia meruit, maior quòd oblatum repudiarit, & honorum, dignitatumque verus æſtimator, ac proinde contemptor, ſatius habuit Apoſtolicæ Sedi, ac Regiæ Maieſtati extremum vſque ad ſpiritum in ſemel ſuſcepto munere inſeruire. Clementis Pontificis Maximi eo nomine Octaui, tam excellens de



Franciſco

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

*Franciſco noſtro opinio fuit, vt eius conſilio in negotijs grauiſſimis, etiam non Rotalibus vteretur, eiuſque ſententiam in difficillimis quibuſque & valde intricatis negotijs exploraret, exploratamque ſemper ad vnguem ſequeretur. Iudex deſignatus fuit in actis processibus, vt in Sanctorum album Hyacinthus, Raymundus, Carolus, & Franciſco vidua Romana referrentur, vt reapſe, eo iudice, relati ſunt. Libros edidit ingenij ſui indices locupletes, doctrinæ præcones, teſtes pietatis, omni ſuauitate refertos, multiplici eruditione diuites, acumine commendabiles. Aliquot recenſebo ex his, quorum tam noſtri, quàm exteri ſcriptores meminerunt.*

Commentaria, ſiue Directorium Inquiſitorum.

De vita, Miraculis, & Actis Canonizationis S. Didaci libri tres. Romæ 1589.

Reſponſum in cauſa Henrici Borbon. Romæ 1595. Ex Bibliotheca D.D. Gabrielis de Sora Albarracinenſis Epiſcopi, & fuit typis mandatum per Nicolaum Mutium cenſura in arreſtum Parlamentale Curiæ criminalis Pariſienſis editum Romæ 1595.

Vita S. Raymundi de Peñafort, olim à vetuſto Scriptore collecta breuiter, poſtea à noſtro Franciſco notis illuſtrata, & duobus libellis aucta Romæ 1602.

Relacion ſumaria de la Vida, Milagros, y Actos de la Canonizacion de San Raymundo de Peñafort, impreſſa en Caragoza anno 1601.

Otra Relacion ſumaria de la Canonizacion de Sancta Franciſca Romana, quam citat Martinus à Roa Societ. IESV in Epiſt. Dedicat. ad ſororem D. Franciſcam de Meſa, Monialem in Conuentu Cordubenſi B. Mariæ.

Scripſit & librum de Regno Chriſti Romæ apud Stephanum Paulinum 1611. *Hæc, & alia æternitate digniſſima, vel edita iam, vel edenda quamprimum, vigiliarum ſuarum & ingenij monumenta poſteris reliquit. Qui annis iam grauis, duobus ſeptuagenario maior, grauidus matura & copioſa ſegete geſtarum rerum, ſuæ vitæ laudabiliter actæ extremum feliciter clauſit diem Romæ. Eius corpus, quod teſtamento ipſe mandauerat, in Hiſpaniam tranſlatum, conditumque in ipſa Patria Villa Roya, in monumento & ſacello ad id ab ipſomet erecto, & magnis ſumtibus politiori opere elaborato, in cuius oppidi templo Altaria duo vtrumque maioris Aræ latus cingentia affabrè fieri iuſſerat, totamque à fundamentis Eccleſiam reparari. quam redditibus auxit copioſiſſimis, ſacris Iconibus depictis Romæ, & inde tranſmiſſis aureis lipſanothecis, aliaque multiplici & pretioſa ex auro, & argento ſupellectili ita ditauit, exornauitque, vt ſplendore, opulentia, ornatuque cum ipſis Cathedralibus contendere poſſit. Accipe ergo, Lector Candide, hæc qualiacumque candidi, & beneuolentis animinon obſcura argumenta, &* VALE.

D. Didacus Antonius Frances
de Vrrutigoiti.



## APPROBATIO DOCTORVM.

DECISIONES R.P. Franciſci Peña, Sacræ Rotæ Decani, recollectæ per D.D. Didacum Antonium Frances de Vrrutigoiti, &c. à nobis Doctoribus in ſacra Theologia Facultatis Pariſienſis viſæ & examinatæ fuēre, nihilque in hoc primo Tomo ab orthodoxa fide deciſum reperimus, in quorum teſtimonium noſtrum chirographum hîc die 30. Ianuarij 1647. Lugduni appoſuimus.

Fr. STEPHANVS MOLIN, Carmelita.
Fr. PAVLVS LOMBARD, Carmelita.

## FACVLTAS IMPRIMENDI.

VISA per nos authentica approbatione & atteſtatione RR. Patrum in Theologiæ Pariſienſi facultate Doctorum ſuper doctrina deciſionum R.P. Franciſci Peña, &c. qua aſſerunt nihil in eis ab Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ documentis & fide orthodoxa diſſonum, & alienum contineri, in publicum bonum prælo mittendas quoque cenſemus. Lugduni 30. Ianuarij 1647.

DE VILLE, Prouicarius Generalis.

## CONSENSVS.

EGO Procurator Regius in Præfectura Lugdunenſi conſentio, vt liber inſcriptus in Approbatione præmiſſa, ab Hæred. PROST, PHILIPPO BORDE, & LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus excudatur, peculiari licentia id ipſis conceſſa. Datum Lugduni eodem anno & die quo ſuprà.

LORIN.

## PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regis conſenſu hunc librum typis mandari ſupradictis Lugdunenſibus Bibliopolis concedimus, & ne quis vltra dictam facultatem denuò excudat, prohibemus, Lugduni eodem die & anno quo ſuprà.

DV SAVZAY.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

# INDEX DECISIONVM.


A

Abbatiæ S. Marcij 17. Iunij 1591. deciſ.166
in eadem 4. Decembr.1591. 192
in eadem 31. Ianuarij 1594. 352
Abulen. Zamoren. beneficiorum 17. Iunij 1594. 388
in eadem 26.Nouembr. 1599. 794
in eadem 28.Februarij 1600. 813
in eadem 20. Martij 1600. 821
in eadem 17. Aprilis 1600. 824
Alatrina Canonicatus 4.Decemb.1591. 191
Albenſis iuriſpatr.10.Martij 1565. 433
in eadem 17.Maij 1594. 449
Alexandrina beneficij 22.Iunij 1598. 704
Alexandrina S.Stephani 15.Febr. 1599. 740
Amerina hæreditatis 2.Martij 1592. 203
Amerina ſucceſſionis 11.Decembris. 1592. 269
in eadem 15. Ianuarij 1593. 272
in eadem 24. Maij 1593. 305
in eadem 19. Ianuarij 1594. 349
in eadem 12.Iunij 1595. 456
in eadem 29. Maij 1597. 615
Anagnina Molendini 28. Iunij 1599. 783
in eadem 10. Maij 1600. 831
Anconitana computorum 19.Iun.1592. 237
Anconitana dotis 12. Iun. 1598. 701
Anconitana Iuriſpatr. 5. Iul. 1596. 543
Aquilana Capellaniæ 17. Iun. 1593. 312
in eadem 5. Iul. 1593. 320
Aquilana beneficij, ſeu Archipresbyteratus 20. Maij 1599. 779
Aquinaten. beneficiorum 5. Iul. 1593. 319
Aſſiſien.Molendini 18. Iun. 1599. 779
Auellina Archipresb.6.Aprilis 1590. 99
Auellina, ſeu nullius reſciſſionis concordiæ 19. Ianuar. 1594. 348
in eadem 4. Februar. 1594. 354
in eadem 11. Iun. 1594. 385
Aurien.bonorum 20. Maij 1598. 685
in eadem 6. Iul. 1598. 714
Aurien. diſmembrationis 19. Mart. 1597. 596
Aurien. Parochialis 1.Iulij 1596. 542

B

Baionen.præcedentiæ 3.Iul. 1595. 462
Baionen.Parochialis 2.Iun.1589. 27
Baionen.penſionis 27.Octobr.1600. 857
Balneoregien.bonorum 10.Ianuar.1594. 347
in eadem 12. Decembr. 1597. 651
Barchinon.Canonicatus 20. Decemb. 1596. 572
Barchinonen. iuriſdictionis 28. Febr. 1597. 590
in eadem 1.Iulij 1598. 707
Beneuentana ſeu nullius 1.Iunij 1590. 112
in eadem 23.Ianuar. 1591. 126
in eadem 10.Maij 1591. 145
Beneuentana decimarum 15.Maij 1592. 222
in eadem 15.Iunij 1592. 236
in eadem 12.Nouembr. 1593. 331
Beneuentana decimarum del Couante 16. Ianuarij 1595. 424
in eadem 28.Iunij 1595. 459
in eadem 11.Martij 1596. 506
in eadem 1.Iulij 1586. 540
Beneuentana tranſactionis 23.Ian.1593. 274
in eadem 13. Iunij 1594. 386
Bergomen beneficij 1.Aprilis 1596. 514
Bergomen.Matrimonij 17.Aprilis 1592. 210
in eadem 17.Aprilis 1592. 211
Bobien.bonorum emphyteuticorum 15. Nouembr. 1593. 332
Bobien.iuris optandi 8.Iulij 1589. 39
in eadem 12. Ianuarij 1590. 67
in eadem 16.Martij 1590. 92
Bononien.Alimentorum 28.Mart.1594. 364
in eadem 23.Maij 1594. 378
in eadem 13.Iunij 1594. 387
in eadem 2.Decembr. 1594. 314
in eadem 19.Decembr. 1594. 419
in eadem 3.Martij 1595. 429
in eadem 28.Iunij 1595. 464
in eadem 28.Iunij & 5.Iulij 1595. 465
in eadem 22.Martij 1596. 510
in eadem 10.Iunij 1596. 527
Bononien. bonorum Emphyteuticorum 24. Ianuar. 1600. 807
in eadem 19.Iunij 1600 843
Bononien.cenſus 19.Octobr.1598. 716
in eadem 15.Februarij 1599. 744
in eadem 20.Martij 1600. 820
in eadem 24.Aprilis 1600. 826
Bononien donationis 9.Iunij 1589. 31
in eadem 23.Iunij 1589. 33
in eadem 7.Maij 1590. 103
in eadem 20.Nouembr. 1589. 56
in eadem 23.Decembr. 1591. 197
Bononien.euictionis 21. Octobr. 1596. 544
in eadem 13.Nouembr. 1598. 723
in eadem 30.Aprilis 1599. 755


Bononien.




Bononien. fideicommiſſi de Felicinis 14. Martij 1594. 362
in eadem 22.Iunij 1594. 394
in eadem 16.Februarij 1596. 500
in eadem 10.Maij 1596. 516
in eadem 26.Iunij 1596. 533
Bononien. fideicommiſſ.de S.Petro 27. Nouembr.1596. 559
in eadem 9.Maij 1597. 607
in eadem 27.Iunij 1597. 630
in eadem 19.Nouembr. 1597. 645
in eadem 3. Aprilis 1598. 664
Bononien.Parochialis 10.Iunij.1591. 161
in eadem 22.Iunij 1592. 238
Bononien. pecuniaria 13.Martij 1595. 435
in eadem de Calderinis 4. Nouembris 1598. 721
in eadem 15. Februarij 1599. 741
in eadem 14.Iunij 1599. 777
Bononien. reinueſtituræ, ſiue Attentatorum 28. Iunij 1589. 36
Bononien. ſucceſſionis de Palleotis 20. Decembris 1599. 802
Bracharen.Parochialis 19. Iulij 1591. 179
in eadem 20.Nouembr. 1596. 557
in eadem 4.Iulij 1597. 633
Bracharen.Prioratus 30.Octobr. 1596. 549
Brixien.confidentiæ 13.Maij 1591. 148
10. de eo, qui præſentatur, vt omnino debeat eſſe Clericus tempore præſentationis; nam ratio diſcriminis eſt euidens, cùm enim per impetrationem adquiratur ius impetranti, neceſſe eſt, eum tempore impetrationis debere eſſe Clericum: ſecus in præſentato, ſeu nominato, cui per ſimplicem nominationem, antequam Ordinario præſentetur, nullum ius adquiritur (vt patuit ex deductis,) & iuxta hanc ſententiam accipienda ſunt quæ Francus, & Lambert. *præcitatis locis* tradiderunt, & idem Lambert. *dict q.* 7. *art.* 7. *n.* 7. *p.* 1. *lib.* 2.

11. Et quemadmodum ſi Papa mandaret Titio laico, cupienti militiæ clericali adſcribi, de aliquo eccleſiaſtico beneficio prouideri, valet mandatum, quamuis non valeat beneficij collatio. Ioann. de Imol. *c.* 2. *n.* 10. *verſ. quid autem ſi litteræ. de inſtit.* quem refert, & ſequitur Rebuff. *tit. de pacificis poſſeſſoribus, n.* 189. *verſ. & ſi Papa mandaret.* Sic tenet nominatio de laico facta; tametſi præſentatio, quæ fieret Ordinario, non teneat, nec collatio laico fieri poſſit Et hac etiam ratione videtur accipiendum dictum Rebuff. *in tit. nominationum, q.* 22. *n.* 7. *verſ. ſextò opponitur*, cùm ſe referat ad illa, quæ dixit *in tit. de pacific. poſſeſſor. n.* 188. *verſ. quartò inhabilis eſt*, cuius ibi doctrina iuxta hactenus explicata accipienda videtur.

---

## *Romana pecuniaria.*

### Die Lunæ 23. Ianuarij 1589.

De materia huius deciſionis * multa fuerunt dicta in cauſa Romana pecuniaria octo cecharum † coram Domino Lancellotto 20. Iunij 1597. & in vna Cæſar-auguſtana penſionis die 11. Martij 1591. coram Gipſio, vbi fuit dictum, in illa ſpecie monetæ fuiſſe faciendam ſolutionem, quæ eſt in obligatione; & in alia * Aretina penſionis die 20. Februar. 1598. coram Domino Litta, & in alia Cremon. penſionis die 15. Iunij 1598. coram Domino Orano, in qua fuit data copia ſupradictarum deciſionum; & in alia Foroliuien. cenſus, ſiue valoris aureorum die 11. Februar. 1602. coram Domino Ludouiſio: † & in alia etiam Foroliuien. ſolutionis cenſus die 8. Martij 1602. coram Sacrato: & in Acheruntina fructuum die 28. Aprilis 1600. coram Horatio Lancelotto, vbi fuit dictum, quòd quando promiſſa eſt ſolutio in ducatis de Camera illi ſunt ſoluendi, vel ſolutio eſt facienda in ſcutis octo cecharum.

* hæc annotatio reperitur in Codice originali R. P. Franciſci Peña.

† habetur hæc deciſ. impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 651.

* habetur impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 636. alia deciſ. declaratoria illius, vbi facit mentionem huius.

† habetur in impreſſis deciſ. 42. & vide infrà deciſ. 592.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia ſupina non excuſat, vt repeti poſſit, quod eſt ſolutum.*

2 *Moneta certa ſi in obligatione deducatur, illius æſtimatio, ſeu valor debet ſolui, qui tempore ſolutionis exiſtit.*

3 *Valor extrinſecus monetæ quando variatur, non eſt attendendus ex tempore contractus, ſed ſolutionis, & n.* 4.

5 *Anni 30. non ſufficiunt ad inducendam præſcriptionem contra Eccleſiam, ſed requiruntur 40. continuati.*

6 *Pecunia antiqua deficiente, ſolutio obligationis poteſt fieri in moneta, quæ eſt in vſu.*



## DECISIO V.

* ANno 1524. inter Capitulum, & Canonicos S. Celſi de Vrbe, & R.D. Bartholomæum Ferratinum, Canonicum S. Petri, tanquam adminiſtratorem Capellæ Iuliæ, in Eccleſia S. Petri ſitæ, occaſione cuiuſdam litis in Rota pendentis, fuit facta tranſactio, ſuper quibuſdam domibus, quas Canonici S. Celſi ad ſe pertinere dicebant, eius tranſactionis virtute, vtrinque liti ceſſum fuerat, & conſtitutum, vt in poſterum perpetuis futuris temporibus, Canonici S. Celſi legitimo dicta Capellæ Iuliæ Procuratori, pro tempore exiſtenti ſingulis annis de ſemeſtri in ſemeſtrem ducatos centum auri in auro de Camera ſoluere tenerentur.

* habetur hæc deciſ. inter impreſſas apud Marcheſ. de commiſ. p. 1. §. 2. fol. 635. & penes Cẽcium poſt tract. de cenſibus deciſ. 216.

Eos multis annis Canonici S. Celſi, iuxta formam prædictæ tranſactionis ſoluiſſe dicebantur: ex apochis autem, & quietãtiis apparebat, quòd ſaltem ab anno 1556. vſque ad annum 1586. Canonici S. Celſi prædictos centum ducatos ſolùm ſoluerant ad rationem 11. Iuliorum, pro tempore currentium pro ſingulo ducato auri in auro de Camera; cùm verò dictus aureus ducatus, ſucceſſu temporis ſecundùm valorem extrinſecum eſſet auctus, quamuis auri pondus, aut bonitas non apparerent omnino mutata, (ſolùm enim creuerat eius valor, qui nunc etiam æſtimatur ad Iulios 13. pro ſingulo ducato) propterea præfati Canonici S. Petri, tanquam adminiſtratores Capellæ Iuliæ, tam de præterito, quàm de futuro, ſolutionem præfatorum centum ducatorum, non ad rationem 11. Iuliorum, ſed ad rationem 13. Iuliorum, exigere prætendebant.

Cùm verò hanc controuerſiam ambæ partes ſuffragio Rotæ definiendam deſiderarent, eam mihi extra Rotam commiſſam, propoſui die 2. Decemb. 1588. & quoniam tunc Domini fuerunt varij, non fuit capta reſolutio, ſed die 23. Ianuarij 1589. iterum propoſita, duo tempora diſtinguenda * cenſuerunt, præteritum ſcilicet, quod reſpiciebat terminos, ſeu penſiones elapſas: & futurum, pertinens ad penſiones futuras.

* hæc deciſio allegatur à Barb. in collect. ad c. olim, de cenſibus n. 2. vbi latè agit de materia.

Quatenus attinet ad terminos, ſeu penſiones præteritas, arbitrati ſunt, ne Canonici S. Petri ampliùs à Canonicis S. Celſi exigerent, quàm hactenus receperant, vt ſcilicet contenti eſſent ſolutione facta ad rationem 10. Iuliorum pro quolibet ducato auri in auro de Camera; præſertim, cùm non videretur eos poſſe iuuari prætextu erroris ſui Procuratoris, qui præfatas penſiones exigebat à Canonicis S. Celſi ad rationem 10. Iuliorum pro quolibet ducato; nam cùm ſingulis annis à dicto Procuratore reciperent computa, & rationes ſubducerent, ipſi ſibi potiùs præiudicium intulerunt, & ſi qua ignorantia
1. conſiderari poterat, illa non videbatur probabilis, ſed ſupina, quæ non excuſat errantem. *l. latæ culpæ. ff. de verb. ſign. l. quod Nerua. ff. depoſiti. l. plurimum, & l. nec ſupina. ff. de iuris, & facti ignorantia.*

Tenor præterea apocharum, ſeu quietantiarum ſatis prætenſum errorem tollere videbatur, cùm fierent habita ratione valoris aureorum antiquorum, de quibus in ipſa tranſactione fuerat actum.

Quantum ad ſecundum tempus, futuras ſolutiones reſpiciens, Domini voluerunt, ſolutio-

nem fieri,vel in aureis ducatis de Camera,vel in eorum vero valore, ſecundùm tempora curren-
2. tia:nam ſecundùm communem Doctorum ſententiam, quando certa monetæ ſpecies eſt promiſſa,quæ extet tempore quo fieri debet ſolutio, illa ſpecies eſt ſoluenda, vel eius valor, ſeu æſtimatio tempore ſolutionis * faciendæ. Bart. & DD.*in l.Paulus,ff.de ſolut.* Aretin.*conſ.*11.*n.*3.Cagnolus *in l.2.C. de pact.int.emptor. & vendit.* Petrus Beninten.*deciſ.*39.incip.*Dubitabatur in quadam cauſa.* Aymon *conſ.*47.incip. *Magnificus dominus,n.6.verſ. quintò dico.*

* adde Seraph. deciſ. 84. 511. & 944. n.2. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ.

3. Et hæc fuit potiſſima ratio,quia quando variatur extrinſecus monetæ valor, tunc non debet attendi tempus contractus,ſed tempus ſolutionis. Aret.*d.conſ.*11.*n.*3.vbi hanc teſtatur communem opinionem.

In caſu propoſito,ducatus aureus de Camera non apparebat variatus in bonitate intrinſeca, cùm is qui nunc cuditur in Curia, eiuſdem ponderis,& bonitatis auri, facta experientia eſſe videretur,ac ille,qui ante 50.aut 60.an.erat in vſu: argenteus tamen numus(quem Iulium,vel Paulum dicunt,) erat immutatus, ac in duobus ferè Baiochis diminutus, vt conſtat ex conſtitutione quadam Pauli Quarti, incip. *Ex omnibus*, edita anno 1558. Vnde cùm hodie 11.Iuliis currentibus non poſſit emi vnus aureus de Camera, ex illis, qui currebant tempore contractus, vel de illis,qui in illorum locum ſuffecti fuerant,debitor nunc ſoluens 11. Iulios, pro illis, qui ſoluebantur antiquo tempore,quando Iulij erant meliores, tanquam minus ſoluens, non putabatur ſatisfeciſſe obligationi: nam cum illis 11. antiquis Iuliis,poterat emi vnus aureus de Camera, qui hodie cum vndecim Iuliis noſtratibus, ſeu currentibus emi non poteſt.

Mutatio enim apertè apparebat facta in monetis inferiorum metallorum, nam in nummis aureis, qui ſunt velut regula, ſecundùm quam omnes monetæ inferioris metalli menſurantur, & augentur, vel minuuntur, vt habet text. ſingularis *in l. pro imminutione. C. de veteris numiſmatis poteſtate, lib.*11. itaque cùm aureus ducatus de Camera,neque in bonitate intrinſeca, neque in pondere eſſet mutatus,& ideo in ſuo antiquo gradu tanquam regula, & menſura quædam, ſummma monetarum inferiorum remanſiſſet, & ille eſſet in obligatione, vel idem ipſe ducatus,ſi haberi poterat,vel tantundem de monetis, quo illa emi poſſit, ſoluendum erat, vt obligationi ſoluendi ducatum auri de Camera cenſeretur ſatisfactum.

4. Nec Canonici Sancti Celſi potuerunt ſe præſcriptione tueri, cùm non potuerint probare continuatas ſolutiones, ad rationem 11. Iuliorum pro quolibet ducato,niſi ab anno 1556. vſque ad an.1586. & ſic per 30.tantùm annos,qui non ſufficiunt ad inducendam legitimam præſcriptionem contra Eccleſiam, cùm 40. anni exigantur. *cap. de quarta. & cap. illud autem, de præſcript.*

5. Illa verò ſolutio ad rationem 10. Iuliorum pro ducato,facta per Canonicos Sancti Celſi de anno 1529.vnica erat,nec demonſtrabatur continuatio,ideo non erat ſufficiens ad inducendam præſcriptionem, aut præſcriptionis initium, *d. c.illud. §.verum,de præſcript.*

6. Ad text. *in c.olim cauſam,& in c.fin. de cenſibus,* quibus ſanciri videbatur, vt deficiente antiqua pecunia, ſolutio fiat in moneta, quæ eſt in vſu. Reſpondebatur primùm, reperiri quidem nunc Romæ ducatos aureos de Camera antiquos,qui licèt non ſint in vſu frequenti, parum referre, cùm Canonici S.Celſi tot ſingulis annis reperire poſſint,quot ad paruam ſummam centum ducatorum perſoluendam ſufficerent.

Rurſus dicebatur,quòd quamuis in indiuiduo non reperiantur illi ipſi aurei de Camera, qui currebant tempore contractus de anno 1524. reperiebantur tamen apud mercatores ducati alij de Camera, antiquis illis prorſus ſimiles,de quibus ſolutio commodè fieri poterat.

Et ſic non videbatur eſſe locus diſpoſitioni aliorum iurium, ſed quamquam locus eis eſſet, non poterat Canonicis S. Celſi ſuffragari, cùm nihilominus ſoluere tenerentur de pecuniis,quæ ſunt in vſu, ad æſtimationem antiquæ monetæ, quæ erat in vſu tempore contractus; ſic enim definitur *in d.c. olim cauſam, & in c. fin. de cenſib.* & tradit Ant. de Burgos *in c.cùm dilecti n. 39. de empt.& vendit.*

Ad deciſionem Putei 149.incip. *Communis concluſio eſt*,reſpondebatur,eam totam nutare,& incertam videri, ac ſuffragij potius priuati, quàm deciſionis Rotæ ſpeciem præ ſe ferre.

---

## *Romana prætenſæ venditionis capſulæ auri, & argenti filati.*

### Die Lunæ 23. Ianuarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Nemo plus iuris in alium transferre poteſt, quàm & ipſe habet.*
*Venditio,ſine pretio certo,non ſubſiſtit, ibid.*
2 *Pretium certum non dicitur, quod relinquitur arbitrio emptoris,vel venditoris.*
3 *Contractu nondum conſummato, licet contrahentibus pœnitere.*
4 *Venditio facta pro pretio in arbitrium tertij declarando, valet.*
5 *Dominium ſine traditione rei non adquiritur, & num.6.& 10.*
6 *Poſſeſſio ſine traditione rei poteſt adquiri.*
7 *Conuentione partium fieri nequit,vt ſine traditione rei,dominium adquiratur.*
8 *Ignoranti,vel abſenti,ac nemine pro eis recipiente, non dicitur res legitimè tradita, vt dominium adquiratur.*
9 *Rei venditæ, per ſigni appoſitionem, ab emptore poſitam,traditur poſſeſſio.*
11 *Contractus innominatus poteſt reſcindi à contrahentibus,& eſt locus pœnitentiæ, etiamſi aliquæ expenſæ fuerint factæ ab vno eorum, donec non eſt res integra.*

## DECISIO VI.

Hieronymus de Mare, mercator Neapolitanus, per ſuas litteras commiſit Iuliano de Ricciis,Florentino,vt ſibi trãſmitteret capſulam auri,& argenti filati,librarũ quinquaginta, quem rogauit, vt in pretio ſibi faceret commoditatem,

Habetur hęc deciſ. inter impreſſas Marcheſ. de commiſ.p.1. pag. 632. & p.3.pag.109.



ditatem, quantum poſſibile foret: idem Hieronymus paulo pòſt Ioanni Thomæ Piuzello ſcripſit, vt circa prædictam capſulam ordinem Nicolai Caſnedi ſequeretur:idem Hieronymus deinde ad Iulium ſcripſit,vt dictam capſulam Romam tranſmitteret ad dominum Ioannem Thomam Piuzellum. Caſnedus poſtmodum ſcripſit ad Piuzellum, vt dictam capſulam acciperet,& venderet, & de retractu ſibi ſatisfaceret pro ſuo credito. Iulianus compoſitam capſulam(cui nomen,& ſignum Ioannes Thomæ Piuzelli, more mercatorum appoſuit)iuxta ordinem ſibi à Hieronymo præſcriptum,mulioni,qui eam Romam ad Ioannem Thomam Piuzellum deferret, conſignauit. Sed antequam capſula dicto Piuzello eſſet conſignata, Iulianus intelligens Hieronymum, & Caſnedum mercatores Neopolitanos decoxiſſe, confeſtim mulioni denuntiauit, ne capſulam conſignaret dicto Ioanni Thomæ Piuzello, ſed potiùs Laurentio Pollino, mercatori Romæ commoranti. Pollinus certior factus in Dohoana, capſulam accipit, nomen & ſignum dicti Piuzelli delet, & ſuum apponit; Piuzellus capſulam ſuam eſſe contendens,iudicium contra Laurentium Pollinum intentauit. Denique cauſa mihi commiſſa die Lunæ 23.Ianuarij an.1589. dedi dubium,ſtantibus litteris,&ordinationibus à præfatis mercatoribus profectis, an ratione emptionis,& venditionis,vel alterius contractus competeret D.Ioanni Thomæ Piuzelio aliquod ius ſuper dicta capſula; & Domini omnibus circunſtantiis maturè conſideratis pronuntiarunt, domino Ioanni Thomæ non competere aliquod ius in dicta capſula,nam ei non poterat aliquod ius competere,niſi ex perſona Hieronymi de Mare, cùm inter Piuzellum, & Iulianum nihil eſſet actum. Vnde ſi Hieronymus non ha-
1. buit ius ad capſulam, non potuit illud ad Piuzellum transferre. *l. nemo plus iuris, ff. de regulis iuris.l.traditio,ff.de adquir. rer. dom.* quòd autem Hieronymo de Mare nullum fuiſſet ius quæſitum in capſula,illud demonſtrat, quòd inter ipſum,& Iulianum non fuit de aliquo certo pretio conuentum, quod tamen fieri oportuit, cùm pretium certum, & præfinitum ſit de ſubſtantia emptionis, & venditionis. *l.2. ff. de contrahenda empt.§.pretium,Inſt.de empt.& vendit.*Dec.*conſ.*67. *n.*5. *verſ.præterea teſtis,* Hippolyt.Marſil.*ſing.*38. incip. *Emptio & venditio.* Ant.Gomez *tom.2.variar.reſolut.cap.1. de empt.& vendit. n.9. verſ. item etiam deducitur.*

2. Nec dicatur ſatis conſtare de certo pretio, ex quo fuit relictum arbitrio Iuliani,cui Hieron.dixerat in litteris,ad eum datis, *& auantagiattemi, nel prezzo, piu che poteſſe, & del coſto, di eſſo me ne darette debito in meo conto*; quia pretium ad perficiendum contractum emptionis & venditionis non poteſt conferri in arbitrium emptoris, vel venditoris. *l.quod ſæpe.§.illud conſtat.ff.de contrah.empt.*gloſ.*ibi verb.emptum,*vt *ibi* communiter DD.*l.in vendentis.C.eod.tit.*Vnde cùm Hieron.de certo pretio non fuerit certior factus, nec illud acceptauerit,non poteſt dici perfecta emptio,& venditio; & propterea nondum conſummato
3. contractu,pœnitere licuit.§.1.*in prin.Inſt.de empt. & vendit.l.contractus.C.de fid.inſtrumentorum*;imò quamuis Hieronymus de Mare dixiſſet ad Iulianum, vt tranſmitteret ſibi capſulam pro iuſto pretio,ſeu pro pretio,quod iuſtum declarabitur, adhuc non reſultaſſet valida emptio, vel venditio, ſed ſolùm quidam contractus innominatus, qui non perficeretur conſenſu,& ideo locus eſſet pœnitentiæ, quam ſententiam poſt diligentem præmiſſam diſcuſſionem,receptiorem eſſe affirmat Pinel. *in rubrica C. de reſcindend. venditione, p.2.n.2.verſ. vides magnam varietatem, & num.21. verſ.ego communi opinioni adhæreo.*

Nec prædictis obſtat text.*in l.fin.C.de contrah. empt.*vbi validus definitur contractus emptionis, 4.
& venditionis, ſub pretio collato in arbitrium tertij.nam ille text. potiùs probat ſuperiorẽ ſententiam,cùm conditionalis ſit talis venditio, vt ſiquidem ipſe qui nominatus eſt ad pretium conſtituendum, pretium definierit,tunc venditio ad effectum peruenire debeat,ſecus autem non conſtituto,aut definito pretio;tunc enim pro nihilo eſt venditio, quaſi nullo pretio ſtatuto.

Minus poteſt dici dominium capſulæ Hieronym.adquiſitum,cùm illud non transferatur ſine 5.
traditione.*l.traditionibus,C.de pactis.§.per traditionem,Inſt.de rer.diuiſ.l.ſi ex ſtipulatione, ff.de acquir. poſſeſſ.*Dec.*conſ.*300. incip. *Viſa petitione.n.4.verſ. vlteriùs & ſecundò.* Nec caſus de quo agitur propriè ſit de illis,in quibus ſine traditione transfertur dominium.gloſſ.*in l.3. §.1. in verb. animo.ff.de adq. poſſeſſ.* Bald.& Salicetus *in d. l. traditionibus, C.de pactis,*latè Ant.de Butrio *in c.fin.de cauſ.poſ-*
*ſeſſ.& proprietat.* vbi enumerantur caſus, in qui- 6.
bus ſine actuali traditione transfertur poſſeſſio, & dominium rei.

Imò quamuis contrahentes egiſſent, vt ſine traditione rei, dominium transferretur, adhuc non eſſet tranſlatum, cùm ex conuentione par-
tium id fieri non poſſit,ſecundùm gloſſ.*in l.traditionib.C.de pactis,* quod expreſſè profitetur Bart. 7.
*in l.cùm falſa.q.1.C.de iur.& fact ignorant.*ſequitur Dec.*conſ.*300. *num.4. verſ.& iſta concluſio.*

Quòd capſula re vera fuerit mulioni conſignata, & ſub nomine, & inſcriptione Ioannis Thomæ Piuzelli,ad Vrbem tranſmiſſa,non operatur veram,& actualem traditionem, ac talem, quæ ſufficiat ad tranſlationem dominij: tum, quia nondum erat conſtitutum, aut præfinitum certum pretium, (vt paulo antè dictum eſt,) tum quia Hieronymus non erat præſens, nec mulio
ab eo habebat mandatum.Vnde cùm ignoranti, 8.
vel abſenti,ac nemine pro eo legitimè recipiente res non intelligatur legitimè tradita,non poteſt dici dominium adquiſitum,& ideo nec amiſſum. *l.nec vtilem, ff.ex quib.cauſ.maior.*

Per ſigni(quod vulgo *mercum* mercatores vocant) appoſitionem in dicta capſula non intelligitur tranſlata poſſeſſio, vel adquiſitum dominium; licèt enim iſtud mercum,ſeu ſignum mercibus appoſitum,probationem traditionis ipſius
rei iam venditæ,tranſlationiſque poſſeſſionis il- 9.
lius,quæ ex ſigni appoſitione cognoſcitur, operari videatur.*l.quod ſi neque.ff.de peric.& commod. rei vend.* id tamen verum eſt, emptione & venditione iam perfecta; ſecus ante perfectam emptionem. Bald.*in rub.de peric.& commod.rei vend.* Salicet.*in l.fin.in fine,C.eod.tit.*Iaſon *in l. quotiens. n.18.verſ.ſextò principaliter limita, C. de rei vend.* Boërius *deciſ.*105. *num.* 10. ſecus eſt in vegete. Item id procederet, cùm mercum, ſeu ſignum merci eſſet appoſitum ab emptore, vel ab eius legitimo Procuratore coram venditore, ipſo patiente,& non contradicente;aliter verò,quocun-

que modo mercibus imprimatur, non operatur dominij tranſlationem, nam potiùs apponi videtur, vt res cognoſcatur. Bald. & Salic. *in locis paulo antea citatis*. Stracha *tract. de mercatura p. 2. n. 90.*

10. Neque tranſmiſſio computorum, & impenſarum à Iuliano in capſula factarum, & Hieronymo tranſmiſſarum, operatur dominij tranſlationem. Nam quamuis Hieronymus iſta receperit, non tamen propterea ita conſentire putabitur, vt contractum emptionis & venditionis perficiat, *l. ſi ſeruus, ff. de condit. & demonſt.* Cæpol. *cautel. 9. n. 1. verſ. hoc tamen limita*, Iaſon *in l. admonendi, num. 142. ff. de iureiurando.*

11. Quibus accedit, quoniam non probatur, quòd iſtæ litteræ re integra, & ante Hieronymi decoctionem, ad eius manus peruenerint, quod requiritur ad probandam acceptationem, & mutuum conſenſum. Alex. *conſ. 78.* incip. *In cauſa, & lite, in princ. lib. 5.* Iaſon *in d. l. admonendi, num. 141. & ſeq.* Cæpolla *in d. caut. 9.*

Epiſtola Iuliani die 6. Februarij ad Hieronymum ſcripta non probat perfectam conuentionem, cùm nihil de certo pretio contineat, & potius præſupponit venditionem faciendam, quàm factam iam, & perfectam.

12. Nec quidquam facit, ſi dicatur conſtare de acceptatione, & conſenſu Hieronymi, ex quo, die præcedenti, videlicet 5. Februarij ſcripſerat ad dictum Ioannem Piuzellum, quòd capſulam reciperet, nam cùm iſta epiſtola, per diem antequam altera ſibi ſcriberetur, eſſet ſcripta, & ita proculdubio in tempore, quo nondum poterat eſſe de pretio certior factus à Iuliano, capſulæ domino; non poteſt dici Hieronymum negotium ratum habuiſſe, cùm talis ignorantia ratihabitionem ceſſare faciat, Ruinus *conſ. 63.* incip. *Videtur prima conſideratione num. 24. lib. 1.*

Tractatus habitus inter Nicolaum Caſnedum, & Ioannem Thomam Piuzellum, nullam inducit contractus validitatem, cùm nec ipſi domini rei eſſent, nec plus iuris haberent, quàm à Iuliano, & Hieronymo eſſet eis tributum: conſtat autem ex prædictis, nullum ius competere Hieronymo; minus ergo illis competere poteſt.

13. Denique contractus præfatus non emptionis & venditionis, ſed innominatus dici poteſt, & ideo locus erat pœnitentiæ, quod procedit, etiamſi quis ex contrahentibus aliquas feciſſet impenſas. *l. ſi pecuniam, ff. de condict. cauſa data.*

In caſu propoſito, Hieronymus nullos fecit ſumptus, & cùm ante receptam capſulam decoxerit, ſaltem æquitas (quæ in foro mercatorum attendenda eſt,) ſuadet, vt Iulianus pœnitere, & ſuæ indemnitati conſulere poſſit; præſertim cùm ex parte Hieronymi res eſſet integra, nec aliquod ei ius perfectè fuiſſet quæſitum.

---

## *Camerinen. bonorum.*

### Die Lunæ 23. Ianuarij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Sententias extra Rotam latas non ſolet ipſa exequi niſi prius conſtet de bono iure.*

2 *Ægidiana non habet locum in ſententia manifeſtè iniuſta, & iniqua.*

## DECISIO VII.

IN iſta cauſa Camerinen. bonorum, quæ agitur inter Illuſtr. D. Achillen. Cibo ex vna, & Illuſtr. Dominos Gerardum, & Scipionem Cibo ex altera, ad effectum, an intentio D. Achillis agentis eſſet ſufficienter iuſtificata, in caſu de quo agitur, de duobus erat videndum; primò vtrùm conſtaret de primo extremo, videlicet quòd Domina Theodorina Cibo, dum vixit in territorio Fabriani Camerinen. diœceſis, poſſederit tenutam, ſeu poſſeſſionem, vulgariter nuncupatam, la Rochetta de Pierpolo, cum omnibus ſuis iuribus, & pertinentiis. Secundò an Dominus Achilles deſcendat à dicta Domina Theodorina. Et Domini cum præſuppoſito, quòd teſtes vigore remiſſoriæ forent validè examinati, cenſuerunt, intentionem Achillis eſſe iuſtificatam, non ſolùm quoad primum extremum, verùm etiam, quoad deſcendentiam. 1.

Nam quantum attinet quoad primum extremum, ſatis euidenter illud probant Octauianus, quondam Petri factor Dominæ Theodorinæ, & Euſebius Taleonus an. 1547. examinati, deponentes de poſſeſſione Dominæ Theodorinæ, vſque ad illius obitum, ac de multis actibus poſſeſſoris, videlicet, quòd Domina Theodorina arrendaret Rochettam, fructus exigeret, & arrendatores ad ipſam, tanquam ad Dominam illos deferrent. Idem probant multi teſtes an. 1587. vigore remiſſoriæ examinati, videlicet primus Federicus Pelegrinus ætatis ſuæ an. 88. & tertius Paulonius Bartoli, & quartus Venantius de Caſtro ætatis 80. annorum, & publica voce, & 2.
fama, & de quibuſdam etiam actibus poſſeſſionem, & dominium ſignificantibus: explicant præterea, præfatæ Rochettæ à Domina Theodorina poſſeſſæ confinia certa, & præfinita, ita vt de illis dubitare non liceat, iuxta regulam à Bart. præſcriptam *in tit. teſtimoniorum. num. 28. §. hanc eandem rem.*

Si quid verò dubitationis circa dictam poſſeſſionem de la Rochetta per Dominam Theodorinam dum viueret continuatam, ex duobus teſtibus olim examinatis relictam eſſe videbatur, illud ſatis nunc tollitur per teſtes vltimo tempore, vigore remiſſoriæ examinatos.

Secundùm illud de deſcendentia, ſatis etiam apparet verificatum. Conſtat enim ex dictis primi, & ſecundi teſtis an. 1547. examinatorum, & ex articulis perſonaliter datis à præfatis dominis Gerardo, & Scipione contra dominum Achillem coram iudice Curię Burgi, in cauſa Roman. tertiæ partis domus de an. 1486. & ex ſententia in dicta cauſa lata, quòd ex Dominis Gerardo Vſus maris, & Theodorinus Cibo coniugibus, nati fuerunt tres filij, nempe Francus, Ioannes Baptiſta, (qui poſtea fuit Epiſcopus Marianen.) & Araninus. Conſtat præterea ex teſtamento condito anno 1531. quòd Ioannes Baptiſta Epiſcopus Marianen. inſtituit hæredes filios Franchi fratris ſui, & D. Latinæ, inter quos conſtitutus extitit Dominus Achilles Cibo, vt in regeſtro A. C. *fol. 107.*

Francho verò, & Latinæ coniugibus ab inteſtato ſucceſſerunt eorum filij Cæſar, Octauius, Pompeius, Achilles, & Franchinus, vt deponunt duo teſtes de an. 1570. examinati.

Demum Achilles ſucceſſit Cæſari, & Octauio 3.
vigore



vigore donationis inter viuos ſibi factæ; item ſucceſſit Pompeio ex teſtamento, & Franchino fratri ab inteſtato, vt teſtantur primus, & ſecundus teſtes ſuper quarto articulo de an. 1570. examinati, quod ipſum apparet ex articulis in dicta cauſa tertiæ partis domus datis; vnde nullum dubium fuit, quin dominus Achilles perſonam ſuam legitimaſſet.

4. Illud verò, quod ad excludendam intentionem domini Achillis, agentis ex parte dominorum Gerardi, & Scipionis intendentium impedire iudicium in Rota, vigore cuiuſdam ſententiæ ad fauorem eorum à Vicario Vrbis latæ ſuper poſſeſſorio, per quam dominum Achillem in expenſis condemnauit. Conſiderabatur, quòd ſcilicet ab ea appellare non licuiſſet, iuxta terminos conſtitutionis Ægidianæ *lib. 6. c. 2. tit. in quibus cauſ. appel. non val.* Non putarunt Domini
5. attendendum: tum quia cauſa fuit commiſſa in Rota, quæ ſententias extra eam latas non ſolet exequi, * niſi priùs guſtet de bono illorum iure: tum quoniam ex teſtibus affirmantibus, D. Theodorinam poſſediſſe, videbatur ſententia manifeſtè iniuſta, & iniqua, quo caſu non habet locum Ægidiana. Puteus *deciſ. 480.* incip. *Ant. de Burgos. lib. 2.* nam Ægidiana (vt vulgò dicitur) in† ventre
6. habet exceptionem notoriæ iniuſtitiæ; tum poſtremò, quia ex multis actis apparet, aduerſarios interpoſitæ appellationi conſenſiſſe, Rot. *deciſ. 21. de appel. in antiquis.*

* adde infrà deciſ. 299. n. 2. vbi alias dec. annotaui, & vide dec. 536. n. 2. & 650. n. 4.

† vide Capellam Tholoſanam deciſ. 501. quæ eſt finalis.

---

## *Vicen. augmenti.*

### Die Lunæ 6. Februar. 1589.

SVMMARIVM.

1 *Tres ſententiæ conformes faciunt rem iudicatam.*

2 *Certitudine extante, non eſt locus argumentis, maximè in tertij præiudicium.*

3 *Certum quid ſi petatur, in eo ſtatu ſoluendum eſt, in quo erat tempore petitionis, & oblationis libelli.*

## DECISIO VIII.

1. CApitulum, & Canonici Eccleſiæ Vicen. multis annis litigarunt contra Præpoſitos dictæ Eccleſiæ, ſuper augmento, quod de fructibus præpoſiturarum vnicuique Canonico pro victu erat præſtandum: & cùm tandem prædicti Canonici tres ſententias* conformes in Rota in ſuum fauorem contra Præpoſitos reportaſſent, dubitatum fuit, an executioni prædictarum ſententiarum eſſet locus à die petitionis dictorum fructuum factæ per Capitulum, iuxta tenorem cuiuſdam conſtitutionis ſuper ea re conditæ die 12. Iulij 1582. Et Domini concorditer dixerunt, locum eſſe executioni ſententiarum à die petitionis; tùm quia per prædictas ſententias Præpoſiti condemnantur ad obſeruantiam illius conſtitutionis, pro cuius executione relaxatur mandatum executiuum: & conſtitutio expreſsè declarat, quòd à die quo facta fuit, in poſterum Præpoſiti vnicuique Canonico portionem in ea
2. taxatam ſoluere teneantur; qua certitudine extante, non eſt locus argumentis. *l. ille aut ille. ff. de leg. 3.*

* ſententiæ conformes quę dicantur vide infrà deciſ. 31. Duran. dec. 43. num. 1. Cocc. dec. 427. n. 3. Ludouiſ. dec. 381. n. 1. & 4.

Tum etiam, quoniam cùm certum quid petatur, videlicet illud, quod in dicta conſtitutione continetur, non eſt dubium, quin illud in eo ſtatu præſtari debeat, in quo erat tempore petitionis factæ, non autem tempore motæ litis. *l. vinum. ff. ſi cert. petat.* maximè cùm ſententiæ libello petitorio conformes eſſe debeant. *l. fundus. ff. comm. diuid.* Bald. *in l. fin. ff. de iuriſdict. omni. iudic.* latè Iaſon *in d. l. vinum, num. 23. verſ. regula eſt. ff. ſi cert. petat.* 3.

---

## *Burgen. emolumentorum ſigilli.*

### Die 6. Februarij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Emolumenta ſede vacante, fideliter à Canonicis ſunt ſeruanda Epiſcopo ſucceſſori.*

4 *Verbum*, ſubreptio, dilapidatio, & diſſipatio, *delictum inducit.*

5 *Cauſa finalis legis, inducit valorem ipſius.*

6 *Cauſæ duæ finales ſi concurrant in lege, vna ceſſante.*

7 *Intellectus ad cap. quia ſæpè, de elect. in 6. & ad Clem. ſtatutum, eod. tit.*

8 *Conſuetudo iniqua eſt damnanda.*

9 *Leges ſemper reſpiciunt futura.*

10 *Conſuetudo immemorabilis non cenſetur per legem ſublata, niſi de ea expreſsè mentio fiat.*

11 *Conſuetudo tantum habet potentiæ, quantum ius ſibi concedit.*

12 *Conſuetudo vt valeat, non ſufficit eam probare generaliter, ſed in ſpecie, in caſu de quo agitur.*

13 *Conſuetudo immemorabilis non adquiritur mala fide.*

## DECISIO IX.

CApitulum Eccleſiæ Burgen. ſede vacante, multis annis recepit emolumenta ſigilli, eaque in ſuos vſus conuertit: Dominus Don Chriſtophorus de Vela, modernus Archiepiſcopus, contra dictum Capitulum litem mouit, & in prima inſtantia in ſui fauorem ſententiam reportauit, à qua Capitulum appellauit, & remiſſoriam ad teſtes examinandos in partibus obtinuit, ad docendum de iure ſuo; cauſa appellationis mihi commiſſa, die Lunæ 6. Februarij 1589. dedi dubium, 1.

An ſententia aliàs lata ad fauorem Reuerendiſſimi Archiepiſcopi eſſet confirmanda.

Et Domini ſine controuerſia confirmandam cenſuerunt, quoniam quòd emolumenta, & bona tempore vacationis obuenientia fideliter debeant Epiſcopis ſucceſſoribus reſeruari, adeò apertè ſanciuit Bonifacius VIII. *in c. quia ſæpe, de electione lib. 6.* vt nullus dubitationi locus relictus videatur. Et in indiuiduo de emolumentis ratione ſigilli prouenientibus, & futuris Epiſcopis perſoluendis, eſt conſtitutio Concilij generalis Viennen. ſub Clemente V. *in Clem. Statutum, de elect.* 2.

Dictorumque emolumentorum plenariam reſtitutionem futuro Epiſcopo faciendam, etiamſi modicum ſit acceptum, tenet gloſſ. *in d. c. quia ſæpe, de elect. lib. 6. in verb. plenè.* vt *ibidem* Archidiaconus 3.

chidiaconus *in verb. reſtituerent.* Ancharan. *n.3. notab. 8. & verſ. vtrùm autem ſi modicum.* Gemin. *num.17. verſ. gloſſa ſuper verb. plenè.*

Ponderata præterea fuerunt verba multum
4. prægnantia, quibus Papa vtitur *in d.c. quia ſæpe.* vocat enim receptionem hanc emolumentorum occupationem, ſubreptionem, dilapidationem, & diſſipationem, quæ delictum præ ſe ferunt, & in malam partem accipi denotant ibi Ioann. And. *num.1. verb. occupant.*

Nec obſtat ratio ex aduerſo conſiderata, quòd præfatæ iuris diſpoſitiones *in d.c. quia ſæpe, & in Clem. Statutum*, emanarunt in odium Capitulorum, differentium, ſeu in longum protrahentium electiones Epiſcoporum, quæ ad dicta Capitula ſpectant, idque propter emolumenta, & commoda quæ vacante ſede recipiebant, gloſſ. *in d.c. quia ſæpe. verb. quia,* Imol. *in d. Clem. Statutum, num. 18. verſ. ratio huius declarationis*, Alex. *conſ.* 10. incip. *Adeò grauis num.3. verſ. ſecundò ad idem facit, lib.6.* quæ cauſa hodie ceſſat, tum propter regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, tum propter ius patronatus * Regum Hiſpaniæ, quod iuſtiſſimis rationibus adquiſiuerunt, quas recenſet *l.18. tit.5. part. 1.* Vnde cùm hodie Capitula Eccleſiarum non eligant Epiſcopos, iure poſſunt accipere prædicta emolumenta, cùm ceſſante
5. cauſa ceſſet effectus. *l. adigere §. quamuis. ff. de iure patronatus. c. cùm ceſſante, de appellat.*

* de quo vide infrà dec. 46 num.15. & ſeq.

Quia reſpondebatur primò, illam rationem non fuiſſe in conſtitutione expreſſam, & propterea non eſſe finalem. Rationem verò finalem conſtitutionis illam eſſe, quæ exprimitur *in d. c. quia ſæpe, & in Clem. Statutum.* quia talia emolumenta pertinent ad futurum Prælatum.

Et quanquam ratio illa ex aduerſo conſiderata fuiſſet cauſa impulſiua ad ita conſtituendum, eaque ceſſaret; non tamen faceret ceſſare rationem finalem legis, nec conſtituti iuris diſpoſitionem *l.1. §. ſexum. ff. de poſtulando. l. vnic. in princ. C. de caduc. tollend.* tradunt plenè Canoniſtæ, vbi Ant. de Butrio *in c. poſt tranſlationem, de renuntiat. & in c. cupientes, in princ.* ſuper gloſſa *in verb. periculoſis, de elect. in 6.*

6. Ad hæc illud quoque verum eſt, quòd quando ſunt duæ legis rationes, etiamſi ambæ ſint finales, vna ceſſante, non ceſſat diſpoſitio. *§. affinitatis. Inſt. de nupt. l. liberorum. §.1. ff. de his qui not. infam.* Marian. Socin. *conſ.3.* incip. *Inſpectis his, n.39. & 40. verſ. ſi verò volumus,* Curt. ſenior *conſ.1. n.11. verſ. ſed etiam.*

Ad illud quod opponebatur de conſuetudine contraria recipiendi præfata emolumenta per Capitulum vacante ſede; reſpondebatur, eam nihil operari, ex quo per dicta iura *in c. quia ſæpe, & in d. Clem. Statutum*, erat expreſsè ſublata, ibi, *non obſtãtibus quibuſlibet contrarijs conſuetudinibus,* & ibi, *Conſuetudine qualibet contraria non obſtante.*

7. Quod ampliùs opponebatur ex dicta gloſſ. *in d. Clem. Statutum. in verb. conſuetudine,* ſentientis in prædictis iuribus damnari, tollique ſolùm præteritam, ſeu inductam conſuetudinem, non futuram, & inducendam, cuius ſententiam ſecutus eſt *ibidem* Imol. *ſuper eadem gloſſa.* & cæteri quos recenſet Couarr. *lib.3. variar. reſolution. c.13. num.4. verſ. ſecunda prædictæ conſtitutionis*, dubio ſatis, & infirmo fundamento nititur, nam in antiquis quibuſdam exemplaribus loco verbi *noluit*, quod habent recentiores libri, *voluit* legitur, quod etiam obſeruauit Imol. *ſuper eadem gloſſa verſ. aduerte,* aliquæ habent in gloſſa.

Equidem Zabarel. *in d. Clem. ſtatutum num.5. in tertia oppoſitione, verſ. vel ſecundò ſolue*, apertè profitetur cum gloſſa, quòd illud quod dicitur de conſuetudine *in d. Clem. Statutum*, concernit conſuetudinem, quæ ſequuta eſſet. *c. quia ſæpe, de elect. lib. 6.* quam tollere (inquit) voluit conſtitutio *in d. Clem. ſtatutum*, quod planè conuenit iuri communi. *c. vnic. de Cleric. non reſidentib. in 6.* Couar. *lib.3. variar. cap.13. num.4.*

Hinc conſtat præfatæ gloſſæ, & illorum, qui in ea ſe fundant, opinionem maximè nutare, nec in ea poſſe fieri aliquod fundamentum. imò verò inſiſtendo verbis *d. c. quia ſæpe,* vbi velut iniqua, & irrationabilis videatur damnata conſuetudo recipiendi præfata emolumenta, ex quo fauet iniuſtæ occupationi, & ſubreptioni (vt paulo antè dictum eſt) non ſolùm præterita, ſed futura quoque damnatur, cùm ex ſententia legis appareat iniqua. *c. fin. de conſuetud.* Innocen. *in c. ex parte, eod. tit.* & cæteri, quos refert, & ſequitur Couar. *lib.3. variar. c.13. num.4. concl.1. & 2.*

Omnem præterea difficultatem tollere videtur text. *in d. c. quia ſæpe,* vbi futura conſuetudo 8.
penitus damnari videtur, ibi: *Decernimus, vt hi qui præmiſſa de cætero,* &c. nam dictio *de cætero*, proculdubio reſpicit futura. gloſſ. *in Clem. 1. verb. de cætero, de elect.* vbi Zabarel. *q.17. n.15.* idem Zabarel. *in Clem. pleriſque, q.1. n.15.* Archidiacon. *in c. prouida, ſuper verb. de cætero, de elect. in 6.* Geminian. *in c.2. num.3. verſ. nota quòd dictio, de cætero, de dolo, & contumacia in 6.* gloſſa *in proœm. libri 6. in fin. verb. de cætero.* Quamobrem rectè Franchus *in d.c. quia ſæpe, num.1. notabili vlt.* aſſeruit, contra diſpoſitionem illius text. non poſſe conſuetudinem in contrarium induci.

His accedit natura legum, & conſtitutionum, 9.
quæ futura reſpiciunt. *c.2. c. vlt. de conſtitut.* quod procedit, etiam ſi non adeſſet dictio, *de cætero,* Zabar. *in d. Clem. 1. de elect. num.15. verſ. dic quòd hoc etiam verbo ceſſante, q.17.*

Denique, quod de conſuetudine immemora- 10.
bili adducebatur, quòd ſcilicet nunquam intelligatur ſublata, niſi expreſſa mentio de ea in l. vel conſtitutione, habeatur. Ruin. *conſ.13. n.30. lib.2.* Afflict. *deciſ.254. num.5. verſ. & ſic illa verba*, & alij per iſtos relati.

Non putarunt Domini magnum pondus habere, nam aliqui tenebant, quòd per teſtes ad inſtantiam Capituli examinatos non videbatur plenè probata iuxta omnia requiſita à gloſſa
communiter recepta *in c. 1. de præſcript. lib.6.* & 11.
cùm conſuetudo ſit ſtricti iuris, & contra regulas iuris communis, tantum habens potentiæ, quantum ſibi vſus concedit. Marian. Socin. *conſil.101. num.13. & 14. lib.2. & conſ.4. num.35. & 36. lib.4.* Rip. *in l. centurio, num.91. ff. de vulgar. ſubſtit.* ideo non ſufficit probare generaliter conſuetudinem, niſi ſpecialiter probetur in caſu de quo
agitur. Paul. de Caſtr. *conſ.340.* incip. *Quia ſupra,* 12.
*circa fin. verſ. ſupereſt videre lib.2.* Aymon. *conſ.241. num.20. verſ. ad tertium, de conſuetudine.* Roland. *conſ.53. num.39. & ſeq. lib.2.*

Teſtes verò inducti ſimpliciter probant, quòd ſede vacante, Capitulum percipit emolumenta ſigilli, & in ſuos vſus conuertit: ſed non dicunt, quòd ſi fuerit requiſitum à Præſule ſucceſſore, non reddiderit, & cùm hic ſit caſus de quo agitur, in his terminis debuit probari conſuetudo, ad tradita per Roland. *d. conſ.53. num.40.*



Alij verò ex Dominis, quibus immemorabilis
13. conſuetudo probata cenſebatur, credebant non ſuffragari Capitulo, ſtante conſtitutione *in d. c. quia ſæpe*, quæ huiuſmodi emolumentorum acceptionem vocat occupationem, ſeu vſurpationem, & ſubreptionem: vnde oritur mala fides, cum qua nullo vnquam tempore procedit conſuetudo, etiam * immemorabilis, nullaque currit præſcriptio. gloſſa *in cap. 1. verb. niſi, de præſcript. lib.6.* Aretin. *in §. furtiuæ, in princ. Inſt. de vſucapionibus,* Rubeus *conſ.13. num.14. verſ. tertiò principaliter,* Aymon. *conſ.146.* & cæteri quos refert, & ſequitur Couar. *in regul. poſſeſſor. de reg. iur. in 6. p.2. §.8. n.14. verſ. ſit igitur certa & conſtitutiſſima concluſio.*

* adde infrà dec. 515. n.3. & 4.

---

## *Nolana Capellaniæ de Virginibus.*

### Die Veneris 3. Martij 1589.

### SVMMARIVM.

2 *Manutentio non debet dari per poſſeſſionem captam infra decem dies ad appellandum conceſſos, ſi poſtea proſequatur appellatio, & n.5.*

3 *Poſſeſſio capta appellatione pendente, non valet.*

4 *Appellatio in habitu, idem operatur quoad effectum, ac in actu.*

6 *Excommunicatio lata poſt appellationem eſt nulla, licèt poſt ſententiam infra tempus ad appellandum valeat.*

### DECISIO X.

1. Litigarunt in partibus ſuper Nolan. Capellaniæ de Virginibus Nicolaus Manfredus, & Nicolaus Aſchettinus, & cùm Manfredus per ſententiam Vicarij Nolan. ad ſui fauorem latam die 5. Septembris 1586. fuiſſet de dicta Capellania inſtitutus, die 9. eiuſdem menſis, & anni poſſeſſionem dictæ Capellaniæ fuit adeptus, & ſic infra decem dies ad appellandum; in hac poſſeſſione cùm ſæpe Manfredus per Aſchettinum turbaretur, cauſam in Rota commiſit cum facultate, quòd in primis Manfredus manuteneretur: quamobrem die 3. Martij dubitaui, an ante omnia iuxta formam commiſſionis, dandum eſſet Manfredo mandatum de manutenendo, & Domini concorditer dixerunt, non eſſe
2. dandum.

3. Quoniam cùm poſſeſſio fuerit capta per Manfredum infra decem dies ad appellandum * fuit attentata, perinde ac ſi appellatione pendente capta fuiſſet. *c. non ſolùm*, vbi gloſſa communiter recepta *in verb. innouata, de appell. in 6.* & *ibidem* Ioann. Andr. *num.6.* Ancharan. *num.1. notab.4. verſ. quartò nota quòd ſicut veniunt,* Gemin. *num.6. verſ. nota quòd paria ſunt.* Corſet. *in ſingularibus, verb. appellatio 2. §. idem operatur tempus datum,* Couarr. *in pract. cap.13. num.2. verſ. tertia interpretatio.* Mohedan. *deciſ.150.* incip. *Papa contulit Canonicatum.* quod ſæpe aliàs fuit in Rota deciſum coram Domino Ioanne Paulo *deciſ. 78.* Ant. Auguſt. *deciſ.366. lib.3.* Seraphino Oliuario *in vna Calaguritana beneficij del Burgo* die 7. Maij 1574. * & coram Domino de Graſſis in vna Legionen. Capellaniæ S. Vincentij die 9. Martij 1579.

*adde Seraph. deciſ. 1045. n.4. vbi præſens deciſio allegatur, & Rotam in vna Imolen. legati coram Orano impreſſam penes Marchiſ. de commiſ. p.1. pag.973. n.1. & infrà dec. 267. n.2. & 9. & dec. 617. num.8.

* habetur in impreſſis Seraphin. dec. 229 n.4.

Quoniam, ſicut optimè dicunt *in d. cap. non ſolùm, de appellat. in 6.* Ancharan. *notabili 4.* & Ge- 4.
minian. *num.6. verſ. nota quòd paria ſunt,* idem operatur appellatio in habitu, ſiue potentia, ac operatur appellatio in actu.

Neque obſtat, quòd Aſchettinus non reperia- 5.
tur appellaſſe intra terminum decem dierum, quia non propterea poſſeſſio capta per Manfredum deſinit eſſe attentata, aut viribus conualeſcit. Lapus *allegat.1.* Mohed. *deciſ.150. num.1.* Ant. Auguſt. *tit. appellat. pendente nihil innouari, verſ. collatio facta,* contra quàm ſentire videatur Franch. *in d. c. non ſolùm num.2. notab. vlt. de appell. lib.6.*
Nec valet ſimile de ſententia excommunica- 6.
tionis, quæ licèt lata poſt appellationem * ſit nulla, *c. per tuas. de ſent. excomm.* lata tamen poſt ſententiam infra tempus datum ad appellandum, valet mero iure, ac ligat, & ideo indiget abſolutione. gloſſ. celebris, communiter recepta, *in cap. venerabilibus. §. porrò, in verb. appellatum, de ſent. excomm. in 6.* quam ſequuntur *ibidem* Gemin. Franch. & alij contra Ioan. Monach. tenet etiam Felin *in c. quoad conſultationem num.27. de re iudic. concl.5.* Couarr. *in pract. cap.23. num.2. verſ. illud tamen obiter*; id enim (vt ait gloſſa *in d. §. porrò*) ſpeciale eſt in excommunicatione; vnde ex illa non licet ad propoſitum caſum arguere. Diſcriminis rationem tradunt præcitati, quæ hîc breuitatis cauſa, cùm non ſint huius ſpeculationis, conſultò omittuntur.

* vide infrà dec. 267. n.5.

---

## *Romana adminiſtrationis tutelæ, ſiue liberationis legatæ.**

* Corneus conſ. 29. lib.1.

### Die Lunæ 6. Martij 1589.

### SVMMARIVM.

2 *Liberatione legata à teſtatore, omnia cenſentur relicta, quæ ei ſequuntur.*

3 *Liberatus reddendi rationem per teſtatorem, non tenetur eam reddere, licèt poſſit adſtringi ad edendum libros rationum defuncti, & ad reſtituendum quidquid dolo fecit reficere, & num.4.6.*

5 *Libros rationum defuncti tenetur reddere hæres, vel legatarius, licèt ſit cum clauſula non reddendi rationem, quod locum habet in extraneis, non verò in coniunctis perſonis, & n.6.*

7 *Dolus duplex eſt, alius verus, & alius præſumptus.*

### DECISIO XI.

Troilus, & Marius de Vrſinis fratres, anno 1.
1565. quendam annuum cenſum perpetuum ſcutorum 131. auri in auro D. Magdalenæ Strotiæ de Anguillaria pro ſcutis 1500. ſimilibus vendiderunt, iidemque fratres anno mox ſequenti 1566. portionem ſuam caſtri montis Rotundi, titulo venditionis in Dominos Valerium, & fratres de Vrſinis pro certa pecuniarum ſumma tranſtulerunt, iidemque emptores ad computum portionis dicti pretij onus extinguendi dictum cenſum in ſe ſuſceperunt: interim verò multis

multis annis, eiuſdem cenſus fructum dominæ Magdalenæ perſoluerunt. Anno autem 1571. D. Magdalena, Raymundi Vrſini tunc infantis tutelam ſuſcepit,rationes adminiſtrationis reddere,& reliqua reſtituere promiſit,ac ad illa,quæ ſuſcepto muneri neceſſaria erant, ad implenda in ampliori forma Cameræ ſe obligauit. Suſceptum tutelæ munus ab anno 1571.vſque ad annum 1577. videlicet vſque ad tempus pubertatis D.Raymundi,Magdalena adminiſtrauit.Et licèt Dominus Cardinalis Vrſinus poſtea Raymundi curam ſuſcepiſſet, & rationes adminiſtratæ tutelæ exigere cœpiſſet, morte præuentus, negotium perficere nequiuit. Anno 1583. Raymundus ab humanis ereptus, condito teſtamento, hæredes ſibi vniuerſales D. Valerium ſuum fratrem,& filios maſculos Ludouici, alterius fratris inſtituit, & dominæ Magdalenæ auiæ ſuæ maternæ ſcuta 500. legauit, eandemque à reddendis rationibus tutelæ adminiſtratæ, pleniſſimè liberauit, innuens, ne illa modo aliquo, & quouis ſub prætextu moleſtari, cogi, aut compelli poſſet à quocunque in iudicio, nec extrà vllo vnquam tempore ad reddendas rationes,& computa adminiſtrationis geſtæ in bonis teſtatoris,à quorum computorum,& rationum reuiſione, & redditione eam penitus, & omnino liberauit, & abſoluit.

Poſt Raymundi obitum, domina Magdalena à D. Paulo Æmilio Vrſino, præfati Marij filio, & hærede,pro tertia parte,quem D.Raymundus habebat,cenſum præfatum exigere curauit, ſed D.Paulus Æmilius vt ſe à dicta petitione liberaret, D. Valerium Vrſinum, veluti Raymundi hæredem, tam pro ſorte principali dicti cenſus, quàm pro fructibus (pro quibus omnibus domina Magdalena mandatum executiuum obtinuerat contra ipſum) coram A.C.conuenit. Sed D.Valerius prætendens,portionem dicti cenſus, ad cuius ſolutionem Raymundus tenebatur, fuiſſe ipſimet D. Magdalenæ ſolutam, & à ſe ipſa ſibi acceptam, quo tempore tutelam Raymundi adminiſtrauit, coram eodem A. C. pro exhibitione librorum tutelaris adminiſtrationis agit, ſed D.Magdalena beneficio legatæ liberationis ſe defendens, eos ſe nec confeciſſe, nec conficere debuiſſe,nec ad reliquorum reſtitutionem teneri, reſpondit.

Et quoniam ſuffragium Rotæ ad litem hanc dirimendam fuerat poſtulatum, & dubium generale propoſitum, an domina Magdalena, auia Raymundi materna,teneretur de dolo præſumpto ob non confectionem librorum, & ad reliquorum reſtitutionem. Reſponſum eſt, il-
2. lam non teneri. *l. Aurelius. §. Titius. ff. de liberatione legata.* vbi & deciſio, & deciſionis cauſa ſimul proponitur, quoniam præſumptio propter naturalem affectum facit, omnia videri conceſſa. Addit ibidem gloſſ.*in verb.præſumptio*, euidentem caſum, quia ſcilicet legatarij charitas, & neceſſitudo facit intelligi contra conſuetum modum, id ipſum profitetur *ibi* Bart. Albericus, & alij, Fulgoſ. *conſ.* 25. incip. *Spectabilis miles, num.4. verſ.& inter perſonas.* Dec. *conſ.*178. *num.*4.

3. Latè patentia quoque, & prægnantia legatæ liberationis verba ſatis dominam Magdalenam tueri videbantur,cùm à redditione quarumcunque rationum penitus,& omnino fuerit liberata, quo caſu nullas rationes reddere, nec reliqua reſtituere tenetur. *l.ſi quis rationes. ff. de liberatione legata*, omnemque liberationis modum videntur comprehendere. *gloſſ.2. in Clem. 1. de re iudic.* Aymon *conſ.*227. *num.*12. Roland. *conſ.*5. *num.*35. *lib.*1. Menoch.*conſ.*129. *num.*7. Couarr. in terminis *lib.2. var.reſolut. cap.14. num. 2. verſ. attamen hæc concluſio.*

Non obſtat communis illa concluſio, quòd 4.
quando alicui legata eſt rationum reddendarum liberatio, nihilominus legatarius rationum libros conficere, & edere tenetur, & reliqua reſtituere, & damna quæ dolo, vel culpa fecit, reſtituere.*l.quidam decedens.& l. qui plures. ff.de adminiſtr. tutorum. l. non ſolùm. §.ſi hæres, & l.fin.§.inter cætera.ff.de liberat.leg.*Angel.*conſ.*175. incip. *Viſo dicto ſtatuto.* Alex. *conſ.*74. incip. *In cauſa & lite.lib.*7. Franciſc.Cremenſis inter conſil. Alexand. *conſ.* 164. *lib.* 5. Ruin. *conſil.* 69. *lib.* 2. Dec. *conſ.* 149. *in fine*, Crotus *conſ.* 23. *lib.*1. Anton. Gomez *tom.1. variar. reſol. cap.12. circa fin. n.83. verſ. item quaro ſi quis geſſit officium.*

Quoniam reſpondetur, eam procedere cùm 5.
liberatio fit extraneis, ſecus ſi fiat coniunctis perſonis, vt in caſu noſtro, nam eſt facta auiæ maternæ, *d.l. Aurelius, §. Titius. ff.de liberat. leg.* Item procedit, quando non eſt facta verbis tam prægnantibus, ſicut in propoſita hac liberatione.*d.l.ſi quis rationes, ff.de liberat.legata.*

Eodemque modo tollitur obiectio *in l.ſi ſeruus venditus.ff.de leg.*1. quòd ſcilicet liberatio legata hoc ſolùm operetur,ne legatarius ad nimis ſcrupuloſam ſpecificationem rationum teneatur, quod voluerunt Salicet.*in l.eum neceſſitatem.C.de fideicommiſſ.*vbi Corneus vult,latam culpam non cenſeri remiſſam. Aymo *conſ.*193. *num.*9. Ruin. *conſ.*54. *num.*13. *lib.*1. Ant. Gomez *tom.1. variar. reſolut.cap.12.num.*83. nam iſta procedunt,vel in extraneis legatariis, vel in illis, quibus non eſt relicta tam plena liberatio.

Neque obſtat præterea illa conſideratio de dicta *l. Aurelius, in §. Titius. ff. de liberat. leg.* qui loquitur in patre tutore, iuncta gloſſ. *ibi in verb. præſumptio*,quæ dicit *in d.§.Titius*,eſſe ſpeciale in patre, fauore paternæ pietatis; caſus verò præſens agit de auia materna.

Quoniam dicebatur, §. *Titius* loqui de patre, quia ſic ibi caſus contigerat, diſpoſitionem verò *dicti §. Titius* non eſſe reſtringendam ad ſolum patrem,indicat ratio generalis ibidem expreſſa, quæ aliis coniunctis perſonis proculdubio competit, nempe naturalis affectus, qui & dolum excludit,& cætera remittit, eamque fuiſſe Iuriſconſulti mentem abundè ſæpe Doctores oſtendunt, dum eam in aliis etiam coniunctis perſonis locum habere profitentur: idem enim conſuluit Decius in patruo *conſ.*178. *num.4. verſ.& quia D. Ambroſius eſt patruus.* in patruo etiam Angel. *conſ.*174. & in fratre Socin. iunior *conſil. 98. num. 22. lib. 1. per dictam l. Aurelius. §. Titius. ff. de liberat. legata*, per quam legatum liberationis latiùs, & liberiùs eſſe interpretandum, Fulgoſ. & Dec. *præcitatis locis* docuerunt.

Non obſtat Crotus *conſ.23.lib.*1. vbi matrem Analogiſtam in teſtamento pupilli relictam, nihilominus ad rationes reddendas poſſe compelli contendit, nam caſus ibi erat diuerſus, cùm



cùm mater illa fuiſſet in dolo,& lata culpa circa res pupillares, de quo erat publica vox, & fama per quatuor teſtes ciues Bononienſes, legitimè probata.

Præterea non obſtante illa liberatione rationem reddere tenebatur, propter legem municipalem Bononien. ſub rubrica *de tutelis*, qua cauetur, vt non obſtante quacunque remiſſione, abſolutione,vel diſpoſitione teſtatoris,ratio adminiſtratæ tutelæ reddi debeat.

7. Quantum ad dolum attinet, cùm duplex ſit, verus & præſumptus. Ant.Gomez *tom.1. variar. reſolut. cap.12. num.* 88. Couarruu. *lib.2. variar. reſolut. cap.14. num.*4. dubium propoſitum non agit de dolo vero,quem manifeſtum eſt non adeſſe,præſumptum verò ceſſare facit fortior præſumptio naturalis affectionis D. Magdalenæ,*d.l. Aurelius. §. Titius.ff.de liberat. leg.* qua exiſtente, ſimul cum ampliſſimis legatæ liberationis verbis, remiſſum penitus fuiſſe creditur, præſertim cùm dolus præſumptus faciliùs remiſſus cenſeatur. Couarr.*lib.2. variar.reſolut.c.14. num.4. verſ. ſextum & illud.*

1 An autem hæc omnia ceſſare facerent præſumptionem ſatisfactionis, ſeu ſolutionis cenſus, quam D. Magdalena toto tempore adminiſtrationis tutelæ, propter adminiſtrationem, quam exercuit,ſibi facere potuit,Domini voluerunt particulariter videre,reſtringendo dubium, ad effectum, an in iſto caſu D.Magdalena præſumatur ſibi ſatisfeciſſe.

---

## *Burgen. Abbatia de Sobarzo.*

### Die Veneris 10. Martij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Nullum quod eſt ab initio, non poteſt poſtea ſubſiſtere.*
3 *Electio ſi fiat de inhabili non valet, licèt tempore acceptationis ſit effectus habilis.*
4 *Inhabilis tempore imburſationis eſt incapax,etiam ſi tempore extractionis habilis reperiatur, dummodo inhabilitas procedat ex ſubſtantia actus, non ſit in accidenti, ſi purgetur.*
5 *Reſcriptum commiſſum alicui tanquam Canonico, ſi non ſit Canonicus tempore conceſſionis, non valet.*
6 *Quod per procuratorem quis facit, per ſe ipſum agere videtur.*
7 *Intellectus ad regulam* quod initio.ff.de reg.iur. & cap.non infirmatur, eodem tit.in 6.
8 *Actus quando eſt nullus, propter incapacitatem illius cuius fauore, vel gratia, vel cum quo actus exercetur, non firmatur per capacitatem ſuperuenientem.*

## DECISIO XII.

1. ITerum voluit audiri Lucas de S. Petro, & ex multis nitebatur probare præſentationem* à patronis, & inſtitutionem factam ab Ordinario de Petro Vellez,qui tempore præſentationis,ſeu nominationis nondum erat charactere clericali inſignitus, eſſe nullam.

* de qua ſuprà deciſ.4.

Primò,quoniam ex proceſſu legitimè conſtabat,quòd patroni nominauerunt,& præſentauerunt Petrum Velez ad dictam Abbatiam, dicentes, quòd ex tunc, ſcilicet de menſe Septembris 1586. nominabant, & præſentabant illum Ordinario, petentes ab eo, vt virtute dictæ præſentationis illi faceret collationem dictæ Abbatiæ, & tamen non apparebat de alio mandato iſtorum patronorum, neque de alia præſentatione.

Rurſus quoniam tametſi Petrus Velez dederit mandatum in perſonam Didaci de Perada ſub die 5. Septembris, ad effectum, vt nomine ſuo compareret coram Ordinario, ab eo peteret vt ſibi prouideretur de dicta Abbatia: id tamen non videbatur ſufficere, tum quoniam hæc omnia fuerunt geſta ante diem 23. Septembris,quo tempore Petrus Velez adhuc non erat clericus: tum quoniam de ſpecialibus mandatis patronorum non conſtabat:poſtremò quia cùm mandatum patronorum eſſet reſtrictum ad perſonam Petri Velez, non potuit ille alium ſibi ſubſtituere, qui ſuo nomine peteret inſtitutionem. 2.

Accedebat præterea vulgaris regula *cap. non firmatur, de reg. iur.lib.6. l.quod initio, & l.quæ ab initio ff.de reg.iur.*nam quod ab initio eſt nullum, non poteſt tractu temporis conualeſcere, id quod plurimis propoſitis exemplis latè confirmant *ibidem* DD. quod in caſu præſenti maximè locum habere videtur, cùm qualitas reſpiciens habilitatem perſonæ interuenire debeat in ipſo actus principio. Oldrad. *conſ.*58. incip. *Quidam impetrauit num.5. circa fin. verſ.nam circa habilitatem perſonæ.* Bald.*in l. Titius. ff. de teſtam. militis.*
Si quis enim tempore electionis eſſet inutilis, 3.
non valeret electio, quamuis tempore acceptationis eſſet effectus habilis. Aretin.*in cap.poſt ceſſionem num.36.de probationibus.* Item ſi quis tempore imburſationis pateretur inhabilitatem,non poſſet aſſumi ad officium Prioris, quamuis tempore extractionis de pyxide fuiſſet habilitatus, cùm principium quod actus ſubſtantiam reſpicit, & in quo radix, & neruus eiuſdem actus conſiſtit,conſiderare oporteat. Bald.*in l.aduocationis, num.5. verſ.tertiò quaro.C.de condict.ob cau-*
*ſam.* Item ſi cui tanquam Canonico cauſa com- 4.
mittatur, neceſſe eſt eum tempore dati reſcripti repertum eſſe Canonicum. gloſſ.*in c.ſtatutum, in verb.Canonicis, in fine, de reſcript. lib.6.* quam ſequuntur ibi Doctores,vt teſtatur *ibidem* Franch. *num.* 8.

His tamen, & multis aliis ſimilibus quæ pro hac parte congerebantur,minimè obſiſtentibus, Domini ſteterunt in reſolutione aliàs facta die 19.Decembris 1588.* ſatis eſſe affirmantes habilitatem, ſeu qualitatem † ad aliquem actum requiſitum, exiſtere eo tempore, quo actus ipſe perfectionem recipit.*l.interuenit,de legat.præſtand. l.ſi cognatis.ff.de reb. dubijs. l. eum qui poſt apertum. ff.de condit.& demonſtr.*

* ſuprà deciſ.4.
† Vide infrà deciſ. 1578. à n. 7. cum ſequent.

Nec dubium in caſu de quo agitur, præſentationem tunc perfici, imò verò tunc & dici,& eſſe propriè præſentationem, cùm actualiter illa fit coram Ordinario de perſona inſtituenda,vel per actualem comparitionem, vt latè in deciſione * ſuper hac cauſa facta deciſum, & deductum fuit, vel cùm litteræ, ſeu mandata legitima Ordinario exhibentur pro illo inſtituendo, ſatis enim eſt quòd eo tempore iſte ſit clericus.

* ſuprà in dicta deciſ.4.

Nec obſtat quòd non apparebat de alio mandato patronorum,quoniam illud ipſum ſufficiebat

bat quod in nominatione dederunt , tunc enim dixerunt ſe Petrum Velez præſentare,& ſupplicare Ordinario,vt ei faceret collationem,& Canonicam inſtitutionem prædictæ Abbatiæ,& ad eundem effectum ſe illi dare ſuum mandatum amplum,ſicut de iure requiritur,ad hoc vt peteret Abbatiam ſibi conferri virtute illius præſentationis : & propterea non erant neceſſaria alia ſpecialia mandata , quibus Petrus Velez iterum Ordinario præſentaretur;iſtis enim primis mandatis exiſtentibus , inanis erat aliorum ſeparatorum mandatorum multiplicatio.

6. Hinc ceſſat etiam illud de mandato,quòd Petrus Velez, cùm nondum clericus eſſet, dedit in perſonam Didaci de Pereda , vt nomine ſuo peteret ab Ordinario præfatæ Abbatiæ inſtitutionem : nam ſatis fuit Peredam eo tempore coram Ordinario ad effectum petendæ inſtitutionis comparuiſſe,quo Petrus Velez eſſet Clericus effectus ; iſta enim omnia non tribuunt aliquod ius Petro ab Ordinario inſtituendo.Sarnenſis *in reg.de tollend.iure quæſit.quæſt.*1. ex quo ſolo fundamento facilè ſubuertuntur omnia , quæ pro parte aduerſa proponuntur.

Potuit præterea Petrus conſtituere Procuratorem ad petendum ſe inſtitui ab Ordinario,tum quia non erat prohibitus id facere,tum quoniam nullum præterea irrogatur patronis præiudicium,& denique per Procuratorem id agens per ſe ipſum agere videbatur.

7. Ad poſtremum *de reg. non firmatur, de reg.iur. lib.6. & de l. quod initio. ff.eod.tit.* & de habilitate perſonæ, quæ interuenire debet à principio ad hoc vt actus valeat , & ad omnia ſimilia exempla,quæ confirmationis cauſa,& propoſita fuerunt , ac proponi potuiſſent , multis modis reſpondebatur,primò ex mente Legiſtarum(vt refert Dinus,licèt ille ab eis recedat *in d.regula,non firmatur num.*7. *verſ. ad quæ omnia dicunt Legiſtæ*) qui vnico verbo omnem difficultatem amputantes affirmant id tractu temporis non firmari, quod ab initio de iure non tenet : conſtat autem in exemplis poſitis ab initio de iure requiri certam qualitatem, & propterea actum abſque illa celebratum non valere,quamuis qualitas poſtea ſuperueniat : ſecus tamen eſt in caſu præſenti, cùm non ſit iure cautum, vt is qui præſentatur ad aliquod beneficium tempore nominationis, debeat eſſe clericus.

8. Item quando actus eſt nullus propter incapacitatem illius, cuius fauore, vel gratia, vel cum quo actus exercetur,non firmatur per ſolam capacitatem , ſeu habilitatem ſuperuenientem, quod generaliter in omnibus actibus locum habere videtur,vt latè Maynerius tradit *in d.l.quod initio,ff.de reg.iur.n.*21. *concluſ.*6. Sed in hac facti ſpecie cùm nulla iuſta cauſa à principio impediat laicum à Patronis præſentari,aliud eſt definiendum, & cùm ſimus in actu cuius principium ex ſe non operatur nihil , ſed tantùm fiat propter alium finem , nempe ob futuram inſtitutionem ab Ordinario faciendam,finis eſt attendendus.*l. receptum ff.comm prædior.l.cùm furioſus.ff.de iudic.* Alciat.*tract.de præſumpt.reg.*2. *præſumpt.*32.*n.*3.

Nec dicatur quòd cùm iſti actus nominandi, & dandi mandata ad præſentandum reſpiciant futuram inſtitutionem de beneficio Eccleſiaſtico faciendam , neceſſariò requirunt qualitatem clericatus in illo qui nominatur , quoniam ſi id verum eſſet, ſimiliter fateri oporteret Patronos debere eſſe Clericos,cùm nominent, & præſentent ad actum Eccleſiaſticum celebrandum, quod tamen nemo rectè ſentiens audebit affirmare.

Atque ex his cætera,ſi quæ ſunt alicuius momenti, non difficulter tolluntur.

---

## *Romana,ſiue Lugdunen.redditionis rationum.*

### Die Veneris 17. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtrationis ratio reddenda eſt in loco , vbi facta fuit adminiſtratio.*

2 *quod limita vt num.*3.

## DECISIO XIII.

AGebat coram A. C. dominus Ioannes de 1.
Lilio , contra hæredes Aloyſij de Oricellariis, petebatque ab eis , ſibi in Vrbe rationem reddi cuiuſdam crediti,magnæ ſummæ aliàs exiſtentis ſuper monte Chriſtianiſſimi Regis nuncupati , *il gran partito*, quod negotiorum geſtores illorum de Oricellariis Lugduni adminiſtrauerunt.

Locumtenens A.C. lata ſententia pronuntia- 2.
uit , præfatos hæredes teneri , D. Ioanni ad reddendum in Vrbe bonum , & fidele computum, ſimulque ad ſatisfactionem dictorum creditorum, & pecuniarum,& ad reſtituenda,& conſignanda eidem D.Ioanni ipſa credita,& ſcripturas authenticas,& originales,eadem credita, & pecunias concernentes. Ab ea ſententia D. Horatius de Oricellariis,Aloyſij quondam hæredes appellauit, & cauſa appellationis mihi commiſſa denuo , dubitaui quo loco rationes reddendæ forent.

Et cùm multa vtrinque fuiſſent propoſita, & conſiderata(ſicut cauſæ qualitas poſtulabat)concluſum fuit, quòd dominus Ioannes,aut conſtituerit miniſtros Lugduni pro habendis ibidem rationibus ab Oricellariis , quia regulariter in loco adminſtrationis ratio reddi debet, cùm ibi faciliùs,& pleniùs tam per teſtes, quàm per inſtrumenta , & alias legitimas probationes veritas inueniri poſſit. *l.* 1. & 2. *C. vbi de ratiociniis agi oport.* & inibi Bald. & communiter DD. *l. prætor ait.* §. *is etiam, ff.de edend.& l. hæres abſens.* §.1. *ff.de iudic.* Bartholom. Socinus *conſ.*31.*circa finem num.*23.*verſ.vbi leges illæ volunt,& conſ.*149. *num.* 4. *lib.* 1. quod fuit aliàs reſolutum in vna Firmana olei coram R.P.D. Blanchetto 29. Nouembr. 1577. vel quòd faceret neceſſarias impenſas pro habendis probationibus , tam per iura, quàm per teſtes ad effectum , vt de redditione rationum ſibi in Vrbe reſponderetur,tunc enim non eſt neceſſe in loco adminiſtrationis rationes reddere. Paulus de Caſtr. *in l.Prætor ait.* §.*ſed hoc eſt conſtitutum. ff. de edendo.* Bartholom. Socinus *d. conſ.* 149. *num.*4. *verſic. prædicta tamen limita, volum.*1. Simon de Pretis *conſ.*154. *num.*2. *& ſeq. lib.* 1. qui limitantes prædicta iura conformiter concludunt , poſſe reum conueniri in loco domicilij , ad rationes in eo reddendas, dummodo libri, cæteraque actorum inſtrumenta tranſportentur , impenſis , & periculo ipſius agentis : conſtat autem , tempore incepti iudicij , dominos de Oricellariis , & domicilium, & bona multa in Vrbe habuiſſe. Ad habendas verò probationes per teſtes , cùm non poſſint è Gallia in Vrbem euocari per Remiſſoriam ad libros , & cætera inſtrumentorum acta , & iura per Compulſoriam impenſis D. Ioannis filij habendam , & exequendam , poterit prouideri.





---

## *Romana Palatij Campi Floræ.*

### Die Lunæ 20. Martij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Moroſus in exequendo contractu non poteſt percipere fructus,& emolumenta ex eo reſultantia à die moræ.*

2 *Reſupinus quis non præſumitur,vt bona ſua iactet, & effundat.*

3 *Mandatum præſumitur ex ſola iurium productione.*

4 *Depoſito facto de re in contractu expreſſo, ſufficit ad conſtituendum in mora reum , etiamſi non conſtet de mandato.*

5 *Conditiones, quæ inſunt à iure,non reddunt actum conditionalem.*

6 *Impedimenta damnant ad conſtituendum in mora, eum qui culpa ſua ea impoſuit.*

7 *Interpellatio etiam extraiudicialis ſufficit ad conſtituendum quem in mora.*

## DECISIO XIV.

EX duobus potiſſimum fundamentis Domini tenuerunt , penſiones Palatij decurſas à die decreti A. C. vſque ad diem retrouenditionis D. Fabritio non deberi. Primò , quia Fabritius fuit in mora retrouendendi , quo caſu fructus, ſiue penſiones , à tempore moræ non ſpectant
1. ad emptorem , qui reuendere tenebatur. *l.*2. vbi Bald.Salicet.& alij.*C.de pact.int.emptor.& vendit.* Bart.& Alexand.*in l.qui Romæ,in princ. ff. de verb. oblig.* Tiraquell. *de retract. conuent.* §. 5. *gloſſ.* 2. *num.* 4.

Secundò ex reali , ſeu actuali depoſito decem millium , & amplius ſcutorum , quod nomine Excellentiſſimi domini Virginij Vrſini fuerat factum, apud montem pietatis de Vrbe , ex qua conſignatione , & depoſitione magnæ pecuniarum ſummæ non obſcurè colliguntur duo : pri-
2. mum D. Virginium verè , non fictè iuxta pacta conuenta voluiſſe pretium Palatij vtiliter Fabritio ſoluere,cùm nemo ſit ita reſupinus,vt temere res ſuas iactet, & effundat. *l.cùm indebito. ff.de probat.* facit *cap.ſuper eo,de renunt. & cap.quia veriſimile,de præſumpt.* latè Tiraquell.*in l.ſi vnquam, in verb. donatione largitus num.* 206. *verſ. in dubio autem. C. de reuocand. donationibus.* Alterum, debuiſſe protinus Fabritium ſublatis omnibus impedimentis, quæ ſibi obſtare putabat , oblatam, & conſignatam pecuniam recipere , quod cùm non fecerit, non poteſt effugere pœnam moræ, vt ſcilicet non fecerit fructus ſuos , cùm retrouendere diſtulerit. *d. l.* 2. *C. de pact. int. empt. & vendit.* Tiraquell. *de retractu conuent.* §.4. *gloſſ.*6. *num.*4. & 5.

Quod maximè procedit in caſu , cùm nedum fuerit promiſſum , ſeu oblatum pretium , ſed etiam , ( vt paulo antea dictum fuit ) actualiter conſignatum , iuxta textum *in l.ſi à te,* vbi gloſſ. Bartol. & Salicet. *C. de pactis inter empt & vendit.* Ioann. Andr. *in c. illo vos,de pignor.* Bald. *conſ.*108. incip. *Iſte qui promiſit reuendere , lib.*5. Anchar.*conſ.*331.incip.*Viſis diligenter actis.*

Non obſtat, quòd non conſtaret de ſufficienti mandato Procuratoris Excellentiſſ. D. Virginij , ad faciendam prædictam retrouenditionem , cùm ille eſſet tantùm Procurator conſtitutus ad lites.

Quia dicebatur primò , quòd actualis depo- 3.
ſitio magnæ pecuniarum ſummæ , defectum mandati ſupplere videbatur , cùm aliàs ex ſola etiam iurium productione præſumatur mandatum. Roman. *conſ.* 446. incip. *Primus propoſitæ conſultationis,num.* 10. *& ſeq.*Felinus *in cap. coram, num.*5. *verſ. limita primò,de off. delegat.* propterea quoniam Procurator D. Virginij comparuit, & obtulit Oratorem magni Ducis Etruriæ,nomine D. Virginij recepturum præfatam retrouenditionem ; & de rato in forma promiſſurum : poſtremò,quia ſi Fabritius credebat, præmiſſa non ſufficere ; vt ſibi eſſet cautum legitimè , debuit procurare , vt de ſufficienti mandato prouideretur , ſicut abſque vlla difficultate tempore factæ retrouenditionis coram me , de illo fuit proui-
ſum, protulit enim tunc Procurator D. Virginij 4.
ſpeciale mandatum ad retrouenditionem faciendam , quamuis ſtante reali depoſito , non fuiſſet neceſſarium.

Nec obſtat quòd non fuerit ſimpliciter factum depoſitum, ſed cum conditione , ne prædicta pecunia D. Fabritio ſolueretur , niſi reuocatis ſequeſtris ſuper pretio palatij , & inhibitionibus.

Quia dicebatur , quòd cùm dicta conditio à 5.
iure ineſſe videretur , non reddebat depoſitum conditionale, ſed in ſimplex , & purum reſoluebatur. Accedebat præterea,quia cùm illa impedimenta , culpa Fabritij cum ſuis creditoribus non concordantis oriretur, ipſi fuerunt imputanda.*c.*
*damnum; & c.mora,de reg. iur. lib.*6. Et cùm facto 6.
depoſito nihil amplius expectandum foret à deponente,& ſoluere volente,ac ſemper deinceps, in libera Fabritij poteſtate fuerit conſignatam pecuniam recipere,ex propia culpa fuit in mora.

Minus iuuat,D.Fabritium ad effectum de quo 7.
agitur nullitas decreti A.C. cùm ad conſtituendum ipſum in mora,interpellatio etiam extraiudicialis ſufficeret. gloſſ.*in d.l.qui Romæ.* §.*cohæredes.* vbi Iaſon,*num.*10.*ff.de verb.oblig.* & fuit aliàs reſolutum coram D. Aldobrandino 9. Martij 1584. in cauſa Roman. prætenſorum fructuum cenſus. Bald.*in l.acceptam. quæſt.*12. *num.*37. diligenter inſpectus contra Fabritium potius facit, quàm eius cauſam tuetur.

Poſtremò non prodeſt D.Fabritio deciſio per me in hac cauſa facta ſub die 16. Decembris
* anni præteriti , nam in illa ſolùm agitur de * ſuprà deciſ.3.
manutentione , & ideo prudenter fuit concluſum , quòd lite pendente nec debebat , nec poterat commodo ſuæ poſſeſſionis priuari: de penſionibus verò an ſibi à die decreti A.C. deberen-

tur, nihil fuit ſtabilitum, ideo non poteſt trahi ad caſum diuerſum, de quo Domini particulariter videndum cenſuerunt, & denique reſoluerunt prout in deciſione præſenti.

---

## *Camerinen. bonorum.*

### Die Lunæ 20. Martij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Teſtium nomina, & cognomina ſunt ſpecificanda, vt valeat depoſitio, quod fallit in Remiſſoria.*

3 *Teſtis vt deponere valeat, neceſſe eſt materias ſpecificare, in quibus debeat teſtificari, aliàs non valet.*

4 *Iuramentum calumniæ poteſt præſtari, antequam in cauſa ſit concluſum.*

5 *Interrogatorijs datis debent teſtes examinari, quòd ſi negligens fuerit pars, ipſi imputandum eſt, & num. 6.*

7 *Examen teſtium poteſt valere, etiam ſine interrogatorijs.*

8 *Remiſſoria ſi concedatur cum clauſula*, ad illos, vel eorum Procuratores inueniendos, *&c. ſufficit quòd citatio fiat per affixionem edicti, vel citationis in loco, vbi citationes ſimiles fieri conſueuerunt.*

## DECISIO XV.

1. QVoniam in hac cauſa, quam propoſui die 30. Ianuarij præſentis anni, *Domini cum præſuppoſito, quòd teſtes eſſent validè examinati, cenſuerunt, intentionem D. Achillis Cibo eſſe iuſtificatam, ideo pars aduerſa ex multis nitebatur oſtendere nullitatem examinis.

* ſuprà deciſ. 7.

Et primò præſupponebat, quòd in Remiſſoria conceſſa domino Achilli de anno 1587. pro parte dominorum Gerardi, & Scipionis Cibo, die 13. Iunij dicti anni fuit proteſtatum, eam non relaxari, niſi priùs ſpecificatis nominibus, & cognominibus teſtium, & ſpecificatis materiis medio iuramento, & concordato de iudice, quæ cùm non fuerint obſeruata, propterea examen prætendebatur nullum: alia præterea opponebantur, quæ ſuo ordine relata diluentur.

2. Sed quantum ad primum de omiſſa ſpecificatione nominum, & cognominum teſtium, dicebatur, quòd quando teſtes vigore Remiſſoriæ ſunt in partibus examinandi, non ſolet fieri iſta ſpecificatio, cùm regulariter ignoretur, qui teſtes ſint examinandi, & propterea iſta relinquuntur prudentiæ iudicis Remiſſorialis, licèt ſecus ſit in aliquo caſu particulari, quando adeſt ſuſpicio de calumia.

3. Secundum de omiſſa ſpecificatione materiarum, poſſet multis modis reſponderi: ſed omnem difficultatem tollit factum, & ſeries rei geſtæ, nam ann. 1586. D. Achilles duo iuramenta ſimul præſtitit, in quorum primo ſpecificauit materias tunc datas: in ſecundo iurauit de calumnia; vnde non tenebatur materias ſpecificare, licèt eſſent diuerſæ, cùm materiarum ſpecificatio ſit quædam ſpecies iuramenti de calumnia, quod ſemel præſtitum extenditur ad totam inſtantiam. Veſtrius *lib. 6. introduct. iudicior. cap. 2. num. 19. verſ. amplius intimetur.*

4. Præterea ſi neceſſariò facienda foret, ſufficeret illam fieri quandocunque, antequam in cauſa eſſet concluſum, ſicut dicitur de iuramento calumniæ, quod ſufficit præſtari ante concluſionem in cauſa. *gloſſ. fin. in cap. ex litteris, de iureiurando.* Franc. Curt. *in l. cùm & iudices, num. 3. verſ. & aduertas pro condimento. C. de iureiurando propter calum.* Felin. *in cap. cùm dilectus num. 5. de de fide inſtrum. verſ. & poſt concluſionem*, Roland. *conſ.* 71. incip. *Viſo proceſſu, num. 32. verſ. ad tertium reſpondetur.* Quinimo ex officio iudicis poteſt præſtari, etiam poſt concluſionem in cauſa ante ſententiam. Bald. *in l. 1. circa finem, C. de iureiurand. propter calumn.* quem refert, & ſequitur Curtius *in d. l. cùm & iudices*, Geminian. *in cap. 1. de iurament. calumn. lib. 6.* Capella Tholoſana *deciſ.* 108. Roland. *d. conſ. 71. num. 33. & 34.* quòd indiſtinctè procedit vſitato ſtylo Curiæ, vbi non ſolet ante ſententiam in cauſa concludi, cùm vnico actu præuia citatione concludat iudex, & ſententiam proferat. Veſtrius *lib. 7. introduct. iudicior. cap. 1. num. 11.*

Non obſtat tertium de proteſtatione ſuper concordando de iudice, id enim tollitur ex citatione facta ad concordandum de eo, & ex deputatione facta per D. Oriolen. ob partis contumaciam.

Minus officit quarta oppoſitio, quòd non fuerit citatus D. Comes Antonius maritus D. Martiæ Cibo; præſertim cùm D. Achilles in ſecundo articulo Remiſſoriæ illum Rochettam de qua agitur, poſſediſſe, & occupaſſe non neget.

Quoniam reſpondetur, non fuiſſe neceſſarium illum citare, cùm Achilles ab eo nihil conſequi intenderet, ſed Achilles, qui Rochettam poſſidebat. Et quamuis conſtitiſſet comitem Antonium Rochettam poſſediſſe, non tenebat eam nomine proprio, cùm D. Martiæ fuerit aſſignata pro dote, (vt pars aduerſa fatetur.) Rurſus tempore conceſſæ Remiſſoriæ præfatus articulus reſtrictus etiam fuit ad poſſeſſionem dominorum Comitum Baldi, & Chriſtophori, eius filiorum, vt articuli verba indicant.

Præterea omnem difficultatem tollit, quòd domina Martia cum conſenſu Comitis Baldi, filij ſui, ſub die 7. Ianuarij 1578. ſuos Procuratores conſtituit Nicolaum Rutilonum, Alexandrum Seruitiatum, & Decium Roſcinum, (vt in Regeſto coram Vicario fol. 50.) ſicut pars aduerſa in ſua informatione fatetur; cùm ergo D. Decius poſt obitum Martiæ fuerit dominus litis effectus, & legitimè citatus, prætenſam nullitatem euidenter excludit.

Et hinc ceſſat etiam illa oppoſitio, quòd Comites Baldus, & Chriſtophorus non fuerint citati: ſufficiebat enim citatio Procuratoris, qui iam fuerat dominus litis effectus.

5. Quintum de teſtium examine facto ſine interrogatoriis, *contra quàm iure videatur diſpoſitum *cap. 2. §. teſtes etiam.* vbi gloſſ. *in verſ. interrogatoria, & ibi* communiter Canoniſtæ, *de teſtibus lib. 6.* facilè tollitur; nam culpa, & † negligentia partis aduerſæ fuerunt omiſſa, cùm neminem in partibus nominauerit, ad illa edenda, nec in Curia dederit, ac nec repetiuerit, ſi quæ priùs data fuerunt, & quamquam pars citata fuerit ad illa edenda, vt ex citatione apparet, nullam tamen adhibuit diligentiam, vt interrogatoria exhiberentur, *vnde ex culpa ſua non debet commodum reportare.

* vide infrà dec. 49. & in tom. 2. deciſ. 1265.

† adde Seraph. deciſ. 1456. n. 4. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.



* ex quo infertur ex voluntate partis interrogatoria fuiſſe omiſſa, & tunc ſine eis valet examé, pro quo videndus eſt Riccius in collectan. 4. p. collect. 1044. ſuper cap. præſentium, de teſtib. in 6.

Nec dicatur, quòd cùm anno 1547. fuerint data interrogatoria, ſuper quibus Achilles nonnullos teſtes examinare iurauit, illa eadem erant in Rotulo Remiſſoriæ per ipſum includenda, & propterea non fuerunt alia data de anno 1587. quaſi id ſuperfluum foret: nam reſpondetur, aduerſarium debuiſſe curare, vt antiqua illa interrogatoria, & reperirentur, & tranſportarentur, & in Rotulo Remiſſoriæ includerentur, ſoluta Notario ſua mercede. Seuerolus *tractat. de remiſſionibus litig. cap. 19.* quod

6. cùm non fecerit, ſibi imputare debet, præſertim cùm iura, munus dandi interrogatoria, ad illum, contra quem teſtes examinantur, pertinere demonſtrent. *d. cap. 2. §. teſtes etiam, de teſtib. lib. 6.* ibi: *Secundùm partis aduerſæ interrogatoria*, & notat *ibidem* gloſſa *in verb. interrogatoria, in princ.* & Gemin. *num. 3. verſ. nota quòd pars.*

7. Et quamuis pars aduerſa omiſerit interrogatoria, adhuc ſuſtinetur examen, cùm iudex ex officio, ſecundùm quod ius requirit teſtes interrogari. *cap. cùm cauſam. de teſtibus.* notant DD. *in d. cap. 2. §. teſtes etiam, de teſtibus lib. 6.* vbi Ioann. Andr. *num. 15. in fin.* Franch. *num. 6.* gloſſa *in l. 1. in verb. de nominibus. ff. de magiſtrat. conueniend.* & *ibidem* pulchrè Bald. *in §. ſi curatores.* Peregrin. *deciſ.* 106. *lib.* 2. Signorolus *conſ.* 19. incip. *In aſſumptione num. 1. verſ. item dicta pars.* Cagnol. *in l. 1. num.* 102. *ff. ſi certum petatur.*

Sextum, quod obiicitur de non citatis principalibus in terra Fabriani, qui erat locus Remiſſoriæ, vbi principales, nec domicilium, nec Procuratorem habebant, non reddit examen inualidum, cùm procedi potuerit, per affixionem, ſtante decreto, & citatione, ad conſtituendum Procuratorem, qui executioni Remiſſoriæ intereſſet, nam quando principales, contra quos decreta eſt Remiſſoria, ſunt abſentes à loco, vbi exequenda eſt, poſt adhibitam diligentiam ad illos, vel eorum Procuratores inueniendos, ſufficit, quòd citatio fiat per affixionem edicti, vel citationis in loco, vbi citationes ſimiles in ciuitate, vel oppido illo fieri conſueuerunt.

8. Septimum de latore, ſeu portitore Remiſſoriæ non vitiat examinis actum: quamquam enim ad eam deferendam, fuerit deputatus Hercules Roſatus, in eius tamen abſentia ab Vrbe, fuit conſignata Petro Paulo Bonello, illius agenti, & negotiorum geſtori, qui de fideliter ad Herculem tranſmittendo iurauit: quo facto in partibus clauſa, & ſigillata, vt iure fieri debuit. *cap. præſentium, de teſtib. lib. 6.* iudici Remiſſoriali fuit conſignata, vnde nihil intereſt an per nos, vel per alium nomine noſtro actus exerceatur, quominus verè ſit validus.

Poſtremum illud de teſtibus ann. 1587. examinatis pendente termino ad dandum interrogatoria, ſolùm inficit examen trium priorum teſtium, videlicet Federici Pelegrini, Ioannis Baptiſtæ Stelluti, & Pauloni, qui fuerunt examinati die 13. Septembr. & ſic pendente, ad dandum interrogatoria legitima dilatione, ſeu termino, qui dari ſolet. gloſſ. communiter recepta *in cap. præſentium. §. teſtes etiam, in verb. interrogatoria, de teſtibus lib. 6.* Veſtrius *lib. 6. introduct. iudicior. cap. 2. de teſtibus. num. 17. verſic. addimus quoque.* quo termino elapſo, bene potuit iudex ad examen procedere. Signorol. *conſil. 19. num. 1. verſic. item dicta pars.* Cagnol. *in l. 1. num.* 101. *verſic. & poteſt iudex. ff. ſi cert. petatur.*



---

## *Palentin. prætenſæ illegitimitatis.*

### Die Lunæ 17. Aprilis 1589.

SVMMARIVM.

2 *Cognitio illegitimitatis in cauſa Eccleſiaſtica pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum.*

3 *Copia actorum proceſſus debet dari parti, eam petenti, cum relatione litis pendentiæ, & omnium quæ in proceſſu continentur expenſis ipſius.*

## DECISIO XVI.

1. NIcolaus Iatlen, prætenſus Procurator D. Franciſci Fonſeca, Sandoual, & Ayala, non facto verbo in Rota, & ſine vlla eius facultate, aut ſcientia, contra quam fieri oportebat, ſecretò curauit, habere inſtrumentum actorum, non tamen omnium, ſed quorundam, quæ D. Franciſci cauſam in partibus inſtruere, & iuuare poterant, in graue damnum, & præiudicium D. Ludouicæ de Ayala, & litis conſortium: quod cùm ad notitiam Procuratoris partis aduerſæ perueniſſet, conqueſtus eſt apud Rotam, ſimulque de opportuno remedio ſibi prouideri poſtulauit: id Domini ægrè ferentes, ordinauerunt primum, vt præfatum inſtrumentum actorum, quod iam ad manus aſſerti Procuratoris peruenerat, mihi reſtitueretur, ſicut factum fuit.

Vide Mandoſ. tract. de inhibitionibus q. 4. num. 15.

2. Secundò quòd ſi D. Franciſcus vult ſibi copiam fieri actorum, accipiat ſimul iuxta receptum ſtilum Rotæ cum illis, quæ deſiderat habere inſtrumentum continens litis pendentiam, ſuper prætenſa illegitimitate quæ ſpectat ad iudicem Eccleſiaſticum, & interim facit ſilere iudicium introductum coram iudice ſeculari. *cap. lator. qui filij ſint legit.* latè Alexand. *in l. Titia. ff. ſolut. matrim.* Couarr. *lib. 4. Decretal. part. 2. cap. 8. §. 3. num. 4. verſ. cauſa verò iſta. & §. 12. num. 3. verſ. imò ex ratione.* Et cùm negotium de quo agitur, ſit grauiſſimi præiudicij, iniquum eſt, quibuſdam occultatis, illa ſolùm velle habere, quæ alteram partem poſſint grauiter vulnerare.

3. Tertiò quòd qui petit ea inſtrumenta pro ſuo vſu, expenſas Notariis ſoluat.

## *Parmen. beneficij S. Nicolai de Tolentino.*

### Die Veneris 21. Aprilis 1589.

* hæc annotat. habetur in codice originali R. P.D. Franciſ. Peña manu ipſius conſcripta.

*Plures deciſiones, in quibus ſunt plures caſus ad probandum quando poteſt dari poſſeſſio vigore ſubrogationis gratioſæ, fuerunt allegatæ coram Orano die 29. Maij 1589. in vna Oritan. parochialis.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio capta virtute gratioſæ ſubrogationis, etiamſi mentio illius facta non fuerit, non eſt attentata, & num.6.*

3 *Subrogatio gratioſa operatur, vt poſſeſſio capta virtute illius non dicatur noua, ſed continuata ab illa, quam vltimus poſſeſſor habebat.*

4 *Poſſeſſor, qui continuat, non attentat, quod procedit etiam non iuſtificata ſubrogatione, & num.5.*

6 *Clauſula*, Dummodo tempore datæ præſentium non fuerit in dicto beneficio alicui ius quæſitum, &c. *quomodo ſit intelligenda, & num.7.*

## DECISIO XVII.

1 VAcante beneficio in ciuitate Parmen. ſub inuocatione Sancti Nicolai de Tolentino, de iure patronatus laicorum familiæ de Ceratis, per obitum Franc. de Baleſtreriis, vltimi poſſeſſoris, de menſe Iulij ann. 1587. ab illis de Baleſtreriis, Paulus de Baleſtreriis tunc Sacerdos, ab illis verò de Ceratis, Iulius Cæſar de Lallata præſentati fuerunt. Vnde orta controuerſia inter eos, Abbas S.Ioannis, eiuſdem beneficij ordinarius collator, de partium conſenſu poſſeſſionem, & fructus beneficij ſequeſtrauit, & tandem vltima Februarij ad fauorem Pauli ſententiam tulit. Ab ea Iulius appellauit, & appellatione pendente à Sede Apoſtolica, enarrata prædicta lite in prima, ſeu alia inſtantia, de eodem beneficio in forma ſimplicis prouiſionis gratioſæ ſubrogationis ſibi prouideri obtinuit. Et huius gratiæ vigore, Iulius die 1. Octobris ann. 1588. præfati beneficij poſſeſſionem apprehendit. Cæterùm, quia in litteris gratioſæ ſubrogationis non fuerat facta mentio de ſententia, & gratificatione Abbatis, qui Paulo beneficium adiudicauerat, aderatque præterea clauſula, *Dummodo tempore datæ litterarum non eſſet in beneficio ſpecialiter alicui ius quæſitum*; propterea dubitaui, an poſſeſſio per Iulium Cæſarem capta eſſet attentata.

2. Et Domini non eſſe attentatam pronuntiauerunt, cùm eſſet capta vigore gratioſæ * ſubrogationis, quæ ſic capta non dicitur noua poſſeſſio, ſed antiqua continuari, in perſonam gratioſè ſubrogati; & perinde eſt, ac ſi Franciſcus de Baleſtreriis viueret, & ſuam poſſeſſionem continuaret, ſicut apertè demonſtrant illa Apoſtolicarum litterarum verba: Authoritate Apoſtolica, ſubrogamus, dictumque ius 3. tibi conferimus, & de illo etiam prouidemus; nec non te ad huiuſmodi ius, & litis, & cauſæ huiuſmodi proſequutionem, & defenſionem in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus dictus Franciſcus tempore obitus ſui quomodolibet erat, & ſi non deceſſiſſet, poſſet, & deberet admitti, etiam quoad poſſeſſionem admittimus. Vnde quemadmodum ſi Franciſcus poſt litem ſibi motam continuaret poſſeſſionem, non diceretur attentare, quoniam qui continuat, non attentat. 4. gloſſ. *in cap. non ſolùm, verb. reducendum, de appellatione lib. 6.* Pariſ. *conſ.* 172. *p.*4. Caputaquen. *deciſ.* 51. incip. *Attentare, p.*1. ita Iulius in locum Franciſci gratioſè ſubrogatus, cùm poſſet quidquid Franciſcus poterat, nam ſubrogatus illius in cuius locum ſuccedit, naturam induit. *l. ſi cum. §. qui iniuriarum. ff. ſi quis cautionibus. l. ſi ſtipulatus. ff. de vſuris.* non dicitur attentare, nec quod actum eſt, reuocatur tanquam attentatum. Ægidius *deciſ.* 528. incip. *Si Titius commendator*, Caſſador. *deciſ.* 1. *vt lite pendente*, quod ſæpè aliàs in eadem facti ſpecie decreuiſſe Rotam docent plurimæ deciſiones. Mohedan. *deciſ.* 292. incip. *Fuit reſolutum. verſic. in ſecunda autem ſubrogatione.* vbi in multis cauſis ita fuiſſe ſeruatum in Rota teſtatur Puteus *deciſ.* 214. incip. *Fuit deciſum, lib.* 1. Palleotus *deciſ.* 103. & 119. & fuit reſolutum coram R. P. D. Pamphilio, in vna Pampilonen. iuris patronatus die 15. Nouembr. 1584.

5. Quod procedit etiam non iuſtificata ſubrogatione gratioſa, præſertim, ſi poſſeſſio eſſet vacua, ſicut in caſu propoſito, in quo neuter poſſidebat. Puteus *deciſ.* 495. *lib.* 2. & fuit latè deductum coram R. P. D. Gypſio *in illa Burgen. de Pancoruo*, de menſe Nouembr. anni proximè præteriti. Nec poterat gratioſa hæc ſubrogatio Iulij Cæſaris velut ſubreptitia impugnari, propterea quòd in ea non fuerit facta mentio de ſententia, & gratificatione Abbatis, ad fauorem Pauli de Baleſtreriis: hoc enim ſatis tollebatur ex eo, quòd facta fuerat mentio litis, in prima, vel alia inſtantia, & quòd ſtatus, & merita cauſæ haberentur pro expreſſis, quibus generalibus verbis omnis proculdubio ſtatus cauſæ cenſetur expreſſus, & comprehenſus, ad tradita per Geminian. *conſil.* 125. *num.* 9. *verſic. ſuper ſexto dubio dico.* latè Sarnen. *ad regulam de triennali. q.* 14. Rebuffus *in praxi benef. in tertia parte ſignaturæ. verſ. quatenus litigioſa*, Papazon. *in additio. ad deciſ.* 20. *de reſcript. in notis*, Rota *dec.* 11. *de reſcript. in antiquis.*

Omnem præterea difficultatem tollebat gratia, *perinde valere*, quam poſtmodum Iulius Cæſar vigore Apoſtolicæ conceſſionis ad partem expediuit, in qua implicitam mentionem fecit de ſententia Abbatis, ad fauorem Pauli de Baleſtreriis lata.

6. Illa verò clauſula: *Dummodo tempore datæ præſentium non fuerit in dicto beneficio ſpecialiter alicui ius quæſitum.* non vitiat gratiam, quia intelligitur aliter, quàm modo ſuprà expreſſo. 7. Creſcen. in his terminis, *deciſ.* 205. incip. *Præſentari debebat*, aliàs eſt deciſio 7. *tit. de iure patronatus*, in impreſſis, *num.* 3. *verſ. maior tamen pars dominorum*, conferunt tradita per Gemin. *conſ.* 8. incip. *Quidam Cardinalis.* Et cùm in hac facti ſpecie fuerit

* vide infrà dec.534 n.3. & deciſ.786. n.3. & quæ ibi notaui. & Cocc. deciſ. 72. num.1.



rit narrata ſententia, ad fauorem Pauli præſentati, & ei per gratioſam ſubrogationem expreſſè derogetur, non poteſt per dictam clauſulam intelligi aliquod ius Paulo reſeruatum, ex præfata præſentatione, vel ſententia proueniens.

Denique non obſtat, quòd non fuerit facta mentio maioris habilitatis, ſeu idoneitatis Pauli, ab illis de Baleſtreriis præſentati, hoc enim quatenus in conſideratione ponendum ſit, à bono iure, & diſcuſſione cauſæ principalis pendere videtur.

## *Romana affictus, ſiue locationis.*

### Die Mercurij 26. Aprilis 1589.

SVMMARIVM.

2 *Recuperans rem ex pacto de retrouendendo, tenetur ſtare colono in conductione facta ante retractionem.*

3 *Mulier locationi fundi dotalis per maritum factæ, ſtare debet ſoluto matrimonio, & n.7.*

4 *Tranſlatio dominij fundi dotalis in mulierem, ſoluto matrimonio eſt neceſſaria, & non voluntaria.*

5 *Contractus licèt ab initio ſint voluntarij, poſtquam tamen perfecti ſunt, efficiuntur neceſſarij.*

6 *Locatio facta rei alienæ ab adminiſtratore, habente plenam adminiſtrationem, non poteſt retractari per dominum, etiamſi fiat per vnum, vel plures annos, n.9.*

7 *Maritus conſtante matrimonio eſt verus dominus rerum dotalium.*

8 *Mulier licèt non teneatur præciſè ſtare locationi rerum dotalium per maritum factæ, tenetur tamen reficere, quidquid occaſione moleſtiæ illatum fuerit.*

10 *Singularis ſucceſſor non tenetur obſeruare locationem factam colono, quod intellige, vt num.11.*

## DECISIO XVIII.

1. Hæc deciſio fuit confirmata infrà deciſ. 45. & habetur impreſſa penes Pacificũ poſt tract. de Salui. interdicto dec. 201.

TEnutam Turris Mancinæ D. Henricus Vrſinus pro ſcutis 6000. auri D. Alexandro Vrſino genero in dotem dedit, cum pacto, quòd idem Henricus, & ſui ſucceſſores poſſent quandocumque dictam tenutam pro eodemmet pretio redimere. Alexander finitis quibuſdam præcedentibus locationibus, die 12. Mart. ann. 1571. eandem tenutam pro ſcutis 6000. annuis monetæ, ad rationem decem Iuliorum pro ſingulo ſcuto, Petro Paulo Piateto ad nouem annos, ad omnes fructus allocauit.

Henricus vigore dicti pacti ann. 1579. tenutam redimens, poſt redemptionem eidem Piateto pro ſcutis 900. annuis monetæ de nouo locauit.

Piatetus, qui ab Alexandro tenutam pro ſcutis 600. conduxerat, prætendens Alexandrum teneri ad augmentum ſcutorum 300. per eum Henrico ſolutorum, pro tempore quo locatio ab Alexandro ſibi facta, durare debebat, niſi Henricus redemiſſet, contra illum egit. Sed Alexander, Piateti actionem repellendo, dicebat, nullum ſe debere augmentum, ſed Henricum potiùs teneri ſtare locationi, à ſe Piateto factæ, quamuis tenutam redemiſſet.

Et cùm Dominus Oriolen. prædeceſſor meus, aliàs extra Rotam dubitaſſet, an Henricus teneretur ſtare locationi factæ Petro Paulo Piateto, per D. Alexandrum, & propter diſſidentes Dominorum ſententias, nihil eſſet definitum, iterum me idem dubium proponente, Domini tenuerunt, Henricum locationem præfatam obſeruare debere, 2. per doctrinam Baldi *in l.* 1. *circa finem, n.* 35. *verſ. item pone, vendidi tibi fundum. C. de iure fiſci, lib.* 10. volentis, eum qui recuperat rem ex pacto de retrouendendo, teneri ſtare colono, quam Doctores communiter ſequuntur. Alexandr. *in l. ſi filiofamilias. §. ſi vir in quinquennium, num.* 11. *verſ. item fallit, quando vendidi fundum. ff. ſol. matrim.* & *ibidem* Cumanus, licèt Baldi mentionem non faciat, *num.*7. *verſ. ſi autem transferatur*, Socin. ſenior *conſil.* 125. incip. *Viſa narratione, num.*3. *verſ. confirmatur per id, lib.* 1. Roland. *conſ.*49. incip. *Decreueram, num.*2. *& ſeqq. verſ. tamen quòd ea non obſtante, lib.*2. Gozadin. *in l.* 2. *num.* 14. *C. de pact. int. empt. & vendit.* quam ſententiam, licèt expreſsè non amplectatur, non tamen reprehendit, Tiraquell. *de retract. conuent. §.* 3. *gloſſ.* 1. *n.*14. *verſ. ſed & illud quærendum ducimus.*

Neque ab hac opinione Baldi in practica recedendum fore, cùm contradictoria careat, dixit Alexandr. *in dict. l. ſi filiofamilias. §. vir in quinquennium, n.*11. *ff. ſoluto matrim.* & Roland. *dict. conſ.*49. *num.*5. *lib.*2.

Et Cagnolus *in l.* 2. *quæſt.* 75. *num.* 220. *verſ. ſed contrarium. C. de pact. inter empt. & vendit.* licèt à Baldi ſententia recedere niteretur, nihilominus *ibidem num.* 221. hanc concluſionem in practica contra opinionem Baldi obtinere, durum eſſe fatetur.

Quam ſatis probat *l. ſi filiofamilias. §. ſi vir in quinquennium. ff. ſoluto matrim.* 3. cùm mulier locationi fundi dotalis per maritum factæ, matrimonio ſoluto ſtare debeat, propterea quòd tranſlatio, quæ fit in eam, neceſſaria eſt non voluntaria, 4. vt notat Alex. *in dict. §. ſi vir. n.*1. *verſ. nam ſi tranſlatio.* gloſſ. *in l. diuortio*, quæ aliàs incipit, *fructus. §. Papinianus. ff. ſol. matrim.* Cynus, Salicet. & alij, *in l. emptorem, C. locati.* quæ ratio ſimiliter reperitur in hoc caſu, cùm D. Henricus tenutam redemerit, virtute conuentionis appoſitæ: vnde tranſlatio, quæ in eum fit, neceſſaria eſt.

5. Nec propterea dicitur voluntaria, quia ab initio conuentio inter D. Henricum, & Alexandrum voluntariè fuerit facta. *l.* 1. *in principio, ff. de pact.* Nam dicebatur, quòd licèt ab initio contractus ſint voluntarij, poſtquam tamen perfecti ſunt, neceſſarij efficiuntur. *l. ſicut. C. de oblig. & actionib. l. in commodato. §. ſicut. ff. commodati.*

6. Accedebat etiam, quòd quando quis habet plenam adminiſtrationem rei alienæ, rem locare poteſt, ita vt rei dominus, locationi, ſtare teneatur, *l. ſi tutelæ. ff. de adminiſtratione tutor.* Cynus *in dict. l. emptorem, num.*6. *quæſt.*3. *verſ. aut habuit ſolidam rei adminiſtrationem*, quem alij communiter ſequuntur, *C. locati*, Socin. ſenior *conſil.* 32. incip. *Ex his quæ ſuperiùs, num.* 7. *verſ. quintò*



*probatur*

probatur,lib.1. Roland. *dict.conſ.49.n.7.verſ. hinc etiam videmus,lib.2.*

Vnde cùm emptor,qui fecit pactum de retrouendendo, quandiu venditor non redimit, plenam rei adminiſtrationem habeat, locare poteſt, & eius locationi venditor ſtabit, quamuis redimat. Et Alexander *in dict. §. ſi vir in quinquennium, num.1.* paulo poſt principium, pro-
7. pterea ſoluto matrimonio mulierem locationi per maritum factæ ſtare debere tradit,quia maritus matrimonio conſtante,nedum plenam adminiſtrationem rei dotalis habet,ſed illius etiam verus dominus eſſe cenſetur. *l.doce ancillam.C.de. rei vindicatione.*

Vnde cùm D. Alexander plenam dictæ tenutæ adminiſtrationem haberet, locare illam ſibi licuit, & ideo Henricus locationi ſtabit.

Quod eo magis procedit, quoniam Alexander bona fide, non malitioſè pro pretio 600.ſcutorum annuorum, Petro Paulo Piateto locationem fecit, quo caſu, ſine difficultate procedit præfata doctrina. Cynus *in dict. l.emptorem,q.3. n.6.verſ.& tunc ſi anteceſſor*, Paulus de Caſtro *in dict.§.ſi vir in quinquennium,n.2.verſ.ſed certè maritus & num.3.verſ. & ratio quare,* & *ibidem* Alexand.*n.1.circa finem,verſ.iſtum tamen textum,*Socin. ſenior *conſ.32.* incip. *Ex his quæ ſuperiùs, n.7.lib.1.* Roland. *dicto conſ.49.n.5.verſ. pro cuius confirmatione,lib.2.* Cagnolus *in dict.l.2.C. de pactis int.empt.& vendit.q.75.num.221. verſ. retenta tamen opinione.*Et hæc ratio multum mouet Dominos, ne à recepta Baldi ſententia recedendum putarent.

Nec de bona fide Alexandri dubitabatur,cùm aliquot proximè præcedentes locationes ad maiorem etiam ſummam,quàm 600. ſcutorum factæ reperirentur;nempe vna D.Aloyſio Roberto,anno 1557.ad nouennium pro annua penſione ſcutorum 300.auri in auro,altera verò de anno 1568. item ad nouem annos pro annua penſione ſcutorum 450.monetæ.

Et eo minus in hoc caſu dubitabilis viſa fuit Dominis Baldi ſententia, quoniam non agebatur præcipuè, an D. Henricus teneretur præciſè ſtare colono, ſed nunquid deberet reficere damna, quæ colonus ob id, quod ei non ſtaretur, paſſus fuit, ſtante præſertim eius proteſtatione.

Præcipua enim ratio,quæ mouit Cagnolum, vt à Baldi ſententia recederet, illa eſt, quia non videbatur ſatis probari, imò potiùs impugnari ex textu, qui pro ea citari ſolet *in d. l. ſi filiofa-*
8. *milias.§. ſi vir in quinquennium.ff.ſol.matrim.* quatenus ibi iuxta quorundam interpretationem, mulier non tenetur præciſè ſtare locationi, ſed ſolùm cauere,quòd maritus ex coloni expulſione detrimentum non patiatur;licèt enim concederetur, veram eſſe hanc interpretationem, ille textus ſaltem probat (quod nemo vertit in dubium) eandem mulierem teneri reficere marito quidquid occaſione moleſtiæ,colono illatæ paſſus fuerit. Vnde ſicut mulier tenetur marito ad prædictum damnum, ita etiam qui ex pacto redimit, teneri debet retrouendenti ad damna, quæ conductor patietur,quia locatione frui non poteſt: cùm maritus non ſit ſolidior dominus rerum dotalium,quàm ſit emptor rei emptæ,aut ſibi aſſignatæ cum pacto de retrouendendo: quinimo talis emptor probabiliorem ſpem habere videtur, quòd aliquando futurus ſit verus rei dominus, quàm maritus, qui certus eſt ſaltem tempore mortis vxoris, ſe fundum dotalem reſtituturum. Vnde ceſſat illa obiectio eiuſdem Cagnoli *in dict. l.2.num.220. de pact.int.empt. & vendit.* dicentis, maritum non debuiſſe cogitare diſſoluendum matrimonium,perinde ac emptorem retrouenditioni locum eſſe futurum: ex prædictis enim conſtat faciliùs maritum debere credere locum futurum reſtitutioni dotis, quàm emptorem reſtitutioni rei emptæ.

Nec dicatur,Baldi ſententiam intelligendam 9.
fore de locatione ad vnum annum facta, ſecus vltra annum,ſi ſingulis annis præcipiuntur fructus,nam tunc ſucceſſor non tenetur ſtare colono. Cagnolus *in dict. l.2. C. de pact. int. empt.& vendit.q.75.n.221.verſ.ſecundò limita,* Hieronym. Gabriel *conſ.68.lib.1.*

Quoniam Baldi ſententiam ſine reſtrictione ad locationem vnius anni, Domini dixerunt procedere, præſertim cùm textus *in dict.§.ſi vir in quinquennium*, qui ad eam limitationem probandam affertur, pro ea non faciat, ibi enim vnius anni fit mentio,non quia maritus præciſè ſtare teneretur locationi magis pro anno,quàm pro quinquennio, ſed quia contigit matrimonium conſtitiſſe per annum poſt locationem, & ideo cùm maritus fructus percepiſſet, non erat, quòd illi caueretur pro tempore, pro quo nullum damnum ſuſtinere poterat.

Regula illa generalis,quòd ſingularis ſucceſ- 10.
ſor non teneatur ſtare colono, deſumpta ex *l. emptorem.C.locati.*de qua Alexand.*conſ.118.lib.5.* & cæteri quos refert Anton. Gomezius *tom.2. variar.reſolut.cap.3.num.3. verſ. item quæro an contractus,* non impugnat ſuperiorem deciſionem, cùm multas patiatur limitationes, quas proſe-
quitur Alex. *in d. §.ſi vir in quinquennium*, inter 11.
quas vna eſt hæc,quam Domini in hoc caſu firmarunt, locationi enim factæ per emptorem, qui rem habuit cum pacto de retrouendendo, ſtare tenetur venditor, quamuis redimat: cùm emptor de voluntate domini locaſſe videatur, & dominus redimere potuiſſet,ſi locari, & frui impedire voluiſſet. *l. ſi vir vxori. ff. de præſcript. verbis.* quæ fuit ratio Baldi *in dict.l.1. num.35.C. de iure fiſci, lib.10.* & dominus rei ſaltem tacitè locationi rei ſuæ conſentire videtur,argumento *legis, cùm antiquitas. C. de vſufructu.* Alexand. *in d. §. ſi vir in quinquennium, num.11.* præſertim cùm ſi noluiſſet ab vſufructuario eam locari, à principio id exprimere,& in pactum deducere potuiſſet,&c.

---

## *Romana legati Medialarum.*

## Die Veneris 28. Aprilis 1589.

### SVMMARIVM.

3 *Legata relicta à tempore conditi teſtamenti incipienda ſunt,& n.4.*

5 *Teſtatoris voluntas non præſumitur mutata per codicillum poſtea factum, niſi expreſsè conſtet.*

6 *Mobilia legata, ſi caſu transferantur ex loco, vbi factum eſt teſtamentum, non ex eo vitiatur, etiamſi relinquatur cum deſtinatione illius loci,& num.10.& 11.*



7 *Legatum non cenſetur abiectum, ſi cauſa propter quam relictum fuit, ſubſiſtit.*

8 *Verbum* exiſtentia *in vltima diſpoſitione poſitum, non reſpicit futurum, ſed præſens tempus.*

9 *Diſpoſitio generalis teſtatoris non reuocat diſpoſitionem ſpecialem.*

10 *Legatum mobilium ſi caſu transferatur à teſtatore de loco, vbi exiſtebat, non ex eo vitiatur, niſi conſtet de contraria voluntate,& n.11.*

12 *Legatum extinguitur ex actuali alienatione voluntaria rei legatæ, facta à teſtatore.*

13 *Actualis alienatio voluntaria rei legatæ extinguit legatum, ſed non voluntas alienandi, vel vendendi eam.*

## DECISIO XIX.

1. IOannes Federicus Bonioannes Parmenſis, Plumbator Apoſtolicus anno 1584. Romæ condito teſtamento,Ioanni Franciſco Bonioanni, Laurentio de Frangi, & Franciſco de Sylua nepotibus ſuis,legauit omnia bona mobilia domus hìc in Vrbe exiſtentia,ac omnia iocalia,argentum,pecunias, medalias, & antiquitates cuiuſcumque generis,inter eos æqualibus portionibus diuidenda,hoc tamen onere,quòd præfati legatarij de dictis bonis omnia debita ipſius teſtatoris, quæ reperirentur tempore mortis ipſius, ſoluere tenerentur. In omnibus autem bonis ſtabilibus,& mobilibus, iuribus, creditis, & actionibus vniuerſis hìc in Vrbe exiſtentibus, deductis dictis legatis, Ioannem Franciſcum Bonzanum, ſuum etiam nepotem,hæredem inſtituit:in aliis verò omnibus bonis mobilibus,& immobilibus,exiſtentibus in ciuitate,& territo-
2. rio Parmæ, & quæ reperirentur tempore ſuæ mortis, ſorores ſuas hæredes vniuerſales inſtituit. Idem teſtator anno 1587. officio Plumbatoris,quod exercebat in Vrbe,ſine culpa ſua priuatus, Parmam, animo tamen redeundi ad Vrbem, & officium repetendi profectus, magnam partem bonorum mobilium dictorum,& medaliarum auri, & argenti, & pecuniarum quæ in Vrbe eſſe ſolebant, alia quadam illarum parte in Vrbe relicta,ſecum aſportauit,ſed antequam Parmæ moreretur,codicillos fecit,in quibus diuerſa legata reliquit, in reliquis prædictum legatum confirmauit,& Parmæ obiit. Sorores teſtatoris, vigore teſtamenti hæreditatem bonorum omnium mobilium, & immobilium, quæ tempore obitus Parmæ reperiebantur adiecerunt, & prædicta quoque iocalia, aurum, pecunias, & medalias apprehenderunt. Sed quia legatarij illa ad ſe vigore teſtamenti ſpectare dicebant, & iudicium Rotæ ſuper hoc petebatur, ideo extra Rotam dubitaui, an mobilia, iocalia, medaliæ, & aliæ res, quas teſtator ab Vrbe diſ-
3. cedens, ſecum Parmam detulit, legato in teſtamento relicto cederent,vel potiùs ſororibus hæredibus inſtitutis deberentur.

Et fuit concluſum * per Dominos, præfata mobilia in legato contineri, cùm enim tempus conditi teſtamenti inſpiciendum ſit, *l.ſi ita eſſet legatum, ff.de auro, & argento legato*, Iaſon *in l.1. circa finem,in prima lectura. ff.ſi cert. petatur.* Couarr. *in pract.quæſt.cap.2.num.2.* Mantica *lib.3. de coniectur.vltimar.volunt.tit.11.num.1.& ſeq.* & eo tempore eſſent præfata mobilia in Vrbe,nec reperirentur expreſsè per codicillos Parmæ factos adempta, voluntas teſtatoris mutata non præ-
ſumitur. *l. cùm tacitum,& l.eum qui voluntatem. ff. de probationib.* Corneus *conſ.92. num.1. verſ. quia ad hoc reſpondetur.vol.1. & conſ.155. num.3. & 4. vol.2.*per text. *in l.ſancimus.C.de teſtamentis,* Decius *conſ.190. num.6.* & in his terminis quòd in dubio teſtator non præſumatur mutata volun- 4.
tate reuocaſſe legatum, voluit Berous *quæſt.56. num.8.*& Cephalus *conſ.599.n.13.verſ.nec eſt credendum,lib.4.* 5.

*de materia huius deciſ. vide Coccinum dec.48. vbi n.9.præſens deciſio allegatur, & Ludou. dec. 257. & ibi annot.n.13.

Præterea cùm medaliæ, cæteraque mobilia, de quibus agitur, caſu ab Vrbe in qua eſſe ſolebant, abfuiſſent, teſtatorque animum redeundi ad Vrbem, officium recuperaturus habuiſſet, quod indicant, tum proteſtatio per eum facta, tum etiam, quia non omnia bona ſecum detulit, & alia multa, quæ in facto conſiderata fuerunt, caſualis illa tranſlatio, ſeu tranſportatio
non fecit,quominus ea in legato continerentur. 6.
*l.quæſitum 78.§.vlt.& l.ſi ita legatum 86.ff.de leg.3.* vbi Bart. & communiter legiſtæ, Gozadinus *conſ.32.n.8.* Corneus *conſ.244.n.18.lib.2.* Socinus *conſ.35.n.5.lib.1.*

Onus quoque ſoluendi debita teſtatoris de prædicto legato, legatariis iniunctum, (quod per codicillos poſtea confectos non fuit ſubla-
tum)facilè oſtendit,non cenſeri legatum adem- 7.
ptum: quia non reuocata cauſa,præſertim oneroſa,nulla æquitas ſuadet,reuocari legatum,ſicut è diuerſo dicitur, quòd ceſſante ratione, ob quam fuit relictum legatum, cenſetur ademptum. Anchar. *conſil.237.* incip. *Quia in primo quæſito, num.2.verſ. & in dubio ſemper præſumendum eſt*, Dec. *conſil.485. num.7. & conſ.601. n.1. & conſ.621.n.4.*

Neque ex verbis quibus teſtator eſt vſus,aliud videtur poſſe colligi,ait enim primum,quòd legauit, & iure legati reliquit præfatis ſuis nepo-
tibus bona mobilia, de quibus agitur, in Vrbe 8.
exiſtentia,quoniam participium,*exiſtentia*,quod eſt præſentis temporis, non reſpicit futurum, ideoque ſatis eſt medalias, & alia mobilia legata,in Vrbe extitiſſe tempore conditi teſtamenti, vt in legato comprehenſa intelligantur.

Illa etiam verba, *in alijs verò omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, exiſtentibus in ciuitate, & territorio Parmæ*, legatum potius confimant, quàm ad ſorores inſtitutas pertinere demonſtrent, quarum inſtitutio non intelligitur facta in bonis ſuperiùs legatis. Bart. *in l.ſi quis ſeruum. §.vlt. in fine.ff. de legatis 2.* Fulgoſ. *conſ.99.* incip. *Quidam A.veniens ad mortem,n.2.verſ.illud namque verbum,*aliis.

His poſtremò accedat, quòd cùm teſtator priùs ſpecialiter diſpoſuerit de medaliis, & iocalibus in Vrbe exiſtentibus,ac poſtea iuxta vſitatam horum temporum teſtandi conſuetudi-
nem fecerit generalem hæredum inſtitutionem 9.
de aliis omnibus bonis, non cenſetur per diſpoſitionem genericam ſpecificæ præcedenti diſpoſitioni derogare voluiſſe, cùm generi * per ſpeciem derogetur,non è conuerſo. *l. in toto.ff.de reg.iur. l.vxorem §.feliciſſimo.ff.de legatis 3.c. generi per ſpeciem,de reg.iur.lib.6.*Marian.Socin.*conſ.124.* incip. *Viſis omnibus, num.66. verſ. tertiò idem euidentius,vol.1.*

*de hoc articulo vide infrà deciſ. 26.num.2.& ſequent.

Non

Non obſtant illa teſtatoris verba, quæ in inſtitutione facta ſororibus ſubiiciuntur, videlicet, *& quæ reperiuntur tempore ſuæ mortis.* Quia reſponſum fuit, ex mente, & verbis teſtatoris ſatis colligi, medalias, iocalia, & cætera mobilia, quæ tempore teſtamenti erant in Vrbe, ab inſtitutione deduci debere, præſertim, cùm ea verba aptiſſimè poſſint intelligi de futuris poſt conditum teſtamentum, per eundem teſtatorem adquirendis. Fulgoſ. *d. conſ. 99. n. 2. verſ. in ſubſtitutionem igitur venient*, cui interpretationi fauet verbum, *reperientur,* quo teſtator eſt vſus, quod eſt futuri temporis, quod faciliùs poteſt intelligi de adquirendis poſt conditum teſtamentum, cùm exiſtentia in Vrbe tempore facti teſtamenti ſpecialiter legata fuiſſent.

Non obſtat textus *in l. penult. §. vlt. ff. de auro, & argento legato.* quo cauetur, quòd ſi teſtator legauit alicui argentum, quod in Tuſculano fundo cùm moreretur, habuiſſet, illud etiam, quod antequam moreretur, ex Vrbe in Tuſculanum iuſſu teſtatoris tranſlatum eſſet, deberi, quaſi ex hoc euidenter concludatur, in inſtitutione facta ad fauorem ſororum teſtatoris venire argentum, & medalias Parmam tranſlata, & ibidem reperta tempore mortis ipſius.

11. Quoniam dicebatur, eo caſu legatum argenti ex Vrbe tranſlati, ideo deberi, quia tranſlatum fuerat iuſſu teſtatoris, vt perpetuò in fundo Tuſculano eſſet, ſicut adnotauit *ibidem* gloſſ. ſuo loco reſtituenda in verb. *tranſlatum.* Sed in facti ſpecie propoſita ſecus eſſe, cùm medaliæ, & iocalia, caſualiter Parmam eſſent deducta, non autem eo conſilio, vt perpetuò ibi forent, cùm teſtator deſtinaſſet Romam reuerti, quamprimum per tempus opportunum ſibi licuiſſet. *l. ex facto, la 2. §. rerum. ff. de hæred. inſtit.*

Minus obſtat, quòd teſtator habuerit animum vendendi quædam ex bonis mobilibus legatis, ſicut re vera vendidit nonnullas ſtatuas, neque enim ex hoc conſequitur reuocatum fuiſſe legatum: licèt enim ex actuali alienatione voluntaria legatum extinguatur, *l. rem legatam. ff. de adim. legat.* non eſt tamen iure definitum, quòd ſola animi deſtinatione de donando, vel vendendo, legatum extinguatur. Et fundans ſe in animo, ſeu voluntate teſtatoris ad probandum, eum ita ſenſiſſe, ac voluiſſe, non debet niti coniecturis imaginariis, ſed tacitam eius volũtatem oſtendere oportet conſequi, ad expreſsè diſpoſita per teſtatorem. Alex. *conſ.* 29. incip. *Quia teſtator, n. 11. verſ. nam ad iſtud, & conſ.* 177. incip. *Viſo teſtamento, n. 12. lib. 2.* Decius *conſ.* 465. incip. *Perſcrutatis verbis, n. 13. verſ. primò non obſtat.* Socin. iunior *conſ.* 100. *n. 6. lib. 3.* Petrus Peralta *in l. ſi quis in principio teſtamenti, n. 154. verſ. octauus caſus. ff. de legatis 3.*

---

## *Toletana Decimarum del Sazedon.*

### Die Veneris 5. Maij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Delegantis ſtylum debet obſeruare ſubdelegatus.*

3 *Citatio eſt facienda prima die iuridica, vel quanto citius poterit comparere.*

4 *Citationem factam ſi conſtet ex proceſſu, ſufficit, etiamſi interuallum longum fuerit tranſactum.*

## DECISIO XX.

Reſolutum fuit, ſententiam latam de anno 1584. in fauorem Eccleſiæ del Sazedon, 1.
contra Portionarios Eccleſiæ Toletan. validam eſſe. Primò enim de iudicis iuriſdictione conſtat ex commiſſione ei data per breue Nuntij Apoſtolici, contra quam nihil ex aduerſo eſt oppoſitum.

Adſunt præter Procuratorem legitima mandata, tam Ferdinandi Herrera Procuratoris Eccleſiæ del Sazedon, quàm Ludouici Pantoja, Procuratoris Portionariorum, de quibus conſtat in actis, nec partes controuertunt.

Denique apparet, partes fuiſſe citatas ad videndum pronuntiari ſententiam.

Non obſtat quòd citatio fuerit facta partibus per Notarium die 29. menſis Auguſti ann. 1584. & ſententia lata 24. Septembris proximè ſequentis, vnde tanquam vaga, & incerta debet iudicari, nulla præſertim in ſubdelegato Apoſtolico, qui tenetur delegantis * ſtylum obſeruare. 2.
Puteus *deciſ.* 127. incip. *In vna Calaguritana, lib. 1.* nec talis citatio poteſt ſuſtineri, niſi pro prima † die iuridica, vel quanto citiùs poterit comparere, ad tradita per Alberic. *in l. liber homo. §. decem, num. 6. ff. de verb. oblig.* Puteus *deciſ.* 212. incip. *Die 25. Ianuarij lib. 2.* Cùm ergo à die factæ citationis vſque ad diem latæ ſententiæ fuerint lapſi tot dies iuridici, iterum debuit pars aduerſa citari, vt actus valeat. 3.

2. * adde Ludouiſ. deciſ. 518. n. 1. & 2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

3. † citatio, vel aſſignatio ſine die non intelligitur vaga, ſed pro prima die iurid. & præter citatos videbis Seraph. deciſ. 857. n. 23. Mantica deciſ. 155 n. 2. Gonzalez in annotat. n. 53. Vant. de nullitat. ex defect. citat. n. 71.

Quia Domini dixerunt, habendam eſſe rationem alterius citationis relatæ per Notarium tempore latæ ſententiæ. Et cùm de ſtylo * illarum terrarum Notarij ſoleant exequi citationes, & intimare decreta, vt aliàs in his terminis fuit reſolutum coram D. Bubalo in vna Toletan. primitiarum die 20. Martij 1579. quod ſatis etiam colligitur ex traditis per Gonzalum Suarez *in practica Eccleſiaſtica, tom. 2. cap. 2. de citatione.* Sufficit de illa conſtare ex relatione Notarij, cùm Nuntiis iſtis, & miniſtris, aſſerentibus aliquem fuiſſe citatum, ſit credendum. Speculat. *tit. de citatione. §. 1. verſ. ſed numquid credatur,* Imol. *in l. ex conſenſu. §. eum qui. ff. de appellat.* gloſſ. *in cap. cum parati, in verb. ſuus nuncius, de appellat.* & de communi teſtatur Niconitius *in cap. quoniam contra, ſuper gloſſ. in verb. citationes* 445. *verſ. magis communis, de probationibus.* 4.

4. * adde Cocc. dec. 404. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & Ludouiſ. dec. 368. n. 3.

Præterea cùm Procurator Portionariorum fundet ſe in quadam ſententia lata de ann. 1571. contra Eccleſiam del Sazedon, in cuius fine Notarius eiſdem verbis formalibus facit eandem relationem, de citatione facta partibus, non poteſt nunc ex hoc capite ſententiam contra ſuos principales latam dicere nullam.

Cætera quæ proponuntur, non reſpiciunt nullitatem ſententiæ, ſed iuſtitiam, & merita negotij principalis, & ideo non fuit illorum habita ratio in hac poſitione.

Romana



## *Romana Legatorum de Vitellis.*

### Die Mercurij 24. Maij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Legatarius non tenetur ſoluere debita defuncti, ſed hæres.*

## DECISIO XXI.

1. IN tertia inſtantia agebat Illuſtr. D. Chiappinus Vitellius coram me, pro expeditione cauſę ſicut Domini ordinauerant. Sed pro parte Domini Alphonſi dicebatur, quòd cùm Cardinalis teſtator, legato adiecerit illam expreſſam conditionem, quòd præmiſſa omnia adimplerentur, ſi & poſtquam ſoluta forent omnia eius debita, primum erat diſcutiendum de facultatibus hæreditariis, prætendebat enim dominus Alphonſus non eſſe locum ſolutioni legatorum, cùm bona hæreditaria non ſufficerent ad ſatis faciendum creditoribus.

Quibus tamen, & aliis minimè obſtantibus, iterum Rota ordinauit, vt cauſam expedirem ad fauorem D. Chiappini: nam de iſta oppoſitione iam fuerat cognitum, & deſuper facta deciſio die Lunæ 17. Nouembris 1577. coram R. P. D. Aldobrandino, in qua pro maiori parte Domini concluſerunt, legatum deberi: quia cùm hæreditas ſit ſoluendo, onus ſoluendi debita, non
2. ad legatarios, ſed ad hæredem pertinet. *l. fin. C. de hæredit. action.* gloſſ. *in l. fin. §. & ſi præfatam, in verb. accommodare. C. de iure deliberand.* Roman. *conſ.* 189. incip. *Stante primo quæſito, n. 2. verſ. breuiter dicendum.*

Illa verò conditionis verba, quòd teſtator præmiſſa omnia adimpleri voluerit, ſi & poſtquam ſoluta forent omnia eius debita, referri dixerunt ſolùm ad primum legatum 30. ſcutorum, redigendorum ex pretio camerariatus, non autem ad præcedentia omnia legata, ſeu legatum bonorum mobilium, ſicut benè deducitur in dicta deciſione.

Nec erat habendum in conſideratione, quòd poſtmodum dicebatur de commiſſione obtenta per D. Alphonſum ſuper diſcuſſione hæreditatis, cùm præterquam quòd præfata cauſa diſcuſſionis erat A. C. commiſſa, vnde eius vigore non
3. fuerat mihi attributa aliqua iuriſdictio, aderat clauſula ſine præiudicio iudicij pendentis in Rota ſuper conſequutione legatorum, & ſic non retardabat præſentis cauſæ expeditionem.

Cùm ergo clarè conſtaret de bono iure D. Chiappini, & omnia quæ opponebantur, vel eſſent iam deciſa per dominos, vel eſſent leuia, nec vllo pacto priores ſententiæ viderentur reuocandæ, tertiam tuli ad fauorem D. Chiappini.

---

## *Elnen. Penſionis.*

### Die Mercurij 17. & 24. Maij 1589.

SVMMARIVM.

3 *Voluntatem plenariam, ſeu abſolutam habet Papa ſuper omnia beneficia Eccleſiaſtica, & loca religioſa.*

4 *Reſeruationes penſionum non poſſunt expediri, ſine conſenſu illius, qui eam eſt ſoluturus.*

5 *etiamſi motu proprio facta fuerit reſeruatio.*

## DECISIO XXII.

PEtrus del Paz Cathalanus, credens Sacriſtiam Eccleſiæ Elnen. vacare per obitum 1.
Hieronymi Deſcamſi, porrexit ſupplicationem in Dataria pro gratia prouiſionis obtinenda. Sed, antequam gratia dataretur, vt nunc dicitur in Dataria practicari, cedulam bancariam ad ſex annos duraturam exhibuit, per quam ſingulis annis, in duobus terminis penſionem centum ducatorum aureorum ſuper fructibus dictæ Sacriſtiæ cuidam Iacobo Mallafre, ſeu Pompeio Muto, illius Procuratori ſoluere promittebat.

Paulò pòſt Petrus certior factus, quòd Sacriſtia non vacaret per obitum Hieronymi, (viuebat enim ille, & ſanus erat) quanta potuit diligentia curauit, docere veritatem ſuper non vacatione Sacriſtiæ, & pro rehabenda cedula bancharia, præſertim, cùm reſeruationi prætenſæ penſionis non conſenſiſſet, nec in rei veritate aliqua ſupplicatio expedita fuiſſet.

Et quamuis Petrus del Paz de anno 1588. ab 2.
A. C. obtinuerit inhibitionem contra Ioannem Guell. qui cedulam banchariam fecerat, ne ſolueret penſionario, nihilominus tam præfatus Iacobus Mallafre, qui in capite ſuo receperat præfatam penſionem, quam Pompeius Mutus, ad cuius fauorem fuit penſio reſeruata, inhibitionem reuocari obtinuerunt, & non obſtantibus multis proteſtationibus à Petro factis, quatuor terminos præfatæ penſionis, videlicet ducentum ducatos aureos exegerunt.

Cauſa denique in Rota introducta, & mihi 3.
commiſſa, re maturè cognitâ ordinatum fuit, quòd illam expedirem: nam cùm nulla fuerit expedita ſupplicatio prouiſionis, nulluſque præſtitus conſenſus, & cedula fundetur in prouiſione, penſio nullo pacto poterat exigi, cùm non conſtet de voluntate Papæ penſionem reſeruantis, etiam de illa plenaria, vel abſoluta, quam ſuper vniuerſa beneficia Eccleſiaſtica, & loca religioſa, enuntiatur habere. *cap. 2. de præbend. lib. 6.* confert *cap. ad honorem, de auctoritate, & vſu pall. cap. cùm ex eo, in fine, de pœnit. & remiſſ.* latè Romanus *conſ.* 369. incip. *Circa finem,* Gigas *de penſionib. quæſt. 10. num. 3. & ſeqq.* idem Gigas *conſ. 31. num. 15.*

Multo minus in caſu propoſito conſtabat de voluntate Papæ ordinaria, id eſt, de illa, quæ regulatur iuxta legum, & Canonum formam: nam cùm in regula Cancellariæ nunc in numero 40. 4.
ſit ordinatum, vt reſeruationes penſionum expediri non poſſint, niſi de conſenſu illius, qui penſionem eſt ſoluturus, reſeruatio penſionis etiam motu proprio facta non valet ſine conſenſu illius, qui de beneficio fuit prouiſus, niſi Papa 5.
derogaret illi regulæ de conſenſu præſtando, quod rarò facere ſolet.

Sed in caſu propoſito, omnem difficultatem tollebat euentus rei, conſtitit enim, quòd Hieronym. Deſcams, per cuius obitum fuerat impetrata gratia de Sacriſtia, re vera non obierat, ideoque ex prædictis tuli ſententiam, per quam declaraui, penſionem nullam, & cedulam banchariam

chariam

chariam reſtituendam, vnà cum terminis ducentorum ducatorum, illius vigore exactorum, à qua licèt fuerit appellatum, non fuit tamen appellatio proſequuta.

Audiui poſtea, quòd neſcio per quam ſuggeſtionem Domino Papæ narratam, fuerit à ſua Sanctitate obtentus motus proprius, quo præfatus Iacobus Mallafre, ſeu veriùs Pompeius Mutus à reſtitutione terminorum exactorum, in graue præiudicium Petri del Paz, imò verò potiùs ipſius iuſtitiæ fuerunt liberati.

Sed in iſtis Principum Curiis, illa magna manet afflictis, & oppreſſis conſolatio, quòd quæ malè in vno Principatu geruntur, acriter in alio coërceri ſolent, ideoque magna prudentia eſt numquam inſolenter agere, numquam à iuſtitiæ, & æquitatis tramite deflectere.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Veneris 26. Maij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Remiſſoria non conceditur, antequam acta tranſportentur vbi petitur.*

3 *Veniens ad cauſam pro ſuo intereſſe, facit omnia ſua acta.*

### DECISIO XXIII.

1. INter communitatem Spoleti, & homines particulares de Ferentillo in gradu appellationis fuit introducta cauſa coram me, ſuper quibuſdam bonis Rigouiti, & Petani, Abbas de Ferentillo pro ſuo intereſſe commiſit cauſam ſuper ſpolio, tam contra communitatem, quàm contra particulares homines de Ferentillo, & ad probandum, quæ ſibi incumbebant, produxit iura, & dedit articulos, ſuper quibus petebat ſibi dari Remiſſoriam, attento, quòd cauſa erat prophana.

Sed quia proceſſus in partibus factus inter communitatem, & homines prædictos, non fuerat productus, dubitaui an illi deberem concedere Remiſſoriam, nam Abbas dicebat ſibi fore concedendam ex eo, quia ipſe non fundabat ſuam intentionem in dicto proceſſu, cùm non fuerit cum eo fabricatus, & ipſe veniret ex diuerſa actione, nempe ex actione ſpolij.

2. Rota autem conſulta reſpondit, non eſſe Ab-
bati dandam Remiſſoriam antequam acta tranſ-
portarentur, quia licèt non interuenerit in eo
iudicio, quo communitas, & homines de Feren-
3. tillo contenderunt, ex quo tamen ipſe venit ad
cauſam pro ſuo intereſſe, fecit ſua omnia acta.

---

## *Romana, ſiue Lugdunen. redditionis rationum.*

### Die Veneris 26. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoriam petens tenetur ſoluere omnes impenſas illius.*

2 *Appellatione actorum continetur examen teſtium, ſcripturarum, & inſtrumentorum, vt ſoluatur pro expenſis, quidquid in eis fuerit conſumptum.*

### DECISIO XXIV.

DIe Veneris 17. * Martij 1589. fuit dictum, 1.
quòd ſi D. Ioannes Lilius volebat ſibi red- * ſuprà dec.
di rationem in Vrbe, ab illis de Oricellariis, quòd 17.
ipſe faceret neceſſarias impenſas, pro habendis
probationibus, tam per iura, quàm per teſtes, &
quòd ad hoc ſe obligaret in actis: & quia D.
Ioannes dicebat, ſe grauari ex quo pars aduerſa,
quæ habebat in manibus pecunias ſuas, volebat
ipſum compellere ad faciendam actualem de-
poſitionem pecuniarum pro dictis impenſis,
ideo die 26. Maij fuit dictum, quòd in obligatio-
ne D. Ioannis adderetur, quòd ipſe ſolueret di-
ctas impenſas, quando Rota ordinaret. Et quòd
exprimeretur etiam, illum fore ſoluturum im-
penſas, pro Remiſſoria, & examine teſtium, ne
contingeret dubitare, an appellatione actorum, 2.
ſcripturarum, & inſtrumentorum, veniret quo-
que Remiſſoria.

---

## *Peruſina reintegrationis, ſeu bonorum.*

### Die Lunæ 29. Maij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Scripturæ tranſumptatæ cum decreto iudicis iuxta formam ſtatutorum territorij, faciunt fidem iuxta illud.*

2 *Fides etiam datur extra Vrbem tranſumptis, ac originalibus ſcripturis, quando ſtylus admittit ſic fieri in territorio.*

### DECISIO XXV.

COntra iura producta in Rota, à D. Dionyſio Baregiano opponebat Procurator D. Hippolytæ de la Penna, quòd non eſſent in forma probante.

Sed quia Peruſiæ reperiebantur tranſumpta-
ta cum decreto, & auctoritate iudicis, iuxta for-
mam ſtatutorum Peruſiæ, & producta, & admiſ-
ſa Peruſiæ in prima inſtantia, vbi vigore illorum 1.
in illa prima inſtantia lata fuit ſententia in iſta
cauſa, ideo Domini dixerunt intrare Innocentia-
nam, & iſtis iuribus in Curia adhibendam eſſe 2.
fidem, * neque obſtare Dionyſio iſtam exce- * adde infrà
ptionem, quòd iura non ſint in forma probante, dec. 34. n. 5.
cùm Peruſiæ opponi non potuerit, imò D. Hip-
polyta eodem modo Peruſiæ ea produxerit, &
eis in iudicio vſa fuerit.

---

## *Romana damnorum, & intereſſe.*

### Die Veneris 2. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Debitoris mora eſt neceſſaria, vt debeat condemnari ad damna, & intereſſe, ob retardatam ſolutionem.*

3 Moram



3 *Moram non dicitur habere, qui eſt impeditus.*

4 *Debitor quantitatis, etiamſi ſit impeditus, eſt in mora, ſi non ſoluat.*

5 *Fruſtrà opponit cauſam, qui eam dedit.*

6 *Cauſa qualibet iuſta excuſat à mora.*

7 *Lucrum ceſſans ſi non probatur, non tenetur ſoluere debitor propter moram.*

8 *Periculi ſuſceptio, quantumcumque generalis, non intelligitur, quando damnum contingit facto, vel culpa illius, in cuius fauorem concipitur.*

### DECISIO XXVI.

1. * SVper ſocietate inita inter Ægidium Papum
* habes aliã decif. de hac materia inf. deciſ. 37. vbi fuit confirmata preſens deciſio. ex vna, & Cornelium Taruſium ex alia ſu-
per aromataria Palatij Apoſtolici, tandem poſt
nonnullas lites inter eos exortas, deuenerunt
ad concordiam, in qua Cornelius ceſſit omnia
iura Papo: & Papus omne lucrum, & damnum,
etiam fortuitum, inopinatum, & euenire inſoli-
tum in ſe ſuſcipiens, ſcuta ſeptem millia Corne-
lio ſoluere promiſit, videlicet ſtatim quatuor
millia, & 1500. infra ſex menſes, reliqua verò
1500. infra annum: ſed cùm ante tempus ſolu-
tionis iſtorum reliquorum trium millium, pro-
pter quædam folia computorum, quæ Corne-
lius Ioanni Mariæ Taruſio dederit, & ille ad
D. Gregorium XIII. detulerat, ad inſtantiam
Commiſſarij computa in Camera reuideren-
tur, & ſuper dictis tribus millibus fuiſſet Pa-
po ſequeſtrum intimatum, non potuit in ter-
minis, ſtante ſequeſtro illa Cornelio ſoluere,
& cùm tam Papus, quàm Cornelius ad certam
pecuniarum quantitatem Cameræ Apoſtolicæ
perſoluendam eſſent condemnati, demum Pa-
pus reliqua tria millia Cornelio ſoluit: & quod
damna, & intereſſe dictorum trium millium
compromiſerunt in quoſdam, & denique latum
laudum, in quo Papus pro damnis, & intereſſe,
in ſumma duorum millium ſcutorum fuit con-
demnatus. Dubitaui, an laudum eſſet iuſtum, vel
iniuſtum.

2. Et Domini dixerunt, laudum iniuſtum, & in-
firmandum, nam vt quis poſſit condemnari ad
damna, & intereſſe ob retardatam ſolutionem,
requiritur mora debitoris. *l. quod te, & l. vinum, ff. ſi cert. petatur. l. 2. §. nauis. ff. ad leg. Rhod.* latè Ri-
3. minal. *conſ. 52. n. 58. lib. 1.* Papus verò poſt inter-
poſitum ſequeſtrum non ſoluens, non fuit in
mora, quia difficultas ſuperueniens, eum excu-
ſauit. Roman. *conſ. 435. num. 2. verſ. ſed in contrarium,* Decius *in dict. l. quod te, in 2. lectura, num. 56. verſ. tertia concluſio,* & *ibi* Rip. *num. 42. ff. ſi cert. petat.*

Nec refert dicere, hoc non habere locum in
4. debitore quantitatis. *l. continuus. §. illud. ff. de verb. oblig.* quia ille textus loquitur quoad obligatio-
nem contrahendam, non autem de mora. De-
cius *in dict. l. quod te, n. 56.* præterea tunc difficul-
tas ſuperueniens non excuſaret debitorem
quantitatis à mora, quando difficultas proue-
niret ex facto ipſius, ſecus ſi ex facto creditoris,
vt in caſu præſenti, in quo Cornelius ob folia
exhibita cauſam dedit ſequeſtro, ideo Papus non
poteſt dici fuiſſe in mora. *l. pecuniæ, in fine. l. cùm quidam. §. pupillo. ff. de vſuris.* Menoch. *conſ. 293. n. 11.* nam fruſtrà quis opponit id, cuius ipſe cau-
5. ſam præbuit. *l. cùm mandato. ff. de negot. geſt. l. mulier, in fine. ff. de ventre inſpiciendo.* Signorolus *conſ. 141. n. 5.* Crauet. *conſ. 83. n. 2.*

Accedit, quòd quælibet iuſta cauſa excuſat à 6.
mora. *l. ſciendum. ff. de vſuris,* Decius *in dict. l. quod te, n. 56. ſi cert. pet.* Papus iuſtam cauſam habuit
non ſoluendi, cùm iuſſu iudicis ſequeſtrum ex-
preſsè dictas pecunias comprehendens, cum in-
hibitione, ne ſolueret, eſſet interpoſitum, & ideo
omnino excuſatur. Alberic. *in l. ſi quis id quod. ff. de iuriſdict. omni. iudic.* Hoſtienſ. *in ſum. tit. de iureiurand. §. quot ſpecies, verſ. item iuramento,* Decius *in l. non videtur. §. qui iuſſu iudicis. ff. de reg. iur.* Afflictus *deciſ. 328. incip. Dominus Paulus,* latè Ruinus *conſ. 150. incip. Satis clarum, n. 9. & ſeq. lib. 1.*

Non obſtat, quòd Papus ſoluendo Cameræ Apoſtolicæ, poterat impedimentum ſequeſtri amouere, quia præterquam quòd adhuc neſciebatur, an aliquid Cameræ eſſet ſoluturus, præſertim cùm prætenderet, ſe nihil ei debere, cùm Cornelius dediſſet cauſam ſequeſtro, ſibi ſi quid propterea eſt paſſus, imputare debet.

Minus poteſt haberi ratio lucri ceſſantis, 7.
quod Cornelius opponit, tum quia deficit mo-
ra (vt dictum eſt,) tum quia non fuerunt proba-
ta requiſita ad inducendum & conſequendum
lucrum ceſſans. * Requiſita ſunt, quòd vltra * adde Seraphin. dec. 1240. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. & dec. 1475. num. 2. Rotam recẽt. p. 2. dec. 528. n. 4.
moram debitoris, creditor ſit ſolitus colloca-
re pecunias in cenſibus, vel ſimilibus licitis lu-
cris, & quòd habeat in promptu commodita-
tem, eas inueſtiendi. Paul. de Caſtro *in l. 3. ad finem, ff. de eo quod certo loco.* Afflictus *deciſ. 20. num. 2.* Mohedan. *deciſ. 108.* latè idem Mohedan. *deciſ. 208.* Riminald. iunior *conſ. 52. num. 49. lib. 1.*

Neque ex fide teſtium, per Cornelium producta concludenter probatur lucrum ceſſans.

Poſtremò non obſtat, quòd Papus in concor- 8.
dia ſuſcepit in ſe omne damnum, etiam euenire
non conſuetum.

Quoniam ſuſceptio cuiuſcumque periculi, quantumcumque ſit generalis, non intelligitur, quando damnum contingit facto, vel culpa eius in cuius fauorem concipitur. Alexand. *conſ. 84. incip. Ponderatis his, lib. 6.* Aretinus *conſ. 139. incip. Quia conſultatio,* Ruinus *conſ. 147. incip. Viſis his, lib. 1.* Corneus *conſ. 12. incip. Licèt diffusè, lib. 4. & conſ. 23. & 36. lib. 2.* latè Ægidius Boſſius *tit. de remiſſione mercedis, n. 65. & ſeq. verſ. ſed tamen non ſemper ſuſcipiens caſum.*

---

## *Boianen. Parochialis.*

### Die Veneris 2. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſione, qua quis vtitur, non eſt priuandus lite pendente.*

2 *Comparitione voluntaria, obſtacula tolluntur.*

3 *Poſſeſſio capta, etiam cum decreto iudicis, ſi alius exiſtat in poſſeſſione, ſi adhuc pendet lis, non valet.*

### DECISIO XXVII.

DOmini dixerunt, Euangeliſtæ Camerario dandum eſſe mandatum de manutenendo, quia conſtabat de illius poſſeſſione ex ſimili

mandato, ei aliàs dato per R.D.Oriolen. nec lite
1. pendente ſua eſt poſſeſſione priuandus. *c.1. vt lite penden.* vbi Abb. *n.4. notabil.3. c. cùm perſonæ, de priuileg. lib.6.* vbi Geminian. *§. quòd ſi tales, notab.4.* Franchus *notab.2.*

Excommunicatio Euangeliſtæ obiecta non obſtat, quia ab excommunicatione fuit abſolutus per A.C.

Nec ſententia beneficiorum priuatoria officit, quia fuit in contumaciam lata, ipſo Euange-
2. liſta non citato, qui cùm comparuiſſet, per ſpontaneam * comparitionem obſtacula ſuſtulit.

* per comparitionem ſanãtur omnes defectus, etiamſi ſit comparitio ad dicendum de nullitate, vt per Seraph. deciſ. 1441. n.4. & 1366. n.2. & additio ad Greg. deciſ. 27. à n. 9. & vide infrà deciſ. 1646. n.7. in to.2.

Aſſerta poſſeſſio Franciſci Morenæ, mandatum Euangeliſtæ decretum ſuper manutentione non retardat, quia licèt poſſeſſio per Morenam fuerit capta auctore Prætore, pendente tamen negotio in ſignatura, ſuper commiſſionis reformatione, & alio exiſtente in poſſeſſione, Franciſco prodeſſe non poteſt. Caputaquen. *deciſ.* 334. incip. *Poſſeſſio fratris, part.2.* nam cùm hoc caſu poſſeſſio Morenæ præſumatur clandeſtina, poſtquam Euangeliſta eam non dereliquit, Euangeliſta poſſeſſionem ſuam præſumitur continuare. argum. text. *in l. clam poſſidere. §. ſi quis nuntiet. ff. de adquir. poſſeſſione.* & ideo iure fuit manutenendus.

## *Caſalen. Beneficiorum.*

### Die 24. Maij & 5. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Clauium traditione transfertur dominium.*

2 *Proteſtatio nihil operatur, ſi fiant actus contrarij rei, de qua proteſtatur.*

3 *Cùm poſſeſſiones ſunt intricatæ, neutri parti dandum eſt mandatum de manutenendo.*

4 *Poſſeſſio vt legitima ſit, requiritur capi à parte, vel ab habente legitimum mandatum.*

5 *Poſſeſſio vt legitimè capiatur à Procuratore, licèt non ſit ſpeciale mandatum neceſſarium, requiritur tamen, vt in generali adſit clauſula ſpecialis.*

6 *Mandatum generale licèt præſumatur ex productione iurium, ſed non eſt ſufficiens reſpectu actus qui exercetur.*

7 *Appellatio interpoſita poſt 15. dies à die latæ ſententiæ eſt nulla.*

## DECISIO XXVIII.

DVbitaui, an in caſu iſto eſſet dandum mandatum de manutenendo, & cui, vel potiùs ponendum ſequeſtrum.

Et quantum ad beneficium Laurentij Correzini Domini bis concluſerunt, dandum eſſe mandatum Præpoſito Decianæ: quia poſſeſſio fuit capta per ipſum, Laurentio præſente, & claues conſignante, vt apparet ex inſtrumento poſſeſſionis: per quos actus, translationi poſ-
1. ſeſſionis videtur conſenſiſſe. *l. clauibus*, vbi Bartol. & alij. *ff. de contrah. empt.* Socin. *conſ.13.* incip. *Inſignis Doctor. num. 15. verſ. præterea nónne deponunt, lib. 4.* Matthæus de Afflictis *deciſ.229.* incip. *Rex Ferdinandus,* Couar. *lib.3. variar. reſol. c.16. n.11.* Rebuff. *ſuper conſtit. reg. tom.3. tit. de materijs poſſeſ. in præfatione, n.69.*

Nec Præpoſiti poſſeſſionem vitiat proteſta- 2.
tio, aut præſeruatio iuris Laurentij: quoniam intelligitur reſpectu negotij principalis, & in aliis, quàm in translatione poſſeſſionis, * vt fuit reſolutum in cauſa Meliten. coram D. Seraphino, die 10. Decembris 1586.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 756. n. 2. & vt proteſtatio proſit, debet fieri, & repeti in quolibet actu iudiciali, aliàs actus præiudicat, vt per Greg. deciſ. 44 n.8. & Seraph. deciſ. 1407. n.1. & 2.

Quod eo magis firmandum putauerunt, quia nihil quod vrgeret in contrarium, afferebatur, ſtante præſertim præfata traditione poſſeſſionis.

Quatenus attinet ad beneficium Scamutij, res fuit Dominis viſa magis dubitabilis, ſtantibus poſſeſſionibus vtrimque captis, vna ſcilicet per Præpoſitum de anno 1584. die penultima Iulij, quo tempore Præpoſitus poſſeſſionem vacantem totius præpoſituræ, cum ſuis membris, & annexis apprehendit, & altera poſſeſſione capta per Scamutium de menſe Decembris eiuſdem anni, & denique tertia capta per eundem Præ-
poſitum die 24. Septembris ann. 1588. quo caſu 3.
cùm poſſeſſiones eſſent intricatæ, & offuſcatæ, neutri parti fuit dandum mandatum de manutenendo. Verallus *deciſ.200.* incip. *In eadem cauſa, p.2.* & ideo Domini ſequeſtrandum eſſe beneficium decreuerunt.

Et eo minus poterat ſua poſſeſſio Scamutio ſuffragari, quia fuit capta per eius Procurato-
rem, non habentem ad hoc ſufficiens manda- 4.
tum, ſicut requiritur ad legitimam, & Canoni- 5.
cam poſſeſſionem beneficij capiendam. * *l.1. §. per Procuratorem. ff. de adquir. poſſeſſ.* Rota *deciſ.21.* incip. *Ad recipiendam poſſeſſionem, de Procuratoribus, in nouis.* nam ad capiendam poſſeſſionem beneficij, licèt non requiratur mandatum ſpeciale reſpectu illius beneficij, cuius poſſeſſio capitur: requiritur tamen, quòd in tali mandato adſit clauſula ad capiendam poſſeſſionem beneficiorum in genere. Canoniſtæ *in cap. accedens, de præbend.* Alexand. *in l.1. §. per Procuratorem, ff. de adquir. poſſeſſ.* Ferret. *conſ.220.* incip. *Mandatum procuræ, n.12. verſ. non obſtat deciſio,* Herculanus *in l.1. §. per Procuratorem, n.15. verſ. & Lapus tenet ff. de acq. poſſeſſione.*

* & fuit dictũ infr. deciſ. 218. n.6. & deciſ. 325. n.5. & 1578. n 6. in 2. tomo, & dec. 218. n.5. vbi alias annotabo.

Nec dicatur ex productione litterarum præ- 6.
ſumi mandatum, * quia licèt ex productione iurium præſumatur mandatum generale, non tamen præſumitur ſufficiens reſpectu actus, qui exercebatur, vt ſæpè fuit in Rota diffinitum, vt in illa Hiſpalen. coram Domino Seraphino pro Illuſtriſſimo Domino Cardinale Deza, 21. Iunij ann. 1588. & in alia item Hiſpalen. coram Domino Comitolo 12. Octobris eiuſdem ann. 1588.

* adde infrà dec. 652. n.3. & 4.

His accedit, quia Præpoſitus numquam fuit paſſus, Scamutium quietè, aut pacificè poſſidere, cùm ſtatim habita notitia de illius poſſeſſione, 3. Kalend. Aprilis, proximè ſubſequenti, commiſſionem obtinuerit contra ipſum, & ſemper inde litem fuerit proſequutus, quod animum Præpoſiti euidentiùs declarat.

Non obſtat quòd poſſeſſio de beneficio Scamutij fuerit capta, poſtquam Scamutius appellauerat à ſententia lata per Vicarium Mediolanen. quia appellatio fuit interpoſita poſt 15. dies à die latæ ſententiæ, vnde fuit nulla. Rota
*deciſ.30. de appellat. in nouis.* Alexand. *conſ. 95.* 7.
*num.7. lib. 2.* & ideo non cauſat attentata. Guido Papa *deciſ.113. num.6.* Franc. *in cap. vt debitus, num. 47. de appellat.* Modernus *de attentatis, tit. de attentatis appellatione pend. limitatione vltima, in principio.*



Nec prætenſus ſtylus Mediolani, quòd tempus ad appellandum currat à die intimationis, iuuat Scamutium, nam præterquam quòd non probatur, tamen licèt probaretur, non liquet an ſit ſeruandus in iſtis beneficialibus.

Et quidquid ſit, tum ex prædictis, tum ex aliis, de quibus per informantes pro Præpoſito negari non poteſt, quin poſſeſſio quoad iſtud beneficium, ſaltem multum ſit turbida, & ideo ſequeſtrum fore apponendum, ſicut fuit decretum.

## *Spoletana Bonorum.*

### Die Veneris 9. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Partes poſſunt inter ſeſe conuenire, vt ſine interrogatorijs, &c. admittatur cauſa, quòd ſi noluerint, non poſſunt cogi.*

2 *Commiſſio expeditur, ſi pars priùs non doceat de ſuo iure.*

3 *Pars ſi doceat de ſuo iure, admittitur ad cauſam in Rota in ſtatu, & terminis, quibus reperiebatur.*

4 *Pars ſi nolit venire ad cauſam in ſtatu, in quo reperitur, non debet admitti, ſed expedienda eſt commiſſio.*

## DECISIO XXIX.

CApitulum S. Ioannis Lateranen. prætendens certa bona Rigouiti, & Petani, ad ſe pertinere virtute vnionis Abbatiæ de Ferentillo, ſibi aliàs à Bonifacio Octauo factæ, petebat ſine commiſſione admitti ad cauſam, &
1. ſibi dari terminum competentem ad dandum interrogatoria, & interim ſuperſederi in teſtium examine incohato. Abbas de Ferentillo dicebat, Capitulum non eſſe admittendum, niſi docto de ſuo intereſſe, nec ſine commiſſio-
2. ne, nec niſi in ſtatu, & terminis. Domini dixerunt, quòd ſi Capitulum docuiſſet de ſuo intereſſe, etiam ſine ſpeciali commiſſione ad-
3. mitteretur ad cauſam, ſed tamen in ſtatu & ter-
4. minis, in quibus * repetiebatur. *cap.2. §. ſanè, vt lite pen. lib.6.* vbi bona gloſſ. in verb. *in illo ſtatu.* Si autem nollet in eodem ſtatu, & terminis venire, ſed principaliter, quòd tunc expediret commiſſionem. Cæterùm quòd nullo pacto retardaretur teſtium examen, quod fiebat ad inſtantiam Abbatis de Ferentillo.

* hanc concluſionẽ pluries admiſit Rota, & eam admittunt communiter DD. Couar. pract. c.13. à n. 1. Surdus deciſ.60. n.6. & deciſ.147. n. 6. Franc. Marcus deciſ. 161. n.4. p.2. & alij plures.

## *Mutinen. Capellaniæ.*

### Die Veneris 12. Maij & 9. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

3 *Vicarius Generalis Epiſcopi ſine ſpeciali mandato non poteſt vnire beneficia, & n.15.*

4 *Vicarius Epiſcopi non poteſt vnire beneficia, etiamſi data fuerit poteſtas conferendi.*

5 *Clauſula generalis, ad maiora expreſſis non extenditur.*

6 *Conferre minus eſt, quàm vnire.*

7 *Arduum non venit in generali mandato.*

8 *Vnio facta cum conſenſu Capituli habet titulum.*

9 *Vnio facta cum titulo colorato eſt irreuocabilis, ſi per 40. annos fuerit ſubſequuta.*

10 *Vnio quando allegatur ſine titulo, indiget præſcriptione immemorabili.*

11 *Epiſcopi, & Capituli tolerantia in vnione beneficij inducit titulum, & n.15.*

12 *Epiſcopi in ſuis diœceſibus, ſingulis annis tenentur exercere viſitationem.*

13 *Epiſcopus poteſt compellere ſuos beneficiatos, ad exhibendos titulos ſuorum beneficiorum.*

14 *Epiſcopus poteſt vnita, & annexa beneficia viſitare.*

16 *Scire quemque præſumitur, ſi ſcire tenetur.*

17 *Epiſcopi ſcire tenentur, quæ officio ſuo incumbunt, & quæ per ſuos officiales geruntur.*

## DECISIO XXX.

BEneficio, ſiue Capellaniæ Sancti Syluestri, 1.
quam Atolinus de Accurſiis ann. 1310. fundauit in Eccleſia Cathedrali Mutinen. aliud beneficium, quod anno 1325. in eadem Eccleſia Ioannes Accurſius erexit, per Vicarium Epiſcopi Mutinen. ann. 1498. auctoritate ordinaria, citatis Patronis per affixionem edictorum ad valuas Eccleſiæ, vt infra certum terminum comparerent, cum conſenſu Capituli Mutinen. vnitum fuit, ita vt vnicus Sacerdos, attenta illorum tenuitate, amborum curam in poſterum exercerent.

Hæc beneficia ab eodem tempore per ſpacium nonaginta annorum, vt ſimul vnita, collata, & poſſeſſa pacificè fuerunt.

Sed anno 1588. Andreas de Luna, qui per 40. 2.
annos, & ampliùs præfatas Capellanias, vti vnitas poſſederat, Capellaniam olim per Atolinum erectam, in manibus Ordinarij Mutinen. reſignauit, ad quam ſic per reſignationem vacantem, Ioannes Andreas de Turre à Patronis præſentatus, ab eodem Ordinario admiſſus, & inſtitutus fuit.

Andrea de Luna ann. 1587. vitâ functo, Fabritius Manzolus à medietate Patronorum præſentatus per S. D. N. de beneficiis prædictis vti vnitis, & vt ſuprà vacantibus, cum derogatione iuris patronatus pro altera medietate, ſibi prouideri obtinuit.

Vicarius Mutinen. Manzolo, qui omnia ſibi incumbentia probauerat, poſſeſſionem denegauit, & litteras Apoſtolicas ſuper prædicta gratia expeditas ſubreptitias declarauit.

R. P. D. Seraphinus, cui appellationis cauſa per Fabritium commiſſa fuerat, recognita, ad eius fauorem pronuntiauit, ſententiam Vicarij Mutinen. velut iniuſtam reuocauit, & præfatum Fabritium inſtituendum, & ad litterarum Apoſtolicarum executionem procedendum ſententiauit.

In altera ſententia, cauſa mihi commiſſa, dubitaui, an ſententia Rotalis confirmanda, vel infirmanda foret.

Et quia Ioannes Andreas de Turre ad ius ſuum tuendum, potiſſimum opponebat de inua-

liditate vnionis factæ anno 1494. Vnde infere-
bat, quòd ſibi poterat prouideri de Capella-
nia Otolini per reſignationem Andreæ de Lu-
na vacante,ideo fuit bis in Rota maturè diſcuſ-
ſum,numquid præfata vnio facta per Vicarium
Mutinen.auctoritate ordinaria foret valida.

Et licèt proponeretur vnionem eſſe inuali-
3. dam, quia Vicarius Generalis ſine ſpeciali
* mandato non poteſt vnire beneficia. Gemi-
nian.*conſ*.38.incip. *Pro clariori, num.*10.*verſ. nam*
*Vicarius Epiſcopi*, Puteus *deciſ*.43. incip. *In vna*
*Calagurritan. lib.* 3. Petrus de Peruſio *tract. de*
*vnione Eccleſiarum,cap*.4.*num*.32.*verſ.deinde prin-*
*cipaliter*, Rebuff. *in praxi benefic.tit.de forma vica-*
*riatus,n*.102. *verſ. nona clauſula*, idem *tit. de vnio-*
*nibus beneficiorum*, *num*. 37. *verſ. idem in Vicario*;
quod ſæpe fuit in Rota receptum,& deciſum,vt
in vna Barchinonen. hebdomadariæ die 1. Iulij
ann.1583. coram Domino de Rubeis Rotæ De-
cano,& in aliis multis : quod procedit quamuis
4. in generali mandato data ſit Vicario conferendi
poteſtas:tum quia clauſula generalis ad maiora
5. expreſſis, non extẽditur. *c.qui ad agendum,de pro-*
6. *curat. lib*. 6. & vnire eſt maius, quàm conferre,
cùm vnio non fiat à Prælatis Epiſcopo inferio-
7. ribus. *cap. ſicut vnire, de exceſſibus Prælator.* tum
quia ea quæ ſunt ardua,non veniunt in generali
mandato ; arduum verò eſt diminuere cultum
Eccleſiæ, quod contingit per vnionem. Puteus
*dicta deciſ*.53.*n*.2.*lib*.3.

* adde infrà dec.441. vbi annotabo alias deciſiones concernentes ad materiam huius.

Nihilominus Domini in propoſita facti ſpe-
cie, bis concorditer tenuerunt, præfatam vnio-
nem eſſe validam, & ſententiam Rotalem con-
firmandam:aderat enim obſeruantia vnionis,per
nonaginta annos,& amplius, quæ ſuffragari ſa-
tis videbatur, ad eam ſuſtinendam, præſertim
cùm vnio etiam appareret effectum ſortita, ex
quo à tempore quo facta fuit, vſque ad An-
dream de Luna incluſiuè, ſemper prouiſi vigore
dictæ vnionis, præfatas Capellanias, vti vnitas
pacificè poſſederint.

8. His accedebat, quia vnio facta per Vica-
rium accedente præſertim Capituli conſenſu,
titulum coloratum præſtitit. Mohedan. *dec*.337.
incip. *Vicarius Calagurritan.* quo caſu ſuffi-
cit, quòd per 40. ſolùm annos, quis benefi-
9. cia, velut ſimul vnita, poſſederit, vt titulum
vnionis præſcripſiſſe videatur. Zabarel. *in Cle-*
*ment*.1.*quæſt*.20. *num*.18.*de ſupplen.negligen. Præ-*
*lator.* per *cap. de quarta.* cum *ibi* notatis, *de*
*præſcript.* Felin. *in cap.ex parte, num*.1. *&* 2 *de te-*
*ſtibus*, idem *conſ*.2. *num*. 13. *&* 14. latè Rebuff.
*in praxi,tit.de vnionibus beneficior.num*.33.*& mul-*
*tis ſeqq.*

10. Et hinc tollitur, quòd quandoque Rota cen-
ſuit, nempè non probari vnionem, niſi præſcri-
ptione immemorabili, id enim procedit, quan-
do vnio allegatur ſine titulo, ſecus ſi cum ti-
tulo, etiam putatiuo, vt in caſu propoſito, per
ea quæ tradit Felin. *in dict. conſ*.2. *num*.14. *verſ.*
*titulus autem putatiuus*, & Rebuff. *præcitato loco*
*num*.35.

11. Obſeruantiam vnionis nedum probabant in
hoc caſu tot præſentationes, & inſtitutiones
factæ ad iſtas Capellanias, tanquam ſimul
vnitas, ſed etiam pacificæ poſſeſſiones ſubſe-
quutæ.

Item ſcientia, & tolerantia Epiſcoporum,
pro tempore præſidentium, quam non excludit
prætenſa abſentia, ex eo quòd præteritis tem-
poribus parum, aut numquam in ſuis Eccleſiis
reſiderent, nam præterquam quòd non proba-
tur iſta abſentia, præſumptio ex multis eſt in
contrarium, in primis verò ex officio viſitatio-
nis, quod ſingulis annis Epiſcopi in ſuis diœce-
ſibus exercere tenentur. *cap decernimus,cum duo-* 12.
*bus ſequentibus* 10.*q*.1.*c. inter cætera, de offic. ordin.*
*c.ſi Epiſcopus, eod.tit. lib*.6. tradit latè Paul. Fuſ-
chus *lib*.1.*c*.2. *de viſitatione, & regimine Eccleſiar.*
Vnde præſumitur eos notas habere qualitates
omnium beneficiorum,& beneficiatorum, con-
ſiſtentium in ſuis diœceſibus,nec paſſuros quòd
quis cum inualido, vel vitioſo titulo beneficia
poſſideat,maximè cùm Epiſcopi poſſint ſuos be-
neficiatos compellere,ad exhibendos titulos be- 13.
neficiorum.Zenzelinus *in Extrau. Ioannis XXII.*
*tit.de electione*.incip. *Suſcepti,in verb.Canonicè ob-*
*tinent*, Geminian.*conſ*.87.incip. *Apparet quædam*
*vnio, n*.2.*verſ.corroboratur.* Et vnita etiam, & an-
nexa viſitare poſſint,& debeant. Paulus Fuſchus 14.
*de viſitat.Eccleſiar.lib*.2.*c*.26.*n*.28.29.*&* 30.quod
demum inſtaurauit Concilium Trident. *ſeſſ*. 7.
*de reformat.c*. 7.

Non obſtat, quòd Vicarius auctoritate ordi- 15.
naria,ſine ſpeciali mandato præfatam vnionem
feciſſe dicatur,nam quamuis (vt paulo antea di-
ctum fuit *in verſ. & licèt proponeretur*,) commu-
nis ſit Doctorum opinio, quòd Vicarius Gene-
ralis non poſſit vnire beneficia ſuæ diœceſis
ſine ſpeciali mandato, quod tamquam magis
tutum,& certum vbique ſeruandum eſt,ne vnius
Vicarij arbitrio negotium tam graue, & ar-
duum tranſigatur, quòd facile poſſet in detri-
mentum cultus diuini redundare ; nihilominus
nullo adhuc expreſſo iure ſancitum eſſe vide-
tur, vt Vicarius non poſſit vnire vigore ſui vi-
cariatus,aut quòd vniones per eum factæ à prin-
cipio ſint nullæ,& penitus irritæ, vt apparet ex
præcitata deciſione Mohedani 371. vbi Rota
aliàs cenſuit, Vicarium habere poteſtatem vni-
endi, cùm illa poſſit facere, quæ non reperian-
tur prohibita, argumento *c*.2. *& c.ad hæc,de offic.*
*Archid.*

Cæterùm in caſu propoſito, licèt de validita-
te vnionis dubitetur, ex quo in tanto annorum
curriculo ex munere viſitationis, præſumitur
* Epiſcopis innotuiſſe,nec eam retractarunt,aut
diſſoluerunt, ſatis videntur approbaſſe, & rati-
ficaſſe.

* adde infrà deciſ.441.n. 7. & deciſ. 638.n.8.

Et licèt verum eſſet, quòd ſequentes inſtitu- 16.
tiones non fuerint factæ ab Epiſcopis, ſed ab
eorum Vicariis, id non excludit ſcientiam Epi-
ſcoporum, cùm iuris præſumptione illud quiſ-
que ſcire præſumatur, quod ſcire tenetur. gloſſ.
*in reg.præſumitur,de reg.iur.lib*.6. Zabarel. *in Cle-*
*ment*.1. *quæſt*.7. *num*.5. vbi Imola, & Bonifacius
*de conſanguinit. & affinit.* Romanus *conſ*.481. in-
cip. *Præſentis dubitationis*, Decius *conſ*. 160. in-
cip. *In cauſa Monaſterij, num*. 5. Epiſcopi verò
ſcire tenentur, quæ officio eorum incumbunt,
& quæ per ſuos officiales geruntur, quod ſuffi-
cit ad inducendam ratificationem, ad tradita
per Bald. *in l.obſeruare.§.poſt hæc,num*.4.*&* 5.*verſ.*
*circa tertium quid poteſt ratificari.ff.de offic.Procon-*
*ſul.* & per Iaſon *in l.nec is.§.hæres.n*.9. *de acquiren.*
*hæredit.*

Deciſio Putei 373. incip. *In cauſa Auguſten.* 17.
ex aduerſo allegata, non facit ad propoſitum,
cùm



cùm loquatur in diuerſis terminis : nam ibi ge-
rebatur negotium, cuius non præſumebatur
ſcientia in Epiſcopo, nec Epiſcopus ibi conſti-
tuerat Procuratorem illum, qui impetrauerat
commiſſionem,ſed alios : in caſu autem propo-
ſito contrarium reperitur, cùm cauſa ageretur
per Vicarium Epiſcopi, habentem ſaltem gene-
rale mandatum.

Cætera,ſi quæ apparent alicuius momenti,ſa-
tis tolluntur per informantes in iure,& in facto.

---

## *Bononien. Donationis.*

### Die Veneris 9. Iunij 1589.

Videatur in vna Romana ſucceſſionis coram
Orano die 23. Maij 1597. vbi dictum, quæ ſen-
tentiæ eſſent conformes. Item videatur in vna
Placentina Capellaniæ die 15.Iunij 1598.coram
Seraphino,* vbi fuerunt multa deducta ad hanc
materiam.

* habetur in eius impreſſis dec.1289.

Die 4. Maij 1598. coram Lancellotto fuit di-
ctum,in vna Burgen.Sigillo,ſententias non eſſe
conformes,quia cauſa erat diuerſa, & tunc fue-
runt datæ multæ deciſiones per informantes,la-
tè Theſaurus *deciſ*.122.*& deciſ*.128.idem fuit di-
ctum in vna Foroliuien.dotis die 29.April.1602.
coram Pamphilio. *

* hæc annotatio habetur in Codice originali, manu ipſius R.P.D. Peña conſcripta.

### SVMMARIVM.

1 *Sententiæ tres conformes faciunt rem iudicatam.*
2 *Tres ſententiæ non faciunt rem iudicatam, ſi differant in aliquo, & n*.4.
3 *Remedium adipiſcendæ, à remedio retinendæ poſſeſſionis valde differt.*
4 *Poſſeſſionem continuare diuerſum eſt, à mitti in eam.*
5 *Redditus montium inter immobilia computantur.*
6 *Stylus Bononiæ non admittit, probari per ſimplices ſubſcriptiones teſtium.*
7 *Conſuetudo extenſiua contra ſtatuti diſpoſitionem tantum habet potentiæ, quantum vſus concedit.*

## DECISIO XXXI.

1. DOmini dixerunt, non eſſe concedendam
executionem D.Ludouico de Felicinis,vi-
gore ſententiarum in partibus latarum, ad eius
fauorem, ſed videndum de negotio principali,
quia licèt habeat tres ſententias,illæ tamen non
ſunt * conformes.

* conformes dicũtur ſententiæ quando vna confirmat aliã, vide deciſ. 647. p. 1. in recent. quæ latè agit de hoc articulo, & ſuprà deciſ 7. & quæ ibi annotaui, & infrà deciſ.33.

Secunda non eſt conformis aliis, quia in illis
purè, & ſimpliciter continetur, quòd fiat exe-
cutio vigore donationis in creditis petitis, vti
bonis Dominæ Franciſcæ donatricis : in ſe-
cunda, quod dicitur de executione, confirma-
tur, reſeruatur tamen D. Annibali filio donatri-
cis, ius legitimi inuentarij, ita vt eatenus tan-
tùm teneatur in dictis creditis, quatenus liqui-
dari contigerit, alia bona hæreditatis dictæ Do-
minæ Franciſcæ ad Annibalem eius hæredem
obuenta pati, non comprehenſis tamen in di-
cta hæreditate creditis prædictis : vnde cùm
hæc ſit conditionalis,& ideo ſubſtantia, & qua-
litate differat ab illis, non eſt eis conformis. 2.
Cardinalis *in Clem*.1. *in* 1. *oppoſitione, de ſentent.*
*& re iudic.* Alexand. *conſ*.77. incip. *In cauſa, &*
*lite, lib*.2. Barbatia *conſil*. 10. *lib*.2. Aymon *con-*
*ſil*. 183. incip. *Regula quòd appellatio*, Gabriel *de*
*executione rei iudic. concl*.1. *num*.33.*verſ. & dicun-*
*tur conformes.*

Prima verò, & tertia valde ſunt inter ſe dif- 3.
formes ; nam in prima pronuntiatur ſuper poſ-
ſeſſorio retinendæ, ibi, *ad continuandam quaſi*
*poſſeſſionem* ; in tertia verò ſuper poſſeſſorio adi-
piſcendæ, ibi, *immittendum, ſeu immittendos fore,*
*& eſſe*,quæ remedia penitus ſunt diuerſa. *§.adipi-*
*ſcendæ, & §. retinendæ. Inſtit. de interdictis, l*.2.*§.*
*adipiſcendæ,ff.eod.*

Nec dicatur, vtrumque remedium compe-
tiuiſſe D. Ludouico, ſcilicet retinendæ, reſpe-
ctu ciuilis poſſeſſionis, & adipiſcendæ, reſpe-
ctu corporalis ; quia licèt hoc admitteretur,
cùm tamen non fuerit vniformiter in ſenten-
tiis de eis dictum, ſed vna loquatur de vno, & 4.
alia de alio, & ſic ſuper diuerſis capitulis la-
tæ appareant, non poſſunt dici conformes. De-
cius *conſil*. 385.*num*.2. Couarr. *in practic. quæſt.*
*cap*.25. nec eſt dubium, quin aliud ſit conti-
nuari poſſeſſionem, aliud verò immitti in poſ-
ſeſſionem.

Nec obſtat,quòd remedium *l.finalis.C.de edi-*
*cto Diui Adriani tollendo*, poſſit intentari, pro
confirmanda poſſeſſione, quia nihilominus
aliud eſt confirmari, aliud verò immitti, vt ap-
paret ex Alexandro *in dict. l.fin.in fin. num*. 31.
dum ait remedium illius legis competere omni
poſſidenti, vt in poſſeſſione confirmetur, vnde
præſupponit, eum non poſſidere rem, in quam
petit immitti, aut cùm iudex decernit in eam
immittendum.

Et quamuis omnes, vel duæ ex illis eſſent
conformes, adhuc non ſuffragaretur D. Ludo-
uico, quia ſtatutum Bononien. *lib*.2. *ſub rubri-*
*ca de inſtrument. & teſtament. executioni mandan-*
*dis*. §.1. expreſsè loquitur quando petitur exe-
cutio ſuper rebus mobilibus ; redditus verò
montium, de quibus in ſententiis, inter im-
mobilia computantur. Tiraquell. *de retract.li-* 5.
*gnag.§*.1.*gloſſ*.6.*num*.4. per text. *in Clement. Exi-*
*ui. §. cumque annui redditus, de verbor. ſignifi-*
*catione.*

Non obſtat allegatus ſtylus, quòd ſtatutum 6.
Bononien. intelligatur etiam reſpectu rerum
ſtabilium : quia non eſt legitimè probatus, cùm
teſtes de prædicto ſtylo deponentes non fue-
rint iurati, & in iudicio cum interrogatoriis
partis aduerſæ examinati, vt fieri oportebat
iuxta conſuetudines Rotæ Bononien. *num*. 112.
*verſ.ſtatuerunt præterea*; vbi expreſsè cauetur non
probari ſtylum per ſimplices quorumcumque
ſubſcriptiones, cuiuſuis illi gradus præeminen-
tiæ, vel dignitatis extiterint, niſi prædicta fue-
rint * obſeruata.

* Nota quòd in materia ſtyli eſt regula quòd executor nõ tenetur obſeruare ſtylum iudicis committentis,ſed ſuum. Ludouiſ. deciſ.352.n.8.

Et licèt eſſet legitimè probatus, adhuc non
videretur atendendus, cùm ſtatuti verba apertè
de rebus mobilibus loquantur, quo caſu non
eſt opus gloſſa,Bald. *conſ*. 346.*lib*.1. Riminald.
*conſ*.41.*num*.2.

Et cùm hæc ſit conſuetudo extenſiua contra
euidentem ſtatuti diſpoſitionem, tantum ha-
bens potentiæ,quantum ſibi vſus concedit, Ma-
rian. Socinus *conſ*.101.*n*.13.*&* 14.*lib*.2. *& conſ*.4. 7.
*n*.35.

*n.35.& 36.lib.4.* Rip. *in l.Centurio,n.91.ff.de vulgar. ſubſtit.* euidenter debet probari in caſu de quo agitur, Paul. de Caſtro *conſ.340. lib.2.verſic. ſupereſt videre.* Aymon *conſ.241.n.20.* Roland. *conſ.53.n.39.& ſeq.lib.2.*

---

## *Burgen. Abbatiæ de Sobarzo.*

### Die Veneris 16.Iunij 1589.

SVMMARIVM.

3 *Confeſſione facta per partes, non eſt vlterius quærenda probatio.*
4 *Teſtis generaliter deponens non concludit.*
5 *Teſtis ſpecificè deponens, præfertur teſti generaliter deponenti,& n.ſeq.*
6 *Teſtes numero maiores,præferuntur paucioribus.*
7 *Teſtibus inueroſimilia deponentibus, non eſt credendum.*
8 *Ius patronatus non ideo infertur ad aliquem pertinere,ex quo ſe ingeſſit ad præſentandum.*
9 *Patronum quem ſeſe nominare, non ex eo inducitur ius.*
10 *Confeſſio partis non poteſt facere patronum eum, qui verè non fuerit.*
11 *Suffragia patronorum computanda ſunt in capita.*
12 *Patronorum ſuffragia quando ſint computanda in ſtirpes.*

## DECISIO XXXII.

1. QVia non erat controuerſia inter partes de iure patronatus iſtius Abbatiæ; concorditer enim fatebantur illud ſpectare ad certas familias laicorum loci de Sobarzo; ideo ſolùm de duobus in hac poſitione dubitaui.

Primò, ad quas familias pertineret ius præſentandi ad effectum,vt intelligeretur in hac vltima vocatione ex duobus præſentatis, an Petrus Velez,vel Lucas de San Pedro plures voces habuiſſet.

Secundò,quomodo ſuffragia patronorum eſſent computanda,in ſtirpes,vel in capita.

Quoad primam partem dubij Domini dixerunt, ius patronatus præfatæ Abbatiæ pertinere ad quatuor domos, ſiue familias principales, nempe Quintanilla, Mediauilla, Pomarejo, & Sanchez del Cotero.

2. Et ad quinque alias domos, ſeu familias ab his dependentes, ſeu deſcendentes, videlicet de los Prietos, de la Prada,del Dueſſo, de Somauilla,& de Aluarado. de quibus neque partes controuertunt, nam id primum confitetur Petrus Velez in memoriali, ſeu catalogo patronorum, qui eum præſentauerunt: idem etiam probant teſtes Lucæ,qui ſuper tertio articulo additionali conformiter aſſeuerant, ius præſentandi ad præfatam Abbatiam nullis aliis,quàm prædictis familiis competere.

3. Qua partium conformi confeſſione ſtante, non eſt vlterior quærenda probatio, ad tradita per Ægidium *deciſ.163.*incip.*Item narrata,& deciſ.595.*incip.*Si A contra B.*

Difficultas quoad eandem primam dubij partem ſolùm conſiſtit circa duas familias, videlicet de la Riua, & de Gandarillas, quas Petrus Velez contendit eſſe patronas, quod negat Lucas de San Pedro. Et quantum attinet ad familiam de la Riua, cùm nulla eius mentio habeatur in memoriali,ſeu catalogo patronorum, qui Petrum præſentauerunt,nec teſtes pro Petro inducti aliquid implicitè, ſeu explicitè teſtificati ſint,vnde poſſit inferri ad ius patronatus, nonnulli enim teſtes Petri ſuper nono articulo ſolùm dicunt, ſe cognoſcere iſtos de la Riua, Domini nullam eius rationem habendam cenſuerunt.

De familia de Gandarillas maior erat dubitatio,cùm nonnulla ſuadere viderentur,eam eſſe patronam.

Primum, quia in catalogo illorum, qui Petrum Velez præſentauerunt, reperiuntur Matthæus de Gandarillas,& Petrus, & Ioannes,& Franciſcus fratres,etiam de Gandarillas, de domo de Gandarillas,& ab ea deſcendentes.

Secundò, quia teſtes pro Petro Velez examinati ſuper 3. & 4.articulo teſtificantur, omnes nominatos in præfato memoriali fuiſſe,& eſſe habitos, & reputatos pro patronis Abbatiæ de Sobarzo.

Tertiò,& poſtremò, quoniam inter illos, qui præſentauerunt Lucam de San Pedro, acceſſit ad præſentandum illum, Ioannes Fernandez de Gandarillas, qui ſuum præterea dedit mandatum ad præfatæ præſentationis executionem.

Sed iſtis non obſtantibus Domini tenuerunt, ad iſtam familiam non pertinere ius patronatus.

Primum, quia ex teſtibus pro Petro Velez examinatis non concluditur ſufficienter, familiam de Gandarillas eſſe patronam; quamuis enim ſuper tertio, & quarto articulo dicant, familias contentas in memoriali (inter quas reperitur familia de Gandarillas) eſſe patronas, non ſpecificant familiam de Gandarillas, vnde cùm iſta teſtificatio ſit generalis, cenſetur æquiuoca, & minus concludens. Aretinus *con-
ſil.83.* incip. *Quia multa, num.11. verſ. aduertat* 4.
*etiam iudex.*

Contrà verò teſtes Lucæ videntur multis modis præferendi, primò quia deponunt magis in ſpecie, nam ſuper tertio, & quarto articulo additionali conformiter aſſeruerant, ius patronatus Abbatiæ, de qua agitur, pertinere ſolùm ad familias præfatas,& non ad alias,quorum teſtificatio cùm non ſit ſpecialis,certior eſt,& ideo teſtes ſpecificè deponentes debent præferri. In-
nocentius, & communiter Canoniſtæ *in cap.au-* 5.
*ditis,de præſcriptionibus.* Alexand.*conſ.77.lib.1.& conſ.148. lib.2. & conſ.88.* incip. *Quoniam omne, lib.5. & conſ.150.* incip. *In cauſa, & lite, num.17. verſ. conſtat autem, eod. lib.5.* Decius *conſ.148. in fin.* Iaſon *conſ.2. lib.1.* Curtius ſenior *conſ.55. num.15.*& Crauet. *conſ.94.*incip. *Venerabilis Dominus,num.3.verſ.ſed generaliter,* Curtius *tract.de teſtib.concluſ.7.*

Secundò teſtes Lucæ ſunt plures, & ideo 6.
magis eſt eis ſtandum. *c. in noſtra,de teſtib.* Matthæus de Afflictis *deciſ.364.* incip. *Fuit deciſum, num.5.verſ.quibus magis eſt ſtandum;* quorum multi, cùm interfuerint alteri vacationi iſtius Abbatiæ, præſumuntur magis informati de veritate, quod vel inde etiam conſtat, quia deponunt magis in ſpecie. ad tradita per Aretin. *conſ.13.* incip. *Viſo diligenter, n.13. verſ. præterea quando vnus teſtis.*





Tertiò,teſtes Petri quatenus ſuper quarto articulo dicunt, contentos in memoriali fuiſſe, & eſſe reputatos pro patronis præfatæ Abbatiæ (ſi illorum dictum ſit accipiendum de familia de Gandarillos)non videntur carere ſuſpicione falſitatis: nam ſi talis fama, & communis reputatio * in oppido viguiſſet, & veriſimiliter eam teſtes Lucæ ſciuiſſent, ac de illa depoſuiſſent. *l. regula.ff.de iuris,& facti ignorantia, c.1. de poſtulat. Prælat.* Crauet.ſæpè à Rota receptus *conſ.57.* incip.*Nullo modo,num.10.verſ.profectò ſi talis fama.*

* vide infrà deciſ. 921. n.11.

Cæterùm, teſtes Lucæ de hoc nullum verbum, quinimo per dictionem taxatiuam, *ſolùm,* vel, *tantùm,* affirmant, ius patronatus Abbatiæ pertinere ad quatuor illas familias principales, & ad alias ab iſtis dependentes. Vnde meritò ex iſto etiam capite videbatur fidei teſtium Petri detrahendum,cùm explorati iuris ſit, * teſtibus inueroſimilia deponentibus,veluti ſuſpectis non eſſe credendum. *l.3. §. ideoque Diuus Hadrianus, verſ.an veroſimilia reſponderit. ff.de teſtibus,* Abbas Felinus *in cap.quia veroſimilia,de præſumptionibus,*
7. Ancharran.*conſ.24.* incip. *Viſa inquiſitione.* Alex. *conſ.120.* incip. *Ponderatis narratis, num.10.lib.5.* Pariſius *conſ.830.*incip.*Potuit ritè,num.24. & 25. lib.1.* Tiraquell. *in l.ſi vnquam. C. de reuocand.donationib.in præfatione n.44.*Baldus *in l.1.C.de ſeruis fugitiuis.*

* adde infrà deciſ.521.n.13. & deciſ.580. n. 2. & dec.810.n.3. & aliàs ſæpe.

Quartò multum mouit Dominos Franciſcus Hernandez de la Rottura, primus teſtis pro Petro Velez inductus,vicinus loci de Sobarzo, qui ſuper tertio articulo dixit,quòd quantum ad familiam,& domum de Gandarillas,non ſe determinat, an fuerint habiti pro patronis ſicut alij, niſi quatenus deſcenderent ex aliqua,vel aliquibus de ſupradictis familiis.

Huic videtur conformia deponere tertius teſtis eiuſdem Petri, ſuper primo, & tertio articulo; & ſextus, & ſeptimus, & duodecimus ſuper primo, qui dicunt, ſe non cognoſcere Petrum, Ioannem, Franciſcum,nec Toribium de Gandarillas in memoriali contentos.

Et dùm iidem teſtes ſuper quarto articulo addunt, contentos in memoriali, quos ipſi cognoſcunt,fuiſſe,& eſſe patronos, ſatis excludunt illos de Gandarillas,quos paulo antea dixerant, ſe non cognoſcere.

Hinc ceſſant quæ paulo antea conſiderabantur pro Petro contra Lucam *in verb.de familia de Gandarillas.*

8. Ceſſat enim primum de illis de Gandarillas, Petrum præſentantibus, qui licèt ſe ad præſentandum ingeſſerint, ideo neceſſariò non infertur, ius patronatus ad eos pertinere.

Et cùm iſta probatio non ſit concludens,non eſt eius ratio habenda. *cap.in præſentia,de probat. l. vbi autem non apparet. §. qui illud. ff. de verbor. obligat.* Alexand. *conſ.152.* incip. *Viſo proceſſu. num. 1.*

Imò contra vtentem tali probatione, videtur facienda interpretatio. Decius *conſ.321.* incip. *In cauſa. num. 4. verſic. quia niſi probatio ſit concludens.*

Minus obſtat ſecundum,de teſtibus pro Petro Velez inductis, quibus paulo antè fuit abundè reſponſum.

Quantum attinet ad tertium, de Ioanne Fernandez de Gandarillas,qui Lucam præſentauit, dicebatur,primum inde non inferri ad pertinentiam iuris patronatus, cùm nemo fateatur (niſi vt ſuprà explicatum fuit) illum eſſe patronum, ſed ipſemet ſe patronum huius Abbatiæ aſſeruerit,quæ aſſertio non probat ius patronatus.

Præterea Lucas iſtius præſentationem non ac- 9.
ceptauit,ſed ſolùm illam Sebaſtiani de Arce,qui ſimul cum Ioanne Fernandez præſentauit, nec apparet iſte Fernandez nominatus inter patronos, Lucam præſentantes.

Poſtremò quamuis Lucas acceptaſſet iſtius præſentationem, & confeſſus fuiſſet, illum eſſe patronum, non ideo cenſeretur probata pertinentia iuriſpatronatus ad familiam de Gandarillas: nam cùm non pendeat à poteſtate partis, facere patronum eum,qui non eſt,eius confeſſio
nihil ei prodeſſe,aut nocere poteſt. *l.confeſſionis.* 10.
*ff.de interrogat.actionib l.qui ſeruum. & l.inde Neratius.§.fin.ff.ad l. Aquiliam,* Romanus *conſ.270.* incip.*In propoſito caſu,*Aretinus *conſ.13.*incip.*Viſo diligenter themate.*

Quantum ad ſecundam partem dubij,an ſuffragia patronorum ſint computanda ſecundùm capita, * vel ſecundùm ſtirpes, difficultatem non modicam Dominis videbatur afferre diuerſitas opinionum, quas prolixè more ſuo recenſet Lambertinus *de iurepatronatus lib.1. p. 2. q. 1. principali art.25.* & Rochus *eod tract. in verb.ipſe, vel is. num.2. quæſt.2.* præſertim cùm in caſu propoſito non conſtaret de initio reſeruationis iuris patronatus iſtius Abbatiæ.

* de hoc articulo vide infrà deciſ.934.

Quidam ergo ex Dominis dicebant ſuffragia 11.
computanda eſſe in capita,non autem in ſtirpes; * tum, quia non conſtat ius patronatus, de quo agitur, ab vno tantùm deriuari; tum præterea, quia ius patronatus in dubio defertur in capita, & non in ſtirpes. Anchar. *conſ.355.* incip. *Viſis puncto, & quæſitis. num. 1. verſ. in contrarium eſt veritas.*

* adde infrà dec.763.n.4.

Alij recenſebant, aliàs fuiſſe in Rota dictum in quadam Taurinen. iuris patronatus, die 11.
Ianuarij ann. 1585. coram domino Hieronymo 12.
Pamphilio,tunc haberi rationem ſtirpium,quando ius patronatus competit collegio, ſeu familiæ,& in his terminis loqui *Clement.plures,de iure patronatus;* tunc verò capitum,quando competit vti vniuerſis, ad tradita per Lambertinum *in d. art.25. num. 28. verſ. dubitant etiam Doctores, & verſ. ſed dic clariùs, quòd quando ſpectat ad Collegium,*& Beroum *in cap.cùm omnes, num.88. verſic. vltima ſit concluſio,de conſtit.*Stantibus itaque iſtis difficultatibus dictum fuit, quòd videretur, quis modus fuerit obſeruatus,occurrente vacatione iſtius Abbatiæ, in aliis præſentationibus, vt ex obſeruantia colligi poſſit, an in ſtirpes, vel in capita, ſit facienda ſuffragiorum computatio, &c.

---

## *Bononien. donationis.*

### Die Veneris 23. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Tres ſententiæ, ſi in aliquo differant, non faciunt rem iudicatam.*
2 *Priuari nemo debet ſua poſſeſſione pendente lite.*
3 *Executio ante rem iudicatam non debet fieri.*

## DECISIO XXXIII.

1. OBtinuerat Ludouicus de Felicinis tres ſententias fauorabiles, contra Annibalem Daneſium, & ideo fuerunt ſequeſtrati fructus bonorum ipſius Annibalis: cauſa introducta in Rota, & conſtituto, quòd præfatæ ſententiæ non erant conformes, nec merebantur executionem, * & quòd Annibal pendente iudicio ſuper negotio principali, non habebat vnde viueret, & litis onera ſuſtentaret fuit dictum, quòd nulla præſtita cautione per Annibalem, relaxaretur ſequeſtrum ſuper domibus pro alimentis, & impenſis litis factis, & faciendis, & quòd in cauſa procederetur ad vlteriora; nam ex quo ſententiæ non erant conformes iuxta ſtatutum Bononien. conſtabat locum eſſe appellationi, & ideo ſequeſtrum fuiſſe iniuſtum, & nullum, præſertim poſitum ſuper aliis bonis, de quibus non litigabatur.

* Vide ſuprà dec.7. & 31. & quæ ibi annotaui.

Non obſtat, quòd ſequeſtrum fuerit factum pro aſſeuerando iudicio pro fructibus locorum Montium, ſuper quibus erat lis, ad quorum reſtitutionem Annibal teneri prætendebatur.

2. Quoniam dicebatur, quòd cùm pendente lite nemo debeat commodo ſuæ poſſeſſionis priuari. *c. cùm teneamur*, & *ibi* communiter Doctores, *de appell. cap.1. vt lite penden.* vbi Abbas *num.4. no-*
3. *tab.3. cap. cùm perſonæ, de priuileg. lib. 6.* non debuit ſuſtineri ſequeſtrum, nec executio ante rem iudicatam contra legum placita locum habere videatur.

Ob timorem dilapidationis non poterat ſuſtineri ſequeſtrum, nam licèt Annibal denique foret condemnandus, de bonis illius ſtabilibus poterit aduerſario ſatisfieri.

---

### *Firmana Iurispatronatus.*

### Die Lunæ 26. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Ius patronatus per conſtructionem, & dotationem adquiritur.*
3 *Ius patronatus probatur ex exercitio præſentandi.*
4 *Epiſcopi conſenſus probatur, per admiſſionem præſentationum.*

## DECISIO XXXIV.

1. ANtoniolus ciuis Firmanus an.1478. condito teſtamento mandauit, conſtrui Altare ſub titulo S. Mariæ Miſericordiæ, in Eccleſia S.Petri de Penna, ciuitatis Firman. cuius reliquit patronos Mercolinum, Nicolaum, Ioannem, Antonium, & Ioannam Mariam eius vxorem.

Mortuo teſtatore, & Altari per vxorem conſtructo, ab ea tanquam patrona ann.1498. Ioannes Marchettus, Firmanus præſentatus, ab Ordinario confirmatus, & inſtitutus fuit. Similiter ann.1505. dicto Altari vacante, eadem Ioanna Maria, quendam Ioannem Baptiſtam Catherinum ann.1553. præfatum Altare, cum alio permutauit, & litteras permutationis cum expreſſione iuris patronatus expediuit. Denique cùm ann.1586. idem Altare vacaſſet, Cecchinus, & Pompeius hæredes, ex Ioanna Maria deſcendentes, Parſinum, Clericum Firmanum, ad illud Epiſcopo Firmano præſentauerunt. Cæterùm Epiſcopus ſententia lata contra patronos, nullum ipſis ius competere declarauit, & electionem, & præſentationem per ipſos factam, nullam, & inualidam pronuntiauit. Patroni ab ea ſententia ad Epiſcopum Lauretanum prouocarunt, qui viſis actis ann.1587. contra Firmanum ſententiam tulit, Firmanus ab ea prouocauit, & cauſa in Rota commiſſa dubitaui, an ſententia Epiſcopi Lauretan. eſſet confirmanda.

Et Domini cum præſuppoſito, quòd iura prædicta eſſent in forma probante, cenſuerunt, ſen- 2.
tentiam Epiſcopi Lauretan. eſſe confirmandam, conſtat enim de voluntate Antonioli, qui in ſuo teſtamento præfatum Altare conſtrui, & dotari mandauit, apparet etiam de effectuatione* conſtructionis, & dotationis factæ per Ioannam Mariam, teſtatoris vxorem, cui ita teſtator ordinauerat, quo caſu dicitur adquiſitum ius patronatus. *cap. filijs*, vbi gloſſ. *in verb. propinquis. 16. quæſt. 7.* de tranſmiſſione iuris patronatus non dubitatur, cùm Antoniolus illud vxori ſuæ in teſtamento expreſsè legauerit, & vxor bis dum vixit præſentauerit, & taliter præſentati fuerint ab Ordinario inſtituti, ex quo etiam exercitio
præſentandi, probatur ius patronatus. Ioan. And. 3.
*in cap. quod alicui gratiosè, circa fin. num.10. de reg. iur. lib. 6.* refert, & ſequitur Abb. *in rubric. de religioſ. domib. num.4. verſ. & hæc faciunt ad quæſtionem*, quibus fauet Calderinus *conſil. 12. de iure patronatus.*

*Effectuatio eſt probanda, nam non ſufficit diſpoſitio ſola teſtatoris, Rota in recen. dec.222.n.2. & 6. p.1.

Nec de validitate legati dubitatur, quaſi non conſtet de conſenſu Epiſcopi, nam ex quo, ad
præſentationem legatariæ, bis Epiſcopus inſti- 4.
tuit, conſenſum adhibuiſſe videtur, vt fuit dictum in illa iuris patronatus die 22. Martij ann. 1585. coram D.Blanchetto.

Conſtat præterea de deſcendentia Cecchini, & Pompeij, à Ioanna Maria patrona dicti Altaris: nam ipſa ann.1520. ab humanis erepta, condito teſtamento Antonium, & Ludouicum de Franchis, nepotes ſuos hæredes inſtituit, ex Antonio nati ſunt Cecchinus, & Pompeius, ad quos eſt tranſmiſſum præfatum ius patronatus; licèt enim Ioanna Maria, Eliſabethæ ſorori ſuæ id ius patronatus reliquerit, cùm tamen nec illam aliquando præſentaſſe, nec de aliquo Ordinarij conſenſu appareat, ius patronatus in hæreditate remanſit. Rochus *de iure patronatus, in verb. ipſe, vel is, quæſt.7. num.15. & 16.* quod eo magis procedit in hoc caſu, in quo non conſtat de aliqua fraude hæredum, præſentare volentium antequam accederet conſenſus Ordinarij ad fauorem Eliſabethæ legatariæ, ad tradita per Rochum *præcitato loco*; vnde fit, vt præfati hæredes tanquam legitimi patroni præſentare potuerint, & ex conſequenti, ſententia D.Epiſcopi Lauretani ſit confirmanda.

De iuribus verò productis, & eorum fide fuit dictum, quòd ſi ea fuerunt in partibus producta iuxta ſtylum, ibi ſeruari ſolitum, & in iudicio admiſſa, & dimiſſa copia collationata cum ſuo originali, aut aliter fuerunt producta, extracta tamen per Notarios, & cum ſuis originalibus collationata, & partes fuerint in iudicio præfatis iuribus vſæ, tunc eis adhibendam eſſe fidem, intrat enim iſto caſu Innocentiana, vt fuit concluſum coram me in illa Peruſina reintegrationis, ſeu bonorum, die Lunæ 29. Maij 1589.*

* vide ſuprà deciſ.25.



---

### *Lucana Iurispatronatus.*

### Die Lunæ 26. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Regulâ Adriani cauetur, vt per augmentum dotis non adquiratur ius patronatus.*
3 *Ius patronatus ex dotatione, & continuatis præſentationibus adquiritur.*

## DECISIO XXXV.

1. LEo Papa Decimus ann.1518. Prioratum S. Michaëlis in foro Lucan. Ordinis S. Auguſtini, quem tunc Nicolaus Gilius obtinebat, auctoritate Apoſtolica ſuppreſſit, illumque ita ſuppreſſum in Collegiatam Eccleſiam erexit, cum vera dignitate, Decanatus appellata, & nouem Canonicatibus, eidemque Præſuppoſituram S. Georgij, Ordinis S. Benedicti, quem Dominus Syluester Gilius Epiſcopus Vigorien. obtinebat, vniuit: & quoniam Ioannes Paulus Gilius, dicti Epiſcopi frater, & Matthæus item Gilius, ex prædefuncto fratre nepos, duo millia ducatorum auri in auro de Camera pro dote, ſeu dotis augmento ad emendos tot annuos redditus ſoluere promiſerunt, idem Leo eiſdem Ioanni Paulo, & Matthæo, & deſcendentibus ab eis, ius præſentandi ad præfatos Decanatum, & Canonicatus in dicta Eccleſia S.Michaëlis reſeruauit, vt ex diplomate Pontificio huiuſmodi reſeruationem pleniſſimè enarrante apparet.

Ioannes Paulus, & Matthæus, quibus, & eorum deſcendentibus ius præſentandi fuerat reſeruatum, pro efficaci promiſſæ dotis augmento ducatos illos 2000. auri in auro de Camera cum effectu ſoluerunt.

Ab eo tempore eam duo illi nobiles ciues Lucani, Ioannes Paulus, & Matthæus Gilij, quàm deſcendentes ab eis, quotiens Decanatus & Canonicatus præfatis vacare contigit, ad illos vigore commemorati iuris patronatus nominarunt, & præſentarunt, vt ex frequentibus, & multiplicatis præſentationibus, & inſtitutionibus, illarum vigore factis apparet.

Anno autem 1554. nobiles de Giliis, quendam Matthæum Dinellum ad Canonicatum, & Præbendam præſentarunt, qui ſic præſentatus, & inſtitutus præfatum Canonicatum, & Præbendam vſque ad annum 1588. pacificè, & quietè poſſedit.

Iſte Dinellus eodem ann. 1588. ad fauorem Alexandri Maruetij, nulla de iure patronatus facta mentione, ſuum præfatum Canonicatum, & præbendam reſignauit.

His intellectis Sebaſtianus, & Nicolaus, & Flaminius, & alij de Giliis die 12. Ianuarij anni præſentis, ſuper iure patronatus prædicto, commiſſionem mihi directam à S.D.N. Sixto V. obtinuerunt.

Eodem anno, die 22. Aprilis, Sigiſmundus Puccinus Clericus Lucan. qui ad præfatum Canonicatum, & præbendam per obitum Dinelli, tunc vacantem à præfatis de Giliis fuerat præſentatus, aliam dependentem commiſſionem, mihi ſimiliter directam obtinuit.

Harum vigore Gilij pro iure patronatus præ- 2.
dicto conſeruando inſtanter egerunt, & quia dubitabant de Regula Adriani dari poſſe, ex quo ducat. 200. de Camera pro dotis augmento, & non integra dote dati fuerunt, derogationem ipſius regulæ produxerunt. Similiter Puccinus ſuam præſentationem, & inſtitutionem Canonicam declarari petebat, & illam Maruetij nullam, & irritam pronuntiari.

Quare præfato die 26. Iunij citatis Maruetij 3.
Procuratoribus, propoſita cauſa in Rota, Domini legitimam * Puccini præſentationem, & inde ſecutam inſtitutionem, illam verò Maruetij nullam eſſe dixerunt, & mihi propterea ordinarunt, vt cauſam ad fauorem dominorum de Giliis expedirem.

* cùm ius patronatus probetur ex continuatis præſentationibus vt infrà dec. 806. n. 8. & ſuprà in antecedente deciſ. num.3.

Quod eo minus dubitabile fuit, quia Paulus Copertius, in Romana Curia notus Procurator, qui contra Gilios partis aduerſæ patrocinium ſuſceperat, mihi dixerat, ſe velle liberè in actis liti, & cauſæ cedere, quoniam cognouerat, ſuum clientem non fouere bonum ius, &c.

---

### *Bononien. reinueſtituræ, & attentatorum.*

### Die Mercurij 28. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Voluntas teſtatoris ſemper eſt ſeruanda.*
3 *Vſusfructus pecuniæ relictus, ſuccedit loco rerum.*
4 *Hæres non de rebus legatis, vel de pretio, quod eorum loco ſuccedit, ſed de alijs bonis, debita hæreditaria ſoluere tenetur.*
5 *Iudex cauſæ principalis cognoſcit de omnibus emergentibus, & incidentibus.*
6 *Inhibitio ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda.*
7 *Attentatum eſt, quidquid poſt inhibitionem prouidetur.*
8 *Executori mero ſolum pertinet executio facti, ſed non iudicialis cognitio.*

## DECISIO XXXVI.

R P.D. Ioannes Baptiſta Campegius, Epiſco- 1.
pus Maioricen. teſtamento condito, ſuum vniuerſalem hæredem inſtituit D. Rodulphum Campegium, ſed vſumfructum omnium creditorum, & locorum montium D. Iacobo Primicerio reliquit, ea pactione addita, vt ſi qua francaretur, vel redimeretur, ea hæres inueſtire teneretur, vt vſusfructus ad Iacobum pertinerent. Ann. 1588. Iacobus cauſam commiſit in Rota, cum clauſula, quam & quas, vnà cum omnibus, & ſingulis incident. dependent. annexis, & connexis, totoque negotio principali. Anno 1584. ſumma ſcutorum 590. francata fuit: eam D.Balthazar Campegius, legitimus Rodulphi hæredis adminiſtrator, D. Lauræ contrariæ teſtatoris creditrici aſſignauit. Iacobus coram Legato Bononien. vt præfata ſumma iuxta ordinationem teſtatoris inueſtiretur, iudicium intentauit, & fauorabilem ſententiam reportauit, à qua cùm eſſet appellatum, & cauſa mihi commiſſa dubitaui, an pecuniæ præfatæ forent inueſtiendæ iuxta

iuxta ſententiam Bononiæ latam,vel potiùs obſtarent aliqua attentata.

2. Et Domini dixerunt primò, pecunias hæredi ſolutas vigore pacti de francando, inueſtiendas eſſe, ad commodum vſufructuarij, cùm teſtator ita iuſſerit, cuius voluntas ſeruanda eſt. *l.*1. *C.de ſacroſanctis Eccleſiis. Authent.de nupt.*§. *diſponat.*
3. cùm de iure etiam pecuniæ iſtæ ſuccedant loco rerum, de quibus vſusfructus relictus fuit, & ideo ad vtilitatem vſufructuarij cedere debeant. Surdus *conſ.*26.

Nec reinueſtituram impedire poteſt francatio facta per D.Lauram, cui tanquam creditrici hæreditatis pretium fuerat perſoluendum; hoc enim non debet in damnum vſufructuarij redundare,nam cùm hæreditas eſſet ſoluendo,hæ-
4. res non de rebus legatis,vel de pretio, quod illorum loco ſuccedebat, ſed de aliis bonis hæreditariis debita hæreditaria ſoluere tenebatur. *l. fin.C.de hæredit.vel actione.* gloſſ.*in l.fin.*§.*etſi præfatam, in verb. accommodare, C. de iure deliberandi.* Roman. *conſil.* 189. *num.*2. *verſ. breuiter dicendum.*

Dixerunt ſecundò adeſſe attentata, quia pendente cauſa principali in Rota, vnà cum omnibus, & ſingulis, &c. de inueſtitura iſtarum pecuniarum, quæ pendebat à negotio principali, coram iudice cauſæ principalis agendum fuerat, cùm iudex cauſæ principalis cognoſcat
5. de omnibus emergentibus, incidentibus, &c. Mohedan. *deciſ.*100. incip. *Commiſſio erat impetrata.*

6. Præterea cùm vigore commiſſionis eſſet inhibitum,iuxta receptum ſtylum Rotæ, * inhibitio ſiue iuſta,ſiue iniuſta,timenda fuerat:& quæ poſt ipſam fiunt,attentata † dicuntur.*l.*1. §.1. *ff. de oper. nou inuntiatione, cap. ſignificantibus, de appell.* Verallus *deciſ.*93. incip. *Inhibitio Rotalis, part.* 2.

* adde infrà dec 850.n.4. & deciſ.878. n. 4. & aliàs ſæpe.
† adde infrà dec.169.n.2.

Nec obſtat ſi dicatur, hæc omnia fuiſſe facta in executionem mandati Rotalis, conceſſi ad fauorem D.Iacobi, vt immitteretur in poſſeſſionem vſusfructus,ſibi relicti, quod fuerat Legato Bononien. *præſentatum*, vnde videbatur competere ei iuriſdictio. Quoniam reſpondetur, quòd cùm Legatus eſſet merus executor mandati Rotalis, non ſpectabat ad ipſum cognoſcere, an eſſet locus inueſtituræ, cùm id à iudice cauſæ principalis eſſet iudicandum:nam ad meram executionem ſolùm pertinet ſola, & mera executio facti, & nulla præterea iudicialis cognitio.

8. Ex his Domini dixerunt,quòd D.Iacobus renuntiet ſententiæ latæ in partibus in ſuum fauorem,cùm adſint attentata,& quòd pro inueſtiendis præfatis pecuniis agat in Rota coram ſuo iudice.

Die verò Mercurij 10. Iulij in congregatione habita in templo Pacis, Domini dixerunt, quòd niſi D. Iacobus per totum menſem Iulij renuntiauerit prædictæ ſententiæ de partibus,ego pronuntiarem ſuper attentatis, ad fauorem D.Rodulphi Campegij, & deinde videretur de reinueſtiendis pecuniis.

## *Romana damnorum, & intereſſe.*

### Die Mercurij 28. Iunij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Famam ſuam negligens crudelis eſt.*
3 *Cauſa qualibet non eſt ſufficiens ad præſtandum iuſtum impedimentum, ſed illa tantùm quæ eſt immediata, & non fieret, quod fieri debebatur.*
4 *Moram habet, qui caret probabili cauſa, qua recuſet, velle ſoluere.*
5 *Moram non habet debitor, ſi prouenit difficultas, ex facto creditoris.*
6 *Vſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſoluentium infliguntur.*
7 *Excuſatur quandoque quis apud Deum, qui tamen non poteſt excuſari apud homines.*
8 *Factum alicuius (etiam ſi non habeat culpam) non debet fieri, ſi alteri magis, quàm ſibi nocere poteſt.*
9 *Cauſa remota, vel proxima excuſat à mora, ex regula, Quidquid eſt cauſa cauſæ, &c.*
10 *Impeditus non tenetur diligentiam adhibere, ſi non eſt profutura.*
11 *Sequeſtrum facto partis interpoſitum,pars altera non tenetur illud proteſtari, aut diligentiam facere, ad ſeſe non præiudicandum.*

## DECISIO XXXVII.

DIe Mercurij 28. Iunij, nonnulla proponebantur pro parte D. Cornelij Iaruſij, ex quibus prætendebatur recendendum à deciſione facta die 2.Iunij.*

* ſuprà deciſ.26.

Primum, quia licèt Cornelius exhibuerit fo-
lia Antonio Mariæ, qui illa detulit Domino 1.
Papo, id tamen non fecit animo nocendi aduerſario.

Secundò, quia exhibitio foliorum non erat ordinata ad hunc effectum, ad tradita per Alex. *in l.*2.§.*quod diximus num.*6.*verſ.& potes reſpondere.ff.ſi quis cautionibus.*

Tertiò Cornelius tradendo folia, non dabat operam rei illicitæ,imò honoris ſui ratio id exigere ſuo iure videbatur, cùm à Papo iniuriosè tractaretur,cùm diceret,ſe à Cornelio enormiſſimè læſum; licuit ergo Cornelio,eo modo honorem ſuum tueri, ne in ſe ipſum crudelis eſſet,
nam qui negligit famam, crudelis eſt. *cap. no-* 2.
*lo* 12. *quæſt.*1.

Poſtremò, quia non quælibet cauſa eſt ſuffi- 3.
ciens ad præſtandum iuſtum impedimentum,ſed illa tantùm, quæ eſt immediata, & directa ad effectum impediendi, quominus id fieret, quod fieri debebat: & quòd fuerit adhibita diligentia ad remouendum impedimentum. Bart. & Alex. *in d.l.*2.§.*quod diximus.ff.ſi quis cautionibus*,vbi Iaſon *num.*4. Canoniſtæ *in cap.ex tranſmiſſa,de præſcriptionibus.* vbi Innocent. *num.*1. *verſ.neceſſe tamen eſt quòd doceat*, & Felinus *n.*1. quam ſententiam appellat communem Decius *in c. ex ratione num.*16. *verſ.ſed tamen, de appellat.* Abb.*in cap.plerumque,de reſcript.*confert Aymon.*conſ.*151.incip. *Neminem exiſtimare, num.*22. *verſ.quartò vt impedimentum excuſet.*

His tamen non obſtantibus Domini per eaſdem



dem rationes ſteterunt in deciſis: ſiquidem in
4. mora ſoluendi is eſſe dicitur, qui nullam habet probabilem cauſam, qua recuſet velle ſoluere. *l.quod te*,vbi communiter DD.& præſertim Rip. *num.*55. *& multis ſequentibus. ff. ſi cert. petat.* at in caſu præſenti pluſquam probabilis cauſa non ſoluendi Papum excuſabat: aderat enim præceptum ſuperioris ne aliquid Ægidio ſolueretur; ſequeſtrum ſubſecutum propter folia exhibita expreſsè comprehendebat pecunias Iaruſio ſoluendas: iuſtiſſima ergo cauſa extabat excuſandi Papum à mora.

5. Præterea certi, & explorati iuris eſt, quòd cùm aliqua ſolutioni obſtat difficultas, proueniens ex facto creditoris, nunquam debitor incidit in moram.*l.pecuniæ.*§.*vſurarum, verſ.ſi tamen poſt mortem creditoris, & l.cùm quidam.* §.*ſi pupillo. verſ.quid enim. ff. de vſuris.* bene Menochius *conſil.* 293. incip. *Cùm huius controuerſiæ num.* 10. *lib.* 3.

In facti ſpecie, de qua agitur,negari non poteſt,quin difficultas ſoluendi ob ſequeſtrum interpoſitum ex facto Cornelij proceſſerit; ergo non poteſt conſiderari mora,cuius ratione dam-
6. na,& intereſſe debeantur: vſuræ enim non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſoluentium infliguntur, *d.l.cùm quidam.*§. *ſi pupillo. verſ.vſuræ enim ff.de vſuris.*

Non obſtant in contrarium adducta, & primum illud, quòd Iaruſius non tradidit folia animo nocendi aduerſario: quia id veniam merebatur apud Deum,non tamen habebit excuſatio-
7. nem in foro exteriori, iuxta legum ſanctiones: cùm ſæpe contingat, aliquem excuſari apud Deum,qui tamen non excuſatur apud homines, nec à legum pœna in foro exteriori, per text. ſingularem *in cap. inquiſitioni. de ſentent. excommunicat.*

Minus obſtat ſecundum, quòd illa exhibitio foliorum non eſſet ordinata ad eum effectum, quia ſatis eſt, quòd illum effectum produxerit; nam licèt ex intentione Cornelij non ordinaretur ad opponendum aliquod impedimentum; non eſt enim veriſimile, quòd Cornelius ſibi ipſi nocere voluerit, ſi cogitaſſet ſubſequutum euentum: nihilominus, ad effectum excuſandi Papum à mora, ſatis eſt, quòd inde fuerit ortum impedimentum,cùm ſemper ſit verum, quòd ex facto Iaruſij difficultas ſoluendi in tempore ſuperuenerit.

8. Non obſtat tertium,quòd Cornelius non dabat operam rei illicitæ, ſed tractabat de ſuo honore tuendo: nam ſi id propterea fecit (quod non conſtat ex actis) à peccato excuſabitur, ſed non à diſpoſitione legali, cùm non ſit iuſtum, quod factum alicuius, etiamſi non habeat culpam, alteri magis, quàm ſibi nocere debeat.*l. ſi ſeruum.*§.1.*ff.de verbor. obligat.*§.*ſi res legata. Inſt. de legatis. l.non debet.ff.de reg.iur.*

Poſtremò nihil officit; nam leges, & Doctores in vtraque deciſione citati,ad effectum excuſandi à mora debitorem,ſolùm conſiderant cauſam probabilem, ex qua proueniat impedimentum, ſed an illa ſit proxima, vel remota, nihil refert.

9. Et ſatis eſt,eſſe veram cauſam, vnde difficultas ſoluendi ſuperueniat: & cauſa licèt ſit remota,vera tamen cauſa eſt,& dici poteſt:cùm quidquid eſt cauſa cauſæ, verè etiam cauſati cauſa dicatur eſſe. *l. manumiſſiones. ff. de iuſtitia, & iure.*

In caſu propoſito manifeſtum eſt, veram, & originalem cauſam ſubſecuti ſequeſtri fuiſſe exhibitionem filiorum;an autem illa ſit immediata, vel ſecus, non eſt curandum.

Quod tandem proponebatur de adhibenda diligentia, ad ſequeſtrum remouendum, ad hoc vt Papus excuſaretur à mora, non iuuat Cornelium:nam conſtat primò,Papum diligenter egiſſe,vt remoueretur ſequeſtrum, & vt ſe ab intentato iudicio eximeret.

Præterea, omnis diligentia irrita erat, nam 10.
cùm ageretur de intereſſe Cameræ, impoſſibile videbatur, ante finitum iudicium remouere ſequeſtrum.

Vnde cùm diligentia non eſt profutura, non tenetur impeditus diligentiam adhibere, ad tollendum impedimentum. Paulus de Caſtro *conſil.*13. incip. *Viſis his,num.*50. *&* 51. *verſ. non dico iſta procedere, & verſic. ſed quando impedimentum, lib.*3. Riminald.iunior *conſ.*404. *num.*68.*lib.*4.

Denique cùm ſequeſtrum facto partis aduer- 11.
ſæ prouenit, non eſt neceſſaria proteſtatio, aut diligentia, ad illud remouendum. Ruinus *conſil.*150. *num.* 15. 16. *&* 17. *lib.* 1. vbi multos allegat.

Et hinc ceſſat, vel limitatur, vel declaratur doctrina Legiſtarum *in d.l.*2. §.*quod diximus.ff.ſi quis cautionibus.* & Canoniſtarum *in cap.ex tranſmiſſa,de præſcriptionibus*, & in aliis locis ſuprà citatis in poſtremo argumento adducto Iaruſio, *verſ.& quod fuerit adhibita diligentia.*

Cætera leuia ſunt,nec indigent reſponſione.

## *Camerinen. bonorum.*

### Die Lunæ 3. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

1 *Examinati teſtes, pendente termino ad dandum interrogatoria, non valent.*
2 *Teſtium examen ſine citatione partis non valet.*
3 *Poſſeſſorio quando agitur, in quolibet actu citari debet pars.*
4 *Poſſeſſor etiam iniuſtus, ante priuationem citari debet.*
5 *Maritus viuente muliere eſt dominus dotis.*
6 *Vſufructuarius ritè poſſidet.*
7 *Actum non valere aliud eſt,ab actu non nocere ei, qui non eſt citatus.*
8 *Citare non eſt neceſſarium eum, qui ſecundariò, & in conſequentiam lædi poteſt.*

## DECISIO XXXVIII.

DOmini ſteterunt in deciſis, quoad vtroſ- 1.
que * teſtes:nam trium, qui pendente termino ad dandum interrogatoria fuerunt examinati, inualidum fuit examen, ex rationibus deductis in deciſione facta in hac cauſa die 20 Martij præſentis anni, * Puteus *deciſ.*317. incip. *In vna Valentina. lib.* 2. & fuit aliàs dictum in cauſa Vicentina feudi,die 27.Ianuarij ann.1578. coram D.Aldobrandino, quo caſu (ſi id fieri petatur)repetendi ſunt,expenſis illius,qui nimium properauit ad teſtes examinandos: quia licèt non

* ſuprà dec. 7.& dec.15.
* ſuprà in d. dec.15.

non adeſſet aliquis Procurator conſtitutus ad edendum interrogatoria, poterat tamen infra * terminum aſſignatum ad illa edenda, aliquis nomine illius, contra quem erat decreta Remiſſoria, comparere, & illa in termino edere. Puteus *d.deciſ.*317.*lib..*

* ſuprà in d. dec.15.n.9.

Reliquorum ſex teſtium examen, qui elapſo termino fuerunt examinati, validum eſt, vt in præfata deciſione latè deductum fuit.

2. Sed potiſſimum obiicitur, quòd non fuerit * citatus Comes Antonius, maritus D. Martiæ, qui Rochettam poſſidebat, vnde nulla eſt receptio teſtium. *cap.2.de teſtibus,* Et cùm agatur poſſeſſorio, qui poſſidet in quolibet actu citari debet. *l.de vnoquoque.ff.de re iudicat. l.nam ita Diuus. ff.de adoptionibus.* præſertim cùm poſſeſſor, etiam iniuſtus non citatus, commodo ſuæ poſſeſſionis priuari non debeat. Baldus *conſ.*136.incip.*In cauſa,volum.*2. Purpuratus *conſ.*489. incip.*Circa primum dubium,n.*2. Corneus *conſ.*137.incip. *Prima facie num.*12. *verſ.nam etiam prædo lib.*2.

* adde infrà dec.50.n 10. & deciſ.257. n.11. & aliàs ſæpe.

5. His accedit, quia ſi Rochetta, de qua agitur, fuit Comiti Antonio data in dotem, nedum erat poſſeſſor, ſed etiam dominus. *l.doce ancillam, C.de rei vendicat.* §.1. *Inſt.quib.alien.licet, vel non.*

Mortua item D. Martia, & ſuperſtitibus eius filiis, Comes Antonius manſit vſufructuarius, & legitimus adminiſtrator. *l.*1. *C.de bonis maternis.* Vſufructuarius verò ritè poſſidet. *l.naturaliter.ff. de adq.poſſeſſ.*

6. Examen ergo, nedum reſpectu trium teſtium, ſed etiam reſpectu omnium eſt inualidum ex defectu citationis in perſona Comitis Antonij.

Iſtis tamen non obſtantibus, Domini permanſerunt in deciſis.

Et primò, quia non apparet ex actis, Rochettam, de qua agitur, fuiſſe datam in dotem Comiti Antonio, vnde non proprio, ſed potiùs iure familiaritatis intelligitur poſſediſſe.

Præterea cùm iudicium fuerit intentatum contra D.Martiam, & ea mortua contra eius filios, ſeu eorum legitimum Procuratorem, qui viuente matre, de illorum conſenſu fuerat conſtutus, & poſt eius obitum dominus litis effectus, & legitimè citatus, teſtes quoad eos, qui fuerunt citati, ritè, & rectè examinati dicuntur, licèt contra D.Antonium, vel alios non citatos, non probent, præſertim cùm nullum præiudicium hactenus fuerit Comiti Antonio illatum, & per eius obitum finito vſufructu. §.*finitur.Inſt.*
7. *de vſufructu*, omne illius ius quodcunque habeter ſuper dicta Rochetta, fuerit extinctum: & cùm aliud ſit actum non valere, aliud verò non nocere ei, qui non eſt citatus. Iaſon *in l. nec quicquam.*§.*vbi decretum. num.*36.*ff.de offic. Proconſul.* hoc caſu non dicitur non valere actus, ſed ex defectu citationis, Comiti Antonio non nocuiſſe; præſertim cùm illud etiam verum ſit, non eſſe citandos eos, qui ſecundariò, ſeu in conſequen-
8. tiam lædi poſſunt. Alex. *in l. filiusfamilias.*§.*Diui. num.*8. *& 9. ff.de leg.*1. vbi Iaſon *in prima lectura, num.*47. *& in* 2. *num.*91. Hinc etiam ceſſat illud, quod dicebatur de poſſeſſore non priuando commodo ſuæ poſſeſſionis ſine citatione, quia Comes Antonius viuens non fuit à ſua poſſeſſione pulſus, eiuſdem mortui nulla fuit habenda ratio; licèt ergo teſtes validè fuerint examinati, nullum ei fuit irrogatum præiudicium, ideoque non vitiatur examen. Supereſt ergo videre, an ex illorum depoſitionibus, & aliis iuribus, remaneat iuſtificata intentio D. Achillis, vt ordine iudiciario ad vlteriora procedi poſſit.

---

*Bobien. iuris optandi.*

Die Lunæ 8. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio non poteſt acquiri, niſi legitimo temporis ſpatio, ſuum effectum fuerit ſortita.*
3 *Poſſeſſio probatur per actus ſucceſſiuos.*
4 *Cedere poteſt quis ius, quod prætendit, etiam ſi non poſſideat.*
5 *Optandi conſuetudo non procedit, niſi per obitum.*
6 *Poſſeſſio non effectuata non probat.*
7 *Poſſeſſio capta ex inſtitutione, & præſentatione, quæ non habuit plenum, & pacificum effectum, non valet.*
8 *Poſſeſſorium nihil commune habet cum petitorio.*
9 *Capitula Eccleſiarum poſſunt ſtatuere ſine Epiſcopo, circa negotia ſua ſingularia.*
10 *Capitula Eccleſiarum non poſſunt ſtatuere ſine Epiſcopo, circa negotia, generalem ſtatum Eccleſiæ, & Epiſcopum, vel eius iura tangens.*

DECISIO XXXIX.

D. Epiſcopus Bobien. Canonicatum, & Præbendam S.Crucis in Eccleſia Bobien. vacantem in menſe Octobris ann. 1586. per obitum Stephani Buelle, auctoritate ordinaria contulit Michaëli Zauatarello: qui dum eiuſdem Præbendæ poſſeſſionem capere vellet, illam ab Stephano Bazzigalupo, qui prætextu iuris optandi, vigore quorundam ſtatutorum, & certæ conſuetudinis in eam ſe inſinuauerat, occupatam inuenit, vnde Michaël per breue Apoſtolicum, Epiſcopo Bobien. cauſam committit obtinuit, & ab eo recognita ſententiam fauorabilem reportauit. à qua cùm Stephanus appellaſſet, dubitaui in Rota (in qua fuerat cauſa introducta,) an ex deductis conſtaret de legitima poſſeſſione iuris optandi, ad effectum validitatis, ſeu inualiditatis ſententiæ Epiſcopi Bobien. Et Domini, non conſtare de tali legitima poſſeſſione, 2.
reſponderunt: * nam ea non poteſt acquiri niſi legitimo temporis ſpatio ſuum effectum ſortita fuerit. *cap.fin. cum ibi notatis, de conſuetudine, lib.*6. Rota *deciſ.6.eod.tit.in nouis,* Ægidius *dec.*1.*&* 63. cùm verò hîc non probarentur aliquæ optiones effectuatæ, non poterat dici adeſſe legitimam poſſeſſionem: licèt enim proponeretur optio ann. 1481. facta de Præbenda S. Gregorij per Paulum de Piperis, illa non docebatur effectuata, ex quo non conſtabat de ſubſecuta poſſeſſione. Mohedan.*deciſ.*296.incip. *Mediolanen. optio-* 3.
*nis*; præſertim cùm ad effectuationem poſſeſſio, ſeu poſſeſſionis effectus requiratur. Calderin. *conſ.*12.*de iure patronatus,* Puteus *deciſ.*136.incip. *Die* 15.*Iunij num.*3. *verſ. licèt eſſet in forma, lib.*3. Peregrin.*deciſ.*173.*lib.*2.

* ab hac reſolutione, & deciſione receſſum fuit infrà dec.92.

Mandatum eiuſdem Pauli ann. 1516. ad reſignandam Præbendam in fauorem Dominici, & mandatum Dominici ad acceptandum per Procuratorem, non probant effectuationem cùm nec reſignatio ipſa illam probet: cùm quis 4.
etiamſi



etiamſi non poſſideat, ius quod prætendit, cedere poſſit, vt coram D. Cantucio 26. Februarij ann. 1586. fuit dictum in illa Taruiſina plebis de Medulo.

5. Neque ex cauſa reſignationis poterat Dominicus optare, cùm optandi conſuetudo non procedat niſi per obitum. Verallus *deciſ.*282. incip. *Optari non poſſunt, part.*2.

Minus probat optionem vacatio dictæ Præbendæ per obitum Dominici de anno 1536. cùm hinc non inferatur, Dominicum eam habuiſſe per optionem, & ex perſona Pauli, ad tradita per Oldradum *conſ.*229. *num.* 2. præſertim cùm (vt dictum eſt) non conſtet de Pauli poſſeſſione, & Dominicus ex alia cauſa, quàm optionis,
6. eam habere potuerit. Optio item Præbendæ S. Georgij dimiſſa Præbenda S. Franchi facta ann. 1536. per Bernardum Gazigalupum, cum inſtrumento ſubſecutæ poſſeſſionis, cùm effectuata non probetur, non probat optandi conſuetudinem: nam præterquam quòd id inſtrumentum non probat poſſeſſionem, niſi factum fuerit in præſentia bonorum. *l. prædia*, vbi Bartolus & cæteri communiter, *de acquirenda poſſeſſione.* cùm eidem Bernardo fuerit lis mota poſtea, ſuper dicta Præbenda, & ipſe liti, & cauſæ ceſſerit, prætenſa illius poſſeſſio, tanquam non continuata, nec pacifica, imò potiùs
7. dimiſſa, non fecit aliquem ſtatum: ſicut nec facit poſſeſſio ex præſentatione, & inſtitutione, quæ non habuit plenum, & pacificum effectum, ſed fuit contradicta. Calderin. *conſ.*13. *de iure patronatus.* Mohedan.*deciſ.*269. incip. *Erecta fuit Capellania.*

Poſtremò de ſtatuto Capituli Eccleſiæ Bobien. ſuper optione Præbendarum, nullam hîc Domini rationem habuerunt, nam præterquam quòd illius conſideratio reſpicit petitorium, quod nihil habet commune * cum poſſeſſorio, de quo agitur, *l. naturaliter.* §. *nihil commune. ff.*
8. *de acq. poſſeſſ.* cùm fuerit factum à Capitulo abſque Epiſcopi, vel Sedis Apoſtolicæ auctoritate, nullum putatur: quia licèt Capitula Eccleſiarum ſuper his quæ tangunt negotia ſua ſingularia, putà quòd certis modis cotidianæ obuentiones diſtribuantur, vel quòd certo modo ad Capitulum vocentur, vel his ſimilia ſtatuta * condere poſſint, ſine Epiſcopi tamen, vel Papæ authoritate non poſſunt conſtituere aliquid circa illa, quæ tangunt generale ſtatutum Eccleſiæ, Epiſcopum, vel eius iura. gloſſ. communiter recepta *in cap. conſtitutionem.* §. *cæterùm in verb. ſtatutum. de verborum ſignificat.* & *ibi* Canoniſtæ. refert, & ſequitur Ancharan.*in repetit. cap.canonum ſtatuta num.*90. *verſic. in prima quæſt. & num.*99. *verſic. de ſexta quæſtione, an Capitula, de conſtit.*

* adde infrà dec.448 n.6.

* adde infrà deciſ.754. n. 15. & Seraph. dec.538.n.4. Rotam in vna Illerden. ſtatuti 19. Maij 1597. coram Corduba & in alia Paduana ſedilium 26. Ianuar.1618. coram Sacrato.

Et ex his tandem inferebatur, ad validitatem ſententiæ Epiſcopi Bobien.

---

*Calaguritana portionis de Naruaja.*

Die Lunæ 3. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

4 *Epiſcopus ſine cauſa in diminutionem cultus diuini non poteſt reſtringere numerum beneficiatorum.*
5 *Præſentatione, & admiſſione adquirit ius præſentato, quo priuari non poteſt ſine cauſa.*
6 *Conſanguinei teſtes non probant.*
7 *Diminutionem qui allegant ad ſuppreſſionem, tenentur eam probare.*
8 *Diminutio, aut conſumptio eſt quid facti.*

DECISIO XL.

ANno 1576. in Eccleſia S. Stephani oppidi de Naruaja Calaguritan. diœceſis, Ordinarij authoritate conſtitutus fuit determinatus numerus (qui eſt vltimus) trium integrorum, & duorum dimidiorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quos Portiones vocant, quem beneficiati tunc exiſtentes proprio iuramento vallarunt. 1.

Ad has portiones hoc ordine peruenitur: nam cùm integram vacare contingit, tunc ad illam dimidius portionarius antiquior, reliquis beneficiatis integris præſentantibus, & ordinario inſtituente aſcendit: quòd ſi dimidia portio vacet, tunc aliquis clericus terrigena, & patrimonialis magis idoneus præſentatur, ſimiliter & inſtituitur.

Cùm ann. 1586. menſe Decembris, per aſcen- 2.
ſionem Ioannis Garciæ ad integram portionem, dimidia portio vacaſſet, Dominicus Garzia, tanquam magis idoneus, ad illam ſe præſentari petiuit ſub die 14. Februarij 1587. Et quoniam Eccleſiæ ſeruitium fuerat diminutum, Ordinarius eadem die beneficiatis iniunxit, vt eundem Dominicum infra trium dierum ſpatium, veluti magis habilem, & idoneum præſentarent. Quod cùm die 8. Martij proximè ſequentis, beneficiatis eſſet intimatum, & duo ex illis neminem præſentare vellent, tertius, nempe Ioannes Garzia, Dominicum Garziam præſentauit, & Dominicus præſentationem acceptauit, cuius vigore die 6. Maij, immediatè ſequentis coram Ordinario comparuit, & Ordinarius præſentationem admiſit.

Die 11. Iulij, ſemeſtri videlicet iam elapſo ad præſentandum, cùm duo illi beneficiati nihil opponere, nec quemquam præſentare poſſent, dimidiam portionem, ad quam Dominicus fuerat præſentatus, reaſſumi, ſeu ſupprimi in ſuarum Præbendarum augmentum petiuerunt.

Et licèt Dominicus ſe filium patrimonialem 3.
eiuſdem Eccleſiæ docuiſſet, & cæteras ſuas habilitates requiſitas, & neceſſarias patefeciſſet, nihilominus Ordinarius præfatam dimidiam portionem ſupprimendo, ad fauorem beneficiatorum ſententiam tulit.

Ab ea Dominicus appellauit: & cauſa mihi commiſſa dubitaui, an ſententia Ordinarij eſſet confirmanda, vel potiùs reuocanda.

Bis fuit propoſita in Rota, primò ſub die 19. Iunij 1589. & quia aliquæ fuerunt excitatæ difficultates, & ordinatum quòd de illis videretur, fuit dilata; cùm itaque die 3. Iulij de ea iterum eſſet actum, Domini dixerunt, ſententiam Ordinarij eſſe reuocandam, quia cùm ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit, *l. ſunt perſonæ.*
*ff.de religioſ.& ſumptib. funer.* non potuit Epiſco- 4.
pus

pus ſine cauſa in * diminutionem cultus diuini reſtringere numerum beneficiatorum. *cap. ex parte.* vbi eſt textus in terminis, *de conſtit.* & *ibi* poſt gloſſ. *in verb. diminuti.* notant Antonius de Butrio, Ancharan. & cæteri communiter.

*addè Ludouiſ. dec.486. n. 6. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

5. Præterea, cùm Dominico Garziæ ad præfatam dimidiam portionem præſentato, & admiſſo, fuiſſet iam ius quæſitum, non potuit ſine cauſa, iure ſuo priuari per ſuppreſſionem dimidiæ portionis, ad commodum aliorum. *l. id quod noſtrum.ff.de reg.iur.*

6. Nec obſtat ſi dicatur, ex teſtium depoſitione conſtare, non eſſe ſufficientes redditus præfatarum portionum ad alendos beneficiatos, iuxta illorum qualitatem, & alia onera imminentia, nam præterquam quòd teſtes patiuntur conſiderabiles exceptiones, cùm ſint conſanguinei aduerſariorum, ideoque minus cenſeantur idonei. *cap. filij, in fine, de hæretic. lib.6. l. lege Iulia, & l.*
7. *teſtis.ff.de teſtibus.* adhuc tamen non concludunt cauſam vrgentem, aut rationabilem, ob quam oportuerit conſtitutum numerum diminuere: nam vt ſuppreſſioni, & numeri imminutioni locus eſſet, aduerſarij probare debebant, quòd poſt vltimum numerum conſtitutum ann.1576. fructus fuerint imminuti *d.cap.ex parte, de conſtit.* quod cùm probatum non fuerit, extare præſumuntur,* ad gloſſ. *in cap. fin. in verb. ſufficiebant. de præſumptionib.* Menoch. *de præſumptionibus lib.3. præſumpt.9.num.23. & ſeq.* præſertim cùm imminutio, aut conſumptio ſit quid facti, quod non præſumitur. *in l.bello.§.facti.ff.de captiu.& poſtlim. reuerſis.*

*vide ad hũc articulum ſimilem deciſ. apud Seraph. dec.1385. vbi n. 5. ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Vnde cùm proximè præcedentibus annis, Beneficiati cum redditibus beneficiorum fuerint ſuſtentati, nec diminuti probentur, dicendum fuit, quòd cum eiſdem nunc ſuſtentari poſſint.

Nec dicatur, id accidiſſe, quoniam Beneficiati Eccleſiæ de Naruaja habuerint alios redditus, vel patrimonium: nam ſextus, & ſeptimus teſtes Dominici Garziæ ſexto articulo conformiter dicunt, ſe ſcire, quòd quidam Ioannes ſolùm cum dimidio beneficio, quod habebat in Eccleſia de Naruaja, abſque alio patrimonio, vel beneficio, ſe honorificè ſuſtentauit: horum teſtificationem coadiuuat primus teſtis aduerſariorum, qui ſuper 2. art. refert, tot fanecas frumenti puri, & mixti; & ſuper 3. commemorat alia emolumenta anniuerſariorum, & pedis Altaris, vnde beneficiati ſatis commodè ſuſtentari poſſint.

Cæterùm quidquid ſit, vt ſententia Ordinarij meritò dominis reuocanda viſa fuerit, illa duo ſufficiebant, & quòd poſt vltimum numerum non fuit concludenter probatum, fructus fuiſſe diminutos, & quòd nihil fuerat innouandum in præiudicium Dominici præſentati.

Poſt latam ſententiam ad fauorem Dominici, quæ tranſitum fecit in rem iudicatam, pars aduerſa venit ad cauſam, & cùm appellaſſet dubitaui, de quibus Apoſtolis deberem reſpondere: & antiquiores Auditores, quos conſulueram reſponderunt, dandos teſtimoniales, prout dati fuerunt die 7. * Auguſti ann. 1589.

* infrà deciſ.48.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Mercurij 5. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Teſtibus, poſtquam depoſuerunt, antequam ſubſcribant, legenda ſunt ſua dicta.*

3. 4 *Depoſitio teſti legenda eſt, antequam ſubſcribat, & non receſſerit à loco depoſitionis.*

## DECISIO XLI.

1. AD inſtantiam * Domini Abbatis Ancaiani die 14.Iunij proximè præteriti, examinabatur Felix Moriconus, qui ſæpè fuit proteſtatus, quòd volebat ſibi legi ſuum examen, vt poſſet addere, mutare, corrigere, vel detrahere, ſicut ſibi pro veritate videretur. Dubitauit Notarius, reclamantibus præſertim interpretibus, an eſſet teſti examen lecturus, nec ne: & ideo cùm me conſuleret, ordinaui, vt in fine cuiuſlibet examinis, nedum non renuerit legere ſingulis teſtibus proprium examen, præſertim ipſis petentibus, ſed quòd etiam illos ad id inuitaret, ad prædictum effectum, addendi, corrigendi, vel
2. mutandi: quia poſtquam teſtes depoſuerunt, antequam ſe ſubſcribant, legenda illis eſt ſua teſtificatio, vt per lectionem, depoſitio compleatur, & omnis error, qui eſſe poſſet in ſubſcribente, tollatur, iuxta laudabilem, & in foro iudiciali omnino retinendam praxim, quam docuit Baldus *in l. vlt. C. plus valere quod agitur*, per textum *ibidem*, quem dicit eſſe multum notabilem refert, & ſequitur Felinus *in cap. per tuas, de teſtibus, circa fin. num.71. verſ. ſecundò adde.*

* habetur hæc deciſ. impreſſa per Farin. poſt tom.2. conſ. dec.41.

3. Et hoc procedit ſine difficultate, quando in eodem examinis actu, antequam teſtis recedat, & inſtrui poſſit, petit ſibi legi ſuam teſtificationem ad effectum addendi, mutandi, ſeu corrigendi, & ita procedit præfata doctrina Baldi. Et cùm ego in hoc caſu putarem, teſtem non dum receſſiſſe à loco examinis, propterea ita ordinaui.

4. Cæterùm cùm poſt quatuor dies ab examine completo, teſtis reuerteretur ad petendum, quòd ſibi ſuum legeretur examen, quod mihi Notarius ſubticuerat, quo toto tempore potuit inſtrui, & ſic videretur ſuſpecta petitio, & communitas Spoleti, præterea peteret, vel teſtem reiici, vel ſaltem ad partem reponi, & D. Abbas diceret, quòd delerentur additiones factæ per illum teſtem, & quòd examen remaneret ſicut antea: ideo me innuente, partes informarunt Rotam, & dederunt memorialia. Et Domini primum dixerunt, Baldi doctrinam eſſe in prædicto caſu ſeruandam: de præfato verò examine ordinauerunt, ne quid immutaretur, aut deleretur, ſed quòd in proceſſu cauſæ arbitrio Rotæ relinquendum erat iudicare, quid eſſet de eo ſentiendum, & quantum fidei vel tribuendum, vel detrahendum examini.

Et quod interim Notarius adnotaret diem factarum



ctarum additionum, vel mutationem per teſtem, poſtquam fuit examinatus.

Eodem die, idem D. Abbas Ancaianus ad effectum examinandi teſtes in partibus petiit Remiſſoriam, vel deſtinari Notarium ad partes, cum vno ſolo interprete per Rotam eligendo, nam ſi duo eſſent interpretes, facilè contingeret, propter mutuam contentionem perturbatio.

Sed Domini dixerunt, vt Remiſſoria de more decerneretur.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Mercurij 5. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

*Fatalia poſſunt prorogari, ne propter lapſum termini ius pereat.*

## DECISIO XLII.

HOminibus de Ferentillo elabebantur fatalia propter impedimentum præſtitum per Notarium Spoletan. qui noluit proceſſum in partibus factum conſignare: ideo ne propter fatalium lapſum, bonum illorum de Ferentillo ius periret, fatalia fuerunt prorogata.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Mercurij 5. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Veniens ad cauſam cum inſtrumento, debet admitti in ſtatu, in quo reperitur proceſſus.*

## DECISIO XLIII.

1. CApitulum S. Ioannis commiſſionem obtinuit, vt conſtito ſummariè de illius bono iure, ad hanc cauſam admitteretur: verùm quia vltimæ inſtabant audientiæ, & commiſſio, quæ fuerat incapſata propter occupationem Notarij cauſæ, vel ob alia impedimenta excapſari non potuit, & pars aduerſa nihilominus fuit die Lunæ proximè præcedenti legitimè citata, ad dicendum contra commiſſionem, ſed defectu talis commiſſionis terminus ſeruari non potuit, ideo ne tempus Capitulo laberetur, ſupplicabat, vt illum haberem pro ſeruato. Et Domini audita Capituli petitione, ordinarunt, vt terminum pro ſeruato haberem.

2. Die verò 8. eiuſdem menſis Iulij, Procuratores Capituli S. Ioannis Lateranen. coram me comparentes, produxerunt Bullam quandam Bonifacij Papæ octaui, ſub dato Anagonæ 3. Nonas Auguſti, Pontificatus ſui anno nono, quam cùm integrè perlegiſſem, deprehendi, quòd D. Bonifacius omnia bona, & iura monaſterij de Ferentillo diœceſ. Spoletan. donabat Capitulo Eccleſiæ S. Ioannis Lateran. qua viſa, iuxta formam commiſſionis mihi præſentatæ per præfatos Procuratores, dictum Capitulum Eccleſiæ Lateranen. admiſi ad cauſam pro ſuo intereſſe.



---

## *Romana, ſiue Lugdunen. redditionis rationum.*

### Die Mercurij 5. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

*Remiſſoria debet dari ſpecificatis articulis.*

## DECISIO XLIV.

IVxta deciſiones aliàs in hac cauſa* factas Procurator D. Oratij Oricellarij dedit articulos in Rotulo Remiſſoriæ includendos, ſed quia D. Ioannes Lolius aduerſarius fuit proteſtatus, nihil fieri, niſi ſpecificatis materiis medio iuramento, per D. Horatium principalem, qui tunc aberat ab Vrbe, & Florentiæ commorabatur: ideo Domini dixerunt, quòd decernerentur litteræ, vel inſtrumentum ad ciuitatem Florentiæ tranſmittendum pro tali ſpecificatione medio iuramento, à D. Horatio facienda, expenſis D. Ioannis præfatam ſpecificationem petentis, &c.

* ſuprà deciſ.13.& 24.

---

## *Monaſterien iuris paſcendi.*

### Die Mercurij 5. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

2 *Expenſarum ſolutione facta, datur reſtitutio contra ſententiam, per contradictas obtentam.*

3 *Sententia lata per contradictas, etiam contra verum contumacem, non debet exequi pendente cauſa reſtitutionis, niſi quoad fructus, & expenſas.*

4 *Pars admiſſa ad probandum, ſi probauerit, eo ipſo videtur in integrum reſtituenda.*

5 *Rota ſolet denegare declaratoriam, quando præſumitur, cenſuras eſſe contemnendas.*

## DECISIO XLV.

SVper iure paſcendi, Ioannes Vender, & litis conſortes obtinuerunt duas ſententias fauorabiles, vnam in partibus, alteram in Rota per contradictas ann.1574. & licèt Rodolphus Nagel, & litis conſortes eſſent in integrum reſtituti, nihilominus Rota cenſuit, ſententias eſſe iuſtas, & validas, & executioni mandandas, vnde Ioannes Vender ad executionem rei iudicatæ proceſſit vſque ad ſententiam declaratoriam excluſiuè: quare cùm litteræ executoriales decretæ fuiſſent, & relaxatæ, & parti intimatæ, & reproductæ, & ſeruati quatuor termini in negotio executiuo ſeruari ſoliti, inſtabat idem Vender pro ſententia declaratoria, vt aduerſarij parerent rei iudicatæ. 1.

Cæterùm,quia Rodolphus obtinuerat Remiſ-
ſoriam ad partes, vt meliùs ſuam intentionem
probaret,quæ fuit executa,& reproducta, & in-
ſtabat,vt de iure ſuo cognoſceretur,non obſtan-
tibus præmiſſis,Domini dixerunt, vt videretur,
quid Remiſſoria contineret, & interim non da-
retur declaratoria : tum quia contra ſententiam
2. per contradictas datur reſtitutio,facta ſolutione
expenſarum. Staphilæus *de ſignatura litterarum
iuſtitiæ,tit. Clauſula,& per breue Sanctitatis veſtræ,*
3. *num.* 10. *verſ.ſed hæc habet locum.* Quinimo ſen-
tentia lata per contradictas,etiam contra verum
contumacem, non debet executioni mandari,
pendente cauſa reſtitutionis,niſi quoad fructus,
& expenſas. Chiſanen. *deciſ.*16. incip. *Sententia,*
4. *quæ tranſiuit* : tum etiam, quia cùm Rodolphus
Nagel, in cauſa reſtitutionis in integrum eſſet
admiſſus ad probandum,& ſuas probationes fe-
cerit, eo ipſo videbatur in integrum reſtitutus.
Papazo *in addit. ad deciſ.* 7. *tit. de reſtit. in integr.
num.* 4. *in nouis.* tum poſtremò in iſto caſu Do-
mini potiſſimum fuerunt moti ad denegandam
declaratoriam, quia quando præſumitur, quòd
5. cenſuræ ſunt contemnendæ (vt ſolet contingere
in quibuſdam terris Sedi Apoſtolicæ non ad-
modum bene affectis ) tunc non conſueuit
Rota declaratorias concedere, ne Sedis Apo-
ſtolicæ vileſcat auctoritas, & illis, contra quos
proceditur, deteriores, & obſtinatiores red-
dantur.

Ex iſtis itaque fuit denegata declaratoria, &
fatalia prorogata D.Rodolpho Nagel,ne ex eo-
rum lapſu ius eius periret.

---

## *Romana affictus, ſiue locationis extra Rotam.*

### Die Mercurij 5.Iulij 1589.

De hac cauſa ſuprà *dec.* 18.vbi ſummatur ma-
teria huius.

### DECISIO XLVI.

1. * ſuprà deciſ.18. DIe 26. Aprilis proximè præteriti fuit con-
cluſum,D.Henricum Vrſinum, ſtare debe-
re locationi Turris Mancinæ,factæ Petro Paulo
Piateto per D. Alexandrum Vrſinum. Verùm
quia poſt præfatam deciſionem,Henricus inue-
nit quoddam inſtrumentum, ſub die 21. Iunij
1584. vnde apparebat, quòd Petrus Paulus Pia-
tetus, eandem tenutam pro duobus annis ſub-
locauerat quibuſdam aliis, pro annua penſione
ſcutorum 900.reſeruatis ſibi quibuſdam emolu-
mentis, vnde ampliùs commodum aliquod per-
cipere poterat, ideo voluit Henricus audiri ite-
rum, & proponebat ſequentia, ex quibus præ-
tendebat præfatam deciſionem, contra ſe fa-
ctam, eſſe moderandam.
2. Primò,quia ſi Piatetus ſublocauit tenutam pro
annua penſione 900.ſcutorum, non poteſt dici,
vel quòd coactè auxerit pretium D.Henrico,vel
quòd præfatam tenutam per nouennium neceſ-
ſariò deberet habere, cùm Piatetus pro duobus
tantùm annis ſublocaſſet.
3. Secundò,quoniam non poterat dici,Piatetus
aliquod damnum paſſus augendo penſionem D.
Henrico in 300.ſcutis, ſingulis annis, cùm con-
ſtet,quòd ſaltem pro illis duobus annis, quibus
Piatetus pro 900. ſcutis ſublocauit, nedum fuit
in damno,quinimo lucrum conſiderabile ex re-
ſeruatione reportauit, vnde ampliùs ſequitur,
idem eſſe iudicandum de annis proximè præce-
dentibus, cùm ex tam breui tempore præſuma-
tur, quòd tenutam idem valeret, ad tradita per
Iaſon.*conſil.* 54. *num.*21. *lib.* 1. nihil ergo Piate-
to erat refundendum, cùm nullam haberet
iuſtam cauſam conquerendi de D. Henrico,
qui ſibi pretium affictus auxerat, cùm ex
prædictis appareat, quòd illud erat iuſtum
pretium.

Iſtis tamen non obſtantibus, Domini ſtete- 4.
runt in deciſis per rationes de quibus in deci-
ſione, quæ ſunt communiter receptæ, nec ſub-
uertuntur per fundamenta proximè adducta:
nam præterquam quòd ex communi curſu re-
rum apparet, quòd locationes potius indies
creſcunt, quàm decreſcunt, ex quo ceſſat etiam
illa conſideratio, quòd D. Alexander allocando
tenutam pro 600. ſcutis annuis, minus quàm
volebat allocauit, quia tempore locationis, ille
putatur verus valor, & ita non poteſt dici pro
minori pretio locaſſe, illud quoque veriſſimum
eſt, quoniam conductores tenutarum, & alia-
rum rerum ſimilium, ideo conducunt, vt ali-
quid iuſto labore lucrentur, & quidquid lucrati
fuerint,ſuum eſt: & ſatis dicerentur eſſe in dam-
no, ſi nihil lucrarentur, ſed tantumdem impen-
dere tenerentur, quantum colligerent : nam
ſicut cùm damnum patiuntur, (quod ſæpiſſimè
contingit ) id non reficitur conductoribus à do-
minis rerum locatarum, quinimo conducto-
res nulla habita conſideratione damni acce-
pti, integram penſionem in contractu pro-
miſſam dominis locantibus ſoluere compel-
luntur, ita cùm aliquid lucratur, nulla lex po-
ſtulat iuſtitiæ, vt ratione lucri non debeant
ipſis pacta locationum, tam per locantes,
quàm per ſucceſſores eorum inuiolabiliter ob-
ſeruari.

Accedit, quia ſi tenuta per Piatetum in iſtis 5.
vltimis annis fuit pluris allocata,id potuit etiam
prouenire ex ſua induſtria, & labore, qui ſic
tenutam coluerit, & præparauerit, vt pluris lo-
cari potuerit, ex quo non debet Piatetus dam-
num reportare.

---

## *Placentin. euictionis.*

### Die Mercurij 19. Iulij 1589.

SVMMARIVM.

*Verba ſententiæ clara non indigent interpre-
tatione.*

### DECISIO XLVII.

IN ſententia, quam tulerat D. Plattus contra
D.Pretioſam, ad fauorem dominorum de Pu-
teobonellis,condemnata fuit D.Pretioſa; primò
ad valorem medietatis tenutæ euictæ; ſecundò
ad reſtitutionem medietatis fructuum,quos Pu-





teobonelli percipere potuiſſent ex tenuta, ab
anno 1580. vſque ad annum 1585. ad rationem
ſcutorum 700. quolibet anno; tertiò ad reſtitu-
tionem medietatis 12. librarum, ad quas reſti-
tuendas D. Cardinali Albani Puteobonelli fue-
rant condemnati.

In ſecunda ſententia, quam pronuntiauit do-
minus Pamphilius,medietas laboris dictæ tenu-
tæ liquidata fuerat ad libras circiter 69.ad ratio-
nem 70.librarum pro qualibet pertica, & dein-
de, confirmatur ſententia Domini Platti: ego
verò in tertia inſtantia, eaſdem duas ſententias
ſimpliciter confirmaui.

Dubitabatur in partibus, an in liquidatione
facta per D.Pamphilium ſuper valore medieta-
tis tenutæ, comprehenſa fuerit illa medietas 12.
librarum: & Domini dixerunt,non eo compre-
hendi, nam verba ſententiæ ſunt clara, apparet
enim, quòd in præfata declaratione Dominus
Pamphilius non liquidauit,niſi medietatem per-
ticarum tenutæ, ad rationem 70. librarum, &
nihil penitus dicit de illis 12. libris, quæ iam
erant liquidatæ in ſententia Domini Platti,
& petebantur, non tanquam valor tenutæ,
ſed tanquam damnum, quod Domini de Pu-
teobonellis paſſi fuerant: quare Domini or-
dinarunt, quòd facerem prædictam declara-
tionem.

---

## *Calaguritana portionis de Narbaja.*

### Die 20. Auguſti 1589.

SVMMARIVM.

1 *Executoriales, vel teſtimoniales Apoſtoli non de-
bent dari contra ſententiam, quæ tranſiuit in
rem iudicatam.*

2 *Executionem ſententiæ quæ tranſiuit in rem iudi-
catam, non impedit inhibitio.*

### DECISIO XLVIII.

1. * ſuprà deciſ.40. IN cauſa Calaguritan. portionis de Narbaja
tuli * ſententiam per contradictas, ſed fauo-
rem Dominici Garziæ, quæ tranſiuit in rem iu-
dicatam, paulo pòſt pars aduerſa appellauit, &
dedi Apoſtolos teſtimoniales. Et quia Domini-
cus petebat executoriales, & pars aduerſa vigo-
re appellationis interpoſitæ nitebatur illos im-
pedire,conſului Vicedecanum Rotæ;qui reſpon-
dit, præfatos Apoſtolos teſtimoniales non ha-
bere vim impediendi litteras executoriales,
quæ petebantur pro ſententia, quæ fecerat
tranſitum in iudicatum, quare die 20. Augu-
ſti decreui, præfatas executoriales eſſe decer-
nendas.

Sed quia contra præfatum Dominicum fue-
rat obtenta commiſſio reſtitutionis in inte-
grum, & eius vigore Dominus Neapolio Co-
mitolus eodem die 20. Auguſti mihi inhibuerat,
dubitaui an poſſem procedere ad executionem
prædicti decreti, & ſimiliter D.Seraphinus Oli-
2. uarius Rotæ Vicedecanus reſpondit decretum
exequendum,tum vt actus valeret,tum etiam ad
euitandum delictum, ne decretum poſt inhibi-
tionem,factum eſſe crederetur,quod re vera non
fuit, nam antequam mihi eſſet intimata inhibi-
tio, ego decreueram.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Veneris 13.Octobris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Termino præfixo ad dandum interrogatoria, eo
elapſo ſi non dentur, proceditur ad vlte-
riora.*

### DECISIO XLIX.

IN cauſa Spoletan. bonorum, quæ agebatur 1. * de qua ſuprà dec.43.
inter communitatem Spoleti, & D. Ancaia-
num Abbatem de Ferentillo,per ſpecialem com-
miſſionem fuit admiſſum Capitulum S.Ioannis
Lateranen. & cùm decreta eſſet Remiſſoria pro
teſtibus examinandis coram gubernatore,& Vi-
cario Epiſcopi Narnien. quibus commiſeram
examen teſtium, Capitulum S. Ioannis petebat
admitti ſua interrogatoria, ſuper quibus teſtes
interrogarentur, & licèt præfatus Abbas non
curaſſet citare Capitulum,quod vigore ſuæ com-
miſſionis venerat ad cauſam, pro parte Capituli
fuit petitum, vel quòd Capituli interrogatoria
admitterentur, vel ſaltem diſputaretur dubium,
an ſtante admiſſione prædicta, eſſet admitten-
dum, & citandum, & interim in examine,
& vlteriori executione Remiſſoriæ ſuperſe-
deretur.

Et Domini dixerunt, dubium eſſe friuolum,
nec indigere peculiari diſcuſſione, & propterea
ordinarunt, quòd teſtes examinarentur cum in-
terrogatoriis datis, vel dandis pro parte dicti
Capituli, præfixo termino octo dierum, ad illa 2.
dandum, quo elapſo, in examine ad vlteriora
procederetur, iuxta notata per Doctores *in cap.
præſentium. §. teſtes etiam, de teſtibus lib.6.* & fuit
late deductum in illa*Camerinen.bonorum co- * quæ extat ſuprà dec.15. & vide infrà in tom.2.deciſ.1265.n.6.
ram me, die 20.Martij 1589.

---

## *Salamantina Parochialis.*

### Die Lunæ 16. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Priuatur parochiali, qui infra annum non promo-
uetur, & num.4.*

3 *Confeſſio ſpoliati impedit reſtitutionem.*

5 *Spolij in iudicio non debent admitti iura, ad pro-
bandum obiectum.*

6 *Spoliatores in iure non fouentur.*

7 *Agenti ſpolio, quandoque denegatur reſtitutio.*

8 *Spolij cauſa ſine diſcuſſione poſſeſſorij eſt expe-
dienda.*

9 *Promouendus infra annum.ſi non fuerit promotus,
non ex eo eſt ſpoliandus.*

10 *Teſtis non citatus, non probat.*

11 *Teſtis examinatus ſine interrogatorijs partis,quæ
edere debebat pars, non probat.*

12 *Relatio Notarij non facit probationem, niſi ſit
ex originali authentico.*

13 *Scriptura compulſata vt faciat fidem, neceſſe eſt recognoſci coram iudice compulſoriali.*

14 *Quod etiam eſt verum, etiamſi Notarius aſſerat, ſe vidiſſe originale ſine macula.*

15 *Fides vt adhibeatur diligentijs à partibus factis, debet fieri mandato iudicis.*

## DECISIO L.

1. AGebat D. Gaſpar Manrique iudicio reintegratorio, ad Eccleſiam parochialem de Monleon, & probato vtroque extremo cum titulo colorato, obtinuit coram Domino Orano nonnullas deciſiones ad ſuum fauorem, ſed cùm ex aduerſo ad impediendam reſtitutionem opponeretur de non promotione ad preſbyteratum
2. infra annum, quaſi propterea eſſet ipſo iure pa-
3. rochiali priuatus. *c.licet canon.de elect. lib.6.* licèt talis exceptio non poſſet impedire reſtitutionem, quam ſolùm retardant euidentes probationes, reſultantes ex propria ſpoliati confeſſione, aut cùm notoriè conſtat ex actis de non iure agentis, vel cùm ſpoliatus paſſus eſt diſcuti petitorium, & probationes inde factæ ſunt concludentes, vt latè digeſſit Tholomeus *dec.*110. Put. *dec.99.*incip.*Dom. Thomas lib.*1. Ex abundanti D. Gaſpar ſuper legitimis impedimentis infirmitatis, quibus intra annum non potuit ordinari, nonnullos teſtes in Curia iudicialiter examinauit; vnde tandem primam ſententiam reſtitutoriam fauorabilem reportauit.

Et quoniam dum in ſecunda inſtantia cauſa coram me penderet, Ioannes Miron aduerſarius in partibus abſque interrogatoriis, & partis citatione informiter aliquot teſtes examinari curauerat, ſuper bona valetudine D. Gaſparis de illo tempore, quo ſe morbo impeditum aſſeuerat, & inſuper non ſeruatis ſolemnitatibus extraxe-
4. rat quandam fidem continentem, D. Gaſparem fuiſſe promotum die 14. Aprilis ann. 1582. & ſic elapſo iam anno à Canonibus requiſito, *d. cap. licet canon. de elect. lib. 6.* quare Procurator dicti Ioannis inſtabat apud me, pro admiſſione dictorum iurium, dedi dubium, an in iſta cauſa reſtitutionis iura forent admittenda, vel releuarent.

5. Et Domini concorditer tenuerunt in iſto iudicio ſpolij iura non fore admittenda * ad probandum obiectum, & impediendam reſtitutionem. † Puteus *deciſ.99.num.13.verſ.& ſi dicatur. & num.14.lib.1.* Verallus *deciſ.325.num.5. & ſeq. part.* 1. Mohedanus *deciſ.* 158. & fuit dictum in terminis, in vna ciuitatis Caſtellanæ die 10. Decembris ann. 1556. coram D. Quiroga, quia ſi in
6. iſta cauſa admitterentur iura, & articuli, facilè pararetur via ſpoliis, & ſpoliatores in ſpolio fouerentur, quod iura deteſtantur. *cap.in litteris.de reſtit.ſpoliat.*

* adde Ludouiſ. deciſ. 163. n. 1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ & vide infrà dec. 780. n. 7.

† niſi conſtet de notorio non iure agentis, quia tunc admittitur in beneficialibus, vt per Manticam deciſ. 356. n. 8. & dicitur in n. ſequenti.

Nec refert, quòd aliquando agenti ſpolio denegatur reſtitutio. Rota *deciſ.13. de reſtit.ſpoliat. in antiq & deciſ.16. eod. tit. in nouis*; quia id procedit, quando ex actis conſtat euidenter de non iure ſpoliati. Verallus *d.deciſ.325. num.2. & ſeq. part.*1. quod non erat in iſto iudicio, in quo cùm Gaſpar vtrumque extremum probaſſet, etiamſi
7. ſolùm allegaſſet mandatum de diſpenſando, nec probaſſet diſpenſationem, vel aliam cauſam ſpecialem, erat reſtituendus, Mohedan. *deciſ.* 140. incip. *In eadem cauſa*; præſertim cùm defectus diſpenſationis, vel alterius legitimi impedimenti, petitorium reſpiciat, quod in hac cauſa fuerat ſuſpenſum. *Clem.1. in fine, de cauſa poſſeſſ.& propriet.* Vnde ſine vlla illius diſcuſſione, cauſa poſ- 8.
ſeſſorij eſt expedienda, iuxta notata *in cap.1. de reſtit.ſpoliat.* Nauarrus *in cap.excepta, in ſolutione* 11. *oppoſitionis, num.11. eod.tit.*

Neque illa quæ ex aduerſo opponebantur, viſa fuerunt Dominis releuantia: nam primum confeſſio D. Gaſparis, reſultans ex productione inſtrumenti ſubdiaconatus, non erat clara, nec inferebat neceſſariò, quod tamen oportebat, illum non potuiſſe infra annum promoueri, ad reliquos duos Ordines ſacros, cùm poſſet docere in petitorio de diſpenſatione, vel alio legitimo impedimento, ex quo plenè elidi poſſet obiectio.

Et ſicut non poſſet ſpoliari ob non promotionem infra annum, cùm vel diſpenſatione, vel
legitimo impedimento ſe tueri poſſet. Rebuff. 9.
*tit.de non promotis infra annum, num.1. & 49. verſ. ideo priuſquam*; ſic ſi fuerit ſpoliatus, debet reſtitui.

Minus poterat fieri fundamentum in teſtibus, cùm nulliter fuerint examinati, videlicet Don Gaſpare non * citato. *cap.2.de teſtibus*, vnde nec probationem aliquam, nec iudicium faciunt. Bart. *in l. maritus. ff. de quæſtionib.* notat Aretin. poſt alios *in d. cap. 2. de teſtibus num. 1.*
*notab.*1. & ſine interrogatoriis partis, quæ edere 10.
oportebat. *cap.præſentium.§.teſtes, etiam de teſtibus lib. 6.*

* adde infrà dec. 295. n. 3. & deciſ. 411. num. 2.

Præterea per teſtes inualidè examinatos non 11.
impediri reſtitutionem, imò quòd nec ſufficeret quamuis forent iudicialiter examinati, & ad partem poſiti, fuit aliàs deciſum coram Peregrino *deciſ.99.*

Poſtremò non fuit habita ratio fidei pro- 12.
motionis Don Gaſparis, de nouo productæ, quia nec erat in forma probante, nec recognita, cùm Notarius ſolùm aſſereret, ſe vidiſſe in libris ſubſcriptis per Ludouicum Fernandez de Cueuca promotionem D. Gaſparis annotatam ſub die 14. Aprilis 1582. Innocent. *in cap.1. de fide inſtrumentor.* Oldradus *conſ.* 217. incip. *De toto themate n. 6. verſ. ſed ad hoc reſpondetur*, Verallus *deciſ.99.* incip. *Inſtrumenta, part.*2. quod tum maximè procedit, quando pars opponit, vt in caſu propoſito Doctores *in Authent. ſi quis in aliquo. C.de edendo.* Verallus *d.deciſ.99.num.3. verſ.quod tamen intelligendum eſt.*

His accedebat notabilis defectus compulſationis, quoniam oportebat * compulſare ipſum inſtrumentum promotionis, & recognoſcere coram iudice compulſoriali. Panormitan. *in cap. fin. num. 2. verſic. nota officium iudicis, de fide in-*
*ſtrument.* Veſtrius *lib.6. cap.1. num.* 14. quod ta- 13.
men non fuit obſeruatum. Vnde licèt multi Notarij atteſtarentur, ſe vidiſſe originale ſine macula, & fidem, quam faciunt, cum illo con-
cordare, adhuc non probaret, nec faceret in 14.
iudicio fidem, præſertim opponente parte. Bart. *in d. Authent. ſi quis in aliquo, num. 7. verſic. iuxta prædicta quæro. & num. 9. verſic. & ſi tu dicis mihi. C. de edendo*, quem præter cæteros ſequitur *ibidem* Iaſon *num. 5. in tertia additione.* incip. *Succeſſiuè circa. verſic. ſubiungit tamen.*

* adde infrà dec. 646. n. 3.

Poſtremò fides diligentiæ adhibitæ in reperienda



rienda diſpenſatione ſuper promotione Don Gaſparis, multis defectibus laborabat, & ideo digna viſa eſt, cui nulla fides adhiberetur. Primò
15. non fuit facta per officiales, ſeu perſonas habiles, ad id per iudicem citata parte deputatas, (ſicut fieri debebat.) Verallus *deciſ.265.* incip. *Diligentia, part.*1. Rurſus idem Secretarius, qui diligentiam adhibuit, fatetur, ſe regeſtum ex propoſito non inſpexiſſe. Præterea idem aſſerit, regeſta non extare integra, & malè exiſtere ordinata.

Cæterùm quamquam integra exiſterent, nec in eis reperta eſſet diſpenſatio, adhuc non officeret D. Gaſpari, cùm iſta probatio non ſit concludens, ad excludendam diſpenſationem, cùm diſpenſatio non foret neceſſariò in prædictis libris regiſtranda.

Denique quidquid ſit, iſta inſpectio petitorium reſpicit, non autem beneficium reſtitutionis.

---

## *Romana fideicommiſſi vineæ de Alexijs.*

### Die Veneris 20. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

3 *Prohibitio alienationis ſi fiat ſub pœna, hæc debetur, & illa valet, & n.4. & 20.*

5 *Teſtator poteſt prohibere alienationem bonorum hæreditatis.*

*Quod intellige, vt n.6. & 7. & deciſ.85.n.3.*

8 *Pœna non cenſetur repetita in diſpoſitione, niſi expreſsè exprimatur.*

9 *Pœna non debet imponi, niſi exprimatur, quòd ſit imponenda, nec debet extendi per identitatem rationis.*

10.11 *Teſtatorem minus voluiſſe grauare hæredem ſuum, ſemper eſt præſumendum.*

13.14 *Qualitates appoſitæ in vno capite teſtamenti, cenſentur in alijs repetitæ, quod intellige vt n.16. & 17.*

15 *Clauſulæ appoſitæ in medio, vel in fine teſtamenti, ad omnes referuntur, quod intellige vt n.16. & 17.*

18 *Relatio in teſtamento à teſtatore facta quomodo ſit intelligenda, & n.ſeq.*

19 *Repetitio non intelligitur à teſtatore facta in teſtamento, quotiens in præcedentibus eſt aliqua ratio ſpecialis, quæ deficit in ſequentibus.*

21 *Debitoris inopia reddit actionem inutilem.*

22.23 *Perſonalis actio non rem, ſed perſonam tantùm ſequitur.*

## DECISIO LI.

1. * ALoyſius Sermegliorius anno 1570. condito teſtamento, ſuos vniuerſales hæredes inſtituit Horatium, Petrum, & Alexandrum nepotes ſuos, quos Serra de Alexiis ex Laura, Aloyſij filia procreauerat. Eoſdem idem Aloyſius deſcendentes ſine filiis inuicem ſubſtituit, & omnibus decedentibus ſine filiis ſubſtituit Portiam, Prudentiam, & Vincentiam, neptes etiam ſuas, prædictorum hæredum ſorores.

* habetur hæc deciſ. impreſſa per Pacific. poſt tract. de Saluian. interdict. deciſ. 178.

Inſuper vt perpetuò in familia Serræ ſui generi bona conſeruarentur, idem Aloyſius iuſſit, ne præfati hæredes bona ipſis per eum relicta, aliquo modo vendere, obligare, ſeu alienare, quouis alienationis titulo, etiam latiſſimè ſumpto vocabulo, quouis quæſito colore valerent.

Quòd ſi contingeret, per aliquem ex dictis 2.
hæredibus aliquid ex bonis eis relictis alienari, ſeu obligari, tunc voluit teſtator, alienationem eſſe nullam, nullumque ex ea dominium, vel ius transferri: ſed totam portionem alienantis ad alium, vel alios non alienantes pertinere.

Et ſi omnes hæredes inſtituti de communi conſenſu alienarent, vel obligarent, tunc omnia bona alienata, & obligata, ſecuta alienatione, vel effectuali obligatione, ipſo facto pro rata tranſirent ad prædictam Portiam, Prudentiam, & Vincentiam, earumque filios, & filias, &c.

Idem Aloyſius declarando adiecit, prædicta etiam ſeruari debere per dictos hæredes, & ſucceſſores, etiam quoad bona quondam D. Serræ, eorum patris, ſub pœna priuationis hæreditatis ipſius teſtatoris, deferendæ in euentum contradictionis modo prædicto.

Denique idem teſtator ſub pœna priuationis ſucceſſionis in hæreditate ſua prohibuit, ne quis ex ſuis hæredibus, tam de dicta ſua hæreditate, quàm de bonis ipſius Serræ, ocaſione falcidiæ, vel Trebellianicæ, vel alterius cauſæ aliquid detraheret.

Teſtatore vitâ functo, Horatius natu maior, vnus ex præfatis hæredibus multo ære alieno grauatus, tum omnia bona, tum in ſpecie vineam, de qua agitur, quæ fuerat Serræ patris, non Aloyſij teſtatoris, obligauit, quæ vt creditoribus ſatisfieret, iudicis auctoritate vendita, à Ioanne Cauart empta eſt.

Sorores præfatæ, putantes vigore conditionum in teſtamento Aloyſij aui appoſitarum in caſu alienationis, vineam ad ſe pertinere, iudicium coram A.C. intentarunt, à quo & ſententiam fauorabilem, & mandatum de immittendo in poſſeſſionem vineæ, inde expulſo Ioanne Cauart emptore, (ſicut factum fuit) obtinuerunt. Cauſa per appellationem introducta in Rota, præmiſſis quibuſdam præſuppoſitis ex prænarrato themate collectis, dubitaui,

An Portia, & ſorores potuerint agere ad vi- 3.
neam, vel potiùs debuerint agere ad pœnam.

Et Domini pro maiori parte, eas non potuiſſe agere ad vineam reſponderunt: nam quando fit prohibitio alienationis ſub pœna, ſi fiat alienatio valet, licèt * pœna debeatur. Baldus *in l.1. num.48.quæſt.11.& num.56.quæſt.16.verſ.ſed ſi teſtator. C. de his quæ pœn.nom.* Aretin. *in l. qui Romæ. §. cohæredes, circa finem. ff. de V.O.* Rip. *in l. filiusfamilias, §. Diui. num. 22. verſ. ſed iſtud nihil eſt.*

* adde Ludouiſ. deciſ. 225. n. 11. vbi additio lit. E, ad propoſitũ allegat hanc deciſ.

Quod maximè procedit, quando pœna in 4.
prohibitione alienationis appoſita, non afficit rem ipſam, alienari prohibitam, ſed extra eam in re aliena conſtituitur, ſicut in caſu propoſito, vbi adeſt prohibitio alienationis bonorum Serræ ſub pœna priuationis hæreditatis Aloyſij. Raphaël Cumanus, quem ſequitur Iaſon *in dict.§. Diui, in 2. lectura, num.67. verſ. ſeptimò limita*, Hippolyt. Riminald. *conſ.371.* incip. *Viſis*

ſis dubijs, num. 17. & multis ſequent. lib. 4. per text. in § fin. Inſt. de leg. & in dict. l. 1. C. de his quæ pœnæ nomine.

5. Præterea licèt teſtator poſſet prohibere alienationem bonorum ipſius hæredis, ad quod facit text. *in l. vnum ex familia. §. ſi rem. ff. de leg. 2.* & videtur caſus *in l. ſi quis ita legatus. §. quod conſtitutum ff. de manumiſſ. teſtament.* ſi tamen contra
6. talem prohibitionem bona hæredum alienentur, non impeditur * dominij tranſlatio, licèt prohibitus alienare, ad pœnam, vel æſtimationem teneatur. Bart. *in dict. §. Diui num.* 8. quem ſequuntur *ibidem* Rip. *num.* 54. *verſ. ſecunda concluſio.* vbi hanc ſententiam dicit eſſe communem. Iaſon *in prima lectura, num.* 44. *&* 45. gloſſ. *in verb. nam ſi hæredis, & in ſecunda lectura num.* 88. Baldus *conſ.* 89. incip. *Dominus Thomas, num.* 7. *&* 8. *lib.* 1. Iulius Clarus *in §. teſtamentum, q.* 71. *verſ. item quæro.*

* adde infrà dec. 85. in hac eadem cauſa latè Fuſar. de fideicomm. in terminis huius quæſtionis, quæſt. 685. à n. 22. & ſeq. & q. 687. n. 2.

7. Quod nullam videtur habere difficultatem in rebus, quæ fecerunt hæredem ante conditum teſtamentum, in quo prohibiti ſunt res ſuas alienare. Decianus *conſ.* 50. incip. *Et quidem prima fronte, num.* 25. *verſ. verùm quia atteſtatur, lib.* 1.

Prædictis accedit ſequens inſpectio, quæ ſatis Dominis hanc partem tenentibus placuit, nam in declaratione, quam fecit Aloyſius in ſuo temento, quòd ea, quæ diſpoſuerat circa hæreditatem ſuam, deberent etiam per ſuos hæredes ſeruari, quoad bona Serræ, non poterat cenſeri repetita pœna deuolutionis, in euentum alienationis bonorum Serræ, quam adiecerat aliena-
8. tioni ſuorum bonorum, tum quia pœna non cenſetur repetita, niſi disertè exprimatur. Bart. *in l. multa. C. de condit. & demonſtr. & in l. in teſtamento, la primera.* vbi Paul. de Caſtro *eod. tit.* Baldus *in d. l. 1. notabil. 2. n. 4. & 5. & n. 46. q. 9. C. de his quæ pœn. nom.* qui licèt loquantur, quando receditur à perſona, vel à forma; ex eorum tamen dictis colligitur, idem fore ſentiendum, quomodocumque mutetur diſpoſitio.

9. Et generaliter hoc verum eſt, quòd pœna non debet imponi, niſi exprimatur, quòd ſit imponenda. gloſſ. communiter recepta *in c. fin in verb. ex vi iuris patronatus, in fin. de iure patronat.* vbi notant Panormitan. *n.* 7. *&* 8. & cæteri communiter Canoniſtæ, illud præterea addentes, quòd non debeat extendi per identitatem rationis.

Tum etiam, quoniam in hac declaratione idem Aloyſius in euentum alienationis bonorum Serræ, adiecit peculiarem pœnam amiſſionis bonorum propriorum; nec eſt veriſimile, quòd voluerit duplicem pœnam infligere, vnam amiſſionis bonorum propriorum, alteram amiſ-
10. ſionis bonorum Serræ: quoniam inde ſequeretur, teſtatorem magis grauaſſe ſuos hæredes, quàm eos honoraſſe, cùm ſolùm honoraſſet eis relinquendo propria bona, in euentum autem alienationis, nedum priuaſſet relictis, ſed illis quoque, quæ à Serra patre acceperant, quod in dubio non præſumitur. §. *poteſt autem. Inſtitut. de ſingul. reb. per fideicommiſſum relict. l. planè. §. vlt & l. videndum. ff. de legat. 2. l. 1. §. ſciendum. & l. 1. §. Iulianus, & l. ſi legatarius. ff. de legat. 3. l. ex facto. §. 1 verſ. nam hactenus erunt obligati ff. ad S.C. Trebel.* notat Aretin. *in d. § poteſt autem.*

11. Imò ſemper in dubio præſumptio fieri ſolet quòd teſtator cenſeatur voluiſſe minus hæredem ſuum grauare, quàm ſit poſſibile. *l. vnum ex familia, de leg.* 1. Pariſius *conſ.* 79. incip. *Videtur prima facie, num.* 25. *verſ. conſequenter capitur illa coniectura lib.* 2. Hippol. Riminald. *conſ.* 393. incip. *Proponitur quòd Nobilis, n.* 30. *& conſ.* 435. incip. *Dominus Bartholomæus, n.* 47. *lib.* 4.

Neque ad rem pertinet, quod obiicitur ex
Baldo *in dict. l. 1. num.* 31. *&* 32. *quæſt.* 2. *C. de his* 12.
*quæ pœn. nom.* vbi reſpondit, legatarium, cui hæres iuſſus ſit dare fundum intra certum diem ſub pœna decem, lapſo die, poſſe petere fundum, & remittere pœnam, niſi pœnam iam acceptauerit.

Nam iſta facti ſpecies nihil habet commune cum hac, de qua tractatur: cùm in hac nihil ſit legatum ſororibus ſub pœna, ſed ſolùm vocatæ ſunt ad bona Aloyſij, quando hæredes alienaſſent bona Serræ, non ſunt autem vocatæ expreſsè ad bona dicti Serræ.

Rurſus Baldus intelligit, legatarium poſſe petere fundum, ſi hæres malit illum præſtare, quàm pœnam, quod indicant illa Baldi verba: *legatarius poteſt remittere pœnam*; quæ ſignificant, tractari non tam de cõmodo legarij, quàm etiam hæredis: quare inde non poteſt inferri, quòd inuito hærede, dictus fundus poſt diem peti poſſit, quando nec intra diem potuiſſet, ſi hæres maluiſſet præſtare pœnam, ſicut docuit idem Baldus apertiùs, mentem ſuam declarando, *in d. l. 1. C. de his quæ pœn. nomin. n.* 48. *&* 56.

Item non obſtat, quòd opponebatur de pœna 13.
priuationis, appoſita per Aloyſium hæredibus alienantibus bona Serræ, quòd ſcilicet non cenſeatur adiecta priuatiuè ad ſolum fideicommiſſum factum in caſu alienationis, ſed cumulatiuè, quaſi teſtator voluerit vtrumque deberi, ſicut videntur indicare illa verba declaratoria voluntatis Aloyſij: prædicta etiam ſeruari debere, &c. quæ referri debent ad prohibitionem alienationis vtrorumque bonorum cum ſuis qualitatibus, cùm ſic intelligatur facta relatio. *l. aſſe toto. ff. de hæredib. inſtit.* Bart. *in l. ſi quis ſeruum, §. fin. ff. de legatis* 2. Decius *conſ.* 182. incip. *In caſu occurrenti, num.* 11. *verſ. nam illa dictio,* vt ſuprà, *facit relationem.* Pariſius *conſ.* 48. incip. *Vidi teſtamentum num.* 15. *verſ. & relatio intelligitur.* Aymon. *conſ.* 98. incip. *Nobilis, & potens, num.* 11. Et quòd qualitates appoſitæ in vno capite teſtamenti cenſean-
tur in aliis repetitæ. *l. cùm ſeruus ff. de condit. inſtit.* 14.
*l. Seia. §. Caio.* & *ibi* Bart. *ff. de fundo inſtructo.* Et
quòd clauſula poſita in medio, vel in fine ad 15.
omnia referatur. * *l. talis ſcriptura. in fin.* & *ibi* Bart. *ff. de legat. 1. l. 3. §. filius,* & *ibi* Doctores. *ff. de liber. & poſthum.*

* vide latè infrà deciſ. 194. n. 2. & ſequent. vbi alias deciſ. annotabo circa hunc artic.

Quoniam fuit reſponſum, in dicta declaratione Aloyſij, primò, & principaliter contineri prohibitionem alienationis, quæ tam reſpicit bona Aloyſij teſtatoris, quàm bona Serræ. Sed
prohibitio reſpiciens bona Serræ habet ſpecia- 16.
lem prohibitionem, quia teſtator expreſsè adiecit, ne illa per hæredes alienarentur ſub pœna priuationis hæreditatis ipſius teſtatoris: vnde relatio fieri debet ad illud, quod principaliter cauetur, non autem ad ea in quibus facta eſt ſpecialis determinatio. *l. ſed etſi per Prætorem. §. hæc clauſula, verſ. deinde adijcit.* ibi, *quoniam plenè ſuprà de eo cautum eſt. ff. ex quibus cauſis maiores. l. cohæredi. §. qui patrem.* ibi, *propter ſpecialem. ff. de vulgari ſubſtitut. l. cùm vulgari. ff. de dote prælegata. l. doli clauſula. ff. de verb. oblig.* Bart. *in l. talis ſcriptura. § fin. num. 3. ff. de leg.* 1. Roman. *conſ.* 152. incip. *Præſens accuſatio, num. 3. verſ. prima, quia quando.* Abbas *conſ.* 54. incip. *Videtur primò dicendum, num. 1. verſ. item quia textus ibi facit expreſſam mentionem, part.* 2. Iaſon *in l. 1. n. 8. limit. 3. de liber. præterit.* præſertim cùm teſtator non dixerit copulatiuè, etiam ſub pœna priuationis, ſed ſimpliciter fuerit loquutus.



17. Nec eſt nouum, aut inſolitum, quòd interdum relatio fiat ad illud, quod principaliter in Oratione continetur, non autem ad qualitates, vel ad id, quod ponitur incidenter, & conſecutiuè. Bart. & Bald. per illum text. *in l. ſicut ſerui. §. ſi à filio. ff. de legat.* 1. Alexand. *conſ. 1. n. 8. & 9. verſ. & licèt in præcedenti Capitulo lib.* 4. Decius *conſ.* 593. incip. *Viſo puncto, num.* 3. *&* 4. vbi pluribus comprobat. Curtius iunior *conſ.* 128. incip. *Præſupponitur in facto, n.* 12. *&* 13. *p.* 1. Iaſon *in l. ſi duo patroni, §. ſi quis iurauerit, num.* 12. *ff. de iureiurando.* Marian. Socin. *conſ.* 85. incip. *Conſideratis verbis, n.* 1. 18. *&* 19. *lib.* 3.

18. Quod tunc potiſſimum locum habet, quando relatio ad omnia præcedentia congruè fieri non poteſt, quia diuerſa eſt natura, & conditio: nam tunc ad illa non intelligitur facta relatio. *Clement. 1. § ad hoc, de præbend. l. hæres meus. §. vxori. ff. de legat.* 3. Bald. *conſ.* 35. *lib.* 4. Alexand. *conſ.* 65. *lib.* 2. Aretin. *conſ.* 116. Aymon *conſ.* 612. incongruè autem fieret relatio, ſi prohibitio teſtatoris æqualiter reſpiceret bona hæredum, quorum dominij tranſlationem per prohibitionem alienationis impedire non potuit, vt dictum eſt.

19. Præterea, quotiens in præcedentibus eſt aliqua ratio ſpecialis, quæ deficit in ſequentibus, numquam intelligitur facta repetitio in ſequentibus, licèt dictiones repetitiuæ adiectæ forent. *l. legatum ſub conditione, & l. vlt. ff. de condit. & demonſtrat.* Alexand. *conſ.* 158. incip. *Abundè quidem, n.* 11. *verſ. ſextò quotiens in præcedentibus, lib.* 6. refert, & ſequitur Decianus *conſ.* 17. incip. *Quæſtio iſta, n.* 37. *&* 38.

In caſu autem propoſito, quæ hactenus dicta ſunt ſatis indicant, diuerſam eſſe rationem, & naturam bonorum Aloyſij teſtatoris, & Serræ. Et ideo diſpoſitionem teſtatoris diuerſimodè ad illa referri debere neceſſe eſt.

Non obſtat, quòd teſtator fauore ſubſtitutorum videatur prohibuiſſe alienationem bonorum, etiam hæredum, ideo aut nullam, aut reuocandam fore præfatæ vineæ alienationem.

Quia reſpondetur primò, hæredum potiùs fauore videri alienari prohibita, vt perpetuò in familia Serræ conſeruarentur, ſicut teſtator in teſtamento expreſſit.

Rurſus cùm in euentum contrauentionis in
20. ſpecie, de remedio proſpexerit, reſpectu bonorum hæredum, non poteſt videri inductum fideicommiſſum, ſed ſola pœna adiecta habebit locum, quod in fortioribus terminis voluit Baldus *in dict. l. 1. num.* 48. *C. de his quæ pœnæ nomine.*

Poſtremò licèt teſtator hæredum quoque bona fideicommiſſo ſubiecta eſſe voluerit, adhuc tamen alienatio valet, cùm (vt dictum eſt) non potuerit impedire dominij tranſlationem.

Poſtremò non obſtat prædictis, quòd cùm
hæres, qui alienauit, non ſit ſoluendo; ideo poſ- 21.
ſint ſorores ſubſtitutæ in ſubſidium agere contra Ioannem Cabatt, vineæ emptorem, quaſi tunc impediatur dominij tranſlatio. *l. ſi quis ita legatus. §. quod conſtitutum. ff. de manumiſſ. teſtamento.* Quia fuit dictum, quòd licèt inopia debitoris reddat actionem inutilem. *l. nam is. ff. de dolo.* non tamen operatur, quòd actio perſonalis poſſit competere contra ſingularem rei ſucceſſo-
rem, cùm actio perſonalis non rem, ſed perſo- 22.
nam tantùm ſequatur. *l. vlt. §. 1. ff. de contrahend. empt. l. 1. §. ſi hæres percepto fundo. ff. ad Trebel.* cum ſimilibus traditis per Tiraquell. *in l. ſi vnquam, in verb. reuertatur, num.* 327. *C. de reuocandis donationibus.*

Nec actio perſonalis etiam in ſubſidium 23.
competit contra poſſidentem non obligatum, niſi in caſibus à iure expreſſis, propter fauorem ſpecialem, cùm perſonalis actio perſonam obligati non egrediatur. *l. actionum. ff de oblig. & actionib.* optimè Rip. *in d. l. 1. §. ſi hæres, num.* 13. *in quarta fallentia, & num.* 17. *in octaua fallentia ff. ad Trebellianum.* Marianus Socinus *conſ.* 137. incip. *Viſo proceſſu, num.* 5. *lib.* 1. Rolandus *conſ.* 71. incip. *Licèt in iure, num.* 16. *lib.* 2. Gratus *conſ.* 21. incip. *Eximius artium, num.* 35. *verſ. ſecundò dicas, lib.* 2. non fauent ſororibus de Alexiis, quia loquuntur in diuerſis terminis, quando ſcilicet res propriæ ipſius teſtatoris ſunt prohibitæ alienari, & alienatio fuit facta ab ignorante, iuxta *l. fin. ff. de legat.* 2. quo caſu impeditur dominij tranſlatio, at ſecus eſt in caſu noſtro.

Agent ergo mulieres aduerſariæ non contra Ioannem Cauart, quem non habent obligatum, nec contra vineam alienatam, cuius dominij tranſlatio impediri non potuit, ſed contra prohibitum alienare, qui tenetur ad pœnam à teſtatore appoſitam, vel ad æſtimationem rei alienatæ. Rip. *in d. §. Diui, num.* 54. *verſ. ſecunda concluſio.* vbi Iaſon *in prima lectura, n.* 45. *verſ. tamen valet prohibitio, & in ſecunda lectura, n.* 88. *verſ. tamen talis prohibitio valet.*

---

## *Vlyſbonen. adminiſtrationis Capellaniæ de Trauaza.*

### Die Lunæ 23. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Clauſula,* Parito iudicato, *tribuit iuriſdictionem conditionalem.*
3 *Contumax non dicitur, qui non eſt citatus, nec poteſt procedi per contradictas.*
4 *Spoliatus vt reſtituatur, debet probare antiquiorem agentis, & ſuam poſſeſſionem.*
5 *Interdictum recuperandæ non habet locum in perſona in capace obtinendi cauſam, ſupra quam intentatur.*
6 *Iudicis decreto ſi quis capit poſſeſſionem, non poteſt aduerſarius agere iudicio ſpolij.*
7 *Executoriales directæ contra aliquem, licèt vitam finierit, adhuc poſſunt exequi contra ſuum hæredem.*
8 *Regula de annali non habet locum niſi in beneficijs, quæ propriè dicuntur beneficia.*

DECI

## DECISIO LII.

1. Dominicus Perez de Trauaza de bonis ſuis temporalibus quemdam maioricatum, ſeu Capellaniam, cum onere celebrandi aliquot Miſſas, fundauit: in adminiſtratores bonorum Capellaniæ quoſdam Gomezium, & Lupum deputauit: ſed iſtis fortaſſis adminiſtrare non curantibus, Saluator Pegado à Legato Apoſtolico in Regno Portugalliæ dictam adminiſtrationem ſibi in perpetuum concedi obtinuit: quæ poſtmodum ann. 1542. in Rota per ſententiam coram D. Fabio Accorambono dicitur approbata: idemque Saluator ann. 1560. præfatam adminiſtrationem pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus à Sede Apoſtolica confirmari obtinuit; Balthaſar de Leyte ann. 1565. prædictam adminiſtrationem, tanquam titulum perpetui beneficij Eccleſiaſtici cum narratiua vacationis certo modo impetrauit. Quoniam verò Beatrix Pegada ad ſe tanquam hæredem Saluatoris adminiſtrationem præfatam pertinere contendebat, poſtquam diu in Rota fuit litigatum, tandem die 21. Maij 1574. Dominus de Graſſis ad fauorem Balthaſaris ſententiam tulit, quæ in rem iudicatam tranſiuit.

Ann. 1579. D. Beatrix narrans, ſe fuiſſe minorem, & vigore dictæ ſententiæ ſua pacifica poſſeſſione Capellaniæ ſpoliatam D. Reboſterio, prædeceſſori meo cum clauſula, *Prout de iure, & parito indicato*, cauſam committi obtinuit.

Anno 1588. pro parte D. Beatricis fuit producta alia commiſſio, in qua narrabat, adminiſtrationem præfatam ad ſe ſimiliter pertinere.

Tandem cùm à me (qui D. Reboſterio in Auditoratu ſucceſſeram) ad fauorem Beatricis ſententia reſtitutoria peteretur, dubitaui, an eſſet reſtituenda.

Et Domini non eſſe reſtituendam pronuntia-
2. runt, primum, quia ſibi obſtabat clauſula, *parito indicato*, quæ tribuit iuriſdictionem * conditionalem. Puteus *deciſ.* 429. incip. *Fuit reſolutum, lib.* 1. Vnde cùm de paritione non conſtet, iuriſdictio ceſſat, quæ non valet, niſi conditione purificata.

* addc Seraph. dec. 945. n. 5. Caual. dec. 110. n. 1.

Nec dicatur, quoad dimiſſionem poſſeſſionis fuiſſe quidem paritum, quo verò ad fructus, & expenſas fuiſſe obtentam nouam commiſſionem, quòd præfigeretur terminus ad docendum de prætenſis fructibus, & expenſis, & eo elapſo, procederetur in cauſa, & quòd terminus fuit præfixus. Nam ex facto tollitur obiectio, quia cùm poſt finitam cauſam, & habitas iam executoriales, Beatrix cauſam ſpolij, & reſtitutionis in integrum committi obtinuerit, nec eius commiſſionis vigore Baltaſar fuerit citatus perſonaliter, quod ſaltem ſemel facere oportebat: cùm ad omnes actus, & præſertim ad præfati termini præfixionem procederetur per contra-
3. dictas, nulliter fuit proceſſum, cùm Balthaſar non poſſet dici contumax, nec per contradictas procedatur, niſi contra contumaces. Rota *deciſ.* 12. *de dolo, & contumacia, in antiq.* & fuit dictum in vna Agrigentin. illegitimitatis coram Domino Comitolo die 30. Octobris, huius anni 1589. præſertim, cùm cauſa iſta reſtitutionis, & ſpolij, eſſet noua cauſa, per nouam commiſſionem introducta: quia prima per ſententiam, & executoriales decretas erat finita. Puteus *deciſ.* 285. *lib.* 2.

Secundò non conſtabat de poſſeſſione D. Beatricis, & ſic de primo extremo, quòd tamen neceſſe eſt probare, vt quis agens ſolio reſtituatur, nam communis, & vera Doctorum ſententia eſt, ad recuperandam amiſſam poſſeſſionem duo capita (extrema communis nunc vſus iudicantium appellat) probare oportere, nempe anti- 4.
quiorem * agentis poſſeſſionem, & nouam eius qui dicitur ſpoliaſſe. Abbas *in cap. cùm ad ſedem, num.* 28. *de reſtit. ſpoliat.* Corneus *conſ.* 247. incip. *Viſo proceſſu, num.* 20. *verſ. & profectò circa merita, lib.* 2. Alexand. *conſ.* 6. incip. *Circa proceſſum, n.* 5. *verſ. & ad hoc oſtendendum, lib.* 3. Decius *conſ.* 51. incip. *Pro tenui, num.* 3. *verſ. & ſic ex omnibus, & conſ.* 136. incip. *In cauſa Reuerendi. circa fin.* Robertus Maranta *tract. de ordin. iudic. part.* 4. *principali, diſt.* 5. *num.* 50. Rubeus Alexandrinus *conſ.* 4. incip. *Series facti, num.* 10. Portius *conſ.* 56. incip. *Contingit, num.* 8. *lib.* 2. Beroius *conſ.* 15. incip. *Viſa petitione, num.* 2. *& conſ.* 63. incip. *Viſo toto proceſſu, num.* 27. *&* 28. *lib.* 3. & alij quos refert, & ſequitur Menoch. *de recuperand. poſſeſſ. remed.* 15. *q.* 31. *num.* 383.

* adde Duran. dec. 7. & dec. 89. n. 1. Ludouiſ. dec. 423. & ibi annota Cocci. dec. 312. n. 1. & 2. & dec. 361. n. 1.

Requiriturque in iſto caſu ad probandum primum extremum plena, & concludens probatio. Matthæus de Afflict. *deciſ.* 364. incip. *Fuit deciſum, n.* 6. *verſ. tamen contrarium.* Sarnen. *de infirmis reſignan. q.* 36. Fabius *deciſ.* 35. incip. *Dubitatum fuit, lib.* 2.

Tertiò fuit conſideratum contra D. Beatricem, quod aliàs coram D. de Graſſis fuit dictum, ex cuius deciſione conſtat, quòd gratia Balthaſaris capiebat etiam adminiſtrationem de qua agitur: cùm ipſius prouiſio non fuerit ſimpliciter de Capellania, tamquam de beneficio, nec reſtricta ad titulum beneficij, ſed etiam fuerit de
adminiſtratione clericali, per Clericum admi- 5.
niſtratorem adminiſtrari ſolita, cuius clericalis functionis mulieres ſunt incapaces. *cap. cauſam, de præſcriptionibus.* Vnde talis exceptio obſtat agenti interdicto recuperandæ. Rip. *in l. naturaliter. §. nihil commune, n.* 81. *verſ. vndecimò fallit, & verſ. exemplum ſi opponatur.* & *ibi* Alexand. *n.* 24. & communiter Doctores *ff. de acq. poſſeſſ.* Crauet. *conſ.* 322. incip. *Domina Abbatiſſa, num.* 4. *verſ. ſextò principaliter conſidero.* & alij quos refert, & ſequitur Menochius *de recuper. poſſeſſ. remed.* 15. *q.* 34. *n.* 433. & aliquot ſequentib. & fuit dictum coram D. Pamphilio *in vna Panormit. ſpolij, die* 5. *Decembris ann.* 1588.

Nec refert, quòd huiuſmodi adminiſtrationum tamquam prophanarum laici, & fœminæ ſint capaces, ideoque Beatrici in hoc caſu competere. Quoniam ſibi obſtat præfata deciſiò coram Domino de Graſſis, ex cuius ſerie apparet, rem tunc fuiſſe diſcuſſam, & cauſam cognitam: quare niſi reuocetur, Beatrix non erit reſtituenda.

Imò amplius dicebatur, quòd Beatrix non poterat verè dici ſpoliata, nec ſpolij actionem intentare, cùm vigore ſententiæ, & iudicis autho-
ritate, Balthaſar ingreſſus fuerit poſſeſſionem: 6.
* iudex enim ritè procedens non ſpoliat. *l. iuſtè poſſidet. ff. de acq. poſſeſſ.* Crauet. *conſ.* 5. incip. *Via ſunt, n.* 8. *verſ. & quòd pars caſu.* Felinus *in c. dilectus, de reſcript.* Menoch. *de recuperand. poſſeſſ. remedio* 8. *q.* 1. *n.* 3. *& ſeqq.*

* adde Ludouiſ. dec. 43. n. 1. & dec. 105. n. 4. Caual. deciſ. 328. n. 1. Nātic. dec. 44. n. 4. & 5.

Non



7. Non obſtat quòd executoriales fuerint decretæ, & executioni mandatæ poſt obitum Saluatoris, & ſic nulliter. nam præterquam quòd id in facto non verificatur. adhuc ritè potuerunt decerni contra Procuratorem, dominum litis effectum, quo caſu validè potuerunt executioni mandari contra aduerſariam hæredem defuncti, iuxta notata *in l. mandatum, C. mandati, & in l. ſi defunctus. ff. de procuratoribus.* Maranta *de ordine iudicior.* 3. *part. ſexta partis principalis, num.* 108. meliùs facit doctrina Bartoli *in l. creditoris. C. de pignoribus,* Mohedan. *deciſ.* 12. incip. *In cauſa eadem Romana.*

8. Quod afferebatur à D. Beatrice, de regula de annali, non placuit Dominis: quia illa non habet locum in iſtis adminiſtrationibus, quæ propriè non ſunt beneficia Eccleſiaſtica. Sarnen. *ſuper dicta reg. q.* 20.

Et ſic fuit concluſum, D. Beatricem non eſſe reſtituendam; dixerunt tamen Domini, quòd videretur de illius bono iure.

---

## *Panormitana Archidiaconatus.*

### Die 23. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

*Inſtrumenta extracta ab ipſis Notarijs rogatis coram quibus geſta fuerunt, probant.*

## DECISIO LIII.

Paulus Pellicanus petebat admitti quædam ſua iura: ex aduerſo Procurator Lambrunettæ aduerſarij contendebat, non eſſe admittenda, quia non erant in forma probanti, nec extracta in partibus vigore compulſorialium. Rota ordinauit, quòd admitterentur: an autem eſſent in forma probante, poſtea erat videndum.

Nec refert, quòd non forent extracta vigore compulſorialium, quia ſufficit, quòd fuerint extracta ab ipſis Notariis rogatis, * coram quibus geſta fuerunt.

* adde infrà deciſ. 202. n. 2.

---

## *Salmantina Parochialis.*

### Die Lunæ 30. Octobris 1589.

SVMMARIVM.

2. 3 *Confeſſio partis probat contra ſe. quod intellige vt n.* 7.
4 *Remiſſoria conceditur per ſufficientem fumum probationis, à parte oblata.*
5 *Poſſeſſione capta virtute ſententiæ, vt ab ea quis ſpolietur, neceſſe eſt probare notorium non ius, deſcendens à re iudicata, vel à confeſſione partis.*
6 *Probatio probationem non excludit, nec dicitur conſtare de non iure, quandiu poteſt doceri de iure.*
7 *Confeſſio vt noceat, eſſe debet liquida, & clara.*
8 *Petitorij ſuſpenſio poteſt fieri in quacumque parte iudicij, & aufert iuriſdictionem admittendi probationes ſuper petitorio.*
9 *Spolij in iudicio, poteſt concedi Remiſſoria, & n.* 4.

## DECISIO LIV.

Quoniam D. Gaſpar Manrique reſpondendo 1.
cuidam * poſitioni, videlicet quòd fuit ordinatus ad Presbyteratum menſe Aprilis ann. 1582. reſponderat, ſe non credere, niſi quatenus continebatur in inſtrumento ſuæ promotionis, ad quod ſe referebat. Procurator Ioannis Miron produxit præfatum inſtrumentum in forma probante, ex quo conſtabat, præfatum D. Gaſparem promotum ad presbyteratum die 14. Aprilis 1582. Vnde nitebatur inferre, quod ex ipſiuſmet Gaſparis confeſſione euidenter conſtabat,
de non ſuo iure, cùm ex diſpoſitione *cap. licèt* 2.
*canon. de elect. lib.* 6. eſſet ipſo iure * parochiali priuatus, quia non fuerat promotus intra annum, quare non erat reſtituendus. Et quoniam
prædictis etiam accedebat, quòd titulus D. Ga- 3.
ſparis coloratus, propter quem aliàs fuerat ad ſuum fauorem pronuntiatum ſuper ſpolio. Puteus *deciſ.* 99. *lib.* 1. redditus videbatur diſcoloratus, ex ſua confeſſione.

* confeſſio poſitioni facta præiudicat parti, & plenè probat Ludouiſ. dec. 408. n. 1. & dec. 143. n. 1. & 4. & dec. 385. n. 3.

* vide ſuprà deciſ. 50. & quæ ibi annotaui.

Ideo aliqui ex Dominis tenebant contra D. Gaſparem, ad effectum, quòd Ioanni concederetur Remiſſoria in tertia inſtantia pro teſtibus examinandis, quia negari non poterat, quin ex teſtibus pro parte Ioannis productis, licèt nulliter examinatis, & ex præfato inſtrumento pro-
motionis oriretur ſufficiens fumus pro remiſ- 4.
ſoria. Caſſad. *deciſ.* 3. *num.* 2. *de dilat.* cum aliis allegatis per informantes.

Alij tamen ex Dominis dicebant, non eſſe re- 5.
cedendum à concluſione firmata 14. Octobris præſentis, quia ad effectum excludendi ſpoliatum, requiritur notorium non ius deſcendens à re iudicata, vel ex confeſſione partis. Rota *deciſ.* 3. *de reſtit. ſpoliat. in nouis.* Puteus *deciſ.* 99. *lib.* 1.
quia aliàs non poteſt dici conſtare de non iure, 6.
cùm probatio * probationem non excludat; nec dicitur conſtare de non iure, quandiu poteſt doceri de iure. Ægidius *deciſ.* 103. incip. *Non dicitur.* Et vt confeſſio noceat, † debet eſſe liquida, & clara. Pontanus *tract. de ſpolio, lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 48.
nec confeſſio Gaſparis poterat dici talis, ſtan- 7.
tibus impedimentis infirmitatis, probatis per teſtes à D. Gaſpare productos, vnde non poterat dici execrabilitas Gaſparis euidenter, & clarè probata, ad impediendam reſtitutionem, cùm poſſet etiam docere de diſpenſatione.

* ſuprà in d. deciſ. 50.

* vide Seraphinum, dec. 575. n. 5. Ludouiſ. deciſ. 163. num. 9. & 12.

† adde deciſ. Ludou. 523. n. 4. vbi non obſtāte confeſſione fuit conceſſa remiſſoria.

Denique omnem difficultatem videbatur 8.
iſtis Dominis amouere, ſuſpenſio petitorij in iſta cauſa facta, quæ poteſt fieri in quacumque parte iudicij, Verallus *deciſ.* 323. *part.* 2. quæ ſuſpenſio aufert iuriſdictionem admittendi probationes ſuper petitorio.

Contrariæ probationes contra D. Gaſparem adductæ non videbantur obſtare, quia erant informes.

Ad deciſiones Caſſadori, & aliarum, quæ allegabantur, ad oſtendendum, quòd etiam
in iudicio ſpolij poſſit concedi Remiſſoria, re- 9.
ſpondebant, eas procedere ad excuſandum ſpolium, non autem ad docendum non ius ſpoliati in petitorio.

Et quoniam ex iſtis vtrimque allatis, res videbatur

batur dubia, poſt multam diſcuſſionem Domini ordinarunt, quòd ego curarem concordare cauſam, alioquin pronuntiarem ad fauorem D. Gaſparis in ſecunda inſtantia, & in tertia Ioannes peteret Remiſſoriam, pro qua concedenda, Domini inclinabant, ſed non decreuerant ſine vlteriori diſcuſſione, ex nunc fore decretam, aut decernendam.

---

## *Palentin. Decimarum.*

### Die Lunæ 5. Iunij, & rurſus die Mercurij 8. Nouembris 1589.

* Videantur informationes in cauſa Bononien. bonorum emphyteuticorum coram Orano 21. Aprilis 1597. vbi fuit dictum, ſententiam nullam, latam videlicet poſt ſuſpenſum petitorium ab vtraque parte, ibi eſt notata deciſio coram Domino Planchetto.

*haec annotatio reperitur in Codice originali R.P.D. Peña manu ipſius conſcripta.

### SVMMARIVM.

2.3 *Petitorium non debet tractari, quin priùs agatur de ſpolio, & iſtud facit ceſſare illud.*

4 *Sententia iniuſta, & nulla, numquam tranſit in rem iudicatam.*

5 *Partes ſi agant poſſeſſorio, & poſtea dederint articulos, & fecerint probationes, videntur receſſiſſe ab illo iudicio, & tranſiuiſſe in petitorium, & n. 13. & 14.*

6 *Decimæ debentur Parochiæ, vbi colliguntur, & num. 8.*

7 *Super ſolutione decimarum ius defert conſuetudini.*

8.9 *Suſpenſio petitorij habet vim proteſtationis, & quidquid fit in cauſa, fit ad effectum poſſeſſorij.*

10.11.12 *Petitorium etiam in eadem inſtantia pluries ſuſpendi, & pluries ab eius ſuſpenſione vendi poteſt.*

15.16 *Petitorium trahit ad ſe poſſeſſorium, ſi ſententia tranſierit in rem iudicatam.*

17 *Res iudicata dici non poteſt, ſi poſt ſententiam ante iudicem ad quem, aliqui actus fuerint facti, & per partes proteſtetur.*

18 *Proteſtatio vnica ſufficit ad conſeruandum ius in extraiudicialibus, ſecus in iudicialibus.*

19. 20 *Procuratoris negligentia nocet principali.*

## DECISIO LV.

1. IN territorio oppidi de Fuenſaldaña, Palentin. diœceſis, eſt quidam terminus, in cuius medio adeſt eremitorium nuncupatum S. Petri de Pedroſilla; Rector, & Beneficiati Eccleſiæ parochialis oppidi de Fuenſaldaña aſſerentes, dictum terminum de Pedroſilla eſſe incluſum in territorio de Fuenſaldaña, & per dicti oppidi incolas totum coli, coram Vicario Palentin. medietatem decimarum, tritici, hordei, & aliorum leguminum, prædictæ Eccleſiæ Parochiali de Fuenſaldaña perſolui petiuerunt.

Capitulum Eccleſiæ Maioris de Valladolid prætendens, tertiam partem illarum decimarum ad ſe pertinere, ad cauſam venit Vicarius Palentin. ad fauorem beneficiatorum de Valladolid ſententiam tulit.

Cauſa per appellationem commiſſa Vicario Zamoren. ille die 27. Aprilis 1579. ſententiam Vicarij Palentin. cum quadam modificatione confirmauit, non obſtante quòd pro parte Capituli de Valladolid fuit petitum, quòd appellatio pronuntiaretur deſerta, & procederetur in remediis poſſeſſoriis, attento quòd ſuſpenderat petitorium, licèt datis articulis coram Zamoren. ſuper proprietate allegaſſe videretur.

Ab iſta ſententia ab vtraque parte eodem die fuit appellatum, & cauſa commiſſa Vicario Oxomen. die 27. Iunij ann. 1579. eidem fuit præſentata: & quoniam Capitulum de Valladolid infra annum fatalem non fuerat proſequutum appellationem, fuit oppoſita exceptio rei iudicatæ, & petitum pronuntiari ſuper deſertione appellationis, & cùm per aliquot annos nihil fuiſſet in iudicio actum, tandem die 14. Aprilis 1586. Vicarius Oxomen. tertiam ſententiam tulit, per quam pronuntiauit, Capitulum de Valladolid probaſſe ſuam intentionem, quoad iudicium poſſeſſorium tantùm, & in ſua quaſi poſſeſſione percipienda integrè præfatas decimas fore manutenendum.

Cauſa per appellationem commiſſa in Rota dubitaui, an conſtaret de tali re iudicata ſententiæ latæ per Vicarium Zamoren. qui ſecundò pronuntiauit, eiuſque legitima appellatione, ita vt obſtaret, quominus Vicarius Oxomen. tertius iudex, potuerit ferre ſententiam, illius reuocatoriam, & prædicta ſententia Zamoren. obſtaret in hoc caſu.

Et bis cauſa propoſita, bis fuit dictum, non conſtare de tali re iudicata Zamoren. quin Oxomen. ſuper ſpolio pronuntiare potuerit.

* Tum, quoniam cùm Capitulum de Valladolid obtinuiſſet ſententiam fauorabilem in poſſeſſorio recuperandæ, & coram Zamoren. ſimiliter peteretur, vt ille ſuper eodem poſſeſſorio pronuntiaret, non potuit ferre ſententiam in petitorio; nam Capitulum ante omnia erat reſtituendum, & iudicium ſpolij terminandum, quod facit ceſſare petitorium. *cap. in litteris, de reſtit. ſpoliat.* Alexander *in l. naturaliter. §. nihil commune, num.* 88. vbi Rip. *num.* 157. *verſ. circa quartam combinationem, &* 165. *ff. de acquir. poſſeſſ.*

* vide infrà dec. 120. & quæ ibi annotaui, à n. 2. & ſeq.

2.

3.

Tum etiam, quia cùm pro parte Capituli de Valladolid eſſet ſuſpenſum petitorium, ſtante ſuſpenſione non potuit Zamoren. ſuper petitorio pronuntiare. * nam quoad illud ſuſpenſa erat eius iuriſdictio. *c. paſtoralis, de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Rota *deciſ. vlt. circa fin. verſ. imò etſi teſtes, de teſtibus, in nouis.*

* pro hoc motiuo vide dec. 22. & 23. in recen. p. 1. vbi diſputatur an idem ſit pro tertio veniente ad cauſam vt poſſit agere, & iudex pronuntiare non obſtante ſuſpenſione, & habentur infrà dec. 120. & 122. & vide Riccium in collect. p. 2. collect. 254. vbi cum Caputaquê. dec. 322. p. 2. reſoluit non poſſe iudicé procedere.

Ex quibus eius ſententia redditur iniuſta, & nulla, & ideo non potuit tranſire in rem iudicatam, Alexand. *conſ.* 91. incip. *In cauſa, num.* 1. & 2. *lib.* 6. Decius *conſ.* 49. incip. *Præſtantiſſime Doctor. num.* 3. *verſ. quintò, & vltimo.* idem *conſ.* 524. incip. *Viſis his, num.* 9. *verſ. & ex ſupradictis.* Aretinus *in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir. poſſeſſ.* notant communiter Doctores *in l.* 4. *§. condemnatum. ff. de re iudicata,* Verallus *deciſ.* 322. incip. *Petitorio ſuſpenſo, p.* 2. Bellamera *deciſ.* 98. incip. *Sententia lata.*

Nec dubitabatur, quia ſententia Zamoren. eſſet lata in petitorio, cùm verba id apertiſſimè conti



contineant, ibi: *ſed quod medietatem decimarum, præfatorum fructuum percipiant beneficiati,* &c. quæ cùm ſint non ad poſſeſſionem, ſed ad rem directa, petitorium continent. Alexand. *conſ.* 117. incip. *Viſo proceſſu. lib.* 2. Menoch. *de recuperand. in præludi. n.* 11. & 19.

5. Nec obſtat, quòd ab iſta petitorij ſuſpenſione videatur receſſum, ex quo coram Zamoren. ab vtraque parte dati fuerunt articuli, & factæ probationes ſuper petitorio. Puteus *deciſ.* 29. incip. *Licèt ſpoliatus, lib.* 3. *c.* 1. cum *ibi* notatis, *de reſtit. ſpoliator.*

6. Nam cùm lis eſſet ſuper decimis, quas Beneficiati de Fuenſaldaña in ſua Parochia colligi prætenderent, & ideo ad ſe pertinere; Capitulum de Valladolid tenebatur, vel docere terminum Sancti Petri de Pedroſilla, non eſſe in Parochia de Fuenſaldaña, vel oſtendere legitimum titulum, vnde illas legitimè perciperent, cùm aliàs contra ſe habeant expreſſam reſiſtentiam iuris communis, *c. ad decimas,* vbi notant Geminianus, Francus, & communiter Doctores, *de reſtit. ſpoliat. lib.* 6.

7. Nec ſtatus cauſæ verſabatur in terminis *cap. cùm ſint homines, de decimis,* vbi ſuper ſolutione decimarum ius defert conſuetudini.

8. Et cùm iudicium ex parte actoris conſideretur, Capitulum de Valladolid, quod prætendebat ad ſe iſtas decimas pertinere, debebat docere decimas colligi extra territorium Parochiæ de Fuenſaldaña, & ideo probationes factæ coram Zamoren. potiùs pertinebant ad oſtendendum titulum neceſſarium, & colorandum poſſeſſorium, quàm ad renuntiandum petitorio. Anton. de Butrio *in c.* 1. *de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* Gozadin. *conſ.* 10. incip. *In hac cauſa, n.* 34. confert illa Tyburtina Caſtri Sambucci die 15. Maij 1572. vbi
9. fuit dictum, quòd ſuſpenſio petitorij habet vim proteſtationis, quòd quidquid fiet in cauſa, fiet ſolùm ad effectum poſſeſſorij.

Accedit denique, quòd licèt in prima inſtantia eſſet receſſum à petitorio, cùm poſtea in ſecunda bis fuerit ſuſpenſum, non poteſt ſententia Zamoren. ſtante ſuſpenſione petitorij, in petitorio ſuſtineri. Præſertim, cùm exploratum ſit, petitorium, * etiam in eadem inſtantia, pluries ſuſpendi, & pluries ab eius ſuſpenſione recedi
10. poſſe, Rota *deciſ.* 382. incip. *Fuit dubitatum, vtrùm quis pluries, in nouis,* quæ aliàs eſt 8. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Ant. de Butrio, & Abb. *in c. paſtoralis, de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Peregrin. *deciſ.* 76. aliàs 54. incip. *Fuit reſolutum in vna Bononien. lib.* 1. *deciſ.* 9. *lib.* 2. Pariſius *conſ.* 60. incip. *Si conſideramus, n.* 4. *lib.* 3. Gozadin. *d. conſ.* 10. *n.* 22. *verſ. imò pluries po-*
11. *teſt ſuſpendi.* Quod procedit, nedum in prima inſtantia, ſed etiam in ſecunda, & tertia, notant Doctores *in Clem. vnica, de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Rota *in d. deciſ.* 382. *in nouis, verſ. in tantum, vt nedum in prima,* Capicius *deciſ.* 35. incip. *In cauſa magiſtri, n.* 6. *diuerſor. deciſ.* 141. vbi atteſtatur ita eſſe de ſtylo, & de iure. Verallus *deciſ.* 323. incip. *Petitorium poteſt, p.* 2. per text. *in d. Clem.* 1. *de cauſ. poſſeſſionis, & proprietat.*

*adde Ricc. in d. 2. p. collect. 254.

12. Nec eſt habenda ratio, an cauſa ſit prophana, vel beneficialis, nam in vtraque procedit proxima concluſio, vt conſtat ex allatis deciſionibus, & Pariſio, & Gozadino, qui indicatis locis loquuntur in cauſis prophanis.

Dummodo iſta ſuſpenſio fiat ante concluſionem in cauſa, in vltima inſtantia, quæ eſt concluſio totius cauſæ. Rota *in d. deciſ.* 382. *verſ. ante tamen concluſionem.*

13. Nec dicatur, quòd iſtæ vltimæ ſuſpenſiones non poſſint ſuffragari, ex quo apparent factæ aliquæ probationes, concernentes petitorium, quaſi ſic ſtante conſenſu partis, non potuerit ampliùs ſuſpendi. Puteus *d. deciſ.* 29. *lib.* 3.

14. Quia reſpondetur, quòd fuerunt factæ ad iuſtificandum poſſeſſorium, vt dictum eſt, poſſet etiam dici, quòd non fuerunt factæ de conſenſu partis expreſſo, ſicut requiri videtur. Pontan. *tr. de ſpol. lib.* 2. *n.* 46. *verſ. omnis tamen ſuſpendendi poteſtas,* quo ſenſu intelligi poſſet deciſio Putei.

15. Non obſtat, quòd cùm Capitulum de Valladolid in prima inſtantia obtinuerit in petitorio, non potuit deinde in cauſa appellationis illud ſuſpendere, cùm tunc petitorium ad ſe poſſeſſorium traxiſſe videatur. *c. cùm dilectus, de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Rota *d. deciſ.* 382. *in nouis, verſ. quod*
16. *perditur priuilegium.* Quia fuit dictum, id procedere quando ſententia lata in petitorio ad fauorem actoris, habuiſſet ſuum plenarium effectum, veluti ſi ab ea non foret appellatum, & tranſiuiſſet in rem iudicatam, nam tunc petitorium ad ſe penitus traheret poſſeſſorium, quo ſenſu accipienda videtur præfata deciſio, vt apparet ex illis verbis: *quia verum eſt ſi ille actus haberet, vel habuiſſet ſuum effectum.* Item ex illis, *quia hîc tunc petitorium traheret ad ſe poſſeſſorium.* Quod non poteſt dici in hac cauſa, cùm præfata ſententia non habuerit ſuum effectum, qui fuit per appellationem impeditus, quo caſu, in qualibet inſtantia poteſt petitorium ſuſpendi.

17. Res iudicata non poteſt opponi, quia vtraque parte appellante à ſententia Zamoren. fuit cauſa commiſſa Vicario Oxom. coram quo, cùm multi actus iudiciales fuerint geſti, ex eis dicebatur ſatis renuntiatum rei iudicatæ, * ſi qua erat. Rom. *conſ.* 174. inc. *Ampliſſime Doctor, n.* 7. & 8. *verſ. ſecundo,* & clariùs Ant. de Butrio *conſ.* 27. incip. *Viſis præſentibus,* Abb. *conſ.* 89. incip. *In quæſtione, n.* 1. *verſ. ſed his non obſtantibus, lib.* 1. Aretin. *conſ.* 73. incip. *Diligenter, verſ. & profectò articulus,* Mohedan. *deciſ.* 39. incip. *Dubitarunt Domini,* Peregrin. *deciſ.* 114. Anton. Auguſt. *tit. de appellat. deſertion. n.* 15. *verſ. qui patitur poſt deſertionem.*

* adde infrà dec. 292. n. 4.

18. Nec ſufficit, quòd ſemel fuerit proteſtatum de re iudicata: quia licèt in extraiudicialibus ad conſeruandum ius cuiuſlibet, vnica proteſtatio ſufficiat, ſecus eſt in iudicialibus, vbi in ſingulis actibus * oportet proteſtari. Innocentius *in c. Cumana, de elect.* Alexand. *in l. non ſolùm. §. morte. ff. de oper. noui nuntiat.* cuius doctrinam Rota tenuit pro communi. Mohedan. *deciſ.* 44. incip. *Fuit determinatum.*

* adde infrà dec. 144. n. 3.

19. Negligentia Procuratoris in non proteſtando non excuſat, quia in omittendo Procurator domino præiudicat. *l.* 1. *§. fin. ff. quando appellan.* Iaſon *in l.* 1. *§. ſi Procurator, n.* 12. *ff. ſi quis ius dicen. non obtemp.*

20. Et in ſpecie, quòd præiudicet rei iudicatæ, faciendo actus poſitiuos, & iudice illos admittente, licèt fuerit proteſtatus, eſt deciſio Putei 218. incip. *Fuit dictum, lib.* 2. in hac cauſa Procurator iura produxit, vnde non poteſt ſe proteſtatione iuuare.

Denique Domini dixerunt, quòd cùm iſta ſententia Zamoren. & prætenſa res iudicata

opponantur, ad impediendum, ne in Rota videatur iudicium ſpolij, de illius iuſtitia ad effectum ſpolij eſt videndum, ne aliàs per indirectum, Rota contra ſuum conſuetum ſtylum, illam ſententiam approbare videatur, quod numquam facere ſolet, niſi cognita * iuſtitia ſententiarum.

* adde ſuprà dec.7.n.5.

Et quamuis expreſsè executio iſtius ſententiæ non petatur, ſatis videtur in neceſſariam conſequentiam, poſtulari, ſi de re iudicata ſententiæ Zamoren. conſtare pronuntiaretur.

---

## *Bononien. Donationis.*

### Die Lunæ 20. Nouembris 1589.

### SVMMARIVM.

2 *Donationem rei poteſt facere, qui eam acquiſiuit.*

3 *Teſtatoris factum non poteſt hæres impugnare.*

4 *etiamſi fecerit inuentarium.*

5.6 *Inuentarium nihil prodeſt hæredi in re alienata per defunctum.*

7 *Acquiſita nomine defuncti, & hæredum nomine, cenſentur hæredibus ſanguinis acquiſita.* *quod intellige vt n.8.*

9 *Verba reſtringi non debent, quando ſunt in materia complectente alium caſum.*

10.11 *Verbum,* hæres ſuperuiuentis, *in teſtamento adiectum, demonſtratiuè, non taxatiuè debet intelligi.*

12.13 *Hæredis viuentis, ſi mentio fiat in teſtamento, intelligitur de hærede ſanguinis.*

14.15 *Defunctum ſemper velle anteponere proprios hæredes extraneis, præſumendum eſt.*

16.17 *Hæredum appellatione veniunt etiam extranei in materia, ad quoſcumque tranſitoria.*

## DECISIO LVI.

1. IVlius Daineſius maritus Franciſcæ de Turchis anno 1557. tam ſuo, quàm dictæ Franciſcæ nomine, & ad commodum eiuſdem Franciſcæ, & pro ipſis ambobus, & quolibet ipſorum donec naturaliter vixerint, & quilibet eorum vixerit, ac etiam nomine, & ad commodum hæredum, vltimi ex ipſis ſuperuiuentis, emit quandam ratam crediti montis Augumenti, aſcendentem ad ſummam ſcutorum 2000. auri in auro.

Eodem anno, præfati coniuges ſimul acquiſiuerunt aliam ratam ſcutorum trium millium ſimilium, modo, & forma ſupradictis.

Vigore acquiſitionis, coniuges in Camplono, ſeu libro dicti montis deſcripti fructus, & emolumenta inde perceperunt.

Anno 1565. Iulius moritur, inſtitutis in teſtamento hæredibus, Annibale, & Thoma de Daineſiis, communibus filiis, pro duobus tertiis partibus, & Franciſca ſuperuiuens fructus, & emolumenta montis exegit, & eodem anno, iure donationis irreuocabilis inter viuos donauit D. Ludouico de Felicinis quamdam ſummam præfati crediti, aſcendentem ad ſcuta 2500. auri in auro, reſeruato tamen ſibi vſufructu, & cum pacto, quod durante vita naturali Franciſcæ Ludouicus non poſſet ſe deſcribi facere in Complano.

Mortua Franciſca ſuperſtite Annibale eius filio hærede vniuerſali, Ludouicus donatarius pro totali effectu donationis crediti ſibi factæ, iudicium intentauit, & ſuper executione inſtrumenti donationis, & deſcriptione de ſe in Camplono facienda, tres ſententias fauorabiles reportauit, ſed cauſa introducta in Rota dubitaui, an donatio eſſet valida.

Domini dixerunt eſſe validam, quia loca montis fuerunt acquiſita D. Franciſcæ, & eius hæredibus, vnde Franciſca potuit illa donare, Marianus Socinus *conſ.*58.incip. *Licèt præſentis conſultationis, n.7. & ſeq. lib.2.* 2.

Nec Annibal Daineſius poterat impugnare donationem, ex eo ſolùm capite, quòd eſſet filius Franciſcæ ſine ea qualitate, quod etiam erat hæres, quia creditum montis fuit acquiſitum Franciſcæ, & eius hæredibus.

Nec ex illo capite, quod foret hæres, quia tanquam talis non poterat impugnare actum Franciſcæ, cuius erat hæres. *l. cùm à matre. C. de rei vindicat.* facit *l. ſi vxor. C. de bon. auctorit. iudic. poſſidend. & l. ſi ab eo, C. de negot. geſt.* Romanus *conſil.* 18. incip. *Viſa facti narratione, num.4. verſ. contrarium tamen eſt verius,* Marian. Socin. *conſil.*93.incip. *Perſpectis, num.*67. *&* 68.*lib.*3. Ruin. *conſ.*1.*n.*13. *verſ. nam quamuis alienatio, & conſ.*7. incip. *Quæritur, num.*39.*lib.*1. cum ſimilibus, quod eſt indubitatum. 3.

Nec dicatur, quòd ſi hæres fecerit inuentarium, tunc poſſet venire contra factum defuncti. *l. fin. §. in computatione. C. de iure deliberandi,* Decius *conſil.* 185. incip. *In cauſa, num.*5. 4.

Quoniam in re hæreditaria, per defunctum alienata, hæredi nihil prodeſt inuentarium, vt ſentiunt communiter Doctores *in dict. §. in computatione, & in l. debitori. C. de pact.* latè Gratus *conſil.*4.*num.*50.*& ſeq. verſ. non obſtat confectio inuentarij, lib.*1. quod latiùs explicat, & comprobat Pinel. *in l.*1.*p.*3.*num.*81.*verſ. ea autem regula, C. de bon. matern.* 5.

Ratio in promptu eſt, quia inuentarium quoad hoc prodeſt, vt non teneatur quis vltra vires hæreditarias. Paul. de Caſtro *in dict. l. fin. §. in computatione, num.*1. *C. de iure deliber.* Marian. Socin. *conſil.*108. incip. *Viſo puncto, n.*42. *lib.* 2. Martin. Monter *in l. debitori, num.* 20. *C. de pact.* 6.

Nec obſtat, quòd dicta loca montis fuerint acquiſita, nedum nomine Iulij, & Franciſcæ, ſed etiam nomine, & ad commodum hæredum vltimi ex ipſis ſuperuiuentis, quaſi hæredum nomine filios, & ſic hæredes ſanguinis intelligere oporteat. *l. ex facto §. fin. ff. ad Trebellian.* Bart. & alij *in l. Gallus. §. etiam ſi viuente. ff. de liber. & poſthum.* 7.

Nam id eſt verum in materia, quæ ex ſui natura non tranſit ad hæredes extraneos, vt in feudis, *cap.*1.*§. etſi clientulus, de alienatione feudi, cap.*1. *§. fin. ſi de feudo fuer. controu. inter dom. & agnat.* Decius *conſil.* 208. incip. *Ad declarationem,* Roman. *conſil.* 1. *num.*5. *verſ. non enim potuit,* Corneus *conſil.* 16. incip. *Aperta fronte, num.*6.*&* 7.*lib.*1. Pariſius *conſ.*21. incip. *Diſpoſuere iura, num.*36.*lib.*1. 8.

Loca



Loca verò montis de quibus eſt ſermo, ſuapte natura ſunt ad hæredes extraneos tranſitoria, vnde ſecundùm ſubiectam materiam, appellatione hæredum in illa prima acquiſitione de extraneis intelligetur. *l. in annalibus. C. de legatis.*

9. Et ex quo ſumus in materia indifferenti, id eſt, quæ etiam ad extraneos hæredes eſt tranſitoria, non debent illa verba reſtringi ſolùm ad filios, & alios deſcendentes, ſed ſimpliciter debent intelligi de quolibet hærede, etiam extraneo. Barr. & alij *in dict. l. Gallus. §. etiam ſi viuente. ff. de liber. & poſthum.* & in terminis Marian. Socinus *d. conſ.*58.*num.*7. *verſ. & ex quo ſumus, lib.*2.

Quòd ſtipulatio, ſeu acquiſitio locorum Montis fuerit per primos acquirentes facta, nomine, & ad commodum hæredum vltimi ſuperuiuentis, non autem vltimi morientis, non inducit nullitatem donationis, nec operatur tranſlationem dominij in D. Annibalem Daineſium filium, & hæredem Franciſcæ, quæ vltimò deceſſit: nam id fuit dictum ad excludendos hæredes primi morientis, qui ſuperſtitem excludere potuiſſent.

10. Et illud verbum *ſuperuiuentis,* intelligitur demonſtratiuè, non taxatiuè, argumento *l. Mela, in princip. ff. de aliment. vel cibar. legat.* Bart. *in l. centurio, num.* 31. *ff. de vulg. & pupil. ſubſtitutione,* præſertim cùm quis hæres viuentis eſſe non poſſit. *l. qui ſuperſtites. ff. de acquirenda hæreditate.*

11. Prædictis accedit, nam ſi nomine hæredum vltimi ſuperuiuentis ſtrictè intelligere oporteret ſolos filios, & ſic hæredes ſanguinis, conſequeretur, quòd ſi Franciſca non habuiſſet filios, extranei hæredes admitti non potuiſſent, quod videtur contra voluntatem Iulij, ementis loca Montis præfati, qui cùm non expreſſerit hæredes ſanguinis, nulla vrgens ratio ſuadet, cur extraneos hæredes excludere oporteat.

12. Ex his cenſebantur ſublatæ conſiderationes partis aduerſæ, collectæ ex Gabriele *tit. de verb. ſignif. concl.*2. Prima quòd quando fit mentio de hærede viuentis, tunc intelligatur de hærede ſanguinis: nam id procedit quando verba referuntur ad tempus vitæ illius de quo eſt ſermo,
13. ſecus quando referuntur poſt mortem eiuſdem de quo diſponentes loquuntur, quo caſu ſi agatur de rebus ſuapte natura tranſitoriis ad quoſcumque hæredes, & ſic etiam ad extraneos (vt eſt in caſu propoſito) tunc appellatione hæredis viuentis, vel ſui hæredis extranei intelliguntur. *l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis ita ff. de verb. obligat.* Bart. *in l. Gallus. §. etiamſi viuente, n.*4.*verſ. quæro ergo ff. de liber. & poſthum.* Alex. *conſ.*9. incip. *Viſis, lib.*2.

14. Non obſtat ſecunda, quòd ſi intelligeretur de hæredibus extraneis, conſequeretur abſurdum, contra veriſimilem mentem Iulij, vt cenſeatur voluiſſe extraneos, poſtpoſitis propriis filiis ad hæc loca montium admitti poſſe, quod apparet inueriſimile. Bald. Paul. & alij *in dict. l. Gallus. §. etiamſi. ff. de liber. & poſth.* Alex. *conſ.*93. *lib.*3. & cæteri, quos refert Gabriel *de verb. ſign. concl.*2.*n.*11.

15. Nam fuit dictum, hîc non apparere de repugnantia voluntatis Iulij, primi acquirentis, præſertim cùm non foret expreſſum de hæredibus ſanguinis, & illud generaliter verum ſit, quòd quando præfata verba proferuntur ab excipiente, non excluduntur extranei. Bart. *in d. §. etiamſi viuente, num.* 4. *verſ. ſi verò illa verba.* cui conſonat communis concluſio, propterea non infringenda, quòd in materia ad quoſcumque tranſitoria, appellatione hæredum veniunt extranei, optimè Corneus *conſil.* 272. incip. *In hac conſultatione, num.*4. *verſ. ſed non obſtantibus prædictis.* 16.

Quod tandem opponebatur de communi vſu loquendi, quòd appellatione hæredum intelligantur filij, & deſcendentes, non fuit habitum in conſideratione, nam præterquam quòd iſte communis vſus non probatur, ſatis præterea videtur eſſe contra omnes iuris regulas. Gabriel *d. concluſ.*2.*n.*1. *de verbor. ſignificat.* 17.

---

## *Toletana Decimarum de los Collaços.*

### Die Veneris 24. Nouemb. 1589.

### SVMMARIVM.

2 *Mandato iudicis obediens, etiamſi verbo fiat, non eſt declarandus.*

3 *Mandato iudicis obediens, etiamſi proteſtetur, non eſt declarandus.*

## DECISIO LVII.

PRo parte Ioannis de Auila Prioris de Argamoſilla petebatur procedi ad declaratoriam, contra eamdem communitatem, ob non paritionem executorialium. 1.

Ex aduerſo dicebatur, eſſe denegandam, & priùs videndum de validitate examinis teſtium, ſuper liquidatione.

Dixerunt Domini, reſpectu decimarum futurarum communitatem non eſſe declarandam, quia paruit, ex quo dixit, ſe eſſe paratam obedire mandatis Rotæ, & ſufficit iſta verbalis paritio, cùm non teneatur præſtare aliquid, niſi patientiam, vt fuit dictum in illa *Burgen.* * *iuriſdictionis coram D. Seraphino* 29. *Octobris* 1586. *& in alia Burgen. ſitus Capellæ* 22. *Iunij* 1587. *coram D. Pamphilio.* 2.

* habetur in impreſſis Seraphin. dec. 754. vbi deciditur, hoc motiuũ habere locum in incorporalibus, nam in aliis non procederet, & ita circa expenſas in præſenti facta fuit fides de quietantia.

Quod procedit, etiamſi quis in ipſa paritione proteſtetur, quòd non intendit præiudicare iuribus ſuis: nam condemnatus non tenetur approbare ſententiam contra ſe latam, nec promittere, quòd diſcedat à moleſtationibus. Mohedan. *deciſ.*275. incip. *Cardinalis Farneſius.*

Minus erat declaranda quoad expenſas, cùm ſoluiſſet 80. ducatos pro illis liquidatos, vt conſtitit ex quietantia, in actis producta.

Dubium remanebat quoad decimas præteritas, quæ fuerant liquidatæ ad ſummam 11. millium ducatorum, & vltrà. 3.

Et quia prætendebatur liquidationem corruere, ex quo dicebatur, eſſe fundata ſuper examine 18. teſtium nulliter examinatorum, tam ex defectu iuriſdictionis eius, qui examinauit, quàm etiam citationis, & res erat magni præiudicij, tam reſpectu ingentis ſummæ, quàm reſpectu patui oppiduli, quod vix aſcendit ad 400. domos, ſeu familias: ideo Domini voluerunt

runt particulariter audire Procuratores communitatis, ſuper validitate examinis teſtium, in quorum dictis erat fundata præfata liquidatio.

---

## *Vrbeuetana Prædij.*

### Die Lunæ 27. Nouembris 1589.

SVMMARIVM.

3 *Iudex quando nulliter procedit, ſpoliare dicitur.*

4 *Parte non citata, iudex nulliter procedit.*

9 *Comparitio fratris, tanquam coniunctæ perſonæ ſufficit, vt ſine eius mandato poſſit agi in cauſa.*

10 *Mandatum licèt non ſit productum, poteſt quandocumque produci à Procuratore.*

11 *Monitio iudicis ſufficit, etiamſi non præcedat citatio, ſi poſtea feratur ſententia partibus præſentibus, & terminis ſeruatis.*

12 *Sententia ſi patiatur aliquos defectus, dummodo non ſint ſubſtantiales, poteſt reformari.*

13 *Sententia lata pendente termino Remiſſoriæ non valet.*

## DECISIO LVIII.

1. TRoilus Magallotus, Prior Eccleſiæ Sancti Andreæ de Oruieto, prætendens per obitum Mutij Berincaſæ, deſcendentis ſine filiis legitimis, & naturalibus prædium quoddam in agro Vrbeuentano ſitum, à prioribus ſuis anteceſſoribus, ad tertiam generationem in emphyteoſim datum, ad Eccleſiam fuiſſe deuolutum ann. 1588. eodem die 7. Ianuarij, quo petitionem porrexerat à Vicario Vrbeuetano, nulla citatione, vel cauſæ diſcuſſione præcedente, mandatum de immittendo in poſſeſſionem dicti prædij obtinuit.

Hercules Attilius, & Franciſcus de Auiamontiis, ciues Vrbeuetani, qui vltra viginti annos, pacificè id prædium poſſederant, cognito, quòd ſua eſſent poſſeſſione ſpoliati, eumdem Vicarium adeuntes egerunt pro mandati reuocatione. Vicarius re cognita, per ſuam diffinitiuam ſententiam præfatos Auiamontios ad ſuam pacificam poſſeſſionem reſtituendos, & tam in ciuili, quàm naturali poſſeſſione manutenendos fore pronuntiauit, & ad id opportunum mandatum decreuit, & relaxauit.

2. Hanc Vicarij ſententiam A. C. (cui in gradu appellationis fuerat commiſſa) confirmauit.

Eandem (cauſa in Rota introducta) Domini
3. confirmandam cenſuerunt, nam quando iudex nulliter procedit, ſpoliare * dicitur. Abb. *in cap. conquerente, num.* 8. *de reſtit. ſpoliat.* Felin. *in cap. dilectus in* 2. *fallentia, de reſcript.* Rip. *in l. naturaliter. §. nihil commune, num.* 59. *ff. de acq. poſſeſſ.* Crauet. *conſ.* 18. *n.* 8. *& conſ.* 124. *n.* 4. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed.* 8. *n.* 19. *verſ. declaratur tertiò, vt non procedat.*

* & ſic datur reſtitutio, vt per Ludouiſ. deciſ. 459. n. 2. vbi latè Beltra. lit. A, & ad hunc articulum vide eumdem Ludouiſ. deciſ. 336. n. 2.

Nulliter verò procedere dicitur parte non citata, *l. meminerint. C. de vnde vi.*

Vicarius ergo non citatis, nec auditis Auiamontiis priorem in poſſeſſionem prædij im-
4. mittens nulliter proceſſit: † id cauſa cognita reuocans, & eoſdem reſtituens, & A. C. idem confirmans iuſtè iudicarunt, *d. l. meminerint. §. ſin autem. C. vnde vi.*

† vide Ludouiſ. dec. 4. n. 1. Cocci. dec. 83. n. 2. & dec. 466. n. 3.

Non obſtat dicere, quòd Vicarius non potuit decernere Auiamontios manutenendos, 5.
cùm illi ſe habuerint pro ſpoliatis: quoniam ex ſerie ſententiæ conſtat, quòd Vicarius primum declarauit eos reſtituendos, & deinde manutenendos.

Non reddit ſententiam iniuſtam prætextus 6.
lineæ finitæ, quaſi propterea non eſſent manutenendi in ſua poſſeſſione, quia nec fuit pro- 7.
batum lineam fuiſſe finitam, nec conſtitit de identitate bonorum in Emphyteoſim conceſſorum.

Quòd petitio fuerit facta ad inſtantiam 8.
Attilij, & Franciſci, ſententia verò fuerit lata etiam ad fauorem Herculis, non vitiat ſententiam, cùm Herculem quoque ad cauſam veniſſe conſtet ex diuerſis eius comparitionibus.

Defectus mandati Franciſci de Auiamontiis 9.
non vitiat ſententiam Vicarij: tum, quia ſufficiebat comparitio Attilij eius fratris, tanquam coniunctæ perſonæ. *l. exigendi. C. de procuratoribus.* tum quia extabat mandatum, licèt non fuiſ- 10.
ſet productum, quod poſtea potuit quandocumque produci. Aymon *conſ.* 108. incip. *In iſta cauſa, n.* 1. *verſ. circa primum dubium.* Rota *deciſ.* 19. *de Procuratorib. in antiquis.*

Defectus citationis oppoſitus tollitur ex fa- 11.
cto, quia ipſemet iudex ſub die 28. Maij monuit partes ad ſecundam, qua die poſtea fuit lata ſententia, ſeu terminus ſeruatus partibus * præſentibus, quo caſu non requiritur alia citatio. *l. de vnoquoque.* vbi Alexand. *num.* 2. *de re iudicata.*

* adde infrà dec. 409. n. 2. Cocci. dec. 79. n. 3. & 4.

Et licèt ſententia Vicarij Vrbeuetani aliquo vitio laboraret (quod tamen non apparet) ſatis eſt, validam eſſe ſententiam A. C. qui illam confirmat: quia quando ſententia eſt nulla, aut defectus eſt in ſententia, ſeu in concernentibus ipſam ſententiam, non autem in reliquis ſub- 12.
ſtantialibus proceſſus, tunc ſententia poteſt reformari. *l.* 1. *verſ. ſed ſi huius. ff. quæ ſent. ſine appellat. reſcind.* communem teſtatur Alex. *conſ.* 79. incip. *Perſpectis verbis, n.* 1. *lib.* 2. Grammat. *conſ.* 14. incip. *Summi opificis.* inter conſilia ciuilia. idem *conſ.* 96. incip. *Viſo proceſſu*, inter conſil. ciuilia Achilles *deciſ.* 4. *tit. de ſent. & re iudic.* quare in hoc caſu ſententia Vicarij ſuſtinetur ex conformante. *

* ſententia nulla ſi ſit confirmata, quòd non poſſit impugnari latè dit Ludouiſ. dec. 176. n. 11. vbi additio n. 14. & ſeq.

Nullitas oppoſita contra ſententiam A. C. quòd illa fuerit lata pendente termino Remiſſoriæ, ex facto tollitur, quia Remiſſoria fuit decreta cum intimatione, niſi ad primam diem iuridicam, & ſic ſub conditione, quæ non fuit purificata. *c. olim* 1. vbi gloſſ. *in verb. traditum ſub conditione, de reſtit. ſpoliat.* Verallus *deciſ.* 338. incip. *Expectatiua, n.* 2. *&* 3. *p.* 1. vnde nulla poteſt dici decreta Remiſſoria, ſicut re vera non fuit capta, 13.
vt ex Regeſto apparet.

Denique non obſtat, quòd fuerint admiſſa iu- 14.
ra concernentia petitorium, quo non ſuſpenſo, non potuit pronuntiari ſuper poſſeſſorio, quia iudicium ſuper poſſeſſorio fuit introductum, & ideo non erat neceſſaria aliqua petitorij ſuſpenſio, cùm priùs poſſeſſorium eſſet terminandum, vulgata *l. ordinarij. C. de rei vindicat.*





15. Et iura concernentia petitorium, potiùs fuerunt producta ad iuſtificandum poſſeſſorium. Gozadin. *conſ.* 10. incip. *In hac cauſa.* Et fuit dictum in illa Palentin. decimarum de Fuenſaldaña coram me, die 8. Nouembris 1589. *

* ſuprà deciſ. 55. faciút quæ ibi annotaui ad n. 3. pro declaratione præcedentis n. 14.

---

## *Firmana Iuriſpatronatus.*

### Die Veneris 1. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Signum, & ſubſcriptionem Notarij debet habere ſcriptura, vt ſit authentica.*

3.4 *Scripturæ antiquæ fides non adhibetur, ſi ſolemnitates requiſitæ deficiant.*

5 *In ſcripturis antiquis non eſt opus probare, Notarium eſſe talem, vt fides adhibeatur.*

6 *Antiquitatem ſcripturæ ſola data non probat.*

7 *Scriptura extracta ex folio carente ſigno, non facit fidem.*

8 *Tranſſumptum ex curſu triginta annorum præſumitur ſolemniter factum.*

9 *Innocentiana non ſanat defectus inſtrumentorum, quibus perimitur veritas probationum.*

## DECISIO LIX.

1. DVbitaui, an iura de quibus agitur, eſſent in forma probanti, aut aliàs talia, quibus vigore Innocentianæ eſſet fides adhibenda.

Et primum, quantum ad teſtamentum Antonioli conditum ann. 1478. in quo iubetur conſtrui Capella ſub inuocatione Sanctæ Mariæ Miſericordiæ, fuit dictum, non eſſe in forma probante, quia in folio Balthaſaris Lucentini olim Notarij, vbi fuit extractum, non adeſt ſubſcriptio, * nec ſignum Notarij, quod tamen in protocollo debet poni, † nec fuit recognitum
2. pro ſcriptura dicti Notarij, ad tradita per Angelum *conſ.* 220. incip. *Ad hoc vt ſcriptura.* Cagnolum *in l. ſi librarius, n.* 33. *ff. de regulis iuris.*

* adde infrà deciſ. 202. n. 3. & ſeq.

† de hoc articulo vide dec. 349. §. 1. in recen. vbi dicitur n. 6. ſigillum & ſubſcriptionē Notarij, non eſſe de ſubſtãtia primæ matricis ſi adſint teſtes.

Neque antiquitas tollit iſtos defectus, quando ex facie ſcripturæ videntur deeſſe requiſitæ ſolemnitates. Decius *conſ.* 445. incip. *In cauſa, n.* 68. *verſ. non obſtat quòd exemplum,* Alex. *conſ.* 1. *n.* 21. *lib.* 4. Gabriel *de præſumpt. concluſ.* 1. *n.* 57. nam propter longinquitatem temporis, non præſumuntur adhibitæ ſolemnitates, vbi aliud apparet ex ſcripturis. Iaſon *conſ.* 176. *prope fin. lib.* 2. *& conſil.* 14. *lib.* 4. Decius *conſ.* 36. incip. *Pro tenui*
3. *facultate.*

4. De ſcriptura codicillorum eiuſdem Antonioli, quibus ille ann. 1486. Ioanni Mariæ vxori legauit ius patronatus præfatæ Capellaniæ, fuit dictum, quòd licèt in folio eiuſdem Balthaſaris Lucentini, vnde fuit ſumpta, adſit ſubſcriptio, & ſignum eiuſdem Notarij, nihilominus, nec manus, nec ſignum fuerunt recognita, nec conſtat, illum Lucentinum fuiſſe Notarium.

5. Et licèt regula ſit, quòd in antiquis inſtrumentis non ſit opus probare, Notarium fuiſſe Notarium, vel in quaſi poſſeſſione officij. Innocent. *in c. veniens, de verb. ſignif.* Bald. *in Authent. quas actiones, circa finem. C. de ſacroſanct. Eccl.* Decius *d. conſ.* 36. *n.* 3. Alex. *conſ.* 101. *n.* 10. *lib.* 7.

Nihilominus, adhuc non videbatur ei fides 6.
adhibenda, tum quia ſola data non probat antiquitatem. Puteus *deciſ.* 449. incip. *Fuit tentum, lib.* 1. *& deciſ.* 186. incip. *Die* 13. *Decembris*, tum quia nec per teſtes, nec per alia inſtrumenta aliquo modo conſtabat de Notariatu illius Lucentini, nec inſtrumentum fuerat Dominis oſtenſum, vt oculari inſpectione poſſent iudicare, an videretur antiquum: itaque cenſuerunt, vt aliquo modo darentur alia adminicula iſtis ſcripturis, vt fidem facerent, ſicut in ſimilibus inſtrumentis, etiam antiquioribus, ſæpe Rota decreuit, vt per Puteum *in dictis deciſionibus* 449. *lib.* 1 *&* 186. *lib.* 3.

Exemplum teſtamenti Ioannæ Mariæ, vxoris Antonioli, conditi ann. 1544. extractum per quemdam Proſperum Galaſſium, olim Notarium Firmanum, collationatum per tres Notarios, cum decreto, & auctoritate iudicis, in quo Ioanna Maria legat ius patronatus Eliſabethæ, eius ſorori, non facit fidem, quia folium vnde
fuit ſumptum caret ſigno Notarij, cuius præter- 7.
ea manus non fuit recognita, * niſi per comparitionem litterarum publicarum dicti Lucentini, factam à Notariis extrahentibus: nam licèt tranſſumptum ex curſu triginta annorum præſumatur formiter, & ſolemniter factum, vt fuit
dictum in cauſa Aſtoricen. beneficij de Villaita ann. 1585. coram Domino meo Pamphilio, 8.
in hoc caſu, iſtam præſumptionem excludit vitium viſibile, defectus ſigni Notarij, quo laborat folium, vnde fuit inſtrumentum extractum.

* quod neceſſarium requiſitum reputatur, vt per Manticã dec. 32. n. 8. & 9.

Neque vigore Innocentianæ probant, quia 9.
Innocentiana hoc operatur, quòd credatur iuribus inſertis in proceſſibus de partibus, etiam inter diuerſas perſonas, dummodo taliter ſint extracta, quòd habeant ſolemnitates requiſitas ad fidem faciendam: nam Innocentiana non ſanat defectus inſtrumentorum, quibus perimitur veritas probationum.

Duo inſtrumenta inſtitutionum, factarum per Vicarium Firman. ad inſtantiam Ioannæ Mariæ, vxoris Antonioli, ann. 1498. & ann. 1505. cùm eſſent extracta ex libris collationum, exiſtentium in Cancellaria Epiſcopatus Firman. per Notarium Cancellariæ, Domini dixerunt eſſe in forma probante, præſertim cùm fuerint producti libri originales, & inde ex decreto iudicis extracta, qui demiſſa copia, mandauit illos reſtitui.

---

## *Parmen. Beneficij.*

### Die Veneris Decembris 1589.

## DECISIO LX.

SVper articulo de iure accreſcendi, Domini non fuerunt concordes: difficultatem augebat, quia informantes non conueniebant omnino ſuper eodem articulo, ſed aliqui ad alios ſe diffundebant, & ideo fuit ordinatum, quòd vtraque pars ſtrictè ſcriberet, & informaret ſuper iure accreſcendi, vel non decreſcendi, reſecatis cæteris, de quibus, ſi opus ſit, ſuo tempore diſputabitur.

## *Virdunen. Canonicatus.*

### Die 9. Decembr. 1589.

### SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio triennalis pacifica cum titulo eſt ſufficiens ad præſumendum eſſe validum titulum.*
3 *Beneficium vacat per aſſecutionem ſecundi incompatibilis.*
4 *Pœnale decretum non debet extendi ad non expreſſa.*
5 *Aſſecutio ſecundi beneficij ſi non habeat effectum, non vacat primum obtentum, licèt conceſſerit pars mandatum de poſſeſſione capienda, & n.6.*
7 *Tridentini decreta non habent locum in regreſſibus, ante illud factis.*
8 *Parochialis ſi obtineatur cum Canonicatu, datur electio, vt prouiſus eligat, quod maluerit.*
9 *Acceſſus differt à regreſſu, & n.11.*
10 *Verba non ſunt conſideranda, ſed rei ſubſtantia.*
12 *Doloſa ſcientia iure beneficiali inducit intruſionem.*
13 *Reſeruationes fortiores oriuntur in familiaribus Papæ, & Sedis Apoſtolicæ.*
14 *& quando illarum expreſſio ſit neceſſaria.*

### DECISIO LXI.

1. DOmini ſteterunt in deciſiſ ad fauorem Ioannis Trincart, per adducta in deciſionibus in hac cauſa factis coram D.Pamphilio.

Quæ coram me in ſecunda inſtantia proponebantur, facilè fuerunt ſublata: nam gratia Guidonis, anteceſſoris Trincart, non poterat dici nulla, ob non factam mentionem de regreſſu, quia Guido tutus erat ex pacifica poſſeſ-
2. ſione triennali cum titulo, quæ ſucceſſorem iuuat, * & inducit præſumptionem diſpenſationis, vel alterius boni, & validi tituli. Lapus *allegat*.89. Caſſador. *deciſ.* 3. & 4. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.*

* adde Manticam deciſ. 68.n.8. & Ludouiſ. deciſ. 37.n.6.

Prætenſa vacatio Canonicatus ob aſſecutionem Parochialis, aut prætenditur ob parochialem de Deſpia, quam Guido ann. 1574. tempore aſſecutionis Canonicatus obtinebat, & hæc aſſecutio potius induceret vacationem Parochialis, primo loco obtentæ, quàm Canonicatus ſuperuenientis, *c. de multa, de præbend.*

3. Et licèt in prouiſione Canonicatus adſit decretum, vt infra duos menſes Parochialis dimmittatur, cùm expreſsè non caueat, vt in caſu non dimiſſionis vtrumque vacet, ſed parochialis vacationem inducat, & ſit pœnale, non debet
4. extendi ad non expreſſa. gloſſ. communiter recepta *in c. fin. de iure patronat.* Guidobonus *deciſ.* 57. incip. *In vna Segouien. parochialis.*

Aut prætenditur ob non aſſecutionem Parochialis de Camigliano, adeptam per Procuratorem ann. 1586. poſt obtentum Canonicatum in Eccleſia Virdunen.

5. Et hæc non induxit vacationem, quia iſta aſſecutio non habuit effectum: nam licèt tempore, quo factus fuit regreſſui locus, Procurator Guidonis poſſeſſionem ceperit, illam tamen numquam Guido ratificauit, nec aliquos fructus percepit, imò eamdem in manibus Papæ dimiſit, vnde intrat notata *in cap. ſi tibi conceſſo, de præbend. lib. 6.*

Nec quidquam operatur mandatum ſpeciale 6.
datum per Guidonem ad capiendam illius poſſeſſionem occurrente regreſſu; quia id fuit datum longè ante regreſſum.

Et cùm ſubſecutus euentus doceat illum non acceptaſſe beneficium, quod expreſsè dimiſit, mandatum non præiudicat.

Præterea cùm aſſecutio iſtius Parochialis con- 7.
tigerit vigore regreſſus, reſeruati ante Concilium Tridentiuum, non ſubiacet decretis Concilij, vt declararunt Domini Cardinales * Concilij Tridentini interpretes, & fuit concluſum coram D. de Rubeis Decano, in cauſa Compoſtellana Canonicatus ann. 1574. & coram Domino Seraphino in alia Barchinonen. Canonicatus, menſe Maij ann. 1589.

* quam declarationem adducit Garcia de benef. 11. p. c. 5. n. 84. & eſt 5. declaratio ex adductis ab eo ibidem, & latè agit de materia huius dec. à n. 7. & pluribus ſeqq.

Inſpecta verò ſtricta ratione, iuris communis, Canonicatus non eſt ita incompatibilis cum Parochiali, vt vacationem ſimpliciter inducat, ſed datur electio, vt fuit deciſum coram eodem D. Decano in vna Foroſempronien. Canonica-
tus ann. 1582. ſic Guido, habita notitia quòd 8.
ſuus Procurator vigore regreſſus acceperat poſſeſſionem Parochialis de Camigliano, Canonicatum retinuit, & Parochialem nullis perceptis fructibus * dimiſit.

* adde Seraph. dec. 774. n. 2.

Non obſtat illa inſpectio de differentia inter acceſſum, & regreſſum, quódque cùm in iuribus
partium non ſimpliciter fiat mentio de regreſſu, 9.
ſed de regreſſu, ſeu acceſſu, & ſic alternatiuè fieri debeat interpretatio, quòd in vim acceſſus, non autem regreſſus capta fuerit poſſeſſio Parochialis de Camiglano.

Nam ſubſtantiam rei potiſſimum, non verba, 10.
dixerunt Domini eſſe conſiderandam, ſicut notatur in illa Compoſtellana, & cùm iſta pendeant à reſignatione facta, dicitur regreſſus, qui dat ius de præterito, licèt Cancellaria nominet acceſſum, quia putat ex eo cauſari nouum ius, in quo differt à Rota.

Quod ampliùs opponebatur de regreſſu, qui 11.
prætenditur euanuiſſe per aſſecutionem * Canonicatus, cùm tunc tacitè regreſſui videatur renuntiatum. *Clement. gratiæ, de reſcript.* non fuit habitum in conſideratione, quia hoc potiùs reſpiceret nullitatem aſſecutionis Parochialis de Camigliano, de qua non contenditur.

* adde infrà dec. 303. n. 4.

Diſpoſitio *c. eum qui, de præbend. lib. 6.* non no- 12.
cet Guidoni: tum, quia nulla poteſt conſiderari formalis intruſio, qualem videtur requirere ille textus: tum, quia nullos * fructus percepit: tum, quia nullam commiſit violentiam, ſine qua non videtur ille textus procedere. Caſſador. *deciſ.* 6. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* tum denique, quia nulla adeſt doloſa ſcientia Guidonis, vt *in dict. cap. eum qui*, notant Geminianus, & alij, Bellamera *deciſ.* 562. incip. *Concluſio quòd Clement. gratiæ*, cùm omnia geſta fuerint per Procuratorem, ignorante Guidone.

* adde Seraph. dec. 953. & Ludouiſ. dec. 13. n. 7.

Poſtremò non fuit neceſſarium, quòd Ioan- 13.
nes Trincart in ſua impetratione narraret, Guidonem fuiſſe familiarem Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Notarium: quoniam ex iſtis qualitatibus fortiores reſeruationes orirentur. Sarnen. *in regula de impetran. benefic. vacant. per obit. famil.* Cardinal. *q.* 15. Puteus *deciſ.* 444. incip. *Clauſulæ generales, lib.* 1.

Tunc



14. Tunc illarum omiſſio vitiaret gratiam, quando ſi expreſſæ fuiſſent, vel Papa non * conceſſiſſet, vel ſaltem difficiliùs conceſſiſſet. *cap. dudum, de electione, cap. ſuper litteris, & cap. poſtulaſti, de reſcript.* Iaſon *in l.* 1. *num.* 2. *C. ſi contra ius vel vtilit. public.* Decius *conſil.* 541. *num.* 20. Gozadin. *conſil.* 6. *num.* 6. Crauet. *conſ.* 296. Cardinalis *conſil.* 96.

* adde Seraph. deciſ. 483. num. 7.

Exploratum verò eſt, quòd ſi Trincart iſtas qualitates expreſſiſſet, magis mouiſſet Papam ad gratiam ſibi faciendam.

## *Spoletana bonorum.*

### Die Veneris 15 Decembris ann. 1589.

### DECISIO LXII.

DEcreta fuerat * Remiſſoria pro teſtibus examinandis in ciuitate Narnien. verùm D. Abbas Ancaianus, videns in longum differri examen, teſtes ad Curiam tranſmittendos curauit, vt ſublatis omnibus impedimentis inibi examinarentur, quod tamen communitas Spoletana ideo impedirè nitebatur, quoniam & in ciuitate Narnien. fuerunt teſtes producti, & communitas fuit ibi citata ad videndum iurare teſtes, vel ſaltem prætendebat, quòd non eſſent examinandi in Curia, niſi refectis communitati expenſis. Sed ex quo non ſterit per D. Abbatem, quin examen in ciuitate Narnien. fieri potuerit, decreuit non aliter refectis expenſis in Curia examinandos.

* ſuprà deciſ. 23. & 41.

## *Burgen. Archipreſbyteratus de Pancoruo.*

### Die Lunæ 18. Decembris 1589.

### SVMMARIVM.

2 *Conſuetudo immemorabilis dat titulum.*
3. 4 *Leges tunc valent, quando moribus vtentium probantur receptæ.*
5 *Scientia, & patientia illius præſumitur, contra quem probatur poſſeſſio, vel præſcriptio.*
6 *Ignorantia non præſumitur in Epiſcopis, illorum quæ in diœceſi aguntur.*
7. 8 *Conſuetudo in caſu non contradictionis, nihil operatur in caſu contradictionis.*
9 *Negatiua quomodo probetur.*
10 *Opponenti incumbit onus probandi.*

### DECISIO LXIII.

1. COnſtitutione Synodali, Epiſcopus Burgen. edita ann. 1534. prohibetur, omnibus Archipreſbyteris habentibus conſuetudinem prouidendi circa fabricas Eccleſiarum, ne fabricandi licentiam vltra ſummam decem millium marapetinorum alicui concedere poſſint. Et quoniam aliàs per D. meum Decanum fuit lata ſententia confirmatoria Palentin. per quam declarauit, ad hunc Archipreſbyterum pertinere ius dandi iſtas licentias, reſpectu Eccleſiarum ſui diſtrictus irrequiſito Epiſcopo, vltra præfatam ſummam, dubitaui, an ſententia Rotalis confirmanda, vel informanda foret; & fuit tentum pro affirmatiua, quia teſtes examinati, quoad
iſtum Archipreſbyterum probant immemorabi- 2.
lem poſſeſſionem dandi iſtas licentias in ſuo diſtrictu, in quacumque quantitate, & ſic vltra ſummam decem millium marapetinorum, iuxta requiſita per gloſſ. *in cap.* 1. *in verb. memoria*, vbi communiter Doctores, *de præſcript. lib.* 6. Felin. *in cap. ſi diligenti, de præſcript.* Alexand *conſ.* 16. incip. *In cauſa, & lite, lib.* 5. Verallus *deciſ.* 71. incip. *Immemorabilitas p.* 2.

Conſtitutio Synodalis non officit, quia dixe- 3.
runt Domini, quòd ſaltem reſpectu iſtius Archipreſbyteratus de Pancoruo, non fuit vſu * recepta: leges enim tunc firmantur, cùm moribus vtentium receptæ comprobantur. *cap. in iſtis, diſtinct.* 4. *l. de quibus, verſ. nam cùm ipſæ leges. ff. de legibus*, Alex. *conſ.* 6. incip. *Viſo themate n.* 4. & *conſ.* 132. incip. *Viſa facti narratione num.* 1. *lib.* 1. gloſſ. *in cap.* 1. *in verb. frangere, in fin.* & *ibi* Felin. *n.* 6. *verſ. lex noua, & n.* 7. *de treuga, & pace*, Dec. *conſ.* 262. incip. *In cauſa num.* 7. *verſ. vltimò non obſtat.* & de communi teſtatur Marian. Socin. *conſ.* 76. incip. *Viſo themate num.* 47. *lib.* 4.

* quòd conſtitutiones ſynodales tunc obligent quando ſunt vſu receptæ, colligitur ex Seraph. deciſ. 712. n. 2. & 3. qui loquitur in terminis conſtitutionis ſynodalis in Eccleſia Burgen.

Et cùm obſeruantia conſtitutionis, reſpectu diſtrictus iſtius Archipreſbyteri probata non fuerit, & de multis actibus in contrarium con-
ſtet, nulla eſt eius habenda ratio. Ant. de Butrio, 4.
Zabarella, Imoſ. & alij cum gloſſ. *in d. cap.* 1. *de treuga, & pace*, Marian. Socin. *d. conſil.* 76. *num.* 47. *lib.* 4.

De ſcientia, & patientia Præſulum Burgen- 5.
ſium, ſine qua nec quaſi poſſeſſio daretur, nec præſcriptio curreret, non videbatur dubitandum: tum propter * multiplicatos actus, cùm ſæpe palàm, & publicè iſte Archipresbyter licentias fabricandi conceſſerit: tum ob curſum temporis vnde ſcientia præſumitur. Innocent. *in cap. bonæ lo* 2. *n.* 1. *verſ. has autem præſumptiones. de poſtul. prælat.* Abb. *in c. cùm Eccleſia Sutrina n.* 25. *de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Ruin. *conſ. fin. num.* 10. *lib.* 4. Decius *conſ.* 85. *num.* 2. Puteus *deciſ.* 264. incip. *Propoſui num.* 2. *lib.* 1.

* multiplicitatem actuum inducere ſcientiam Ludou. deciſ 325. n. 22. Seraph. dec. 306. n. 7.

Nam illorum quæ in diœceſi geruntur, non 6.
præſumitur in Epiſcopis ignorantia propter viſitationes, * qua ſtatutis temporibus obire tenentur. Rota *deciſ.* 6. *n.* 2. *de iure patronat. in nouis.* Biſnieto *deciſ.* 7. *num.* 4. *de præbend.* Decius *conſ.* 118. incip. *Viſo inſtrumento num.* 2. *Lap. alleg.* 50. incip. *Dicebantur.*

* Seraph. in d. deciſ. 306. n. 4. & infrà dec. 97. n. 5.

Quod maximè procedit in iſta cauſa, cùm conſtituti eſſent viſitatores ad fabricas viſitandas, & computa recipienda, vt deponunt 2. 3. 4. & 5. teſtes, iuxta 31. interrogatorium, illud etiam addentes, quòd non videtur poſſibile, Archiepiſcopum, & eius viſitatores id ignoraſſe.

Non obſtat, quòd teſtes non concludunt, Ar- 7.
chipresbyterum dediſſe licentiam vltra ſummam decem millium marapetinorum, & quòd illa habuerit effectum, etiam contradicente Archiepiſcopo, cùm conſuetudo in caſu non contradictionis non ſuffragetur in caſu contradictionis. Oldrad. *conſ.* 237. Crauet. *conſ.* 96. *n.* 46. Roland. *conſ.* 53. *num.* 29. *lib.* 2. & cùm reperiatur dediſſe licentias, cenſebitur feciſſe Epiſcopo conſentiente, vel de eius licentia, ſicut conſti-



tutio

tutio permittit, vel fuit conſideratum in alia cauſa Burgen. coram D. meo Orano 7. Iunij 1589.

8. Nam fuit reſponſum, ex dictis teſtium apparere, excluſum Epiſcoporum conſenſum, ex quo dicunt primò ſuper 2. articulo, quòd ſolus Archipresbyter, & illius Vicarij dederunt præfatas licentias.

Secundò, quòd non intellexerunt Prælatos Burgenſes, vel illorum prouiſores illas dediſſe in dicto Archipresbyteratu de Pancoruo.

9. Tertiò, quòd ſi aliter actum fuiſſet, id non potuiſſet contingere, quin teſtes intellexiſſent, per quem modum probatur negatiua. gloſſ. *in Authent. de hæredib. & Falcidia. §. abſint, in verb. & vidiſſe.* Romanus *conſ.* 145. incip. *Ad primum n.* 9. Herculan. *tract. de negatiua probanda num.* 248. in 25. modo probandi negatiuam, licèt iſta probatio ſit præſumptiua, vt idem Herculan. *ibidem num.* 248.

* ad probandam iuriſdictionem in actibus negatiuis vide Ludouiſ. in d. deciſ. 325. n. 11. & 15.

Accedit qualitas teſtium, ex quibus aliqui fuerunt œconomi in Eccleſiis iſtius Archipresbyteratus, nonnulli verò interfuerunt cauſis, & litibus, quas ſuper fabricis ſemper agitari viderunt coram Archipresbyteris, & eorum Vicariis, vt deponunt ſuper 4. articulo.

Dixerunt præterea aliqui ex Dominis, ſufficere Archipresbytero ad fundandam ſuam intentionem oſtendere, ſe dediſſe præfatas licentias; quòd ſi poſtea Dominus Archiepiſcopus contendebat, fuiſſe datas de eius conſenſu, ei in-
10. cumbit onus probandi. Baldus *conſ.* 79. incip. *Dauanti da voi, lib.* 2. refert, & ſequitur Aymon *conſ.* 1. *num.* 9. & 10. ſufficit enim actori probare intentionem ſuam, nec tenetur probare ea quæ ſunt de exceptione rei, vt fuit dictum in cauſa Auximan. Molendini ann. 1572. coram Domino Oriolen.

Obſeruantia ſynodalis conſtitutionis in vno Archipresbyteratu, in quo fuit intellecta, & vſu recepta, non operatur eundem effectum in alio Archipresbyteratu, in quo non fuit vſu recepta.

---

## *Caſalen. Beneficij S. Martini.*

### Die Lunæ 18. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio beneficij, poteſt capi cum mandato generali, nec requiritur ſpeciale.*

### DECISIO LXIV.

1. DOmini ſteterunt in deciſis, * vt remaneret ſequeſtrum in iſto beneficio S. Martini; nam ad hunc effectum diſputabatur dubium, quia licèt Scamutius produxerit mandatum ad capiendam poſſeſſionem quorumcunque beneficiorum, quod eſt ſufficiens, cùm non requiratur ſpeciale, ſeu indiuiduale reſpectu illius bene-
2. ficij, cuius poſſeſſio eſt capienda, Ferret. *conſ.* 120. incip. *Mandatum procura num.* 12. *verſ. non obſtat deciſio.*

* ſuprà dec. 28. vide infr. dec. 325. n. 5.

Et licèt etiam fuerit deductum, quòd tempore captæ poſſeſſionis per Præpoſitum, illa erat plena, quia poſſidebat quidam Gruottus, quo caſu poſſeſſio Præpoſituræ, etiamſi beneficium iſtud fuiſſet vnitum, non poſſet trahi ad illud, Aretinus *l.* 3. *num.* 8. *verſ. hæc tamen dicta. ff. de acq. poſſeſſione.*

Nihilominus fuit dictum, quòd adhuc poſſeſſio Scamutij non videtur clara, ad effectum manutentionis: quia poſtea Præpoſitus de nouo commiſit cauſam contra Scamutium coram Vicario Mediolanen. à quo reportauit ſententiam fauorabilem, & iterum die 24. Septembr. 1588. cepit poſſeſſionem.

Nec appellatio interpoſita per Scamutium ei ſuffragatur, cùm non fuerit in tempore appellatum, vt aliàs fuit dictum in iſta cauſa * die 5. Iunij præteriti.

* ſuprà in d. deciſ. 28.

Quare placuit, remanere ſequeſtrum, & diſputari de ſententia Mediolanen. Vicarij.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Mercurij 20. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Teſtis ſi commodè venire non poteſt ad deponendum, debet iudex mittere examinatorem.*

### DECISIO LXV.

1. INter teſtes adductos ad Curiam per D. Abbatem Ancaianum, ad effectum vt in iſta cauſa examinarentur, aderat vnus octogenarius, qui cœpit ægrotare; vnde tum ob ingraueſcentem ætatem, tum ob infirmitatem, dubitabatur de eius propinqua morte: ideo ad partis petitionem, ne veritas periret, Domini ordinarunt, vt fidelis Notarius ad eum decumbentem accederet, qui illum ſummariè ſuper articulis tantùm examinaret, quòd ſi conualeſceret, examinaretur poſtea formiter adhibitis interpretibus, tam ſu-
2. per interrogatoriis, quàm ſuper articulis; cùm explorati iuris ſit, iudicem debere mittere examinatorem peritum ad teſtes recipiendos, qui ad eum commodè venire non poſſunt, *cap. ſi quis teſtium.* vbi gloſſ. & communiter Canoniſtæ, *de teſtibus.* maximè, quia in caſu iſto concurrebant duo, nempe quòd iſte erat ſenex, & valetudinarius. Rota *deciſ.* 222. incip. *Senes, in nouis.* aliàs eſt *9. de iudic. in nouis*; delegaui ergo pro iſto teſte examinando ſubſtitutum Notarij cauſæ, cum decreto quòd intimaretur parti aduerſæ.

* habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſ. dec. 44.

Sed quia pars ab iſto decreto appellauit, & teſtis tantiſper conualuerat, repoſui, & ordinaui, quòd examinaretur etiam ſuper interrogatoriis in domo Notarij, ſicut partes inter ſe conuenerant, non in domo ipſius Abbatis, vbi teſtis decumbebat, vt omnis ſuſpicio amoueretur.

---

## *Calaguritana penſionis.*

### Die Mercurij 20. Decembris 1589.

SVMMARIVM.

2 *Reſeruationes fructuum pro penſione non habent reſpectum ad valorem, ſecundùm quem fit expreſſio in Bulla, ſed ſecundùm quam valet in partibus.*

3 *Penſionarius tenetur probare, penſionem eſſe validam.*

4 *Diſtributiones quotidianæ non veniunt appellatione fructuum, prouentuum, & redditu um.*



### DECISIO LXVI.

1. ANno 1546. fuit reſeruata penſio 24. ducat. ad fauorem Petri Romero, ſuper fructibus, redditibus, & prouentibus Canonicatus, & Præbendæ Eccleſiæ Calaguritan. cum clauſula, dummodo medietatem non excederet.

Petrus anno 1587. præſentatis coram Ordinario litteris reſeruationis præfatæ penſionis, ac deſuper proceſſu fulminato ſub dato Romæ apud S. Petrum ann. 1546. petiit illarum executionem pro duobus terminis decurſis contra D. Emanuelem Olloqui, qui nunc Canonicatum, & Præbendam obtinet.

Et licèt pro parte D. Emmanuelis eſſet reſponſum, & oppoſitum de nullitate penſionis, nihilominus Ordinarius mandatum ſub cenſuris contra illum decreuit, à quo fuit appellatum, & dominus meus Plottus, in gradu appellationis pronuntiauit, penſionem nullam ad fauorem
2. Emanuelis: quia cùm eſſet reſeruata ſuper fructibus, dummodo illorum medietatem non excederet, & illi 24. non excedant, fuit nulla, cùm clarum ſit, quòd ferè omnes Canonicatus Hiſpaniæ, etiamſi fuerit Canonicatus Toletanus nihil valent importatis. Sarnen. in terminis penſionis ſuper fructibus Canonicatus, & Præbendæ Calaguritan. *ſuper regula de valore quæſt.* 8. *verſ. & iſta omnia, & verſ. quia clarum eſt.*

3. Et ſi Petrus prætendit vltra 24. exiſtere alios fructus, ipſi incumbit onus probandi: nam ipſe tenetur verificare penſionem ab initio fuiſſe validè impoſitam. Peregrin. *deciſ.* 144. incip. *Eo-*
4. *dem die lib.* 3. & fuit dictum in alia Salmantin. penſionis 25. Iunij 1582. coram D. Lancellotto.

Nec dicatur, penſionem eſſe validam, ex eo, quòd fuit reſeruata ſuper fructibus, redditibus, & emolumentis, quaſi iſta verba diſtributiones quotidianas comprehendant, * quæ ſimul cum fructibus excederent in iſto caſu ſummam 24. ducat. &c.

* latè diſſerit de hoc art. Moneta de diſtr. p. 1. q. 6. n. 1. & n. 10. tenet priuilegium de percipiendis fructibus in abſentia non comprehendere diſtributiones, quod extende vt ibi n. 12. & an ſequeſtratis fructib. beneficij ſint ſequeſtratæ diſtributiones quotidianæ, vide Gonzal. latè diſputans ad reg. 8. §. 7. procemij an. 158. cum ſeq. † adde infrà dec. 181. n. 2. vbi annotabo alias dec.

Quia reſpondetur, quòd iſtorum appellatione non veniunt diſtributiones † quotidianæ, quæ non computantur inter fructus. *cap. licet vobis,* vbi gloſſ. *in verb. diſtributiones, de præbendis.* Oldrad. *conſ.* 118. incip. *Ex virtute gratiæ*, Ripa *in cap. cùm M. Ferrarienſis num.* 16. *de conſt.* Gigas *reſp.* 35. incip. *Laudo profectò num.* 9. *& ſeqq.* Caſſador. *deciſ. vnica, de cler. non reſiden. & deciſ.* 6. *de præbend.*

Quare ex iſtis in ſecunda inſtantia pronuntiaui contra Petrum Romero, non obſtante conceſſione Remiſſoriæ ad probandum valorem fructuum vltra 24. ducat, &c. quia vltra quod videbatur releuans, fuit relaxata cum decreto ſine retardatione expeditionis cauſæ.

---

## *Bobien. iuris optandi.*

### Die Veneris 12. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Sequeſtrum non apponitur à Rota, ſi non præcedat ſententia.*

3 *Poſſidenti vigore mandati de manutenendo, non poteſt apponi ſequeſtrum.*

4 *Sequeſtrum facilè in beneficialibus apponitur.*

5 *Sequeſtrum apponitur, quando alterius partis poſſeſſio eſt dubia.*

### DECISIO LXVII.

1. SVb die 8. Iulij * 1589. fuit per Dominos concluſum, non conſtare de legitima poſſeſſione iuris optandi, ad effectum inualiditatis ſententiæ Epiſcopi Bobien. & cùm iam eſſem laturus ſententiam contra Stephan. Bazigalupum, quia nihil ex aduerſo releuans deducebatur contra deciſionem, maluit eius Procurator, quòd op-
2. poneretur ſequeſtrum, quod nunc Domini re-
3. uocandum cenſuerunt: tum quia non præceſſerat ſententia lata in Rota * *Clem.* 1. *de ſequeſtr. poſſeſſionis.*

* ſuprà dec. 39. à qua fuit receſſum infrà dec 92.

Tum præterea, quoniam conſtabat, Stephanum poſſidere ſaltem vigore mandati de manutenendo, ſibi aliàs conceſſi, quo caſu ſequeſtrum non habet locum. Bald. *in l. quidam exiſtimauerunt.* vbi Iaſon *num.* 4. *verſ. iſtud vltimum limitat. ff. ſi cert. petat.* Franciſcus Marcus *deciſ. Delphin.* 405. incip. *Quæritur quando interdictio, part.* 2. Capitius *deciſ.* 96. incip. *In cauſa magnifici num.* 11. *&* 12.

* de hoc articulo diſputat Gonçal. ad reg. 8. §. 7 procemij n. 30. & ſeq. & infra dec. 222. n. 2. & 6. & 381 n. 1. & dec. 847. n. 2. & dec. 855. n. 1. 2. & 9.

4. Nec dicatur, quòd in beneficialibus facilè permittitur ſequeſtrum. Archid. *in cap. quia res* 11. *quæſt.* 1. ne detur vitioſus ingreſſus. *cap. eum qui, de eo qui mittit. in poſſeſſ. lib.* 6.

5. Quia id poſſet procedere, quando alterius partis eſſet dubia poſſeſſio. Iaſon *in d. l. quidam exiſtimauerunt num.* 4. *verſ. vbi dicit. ff. ſi cert. petat.* Guido Papæ *deciſ.* 578. incip. *Si agatur*, Franciſcus Marcus *deciſ.* 405. *part.* 2.

---

## *Ripana Molendini.*

### Die 12. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

3 *Confeſſio partis eſt euidens probatio.*

4 *Præpoſitio, A, vel Ab, excluſionem ſignificat. quod intellige, vt num.* 5.

6 *Sententiæ tres, faciunt rem iudicatam.*

### DECISIO LXVIII.

1. PEr tres ſententias extra Rotam latas fuerat Cæſar Maurus condemnatus, ad reſtituendum molendinum, ac in omnibus damnis, expenſis, & intereſſe, ſed obtenta per eum reſtitutione in integrum, & cauſa introducta in Rota, dubitaui, an præfatæ ſententiæ eſſent confirmandæ, vel infirmandæ.

2. Et quoniam dubij deciſio pendebat ex eo, an Cæſari

Cæſari eſſet reſtitutum molendinum macinans,
ſeu ad molendum aptum,aliqui ex Dominis te-
nebant,non fuiſſe tale reſtitutum, quod videba-
tur inferri, tum ex confeſſione aduerſariorum,
de qua in articulis per ipſos datis, qua nulla eſt
maior probatio. * *cap.per tuas,de probat.l.genera-*
*liter.C.de non numer.pecunia.*

* adde ſuprà dec.32.n.3.

3. Tum ex dictis teſtium contra Cæſarem exa-
minatorum, affirmantium, quòd ab initio ann.
1585.vſque nunc,molendinum nunquam potuit
4. molere ob repletionem formæ: nam licèt præ-
poſitio A,vel Ab,quandoque excluſionem ſigni-
ficet, Bald. *in l. à colligato. C. de nuptijs, & in cap.*
*ego N.* vbi Felinus *in princ.de iureiurando.*

5. Nihilominus,quando adiicitur initio tempo-
ris, vt in caſu propoſito, incluſionem importat,
vt bene declarat Bald.*conſ.*457. *lib.*1.

Alij verò ex Dominis, cum præſuppoſito,
quòd relatio peritorum eſſet legitima, tenebant
oppoſitum: tum propter eorum aſſertionem,
dicentium, molendinum fuiſſe reſtitutum Cæ-
ſari macinans; nam licèt fouea eſſet aliquantu-
6. lum repleta,cum impenſa tamen ſeptem opera-
riorum poterat expurgari: tum quia Liuius &
litis conſortes habebant fundatam ſuam inten-
tionem in tribus ſententiis.

Et hæc in ſumma vtrimque proponebantur;
vnde cùm inter Dominos non conueniret, &
cauſa ageretur inter pauperes, & conſangui-
neos, ordinarunt mihi, quòd ſtuderem partes
concordare.

---

## *Burgen. Abbatiæ de Sobarzo.*

### Die Lunæ 15. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2. 3 *Iuſpatronatus antiquiſſimum, probatur per famam.*
4 *Sententia data etiamſi ſit antiquiſſima,ſemper pro ea eſt præſumendum.*

## DECISIO LXIX.

1. * DVbitaui, an ſufficienter probaretur ius
præſentandi ad iſtam Abbatiam,compe-
tere familiæ de la Riba, & Domini dixerunt,
quòd cùm hîc ageretur de iure patronatus anti-
quiſſimo,de cuius initio memoria non exiſtit,ex
his quæ proponebantur ſatis probari pertinen-
tiam illius ad familiam de la Riba,nam de com-
2. muni, & antiqua reputatione deponunt teſtes
ſuper ſecundo articulo additionali, probantes
3. immemorabilem iuxta requiſita per gloſſ. &
DD.*in cap.*1.*de præſcript.lib.*6. quo caſu cùm aga-
tur de iure patronatus antiquiſſimo,* probatio
etiam per famam,quam teſtes affirmant,ſuffice-
ret. Bald.*in l.cùm ſuper.C.de rei vindic.* Socin.iun.
*conſ.*105.*num.*16.*l.*2. Abb.*conſ.*464. *num.*27. Cra-
uet.*conſ.*322.*num.*2. Mohedan. *deciſ.*352.*in fine,*
Caſſador. *deciſ.* 2. *num.* 4. *de probat.* qui licèt in
probanda exiſtentia iuris patronatus, requirat
etiam quaſi poſſeſſionem legitimam præſen-
tandi, id tamen non procedit in probanda illius
pertinentia.†

* præſens dec. habetur inter impreſſas penes Marchez de commiſ.p.3. pag.112.

* adde Rotam diuer. p. 3. lib. 3. dec. 481. & quæ probatio ſit neceſſaria, & concludens, vide apud Ludouiſ. qui plures tradit dec.222. n.2. & 3. & copioſè additio ibi n. 11.

† quia non ſequitur, habeo ius præſentandi, ergo competit mihi iuſpatronat. Gonzal. gloſſ.45. §.2. num.27. & 28.

Accedit teſtimonium Ioannis de Zaballos
*ſuper* 2. *art. additionali,* dicentis, omnes ex dicta
familia de la Riba ſuis temporibus fuiſſe habi-
tos,& reputatos pro veris patronis dictæ Abba-
tiæ: qui tanquam tales quando ſe vacatio obtu-
lit,præſentauerunt ad illam,perſonam ipſis bene
viſam, & præſertim Petrum quendam Garciam
Clericum,qui fuit Abbas eiuſdem Abbatiæ,cùm
eſſet ex eadem familia de la Riba.

Iſtam probationem dixerunt Domini coad-
iuuari per antiquam ſententiam arbitralem, la-
tam anno 1523. qua iſti de la Riba declarantur
Patroni,& vti tales ad participandum ortorij(id
eſt, quarundam oblationum, quæ certis tempo-
ribus in Eccleſia, quaſi in ſignum iuris patrona-
tus diſtribui ſolent,) admittuntur: quia pro tali
ſententia, ſeu laudo præſumitur, Decius *con-* 4.
*ſil.*315. Crauet.*conſ.*668.*num.*17. Ruin.*conſ.*136.
*num.*11.*lib.*2.

Ad omnia quæ opponebantur contra iſtam
ſententiam arbitralem, quòd ſcilicet non eſſet
recognita, nec in forma probanti, fuit dictum,
quòd licèt ex ſe ob defectus ſibi oppoſitos non
faceret plenam fidem, poterat tamen pro admi-
niculo deſeruire, præſertim in hoc caſu, in quo
pertinentia iſtius iuris patronatus ad alias fa-
milias, ad quas ſpectare iam fuit deciſum, * ſi-
militer probata extitit per ſimiles teſtes, depo-
nentes de communi reputatione,& publica vo-
ce, & fama.

* ſuprà deciſ.32.

---

## *Romana reſciſſionis contractus.*

### Die Lunæ 15. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2.3 *Tranſactio facta ex falſa cauſa eſt nulla, etiam ſi ſit iurata,* 4.*&* 9.
4 *Error excludit conſenſum.*
5 *Cauſa finalis dicitur illa, quæ cohæret diſpoſitioni.*
6 *Defectus ſolemnitatum tolluntur,per confirmationem Apoſtolicam.*
7 *Regula vnionum, non ſortitarum effectum,tantùm habet locum in beneficialibus.*
8 *Tranſactio non retractatur prætextu inſtrumentorum de nouo repertorum.*
*quod intellige vt num.*9.
10 *Cauſa appoſita in obligatione,ſi vera non ſit, vitiatur obligatio.*
11 *Iuramentum ſemper habet tacitam conditionem, quam habet actus ſuper quo interponitur.*

## DECISIO LXX.

1. SAbina ſancta, & quatuor aliæ Moniales, ſeu
Bizochæ, habitantes in domo ad Arcum de
Cinciis, cum quibuſdam pactis, & reſeruationi-
bus, omnia bona quæ poſſidebant, tam in vrbe,
quàm extra,ann.1578.ſponte dederunt monaſte-
rio Monialium S.Iacobi de Morattis.

Præſens deciſio habetur inter impreſſas penes Marcheſ. de commiſ.p.3. pag.107.

Dominus Gregorius XIII. contractum
iſtius ceſſionis, & inſtrumentum inde con-
fectum cum inſertione omnium conuentio-
num, in eo contentarum motu proprio con-
firmauit.

Sed cùm quædam ſuperſtites Bizochæ,præfa-
tum contractum nullum eſſe prætenderent, tum
ex defectu confirmationis Apoſtolicæ: tum
etiam,



etiam,quia in ſupplicatione non fuerant expreſ-
ſa pacta, & conuentiones, quæ in contractu in-
teruenerant die 13. Iulij ann.1588. ſub illa falſa
expreſſione, cùm præfatis Monialibus de Mo-
rattis confirmationem Apoſtolicam, tunc igno-
rantibus concordiam inierunt, qua pleno iure
Bizochis quædam domunculæ cum apothecis
conceduntur, vt liberè de illis diſponere vale-
rent, ac ſi contractus ann.1578. celebratus non
fuiſſet.

Reperta poſt tranſactionem confirmatione
Apoſtolica, & cognita concordiæ deceptione
Monialis, iudicium Vicarij Domini Papæ ad-
euntes,ab eo fauorabilem ſententiam (per quam
concordia tanquam ex falſa cauſa inita declara-
batur nulla) obtinuerunt, cauſa introducta in
2. Rota Domini dixerunt,ſententiam Vicarij con-
firmandam, quia tranſactio fuit facta ex falſa
cauſa, quæ eſt finalis, vt colligitur ex ſerie facti
*ad l.vlt.ff.de hæredibus inſtit. & l.*1. *ff.ad Macedon.*
& *ibi* Bartol.

3. Falſa verò cauſa * tranſactionem vitiat. *l. in*
*ſumma, verſ.ſin autem. ff de condict. indeb.* Crauet.
*conſ.*538.*num.*17.*& conſ.*851. *num.*12. quod pro-
cedit etiam ſi tranſactio eſſet iurata, & adeſſent
clauſulæ prægnantiſſimæ, vt ſæpè fuit in Rota
4. deciſum: nam error † excludit conſenſum, ſine
quo nulla conuentio,ſeu obligatio tenet. *l.ſi per*
*errorem.ff.de iuriſdict. omn. iudic.* Calderin.*conſ.*1.
*de tranſact.*& fuit concluſum in cauſa Viterbien.
tranſactionis 15. Ianuarij 1574. coram Domino
de Graſſis,& in alia Tiburtina Caſtri Sambuchi
die 1.Decembris ann.1578.& 20.Februarij 1579.
coram Domino Aldobrandino,& in alia Præne-
ſtina tranſactionis * 21. Nouembris ann. 1575.
coram Domino Seraphino. Vnde intelligitur,
illam dici cauſam finalem, quæ cohæret diſpo-
ſitioni,& quæ inſpecta iuris diſpoſitione inducit,
5. & arctat ad ita diſponendum. *l.*1. vbi Bartol. *de*
*falſa cauſa adiecta, & in l. demonſtratio falſa.* §. 1.
*verſ.*3.*quæro de effectu cauſæ.ff.de condit.& demonſt.*
bene Bartholomæus Socinus *conſ.* 159. incip. *In*
*præſenti conſultatione num.*22. *&* 23. *lib.*2.

* adde infrà dec. 93. n.4. & deciſ.778. num.17.

†hæc regula adeò eſt certa vt nullam habeat limitationem, vt ex deciſ. & Bald. tenet Rota apud Ludouiſ.dec. 179.n.5.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ.275.

Moniales, ex quo dicebatur, primam dona-
tionem ſuo monaſterio factam eſſe nullam,quo-
niam erat,celebrata ſub beneplacito Sedis Apo-
ſtolicæ, (quod aſſerebatur non acceſſiſſe) indu-
ctæ, & quaſi coactæ fuerunt ad tranſigendum,
ne omnia amitterent.

Iſta verò aſſertio,quæ Moniales ad tranſigen-
dum impulit ex repertis iuribus fuit detecta fal-
ſa, & ideo tranſactio corruit.*

* Seraph. in d.deciſ. 275. num.1.

Tolluntur præterea defectus ſolemnitatum
ſtatutorum, & cætera omnia oppoſita contra
6. primam donationem ex confirmatione Apo-
ſtolica.

7. Regula reuocatoria vnionum, non ſortita-
rum effectum, non poteſt nocere primæ dona-
tioni; quia non procedit in iſtis vnionibus, ſeu
donationibus,ſed tantùm in beneficialibus,*ne
fiant ad decipiendum ſucceſſorem.

* vide Gonzal. gloſſ. 5. §.3.n.48 vbi aduerte Bullam Pij V. eſſe 47. in Bullario Cherubin. & non 46.vt ipſe allegat in tom. 2. pag. mihi 243.

Quod dicitur, litteras non fuiſſe expeditas,
non vitiat primam donationem: nam ſupplica-
tio producitur,non ad effectum petendi aliquam
primæ donationis canonizationem, ſed ſolùm
ad oſtendendam falſam tranſactionis cauſam,
præſertim cùm hodie,ſi opus ſit,litteræ expediri
poſſint.

8. Non obſtat text.*in l.ſub prætextu.C.de tranſact.*
quòd tranſactio non retractetur prætextu inſtru-
mentorum de nouo repertorum:quia licèt poſſet
dici fauore Eccleſiæ retractari tranſactionem,
& ſententiam prætextu inſtrumenti nouiter re-
perti.gloſſ.*in l.ſub ſpecie.C.de re iudicata,*vbi Bald.
Salicetus, & Paulus de Caſtro, cum aliis cumu-
latis per D. Antonium de Padilla *in d. l. ſub præ-*
*textu, num.*16. *C. de tranſactionibus.* Quidam ta-
men ex Dominis dixerunt,non eſſe neceſſarium
in iſto caſu confugere ad hanc rationem, cùm
ſufficiant circunſtantiæ facti,ad nullitatem con-
cordiæ,nec aliquid facit ille textus,qui procedit
cùm bona fide tranſactio finita fuit, ſecus ſi ex
falſa cauſa, quia tunc præſumitur dolo malo
facta, & ideo reſcindenda. Crauet. *d. conſ.* 538. 9.
*num.* 17. Cuman. *conſil.* 156. incip. *Viſa ſerie,*
*num.*4. *&* 5.

Iuramentum appoſitum in tranſactione, non
facit illam valere, quia intelligitur ſub illa con-
ditione, ſi confirmatio Apoſtolica non fuiſſet
obtenta,qua cauſa non exiſtente vera,non obli-
gat.*l.fin.*vbi Bald.& alij, *C.de non numerata pecu-* 10.
*nia*; maximè cùm iuramentum ſemper habeat
tacitam conditionem, quam habet actus ſuper
quo interponitur. Decius *conſ.*379. incip.*Requi-* 11.
*ſitus,num.*12.*verſ.præterea illud,& conſ.*408. incip.
*In præſenti conſultatione,num.*7. *verſ.vltimò non ob-*
*ſtat,*latè Tiraquell.*in præfata l.ſi vnquam num.*165.
*&* 166. *C.de reuocan.donationib.*

Quoad nullitatem ſententiæ Vicarij ob non
præſtitum iuramentum calumniæ, placuit Do-
minis reſponſio data per informantes,quia cùm
non fuerit petitum in iſto iudicio poſt commiſ-
ſionem cauſæ, ſuper reſciſione concordiæ, ſed
longè antea, non vitiat ſententiam.

---

## *Parmen. Beneficij S. Nicolai de Tolentino.*

### Die Veneris 19. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

5.6 *Coniunctio verbalis inducit ius accreſcendi.*
7 *Ius accreſcendi,ad effectum requiritur,vt fiat cum diſtributione partium.*
8 *Verbalis coniunctio ad effectum iuris accreſcendi, cognoſcitur, ſi in eodem contextu verborum, eadem res eſſet relicta.*
9 *Ius accreſcendi non habet locum poſt acquiſitam portionem.*
*quod intellige vt num.*10.
11.12 *Subſtitutiones tot intelliguntur, quot ſunt gradus deſcendentium, qui ſunt vocati.*
13 *Dictio* tantùm, *eſt taxatiua.*
14 *Teſtamenti vna pars aliam declarat.*
15 *Ius accreſcendi non habet locum, ſi ſub diuerſa oratione, vel ſub diuerſo verbo regatur diſpoſitio.*
16 *Ius accreſcendi non inducitur per copulam, coniunctione verbali.*

## DECISIO LXXI.

ISta cauſa fuit ſæpè propoſita in Rota, & quia 1.
Domini erant varij,non potuit diffiniri: tan-
dem fuit reſtricta, & concluſa.

Et

Et quia continet articulum ſatis difficilem,& practicabilem, & adſunt aliquot deciſiones difficultatem augentes, ne in poſterum de illo dubitare contingat,placet factum,cum magis principalibus circunſtantiis narrare, & inde conformem dominorum diffinitionem ſubiungere.

Margarita dilla Verde Parmen. ann. Domini 1423. condito teſtamento, ſuos vniuerſales hæredes inſtituit,Lucam filium Pauli de Ceratis,& Antonium,& Gerardum,& Franciſcum, & Magiſtrum Leonardum fratres, & filios Andreæ de Ceratis; Lucam videlicet pro parte dimidia pro indiuiſo, & alios præfatos fratres communiter, & æqualiter pro alia parte dimidia pro indiuiſo.

Eadem ordinauit, quòd poſt mortem ſuam, beneficium ſacerdotale (de quo agitur) fundaretur per ſuos infraſcriptos Patronos, videlicet Lucam de Ceratis pro vna parte ex vno capite, & per prædictos fratres pro alio capite: quem Lucam de Ceratis,& omnes deſcendentes ab eo ex linea maſculina pro vno capite, & quos præfatos fratres de Ceratis, & quemlibet ipſorum, & omnes deſcendentes ab ipſis, & quolibet ipſorum ex linea maſculina pro vno alio capite tantùm Patronos inſtituit.

2. Mortua Margarita,& beneficio erecto,& dotato, occurrente illius vacatione, tam patroni primò nominati, quàm deſcendentes ab eis per lineam maſculinam,beneficiatum cum requiſitis qualitatibus per teſtatricem elegerunt, & præſentauerunt.

3. Anno 1557.Lucas de Ceratis,Epiſcopus Conſtantienſis vnus, & vltimus, & ſolus ex deſcendentibus per lineam maſculinam à præfato Luca ſeniore,primo Patrono per Margaritam conſtituto pro vno capite, condito teſtamento ius patronatus dicti beneficij,pro parte ſibi competente legauit Alphonſo de Baleſtreriis, ſuo ex ſorore nepoti, eius vita durante: ſed Alphonſo mortuo, idem ius patronatus pro dicta parte in perpetuum pertinere voluit ad antiquiorem filium filiorum præfati Alphonſi, & Lucæ de Ceratis: & in omnibus bonis, idem Lucas iunior ſuos vniuerſales hæredes inſtituit Franciſcum, Paulum,& Modeſtum,fratres de Baleſtreriis, filios præfati Alphonſi, & Lucæ de Ceratis.

4. Denique ann. 1587. occurrente vacatione iſtius beneficij,Paulus,Gerardus,Franciſcus,Valerius,& alij fratres de Ceratis,deſcendentes per lineam maſculinam à primis Patronis, Iulium Cæſarem de la Latta,Abbati S.Ioannis,Ordinario iſtius beneficij collatori præſentauerunt. Similiter Alphonſus Baleſtrerius,tanquam hæres, & legatarius ex teſtamento Lucæ iunioris de Ceratis,& Paulus Modeſtus de Baleſtreriis, ſuis propriis nominibus, & tanquam filij, & hæredes Lucæ de Ceratis, & hæredes Lucæ iunioris de Ceratis, Paulum Baleſtrerium præſentauerunt.

Orta controuerſia,tam inter Patronos,quàm inter Præſentatos, Abbas ad fauorem illorum de Baleſtreriis pronuntiauit: cauſa per appellationem commiſſa in Rota, dubitaui primum, an ſententia eſſet confirmanda, vel infirmanda.

Et cùm multa vtrinque proponerentur, & nouæ difficultates præter allatas per informantes,eſſent per Dominos excitatæ,placuit tandem reſtringere dubium, an in iſto caſu habeat locum ius accreſcendi.

Et fuit conformiter concluſum locum * ha- 5.
bere: nam in inſtitutione facta per Margaritam aderat coniunctio verbalis; & certi iuris eſt, quòd verbis coniuncti habent ius accreſcendi. *l.vnic.§.vbi autem legatarius. C. de caduc. tollend.l. re coniuncti. ff. de leg.* 3. quia intelliguntur tacitè ſubſtituti.*l.ſi Titio,& Mæuio.§.Iulianus.ff.de leg.*2. Bald. *conſil.* 379. incip. *Thema ſuper quo, lib.* 4. & 6.
coniuncti verbis propter vnitatem ſermonis, quaſi in vnum corpus redacti ſunt, & partem coniunctorum ſibi hæredum quaſi ſua præoccupant.*d.l. vnica. §. his ita diffinitis, verſ. hoc ita tam variè. C.de caduc. tollendis.* & vnius perſonæ poteſtate funguntur. *l. planè, la primera, in princ. ff. de legat.*1. Imola *in l.item quod Sabinus num.*3. *ff. de hæred.inſtit.*

(*hæc deciſio fuit confirmata infrà dec.94.)

In caſu propoſito, deſcendentes ex Luca ſe- 7.
niore filio Pauli, & deſcendentes ex Antonio Gerardo, Franciſco, & Leonardo, filiis Andreæ in iure patronatus, verbis ſunt coniuncti, cum diſtributione partium, ſeu vocum, quæ ad oculum corporalem demonſtrari non poſſunt, vt requiritur ad effectum iuris accreſcendi.Rubeus Alexandrinus *conſ.*52. incip. *Viſo teſtamento, n.*6. & Dominus meus, & coadiutor Mantica *de coniecturis vltim. voluntat. lib.* 10. *tit.*3. *num.*7. vnde competit illius ius accreſcendi.

Nec de coniunctione verbali Domini dubi- 8.
tant, cùm eis in eodem contextu verborum,eadem res eſſet relicta, quod facit eos verbis coniunctos eſſe. *l.triplici.ff. de V.S.d.l. re coniuncti. ff. de legat.*3.

Vnde cùm Lucas iunior ſolus, & vltimus ex deſcendentibus per lineam maſculinam Lucæ ſenioris ſine liberis deceſſerit, Iacobus, Gerardus, Franciſcus, & Valerius de Ceratis, deſcendentes per lineam maſculinam à primis patronis, pro vno alio capite inſtitutis, ad portionem deficientem per ius accreſcendi debent admitti.

Non officit vulgaris oppoſitio,quòd poſt ac- 9.
quiſitam portionem, ſeu emolumentum, non habeat locum ius accreſcendi. *l.*1. *§. interdum.ff. de vſufructu accreſcendo.* Bartol. *in d.l. re coniuncti. num.*49.*ff.de legat.*3. Paulus de Caſtro *conſ.* 262. incip. *Dico quòd Epiſcopus, verſ. breuiter aduertendum eſt,lib.*2.cum ſimilibus, & quòd ſi cùm portio iuris patronatus, quæ nunc dicitur deficere, olim fuerit acquiſita Lucæ ſeniori, & eius filiis, non poteſt nunc accreſcere alteri lineæ.

Quoniam fuit reſponſum,id procedere,quan- 10.
do ius patronatus,ſimpliciter pluribus in eadem oratione relinquitur: tunc enim, quamuis ſint verbis coniuncti,poſtquam ſingulis pro ſua portione eſt acquiſitum, ceſſat ius accreſcendi.

Verùm hîc, ius patronatus nedum fuit relictum Lucæ, Antonio, Gerardo, Franciſco, & Leonardo, ſed omnibus deſcendentibus ab eis per lineam maſculinam: vnde omnes omnino deſcendentes ex eadem linea maſculina ſunt ſubſtituti,& vocati ex propria perſona. Decius *conſil.*515.incip. *In caſu occurrenti, num.*1.& 2. Curt. iunior *conſ.* 16. *num.*7. *lib.* 1. Ruinus *conſil.* 156. *num.*4.*lib.*2.& *conſil.*130.*num.*7.*lib.*3. & in terminis iuris patronatus Lambertinus, *l.* 1. *part.* 2. *quæſt.*2. *art.*8. *num.*8. nam quot ſunt deſcenden- 11.
tium gradus,tot intelliguntur ſubſtitutiones, vt fuit deciſum in illa Brixien.compromiſſi,coram R.P.D.



meo *Seraph.Oliuar.26.Nouemb.1571.

(* habetur in impreſſis Seraphin. deciſ.146.)

Neque hîc controuertebatur,an deſcendentes ex vna linea eſſent ſubſtituti in portione alterius lineæ, vel an inter eos habeat locum reciproca ſubſtitutio; ſed præciſè,& ſtrictè quærebatur,an haberet locum ius accreſcendi: & cùm ex prædictis pateat locum habere,ideo ſi deſcendentes ex vna linea deficiunt, ad eam portionem tamquam non nato poſthumo, cui etiam illa portio coniunctim fuerat relicta,deſcendentes ex altera linea,per ius accreſcendi debent admitti: pro quo viſum fuit Dominis multum facere textus
12. *in l.ſi duobus.§.ſi Titio.ff.de legat.*2. Quare cùm in ſingulis gradibus deſcendentium intelligatur facta propria ſubſtitutio,ius accreſcendi ante portionem ex poſteriori ſubſtitutione acquiſitam locum habet.

Ad illud etiam, quod proponebatur contra
13. ius accreſcendi de dictione taxatiua, * *tantùm,* quam appoſuit teſtator in deſcendentibus ex linea Antonij,Gerardi,Franciſci,& Leonardi,qui nunc volunt ſuccedere per ius accreſcendi, qui pro vno alio capite tantùm ſunt ſubſtituti; & ideo ex mente teſtatoris videtur ceſſare ius accreſcendi.*l.Lucius.§.qui habebat ff.de Trebell.*Bald. *in l.*1. *num.*10. *de ſecundis nuptijs,* Curtius iunior *conſ.*12. *num.*3. & 4.

(* quæ taxat diſpoſitioné, vt infrà dec. 85.n.4.& deciſ.265 n.2.)

Omiſſis aliis conſiderationibus fuit dictum, dictionem illam,*tantùm*,fuiſſe appoſitam Antonio,Gerardo,Franciſco,& Leonardo, & deſcendentibus ab eis, non ad excludendum ius accreſcendi, ſed ad diſtinguendum, & ſeparandum aliud caput, ad quod ſolus Lucas ſenior, & eius deſcendentes conſtituerunt vnum caput, & Gerardus,& eius deſcendentes aliud caput,& ita de reliquis, cùm teſtatrix voluerit duo tantùm capita patronorum, non plura conſtituere; & ex vno voluit eſſe Patronum Lucam ſeniorem, & eius deſcendentes; ex altero autem Antonium, Gerardum, Franciſcum, & Leonardum, & eius deſcendentes.Vnde quòd omnes ex alio vno capite tantùm,& in vnoquoque ex iſtis capitibus duobus,voluit patronos primùm vocatos,& eorum deſcendentes ſuccedere in capita, non autem in ſtirpes: per iſtam ergo dictionem taxatiuam,*tantùm,* non fuit excluſum ius accreſcendi, quod ex coniunctione verbali tanquam ex tacita quadam conſtitutione inducitur,ſed plura capita præter duo tantùm fuerunt prohibita,quod non obſcurè colligitur ex ſerie inſtitutionis: tum quia illam dictionem, *tantùm,* non appoſuit teſtatrix in eo capite, in quo Lucam, & eius deſcendentes voluit eſſe patronos;tum etiam,quoniam teſtatrix proculdubio in hæreditate locum habere voluit ius accreſcendi inter eoſdem Lucam,quem pro dimidia parte hæredem inſtituit, & Antonium,Gerardum,Franciſcum,& Leonardum fratres, quos in alia dimidia pro indiuiſo hæredes etiam fecit,& eodem modo verbis coniunxit abſque illa dictione taxatiua, *tantùm,* vt apparet ex facti ſpecie propoſita. Et cùm vna
14. pars * teſtamenti aliam declaret, *l.*1.*C.de impuber. & alijs ſubſtit.l.qui filiabus. ff. de legat.*1. veriſimile eſt, teſtatricem voluiſſe illud in iure patronatus locum habere, cùm inter eaſdem perſonas,eadem vtatur conceptione verborum, nec ſufficiens diſcriminis ratio aſſignari poſſit.

(*adde infrà dec.106.n.9. Rotam recen.p.2. dec.707.n.4.)

Denique ad deciſionem in cauſa Aretin. Capellaniæ coram D. meo Bubalo ſub die 1. Iunij an.1584. quæ magnam in aliis poſitionibus obiecerat Dominis difficultatem, fuit reſponſum, ideo in eo caſu iure potuiſſe concludi,non intrare ius accreſcendi,quoniam illi,qui volebant admitti, ad deficiétem portionem,non erant verbis coniuncti,vt colligitur ex ſerie narrationis facti illius deciſionis,cùm ſub diuerſa oratione eſſent vocati,& ſub diuerſo etiam verbo regatur diſpo- 15.
ſitio,& ſubſtitutio.Vnde per copulam non inducitur coniunctio verbalis ad effectum iuris accreſcendi. Bart.*in l.re coniuncti n.*12. *ff.de legat.*3. 16.
vbi Crottus *n.*35.& Iaſon *n.*33.teſtatur communem,Lancel.Polit.*n.*17.& *ibidem* Rip.*n.*25.Agebatur præterea ibi ſolùm reſpectu indiuiduitatis iuris patronatus, non autem iuris accreſcendi: vnde in illa, ex quo deficiebat verbalis coniunctio,non fuerunt iſta præciſè conſiderata.

Fuit etiam dictum, in illo caſu ceſſare coniecturam hîc collectam ex veriſimili mente teſtatricis, quæ hæredes inſtitutos verbis coniunxit, tam in iure patronatus, quàm in hæreditate.

Fuit ergo concluſum ex prædictis, intrare ius accreſcendi ad fauorem Iulij Cæſaris de la Latta, & per conſequens, ſententiam de partibus contra eum latam, eſſe reuocandam.

---

## *Salamantin. Parochialis.*

### Die Veneris 19. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Rota ſolet apponere clauſulam, quòd partes ineant concordiam quando adeſt notabilis difficultas, vel alia rationabilis cauſa.*

## DECISIO LXXII.

Die 30.Octobris 1589.* ordinarunt Domi- 1.
mini, quòd ſtuderem concordare cauſam inter Ioannem Miron, & Don Gaſparem Manrique,qui ſub certis pactis,& conditionibus inter ſe conuenerunt,& ſupplicationi ad D.Datarium deferendæ, de more appoſui illa verba; Rota cenſuit cauſam concordari.

(* ſuprà deciſ.54.)

Et quoniam Datarius deſiderabat, quod ego opponerem, quòd de ordine Rotæ cauſa concordaretur, prout in ſupplicatione deſcriptum
fuerat, conſului Dominos, qui reſponderunt, 2.
quòd licèt Rota ſoleat in ſimilibus cauſis,quando adeſt notabilis difficultas, vel alia rationabilis cauſa,reſcribere, quòd partes ineant concordiam:non autem conſueuit canonizare pacta, & conuentiones concordiæ, quæ relinquuntur Datario, & eius miniſtris examinanda. Nihilominus tamen,paucis poſtea diebus,cum D.Datarius deſideraret omnino apponi iudicium Rotæ, Domini ordinarunt, quòd ego examinarem pacta, & ſic reſecatis quibuſdam, quæ mihi non placebant, appoſui illa verba: Rota cenſuit, ſic cauſam concordari.

---

## *Rauennaten. Iuriſpatronatus.*

### Die Veneris 23. Iunij 1589. & die Mercurij 24.Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Ius patronatus tranſit ad hæredes extraneos.*

3 *Fundator poteſt apponere pactum, vt non tranſeat ius patronatus ad hæredes extraneos.*

4.5 *Appellatione filiorum non comprehenduntur adoptiui.*

6 *Fundator ſi competenter dotauit Capellaniam, non poteſt patronus fundationem mutarè, etiamſi illam augeat.*

7 *Beneficijs dotatis quod ſuperuenit, ditatio dicitur, non verò dotis conſtitutio.*

8 *Succeſſori non prodeſt quaſi poſſeſſio auctoris.*

## DECISIO LXXIII.

1. ANtonius Benolus Rauennas, Rector Eccleſiæ S. Michaëlis ann. Domini 1527. in dicta Eccleſia fundauit duas Capellanias, vnam ſub inuocatione S. Trinitatis, alteram ſub inuocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, reſeruato ſibi dum viueret iure patronatus, quod poſt ſuum obitũ in perpetuum ad ſuos hæredes, & deſcendentes ex eis, vel eorum altero, & ipſis deſcendentibus ſine liberis, vel non extantibus vno, vel pluribus, ad propinquiores, & in gradu parentelę ſuæ conſanguinitatis voluit pertinere. Ludou. Benolus, Antonij ſupradicti frater, & hæres, an. 1531. Capellaniam conceptionis S. Mariæ, ab eius fratre fundatam dotauit, & ad illam, Iacobum de Frugiis à fundatore viuente nominatum præſentauit, quem Iacobum eodem ann. die 26. Iunij, Vicarius Archiepiſcopi Rauennat. in præfatæ Capellaniæ poſſeſſionem immiſit. Idem Ludou. ann. 1531. condito teſtamento, Cæſarem Viceolum, ſuum priuignum, & filium adoptiuum, vniuerſalem hæredem inſtituit, Cæſar per obitum Iacobi de Frugis an. 1545. ad vacantem Capellam Conceptionis Beatæ Mariæ, Petrum Moriſſium præſentauit, quem Vicarius Archiepiſcopi Rauennat. ad illius poſſeſſionem admiſit ann. item 1576. Cæſar Viceolus teſtamento facto, Valeriam, & Lauram filias ſuas legitimas, & naturales hæredes inſtituit, quæ an. 1587. ad dictam Capellam Conceptionis Beatę Mariæ per obitum Pauli Moriſij tunc vacantem, Bonifacium Signorium præſentarunt; ſed quia Camillus Moriſius Clericus Rauennaten. (in cuius fauorem Paulus Moriſius dictam Capellaniam in manibus Papæ an. 1586. reſignauerat) auctoritate Apoſtolica fuerat de illa prouiſus, & etiam procurauit habere præſentationem ab illis de parentela Benoli primi fundatoris; dubitaui, an de præfata Capellania eſſet inſtituendus Bonifacius Signorius à Valeria, & Laura præſentatus, vel potiùs Camillus Moriſius à Sede Apoſtolica prouiſus, & die 16. Iunij cauſa propoſita in Rota, Domini pro Bonifacio Signorio, tunc informante pronuntiauerunt, ex quo à veris patronis videbatur præſentatus. Sed die 23. eiuſdem, iterum cauſa propoſita in Rota, Domini receſſerunt à deciſis, & de Capellania Camillum inſtituendum dixerunt; nam licèt Capellania foret de iure patronatus, præſentare ad illam non pertinet ad Valeriam, & Lauram, quæ non ſunt de parentela conſanguinitatis Benolorum: cùm enim Anton. Benolus primus fundator expreſsè in fundatione voluerit, quòd præfatum ius patronatus in perpetuum pertineret ad ſuos hæredes, & deſcẽdentes ex eis, & ipſis deficientibus tranſmitteretur ad propinquiores in gradu parẽtelæ, ſeu conſanguinitatis, & poſt mortem Antonij fundatoris, Ludouic. eius frater ei ſucceſſerit in hæreditate, & obierit ſine filiis, locus factus fuiſſe videtur ſubſtitutioni, ſeu pacto per fundatorem appoſito, vt ius patronatus ad proximiores de gradu parẽtelæ conſanguinitatis fuerit deuolutum, quam deuolutionem non impedit, quòd Cæſar Viceolus fuerit per Ludouicum inſtitutus hæres vniuerſalis, qui filias quoque Valeriam, & Lauram vniuerſales hæredes inſtituit, quaſi cum hęreditate fuerit ad iſtud ius patronatus tranſlatũ, quoniam licèt verum ſit, ius patronatus tranſire ad hæredes extraneos. gloſſ. *in c. conſiderandum, in*

2. *verb. cohæredes.* & *ibi* communiter Canoniſtæ 16. q. 7. Bald. *in l. 2. n. 1. verſ. nota in iſta lege. C. de in ius*

3. *vocando.* latè Lambert. *loco proximè indicando.* Tamen ſi fundator in fundatione appoſuerit pactũ, vt non tranſmittatur ad hæredes extraneos, (vt videtur factum in caſu de quo agitur) tunc ad illos, ad quos fundator voluit, deuoluitur, cùm tale pactũ in fundatione apponi poſſit, Bald. communiter receptus *in d. l. 2. n. 1. verſ. ſed nunquid ius patron. C. de in ius vocando.* Lambert. *de iure patr. lib. 1. p. 1. q. 9. principal. art. 1. in princ. n. 4. verſ. vnde dicit Bald. latiſſimè,* idem Lambert. *eod. lib. 1. p. 2. q. 2. princ. art 2. per tot.* Felin. *tract. quando litt. Apoſtolicæ noceant patronis n. 1. verſ. corroborari poteſt.*

4. Minus videtur impedire præfatam deuolutionem iuris patronatus ad hæredes parentelæ, & conſanguinitatis inſtitutio facta per Ludouicum de Cæſare Vrceolo filio adoptiuo: quia præfata conditio non intelligitur de filiis adoptiuis. Cinus *in l. generaliter. §. cùm autem, q. 4. C. de inſtit. & ſubſtitutionib.* & *ibidem* Alberic. *n. 2. & 6.* & Alex. *in l. ex facto. §. ſi quis rogatus. ff. ad Trebellian.* hanc opinionem putat veriorem, quam firmant cæteri quos refert, & ſequitur Dominus & coadiutor meus, Mantica *lib. 10. de coniecturis vltim. volunt.*

5. *tit. 8. n. 18. verſ. tertiodecimo hæc conditio*; tum quia in adoptiuis non reperitur tanta affectio, quanta in naturalibus, & legitimis: nam iſti non ſunt propriè filij, ſed fictione iuris, & quaſi imitatione naturæ. *§. minorem. Inſt. de adoptionibus.* tum quoniam ſi in filiis adoptiuis, & fictitiis iſtæ conditiones verificarentur, facilè teſtantium voluntates, & fideicommiſſa redderentur eluſoria.

Et quidquid ſit in caſu præſenti, omnis difficultas ceſſare videtur, ex quo Antonius fundator expreſsè diſpoſuit, vt in defectu liberorum deſcendentium à ſuis hæredibus, ius patronatus ad propinquiores de parentelæ ſanguinis deuolueretur; vnde nomine liberorum deſcendentium à ſuis hæredibus in prima oratione, illos ſolùm qui eſſent de parentela ſanguinis, intellexiſſe videtur, cùm eadem reperiatur affectionis ratio.

Non obſtat, quòd Ludouicus, fundatoris frater ann. 1531. Capellam præfatam dotaſſe dicatur, & quòd propterea licuerit ei illius ſtatum mutare, & ius patronatus relinquere hæredi ſuo extraneo, qui non eſſet de familia Benolorum: nam veriſimile eſſe videtur, Ludouicum non dotaſſe Capellam, ſed potiùs diſpoſitionem Antonij fratris, qui fundauerat, & dotauerat, adimpleuiſſe cum effectu, Iacobum de Frugis à fundatore dum viueret nominatum præſentando, & 15. tornaturas terræ, quas fundator donauerat aſſignando; præſertim cùm ex quantitate, & ſitu, & confinibus idem videatur prædium, quod Ludouicus ann. 1531. Capellæ aſſignauit, cum illò quod anno 1527. fundator deſtinauerat, ad tradita per Bartol. & alios *in l. demonſtratio falſa. ff. de condit. & demonſtrat.* Roland. *conſil.* 67. incip. *Prima conſideratione, num.* 18. *& ſeq. lib.* 2. gloſſ. *in l. forma, in verb. vicinos ff. de cenſibus.*



Præterea, quamuis Ludouicus illas 15. terræ tornaturas pro dote dederit, adhuc non potuiſſet contra diſpoſitionem fundatoris hæredi extra-

7. neo, ius patronatus*relinquere, & verbis patronis de parentela præiudicare, cùm fundator eam erexiſſet, & competenter dotaſſet. Rochus *de iure patronatus, in verb. & dotauit. num. 9. quæſt. 6.* latè Lambert. *eod. tract. lib. 1. part. 1. quæſt. 6. principali art. 1. & 2.* quia quod ſuperuenit beneficiis iam fundatis, & dotatis, ditatio potius eſt, quàm vera dotis conſtitutio, ex qua in præiudicium præſertim habentium ius patronatus, ſimpliciter non adquiritur ius patronatus.

* de hoc art. vide Viuian. in praxi lib. 2. cap. 8. n. 9. Verall. deciſ. 311. Rotam recen. part. 1. dec. 707. n. 4. vbi patronus poteſt renunciare iuri quod habet; quod non habet locum ſi ex eo inferatur præiudicium tertio, vide cap. querimoniã, de iure patron & noſtrum doctiſſimum Cen. in collect. 7. n. 2.

Poſtremò ex alio etiam capite dicebant Domini Bonifacium Signorium non eſſe inſtituendum, quia erat præſentatus à Laura, & Valeria de Vrceolis, vigore prætenſi iuris patronatus, & tamen non conſtabat de illarum quaſi poſſeſſione præſentandi. Nec poterant iuuari quaſi poſſeſſione præſentandi Cæſaris Vrceoli patris, quia quaſi poſſeſſio auctoris non tranſit in ſucceſſorem. † ad notata per Bald. *in l. fin. num. 48. C. de edicto Diui Adriani tollend.* & fuit ſæpe in Rota deciſum.

8. Vnde cùm præſuppoſito, quòd iura producta eſſent in forma probante (de quo videbatur dubitandum) nam ex quo erant à propriis Notariis, qui de illis fuerant rogati, ſubſcripta, * non indigebant aliqua compulſatione, vel partis citatione, cùm hoc caſu ſtetur illis, ac ſtaretur originalibus. Rota *deciſ. 1. de fide inſtrument. in nouis*, & quòd iſti præſentantes Camillum ſint de parentela conſanguinitatis Benoli primi fundatoris, Domini pronuntiauerunt, Camillum eſſe inſtituendum, cùm habeat præſentationes à patronis de familia, ſeu parentela Benolorum, & gratiam Apoſtolicam.

† hoc poteſt intelligi ſi in primo auctore adſit mala fides, nam tũc ſucceſſor non poteſt ſe iuuare de tali poſſeſſione authoris, vt per Ludouiſ. dec. 249. ſecus autem ſi ſucceſſor habeat titulum, vt per Beltr. ibi num 6. & ſeq.

* adde infrà dec. 262. n. 4.

---

## *Taurinen. Matrimonij.*

### Die Mercurij 24. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Deflorans virginem tenetur eam dotare.*

3.4 *Deflorans virginem tenetur eam dotare, aut illam ducere vxorem, vel quærere maritum æqualem, cui nubat.*
*quod intellige vt num. 9.*

6.7 *Deflorans virginem ſatisfacit, vel ducendo, vel dotando, non tamen vtrumque copulatiuè.*

8.9 *Defloranti virginem non præcisè, ſed cauſatiuè præcipitur, vt eam ducat vxorem.*

10 *Deflorata virgo ſemper præſumitur ſeducta.*

11 *Onus probandi incumbit alleganti mulierem non eſſe virginem.*

12 *Promiſſio facta in carceribus non præſumitur ſpontanea.*

## DECISIO LXXIV.

1. IOannes*Philippus Boninus Allaſynam Moyam, puellam viripotentem deflorauit, cui poſtmodum die 14. Ianuarii 1588. in carceribus exiſtens, de abortu accuſatus per chirographum manu propria ſubſcriptum, ſe illam ducturam vxorem promiſit, dummodo obiecti ſibi criminis abolitio à Principe impetraretur.

* hæc deciſ. habetur impreſſa per Farin. poſt tom. 1. conſ. dec. 74.

Allaſyna coram Ordinario Taurinen. Boninum conuenit, vt ſe dotaret, & vxorem duceret.

Ordinarius Boninum ad eam ducendam, *aut dotandam condemnauit, quam ſententiam in gradu appellationis Nuntius Apoſtolicus confirmauit.

* adde Rot. in vna Feretina Matrimonij 28. Iunij 1593. coram Iuſto impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſ. dec. 73. n. 4.

Cauſa introducta in Rota præmiſſis quibuſdam præſuppoſitis dubitaui, an Boninus Allaſynam vxorem ducere, aut dotare teneretur.

Et Domini quantum ad ſecundam dubij partem concorditer tenuerunt, obligari Boninum 2.
ad Allaſynam dotandam, per textum, vbi omnes, *in c. 1. & 2. de adulter.* S. Antoninus *in ſumm. part. 2. tit. 5. cap. 6. §. 1.* Couarr. *lib. 4. Decretal. cap. 6. §. 8. num. 15.* Anton. Gomez *in l. 80. Tauri num. 8.* Ioann. Gutierrez *lib. 1. canonicar. quæſt cap. 37.* Bernardinus Diaz *in pract. crim. canon. cap. 77.*

Quòd ſi Boninus duxerit, ſatis eſſe conſtitue- 3.
re puellæ defloratæ dotem, quam iuxta qualitatem puellæ, & conſuetudinem regionis foret habitura, vt conformiter cenſent præcitati Doctores, ſin autem renuendas nuptias putauerit, iuxta diſpoſitionem *cap. 2. de adult.* tunc teneri Boninum ad ſupplendum illud, quo plus indiget corrupta ad inueniendum virum ſibi æqualem. Ab-
bas antiquus *in d. c. 1. de adult.* vbi Ioan. And. *n. 9.* 4.
*in fine,* Anchar. *n. 6. notab. 6.* Panormit. *n. 4.* Couar. *lib. 4. Decret. c. 6. §. 8. n. 15.* & alij paulo antea relati: quia non eſt dubium, quin per deflorationem deterior ſit facta puella, & ideo maiori dote indiget, ad inueniendum virum ſibi æqualem; & deflorantem, qui cauſam damni dedit, teneri ad illud compenſandum.

Ceſſabit verò iſtud augmentum, quando cor- 5.
rupta, cum dote conſueta dari virginibus, poteſt conſequi, aut conſequitur maritum ſibi æqualem. Couarr. *vbi ſuprà,* quod eſt de mente ſcribentium *in d. cap. 1. & 2. de adulter.*

Quantum ad primam partem dubij, Domini 6.
etiam conformiter cenſuerunt, Boninum præcisè, & abſolutè non eſſe cogendum ad Allaſynam ducendam, iuxta *c. 2. de adult.* vbi præceptum deducenda, & dotanda virgine deflorata, non ponitur copulatiuè, vt *in c. 1.* ſed disiunctiuè. Tametſi enim veteres Canoniſtæ, Innoc. Hoſtienſ. & hos ſecuti, Ant. de Butrio, Zabarella, & plerique alij *in d. c. 1. de adult.* tenuerint, defloratorem etiam inuitum, iudicis authoritate cogendum, ad matrimonium contrahendum, ſpeciale ibi eſſe, dicentes ratione debiti, vt quis inuitus nuptias inire cogatur.

Nihilominus contrariam ſententiam vſu iu- 7.
diciorum receptam teſtantur Ant. Gomez *ad l. 80. Tauri num. 8. verſ. ſed his non obſtantibus,* Iulius Clarus *in §. ſtuprum, num. 3. verſ. ſed quæro quæ ſit pœna.* ſentit Panormit. *in d. cap. 1. de adult.* Couarr. Ioann. Gutier. S. Antoninus & alij, paulo antea relati, per textum *in cap. 2. de adulter*, per quem temperatur diſpoſitio *cap. 1. iuuenis,* virginem defloratam, & ducendam, & dotandam ſimul: nam ex illis duobus capitibus ſimul iunctis Domini cenſuerunt, hanc deduci ſententiam, menti legiſlatoris conformem, vt qui virginem deflorauit, cum ea præcisè matrimonium contrahere non cõpellatur, ſed cauſatiuè. Anch.

*in d. cap.1. de adulter. notab.5. num.5.* vbi Marian. Socin.*n.13. in fin. verſ.ſed aduerte,* idem Marian. *c.2.eod.tit.notab.2.n.3.*& S.Anton.*in ſum p.2.tit.5. c.6.§.1.verſ.hodie autem ſic punitur,*Ruin.*conſ.*189. *n.*8.*lib.*2.Ioann.Gutier.*lib.1.canonicar.c.37.n.11.*

9. Nec obſtat ſi dicatur, quòd *cap.1. de adult.*eſt deſumptum ex veteri Teſtamento *Exod.c.22.*vbi recenſetur inter præcepta iudicialia, quòd cùm fuerit relatum in ius Canonicum, per poteſtatem habentem, debet præciſè ſeruari. S.Thomas *1.2.quæſt.104.art.3.* Silueſter *in ſumma verb. Luxuria quæſt.5.* Imola *in c.cùm tanto num.7. & 8. de conſuetudine.*Pariſius *conſ.*68.incip.*Dubium exoritur num.106.lib.4.*& ideo Boninus tenebitur præciſè ad vtrumque.

Quoniam dixerunt Domini, quòd cùm idem Legiſlator, qui in corpus iuris Canonici reduxit, & viuificauit illud præceptum ex veteri Teſtamento, quod aliàs erat mortuum, ſtatim in eodem titulo de adulteriis *in c.2.* appoſuerit aliam diſpoſitionem cum diſiunctione, cenſetur voluiſſe præceptum *cap.1.* obſeruandum, cum illa qualitate de qua *in c.2.* vt ſcilicet deſlorans virginem teneatur illam ducere, & dotare: aut ſi renuendum putauerit, patiatur pœnas de quibus *in cap.2.*

Quod obiiciebatur ex Grato *conſ.43. num.31. lib.2.*nempe non eſſe locum diſpoſitioni *c.1. & 2. de adult.*niſi tria potiſſimum copulatiuè concurrant: primum, virum ſeduxiſſe: ſecundum ſtupraſſe: tertium puellam fuiſſe virginem; non
10. putabant Domini ſatis tutum: nam quantum ad primum, licèt vir aſſerat ſe non ſeduxiſſe, ſemper in dubio ſeducta puella præſumitur, Ruinus *d.conſ.189. num.9. lib.2.* Canoniſtæ *in d.cap.1. de adult.*& eſt communis opinio. Ioan.Gutier.*lib.1. canonicar.quæſt.cap.37. num.11.*

Secundum de ſtupro per Boninum commiſſo, non negabatur à partibus.

11. Tertium de virginitate Allaſynæ, ſi illam negaret Boninus, ei incumberet onus probandi: quia in dubio puella virgo præſumitur, ſicut virgo naſcitur, iuxta communem ſententiam Panormitani *in c.1. de adulter.n.5.* Iul. Clar. *in §. ſtuprum num.4. verſ.ſed pone quòd ſtuprator.*

12. Promiſſio facta per Boninum de Allaſyna ducenda, non videbatur multum vrgere; tum quia conditionalis, & deficiente conditione non habet locum, *cap.1.de ſponſalibus, l.qui promittit.ff.de condict.indebit.* tum quia facta in carceribus, quæ propterea minus ſpontanea videbatur. Pariſius *conſ.160. lib.4.*

Super aliis, ſi opus fuerit, partes audientur.

## *Giennen. redditionis rationis computorum.*

### Die Veneris 26. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum qui acceptauit, tenetur exigere redditus, vt valeat rationes reddere.*

3 *Rationes qui reddit, tenetur ſpecificare pretia, quibus vendidit frumentum,&c.*

4 *Rationes qui reddit, tenetur probare, tempore venditionis frumenti, hordei,&c. tantùm eſſe valorem communem.*

## DECISIO LXXV.

Vigore ſpecialis mandati, Didacus de Valenzuela adminiſtrauit redditus Scholaſtriæ Giennen.Ioann.Solani ab ann.1565. vſque ad ann.1570. incluſiuè, & redditus præſtimonij del Caſtellar ab anno 1567. vſque ad ann.1570. etiam incluſiuè: & cùm Didacus quædam computa produxerit, & hæres Ioannis Solani ex illis prætenderet non conſtare de legitima redditione rationum, dubitaui, an computa eſſent talia, quæ Didaco ſuffragarentur. Et Domini concorditer tenuerunt, rationes non fuiſſe benè redditas: nam reſpectu Scholaſtriæ non fuit ratio bene reddita, & integrè de toto tempore ab ann.1565. non obſtante eius excuſatione, quòd redditus non exegerit: quia ex quo mandatum acceptauerat, exigere tenebatur. Decius *conſ.*274. incip. *Viſo decreto num.3.& 4.* Corneus *conſ.*81.incip.*In hac conſultatione num.6. lib.4.* 1. 2.

3. Nec retulit diſtinctè, quanto pretio vendiderit frumentum, & hordeum, cùm tamen id adnotare debuiſſet. Corneus *conſ.24.* incip. *Viſis nonnullis, prope fin.verſ.circa aliud,*Pariſius *conſ.*88.incip. *Ad veritatem num.6. & ſeq.*

Reſpectu quoque beneficij del Caſtellar, videbatur inſufficiens: nam cùm ex quibuſdam Didaci quietantiis appareat, ipſum vendidiſſe triticum ad rationem vndecim Regalium, & hordeum ad rationem dimidij ducati pro qualibet faneca, quod proximiùs accedit ad pretium per Regiam pragmaticam conſtitutum; qua cauebatur, quamlibet fanecam tritici 11. vel 13. hordei verò ſex Regalibus vendere licere; ipſe aſſerit vendidiſſe triticum ad rationem 7. vel 8. hordeum verò ad rationem 3. aut ad ſummum 4. Iuliorum, quod longiùs diſcedit à pretio conſtituto: & cùm non probauerit, quòd tunc tanti 4.
vendebatur, non cenſetur ſufficientem rationem reddidiſſe. Afflictus *deciſ. 316. num.6. & 7.* Bartholom. Socinus *conſil.92.* incip. *Viſo inſtrumento lib.4.*

Accedebat poſtremò, quia cùm Didacus aſſerat pro ſua excuſatione, ſe occaſione adminiſtrationis diuerſis perſonis notabilem pecuniarum quantitatem ſoluiſſe, quietantias exhibere debebat, de quibus non docuit, &c.

## *Mediolanen. Canonicatus & Præbendæ.*

### Die Lunæ 29. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſione qui eſt anterior, debet manuteneri, etiamſi poſterior agat de nullitate.*

## DECISIO LXXVI.

Qvia per publicum inſtrumentum, D.Ioannes Maria Plottus docuerat de ſua anteriori poſſeſſione Canonicatus, & Præbendæ Mediolanen. de quo fuerat Apoſtolica auctoritate prouiſus. Domini ordinarunt, quòd illi darem mandatum de manutenendo, * non obſtante, quòd quidam Bernardus Marchettus, vigore etiam Apoſtolicæ prouiſionis à Vicario Mediolanen. Domino Plotto de nullitate prætenſæ prouiſionis dicente, & appellante, fuerit de facto in poſſeſſionem dicti Canonicatus immiſſus: cùm à dicta ſententia detur appellatio ſuſpenſiua, vt fuit dictum in vna Piſcien. ſiue nullius, 21. Februarij 1578. coram D.Aldobrandino. 1.

1. * Pluries declarauit Rota hunc art. vt apud Ludouiſ. deciſ. 29.n.5.& deciſ.40.& 171. n. 3. & 323. n. 7. & 149. n.1. vbi inuenies plures ampliationes huius reſolutionis & vide infrà deciſ. 319. & 368.



## *Firmana Iuriſpatronatus.*

### Die Lunæ 29. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

*Inſtrumenta carentia ſolemnitatibus, à iure requiſitis, non faciunt fidem.*

## DECISIO LXXVII.

1. Rota cenſuit die 1. Decembris * ann. 1589. teſtamentùm, & codicillos Antonioli, & exemplum teſtamenti Ioannæ Mariæ eius coniugis, non eſſe in forma probanti, quia carebant ſolemnitatibus requiſitis, niſi fides illorum coadiuuaretur, vel oculari inſpectione iudicaretur, vtrùm fidem mererentur. Procurator Cechini exempla in proceſſu producta exhibuit: ſed Domini dixerunt, oſtendi oportere inſtrumenta originalia, vt ex oculari inſpectione fidem, & probationem illorum metirentur.

* ſuprà dec. 59. & vide infrà deciſ. 678.n.8.

## *Caſalen. Beneficiorum.*

### Die Lunæ 29. Ianuarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Appellatio vt valeat, debet interponi intra decem dies.*

3 *Facti quæ ſunt, non præſumuntur, niſi probentur.*

4 *Probatio plenior requiritur in his quæ ſunt contra ius.*

5 *Stylus vnius Curiæ, ad aliam non poteſt inferri.*

6 *Citatio ad omnes, & ſingulos actus valet.*

7 *Delegatus Principis, poteſt ſubdelegare.*

8 *Protonotarius eſt in dignitate conſtitutus.*

9.10 *Poſſeſſio capta vigore ſententiæ, legitima cenſetur, & manutenenda.*

## DECISIO LXXVIII.

1. Dvbitaui, an ſententia Vicarij Mediolanen. ad fauorem D. Præpoſiti Decianæ tranſiuerit in rem iudicatam, ita vt poſſeſſio Præpoſiti, illius vigore capta, foret conſiderabilis.

2. Et cùm infra decem dies ab illius prolatione non fuerit appellatum, ſicut iure appellari oportuit. *l.1.§.biduum.ff.quando appellan.ſit.c. biduum 2. q.7. Authent.hodie autem.C.de appell.*in iudicatum tranſiuit, *c.quoad conſultationem, de re iudicata, cap. concertationi. de appellat.lib.6.cap.ſignificauerunt, de teſtibus.*

3. Stylus Mediolanen. quòd tempus ad appellandum non currat, niſi à die intimatæ ſententiæ, non probatur, & cùm ſit facti, non præſumitur, * niſi probetur. Roland.*conſ.3.num.35.lib.3.* & qui ſtylum allegat, illum probare tenetur, Berous *conſ.* 40. incip. *Quod in ſummarijs num. 7. lib.3.* Et quia talis ſtylus eſt contra ius commune, in eo probando plenior requiritur probatio.
* Rochus de Curte *in repetit.cap fin.de conſuetud. quæſt.* 8. Rebuf. *tract. de conſuetud. ſtylo & form. gloſſ.13. num.54. tom.3.* 4.

* adde Manticam deciſ. 37. n.3. & 4. & dec.8.n.4. & Rotam diuer.deciſ.40. in 3. p.lib.3. in impreſ.diuer n.3.

* adde eundem Manticam dec.159. n.1. & 357. num.2.

Neque probatus in Curia ſeculari iuuaret, vt aliàs fuit dictum in eadem cauſa die † 5. Iunij 1589. quia non conſtat, vtrùm ſeruari debeat in Curia Eccleſiaſtica, in qua fuit lata ſententia,
cùm de ſtylo vnius Curiæ ad aliam * inferre non liceat. Bald.*in l.certum, num.11. C.vnde legitimi.* Aufrerius *ad deciſ.Toloſan.*115. 5.

† ſuprà deciſ.34.

* ſtylũ vnius curię non eſſe trahendum ad aliã, reſoluit Ludo.dec. 352. n.8.& 48 additio ad dec. 484. n. 9. & quomodo probetur ibi.

Defectus citationis oppoſitus tollitur ex facto, cùm de illa conſtet, & habeat certum terminum, & diem, & dicat ad ſententiam, licèt in ea inculcentur alij actus, nempe ad videndum fieri quamlibet requiſitionem, & quamlibet ordinationem, & omnia alia: ſuſtinetur enim citatio facta ad omnes, & ſingulos actus. Vantius *de nullitatib.ex defect.citationis, num.101.*

6. De iudicantis poteſtate dubitari non poteſt, quia licèt commiſſio Papæ ſit directa Vicario Generali Mediolanen. non tamen infertur, eum non potuiſſe cauſam alteri idoneo committere, cùm explorati iuris ſit, delegatum Principis poſ-
ſe ſubdelegare. *cap.ſuper quæſtionum, & cap.paſtoralis, de off.iudic.delegat. l.à iudice.C.de iudic.* potuit ergo Vicarius Generalis ſubdelegare iſtum Vicarium ad cauſas ciuiles. 7.

8. Nec ſubdelegatio vitiatur ex defectu dignitatis ſubdelegati, cùm eſſet Protonotarius, & ideo in dignitate conſtitutus. Alexand. *conſil.87.* incip. *Viſis codicillis, num.5. lib.2.* latè Sarnen. *in procemio regularum Cancellariæ tit.de origine, & off. Protonotariorum.*

Defectus mandati Procuratoris Scamutij ceſſat ex actis, vnde apparet, Ioſephum Scamutij fratrem, fuiſſe conſtitutum Procuratorem cum facultate ſubſtituendi, cuius vigore ſubſtituit Herculem Payranam.

Nec poſſeſſionem beneficiorum cepit Præpoſitus propria auctoritate, cùm Vicarius Mediolanen. præceperit Scamutio, & Correzino, vt beneficia S.Mariæ de Vicinali, & S.Petri de Odalengo, & clericatus S.Martini de territorio Tongi, liberè dimitterent Præpoſito, quia erant Præpoſituræ vnita, iuſſerit quoque colonis, vt de fructibus prædiorum præfatorum beneficiorum Præpoſito reſponderent: quo caſu, licèt non fuerint eiecti coloni, cum vigore rei iudicatæ Præpoſitus poſſeſſionem cœperit, legitima cenſetur, & valida. Angelus *in l. qui vniuerſas. §. item cùm*
*Prætor.ff.acq.poſſeſſ.* Aymon *conſ.5. num.10.* Bartholom. Socinus *conſ.* 15. incip. *Inſignis Doctor. num.6. verſ.ſecundò reſpondetur lib.4.* 9.

10. Ex quibus denique cenſuerunt Domini, poſſeſſionem Præpoſiti eſſe conſiderabilem, & manutenibilẽ, cùm vigore rei iudicatæ auctore Prætore fuerit capta. *l.iuſtè poſſidet ff.de acq.poſſeſſ.*

## *Romana, ſiue Lugdunen. redditionis rationum.*

### Die 31. Ianuarij ann. 1590.

## DECISIO LXXIX.

In iſta cauſa Domini dixerunt tria. Primum, quòd D.Horatius Oricellarius ſoluat D.Ioanni

ni Lilio tertiam partem totius crediti, & D. Ioannes faciat illi quietantiam de receptis, ſine præiudicio aliarum prætentionum, de quibus videbitur.

Secundò, quòd detur terminus D. Oricellario pro executione Remiſſoriæ, ſtante difficultate illam nunc exequendi Pariſiis, & in aliis partibus Galliæ.

Tertiò, quòd videatur quid dicant teſtes, nuper in vrbe examinati.

---

## *Peruſina Prædij, ſiue nullitatis contractus.*

### Die Mercurij 7. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Collectione fructuum non probatur dominium.*
3 *Mandatum ſufficiens ſi quis non habeat, non poteſt ex actis ab eo factis præiudicare principali.*
4 *Solutio pretij rei emptæ ab vniuerſitate inducit ratificationem contractus.*
5 *Melioramenta facta in prædio, non probant formalem, & abſolutam contractus ratificationem.*
6.7 *Ratificatio actus non infertur, niſi quando actus non poteſt fieri citra ius, & nomen ratificationis.*
*& præcipuè* 8.
9 *Præſumptio vna, non parit aliam.*

### DECISIO LXXX.

1. Die 8. Maij ann. 1585. Domini de Rayneriis frattibus Anſelmo, & Mariano Ordinis S. Auguſtini quoddam terrimentum terræ, Montignana nuncupatum, pro pretio ſcutorum 2100. vendiderunt.

Poſt contractum, iſti de Rayneriis quendam eiuſdem prędij locum dictum, la Foſtacchia, alienantes, alium non æquè bonum ſuppoſuerunt.

A menſe Maij, vſque ad menſem Septembris eiuſdem anni, fratres fructus prædij collegerunt, reſiduum pretij perſoluerunt, & nonnulla melioramenta inibi facere cœperunt.

Die 5. Septembris Conuentus S. Auguſtini, recognita capitulariter nemine diſcrepante decreuit, vel quòd Raynerij reſtituerent terras, de quibus agitur, vel acceptum pretium Conuentui refunderent. Eodem quoque die fratres pro maiori parte concluſerunt, vt colonus ad laborandum in dicto prædio conſtitueretur. Sed ſubſequenter contra Raynerios iudicium intentantes coram Domino Comitolo declarari obtinuerunt, præfatum contractum non ſuſtineri, niſi Raynerij de ſufficienti mandato fratrum Anſelmi, & Mariani, ad emendum eo modo quo emptio facta fuit, vel aliàs de ſufficienti eiuſdem Capituli ratificatione docerent.

Et quia coram me Raynerij ſufficientem ratificationem deducere nitebantur, dedi dubium, an conſtaret de talibus actibus poſitiuis, ex parte fratrum S. Auguſt. ex quibus inducta foret ſufficiens acceptatio, ſeu ratificatio dicti cõtractus.

Et cauſa vltimo loco propoſita, vtraque parte informante Domini cenſuerunt, non conſtare de talibus actibus, ex quibus ſufficiens ratificatio poſſet videri inducta.

Primum non ex fructuum collectione, nam 2.
inde ſicut non probatur dominium, nec* formalis ratificatio inducitur, argumento *l. ad probationem. C. de probat. & cap. inter dilectos, de fide inſtrumentor.* vbi Felinus *num.* 8.

* adde Rotam apud Cocc. decis. 69.n.11.

Neque ex reſidui pretij ſolutione: quia non 3.
probatur facta de licentia, & conſenſu Conuentus, cui factum illorum duorum fratrum ſufficiens mandatum non habentium præiudicare non potuit. **cap. cùm omnes, de conſtit.*

* adde Ludouiſ. deciſ. 576. n. 6. & ibi addit. 17.

Nec Aymon *conſ.* 55. incip. *Reuocatur in dubium, num.* 5. nec alij ex aduerſo allegati faciunt pro Rayneriis, quia loquuntur quando ſolutio
eſt facta ab ipſamet vniuerſitate, quo caſu benè 4.
potuit induci ratificatio contractus: ſecus eſt hîc, vt ex prædictis apparet.

Melioramenta in prædio fieri cœpta (licèt de 5.
illis conſtaret) non probant formalem, & abſolutam contractus ratificationem, quia non probatur ſcientia Conuentus ſpecifica, & certa totius actus cum ſuis qualitatibus. Paul. de Caſtro *conſ.* 465. incip. *Viſo compromiſſo, lib.* 1. cum aliis adductis per Menoch. *conſ.* 389. incip. *Non poſſum, num.* 20. & 21. *lib.* 4.

Reſtat grauior illa coniectura de deputatione coloni, vnde putant Raynerij, omnino inductam formalem ratificationem. Sed ſi tenor decreti die 5. Septemb. à Conuentu conſtituti conſideretur, facilè ceſſabit: nam fratres concluſerunt alterum è duobus fieri debere, vel quòd Raynerij reſtituerent terras de quibus agitur, vel pretium acceptum Conuentui refunderent:
vnde euidenter infertur, fratres non habuiſſe 6.
animum approbandi contractum, niſi quatenus terræ ipſis reſtituerentur, quæ diſpoſitio non poteſt in argumentum trahi, niſi cum ſuis qua-
litatibus. *l. Aurelius. §. idem quæſiit.* vbi Bart. *ff. de* 7.
*liberat. legata, l. Caius ff. de manumiſ.* Tiraquell. *de retractu conuent. ad fin. tit. num.* 9. ſtante verò tenore pręfati decreti, actus deputationis coloni, & quilibet alius forſan ſubſequutus, geſtus fuiſſe
videtur ſub ſpe, ac fiducia, quod Raynerij terras, 8.
de quibus eſt controuerſia, forent reſtituturi: vnde coloni deputatio potius ſapit modum prudẽtis prouiſſionis, quàm formalem contractus ratificationem,* præſertim cùm ex actu aliquo non inferatur ratificatio, niſi quando actus non poteſt fieri citra ius, & nomen ratificationis. Aym. *conſ.* 197. incip. *Quamquam, & abundè, n.* 12. *verſ. quia factum tale*, Decius *conſ.* 452. incip. *Viſa inſtructione, num.* 24. Ruin. *conſ.* 91. incip. *Quæritur, num.* 9. & 10. *lib.* 1.

* ratificatio enim requirit ſcientiam expreſſam rei ratificatæ. Ludouiſ. deciſ. 576. n. 13. & 20. quãdo actus poteſt referri ad alium titulum non inducitur, vt hîc, pro quo vide Ludou. dec. 311. n. 15. & 17. & dec. 473. n. 9. & vide Rotam diuerſ. p. 3. lib. 3. deciſ. 493. n. 1. & 566. n. 4. & 5.

Vnde ceſſat etiam illa conſideratio, deſumpta ex verbis decreti facti per Conuentum, ibi: *habbino ad habitare nelle noſtre caſe.* Nam domus exiſtentes in prædio, ſicut & prædium ipſum largo modo fratrum dici poterat ſub conditione, vel modo, ſi Rainerij terras reſtituerent. argument. *l. creditores. ff. de V. S. l.* 1. *§. Dominij appellatio. el* 2. *ff. ad S. C. Sylanianum, & l. in ſuis. ff. de liber. & poſth.*

Multiplicationem præſumptionum, quod ex
vna altera inducatur, & aduerſo conſideratam, 9.
vnam quòd Conuentus pręſumatur ſciuiſſe geſta per fratres contrahentes, alteram, quòd per huiuſmodi ſcientiam præſumatur contractum ratificaſſe, ius non admittit, quia ex vna pręſumptione non inſurgit alia præſumptio. † Alex. *in l. ſi rem aliquam, n.* 21. *de acq. poſſeſſ.* Ruin. *conſ.* 151. *n.* 16. *lib.* 4. & *conſ.* 66. *n.* 19. *verſ. ex quo igitur, lib.* 3.

† hæc regula fallit ſi vna præſumptio veniat in cõſequentiam alterius. Rota in recen. dec. 443 n. 9. Mantica deciſ. 101. n. 3.

Ex



Ex libro actorum monaſterij, vnde putabant Procuratores Dominorum de Rayneriis conſtare poſſe, vel de ſufficienti mandato Anſelmi, & Maſiani, qui prædium emerunt, vel de aliis tractatibus, ex quibus concluderetur ſufficiens ratificatio, licèt me iubente fuerit ad Curiam tranſportatus, & per Procuratores aduerſarios lectus, nihil tamen releuans ad probandam ſuam intentionem deducere potuerunt.

---

## *Romana Legatorum de Vitellis.*

### Die Lunæ 12. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

*Iuramentum vt deferatur, debet pro certa re fieri.*

### DECISIO LXXXI.

Domini ordinarunt, quòd D. Chiappinus præuia citatione curet, æſtimari bona non æſtimata, quorum catalogum mihi obtulit, vt poſtea Domini videant, ad quam ſummam Domino Chappino ſit deferendum iuramentum.

---

## *Spoletana Bonorum.*

### Die Lunæ 12. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

*Remiſſoria poteſt concedi, ſine retardatione vlterioris proceſſus.*

### DECISIO LXXXII.

Vtraque parte informante propoſui dubium ſuper conceſſione Remiſſoriæ, vel traductione teſtium ad Vrbem. Et Domini dixerunt, concedendam eſſe communitati Remiſſoriam, quam petebat pro teſtibus in partibus examinandis, ſed ſine retardatione vlterioris proceſſus in cauſa.

---

## *Spoletana Bonorum.*

### Die Veneris 16. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

*Iuſtitiam exequentem, non eſt præſumendum, vim inferre.*

### DECISIO LXXXIII.

Domini ordinarunt, quòd darentur Magnificæ communitati Spoleti compulſoriales generales exequendas in ciuitate Spoleti, pro extrahendis diuerſis iuribus, & inſtrumentis, & non in alia ciuitate, aut loco propinquo: non obſtantibus cauſis recuſationis ex aduerſo allegatis; tum quia difficulter alibi executioni demandari poterant: tum quia vigente nunc per gratiam Dei iuſtitia, non eſt facilè præſumenda vis, aut timor alicuius periculi deputandis pro iſto actu per D. Abbatem Ancaianum.

---

## *Toletan. Decimarum de Sazedon.*

### Die Veneris 16. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Conſilium Archiepiſcopi Toletani, idem eſt tribunal cum Vicario generali.*
3 *Teſtium examen, & receptionem iuramenti committi Notarijs, admittit ſtylus Hiſpaniæ.*
4 *Citatio eſt neceſſaria ad videndum iurare teſtes.*
5 *& eſt actus iuriſdictionis, licèt aliter ſeruetur in Hiſpania.*
6 *Terminus præfixus ad perficiendum examen teſtium, ſufficit, vt non ſit neceſſaria alia citatio.*
7 *Pars eſt citanda in receptione teſtium. quòd intellige vt n.* 8.

### DECISIO LXXXIV.

Domini cenſuerunt examen teſtium non 1.
fuiſſe inualidum ex defectu iuriſdictionis conſilij gubernationis Archiepiſcopatus Tole-
tan. à quo fuit decretum: quia Conſilium Ar- 2.
chiepiſcopi idem eſt cum Vicario generali, cuius & Archiepiſcopi idem eſt tribunal. * *c. 2. de conſuetud. lib.* 6.

* & ideo nõ datur appellatio de Vicario ad Epiſcopum, non ſolùm in appellatione iudiciali, verùm etiam ſi Epiſcopus extraiudicialiter prouocetur. Rota dec. 7 de off. Vicar. aliàs 371. in nouis, & vide infrà dec. 409. n. 3.

Nec aderat nullitas ex eo quòd Conſilium commiſerat examen Gaſpari Merle Notario Toletan. in cuius manibus teſtes iurauerunt, quia de ſtylo Hiſpaniæ receptio iuramentorum teſtium, & eorum examen Notariis committi ſolet. Verallus *deciſ.* 265. incip. *Teſtes ſunt. p.* 3. Couarru. *lib.* 2. *variar. reſolut. cap.* 13. *n.* 10. *verſ. ſic in quæſtionibus.* Gonzalus Suarez *in practica Eccleſ. p.* 1. *tom.* 1. *tempore* 8. *n.* 135. Menoch. *conſ.* 106. *n.* 43. *lib.* 1.

Defectus citationis oppoſitus, quòd pars aduerſa non fuerat citata ad dicendum contra ar-
ticulos, non reddebat irritum examen: quia 3.
quando conſultores, ſeu iudices Archiepiſcopatus Toletan. admiſerunt partes ad probandum, ſimul mandarunt citari partes ad videndum præſentari, iurare, & cognoſcere teſtes, & videndum fieri † probationes, quas vna pars contra alteram erat productura, & citatio fuit ſubſecuta.

† & fuit dictũ in Iacen. portionis impreſſa per Fari. poſth. 2. cõſ. dec. 180. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.

Ac eodem modo tollebatur altera obiectio quòd pars aduerſa non fuerat citata ad videndum decerni receptoriam: * quia ille actus etiam hanc citationem, vel eius æquipollens continebat.

* adde Ludou. dec. 518. n. 2. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, & Gonz. ad regulã 8. gl. 9. in annot. à n. 48. vbi n 55. ad propoſitũ allegat hanc deciſ.

Neque inficiebat præfatum examen defectus citationis, ad videndum iurare teſtes in loco examinis.

Quia ſufficiebat citatio facta in ciuitate Toleti, quæ iuxta ſtylum illarum partium fieri potuit per Notarium; nam licèt talis actus eſſet iuriſdictionis de ſtylo inibi toleratur.



Gonzal. 4.

5. † Gonzal. Suarez *in pract. Eccleſ. tom. 2. c. 2. de citatione, num.* 14.

† vide infrà deciſ. 937. n. 2. & ſuprà citatas deciſ. & Ludou. dec. 426. n. 6. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur. vide infrà dec. 328. n. 11. & 722. n. 3. & Seraph. dec. 781. n. 1. & Rotam in recen. dec. 307. n. 9. & 393. n. 6. & 7. & 686. n. 4. p. 1.

Nec poterat dici vaga citatio, quia cùm in commiſſione receptoriæ eſſet præfixus terminus 40. dierum ad perficiendum examen: * omnes illi dies ſeruiunt pro termino, nec erat neceſſarium, quòd per aliam citationem vlteriùs ſpecificaretur, vt Rota cenſuit in alia Toletana de Ocaña coram Domino Seraphino Oliuario anno 1587.

Quod obiiciebatur ex Milio in verbo *citatio ad videndum*, & ex Rota *deciſ.* 1. *de fide inſtrumentor. in nouis*, quòd ſcilicet de iure pars debuit citari in loco examinis teſtium, facilè etiam tollebatur, cùm in iſtis locis ſolùm dicatur, in receptione teſtium partem eſſe citandam, quod poteſt bifariam intelligi, vel quòd citatio
6. fiat in loco decreti, vel in loco, vbi teſtes ſunt
7. examinandi.

* adde Cocci. dec. 141. n. 2. & infrà dec. 337. n. 2.

In hac cauſa citatio fuit facta in ciuitate Toleti, vbi decretum fuit examen, quæ viſa fuit ſufficere pro ſuſtinendo examine facto intra terminum probatorium in oppido de Bruneta, &
8. oppido de Sazedon, ex quo fuit partibus intimata, † quibus innotuit, vbi, & quando, & intra quem temporis terminum futurum erat examen.

† Seraph. dec. 1010. n. 3. & 4.

Denique dicebant Domini, quòd ſi prætenſæ nullitates erant habendæ in conſideratione, perinde vitiabant examen teſtium, & iudicium œconomi, ſeu hominum de Sazedon, ac examen Portionariorum Eccleſiæ Toletan. cùm in illo eodem modo fuerit proceſſum, & eadem fuerint obſeruata, quæ contra hoc obiiciebantur.

Et ex prædictis Domini tenuerunt, pro validitate examinis.

---

## *Romana fideicommiſſi Vineæ.*

### Die Lunæ 17. Februarij 1590.

### SVMMARIVM.

2 *Fideicommiſſo ſubiecta res ſi alienetur, non poteſt reuocari.*

4 *Falcidia, vel Trebellianica fuit inducta, vt deducatur pars de bonis teſtatoris, non autem hæredis.*

5 *Teſtator præſupponens aliquid, non ex eo diſponit ſuper his quæ præſupponit.*

6 *Voluntas declaratur etiam ex actu nullo. quod intellige vt n. 7.*

8 *Conſequens qui vult, etiam videtur velle neceſſarium antecedens, quod intellige vt 9. & 10.*

11 *Fideicommiſſum non debet extendi de re ad rem.*

12 *Pronuntiandum eſt ſemper in dubio contra fideicommiſſum, etiamſi ſit relictum ex bonis proprijs teſtatoris.*

13 *Fideicommiſſum difficilius debet intelligi inductum in bonis hæredis.*

14 *Fideicommiſſum pœnale in omnibus debet intelligi.*

## DECISIO LXXXV.

1. DVbitaui, an in caſu alienationis bonorum Serræ, ita eſſet inductum fideicommiſſum ab Aloyſio * in bonis Serræ, ſicut in ſuis propriis bonis, & Domini cenſuerunt non fuiſſe inductum eo modo.

* de quo ſuprà deciſ. 51.

Nam licèt bona etiam Serræ fuerint per Aloyſium alienari prohibita, hæc tamen prohibitio fuit concepta ſub pœna priuationis hæreditatis ipſius teſtatoris: & ideo non poteſt cenſeri inductum fideicommiſſum abſolutum, ſicut inductum eſt in bonis ipſius teſtatoris.

Sed in caſu alienationis pœna appoſita locum habebit, nec res alienata tanquam fideicommiſſo ſubiecta poteſt reuocari. Bart. *in l.* 1. *q* 11. *n.* 43. *C. de his, quæ pœn. nom.* 2.

Accedit etiam, quòd prohibitio alienationis in bonis propriis teſtatoris impedit tranſlationem dominij, quæ non impeditur per prohibitionem alienationis in bonis ipſius hæredis, vt fuit firmarum in alia poſitione. * 3.

* ſuprà in d. deciſ. 51.

Non obſtat, quòd teſtator prohibuit, nè quis ex ſuis hæredibus tam de bonis Serræ, quàm de bonis ſuis, occaſione Falcidiæ, vel Trebellianicæ poſſit aliquid detrahere, * & ex hac prohibitione præſupponatur, bona etiam Serræ ſubiecta fideicommiſſo, ſicut bona ipſius teſtatoris.

* Trebellianica quando nõ poſſit detrahi ex fideicõmiſſis, vide dec. 210. & 253. Coccini, & Rotã recen. p. 1. dec. 152.

Quia cùm Trebellianica, ſicut Falcidia fuerit inducta, vt poſſit deduci de bonis teſtatoris, non autem hæredis. §. 1. *Inſtit. de lege Falcid. §. ſed quia hæredes. Inſtit. de fideicomm. hæreditat.* ad bona ipſius hæredis non poteſt adaptari, vt valeat. 4.
Et ideo ex hac inutili prohibitione, non ſequitur teſtatorem in bonis ipſius hæredis abſolutè voluiſſe inducere fideicommiſſum: qui enim præſupponit, non diſponit ſuper eo, quod præſupponit. *Clem.* 1. *ad finem, de præben. l. ex facto agitatum. ff. de hæredibus inſtit.* Rota *deciſ.* 23. *de procurat. in antiq.* Alexand. *conſ.* 17. *n.* 8. *lib.* 2. *& conſ.* 126. *n.* 5. *lib.* 5. 5.

Neque ad rem facit, quòd ex actu etiam nullo, voluntas declaretur. *l. fin. ff. de rebus eorum.* 6.

Quia hoc procedit in terminis, in quibus quis locutus eſt, non in aliis, vt *in dicta l. finali,* Iaſon *in l. dominus, n.* 2. *ff. de condict. indeb.* Decius *conſ.* 176. incip. *Viſo themate, n.* 4. 7.

Neque etiam vrget illa ratio, quòd cùm Aloyſius voluerit conſequens, prohibendo detractionem Trebellianicæ de bonis Serræ, cenſeatur etiam voluiſſe neceſſarium antecedens, id eſt, in eiſdem bonis inducere fideicommiſſum. 8.

Quia illa regula non procedit, quando antecedens eſt maius expreſſo. * Romanus *in l. illud, in fin. ff. de acquirend. hæredit.* per *l. fin. §. illo. C. de neceſſ. ſeruis hæredib. inſtituend. & l. hæreditas ad Statium, ff. de hæred. inſtituend.* Et ex illa regula ad inducendum fideicommiſſum non licet argumentari. *l. ab eo. C. de fideicommiſſis.* id enim teſtatur Ripa *in l. centurio, num.* 166. *ff. de vulgar. ſubſtit.* 9.

* & ita Rota quãdo admittit hanc regulam in conſequenti neceſſario, vel vbi militat eadẽ ratio, & non aliàs, Rota in recen. 1. p. dec. 44. n. 2. & deciſ. 105. n. 5.

Præterea illa regula, Qui vult conſequens, cenſetur velle neceſſarium antecedens, intelligitur ad hoc vt conſequens valeat: quod in propoſito non poteſt conuenire, quia prohibitio Falcidiæ, & Trebellianicæ in bonis Serræ, contra terminos iuris facta fuit. 10.

Quod idem teſtator aſſerit, vt fructus tam hæreditatis Serræ, quàm ſuæ, deductis impenſis, & ſumptibus neceſſariis in cenſus, ſeu redditus conuer



conuerterentur, & fideicommiſſo ſubiacerentur, non inducit fideicommiſſum in bonis Serræ, reſpectu proprietatis.

11. Quia fideicommiſſum non debet extendi de re ad rem. *l. idem Iulianus. §. Seio. ff. de legat.* 1. *l. prædijs. §. Titio. ff. de legat.* 3. ſicut etiam non extenditur de perſona ad perſonam. * Decius *conſ.* 218. incip. *In caſu ad me tranſmiſſo, n.* 9.

* de hoc art. vide infrà dec. 486. quę habetur in recẽ. p. 1. deciſ. 35. n. 19. & in eiſdem recen. vide dec. 300. n. 20. & 21. & Ludou. dec. 495. n. 13.

Et cùm in dubio contra fideicommiſſum ſit pronuntiandum, etiam ſi ſit relictum in bonis propriis ipſius teſtatoris. Decius *conſ.* 593. incip. *Viſo puncto, num.* 4. *in fine,* Aymon *conſ.* 180. incip. *Quando reddidi, in fine,* Rota *deciſ.* 6. incip. *Teſtator inſtituit, in fine, de teſtament. in antiq.* id multo magis obſeruandum in bonis hæredis, in
12. quibus difficilius debet intelligi iniunctum fideicommiſſum. † *l. vnum ex familia. §. ſi rem tuam.*
13. *ff. de legat.* 2. Baldus *in cap. fin. ad finem verſ. item vltima voluntas, de auct. & vſu pallij,* præſertim cùm hoc fideicommiſſum ſit pœnale, quod magis propterea eſt reſtringendum. Decius *conſ.* 273. incip. *In caſu propoſito, num.* 3. *& conſ.* 290. incip. *Domina Bloſia, n.* 2.

† de hoc art. & antecedẽti eſt elegans deciſio Seraphini deciſ. 1023. n. 2. & 5.

14. Ex his fuit concluſum, non fuiſſe in vtriſque bonis eodem modo inductum fideicommiſſum.

---

## *Romana pecudum.*

### Die Lunæ 19. Februarij 1590.

### SVMMARIVM.

2 *Agere poteſt quis, & venire ad cauſam pro ſuo intereſſe.*

3 *Tranſactio facit ius quoad omnes.*

4 *Tranſactione lis finitur.*

5 *Conſanguinitate ſi conſtat ad effectum ſuccedendi ab inteſtato, præſumitur proximior donec alius inueniatur.*

6 *Debitores non liberantur ſolutione non legitima, licèt teſtamentum ſit nullum.*

## DECISIO LXXXVI.

1. ISta cauſa eſt antiqua, cuius factum narrat Mohedanus *deciſ.* 288. incip. *Romana cauſa pecudum,* & quia coram me nunc iterum excitata, Domini de Maximis opponebant contra perſonas venientes ad cauſam, dubitaui: An perſonæ comparentes in iſto caſu eſſent legitimæ. Et Domini concluſerunt eſſe legitimas, nam quantum ad fratres Sancti Onofrij res caret difficultate, cùm ipſi veniant vigore donationis tertiæ partis omnium creditorum, à quibuſcumque debitoribus exigendorum, ſibi factæ ann. 1572. per quondam D. Laurentium Chiſium: qui cùm fuerint admiſſi ad cauſam pro ſuo intereſſe, nihil eſt quod eos comparere, & agere * impediat.

* Rota pluries hanc cõcluſionẽ admiſit, Cocc. dec. 224. n. 3. & 144. n. 18. Ludouiſ. dec. 303. & 259. & 354. n. 8. & pluries aliàs, quod adeò verũ eſt vt ſufficiat quod docet ſummariè & apparenter de ſuo intereſſe, vt per Cocc. dec. 47. n. 19.

Quantum ad D. Clariſem Chiſiam de Camaianis, ſimiliter fuit pronuntiatum, ipſam habere legitimam perſonam, quia cùm inter Dominos de Chiſiis, hæredes ſcriptos, & Dominam Clariſem, hæredem legitimam, fuerit inita
2. tranſactio, in qua duæ partes hæreditatis remanent penes Chiſios; & alia tertia pars D. Clariſi
3. aſſignatur, conſequens eſt, vt quilibet ex prædictis pro quota ſibi in concordia aſſignata contra debitores hæreditarios agere poſſit, cùm tranſactio faciat ius quoad omnes. *l. controuerſia,* vbi Iaſon *n.* 12. *ff. de tranſact.* Zabarella *in c. ſuper eo, in fin. quæſt.* 11. *de tranſact.* cum aliis allegatis per D. Borninum Blandhum.

Non obſtat quòd in deciſ. facta coram D. Oriolen. 13. Ianuarij 1586. fuerit reſeruatum, quod videretur de exceptionibus furoris D. Laurentij de Chiſiis: quia tunc erat lis ſuper validitate teſtamenti, inter D. Clariſem prætendentem, teſtamentum Laurentij eſſe inualidum, & ideo hæreditatem ab inteſtato ad ſe pertinere, & D. Alexandrum, & alios de Chiſiis hæredes vniuerſales ſcriptos, dicentes ſe ante omnia ex remedio *l. fin. C. de edicto Dini Adriani, tollen.* fore in poſſeſſionem mittendos: ſed cùm nunc 4.
lis, tranſactione finita, fuerit. *l. fratris, & l. non minorem. C. de tranſactionibus,* & conſtat quantum hæredibus ſcriptis, & quantum Dominæ Clariſi debeatur, non eſt habenda ratio illius reſeruationis, quam partium concordia ſuſtulit.

De D. Clariſis parentela, ſeu gradu conſanguinitatis, quòd ſcilicet ipſa ſit neptis ex filio Laurentij Chiſij non dubitant: nam teſtator nominat illam, in ſua legitima, hæredem inſtituens neptem ſuam, ex Auguſtino filio ſuo iuniore, & ad effectum ſuccedendi ab inteſtato ſatis eſt, ſi conſtet de conſanguinitate alicuius, vt proximior præſumatur, niſi contrarium probetur. Alexand. *conſil.* 179. incip. *Viſis, ac ponderatis, n.* 10. *lib.* 7. Aymon *conſ.* 249. *n.* 1. *verſ. quæ probatio,* vbi alios refert. 5.

Quod opponitur de nullitate teſtamenti D. Laurentij Chiſij, non facit ad propoſitum, cùm illi quorum intereſt, illud vel approbauerint, vel non habita ratione inter ſe ſuper hæreditate tranſegerint. Et licèt teſtamentum foret inualidum, non ideo liberantur debitores, quominus legitimis hæredibus ſoluere teneantur. 6.
De tranſactione conſtat, licèt ob euitandam grauem impenſam, non fuerit in actis producta, niſi ſimplex copia.

---

## *Palentin. Decimarum.*

### Die Lunæ 19. Februarij 1590.

### SVMMARIVM.

*Iudicium ſpolij non habet locum, ſi non probetur priùs poſſeſſio.*

## DECISIO LXXXVII.

DVbitaui, an Capitulum de Valladolid poſſet agere non ſolùm pro intereſſe * ſuo, ſed etiam aliorum participantium de decimis, quæ colliguntur in termino Sancti Petri de Pedroſilla. Et quia circa ſecundam partem dubij fuit aliqua varietas inter Dominos, pro faciliori cauſæ expeditione fuit ordinatum, quòd videretur, an conſtaret, beneficiatos de Pedroſilla fuiſſe in poſſeſſione percipiendi decimas termini Sancti Petri de Pedroſilla, & an probaretur Capitulum de Valladolid fuiſſe in poſſeſſione * percipiendi aliquam portionem de prædictis 1.

* de quo actum fuit ſuprà deciſ. 55.

* poſſeſſio anterior &

titulus coloratus probãdus eſt ad effectum ſpolij in beneficialibus, vt per Coc.dec. 312. n. 3. & 361. n. 1. & 337. n.1. ſed Eccleſia non poteſt agere contra parochialem pro decimis exiſtentibus in parochia actione ſpolij, de quo vide Coccin. dec. 207.n.14.

dictis decimis, ita quòd poſſet intentare iudicium ſpolij.

## *Romana domus, ſiue retractus extra Rotam.*

### Die Lunæ 26. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Legis verba ſi ceſſent, & eius diſpoſitio ceſſare debet.*

3 *Seruitus in dominium ſuper re ſua propria non poteſt transferri.*

4 *Seruitus formalis ſuper re propria non poteſt conſtitui.*

5 *Lex, vel conſtitutio, quæ habet locum in ſimplici emphyteuſi, habet etiam in mixta.*

6 *Caſus mixtus tunc continetur ſub ſimplici, quando minus corrigitur ius commune, quod intellige vt n.7.& 8.*

9.10 *Retractui non eſt locus, quando non poteſt præſtare rem, vel ſpeciem, quam vendenti obtulit alius extraneus.*

11 *Pecunia res omnes æſtimari poſſunt, & in ea conuerti.*

12 *Retractui non eſt locus, ſi pecunia ſtatim non præſtatur.*

13 *In contractu permutationis non habet locum ius congrui.*

14 *Conſtitutio noua ſic debet intelligi, vt minus corrigat ius commune.*

## DECISIO LXXXVIII.

1\. DOminus Mutius Ceulius, vigore contractus emphyteotici, initi cum præceptore Hoſpitalis ſancti Spiritus in Saxia de Vrbe, erat in poſſeſſione cuiuſdam hoſpitij, cum facultate iuris lignandi, & paſcendi quolibet die cum tribus equis, in tenuta dicti Hoſpitalis, Malagruptá nuncupata, quod ius lignandi, & paſcendi ad fauorem Hoſpitalis renuntiauit, & viciſſim à præceptore quandam domum eiuſdem Hoſpitalis ſitam in via Septimiana, recepit, cum promiſſione ſoluendi annuum canonem viginti ſcutorum, tanto tempore duraturam, quanto ius illud lignandi, & paſcendi ſibi vigore prædicti contractus emphyteotici competebat.

Dominus Antonius Baccapadúlius, qui eam domum inhabitabat, vigore inquilinatus declarauit ſe Mutio velle præferri.

Et cùm partes iudicio Rotæ ſtare promiſiſſent, (neque enim erat via ordinaria) commiſſa cauſa in Rota dubitaui, An in iſto caſu eſſet locus retractui.

Bis cauſa propoſita, non potuit in prima poſitione definiri: ſed in ſecunda Domini vno excepto tenuerunt, non eſſe locum retractui.

Nam aut Dominus Boccapadulius volebat retinere domum conductam vigore decreti Cameralis ſtatuentis, quòd inquilini poſſint retinere domus pro iuſtis conductionibus, quibus per dominos domorum aliis conceduntur, & hoc ſibi non ſuffragatur, quia decretum Camerale fuit reuocatum per decretum * Pij V.

* quod inuenies in Bullario Cherubini tomo 2. in conſtitut. Pij V. conſt. 126.& in ſequente motu proprio, fol. mihi 333. & 339.

Aut volebat vti conſtitutione D. Gregorij XIII. ſuper iure congrui, † quæ inquilinis, & vicinis ſub eiſdem pactis, & conditionibus tribuit prælationem, & hæc non poteſt Boccapadulio prodeſſe, cùm ille non poſſit hoſpitali tribuere, quod concedit Mutius, cùm certum ſit, eum voluiſſe accipere ab Hoſpitali domum, de qua agitur, in locum iuris lignandi, & paſcendi, quod ab Hoſpitali ad certum tempus duraturum habebat: vnde cùm ceſſent verba conſtitutionis Gregorianæ, ceſſat etiam illius diſpoſitio, *l. 4. §. totius. ff. de damno infecto.*

† hanc conſtitutionem Greg. XIII. inuenies in eod. Bullar. Cherub. tõ. 2. in conſtit. Greg.cõſ.22. fol. mihi 387.& incip. Que publicè vtilia, & in ſũmario inuenies alias conſtitutiones circa hũc articulum.

Nec vrget, quod ſubtiliter opponitur, quòd iſte contractus non ſit permutatio, ſed emphyteoſis, in qua etiam locum ſibi vendicat conſtitutio Gregoriana, ex quo ſeruitus lignandi, & paſcendi in iſta tenuta Hoſpitalis, quam habebat Mutius, non fuit tranſlata in ipſum Hoſpitalem, cùm non poſſit transferri in dominium ſeruitus ſuper re ſua propria. *l. in re communi, & l. ſi quis ædes. ff. de ſeruitutibus vrbanorum prædio-*
2\. *rum*, Baldus *conſ.* 371. *verſic. præterea iſta non eſt*
3\. *ſimplex, lib.* 1. Quia fuit reſponſum ſufficere quòd emolumentum illius iuris lignandi, & paſcendi, quod erat penes Mutium, fuerit tranſlatum in Hoſpitale, licèt ſeruitus formalis durare non poſſit, ſicut dicitur de vſufructu, qui eſt conſoli-
4\. datus cum proprietate. *l. vti frui. ff. ſi vſusfruct. petatur. §. vſusfructus, verſ. ne tamen, & §. fin. verſic. cùm autem finitus. Inſtitut. de vſufructu.*

Item non facit ad rem, quòd iſte contractus ſit emphyteoticus, ex quo in inſtrumento retroceſſionis, quam facit Mutius Hoſpitali, dicitur domus (de qua eſt ſermo) ei dari in emphyteoſim, & mixtus cum alio contractu innominato, argumento *l. ſtricto. ff. de donat.*

5\. Vnde cùm conſtitutio Gregorij habeat locum in ſimplici emphyteoſi, habebat quoque locum in mixta, cùm ſit fauorabilis, & in fauorabilibus caſus mixtus ſub ſimplici contineatur. *l. ſi ita ſcriptum. ff. de liberis, & poſthumis*, latè Gratus *conſil.* 134. incip. *Viſo puncto, n.* 59. *& ſeq. lib.* 1.
6\. cum aliis allegatis. Nam fuit dictum primò, tunc caſum mixtum ſub ſimplicibus contineri, quando minus corrigitur ius commune. Ioannes Maria Riminald. *conſil.* 582. incip. *Statutum, num.* 3. *lib.* 3.

7\. Præterea tunc in materia fauorabili mixtum ſub ſimplici contineri, quando fit mentio de duobus ſimplicibus, ſicut loquitur textus *in d. leg. ſi ita ſcriptum, de liberis, & poſthumis*; ſecus verò, ſi de vno tantùm ſimplici mentio fiat, *l. hoc legatum. ff. de legatis* 3. *cap. cum illis, §. ſi verò, de præbend. lib.* 6. Sarnen. *in reg. de impetran. benef. vacan. per obitum famil. Cardinal. quæſt.* 15.

8\. Poſtremò fuit etiam dictum, tunc in materia fauorabili caſus mixtos ſub ſimplicibus contineri, quando eadem, vel maior ratio locum habet. *l. interdum. §. quod ait. ff. de his qui not. infam.* Aretinus *in d. lege, ſi ita ſcriptum, in principio. ff. de liberis, & poſthumis*, latè Tiraquell. *poſt* 16. *legem connubialem, in verb. contracter. gloſſa* 5. *num.* 76. in caſu propoſito perſpicuum eſt, nec maiorem, nec eandem rationem in D. Baccapadulio volente domum retrahere, reperiri; cùm retractus ſub eiſdem conditionibus non poſſit per ipſum fieri, cùm non poſſit Hoſpitali ius lignandi, & paſcendi retribuere, quod Mutius retroceſſit, pro quo
9\. fuit conſiderata doctrina Pauli de Caſtro *in l.* 1. *num.* 3. *C. communia vtriuſque iudicij*, dicentis, tunc non eſſe vicinum requirendum ad retractandum, ſeu retrahendum, quando non poteſt præſtare rem, vel ſpeciem, quam vendenti obtulit alius extraneus.



10\. Nec mouit Dominos illa ſubtilis conſideratio, quòd ius ceſſum per Mutium recipiat æſtimationem, & quòd in contractu cum ipſo inito fuerit conſideratum intereſſe pecuniarium, quod per Baccapadulium poterat Hoſpitali præſtari.

Hoc enim Domini non cenſuerunt admittendum, nam ſequeretur, quòd in omni contractu haberet locum conſtitutio Gregoriana, cùm
11\. res omnes pecunia æſtimari poſſint, & in pecuniam conuerti. *l.* 2. *§. & neminem, verſic. ſed & poſſibile. C. de conſtit. pecun. l. ſi ita fideiuſſorem. ff. de fideiuſſoribus*, quod tamen nemo dicet.

Si Hoſpitale iniiſſet iſtum contractum cum Mutio, ſolùm pro habenda pecunia, cùm tantum valeret pecunia Boccapadullij, quantum pecunia Mutij, ſtantibus Papalibus conſtitutionibus, iure inquilinatus Boccapadulius eſſet
12\. præferẽdus, ſed cùm (vt ex teſtium dictis apparet) principaliter fuerit actum pro redimendo iure lignandi, quod Hoſpitali erat valde damnoſum quod non poterat à Boccapadulio præſtari, ceſſat retractus. Paulus de Caſtro *in d. l.* 1. *n.* 3. *C. communia vtriuſque iudicij*, quæ ratio tam viua, & efficax viſa Dominis fuit, vt ex ea potiſſimum, omnem penè difficultatem ſublatam ſenſerint, nec propterea fore neceſſarium ſubtiliùs inquirere, an iſte contractus eſſet emphyteoticus, vel permutatio, vel emptio, & venditio, vel mixtus, cum innominato, nam quicumque ſit, numquam illius contemplatione poterit præſtare Boccapadulius, quod præſtat Mutius.

Licèt re vera inſpecta mente contrahentium, contractus iſte naturam potius permutationis, quàm alterius contractus præ ſe ferre videatur,
13\. in qua non habet locum ius congrui. Matthæus de Afflictis *tract. de iure prathomiſeos. §.* 3. *notab.* 9. *n.* 11. *& ſeqq.*

Suffragij Reuerendiſſimi Oriolen. non fuit habita ratio, cùm ex ſerie eius appareat, illum vidiſſe Bullam Pij V. reuocatoriam iuris congrui, inducti per Sixtum IV. * Leonem X. & alios Romanos Pontifices, in quibus nulla eſt mentio decreti Cameralis, non autem conſtitutionem Pij V. continentem expreſſam reuocationem decreti Cameralis.

* habentur in eodẽ Bullario tom. 1. in conſtitut. Sixti IV. cõſ. 20. incip: Etſi de cuncta 4. & in conſtit. Leonis cõſt. 19 incip. Inter curas.

Nec placuit Dominis, quòd decretum Camerale ideo ſit ſeruandum, quia non eſt contrarium conſtitutioni Gregorij, maximè cùm conſtitutio Pij V. illius decreti reuocatoria, per conſtitutionem Gregorianam de iure congrui fuerit correcta.

14\. Quia decretum Camerale non fuit expreſsè confirmatum, nec intelligitur ampliùs reſtitutum, cùm ſpecialiter dictum non fuerit, quia noua conſtitutio ſic debet intelligi, vt minus corrigat ius commune, quàm fieri poſſit, *cap. cùm dilectus.* vbi Abbas, *num.* 6. *&* 7. *de conſuet. l. præcipimus, de appell.* & ſtatutum correctorium alterius ſtatuti (qualis eſt conſtitutio Gregoriana, quæ corrigit conſtitutionem Pij V.) ſtrictiſſimè debet interpretari. Cephal. *conſil.* 55. incip. *Pro reſponſione, num.* 4. præſertim ſi per hanc interpretationem minus receditur à iure communi, per rationem Abbatis *in dict. cap. cùm dilectus, num.* 6. *de conſuetud.* Alexand. *conſil.* 52. *circa principium, lib.* 1. Ruinus *conſil.* 169. *num.* 8. *lib.* 3.

## *Panormitan. Archidiaconatus.*

### Die Lunæ 26. Februarij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum de manutenendo non debet reuocari, licèt acta non ſint tranſportata.*

3 *Actorum ob non tranſportationem impeditur iuriſdictionis exercitium, licèt geſta omnino non poſſint dici nulla.*

4 *Proceſſus extractus non vigore compulſorialium, licèt ſit ſignatus, non facit fidem in Rota.*

## DECISIO LXXXIX.

AD fauorem Pauli Pellicani relaxaueram mandatum de manutenendo, quod pro parte Petri de Limbuenetta, eo nomine tanquam nullum impugnabatur, quia per Pellicanum appellantem, vigore compulſorialium iuxta ſtylum Rotæ non fuit in partibus extractus proceſſus, & productus in Curia; ideo dubitaui, an dictum mandatum eſſet confirmandum, vel reuocandum. 1. Vide infrà deciſ.109.

Et Domini dixerunt, non eſſe reuocandum, ſed quòd ſuſpenſo illius effectu, non procederetur ad eius executionem, donec tranſportatis actis videretur de illius iuſtitia, vt aliàs Rota cenſuit in cauſa Calagurritana iuris votandi. 2.

Ratio Dominorum fuit, quia ex nouiter deductis, poteſt iuſtificari.

Et ſtante commiſſione, non poteſt de nullitate dari ex defectu totalis iuriſdictionis: quia 3. licèt ob non träſportationem actorum * impediatur exercitium iuriſdictionis, geſta tamen non poſſunt dici omnino nulla, cùm non deficiat fundamentum iuriſdictionis, radicatum in commiſſione, ad notata per Bartolum *in l. multum intereſt, n.* 2. *ff. de condit. & demonſtr.* & Achil. *deciſ.* 7. *de ſenten. & re iudicata.*

* adde Coccin. dec. 115. n.1. & deciſ. 27. & infrà deciſ. 109. & 619. n.3. & dec. 675. n.1. & 2.

Quantum ad proceſſum, vltimo loco productum per Paulum Pellicanum, ex quo non erat extractus vigore compulſorialium, nec conſtabat quòd eſſet extractus à Notario actuario, * in eo etiam adeſſent aliquod inſtrumenta, cum ſubſcriptionibus diuerſorum Notariorum, nec eſſet probatus ſtylus Regni Siciliæ, quòd licèt in Curiis Epiſcopalibus facilè mutentur Notarij actuarij, domini inclinabant pro negatiua, quod non eſſet in forma probanti. 4.

* quòd requiritur, vt proceſſus ſit in forma probanti. Seraphin. dec. 1018. n.1. & 8.

Ex quo tamen non deerant indicia impedimentorum pro parte Limbuenettæ præſtitorum, nec ceſſabat timor præſtandorum, quominus facilè proceſſus in partibus extrahi poſſet, nec tamen ſpectaret ad Rotæ iuriſdictionem ei adhibere fidem: Domini dixerunt, quòd Pellicanus adiret ſignaturam Sanctiſſimi, ſicut in pluribus cauſis fieri ſolet, pro danda fide iſti proceſſui,

proceſſui, vt cum eo ad vlteriora in cauſa procedi poſſit.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die Mercurij 28. Februarij 1590.

### DECISIO XC.

DOmini ordinarunt, quòd diſputaretur dubium ſuper primo extremo, quod D. Abbas Ancaianus probare nitebatur ex teſtibus à ſe productis, non obſtante, quòd pro parte communitatis petebatur, quòd adderetur in dubio, quod tempus teſtes percurrerent, nam de iſta exceptione poſtea dixerunt videndum.

---

## *Rauennaten. Iuriſpatronatus.*

### Die Mercurij 28. Februarij 1590.

### SVMMARIVM.

*Præſentatus tenetur iuſtificare deſcendentiam.*

### DECISIO XCI.

DOmini dixerunt quòd Camillus Moriſius, qui dicit ſe præſentatum ab illis de Benolis, tenetur iuſtificare iſtam deſcendentiam, cùm vigore iſtius præſentationis venerit ad beneficium, de quo agitur.

---

## *Bobien. iuris optandi.*

### Die Veneris 16. Martij 1590.

### SVMMARIVM.

2 *Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, quantum ad beneficia ſpectantia ad eorum collationem, poſſunt ſtatuta condere.*

3 *Poſſeſſio inſtrumentalis præfertur, ſi non conſtet de alterius poſſeſſione, quæ reſtituibilis eſt.*

4. 5 *Probatio vltimi poſſeſſoris, in beneficio effectuata, inducit præſumptionem, vt anteriores præſumantur legitimè.*

6 *Præſcriptio locum non habet in facultatiuis.*

### DECISIO XCII.

1. IN Eccleſia Bobien. adeſt ſtatutum, quòd vacante in ea aliqua præbenda, antiquior Canonicus poſſit illam, & Canonicatum optare, & ſic ſucceſſiuè ſubſequens dignior optare poſſit, ſi velit illam primam optantis.

Anno 1596. in menſe Octobris, Canonicatum, & Præbendam ſanctæ Crucis in dicta Eccleſia vacantem, per obitum Stephani Buellæ, Stephanus Bazigalupus, eiuſdem Eccleſiæ Canonicus iuxta formam ſtatuti optauit, & eius poſſeſſionem apprehendit, interim Epiſcopus Bobien. præfatum Canonicatum, & Præbendam auctoritate ordinaria contulit Michaëli Zaccatarello, qui per breue Apoſtolicum, eidem Epiſcopo cauſam committi obtinuit, & ab eo ſententiam fauorabilem reportauit, à qua cùm Stephanus appellaſſet, cauſa commiſſa in Rota 3. * Iulij 1589. Michaële tantùm informante, Domini pronuntiarunt, non conſtare de quaſi poſſeſſione iuris optandi; ſed cùm poſtmodum Stephanus de iuribus ſuis pleniùs docuiſſet, deciſum fuit, optionem dicti Canonicatus, & Præbendæ per Stephanum legitimè fieri potuiſſe.

* ſuprà deciſ. 39.

Quia de ſtatuto Eccleſiæ dubitari non poterat, ex quo aderant requiſita ad validitatem ſtatuti, nec auctoritas condentis poterat controuerti, cùm Epiſcopi in ſuis Eccleſiis, quantum 2. ad beneficia ſpectantia ad eorum collationem, poſſint ſimilia ſtatuta condere. * Antonius de Butrio *in cap. fin. de conſuetud.* Milius *in verb. conſuetudo, & ſtatutum*, Gigas *de penſionib. q.* 63. *num.* 5.

* de hoc art. vide Rotam in recen p. 2. deciſ. 398. in terminis ſtatuti optionis, & Caual. dec. 134. vbi capitulũ poteſt tale ſtatutum condere.

De præfati ſtatuti auctore, & confirmatione apparebat in vetuſto libro ſtatutorum, producto, & Dominis oſtenſo, in quo poſt illud, & alia eiuſdem Eccleſiæ ſtatuta continebatur, qualiter Dominus Epiſcopus Bobien. die 9. Septemb. ann. 1468. confirmauit, approbauit, & ratificauit ſupradictas conſtitutiones, ſtatuta, & ordinationes, per ſuos prædeceſſores in dicta Eccleſia Bobien. ordinata.

Quæ confirmatio, propter illud verbum *ſupradictos*, comprehendit, nedum ſtatuta, & ordinationes ab aliis Epiſcopis conditas, & confirmatas, quæ propterea non indigebant noua confirmatione, ſed potiſſimum iſtud, de cuius viribus agebatur, cùm eſſet deſcriptum in eodem folio, paulo ante præfatam confirmationem.

Et eo magis inclinabant Domini in iſtam ſententiam, quia ex pluribus optionibus, quæ proponebantur in facto, ſtatutum de optando ſatis videbatur vſu, & conſuetudine receptum, nam licèt de quibuſdam dubitaretur, an forent ſortitæ talem effectum, ex quo plenè poſſit dici acquiſita quaſi poſſeſſio, & inducta optandi conſuetudo: quales ſunt illæ de anno 1465. quæ præceſſerunt ſtatutum, & fortaſſis illius condendi cauſam præbuerunt, de optione facta per Bernardum de Lezio, tanquam antiquiorem Canonicum Eccleſiæ Bobien. per obitum Ioannis Antonij de Pagiarinis de ann. 1475. cum poſſeſſione præbendæ vigore optionis ſubſecuta, non poterat dubitari.

Nec refert, quòd poſſeſſio videatur inſtrumentalis, quia ex quo de alterius poſſeſſione 3. non conſtabat, illa ſufficit, ita vt talis poſſeſſio ſit etiam iuxta receptum Rotæ ſtylum reſtituibilis. * Rota *deciſ.* 21. *de reſtit. ſpoliat. in antiq.* Caſſador. *de præben. deciſ.* 20. Verallus *deciſ.* 334. *n.* 6. *p.* 2. Pontanus *de ſpolio lib.* 2. *n.* 93. quod maximè procedit in hoc caſu, cùm in ipſa re præſente fuerit capta poſſeſſio. *l. prædia. ff. de acquirend. poſſeſſione*, cum ſimilibus.

* adde Coccin. dec. 212. num. 6. 233. 378. n. 1. & 425. n. 1. & 488. n. 2. Rotam recen. p. 2. deciſ. 35. Ludouiſ. dec. 138. n. 1.

Aderat inſuper optio de anno 1491. facta per quondam Stephanum Bazigalupum, de Canonicali præbenda vacante per obitum Pauli Parauicini, cuius effectuatio ſatis probatur, ſaltem ex concordia, quia mota lite remanſit in poſſeſſione præbendæ optatæ.

Viſa



Viſa quoque fuit Dominis ſatis effectuata optio facta, per Paulum de Piparis, per obitum Iacobi de Porcellinis de anno 1481. tum ex locatione * quorundam bonorum Canonicalis præbendæ, per eum factæ, tum etiam ex mandato ad reſignandam præbendam optatam per eundem Paulum, dato ad fauorem Dominici, qui viciſſim conſtituit Procuratorem ad acceptandum, & cùm poſtea eandem præbendam per obitum Dominici vacantem, Bernardus optauerit, ad præſumendum iure legitimæ optionis præcedentis iſta omnia geſta fuiſſe, ſatis eſt, iſtum vl-

* locatio probat poſſeſſionẽ. vide Ludouiſ. dec. 500. n. 2. & pro intellectu videbis deciſ. 6. eiuſdem, & ibi additionem, lit. A.

4. timum ſtatum conſiderare, quia vbi apparent ſucceſſiuæ præſentationes vnius poſt alteram, à prima vſque ad vltimam, ſiue per obitum, ſiue per reſignationem, * ſiue per Canonicam priuationem, ſufficit probare vltimi optantis, ſiue prouiſi effectuationem, vt præcedentes optiones, ſiue prouiſiones legitimè effectuatæ præſumantur. Oldradus *conſ.* 229. incip. *Hæc ſunt dubia, n.* 2. Lambertinus *de iure patron. p.* 2. *lib.* 2. *q.* 10. *art.* 7. *n.* 11. *verſ. & tanto magis.*

* adde optimam deciſ. Ludouiſ. dec. 215. num. 1. & ibi addition. n. 8. vbi allegat plures deciſiones Rotales circa hunc articulum.

Et ex his tollitur obiectio, quòd non appareat de inſtrumento captæ poſſeſſionis prębendæ op-
5. tatæ per Paulum de Piparis, cùm actus ſubſequuti oſtendant, illam neceſſariò poſſeſſionem fuiſſe adeptum, præfatam itaque Stephani Bazigalupi optionem legitimam eſſe docent ſtatutum, & ſubſequutæ ſaltem poſt ſtatutum optiones, quæ clarè oſtendunt, illius fuiſſe conſuetudine receptum.

6. Quod aliàs non deſineret eſſe validum, licèt per quadraginta annos Canonici vigore illius non optaſſent, quia cùm hoc illis competat per modum facultatis, & meræ voluntatis per actualem non vſum * optandi Canonicorum, ſicut de conſuetudine in iſto caſu concludunt communiter Canoniſtæ *in c. fin. de conſuet. lib.* 6. vbi Ioannes Andr. *n.* 1. *& ſeq.* Ancharran. *n.* 2. *verſ. quid ſi Canonici, & verſ. item ſubdit.* Anton. de Butrio *n.* 4. Geminian. *n.* 3. Francus *n.* 5. *verſ. ſed quæritur quid ſi Canonici*, Calderinus *conſ.* 1. *de conſuetud.* Gigas *de penſionib. quæſt.* 63. *n.* 8.

* adde Coc. deciſ 402. n. 10. & Rotam diuerſ. p. 2. dec 297. n. 4. & infrà dec. 661. n. 3.

---

## *Romana reſciſſionis contractus.*

### Die Veneris 16. Martij 1590.

### SVMMARIVM.

2 *Procurator non poteſt præſtare iuramentum calumniæ ſine ſpeciali mandato.*

3 *Stylus Rotæ nullitatem admittit, ſi deficiant, citatio, iuriſdictio, vel mandatum.*

4 *Tranſactionem vitiat falſa cauſa expreſſa.*

5 *Tranſactio ſi fiat, non attenditur iuſtitia principalis cauſæ, quod intellige vt n.* 6. *&* 7.

8 *Error, qui excludit conſenſum, inualidat contractum, vel tranſactionem.*

9 *Clauſulæ,* eo meliori modo, *&c. in tranſactione, non ſupplent defectum conſenſus.*

10 *Contractus regulatur à mutuo conſenſu contrahentium.*

### DECISIO XCIII.

1. DOmini ſteterunt in deciſis, * & quantum ad prætenſam nullitatem ſententiæ Vicarij, ob non præſtitum iuramentum de calumnia, præter reſponſionem datam in alia deciſione ſub die 15. Ianuarij † præteriti fuit dictum, difficultatem ceſſare ex obſeruatione terminorum ſubſtantialiũ, inter quos adeſt terminus ad iurãdum de calumnia. Et eo ipſo quòd ſeruatur terminus, dicitur præſtitum calumniæ iuramẽtum, 2. ad quod præſtandum in hac cauſa, Procurator 3. habebat mandatum ſpeciale, * ſicut iure requiritur. *c. fin. de iuram. calum. lib.* 6. Et ideo non poteſt dici omnino omiſſum, licèt foret petitum, & cùm iſta nullitas non proueniat ex tribus illis defectibus, citationis, iuriſdictionis, & mandati, quos inuiolabiliter Rotæ ſtylus obſeruat, non eſt tam rigoroſè attendenda; præſertim cùm conſtet, aliquo modo præſtitum fuiſſe, & reiteratum in obſeruatione termini ad ſententiam.

* ſuprà deciſ. 70. vide infrà deciſ. 1035. num. 6. tomo 2.

† ſuprà in dicta deciſ. 70.

* Cocci. deciſ. 417. n. 5. vbi ſufficiũt mandatum generale, cũ clauſula ſpeciali, ad iurandum de calũnia. Ludouiſ. deciſ. 209. n. 3. vbi latè, additio lit. A.

Iuſtitiam ſententiæ Domini dixerunt clarè probari ex dictis in deciſione, † in alia poſitione: quia falſa cauſa, quæ fuit expreſſa, tranſ- 4. actionem vitiat. *l. in ſumma, verſ. ſin autem. ff. de condict. indeb.* cum aliis allegatis.

† in d. deciſ. 70. num. 2. & ſeq.

Quod opponitur ex Baldo *in l.* 2. *notabili* 1. *C. de tranſact.* quem ſequitur deciſio Pedemon. 58. 5. *n.* 15. videlicet, iuſtitiam cauſæ principalis non attendi in tranſactione, non operatur hoc, vt ſi falſa cauſa fuerit expreſſa, tranſactio non cor- 6. ruat: * quia licèt ad tranſigendum ſufficiat litem de facto moueri, vel de facto aliquem vexari, nihilominus ſemper eſt verum, tranſactionem vitiari, ſi falſa cauſa expreſſa fuerit.

* tranſactio enim ſemper præſumitur facta de ea re de qua præcedebat diſcordia. Rota in recen. dec. 114. n. 2. p. 1. & dec. 110. n. 1. p. 2.

Quod Domini indiſtinctè procedere dixerunt, ſiue falſa cauſa ſit expreſſa, ab vtraque parte tranſigente, ſiue ab illa, quæ petit reſcindi tranſactionem, vel ob ea ſolùm, quæ non vult à tranſactione recedere, nec Ruinus ex aduerſo allegatus *conſ.* 135. *num.* 13. *l.* 1. facit in hoc 7. aliquod fundamentum, cùm bene ponderatus aliud ſentiat.

8. Imò ex quo error fuit cauſatus ex aſſertione Bizzochorum, à priori donatione recedere volentium, multo magis dolus arguitur, * & ideo Monialibus ſic ad tranſigendum inductis ſuccurritur. Iaſon *in l. ſub prætextu, num.* 4. *C. de tranſact.* Angelus *conſ.* 28. Socin. *conſ.* 3. *lib.* 3. Roland. *conſ.* 13. incip. *Viſa tranſactione, n.* 33. *verſ. & præſertim, lib.* 1. nam cùm vtrobique interueniat error, qui excludit † conſenſum, nulla propterea conuentio, nec obligatio tenet. *l. ſi per errorem. ff. de iuriſdict. omn. iudic.*

* dolus reſcindit trãſactionẽ, ſicut & error. Rota diuerſ. p. 1. deciſ. 457. & habetur in impreſſis Seraphin. dec. 230. n. 5.

† adde Ludouiſ. deciſ. 179. n. 5. & in recen. p. 2. dec. 524. n. 4.

9. Clauſula, *& omni meliori modo*, in tranſactione appoſita, vel aliæ etiam magis prægnantes, non ſupplent defectum conſenſus, quem ſemel error ex falſa cauſa expreſſa ortus excluſit, cùm 10. actus geſti inter contrahentes, à conſenſu eorum mutuo regulentur, Aretinus *conſil.* 24. Aymon *conſil.* 102. Non obſtat quòd ex quo erat expectandus obitus Bizzochorum non videbatur Monialibus plenè ius acquiſitum, ideoque ante iſtam acquiſitionem potuiſſe illos liberè abſque vllis ſolemnitatibus retrocedere, quia fuit reſponſum, quòd præterquam, quòd ſtante ſtipulatione Notarij, videbatur irreuocabiliter eis ius quæſitum, cùm de illorum acceptatione conſtet, omnis penitus difficultas tollitur.

Denique ſuperuacaneum videtur, tantopere circa nullitatem ſententiæ latæ per Vicarium laborare, quia ſi illa non profuerit, tanquam confirmata, ſuſtinebitur tamen, ex ſententia Rotali

confirmante,quæ cauſa cognita,& bene diſcuſſa de bono illius guſtauit iure.

## *Parmen. beneficij S. Nicolai de Tolentino.*

### Die Lunæ Martij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Ius accreſcendi non habet locum, niſi deficiente aliqua portione.*
3 *Ius accreſcendi habent, verbis coniuncti.*
4.5.8 *Appellatione deſcendentium intelliguntur omnes naſcituri,& ſic eſt diſpoſitio conditionalis, ſi naſcantur.*
6.7 *Nomine collectiuo intelliguntur,qui extabunt,& qui ſucceſſiuè naſcentur.*
9 *Filius, vel poſthumus dici non poteſt, qui natus non eſt coniunctus.*
10 *Nomine collectiuo vltimus comprehenſus alijs non natis, non dicitur grauatus fideicommiſſo, quod intellige vt n.*11.
10.11 *Collectiuo vltimus comprehenſus, alijs non natis non dicitur grauatus fideicommiſſo.*
12 *Subſtitutionis gradum faciunt non nati.*
13.14 *Subſtitutio vulgaris, vel pupillaris poteſt fieri non natis.*
15.16 *Intellectus* ad l. ſi duobus. §. ſi Titio, de leg.2.

## DECISIO XCIV.

1. Die 19. Ianuarij * proximè præteriti fuit per Dominos concorditer concluſum, in iſto caſu locum habere ius accreſcendi † ad fauorem D.Iulij Cæſaris de la Latta,ſed quia pars aduerſa non acquieſcebat,vt ei ſatisfacerem,iterum propoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini ſteterunt in deciſis,nam quæ in contrarium proponebantur, nec conuelabant fundamenta prioris deciſionis, nec aliàs erant talia, quibus iure ſatisfieri non poſſet.

* ſuprà dec. 71.

† ius accreſcendi quòd habeat, vel non habeat locum poſt aditam hæreditatē declarat Barr. in l.qui patri n.3.ff.de acquiren. hæreditate.

Primum enim non obſtat dicere,quòd ius accreſcendi locum habere non poſſit, niſi portio deficiat,& quòd defuncto Luca iuniore non de-
2. ficiat portio, quia tranſmittitur ad hæredem, vt fuit dictum in Aretina Capellaniæ coram D. Bubalo ſub die 6.Iunij 1584.

Ad hoc enim iam fuit reſponſum,quòd in illo caſu nullus erat verbis coniunctus, qui poſſet admitti per ius accreſcendi:at in caſu propoſito, deſcendentes ex Luca,filio Pauli, & deſcendentes ex Antonio, & Gerardo, Franciſco, & Leonardo ſunt verbis coniuncti, vnde tanquam tacitè ſubſtituti debent præferri:itaque negari non poteſt,quin portio relicta Lucæ iuniori poſt eius
3. obitum deficiat.Et cùm hoc caſu dubitari poſſet, an portio deficiens debeat pertinere ad alios deſcendentes,qui ſunt verbis coniuncti, vel ad extraneos hæredes,difficultas ceſſat,ex quo verbis
4. coniuncti habent ius accreſcendi.

5. Neque obſtat quòd dicitur portionem non deficere ex eo quòd deſcendentes Lucæ iunioris, qui non ſunt progeniti,non ſint vocati,quia imò intelliguntur vocati omnes deſcendentes in infinitum : * non tamen admittuntur ſi non ſunt progeniti, cùm non exiſtentes admitti non poſſint:intelliguntur enim vocati ſub conditione,ſi naſcantur,quæ conditio eſt neceſſaria.*l.vtrum,in princ.ff.de reb.dub.*Vnde ſi ex linea Lucæ iunioris deſcendentes non ſunt orti, portio relicta eius deſcendentibus tanquam defecta conditione intelligitur deficere, & aliis coniunctis verbis,applicatum per *l.ſi duobus.§.ſi Titio.ff.de legat.*1.*& l. quidam relegatus.§.fin.cum duob.ſeqq. ff.de reb.dub.*

* de hoc art. vide deciſ. 344. in recē. p.2.num.1.& ſeq. Coccin. dec.493.n.2.

Nec refert quòd ſub nomine collectiuo in- 6.
telligantur vocati,qui extabunt,& ſucceſſiuè qui naſcētur.*l.cùm ita,§.in fideicommiſſo.ff.de leg.*2.ibi, *& qui ex his primo gradu procreati ſunt*, quia euidenter loquitur de his, qui ad petitionem fideicommiſſi admitti poſſunt, vnde Domini concedebant quòd qui nati non ſunt, non poſſunt admitti ad petitionem fideicommiſſi, & propterea eorum portio dicitur deficere, & licèt nati non fuerint ; negari tamen non poteſt, quin fuerint verbis coniuncti. *d.l.ſi duob.§.fin.ff.de legat.*1. vbi Bald. & Imola apertè ſentiunt quòd, licèt coniūcti duo extrema habere debeāt,ſufficit tamen, quòd habeant verbaliter,quamuis non realiter.

Ac ſimiliter etiam reſpondetur *ad l.peto,§.fra-*
*tre*, in illis verbis, *omnes fideicommiſſum petent qui* 7.
*in familia fuerunt.* præcisè cùm loquitur de petitione fideicommiſſi, vnde conſequitur non natos non poſſe petere fideicommiſſum, ſed non infertur inde eos non fuiſſe vocatos, & verbis coniunctos,cùm(vt prædictum eſt)non requiratur extremum reale,ſed ſufficiat verbale, *dicto §. ſi Titio & l.vtrum,in princ.ff de rebus dub.*

Textus *in l.liberorum,ff.de verb.ſign.* non obſi- 8.
ſtit.nam licèt concedatur liberos,vel deſcendentes dici non poſſe illos,qui reuera orti non ſunt, cùm non entium non ſint qualitates vllæ;negari tamen non poteſt quin verbaliter liberi & deſcendentes dicantur cùm naſci poſſunt, ideoque intelliguntur etiam vocati ſub neceſſaria conditione ſi naſcentur, quod ſufficit ad verbalem coniunctionem & ius accreſcendi : quamuis
enim nec verè filius nec poſthumus dici poſſit, 9.
qui natus non eſt,coniunctus nihilominus dicitur verbis.*dicto §.ſi Titio*,& eius portio deficiens coniuncto accreſcit.

Nec facit etiam quòd vltimus ex comprehen- 10.
ſis ſub nomine collectiuo aliis non natis, non dicitur grauatus fideicommiſſo,& ideo poſſit li-
berè diſponere. *l.cùm prætor.§. libertis,in fin.ff. de* 11.
*leg.*2. quia hoc procedit, niſi aliquis ſuperſit,qui ſit verbis coniunctus:tunc enim ille tanquam tacitè ſubſtitutus admittitur per ius accreſcendi.

Nec eſt verum quòd qui nati non ſunt, non 12.
faciant gradum ſubſtitutionis, cùm contrarium iure cautum videatur. *l. Gallus,in princ.ff.de lib.& poſth.& §.poſthumi.Inſtit.de exhæred.liber.*

Nec fuit ad rem dicere quòd ſi intelligan- 13.
tur vocati, qui nati non ſunt, inutilis ſit futura diſpoſitio, quia fuit dictum quòd cùm teſtator ignorauerit,an forent naſcituri,ſufficit quòd naſci poſſint, vt & vocati & verbis coniuncti intelligantur, ideoque non poterit inutilis diſpoſitio cenſeri, ſicut etiam poſthumi, vel hæredes inſtitui, vel exhæredari debent, quamuis tractu temporis eis non natis inſtitutio, vel exhæredatio ſit ſuperuacanea. *§.poſthumi. Inſtitut. de exhæredat. liberor.* cùm liberis etiam poſthumis nedum vulgaris, ſed pupillaris etiam ſubſtitutio fieri poſſit. *§. non ſolùm, verſ. quæcumque*
*diximus. Inſtitut.de pupil.ſubſtit.* & tamen explo- 14.
rati iuris eſt, non natis poſthumis ſubſtitutionem euaneſcere.

15. Intellectus *ad l.ſi duobus. §. ſi Titio, de legat.*2. quòd ſcilicet ibi certum erat teſtatorem voluiſſe legare ei, qui non erat in rerum natura, nec ſperabatur fore,quo caſu mirum non eſſe ſi portio dicatur deficere,tanquam abſurdus & à mente & ſenſu iuris alienus, ( vt *ibidem* admonent Zaſius & Duarenus) admittendus non eſt, cùm nihil alienius à recta iuris diſpoſitione fingi poſſit, quàm aſſerere non eſſe ſperandam poſthumi natiuitatem, ſi aliqua certa & euidens ratio id non ſuadeat. Imò ſtultus foret teſtator ſi legaret ei, qui nec ſit in rerum natura, nec naſciturus ſperetur.

16. Nec eſt verum gloſ. Bart. Bald. & alios communiter ibidem ita intellexiſſe dictum *§.ſi Titio*, in quo Zaſius & Duarenus inſigniter hallucinati videntur, cùm gloſſ. *in verſ.non nato*, & Bart. & alij diligenter inſpecti aliud omnino ſentiant, quia dum gloſſ. ait, non nato poſthumo totum legatum Titio deberi, quando incommutabiliter ſciebatur eum non naſciturum, apertè ſenſit à principio conditi teſtamenti teſtatorem ignoraſſe, an poſſet naſci, & conſequenter ſpes erat illum poſſe naſci. Sic eſt etiam Bart. intelligendus, quod clariùs *ibidem* Imola poſt Baldum annotauit, dicens coniunctionem cadere inter perſonam, quæ eſt in rerum natura, & illam, quæ non eſt in rerum natura,ſed tamen eſſe ſperabatur, cùm ſufficiat quòd coniunctio habeat duo extrema verbaliter.

Denique Domini dicebant nihil eſſe quod iſti deciſioni legitimè contradiceret, quia ſi diceretur quòd deſcendentes poſthumi Lucæ iunioris,qui non fuerunt progeniti,non ſperabantur poſſe naſci,(quod nullum habet fundamentum,vt oſtenſum eſt) tunc portio eorum deficeret,& haberet locum ius accreſcendi; ſi verò diceretur quòd ſperabantur naſci ſaltem à teſtatore,ſimiliter cùm nati non fuerint, eorum portio deficit, & ius accreſcendi intrabit, vt manifeſtè colligitur ex *dicta l.quidam relegatus. §.fin. cum l. ſeq. & d. l. vtrùm, in principio. ff.de reb. dub.* & ex prædictis fuit concluſum nullo modo recedendum à deciſis, pro iure accreſcendi ad fauorem Iulij Cæſaris,& pro reuocatione ſententiæ contra eum in partibus latæ.

## *Romana, ſiue Lugdunenſis redditionis computorum.*

### Die Veneris 23. Martij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Pretium venditionem præſupponit.*
3 *Debitor poteſt cogere creditorem ad acceptandam partem confeſſam,& de parte dubia litigare.*
*Creditor poteſt cogere debitorem ad acceptandam partem confeſſam, & de parte dubia litigare, ibid. & num.6.*
4 *Ius idem debet conſtitui vbi eadem eſt ratio.*
5 *Debitor & creditor ſunt correlatiui.*
7 *Confeſſio ſi fiat ex vna parte de tota, ex ea debet concedi mandatum,& ex alia ventilari,& n.*11.
8 *Debitor cogendus eſt ad ſoluendum liquida in redditione rationum.*





9 *Tutor in ratione tutelæ tenetur reddere liquidum, & incertum relinquitur examinandum.*
10 *Creditor tunc non poteſt conſequi partem debiti, quando reus etiam partem petitam negat, & num.*13.
11 *Creditor poteſt acceptare partem à reo confeſſam, etiamſi vtatur in confeſſione dictione taxatiua, ſolùm,vel,tantùm.*
12 *Confeſſio qualificata non poteſt pro parte acceptari,& probari,& pro parte reſpui.*

## DECISIO XCV.

THomas quondam Epiſcopus de Lilio, ha- 1.
bebat multas pecunias inueſtitas in monte dicto, del grand partito di Lion, qui ſub die 13. Auguſti 1574. Horatio de Oricellariis tunc Pariſiis commoranti per ſuas litteras mandatum dediſſe dicitur, vt creditum præfati montis venderet,quod Horatius in tribus vicibus, ac partitis, & tribus diuerſis perſonis feciſſe prætendit, & pretium primæ partitæ eidem Epiſcopo adhuc viuenti perſoluit, ex pretio verò aliarum duarum partitarum poſt obitum dicti Epiſcopi, duas tertias partes ſoluit Annibali de Lilio, aliam autem tertiam partem Ioanni etiam de Lilio ſoluere paratus ſe offerebat, ſed volebat ſibi fieri per Ioannem quietantiam generalem,quam cùm Ioannes facere recuſaret, eo quòd putaret plus ſibi per Horatium deberi,quia prætendebat præfatum creditum maiori pretio fuiſſe diſtractum,dubitaui, an eſſet danda ſententia D.Ioanni Lilio pro tertia parte crediti ad ipſum ſpectante, facta per ipſum Ioannem quietantia de receptis ; ſine præiudicio aliarum ſuarum prætenſionum, quas contra Horatium competere ſibi putabat. In quo articulo Domini dixerunt primò quòd, cùm Ioannes peteret partem pretij,oportebat ipſum fateri venditionem crediti;
pretium enim venditionem præſupponit, *§.pre-* 2.
*tium autem,Inſtit.de empt.& vend.*

Cenſuerunt præterea cogendum eſſe Horatium ad ſoluendum * Ioanni eam pretij partem, quam confitetur, facta per Ioannem quietantia ſolùm de receptis ſine præiudicio aliarum ſuarum prætenſionum. *l.quidam exiſtimauerunt.ff. ſi cert. pet.* quæ licèt loquatur in debitore, qui po-
teſt cogere creditorem ad acceptandam partem 3.
debiti confeſſatam, & de parte dubia litigare, idem in caſu diuerſo eſt dicendum, vt debitor etiam cogi poſſit ad ſoluendam partem debiti, de qua non eſt controuerſia,& ſuper reliquis litigare;cùm enim vtrobique eadem concurrat ra-
tio,idem eſt ius ſtatuendum.*l.illud,ff.ad l.Aquil.* 4.
cum ſimilibus. Et cùm debitor & creditor ſint 5.
correlatiua, eadem in vtroque ſeruatur diſpoſitio, quando eadem ratio locum habet. *l. fin. C. de indicta viduit. tollen. l.Iulianus.§. Procurator.ff. de actionib. empt.* Gabriel *tit. de legib. concluſ.* 3. *num.* 1. eandem verò hîc rationem concurrere, præfata *l.quidam exiſtimauerunt*, patenter oſtendit, quoad diminuendas lites ita decreuit. Et ibi
Alexander *num.* 10. tenet hanc opinionem, di- 6.
cens, memoriâ retinendum circa practicam illius legis, quòd quando reus confitetur partem debiti,& partem negat,actor debet acceptare illam partem, & tunc reus non habebit iuſtam cauſam litigandi ſuper tota, & tenetur reus offerre partem confeſſatam, aliàs eſt in mora.

* creditor an cogi poſſit partē crediti accipere, vide Coc. dec.228.n.3.

*l. qui ſolidum, in principio. ff. de legat.* 2. Iſtis accedit, quia quando in vna ſumma petita liquet de parte debiti per confeſſionem rei, ſuper illa parte pronuntiari, ſeu ferri, præceptum poteſt, & ſuper reſiduo cauſa ventilabitur, vt voluerunt Ancharranus *in cap. ea, quæ, num. 6. verſ. item intelligo, niſi de parte debiti. de reg. iuris, lib. 6.* Felinus *in cap. cùm inter, num. 16. fallentia 11. de ſententia & re iudicata*, vbi Abbas *num. 24.*

8. Placuit etiam Dominis in hac materia conſilium Baldi 152. incip. *Ad euidentiam, verſ. de calculatis autem, lib. 3.* vbi in redditione rationum concludit, partes iudicis eſſe vt cogat debitorem ad ſoluendum liquida, & Socini *conſil. 24.* incip. *Viſis, num. 36. verſ. & primò, quia Thomaſius, lib. 1.* cuius doctrinam magis communiter receptam dicit Benintendus *deciſ. 90.* incip. *Tutor, circa finem, verſ. contrarium tamen,*
9. dicentis tutorem finita tutela, ſi minor petat ſibi reſtitui bona contenta in inuentario non obſtante recuſatione tutoris, eo quòd non ſit adminiſtrationis ratio reddita, teneri confeſtim ad illa bona reſtituenda, quia * executio certi propter incertum, & liquidi propter illiquidum, retardari non debet: certum enim & liquidum perſoluitur, & incertum relinquitur examinandum, per textum in terminis *in l. ſtatu liber rationem, ff. de ſtatu liberis, & in l. reſiduum. C. de diſtract. pignorum.* Tobias Nonius *conſil. 63.* incip. *Viſis, num. 28.* Poſtremò illud receptum eſt regulariter, neminem cogi ad faciendum alteri quietationem generalem. Bart. Iaſon, & alij, *in l. cùm Aquiliana. ff. de tranſact.* Barbatia *conſ. 16.* incip. *Præclarè ſcripſit, l. 2.* Corneus *conſ. 140.* incip. *In hac conſultatione, num. 2. lib. 3.* Alexander *conſ. 11. n. 9. lib. 2.* Romanus *conſ. 155.* incip. *Præmiſſum laudum, n. 5.*

* de hoc articulo vide Ludouiſ. dec. 220. n. 5. & deciſ. 242. in recen. coram Damaſceno, vbi contrarium ex ea colligitur.

Non obſtat quòd Bartol. *in l. in commodato. §. duobus. ff. commodati, & in l. non eſt nouum, in fin. ff. de actio. empt.* contra præfatam deciſionem ſentire videatur.

Quia fuit reſponſum primò magis communem ſententiam eſſe contra Bartolum, vt teſtatur Alexander *in l. cùm quædam, §. quoties, n. 3. ff. de iuriſdict. om. iud.*

10. Fuit etiam dictum Bartoli doctrinam procedere, vt tunc creditor non poſſit petere partem debiti, quando reus etiam partem petitam negat, vel illam non confitetur, quia reus, inquit, non debet pluribus actionibus, vel iudiciis diſtringi, ne continentia cauſæ diuidatur; quod dici non poteſt quando reus ipſe partem debiti confitetur, tunc enim ſi actor paratus ſit illam accipere, iudicis officio, reus compellitur ad illius ſolutionem: qua in parte lis penitus ceſſat, nec cauſæ continentia diuiditur, vt colligitur ex viua ratione textus *in dicta l. quidam exiſtimauerunt, ff. ſi cert. petat.*

Eo denique modo erit accipiendus Iaſon, qui *in dicta l. quidam exiſtimauerunt, n. 8.* ſententiam Bartoli dicit eſſe communem, tunc enim actor compellitur petere totum debitum, quando reus partem non confitetur.

11. Quòd præterea apponebatur de confeſſione Dominorum de Oricellariis, quòd ſcilicet non poſſet diuidi, tanquam à iure alienum fuit reiectum, cùm *in l. ſiquidem. C. de tranſact.* Bartolus, Salicetus, Paulus de Caſtro, Iaſon, & cæteri communiter adnotant, poſſe creditorem acceptare partem debiti per reum confeſſatam, & ad reſiduum quod amplius ſibi deberi prætendit agere, etiam ſi debitor in ſua confeſſione fuerit vſus dictione taxatiua *tantùm, ſolùm*, aut ſimilibus.

Quia licèt communiter receptum ſit, confeſſionem qualificatam, non poſſe pro parte acceptari, & pro parte reſpui. Bart. *in l. Aurelius §. idem quæſiit. ff. de liberat. leg.* per gloſſ. *in l. ſiquidem, C. de except.* nihilominus, vt bene reſpondent Baldus & Salicetus, quos ſequitur Iaſon *in d. l. ſiquidem, n. 2. verſ. nec obſtat ſi dicatur, C. de tranſact.* dictio taxatiua, *tantum*, non qualificat, ſuper quo dubitatur. 12.

Ex his concluſerunt Domini dandam ſententiam Ioanni, per quam compellatur Horatius ſoluere illi tertiam partem crediti per ipſum confeſſatam, facta ſolùm quietantia de receptis.

Secus verò pronuntiarunt, ſi Ioannes cùm confiteretur, præfatum creditum fuiſſe venditum, ſed peteret illud ſibi vnà cùm ſcripturis originalibus reſtitui: tunc enim cùm venditio per creditorem negetur, non poſſet ſe ex confeſſione debitoris, quam impugnauit, iuuare. *c. ex eo, de regulis iuris lib. 6. c. cùm olim, de cenſib.* Felinus *in c. capitulum, n. 9. de reſcriptis.* 13.

---

## *Spoletana bonorum, ſiue ſpolij.*

### Die Lunæ 26. Martij 1590.

SVMMARIVM.

3 *Teſtes de publica voce, & fama probant, cùm agitur de antiquo ſpolio.*
4 *Teſtis de viſu, auditu, cum alijs de voce, & fama publica, & fama in antiquis probat.*
5.6 *Narratiua Bullæ conceſſionis bonorum in antiquis probat.*

## DECISIO XCVI.

DOminus Nicolaus * Ancarranus Abbas Eccleſiæ Sancti Petri de Ferentillo, prætendens dictam Eccleſiam multorum bonorum, & locorum, in primis verò Rigotiui Couigni vſque ad Ferrariam, & Montis de Petano à communitate Spoleti, legitima & pacifica poſſeſſione paulatim ſpoliatam, contra communitatem iudicium ſpolij intentauit, iura produxit, & multos ſuper ſpolio teſtes examinauit; ſimiliterque communitas multa ſua iura propoſuit, & teſtes etiam ad probandam ſuam intentionem examinare præparabat. Sed quia Remiſſoria fuerat communitati conceſſa, ſine retardatione vlterioris proceſſus, dubitaui, an conſtaret de primo extremo dictæ Eccleſiæ S. Petri de Ferentillo reſpectu poſſeſſionis præfatorum locorum. 1.

* habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſ. dec. 48.

De Abbate, & Abbatia de Ferentillo vide c. 2. de ordin. cognit.

Et Domini circunſcriptis exceptionibus teſtium pro parte D. Abbatis examinatorum, & iuribus magnificæ communitatis, (quorum ſuo loco & tempore habebitur ratio,) concluſerunt probari primum extremum: nam primus teſtis ætatis ann. 71. aut 72. ſuper 3. 4. & 5. articulis, & ſecundus ætatis 75. annorum ſuper 3. & 4. & tertius ſuper 3. & quartus ſuper quarto, & quintus ſuper 3. & 4. & ſextus ſuper 3. & 4. ſuperiori anno examinati conformiter 2.



teſtificantur de publica voce, & fama, & de auditu à ſuis maioribus, & ſenioribus, qui ſimiliter à ſuis anteceſſoribus audiuerunt præfata loca ab Eccleſia Sancti Petri de Ferentillo fuiſſe poſſeſſa, & cùm agatur de antiquo ſpo-
3. lio, de publica fama, & voce concludenter probant primum extremum * Ancharanus *conſ. 42.* incip. *Circa recuperandam.* Bartolus *in l. Celſus. ff. de vſucapionibus.* Felinus *in cap. veniens, el primero, num. 16. verſ. ſcias etiam quòd ad intentandum. de teſtib.* Puteus *deciſ. 76.* incip. *In vna Placentina, lib. 1.* Ioannes Paulus *deciſ. 105.* Antonius Auguſtinus *in Epitome tit. de vtroque extremo, n. 4.*

* & ex quibus probetur primum extremum ad effectũ ſpolij, vide Ludouiſ. deciſ. 105. n. 1. & ſequ. & primum extremum de ſtylo Rotę ſemper requirit plenas & cõcludentes probationes; licèt in 2. leuiores ſufficiãt. Rota in recen. 2. p. deciſ. 768. n. 7. & dec. 208. n. 1. & 2.

Et fit eo nomine iſta teſtium depoſitio veriſimilior, quia nonnulli referunt nomina ſeniorum, à quibus id dici audiuerunt.

Iſtis accedit dictum eiuſdem ſecundi teſtis, de viſu, qui iuxta 38. interrogatiorium latè explicat qualiter biennio poſt vrbis direptionem, quæ contigit ad annum Domini 1527. communitas Spoletana ſemel miſſis 20. hominibus armatis, & iterum quidam illius Commiſſarius 400. vel 500. hominibus armatis ſtipatus poſſeſſionem terrarum laboratiuarum exiſtentium in radice montium Rigouiti, Couigni, & Petani, colonis Abbatiæ inibi laborantibus, & terram colentibus in fugam verſis, ingreſſa eſt, donec paulatim ſibi de certa parte fructuum reſpondere coëgerit, vt deponit etiam de iſta exactione quintus teſtis iuxta 38. interrogatorium, & terras præfatas arbitrio ſuo menſurauerit.

4. Nam iſte ſecundus teſtis de viſu additus, aliis de publica voce & fama plenè probat. Bald. & alij, vbi Iaſon *notab. 2. num. 6. in l. Gallus, §. ille caſus. ff. de lib. & poſthum.* Abbas, Decius, & Felin. *in cap. cùm cauſam, de probationib.* Matthæus de Afflict. *deciſ. 337. n. 4.*

Huius præterea teſtificationem coadiuuat quintus teſtis, qui poſtquam iuxta 2. interrogatorium additionale plurimos ſenes retuliſſet, cum quibus familiari colloquio egerat, tum de ſpecificatis locis Rigouiti, Couigni, & Petani, iuxta 38. interrogatorium, ait qualiter circiter ab ann. 44. 45. & 46. vſque ad hæc tempora Spoletani fecerunt ſibi perſoluere modiolos grani à colonis, Rigouiti, & Petani, addens vidiſſe ſe priores Spoleti, cum multis armatis exiſtentibus in hoſpitio del Salto del Cieco, tempore collectionis meſſium prohibuiſſe homines de Ferentillo ne granum aſportarent, antequam ſibi præfatos modiolos frumenti perſoluerent. Et ibidem de auditu refert alios, quòd etiam ad eundem effectum eadem armata manu vſi fuerint. Idem ſuper 4. de auditu ſubiungit, præfata loca Rigouiti, Couigni, & Petani, fuiſſe Monaſterij S. Petri de Ferentillo, illiuſque Abbates ea tanquam veros Patronos, poſſediſſe, & communitatem Spoleti propria auctoritate illa inuaſiſſe.

Præfatam probationem, quam Domini ad effectum de quo agitur ſufficientem eſſe dixerunt, coadiuuant cæteri teſtes, quorum etiam cum ſuis qualitatibus rationem habendam cenſuerunt.

Item priuilegium Gregorij IX. qui cùm anno 1231. monaſterium S. Petri de Ferentillo ſub Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepiſſet, omniáque illius bona, quæ & nominatim explicat, illibata ei permanere conſtituiſſet, inter illa Rigum debiti cum Eccleſia S. Ioannis, & omnibus earum pertinentiis, Montem de Couigni vſque ad Ferrariam, & montem de Petano recen-
ſet: nam iſta narratiua Papæ in antiquis etiam in facto * alieno plenè probat Ioannes de Imola, & alij *in Clement. 1. de probat.* Alexander *conſ. 15.* incip. *Viſis narratis, num. 2. lib. 5.* Ruinus *conſil. 108.* incip. *Viſa ac bene intellecta, num. 20. lib. 2.* Gabriel *de probat. concluſ. 2. n. 54.* 5.

* adde Seraphin. dec. 1016. n. 7. & 8. & de veritate huius propoſitionis vide infra dec. 1680. in tomo 2. impreſſam in recen. p. 2. dec. 412. n. 3. & deciſ. 683. n. 2. p. 1. in eiſdem recen.

Denique ex aſſertione ſcribentium pro magnifica communitate Spoleti videbatur etiam reſultare probationem primi extremi, nam ſi tempore Alexandri IV. de anno 1259. Raynerius Vicepapa in ducatu Spoleti in Tuſcia, & Marchia Anconitana propter magnam deuotionem ciuitatis Spoleti erga Sedem Apoſtolicam, Abbatiam S. Petri de Ferentillo eidem ci-
uitati donauit, & Bonifacius Papa VIII. del ann. 1300. ob corruptos Abbatum, & Monachorum mores, caſtra, villas, terras, & poſſeſſiones diſmembrauit, & Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. conceſſit, non eſt dubium quin Abbatia iſta bona poſſederit. 6.

Cenſuerunt itaque Domini plenè probari primum extremum.

---

## *Romana adminiſtrationis tutelæ extra Rotam.*

### Die Lunæ 2. Aprilis 1590.

SVMMARIVM.

2.3 *Adminiſtrator, & creditor illius, cuius bona adminiſtrat, præſumitur ſibi ſatisfeciſſe, quod intellige vt n. ſeq.*
4 *Euidentia facti facit ceſſare præſumptionem.*
5 *Præſumptio ſatisfactionis debiti non habet locum in immobilibus.*
6 *Litteræ contra ſcribentem probant.*
7 *Præſumptionem qui habet contra ſe, niſi legitimis probationibus eam elidat, ſemper probat contra illum.*

## DECISIO XCVII.

* DOmina Magdalena Otratia anno de 1571. vſque ad annum 1577. Raymundi Vrſini tunc infantis tutelam ſuſceptam adminiſtrauit: Raymundus anno 1583. ab humanis ereptus hæredes ſibi vniuerſales inſtituit D. Valerium Vrſinum fratrem & filios maſculos Ludouici alterius fratris præfatæ Magdalenæ auiæ maternæ ſcuta 500. legauit, & à rationibus adminiſtrationis tutelæ reddendis pleniſſimè liberauit. 1.

* præſes deciſio habetur inter impreſſas per Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 827.

Sed quoniam Troilus & Marius de Vrſinis fratres anno 1565. quendam annuum cenſum perpetuum ſcutorum 131. auri in auro eidem D. Magdalenæ pro ſcutis 1500. ſimilibus vendiderant, & anno mox ſequenti 1566. portionem ſuam Caſtri montis Rotundi titulo venditionis in præfatum Raimundum & fratres & Vrſinis, pro certa pecuniarum ſumma tranſtulerant, & emptores ad computum dicti pretij onus extinguendi cenſum ſuſceperant, cuius fructum multis annis Magdalenæ perſoluerunt, & poſt obitum Raymundi Magdalena à Paulo Æmilio Vrſino præfati Marij filio, & hærede pro tertia parte, quam D. Raymundus habebat,

habebat, cenſum exigere procurabat, ideo Paulus vt ſe à dicta petitione liberaret, D.Valerium Vrſinum, tanquam Raymundi hæredem, tam pro ſorte principali dicti cenſus, quàm pro fructibus (pro quibus omnibus Magdalena mandatum executiuum obtinuerat contra ipſum) coram A.C. conuenit.

Cæterùm Valerius prætendens de portione dicti cenſus, ad cuius ſolutionem Raymundus frater tenebatur, fuiſſe Magdalenæ à ſe ipſa ſatisfactum de tempore quo Raymundi tutelam adminiſtrauit coram A. C. egit pro exhibitione librorum tutelaris adminiſtrationis.

Et quoniam ad litem dirimendam Rotæ ſuffragium petebatur, & dubium generale propoſitum, an Magdalena teneretur de dolo præſumpto ob non confectionem * librorum, & ad reliquorum reſtitutionem, die 6. Martij anno 1589. † fuit reſtricta difficultas, & dictum quòd videretur, an in hoc caſu intraret præſumptio ſatisfactionis, ex quo Magdalena tutelam Raymundi adminiſtrauit, & in hac poſitione fuit concluſum contra D. Magdalenam, quòd ſibi ipſi præſumatur ſatisfeciſſe, nam Domini firmarunt regulam, quòd quando adminiſtrator * eſt creditor illius, cuius bona adminiſtrat, præſumitur ſuum exigi feciſſe, aut ſibi ſatisfeciſſe. *l. ſed ſi damnum. §. præterea id etiam, verſ. nam vt* 2. *eleganter.* vbi notat Angelus, *ff. de pecul.* Matthæus de Afflict. *deciſ.* 13. *n.* 16. *&* 18. Aymon *conſ.* 129. incip. *Proponitur in facto, n.* 5. Neuizanus *conſ.* 57. incip. *Prope eſt dominus, num.* 11. Alexander *in l. venditores, ff. de verb. obligatio.* quæ regula † maximè locum habet in perſona diligenti, & ſolicitè curanti exigere iura ſua. gloſſ. & Bald. *in l. ſi præſidi. C. de donat. ante nupt.* Afflictus *in dicta deciſ.* 13. *num.* 18. *&* 19. Aymon *dicto conſ.* 129. *num.* 6.

* adminiſtrator tutelæ tenetur conficere inuentarium & librũ rationis, etiamſi mater ſit tutrix & adminiſtrator. Seraphin. dec. 1473. n. 1. & in recen. dec. 540. p. 1.

† ſuprà deciſ. 11.

* An creditor adminiſtrator poſſit ſibi ſatisfacere de bonis adminiſtrationis, vide infrà in tom. 2. dec. 1629. & in recen. dec. 451. n. 2. & 3. p. 2.

† vide infrà deciſ. 522. n. 4. & Seraph. deciſ. 1455. vbi allegat hanc deciſ.

Iſtam tamen regulam, Domini dixerunt non procedere quando ex ſufficienti redditione computorum aliud appareret: tunc enim accidentia facti facit ceſſare ſatisfactionis præſumptionem, * quæ in iſto caſu excludi hactenus non potuit, cùm ex libris & ſcripturis coram me productis, & in præſentia vtriuſque par- 3. tis lectis, & reuolutis, penes D. Magdalenam re- 4. manſerit ex redditibus Raymundi aliqua pecuniarum ſumma, vnde ipſa ſibi ſatisfacere potuerit, ſaltem pro illa portione, & quantitate, quanta eſt ſumma pecuniarum, quam ex præfatis redditibus penes ipſam Magdalenam ſolutis cæteris eiuſdem Raymundi debitis apparet remanſiſſe.

* adde Seraphin. dec. 1455. n. 5. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ.

5. Non obſtat quòd præſumptio ſatisfactionis non habet locum in rebus immobilibus, qualis eſt cenſus, quia cùm præſupponatur extinctus, pecuniæ erant reſtituendæ. Accedit, quia D. Magdalena tam pro ſorte principali, quàm pro fructibus mandatum exequutiuum contra Marium, & deinde contra illius hæredem obtinuit.

Pactum appoſitum in creatione cenſus, quòd non poſſet pro parte extingui, cùm ad fauorem Magdalenæ appoſitum videatur, non facit quin ipſa ſibi ſatisfacere non potuerit.

Minus obſtat quod additur Magdalenam non fuiſſe creditricem Raymundi, ſed Marij, & Troili: nam cùm Raymundus, & fratres onus extinguendi cenſum in ſe ſuſceperint, & Marium, & Troilum indemnes releuare tenerentur, quod Magdalena minimè ignorabat, verè fuit effecta Raymundi creditrix, imò ex quibuſdam litteris miſſiuis apparet, Magdalenam Raimundum dicere ſuum debitorem, nec dubitandum 6. quin litteræ contra ſcribentem * probent. Bart. *in l. ſi pupilli. §. item ſi Procurator. ff. de negot. geſtis.* Pariſ. *conſil.* 47. incip. *Intentio Dominorum, num.* 27. *&* 28. *lib.* 1. Beneficium generalis & pleniſſimæ deliberationis quod Raymundus in Magdalenam contulit, non excludit præſumptionem ſatisfactionis, quam ipſa quandiu bona Raymundi adminiſtrauit, tanquam diligens & ſolicita, ſibi facere potuit, vnde cùm contra ſe habeat iuris præſumptionem, niſi per ſufficientem redditionem computorum eam excluſerit, præſumptioni ſtabitur.

* adde dec. 507. p. 1. in impreſſ. diuer. n. 1. & regula eſt, literas probare contra recipientem & penes ſe retinentem & producẽtem, Rota vbi ſuprà dec. 441. n. 5. & de hoc articulo vide Seraph. dec. 1079. n. 1. & 2.

7.

## *Marſicana Beneficij S. Eliæ.*

### Die Veneris 6. Aprilis anno 1590.

SVMMARIVM.

2 *Prior tempore, potior eſt iure.*
3 *Lite pendente non poteſt Epiſcopus beneficium litigioſum prouidere.*
4 *Prouiſio beneficij facta ab Epiſcopo, habet titulum coloratum.*
5 *Epiſcopum habere notas perſonas ſuæ Diœceſis præſumitur.*
6 *Paupertas quæ præſtat legitimum impedimentum, excuſat à proſecutione litis.*

## DECISIO XCVIII.

BEneficium ſimplex Sancti Eliæ Marſican. Diœceſis vacans per obitum Nicolai Celij, Dominus Epiſcopus Marſicanus contulit Angelo Florio, ſed cùm Benedictus Maſius ab Epiſcopo Sorano eſſet prouiſus de Abbatia Eccleſiæ Sancti Ioannis Soran. Diœceſis vacante per obitum eiuſdem Nicolai, cui præfatum beneficium prætendebat eſſe vnitum, Angelum in ſua poſſeſſione turbare cœpit, cauſa introducta in Rota coram D. Onolen. prædeceſſore meo, die 26. Maij anno 1578. deciſum fuit non conſtare de prædicta vnione. 1.

Interim mortuo Benedicto, Cæſar Sabbatinus moderni Epiſcopi Marſicani familiaris prætextu collationis ſibi ab Epiſcopo Marſicano factæ beneficium ingreditur, quare propoſito dubio, an in beneficio de quo agitur, veniat Angelus Florius, Cæſari præferendus, vel è conuerſo? Domini cenſuerunt præferendum Angelum, ſi eius gratia foret iuſtificata. Nam cùm Angelus ab Epiſcopo Marſicano longè, antequam Cæſar, fuerit de beneficio prouiſus, præferendus eſt, quia prior in tempore, 2. potior eſt in iure. *cap. poſt electionem. §. quoniam conſtitit, de conceſſion. præben. cap. eum qui, de præbend. lib. 6. & cap. qui prior, de regulis iuris, eod. lib. 6.*

Quinimo pendente lite ſuper beneficio non 3. potuit modernus Epiſcopus Marſicanus de illo * prouidere, *cap. 2. vt lite pendent. lib. 6.* Simoneta *de reſeruat. beneficior. quaſt.* 10. *num.* 7. *&* 8. *& quaſt.* 46. *num.* 2.

* adde Seraphin. deciſ. 945. n. 1. & dec. 312. n. 1. p. 2. in recen.





4. Quantum ad gratiam die 11. Aprilis Domini dixerunt Angelum iuſtificaſſe ius ſuum, ex quo fuit ab Epiſcopo Marſicano prouiſus, vt apparet * ex litteris in actis productis, ex quibus conſtat Epiſcopum Angelo tanquam clerico eiuſdem Marſican. diœceſis beneficium contuliſſe, quod ſufficit pro iuſtificatione ſui iuris, cùm ordinarius præſumatur habere notas perſonas † ſuæ diœceſis, & qualitates eorum propter viſitationes, quas conſtitutis temporibus facere debet, Puteus *deciſ.* 395. incip. *In vna Abulen. lib.* 3.

* adde Ludouiſ. deciſ. 500. n. 4. & ibi latè additio n. 11. adducit plures dec. & declarat deciſionem Seraph. 457 n. 5. quæ videbatur contrariari huic reſolutioni.

5. Quòd Angelus tanto tempore ceſſauerit à proſecutione iuris ſui, non præiudicat ſibi: quia paupertas, * quæ præſtat legitimum impedi- 6. mentum, Bellamera *deciſ.* 44. Caſſado. *deciſ.* 6. *de appellat.* eum excuſat.

† adde ſuprà dec. 63. n. 6.

* paupertas excuſat à pluribus, vt per Ludouiſ. dec. 361. n. 3. vbi additio num. 5.

## *Auellina Archipreſbyteratus.*

### Die Veneris 6. Aprilis 1590.

SVMMARIVM.

2.3 *Poſſeſſio capta infra tempus ad appellandum non prodeſt; etiam ſi intra id tempus non ſit appellatum.*
5 *Interdictum* Vti poſſidetis, *iubet poſſeſſionem ſemel aſſecutam conſeruari apud illum, qui eam apprehendit.*
6 *Clauſula*, ſine retardatione litterarum Apoſtolicarum, *ſuſpendit iuriſdictionem.*
7 *Poſſeſſione vacua exiſtente, non eſt neceſſarium citare aliquem ad eam capiendam.*
8 *Delegatus à Principe poteſt ſubdelegare.*
9 *Commiſſio facta Epiſcopo, cenſetur facta eius Vicario generali.*

## DECISIO XCIX.

1. PRætendebat Cæſar Fratenſis vigore optionis per Capitulum Auellin. factæ de an. 1581. tanquam primicerius maior, & proximior in loco Archipreſbyteratus Auellin. infra legitimum tempus ſubintraſſe in Archipreſbyteratum, quæ eſt ſecunda dignitas poſt Pontificalem in Eccleſia Auellina, illiuſque poſſeſſionem accepiſſe, & cæteros omnes actus poſſeſſorios exercuiſſe, qui à veris Archipreſbyteris exerceri ſolent; ac in tali pacifica, & quieta poſſeſſione per quinque annos & vltra ſine contradictione perduraſſe, donec Ioannes Angelus Amoretus eiuſdem Eccleſiæ Canonicus die 16. Nouemb. ann. 1585. de præfato Archipreſbyteratu, per Sedem Apoſtolicam ſibi prouideri obtinuit.

Quoniam verò Archipreſbyteratui animarum cura imminebat, (iuxta tenorem Apoſtolicarum litterarum) Amoretus ab examinatoribus Synodalibus examinatus, & approbatus fuit, & à Vicario Auellino tanquam Apoſtolico Subdelegato die 20. Septembr. ann. 1586. decretum vt in realem poſſeſſionem Archipresbyteratus immitteretur, ſicut ſubſequenti die 21. eiuſdem menſis immiſſus extitit.

Capitulum Auellin. eodem anno cauſam appellationis à prædicto Vicarij decreto, & definitione, Archiepiſcopo Beneuentano committi obtinuit, qui ad fauorem Amoreti contra Capitulum pronuntiauit, iterum in gradu appellationis Capitulum vni ex iudicibus Synodalibus Beneuentan. cauſa commiſſa ſententiam fauorabilem reportauit.

Denique cauſa per Amoretum commiſſa in Rota cùm dubitaſſem, an mandatum de manutenendo in poſſeſſione Archipresbyteratus Auellini eſſet concedendum Cæſari Fratenſi, vel potiùs Ioanni Angelo Amoreto, Domini reſponderunt Amoreto eſſe dandum, quia præcedente examine, & ſubſequente examinatorum approbatione, ac cæteris iuſtificatis, quæ ipſo Domino Papæ in ſuis precibus expoſuerat, per habentem iuriſdictionem, nempe Vicarium Generalem Auellinum Apoſtolicum ſubdelegatum & Papalium litterarum executorem fuit in poſſeſſionem miſſus, maximè cùm eo tempore Cæſar non probet, ſe fuiſſe in poſſeſſione Archipresbyteratus, primum enim non probat aliqua eius poſſeſſio ante primum diem Maij anno 1586. quo Capitulum declarauit velle ſe habere Cæſarem Fratenſem in Archipresbyteratum per optionem ſubintrando, in locum Camilli Feſtæ, tunc Archipresbyteratu priuati, quoniam ante eum diem, non conſtat de aliqua optione, vel vigore optionis de aliqua Epiſcopi prouiſione, imò ex illo actu Capitulari apparet aliud, cùm ibi Cæſar interfuerit & optauerit tanquam primicerius fruſtrà optaturus, ſi iam antea tanquam Archipresbyter in poſſeſſione Archipresbyteratus extitiſſet: quamobrem non parum ſuſpecti Dominis viſi fuerunt duo teſtes pro parte Capituli examinati, qui ſuper 7. articulo ſatis audacter teſtificantur Cæſarem Fratenſem de ann. 1581. duobus diebus poſt priuationem Camilli Feſtæ, vigore immemorabilis conſuetudinis, Archipresbyteratum optaſſe, & illius poſſeſſionem accepiſſe, quod (etſi verum eſſet) adhuc ea poſſeſ- 2. ſio Cæſari non ſuffragaretur, quia foret apta 3. infra tempus ad * appellandum. *cap. non ſolùm de appellat. lib.* 6. quod procedit etiamſi infra id tempus appellatum non fuerit. Mohedanus *dec.* 150. Anton. Auguſt. *in epitome tit. appellatione penden. nihil innou.* & fuit dictum coram me in vna Nolan. Capellaniæ de Virginibus die 3. Martij anno 1589.

*de hoc art. vide Ludou. dec. 251. n. 3. & 4. & latè addit. n. 14. & vide infrà in tomo 2. dec. 1087. & in recen Part. 2. dec. 592. n. 1. & p. 2. deciſ. 618. & quando geſta poſt appellationem non inducant attentata, vide Cocc. deciſ. 144. n. 1. & 150. n. 4. & infrà deciſ. 167.

Neque ex prædicta optione & declaratione facta in Capitulo poteſt dici Cæſar in poſſeſſione remanſiſſe, quia non apparet de Epiſcopi collatione, vel approbatione, nec de aliqua ſubſequuta poſſeſſionis traditione, quæ ſi cum effectu ſecuta fuiſſet, Cæſar die 16. Maij 1586. in depoſitione Canonicorum & Capituli ſuper qualitate ipſorum & Eccleſiæ Auellinæ Archipresbyterum ſe vocaſſet, cùm tamen appareat, quòd tunc interuenit, vt Primicerius maior, quod ipſum euidentiùs oſtendit idem Cæſar, qui die prima Iulij, ann. 1586. examinatus dixit ſe vocari Cæſarem Fratenſem, & eſſe Canonicum & primicerium maiorem Eccleſiæ Auellin. ex eo enim capta fuit non obſcura coniectura ad excludendam omnem anteriorem Cæſaris poſſeſſionem vigore optionis, quia cùm Capitulum die 27. 4. Septembr. an. 1586. appellaſſet ab actu poſſeſſionis captæ per Amoretum de Archipresbyteratu ſub die 21. proximè præcedentis, licèt prætenſam ſuam antiquiſſimam optandi conſuetudinem allegaſſet, nullam tamen de Cæſare Fratenſi, qui tunc erat abſens, nec de aliqua per

eum capta poſſeſſione Archipresbyteratus mentionem fecit.

Cùm ergo poſſeſſio appareat fuiſſe vacua vſque ad diem 21. Septembris, quo illam realiter apprehendit Amoretus, & in ea continuauerit vſque ad tempus motæ litis, manutenendus

5. eſt, vigore interdicti Vti poſſidentis, quod iubet poſſeſſionem ſemel aſſecutam conſeruari apud illum, qui eam apprehendit, Menochius *de retinen. poſſeſſ. in præludijs num.* 3.

Nec commiſſio obtenta per Capitulum in gradu appellationis à decreto Vicarij Auellin. de immittendo Amoreto in poſſeſſionem impedit eius poſſeſſionem, vel retardat mandatum de manutenendo, quod nunc ſibi Rota dandum

6. decreuit, quia in commiſſione adeſt clauſula, *ſine retardatione executionis litterarum Apoſtolicarum.* quæ cùm ſuſpendat * iuriſdictionem, durat illarum executio. Sarnen. *in compendio vtriuſque ſignaturæ num.* 84. Ioannes Paulus *deciſ.* 61. vnde Amoretus manutenendus eſt in poſſeſſione illarum vigore capta. §. *retinendæ. Inſtit. de interdict.*

* de intellectu huius clauſulæ & eius effectu circa hunc art. videnda eſt dec. 79. in recen. part. 1. n. 3. & Ludouiſ. deciſ 91. n. 11. & addit. num. 13.

Decretum interpoſitum per Vicarium Auellinum de immittendo Amoreto in poſſeſſionem Archipresbyteratus, non ideo extitit nullum, quia non fuit citatus Cæſar, quia cùm poſſeſſio

7. eſſet vacua, non erat citandus, maximè ſtante clauſula litterarum, ſine retardatione executionis earum.

Defectus iuriſdictionis Vicarij Auellini fruſtrà opponitur, quia licèt litteræ Apoſtolicæ forent Auellino Epiſcopo directæ cum clauſula, *tuam conſcientiam oneramus*, non tamen ſic fuit eius perſonæ electa induſtria, vt Vicarium ſuum generalem ſubdelegare non potuerit, tum quia

8. explorati iuris eſt, delegatum à Principe poſſe ſubdelegare. * *c. ſuper quæſtionum, de offic. delegat. l. à iudice. C. de iudic.* tum quia commiſſio facta Epiſcopo, iure putatur facta eius Vicario generali, cùm vtriuſque idem ſit Tribunal. *cap.* 2. *de conſuetud. lib.* 6 Beroius *conſ.* 23. incip. *Vtrùm liceat, num.* 9. *lib.* 1. & fuit nuper deciſum coram D. Pamphilio in vna Legionen. ſancti Facundi.

* fallit hæc regula ſi duo ſint delegati, vt per Seraph. deciſ. 506. num. 4. quia tūc non datur locus ſubdelegationi, & de veritate huius art. vide dictam dec. 506. & in impreſſis diuerſ. p. 1. deciſ. 200. n. 3.

Denique quæ commorantur ad docendum de iure Cæſaris pro ſuſtinenda eius optione vigore immemorabilis conſuetudinis, quam Capitulum Auellin. prætendit habere; non concludunt optionis effectuationem, vt patet ex prædictis, nec ſunt præterea huius ſpeculationis reſpicientis ſolùm poſſeſſorium: & cùm requirant altiorem petitorj indaginem in aliud tempus, &

9. locum, Domini cenſuerunt reiicienda.

## *Spoletana bonorum, ſiue ſpolij.*

Die Mercurij 11. Aprilis 1590.

SVMMARIVM.

2 *Reus quando vult probare contrarium, eius quod actor probauit, tunc probatio actoris debet ſpecificare in actis, tempus, & locum, vbi prætendit ſuam probationem.*

DECISIO C.

1. PRocuratores magnificæ communitatis petebant extendi deciſionem factam die 26. Martij ſuper probatione primi extremi ad fauorem Eccleſiæ Sancti Petri de Ferentillo, cum expreſſione certi & limitati temporis, quod teſtes pro D. Abbate Ancaiano inducti percuterent, quia regulam eſſe dicebant in materia probationum, 2.

quòd quando reus * vult probare contrarium eius quod probauit actor, tunc probatio actoris debet vel habere tempus, & locum, vel ſaltem ſpecificare in actis tempus, & locum, quo ſuam probationem faceret & ſe legitimè defenderet. Bart. *in l. is qui reus n.* 10. *ff. de public. iudic.* cum aliis allegatis per Clarum *in* § *fur, quæſt.* 12. *n.* 3. *verſ. dixi etiam quod eſt exprimendum tempus.* Sed Domini iſtam petitionem, (de qua competenti loco erat videndum) reiicientes ordinauerunt quòd diſputaretur dubium, in deciſione reſeruatum: an exceptiones teſtibus obiectæ eſſent conſiderabiles, ad effectum de quo agitur.

*videnda eſt dec. 229. n. 1. p. 1. recen.

## *Pacen. Parochialis Sancti Bartholomæi.*

Lunæ 11. Aprilis 1590.

SVMMARIVM.

2 *Citatio valet etiamſi in mandato eſſet erratum nomen ſi conſtat de perſona.*

DECISIO CI.

LAta fuit ſententia in partibus ſuper Parochiali Sancti Bartholomæi, ad fauorem Franciſci Martinez de Molina, contra Rodericum Aluarez Reales, qui in gradu appellationis 1.

cauſam commiſit in Rota, conſtituens duos Procuratores, Dominicum Bezerram, & Alphonſum Francum, Bezerra non erat præſens in Curia: Alphonſus Francus non reperiebatur, ſed bene erat in Curia Didacus Francus. Sed quia proceſſus tranſmittebatur ad Didacum Francum cum ſupraſcriptione, *A Diego Franco Clerigo de Burgos*; & à tergo mandati erat etiam ſcriptum, *poder de licenciado Reales à Diego Franco.* Non obſtante quòd in corpore, ſeu ventre mandati foret ſcriptum, Alphonſus Francus: Domini decreuerunt, quòd Didacus Francus in iſta cauſa citaretur, quia ſatis videbatur conſtare de perſona, licèt in nomine proprio eſſet erratum. * arg. *l. ſi in nomine. C. de teſtam.* §. *ſi quidem in nomine, Inſtit. de legat.* 2.

*nam regula eſt quòd mutatio nominis non mutat ſubſtantiā rei. Cocc. dec. 242. n. 5. & adde Seraphin. deciſ. 701. n. 1. & in recen. part. 3. dec. 254. n. 5.

## *Panormitan. Archidiaconus.*

Lunæ 30. Aprilis 1590.

SVMMARIVM.

1 *Examen teſtium in Curia nunquam denegatur.*
2 *Teſtis non debet examinari, ſi conſtet ex actis eſſe partem.*
3 *Nec fides adhibetur.*

DECISIO CII.

LIcèt in Curia nunquam ſolet denegari examen quoruncumque teſtium, ſaltem ſub illo modo, 1.



modo, *Saluis eorum exceptionibus*; nihilominus in cauſa Panormit. Archidiaconatus noluerunt

2. Domini examinari quendam etiam, ſub illo modo, quia erat conſtitutus Procurator * in actis in eadem cauſa; & ratio fuit, quia quando notoriè conſtat ex actis, quòd ille qui producitur pro teſte, eſt pars formalis, non debet admitti, etiam ſub illo modo, quia credi ei non debet. Abbas *in cap. inſuper, verſ. quæro, de teſtibus.* Socin. *conſ.* 88. *num.* 24. *lib.* 2.

* teſtis procurator probat ſi ex actu à ſe geſto non habeat aliquod intereſſe. Rota diuer. part. 1. dec. 214. n. 2. & vide Duran. dec. 427. n. 4. tom. 2 & deciſ. 127. n. 17. tom. 1.

## *Bononien. donationis.*

Die Lunæ 7. Maij 1590.

SVMMARIVM.

1.2 *Donatio facta non reuocatur per querelam inofficioſi, ſi filij habeant ſuam legitimam.*

DECISIO CIII.

1. DOmini cenſuerunt donationem factam per Franciſcum de Turchis, Ludouico Felicino non eſſe reuocandam tanquam inofficioſam, cùm non doceretur per Annibalem Daineſium Franciſcæ filium ſe fraudatum legitima ſibi debi-

2. ta * *l.* 1. vbi communiter Doctores, *C. de inoffic. donationib. Authent. Vnde ſi parens. C. de de inoffic. teſtamen.* donatio enim non poteſt dici inofficioſa quando filiis remanet legitima. Marianus Socinus *conſ.* 67. incip. *Prima præſentis, n.* 55. *lib.* 2. Curt. ſenior *conſ.* 1. *num.* 39. Pariſius *conſ.* 72. & 73. *lib.* 1. Antonius Gomezius *tom.* 2. *variar. reſolut. cap.* 3. *de donationib. num.* 13.

De hac cauſa ſuprà dec. 31. & 56. & infrà 197.

* de hoc art. vide Ludou. dec. 539. n. 4.

Ex his autem quæ proponebantur conſtabat Franciſcum præter multa loca montium, quæ ſibi fuerant acquiſita, habuiſſe duas domos paruas quas poſſidebat iure proprio, non tanquam bona hæreditaria ſui patris, vt probat laudum ab Auditoribus Rotæ Bononien. an. 1568. inter di-

3. ctam Franciſcam, Annibalem, Daineſium eius filium, & Ludouicum de Felicinis, in cauſa inter eos compromiſſa, latum, & expreſsè ab Annibale acceptatum.

## *Romana pecudum.*

Die Lunæ 14. Maij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Tranſactio non poteſt nocere alijs præter tranſigentes.*
*quod intellige vt num.* 3.
4 *Poſſeſſores legitimi cenſentur hæredes declarati per tranſactionem.*
5 *Tranſactio facit ius quo ad omnes.*
6 *Confeſſio valida oritur ex verbis in contractu inutili prolatis.*
7 *Impugnatio inſtrumenti facta à parte ſi ante ſententiam ſeparetur ab ea, poteſt de eo ſe tueri.*

DECISIO CIV.

1. AD inſtantiam Dominorum de Maximis iterum propoſui cauſam ſuper eiſdem, an ſcilicet perſonæ nunc comparentes in hoc iudicio ſint legitimæ? & viſum eſt Dominis ſtare in deciſis, ob eaſdem rationes, quibus moti fuerunt 16. Februarij * proximè præteriti.

* ſuprà deciſ. 86.

Nec obſtat quòd tranſactio aliis nocere * non debeat, *l.* 2. *C. res inter alios acta. l. Imperatores,* vbi Bartolus, & alij, *ff. de tranſact.* 2.

* adde Seraphin. deciſ. 1384. n. 2. & eſt generalis hæc regula in omni conuentione, vt per Ludouiſ. deciſ. 418. n. 10. vbi addit. n. 15. & dec. 256. n 6. p. 3. recen. & 544. n 1. p. 2.

Quia procedit vt nullum præiudicium fiat aliis habentibus ius in bonis, ſuper quibus eſt facta tranſactio: vt cùm tranſactio facta eſt inter hæredes ſcriptos, & alios, tunc enim non præiudicat legatariis. *d. l. Imperatores.* Nec tranſactio inter Claricem Chiſiam & alios de Chiſiis hæredes ſcriptos iuſtè poteſt videri præiudicare illis de Maximis, quia ſi verè ſunt debitores, nihil intereſt cui magis ſoluant: ſi verò non ſunt, perinde poſſunt ſe tueri contra iſtos tranſigentes ſuper hæreditate Laurentij Chiſij, ſicut poſſunt contra verum & indubitatum hæredem, nec eorum intereſt, ad quem potiùs hæreditas Laurentij pertineat, an ad Claricem neptem ex filio ab inteſtato ſucceſſuram, vel ad alios Chiſios venientes ex teſtamento, cùm ſi debitores hæreditarij ſint, Clarici, vel aliis de Chiſiis ſatisfacere teneantur.

Quantum ad Chiſios hæredes ſcriptos in teſtamento Laurentij, quòd iure agere poſſunt contra quoſcunque debitores hæreditarios, non eſt dubitatio, quia ex quo ſuper validitate, 4.
ſeu nullitate teſtamenti Laurentij, tranſegerunt cum Clarice, facti ſunt pacifici poſſeſſores, nec vllam ſuper titulo hæreditario controuerſiam ab aliquo patiuntur. *l. ſi poſt motam. C. de petitione hæredit.* vbi Cynus, & Bartol. *num.* 1. Bartol. & Salicetus *in l. fin. num* 3. *C. eod.* De perſona Claricis 5.
tranſigentis cum Chiſiis firmatum etiam fuit illam eſſe legitimam, cùm tranſactio faciat ius quo ad omnes, *l. controuerſia.* vbi Iaſon *num.* 12. *ff. de tranſact.* Non obſtat Clarici quòd fuerit à Laurentio nominata neptis ex filio in teſtamento nullo, nempe facto ab eo cui bonis prætenditur interdictum: nam (præterquam quòd legitimè 6.
non conſtat de iſta interdictione,) etiam ex verbis in contractu inutili probatis, conſurgit valida confeſſio. *l. ſi ita ſtipulatus.* §. *Chryſogonus.* vbi Bart. *ff. de verbor. obligat.* & Alexand. *in l. ſcire debemus.* §. *ſi à fure, num.* 5. *ff. eod.*

Minus repellit Claricem controuerſia mota 7.
per ipſam contra Chiſios ſuper nullitate teſtamenti, conditi per Laurentium, nam cùm poſtea ante ſententiam ab impugnatione deſtiterit, non prohibetur in eo ſe fundare. Bellamera *deciſ.* 357. incip. *Tertia Martij, num.* 2. Innocent. *in cap. cùm olim, de cenſib.* cum aliis congeſtis per Gabrielium *tit. de regul. iuris, concl.* 1. *num.* 50.

Poſtremò licèt legitimè non conſtaret de iure Claricis ab inteſtato ſucceſſuræ, ſufficeret ei venire vigore iuris ſibi ceſſi per Chiſios, qui (vt dictum eſt) nullam controuerſiam ſuper titulo hæreditatis ab aliquo patiuntur. Idem iudicium eſt de reliquis intereſſe aliquod in hæreditate Laurentij prætendentibus, qui cum Chiſiis concordarunt, & ad cauſam pro ſuo intereſſe admiſſi ſunt.

## *Romana Scomiſſarum.*

### Die Lunæ 14. Maij 1590.

### SVMMARIVM.

5 *Nominatio prima dicitur illa, quæ ante ſe aliam non habet.*
6 *Subſtitutionis natura eſt vt dicatur ſecunda inſtitutio, non prima.*
7 *Obſeruantia ſubſecuta eſt interpres actuum, & contractuum præcedentium.*
8 *Conditio quomodocunque impleatur ſufficit ad purificandum actum.*
9 *In verbis prouiſionis, vel ſcripturæ, ſi non ſit ambiguitas, non debet in re fieri controuerſia.*
10 *Cauſis ex duabus ad idem ſimul concurrentibus, clericus perficit effectum.*
11 *Conditionem ſemel extitiſſe ſufficit, licèt non duret.*
12 *In conditionibus principium primæ exiſtentia conſideratur.*
13 *Conditionis natura non requirit, pro veritate diu permanere, ſed ſufficit veritas actus tranſeuntis.*
14 *Conditio non requirit tractum ſucceſſiuum, ſed in momento verificari poteſt.*
15 *Conditionis inter exiſtentiam, & purificationem diſpoſitionis nullum eſt medium.*
16 *Faciens aliquid per alium, verè & propriè ipſe non facit, ſed fictè.*
17 *Conditio voluntaria verè, & propriè adimpleri debet.*
18 *Facta de mandato Principis, facta ſatis dicitur ab ipſo.*
19 *Conditio fictè impleri poteſt, quando per omnia effectus loquitur idem.*
20 *Faciens rem ex ordine mandantis, verè & propriè, non fictè feciſſe eam dicitur.*
21 *Conditio generaliter concepta, generaliter eſt intelligenda.*

## DECISIO CV.

1. Vide infrà dec.168. quæ eſt de materia huius præſentis.

DEcreuerat S. D. N. Sixtus V. ann. Domini 1588. ad communem vtilitatem in toto ſtatu Eccleſiaſtico archiuia publica erigere, in quibus inſtrumenta, apochæ, cedulæ, chirographa, aliæque ſcripturæ tam publicæ, quàm priuatæ quorumcunque contractuum reponerentur, & ad obuiandum illorum deperditioni & falſitatibus, lites quoque & diſcordias tollendas diligenter per miniſtros ad id deputandos cuſtodirentur.

Vnde die 27. Auguſti ad Cardinalem Camerarium chirographum miſit, in quo in primis continebatur: *Che douendo ſi quanto prima venire alla diſputatione di vn prefetto o ſia Archiuiſta generale delli Archiui dello ſtatu Eccleſiaſtico o con altro titolo che à ſua Sanctita parecera di diclarare & dare vna certa forma, tanto circa la deputatione delle Archiuiſte, quanto il buon rigimiento gouerno, & adminiſtratione di eſſe Archiui*, & ad maiorem etiam Cameræ vtilitatem id negotium in appaltum præmiſſa ſubhaſtatione præfato deputando concederetur.

2. Propterea edicto publicè affixo ſuper ſubhaſtatione, & deliberatione noui appaltus Archiuorum ſtatus Eccleſiaſtici, ac ſuper deligenda perſona idonea, quæ gubernationem, & regimen negotiorum ad Archiuia ſpectantium, ac
etiam illorum appaltum ad nouem primos an- 3.
nos eſſet ſuſceptura die 30. eiuſdem menſis Auguſti, qui ſubhaſtationi in edicto fuerat conſtitutus Iacobo Sandrello, tam pro ſe, quàm pro perſona ab eo nominanda fuit conceſſus appaltus.

Et licèt vigore alterius chirographi die 4. Septembris ad eundem Camerarium Cardinalem tranſmiſſi inſtrumentum appaltus Archiuorum in perſona Sandrelli fieri mandaretur, nihilominus Sandrellus ad præfatum negotium Archiuorum Paulum Falconerium, præſentem & acceptantem nominauit; vnde Falconerius in appaltatorem & Archiuiſtam generalem fuit conſtitutus, vt apparet ex breui Apoſtolico conceſſionis officij præfati archiuij eidem Falconerio ſub die 5. Octobr. 1588. in quo nedum appaltator, ſed etiam Archiuiſta generalis ſæpè appellatur.

Antequam iſta perficerentur, nempe die 22. 23. 24. 26. & 27. Auguſti, & etiam pòſt, creberrimè in foro Mercatorum, ad quorum notitiam res gerenda peruenerat, fiebant ſponſiones, ſub hoc ferè ſemper tenore verborum: Promittimus vigore præſentium ſoluere pecuniarum ſummam in cedulis contentam, ſi in prima nominatione quam faciet S.D.N. Sixtus V. ad Archiuium maius fecerit, & nominauerit D. Fabium Vrſinum.

Cæterùm, quoniam menſe Octobris mox 4.
ſubſequentis, eiuſdem anni idem Sanctiſſimus Fabium Vrſinum conſtituit præfectum, ſeu Regentem Archiuij generalem, orta contentione inter Mercatores, & creditores, cedularun coram A. C. qui ad fauorem creditorum pronuntiauit, & cauſa per appellationem introducta in Rota dubitaui, an conditio de qua in cedulis eſſet verificata in perſona Pauli Falconerij, vel potiùs in D. Fabio Vrſino. Et cùm bis cauſa propoſita, ſub die 6. Aprilis, & 4. Maij non foret capta reſolutio, denique 14. Maij in plena Rota fuit concluſum, conditionem in cedulis appoſitam fuiſſe verificatam in nominatione facta de perſona Pauli Falconerij, non autem in D. Fabio.

Cùm enim per Reueren. Cameram (ſic Pontifice decernente) primùm Falconerio Archiuorum omnium eſſet conceſſus appaltus, & ille fuerit conſtitutus Archiuiſta generalis, vt apparet tam ex breui, quàm ex Capitulis ordinationum concernentium ad Regimen, & guberna-
tionem Archiuorum, in eo dicenda eſt purificata 5.
conditio, cùm ea dicatur prima nominatio, quæ aliam ante ſe non habet. §. *& primò quidem anno, verſ. quia quod primum eſt, in procemio Digeſtorum, l. proximus. ff. de verborum ſignific.* Bart. *in l. qui duos. ff. de reb. dub.*

Nec Fabius poteſt dici primò nominatus cùm in locum Clerici Cameræ Apoſtolicæ, penes quem iuxta 18. ordinationum Capitulum, ſuprema Archiuorum cura manſura erat, fuerit ſubſtitutus, (vt expreſsè dicitur in breui ſuæ crea-
tionis) & cùm natura ſubſtitutionis ſit vt ſecun- 6.
da inſtitutio, non prima dicatur, *l. 1. ff. de vulg. & pupil. ſubſt.*

Conſiderabant etiam Domini mentem ſpondentium,



qui non poterant veriſimiliter cogitaſſe de præfectura Fabij, (cuius tunc ignorabatur creatio,) quæ non niſi multis poſtea diebus, & quaſi indirectè ex nouo conſilio contigit, ex quo in locum clerici Cameralis extitit ſuffectus: vnde ceſſant illæ conſiderationes deſumptæ ex chirographo Sanctiſſimi *d'vn prefetto o ſcia Archiuiſta generale.* nam cùm vtrumque affirmatè non fuerit expreſſum, nempe & præfectum, & generalem Archiuiſtam fore conſtituendum, ex quo Falconerius generalis Archiuiſta fuerat conſtitutus, vlterior cogitatio de futuro præfecto, ſeu Regente tempore ſponſionum non eſt veriſimilis.

7. Multum præterea mouit Dominos obſeruantia ſubſecuta, quæ optima eſt interpres actuum, & contractuum præcedentium. * *l. ſed Iulianus. §. proinde. ff. ad Macedon.* Bart. *in l. cætera. § fin ff. de legat.* 1. Aymon. *conſ.* 101. *num.* 4. *& conſil.* 118. *n.* 2. *& conſil.* 277. *num.* 1. Menochius *conſ.* 21. *num.* 15. *& conſ.* 75. *num.* 56. Syluanus *conſ.* 66. *num.* 21. nam cùm primum nominatus fuit Falconerius, ceſſarunt ſponſiones & pretium cedularum, nempe affirmantium pro Falconerio, & negantium pro Fabio fuit ſolutum: & quod amplius eſt, hoc ipſum obſeruarunt etiam illi quinunc Mercatores vocant ad iudicium.

*adde Mantic. dec. 119. n. 12. & Coc. dec. 77. n. 4. & 201. n. 4. & 117. n. 4. & 129. n. 6. & Ludou. deciſ. 502. n. 10. & 511. n. 8.

Ab iſta reſolutione non putarunt Domini, recedendum propter contrarias oppoſitiones, quibus commodè fuit reſponſum, nam quòd conditio debeat intelligi de nominatione facta ad titulum officij. *l. 2. C. de decurionib. lib.* 10. *& l. nominationes. C. de appellat.* Falconerius autem ſit conductor, ſeu nudus appellator, & nihil iuris
8. habeat in officio, facilè tollitur; tum quia ſatis eſt conditionem quomodocunnque * impleri etiam vt littera ſonat, & ruditer concipitur, Signorolus *conſ.* 111. Ioannes de Anania *conſil.* 22. *num.* 3. Marianus Socinus *conſil.* 46. *num.* 25. *lib.* 4. Tum etiam, quoniam Falconerius non eſt merus & purus appaltator, ſed etiam Archiuiſta generalis cum iuriſdictione, & facultatibus ſibi conceſſis, tam circa archiuia, & eorum erectionem, quàm circa Notarios, & eorum deputationes, ſeu ſubſtitutiones pro diligenti cuſtodia ſcripturarum (de quibus latè in capitulis Ordinationum huius officij, quæ ſimplici, & mero appaltatori non conueniunt.)

*etiamſi effectus non ſequatur, Seraph. deciſ. 589. n. 2.

Nec poteſt negari, quia Falconerius habeat titulum Archiuiſtæ generalis, quàm ſibi nedum Capitula Ordinationum, ſed breue Apoſtolicum tribuit, ibi, *conſtituentes ipſum etiam per præſentes*
9. *archiuiſtam generalem.* Quare cùm in verbis non adſit * ambiguitas, non debet in re fieri controuerſia. *l. ille aut ille. §. cùm in verbis. ff. de legat.* 3. præſertim cùm non repugnet eundem eſſe & appaltatorem, & archiuiſtam generalem, quorum primum reſpicit Cameræ vtilitatem, alterum verò optimum regimen, & negotij archiuij directionem, quorum vtrumque & menti, & verbis Sanctiſſimi pleniſſimè conuenit.

* adde infrà dec. 226. n. 2.

Quòd Falconerius in ſpectantibus ad officium archiui ſit minor D. Fabio, qui ſupremam habet iuriſdictionem, & auctoritatem, vt ex eius Bulla colligitur, non facit vt primo loco conditio in perſona Falconerij, non fuerit purificata, ex quo verum eſt, illum primò fuiſſe nominatum archiuiſtam generalem, & maiorem cæteris omnibus archiuiſtis conſtitutum, qui cæterorum curam habent.

Et cùm ex duabus cauſis ad idem ſimul con- 10.
currentibus, celerior perficiat effectum. *l. ſi quis*
*ita ſcripſerit. ff. de hæred. l. ſi ita quis ſtipulatus*, vbi 11.
Paulus de Caſtro, & Iaſon *num.* 4. *ff. de verb. oblig.* & ſufficiat ſemel conditionem extitiſſe, licèt non * duret. *l. ſi quis hæredem*, vbi Bart. *n.* 2. & Baldus *num.* 1. *C. de inſtit. & ſubſtit.* Pariſius, qui communem aſſerit, *conſil.* 32. *num.* 89. *lib.* 1. Aymon *conſil.* 898. *num.* 6. in conditionibus enim principium
primæ exiſtentiæ * conſideratur. Bald. *in l. preci-* 12.
*bus num.* 6. *C. de impub. & alijs ſubſtit.* conſequens fit in Falconerio primò nominato purificatam fuiſſe, tametſi poſtea alius fuerit cum maiori, vel pari poteſtate, aut ſine temporis præfinitione ad idem officium aſſumptus: natura enim condi-
tionis non requirit pro veritate actuum diu per- 13.
manentem, ſed ſufficit veritas actus tranſeuntis. *dicta l. ſi quis hæredem*, vbi gloſſ. *C. de inſtit. & ſubſtit.* Baldus *in Authent. ſed & ſi quis, num.* 2. *C. de ſecund. nupt.*

* Seraph. in d. deciſ. 589. n. 1. Rota diuer. dec. 379. n. 7 p. 1.

* adde Seraphin. deciſ. 1063. n. 13.

Et hinc dicebant Domini ceſſare oppoſitionem ex aduerſo factam quòd Falconerius fuerit conſtitutus appaltator, & archiuiſta generalis, ad nouem tantùm annos: nam conditio non
requirit tractum ſucceſſiuum, ſed in momento 14.
* verificari poteſt: vnde Bald. *in l. Arethuſa in* 3. *lectura, num.* 3. *de ſtatu hom.* pronuntiauit inter exiſtentiam conditionis & purificationem diſpoſitionis nullum eſſe medium.

*adde Ludouiſ. dec. 5. n. 10. ſed hæc doctrina limitari debet in conditione habente tractum ſucceſſiuũ Rota diuer. part. 1. dec. 677. n. 1. & 689. n. 1. & ſublimitari in cauſa pia d. deciſ. 677. num. 9.

Minus obſtat illa conſideratio quòd Falconerius non fuerit nominatus à Papa, quod exigi videbatur ex verbis cedularum, videlicet: *alla prima nominatione che fara noſtro Signore Sixto quinto.* cùm fuerit nominatus à Clericis Cameræ Apoſtolicæ: & qui per alium facit, verè & propriè ipſe non facit, ſed fictè: *cap. qui per alium, de regul. iuris. l. 6. l. 1. §. deieciſſe. ff. de vi & vi armata*, &
quòd conditio voluntaria verè & propriè adim-
pleri debeat. *l. qui hæredi. & l. Mæuius. ff. de condit.* 15.
*& demonſtrat.* Bart. *in l. Gallus. §. & quid ſi tantùm* 16.
*num. 2. ff. de liber. & poſth.* Pariſius qui aſſerit com- 17.
munem, *conſ.* 20. *num.* 41. *lib.* 3.

18. Quia fuit dictum primò quòd cùm nominatio fuerit facta de mandato Principis, ſatis dicitur facta ab ipſo Principe. Decius *conſ.* 492. *n.* 2. Gozadinus *conſ.* 60. *num.* 9.

19. Præterea conditio etiam fictè adimpleri poteſt quando per omnia loquitur idem effectus. *l. ſi fundus. ff. de condit. & demonſtrat.* Iaſon *in l. huiuſmodi. §. legatum. num. 5. ff. de legat.* 1. Cephalus *conſ.* 528. *num.* 32.

Imò quando actus fit ab eo per quem non erat factibilis reſpectu perſonæ facientis, & proprio nomine ipſius, vt contingit in propoſita facti ſpecie, tunc & finis, & effectus totaliter ſpectant ad mandantem, & ideo qui ex ordine mandantis facit, verè & propriè, non fictè facere dicitur. *l. pater ex prouincia. ff. de manumiſſ. vindict.* Roman. *in l. ſi is qui pro emptore, num.* 23. *verſ. aut actus factus. ff. de vſucap.*

Denique cùm ante nominationem factam de perſona Falconerij, (quam Papa confirmauit) nulla anterior nominatio reperiatur de archiuio maiori, ſatis verè & propriè dicebant Domini in forma ſpecifica adimpletam conditionem in illius perſona, cuius etiam vigore, & nullius alterius precedentis nominationis negotium quod

Sanctiſſi

Sanctiſſimus, conſtituere decreuerat, effectum habuit, & erecta vbique fuerant archiua. Nec Sandrellus fuit appaltator, nec Archiuiſta generalis nominatur.

Sandrelli perſona interpoſita non facit ceſſare primam nominationem in perſona Falconer. quia Sandrellus nullam pro ſe fecit oblationem, ſed pro perſona ab eo nominanda (vt dicitur in ipſo actu licitationis,)eam verò perſonam fuiſſe Falconerium, euentus ſubſequutus demonſtrauit, cùm Sandrellus Falconerium paulo poſt præſentem, & acceptantem nominauerit.

Non obſtant verba Bullæ erectionis officij Regentis Archiui generalis *in §. vt autem quamprimum, verſ. à primæua.* quibus quando id officium inſtar aliorum officiorum Sedis Curiæ, & Cameræ tenendum,& exercendum,quo ad vixerit,confertur D.Fabio,enuntiatur illud à primæua erectione vacare, quaſi inde ſequatur illius nominationem fuiſſe primam.

Quia fuit reſponſum primam eſſe nominationem Fabij ad hoc officium Regentis Archiuij generalis, quod à primæua ſui creatione fuit conſtitutum.

21. Cæterùm conditio cedularum non fuit præciſè concepta de hac nominatione ad officium Regentis Archiuij generalis,ſed de prima nominatione quam Sanctiſſimus erat facturus ad archiuum maius, quæ cùm generaliter ſit concepta, generaliter eſt intelligenda, de quacunque nominatione, quocunque titulo facta fuerit, dummodo facta ſit de archiuo maiori,vnde Falconerium ſufficit primò fuiſſe nominatum Archiuiſtam generalem.

Quam interpretationem eo nomine libentiùs aliqui ex Dominis amplectebantur, quia ſi conditio in cedulis appoſita reſtringeretur ad ſolam nominationem officij Regentis,non poſſet conuenire pluribus Mercatoribus, quorum nominationes fuerunt etiam appoſitæ in conditione cedularum,neque enim ſolus Fabius in cedulis circumferebatur, ſed alij plures, in quibus conditio quoque purificari poterat,quod creditoribus cedularum proculdubio erat magis vtile, & fauorabile.

Parum etiam refert dicere nomen appaltatoris non poſſe conuenire D.Fabio,vel aliis Prælatis, in conditione cedularum poſitis, ſufficit enim ſi nomen Archiuiſtæ generalis ei potuiſſet conuenire, & in eo verificari conditio, ſi eius nominatio præceſſiſſet; quia euentus conditionis in prima nominatione conſiſtit quocunque titulo facta fuerit.

22. Non eſt verum in facto quòd ſponſiones fuerint factæ ſuper officio in titulum erigendo vſque ad diem 27. Auguſti in perſonas Prælatorum, & poſt dictum diem ſtante chirographo Sanctiſſimi Domini de concedendo etiam appaltum,non fuerint ſubſcriptæ cedulæ ſuper D. Fabio, ſed ſuper Paulo Falconerio, Gandulfo, & aliis.

Quia ex ſubſcriptione cedularum Dominis oſtenſarum patuit tam ante chirographum Sanctiſſimi (nempe ante diem 27.Auguſti) quàm in ipſo die ſcripti chirographi, & poſt, ſpondentes in incerto verſari,& nulla habita ratione an ille aſſumendus ad archiuum maius, quod erat erigendum, eſſet dicendus Archiuiſta generalis, præfectus, præſidens, vel Regens, vel an eſſet Prælatus,vel Mercator,cedulas accepiſſe, & die 30. Auguſti adhuc ſponſiones factas in perſona Domini Fabij. Per motum proprium S.D.N.vltimo loco à creditoribus cedularum productum, non infringitur deciſio ſuprà firmata: cuius ſeries (vt aliqui ex Dominis ponderarunt)duo inter cætera continet; primum, conſtitutionem, vel creationem Archiuiſtæ generalis, quod in perſona Pauli Falconerij fuit impletum; alterum,creationem Præfecti,ſeu Regentis,quod ad vnum Clericum Cameræ primum pertinebat,in cuius locum ſucceſſit D. Fabius quòd non præiudicat primæ nominationi factæ de perſona Falconerij. De nonnullis cedulis in quibus conditio concipitur ſub nomine Præfecti, Domini dixerunt particulariter eſſe videndum.

## *Romana fideicommiſſi vineæ.*

Die Veneris 18. Maij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Sententia interdum ex nouiter deductis iuſtificari ſolent.*
3.4 *Quod locum non habet ſi fuerint exequutæ.*
5 *Appellatio ab interlocutoria interpoſita debet iuſtificari ex primis actis, & non ex alijs.*
6 *Exceptio de non iure agentis, & ſpoliationis, non admittitur ad impediendam reſtitutionem.*
7 *Prohibitio alienationis bonorum ſi ſit nuda & ſine cauſa, eſt nulla.*
8 *Probare qui tenetur factum intra certum tempus debet ſpecificè id probare.*
9 *Teſtamenti vna pars per aliam declaratur.*
10 *Poſſeſſio vitioſa non impedit reſtitutionem ſpoliato.*

## DECISIO CVI.

AGentes pro Portia, & ſororibus de Alexiis videntes non poſſe agere ad vineam alienatam, per Horatium fratrem Petri maiorem prohibitum alienare per Aloyſium,ex quo Aloyſius non potuit prohibere dominij tranſlationem, vt fuit aliàs deciſum, * intentarunt aliud remedium, & produxerunt teſtamentum Serræ de Alexiis patris eiuſdem Horatij,qui in ſuo teſtamento prohibuit alienationem quorumcunque bonorum vſque ad triginta annos vſque ad quod tempus noluit filios,aut quemlibet eorum poſſe alienare aliqua ex bonis teſtatoris, addendo etiam talem alienationem, ſi fieret contingeret,nullam fore; nec eius ratione actionem aliquam illis competere, ad quorum fauorem foret, dicunt enim quòd cùm à patre prohibita ſit alienatio omnium bonorum,in quibus continetur vinea empta per Ioannem Cauartum, nec ille alienare, nec Cauartus emere potuit. 1.

* ſuprà deciſ.85.

Cæterùm Domini ex duobus potiſſimum fundamentis non putarunt recedendum à deciſis: primò, quia cùm iſtæ ſorores coram Auditore Cameræ ad iſtam vineam alienatam, intentauerunt remedium *l. finali. C. de edicto diui Adrian. tollend.* tanquam vocatæ ex teſtamento Aloyſij ſententia pro eis lata, & immiſſio illis conceſſa



conceſſa non poteſt hodie iuſtificari vigore teſtamenti Serræ; quamuis enim interdum ex nouiter deductis iuſtificari ſententiæ ſoleant, * *l. Titianus*, vbi Paulus de Caſtro *num. 2. ff. quod cum eo qui in alien. pot.* id tamen locum non habet ſi fit ex ſententia nulla, † quæ
2. licèt (ſi iuſta fuerit) confirmari poſſit, non tamen poteſt, ſi executioni mandata fuerit; Chiſanen. *deciſ.* 172. quod eſt de ſententia ſpoliatiua, * aliàs Rota tenuit coram R. P. D. Brauo.

*adde deciſ. 618 n.8. p.4. in recen.

† fallit hæc regula in ſententia lata ex Saluiano interdicto. Mantica dec.326.n.8.

Et cùm in propoſita facti ſpecie appareat, priorem iudicem, qui diffinitiuè pronuntiauit,
3. malè iudicaſſe, inſpici debet lex, quæ tempore
4. latæ ſententiæ vigebat, *Authent. vt cùm de appell. cognoſc. in princip.* Calcaneus *conſil.* 15. *num.* 11. Brunus *conſil.*90. *num.*4.Et ſic ex primis actis iuſtificari, vt dicitur de appellatione interpoſita
5. ab interlocutoria, quæ debet iuſtificari ex pri-
6. mis † actis, & ex cauſa tunc expreſſa, & non ex aliis, quamuis adeſſet clauſula generalis, *& ex alijs cauſis, ſuo tempore dicendis.* Rota *deciſ.* 2. *de appellatio. in nouis. Clement. appellanti.* vbi Zabarella *num.*7. *quæſt.* 4. *de appellat.* Antonius de Butrio, & Francus *in cap. vt debitus, de appellat.* Imola *in l.*4. *§.ſed illud.ff.de appell.* Capicius *deciſ.*5. *num.*13. *& 14.*

*videnda eſt ad hunc art. dec.28. n. 1. p 1. recen.

† hæc concluſio aliquas patitur limitationes, 1. ſi coram eodem iudice ageretur, Viu. dec. 332. & Cancer dec. 17.de ſententia; aſſerit ita ſeruare Senatum; ſecunda ſi ſententia habeat vim diffinitiuæ. Mich. Ferrer deciſ. 500. lib. 3. tertia ſi interlocutoria ſit lata contra contumacem.Cancer.in d. dec. 17. n. 130. quinta ſi in primo iudicio claudi non potuiſſet. Viu dec. 332. n. 4. & Cancer. vbi ſuprà.

Nec eſt cur nunc tractetur de iuſtificanda ſententia ex teſtamento Serræ de nouo producto, quia cùm Cauartus prætendat ſe expoliatum, & cauſa ſit profana, exceptio de non iure agentis, & de iure ſpoliatoris poſtmodum detecta non admittitur ad impediendam reſtitutionem. * Oldradus *conſ.*1. *num.*10.

*vide Cocc. dec.212 n.9. & deciſ. 741. num.6.& 8.

Secundò (reiecto illo fundamento,quòd prohibitio,de qua in teſtamento Serræ,ideo ſit nulla & inualida, quia eſt nuda, & ſine cauſa; † vt per Doctores *in l. filiusfamilias. §. diui. ff. de legat.* 1. id enim non placuit Dominis, cùm plerique contradicant, vt per per Ruinum *conſil.* 112. *num.*5. *lib.*1. *& conſil.* 111. *num.*14. *lib.*3.) moti fuerunt pro Cauarto, quia cùm in teſtamento Serræ, in caſu alienationis ſubſecutæ non ſint vocatæ iſtæ ſorores, ſicut vocantur ex teſtamento Aloyſij, non poteſt eis prodeſſe.

Conſiderabant etiam Domini, quia prohibitio alienationis, in teſtamento Serræ, non fuit indefinita, ſed limitata vſque ad 30. annos, nec tamen probatur ex parte illarum ſororum eam fuiſſe factam in tempore prohibito, cùm ille qui certo tempore nititur, præciſè probare de-
7. beat factum in illo tempore. gloſſ. *in l. cum actum, in verbo, non poteſt. ff. de negot. geſtis.* Bartolus *in l. non ſolum. §. ſed vt probari. ff. de operis nou. nunt.* quinimò ex quadam fide exhibita fit veriſimile, Horatium fratrem fuiſſe ætatis 30. annorum, & vltrà quando vinea de qua agitur propter eius debita per curiam fuit alienata de ann. 1582.

† cauſæ expreſſio in fideicommiſſis videtur neceſſaria,vt per Seraph. dec.882.n.3. & 1244. n.4.

8. Quòd autem prohibitio alienationis vſque ad triginta annos, intelligatur non à tempore conditi teſtamenti per Serram de anno 1569. ſed de trigeſimo anno ætatis filiorum, ſeries ipſa verborum teſtamenti videtur indicare, cùm tempus ad ipſos referatur, & clauſula proximè ſequens id euidentiùs oſtendat, in qua teſtator prohibet ne filij deueniant ad aliquam diuiſionem bonorum, donec & quouſque Alexander natu minor decimumoctauum annum perfecerit; hæc enim indicat præcedentem quoque prohibitionem de ætate ipſorum filiorum eſſe intelligendam, cùm explorati iuris ſit vnam
9. teſtamenti * partem per aliam declarari. *l. qui filiabus, & l. ſi ſeruus plurium. §. fin. verſic. item earum quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur, ff. de legat.* 1.

*adde Cocc. dec. 48. n.6. & Duran.deciſ.126.n.29. tom.1.limita hãc regulam vt procedat ſimiliter eadem ratio. Ludouiſ.dec. 236. n.13. & 514.n.8. Rota in recen. 3.p.dec 122. n. 2. & 4. p. dec.707.n.2. & 3.

Poſtremò non facit ad propoſitum quòd iſtæ ſorores poſſideant, & ideo ſufficiat eis vincere per non ius Cauarti, *l. qui accuſare, C. de eden. §. retinendæ. verſicul. commodum, Inſtitut. de interdict.*

Quia id procederet, ſi non eſſet vitioſa earum poſſeſſio; hîc tamen (ex deductis hactenus in hac cauſa) apparet ſpoliatiua, quo caſu non prodeſt etiam ad iſtum effectum. gloſſ. *in l. ſiue poſſidentis. C. de probationib.* quam communiter approbatam dicit Franciſcus Curtius *conſ.*90. incip. *Sacratiſſimæ Trinitatis num.* 3. *verſ. & licèt*
*Alexander. lib.*2. 10.

An autem ex quo hæres, qui alienauit, non eſt ſoluendo, poſſint iſtæ ſorores ſubſtitutæ in ſubſidium agere contra Ioannem Cauartum emptorem vineæ, quaſi tunc impediatur dominij tranſlatio. *l. ſi quis ita legatus. §. quod conſtitutum. ff. de manumiſſ. teſtamento*, quæ fuit limitatio Ripæ *in l. filiusfamilias. §. diui. num.* 55. *in fine. ff. de legat.* 1. Domini particulariter videre voluerunt.

## *Spoletana bonorum.*

Die Veneris 18. Maij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Teſtis animosè deponens eſt ſuſpectus. quod intellige vt num.*3.
4.5 *Teſtis de auditu non probat niſi ſit in antiquis.*
6 *Teſti habenti intereſſe non creditur, niſi ſit remotè, num.*7.
8 *Teſtis deponens circa diuerſos reſpectus, poteſt eius dictum ita intelligi.*
9 *Teſtis de fama rectè deponit ſi publicè dicatur.*
10 *Teſtis familiaris non probat, niſi tempore depoſitionis ceſſauerit familiaritas.*
11. *Teſtis dictum non debet diuidi & n.*13.
12 *Debitorem non prohiberi eſſe teſtem pro ſuo creditore probatur.*
14 *Teſtium numerus, & alia adminicula ſupplent probationem.*

## DECISIO CVII.

* DVbitaui, an exceptiones quæ opponebantur contra teſtes (per quos Domini 26.Martij † præteriti tenuerunt probari primum extremum Eccleſiæ S. Petri de Ferentillo reſpectu bonorum de quibus agitur,) eſſent conſiderabiles. 1.

* habetur hæc dec.impreſſa per Farin. poſt tom.2. conſ. dec.49.

† ſuprà deciſ.90.

Primùm fuit conſideratus duplex effectus iſtius diſputationis, primus an exceptiones forent tales, vt pro parte Abbatis non eſſet probatum primum extremum, & ideo eſſet recedendum

dum à deciſis, ex reſpectu iſtius effectus, Domini cenſuerunt exceptiones non eſſe conſiderabiles: tum, quia numerus ſupplet, tum, quia eorum dicta coadiuuantur ex multis legitimis documentis, quæ eorum teſtificationes reddunt multum probabiles, & veriſimiles.

Alter effectus eſt, reſpectu teſtium communitatis, vt ſcilicet in concurſu teſtium communitatis contrarium fortaſſis aſſerentium, videatur quibus magis ſit credendum, & qui præualere debeant. Et iſta ratione Domini putauerunt eſſe conſiderabiles; quoniam verò contra teſtes opponebantur exceptiones, tam perſonas, quàm dicta eorum concernentes, de vtriſque reſpondendum fuit.

2. Reſpectu ergo primi effectus non obſtat, quòd primus teſtis iuxta 42. nimis appaſſionatè & animosè deponat, dicens ciuitatem non poſſe iuſtè poſſidere; & ideo ſit repellendus.* Aymon conſil.249. num. 4. verſ. ſaltem negari non poteſt, & num.9. verſ. ſecundus teſtis. Quia fuit dictum, quòd cùm reddat bonam rationem, fidem facit, Grammaticus conſil.12. crim. num.13. & 14. & Aymon ex aduerſo allegatus conſil. 249. verſ. ſecundus teſtis. loquitur in teſte non reddente bonam rationem, ſecus eſt id, cùm teſtis reddat rationem: quia territoria iſta priùs erant Abbatis.

* addc Seraphin. deciſ. 704. num. 1. & 1129. n. 1.

3.

4.

5. Nec ei obſtat quòd loquatur de auditu, quaſi ideo non probet,* cap licèt ex quadam, vbi Abb. num.1. de teſtib. Bart. in l. teſtium num. 6. C. de teſtib. Alexand. conſ.1. num.16 lib.3. Decius conſ.302. num. 16.

* teſtis de auditu quando probet vide Mantic. dec.307.n.3. & 143. n. 12. & 154. n. 3. & 4. & Caualer. dec. 336. n.3. & Duran dec.252.n.7. tom.2. Coc. dec.69.n.10. †adde Cocc. dec.180.n.3. & 235. n.13. Ludou. deciſ. 517. num.14. & 572.n.3. & 379. n.1. dicit nullam fidem facere. Duran. deciſ. 344. n.4. & 5.

Quia non loquitur de auditu ſimplici, ſed de publica voce, & fama, & de auditu à maioribus. Accedit quòd ſumus in antiquis, & ideo probat. † Alexander conſil. 187. lib.2. Corneus conſil. 35. num. 20. lib.1. Decius conſil. 638. num. 8. Non aufertur eius fides eo quòd non percutiat tempus, & cæteris conteſtibus præiudicet.

Quoniam, cùm ſpolium prætendatur ſucceſſiuè, & diuerſis temporibus commiſſum, eius dictum poteſt ſuſtineri reſpectu huius temporis, & dictum aliorum teſtium reſpectu alterius temporis.

Secundò teſti opponitur quòd ſit intereſſatus, vt colligitur ex ſummario ſuppletorio, aliàs dato, vbi iuxta 38. & ſuper 4. dicit, *piange tutto il popolo noſtro de Spoleti, ci fa troppo torto*: vnde non
6. creditur ei, licèt deponeret, tanquam vnus
7. de vniuerſitate. cap. tuas, cap. nuper, & cap.
8. inſuper, vbi Felin. num. 6. verſic. ſi eſt cauſa in qua ſinguli, de teſtib. Pariſ. conſil. 27. num. 98. lib. 1.

* ad hunc articulū videndū eſt deciſ. Ludouiſ. 340. vbi latè addit.n.14. & Duran. deciſ. 462. num.8. tom.2. Cocc. dec.140.n.4. & 160.n.1. & 3. & 344. à n. 4. & hæc regula limitatur, ſi à parte approbetur, Seraph. dec. 289. num. 2. & 1211.n.4.

Nam reſpondetur quòd cùm probabiliter nullum habeat intereſſe, neque ex dicto ſuo commodum aliquod conſequi ſperet, non perdet fidem, præſertim cùm reddat bonam rationem, in qua potiſſimum veritatis fundamentum conſiſtit; teſtis enim intereſſatus non repellerur, vbi non agitur principaliter de ſuo intereſſe. * Gratus conſ.41. num.17. lib.2. Puteus deciſ.15. incip. *In vna Burgen.* lib.3. Iaſon in l. ſi quis nec cauſam. ff. ſi cert. petat.

Eidem obiicitur quòd neſciat quid ſit fama, quo caſu illam probare non poteſt, Marſilius in l. de minore. §. plurimum, num.104. ff. de quæſt. ſed fuit reſponſum quòd ſufficit ſi dicat quòd publicè * dicebatur, cùm non teneatur teſtis exactam famæ definitionem reddere. Iulius Clarus in pract. crimin. quæſt.6. verſ. poſtremò ſuas. Caſſador. deciſ.3. de probat.

* adde Caualer. dec.6. num.1.

Ad auferendam, vel ſaltem diminuendam fidem tertij teſtis, multa ſimul congeruntur quòd fuerit factor patris Abbatis Ancaiani, & etiam eiuſdem Abbatis; (cuius præterea eſt colonus,) quod fratrem interfecerit, item ſatellites occiderit, quòd carceratus, & aliquando etiam excommunicatus extiterit, & denique quòd ignoret bona de quibus agitur. Baldus conſil. 444. lib. 1. Tellus de teſtib. num. 17.

Sed reſpondebatur parum referre quòd fuerit factor, & patris & Abbatis filij, cùm tempore depoſitionis iam deſiiſſet eſſe familiaris, *Speculat. de teſt. §.1. num.13. Felinus in cap. litteris num.8. de teſtib. Grachus conſil. 41. num.14. lib. 2. Gabriel tit. de teſtib. concluſ. 10. num. 9. de homicidio non conſtat, niſi per teſtis confeſſionem, qui tamen addit ſe fuiſſe liberatum, nec dictum eius poteſt diuidi. Speculator de teſte. §.1. num.69. Archidiaconus in cap. ſi quid verò num.2. diſt. 37. & fuit deciſum in illa Cæſarauguſtanen. ſtatus de Morata, coram Domino meo Bubalo.

*adde Lud. deciſ.351. n. 35. & ibi latè addit.n.51. & Duran deciſ. 427.n.7. Caual. dec.634. n. 7. Seraph. dec.768.n.1. & 1088.n.5. Rota diuer. p.1. dec.217. num.5.

Quod ei amplius opponitur de contrarietate teſtificationis quod ciuitas poſſederit tanto tempore, vt in contrarium memoria hominum non exiſtat, ad poſſeſſionem montium referetur; quòd verò à duobus tantùm annis poſt vrbis direptionem poſſederit, ad terras Lauoratiuas Rigouiti & Petani pertinet (vt ſeries depoſitionis indicat, & in quo nulla eſt contrarietas, cùm diuerſis reſpectibus loquatur, ad latè tradita per Lofredum conſil. 49. incip. *Dubium vertitur.* & Verallum deciſione 270. incip. *Teſtes impugnati, parte 3.*) contra quartum opponitur, quòd ſit principalis in cauſa, & intereſſatus, ex quo contribuit in expenſis, quas fecit ciuitas Spoleti in iſta lite. 9. 10. 11.

Sed ex hoc redditur magis idoneus, cùm quodammodo contra ſe ipſum teſtificetur.

Nec fidem ei aufert, quòd Dominus Offredutius germanus frater Abbatis pro eo fideiuſſerit, cùm alia ſit perſona Abbatis, alia Offredutij fratris, nec debitor reperiatur prohibitus pro ſuo creditore.* Marianus Socinus conſ.135. incip. *Non obſtantibus*, num.12. lib.2. 12.

* niſi ex teſtificatione aliquod cōmodum debitori ſequatur. Ludouiſ. dec. 195. n. 14. Seraphin. deciſ. 1279. num.3.

Accedit quòd fideiuſſor antequam ſoluat non eſt creditor. l. ſi pro ea, & ibi Doctores, C. mandati.

Quintò teſti fidem adimere nituntur agentes pro communitate, quia fuit inquiſitus propter quendam rumorem ortum in conſilio communis, & condemnatus in 300. ſcutis. 13.

Sed obiectio tollitur, quoniam addit ſe poſtmodum fuiſſe abſolutum; & (vt paulo antea dictum eſt) eius conſilio non poteſt diuidi; * prout ſimiliter non offecit ei, quòd fuerit imputatus, & carceratus pro receptione bannitorum, quia non fuit condemnatus.

*adde Seraphin. deciſ. 295. num.4. & 8.

Contra ſextum opponitur de homicidio cæterùm, cùm non fuit condemnatus de illo, obiectio ceſſat, ſicut ceſſat etiam altera oppoſitio, quòd



quòd ſit intereſſatus, cùm non adſit probabile intereſſe.

14. Denique dicebant Domini quòd licèt numerus teſtium & alia adminicula concurrentia ſidem eorum * ſupplere poſſint. gloſſ. in l. 3. in verb. numerus ff. de teſtibus. Baldus, Alexander, & Iaſon in l. ſi quis ex argentarijs. §.1. ff. de edend. Alex. conſ.149. num.6. lib.5.

* adde Seraphin. deciſ. 241. num. 2. & 780. n. 3. Rot. recen. p.3 dec.298. n. 6. & p.4. dec.772.n.4.

Nihilominus propter exceptiones contra eos appoſitas, non poſſunt dici omni exceptione maiores, ita vt nec vacillet eorum fides, nec diminui debeat, aut non poſſit per alios teſtes integros aliud probari, de quo erit videndum quando in concurſu probationum ſingulorum qualitates, & dicta (more rotali) ponderabuntur, vt tandem iudicetur cuius partis probatio præualere debeat.

---

## *Burgen. emolumentorum ſigilli.*

### Die Lunæ 21. Maij 1590.

### SVMMARIVM.

2 *Teſtis deponens de immemorabili quomodo concludat.*
3 *Immemorabilem ad probandam ſufficit teſtem habere 60. annos.*
4 *Præſcribendi ad effectum ſufficit probare non fuiſſe vſum iure ſuo, quo vti poterat contra quem præſcribitur.*
5 *Negligentia non petentis illi, qui præſtare tenebatur, ſufficit ad inducendam præſcriptionem.*
6 *Præſcriptio vt inducatur non eſt neceſſaria præceſſiſſe interpellatio.*
7 *Dictio citra, intelligi poteſt etiam in actu ſequuto poſt.*
8 *Teſtes quando ſpecificant certum aliquod initium, licèt non dicant, & citra, tamen concludunt.*
9 *Teſtis deponens, ſi ex ſerie depoſitionis apparet loqui de tempore vltra 40. annos rectè concludit.*
10. *Capitulum Sede vacante tenetur infra octo dies vicarium conſtituere cum certo ſalario.*

## DECISIO CVIII.

De hac cauſa ſuprà dec.9.

1. DOmini tenuerunt pro parte Capituli probari immemorabilem conſuetudinem percipiendi emolumenta ſigilli Sede Epiſcopali vacante, maximè per quartum, ſextum, & ſeptimum teſtes, ex quibus quartus, & ſeptimus ætatis 70. ann. à 50. annis, & ſextus ætatis 63. ann. à pluſquam 40. annis citra concludunt Capitulum, & deputatos ab eo, in ſedibus vacantibus, quos commemorant exegiſſe emolumenta ſigilli, ea retinuiſſe ſibi, & in ſuos vſus ac vtilitatem liberè diſponendo conuertiſſe ſcientibus &
2. patientibus Prælatis, qui poſtea in Epiſcopatu ſucceſſerunt: cùm enim deponant * de vera ſcientia, & de auditu à maioribus, qui ab aliis antiquioribus ſimiliter audiuerunt, nec aliter obſeruatum fuiſſe, de eoque extitiſſe & extare publicam vocem, & famam, concludenter probant immemorabilem. gloſſ. & Doctores in cap. 1. de præſcript. lib. 6. Oldradus conſil. 244. num. 23. Ægidius deciſ. 64. cum aliis notis, iuribus & doctrinis.

*adde Cocc. dec.466.n.2. & Ludou. deciſ. 196. n.1. vbi addit. litera A. Caual. dec. 56. n. 2. & 174. num.1.

Et cùm teſtes excedant nedum 50. ſed 60. etiam annos, idonei ſunt ad immemorabilem probandam.* Francus c.1. de præſcript. lib.6. Mohedanus deciſ.352. incip. *Fuit allegatum, verſ. fuit reſolutum.* quorum dictis, cùm alij teſtes conformia deponant, firmiùs remanet probata immemorabilis. 3.

* teſtis 54. annor. eſt idoneus ad probandam immemorabilem. Cocc. dec.345.n.3. Seraph. dec. 1102.n.5. vbi hæc dec. allegatur. Ludou. deciſ. 298. n.1. vbi latè addit. n. 12. ſed an quilibet teſtis debeat deponere de omnibus requiſitis, vel poſſit ſuppleri per plures, vide Mantic. dec.289.n 4. & additio ad Ludou. in deciſ.252.n.15. Rota recen. dec. 360. n. 13. tom. 3. & dec. 76. n. 3. tom. 1.

Quam non infringit illa obiectio pro parte docti Archiepiſcopi oppoſita, quòd teſtes non dicant Capitulum fuiſſe requiſitum à ſucceſſoribus Prælatis, vt rationes redderet, & emolumenta reſtitueret, & Capitulum id facere recuſauerit; quia fuit per dominos reſponſum ad effectum præſcribendi ſatis eſſe Capitulum nunquam fuiſſe requiſitum; & Epiſcopos ſucceſſores non eſſe iure ſuo vſos, quo vti potuiſſent, ſi voluiſſent. † Aymon conſil.11. incip. *Spectabilis Iuriſconſultus* num.21. & conſil. 775. incip. *Dominus Ioannes*, num. 8. verſ. non obſtat etiam lib. 1. & fuit dictum in illa Peruſina S. Benueniati 22. Maij anno 1587. coram Domino Ouiolen. Prælati enim ſucceſſores ex tali non vſu iuris ſui, quo vti potuiſſent, ſibi præiudicantes, ius ſibi aliàs competens amiſerunt; ſola enim negligentia non petentis abſque alia denegatione illius, qui præſtare aliquid tenetur, ſufficit ad inducendam præſcriptionem; * vt voluerunt Aymon & Ruinus præcitatis locis, & Rolandus conſil.5. num.61. lib. contra *Alexandrum* conſ. 136. lib.2. vbi inter cætera requiſita ad præſcriptionem poſuit, quod is qui allegat præſcriptionem, probare teneatur, quòd aliquando fuerit † requiſitus ſoluere: neque enim requiritur quòd præceſſerit interpellatio, & ſubſequuta fuerit contradictio, ſed ſolùm quòd caſus euenerit, quod iure ſibi competente vti quis potuerit, nec tamen fuerit vſus. 4. 5.

† ſcientia enim & patientia ſufficiunt ad inducendam præſcriptionem. Ludou. dec.249 n.3. & ibi addit. num.7.

Parum refert, quòd aliquot teſtes deponant ſine coniunctione, &, dicentes ſolùm 40. vel 50. annis citra, quaſi dictio *citra*, tunc verificari poſſit etiam in actu ſecuto poſt 40. vel 50. annos, ad Bartolum in l. Celſus num.23. & ſeq. ff. de vſucapionib. 6. 7.

*ſed ex hac negligentia non poteſt induci præiudicium tertio veluti domino directo per vtilem. Caualer. dec. 213. n. 3. 5. & 6.

Quoniam quando teſtes ſpecificant certum aliquod initium, licèt non dicant à quadraginta annis, *& citra*, nihilominus legitimè probant quadragenariam.*

In hac facti ſpecie res eſt nota, cum ſpecificent Sedem vacantem per obitum D. Innicij Lopez de Mendoza, quæ contigit ante 50. annos & vltra ante examen teſtium, & cùm ex ſerie depoſitionis appareat eos loqui de tempore, vltra 40. annos, valet depoſitio etiam abſque copula, ad probandum quadragenariam. Lucas de Penna in l.1.n.6. C. de iure fiſci lib.10. Nec ſunt teſtes mendaces ex eo quòd in libris Capitularibus appareat hæc emolumenta non fuiſſe conuerſa in vtilitatem Capitularium, ſed erogata per Capitulum Sede vacante, loco ſalarij prouiſoribus, ſeu Vicariis generalibus, quibus Epiſcopus ſalarium ſoluere tenebatur. 8. 9. 10.

† interpellatio nulla non interrumpit præſcriptionem. Rota in recen. tom.2. dec.689.n.5. ſed regula eſt interrumpi præſcriptionem per ſuperuenientiam malæ fidei quocunque modo ſit, per totam, & præcipuè de iure Canonico, de quo vide Duran. dec. 416. 375. n.3. & 5. tom.2. & Cocc. dec.341.n.2.

Nam cùm vacante Sede Capitulum infra octo dies ad præſcriptum Concilij Trid. ſeſſio 24. de

* & ratio eſt quia dato certo initio ceſſat immemorabilis. Ludouiſ. dec.467.n.6. & habetur in recen. p.3. dec.285.n.4.

† adde Caualer. dec.356.n.3. & 4.

*de reformat. cap.* 16. Vicarium conſtituere teneatur, & is Capituli nomine iuriſdictionem exerceat, de ſuo ei ſalarium * dare debeat; quòd verò de iſtis emolumentis ſigilli aliquando ſalarium ſoluerit, potiùs concludit illa fuiſſe Capituli effecta, quàm Epiſcopo debita, cùm de pecunia Capituli, miniſtris Capituli Sede vacante ſalaria perſoluantur.

* ita declarauit Cōgregatio Concilij Tridentini 12. Nouemb. 1594. & inuenies declarationē apud impreſſas per Barb. in d. cap. 16. verb. octo dies, in 3. decl. & in Aragonia omnia emolumenta viſitationum & ſigilli pertinent ad Capitulum ſede vacante, quæ ſoluunt ſalaria Vicariis generalibus & officialibus ex cōſuetudine immemorabili, quę cùm non ſit irrationabilis, obſeruanda eſt, vt patet ex deductis in hac dec.

Quæ de redditione computorum commemorantur, leuia ſunt; ſicut & illa quæ dicuntur de nullitate examinis, quæ non pertinent ad hanc ſpeculationem.

Ex his ergo & aliis, quæ ſatis eandem probationem coadiuuabant, fuit pronuntiatum, ſufficienter eſſe probatam immemorabilem. An autem ſuffragaretur, Domini particulariter videndum cenſuerunt.

## *Compoſtellana Parochialis de Bayon.*

### Die Lunæ 21. Maij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum de manutenendo non debet concedi ſi non aſportentur integraliter acta.*
3 *Mandatum de manutenendo conceditur ſi aſportetur proceſſus vigore compulſorialium.*

### DECISIO CIX.

1. PRo parte Alphonſi Laſſi prouiſi in partibus per concurſum, & immiſſi in poſſeſſionem, ſolùm fuerat productum in actis inſtrumenti eius poſſeſſionis cum titulo, & confeſſione eiuſdem Alphonſi, qui confitebatur ſe fuiſſe citatum, & Alphonſus petebat mandatum de manutenendo: quod fuit ſibi denegatum, quia cùm non fuiſſent tranſportata * integraliter acta, iuxta decretum † Concil. Trident. Auditor dicebatur carere iuriſdictione.

* adde infrà dec. 629. n. 3.

2. Nec obſtat quòd aliud videretur dictum coram me in vna Panormitana Archidiaconatus die 26. Februar. proximè præteriti, * quia ibi non poterat omnino dici nulla adeſſe acta cùm adeſſet proceſſus, quamuis non eſſet extractus vigore compulſariorum.

† ſeſſ. 24. c. 2. & de hoc art. vide Cocc. dec. 115. n. 1. quando autem non ſit neceſſaria actorū tranſportatio vide latè per additionem ad Ludou. deciſ. 320. n. 4. cui adde Duran. dec. 7. n. 24. tom. 1. & Caual. dec. 67. num. 2.
* ſuprà deciſ. 89.

## *Spoletana bonorum.*

### Die Veneris 25. Maij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Exceptionem rei poſſidentis reus tenetur probare.*
3 *Notarius non poteſt compelli ad dandum proceſſum originalem, ſed copiam authenticam recepta ab eo mercede.*

### DECISIO CX.

1. PRocuratores communitatis Spoletan. petebant, vel diſputari ſuper quinque reliquis teſtibus pro Abbate examinatis, vel quòd Abbas eis renuntiaret.

Sed fuit dictum non eſſe rationabilem petitionem, quia Abbas non vult modò eis vti, nec vlla ratio ſuadet, vt eis renuntiare teneatur.

2. Petebant præterea diſputari, an Abbas teneretur probare certum tempus ſpolij, quod teſtes pro ſe inducti percuterent.

Et ſimiliter iſta petitio fuit reiecta, quia cùm ſit de exceptione rei poſſidentis, reus tenetur illam probare, ſi illa ſe iuuare prætendit.*

* & ratio eſt, quia reus excipiendo fit actor & tenetur probare exceptionem. Caual. dec. 246. n. 2. Ludouiſ. dec. 228. n. 2. Duran. dec. 187. n. 5. tom. 1. & 462. n. 10. tom. 2.

Poſtremò petebant quòd Notarius archiuij Curiæ compelleretur transferre ad effectum iurium quoſdam proceſſus continentes nonnullas probationes ſpectantes ad communitatem.

3. Domini dixerunt Notarium non poſſe compelli, ſed dictum quòd daret copiam authenticam iſti parti, recepta ab ea mercede competenti.

## *Caſalen. Beneficij.*

### Die Lunæ 28. Maij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Petitorium reſpicit quidquid non eſt de poſſeſſione.*
3 *Spoliatus quomodocunque rectè petit manuteneri.*
4 *Manutentio non habet locum niſi in ſpoliato de ſua poſſeſſione.*

### DECISIO CXI.

1. AD importunam petitionem Procuratoris præpoſiti Dacianæ dedi dubium, an conſtaret de primo, & ſecundo extremo ad effectum, vt ſententia de partibus ad fauorem præpoſiti lata in eo quod reſpicit poſſeſſorium eſſet confirmanda, vel infirmanda. Sed Domini dixerunt

De hac cauſa ſuprà dec. 28. & 64. vbi ſequeſtrum fuit appoſitum ex rationibus hîc adductis.

2. ineptam eſſe petitionem, quia in ſententia nihil continebat quod poſſeſſorium reſpiceret.

* petitorium quod reſpicit quando in poſſeſſorio deduci poteſt vide Duran. deciſ. 110. n. 1. & Ludou. deciſ. 335. num. 9. & 425. n. 3.

Nec ad rem aliquid faciebat quòd in ea diceretur de relaxatione, & dimiſſione beneficij, nam cùm non eſſet dictum de relaxatione poſſeſſionis beneficij, potiùs reſpiciunt petitorium, * cùm ex illis verbis appareat beneficium ipſum vendicari. Ruinus *conſil.* 164. *incip. Dominus oſtendat. num.* 6. *& ſeq. lib.* 5. quod euidentiùs oſtendit verbum, *liberè*, poſitum in ſententia, vt latè per Alexand. *conſ.* 96. incip. *Conſideratis his, lib.* 5. & Socin. *in l. rem quæ nobis, poſt num.* 14. *verſ. aduertendum tamen. ff. de acquir. poſſeſſ.*

3. 4.

* qui non ſe habuit pro ſpoliato manutenendus eſt. Lud. dec. 46. n. 9. & 307. n. 7. & 546. n. 17. & de materia huius articuli vide Duran. deciſ. 7. n. 1. & ferè per totam, & deciſ. 37. & 89. tom. 1. & Poſti. in tractat. de manu. obſer. 57. ann. 74. cum ſeq. præcipuè num. 79. vbi alias deciſ. allegat.

Ex alio etiam dicebant Domini ineptam eſſe petitionem, quia ſi ad alium effectum quærebatur de primo, & ſecundo extremo, & Scamutius (vt ſæpe aliàs) negaſſet conſtare de primo extremo præpoſiti reſpectu iſtius beneficij, & fateretur conſtare de ſecundo, poſſet petere ſe manuteneri. §. *retinendæ. Inſtit. & interdict.*

Et caſu quo fateretur conſtare de primo & ſecundo extremo, ex eo ſaltem videbatur poſſe inferri ad iniuſtitiam mandati, de manutenendo decreti ad fauorem præpoſiti, qui ſi ſe pro ſpoliato habuit, * & non poſſidet, non poteſt manuteneri. *l.* 3. §. *ad amittenda. ff. de acquiren. poſſeſſ.* Ægidius *dec.* 668. *incip. Obedientia*, Bald. *conſ.* 338. *num.* 5. *lib.* 5 Purpuratus *conſ.* 43. *num.* 9.

Ex



Ex iſtis itaque iudicantes Domini ineptam petitionem, illam reiecerunt, ſed circa mandatum de manutenendo ad fauorem Præpoſiti aliàs decretum, nihil aliud ordinarunt.

## *Beneuentan. ſeu nullius.*

### Die Veneris 1. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Impediens vti iure quod competit virtute concordia contrauenire dicitur.*
3 *Promittens non turbare, vel moleſtare aliquo modo tertium in ſuo iure quomodocunque moleſtet iudicialiter, vel extraiudicialiter contrauenit promiſſis.*
4 *Verbum, quodcunque, eſt generale, & comprehendit omne quod poteſt contineri.*
5 *Culpa non caret qui (etiam ſi remotè) ſe immiſcet in delicto.*

### DECISIO CXII.

1. COncordauerat Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Aſcan. Columna, Commendatarius Abbatiæ S. Sophiæ de Benauento, cum vniuerſitate montis Fuſculi ſuper lite, & cauſa aliàs de anno 1533. contra dictam vniuerſitatem introducta ſuper feudo Leocubantis, ſeu de S. Donato, quod ad Abbatiam pertinere, fuerat in Rota iudicatum.

Et quoniam in concordia litibus, & ſententiis quibus ob non paritionem litterarum executorialium vniuerſitas interdicta extiterat, fuerat ceſſum, & proceſſus caſſati, dummodo vniuerſitas loco fructuum, quos perceperat, & expenſarum in lite factarum, in quibus condemnata fuerat, ſcuta mille D. Cardinali penderet (quæ cum effectu ei perſoluit,) ac eo etiam pacto appoſito, ne vllo tempore aliquam moleſtiam, vel impedimentum ſuper dicto feudo Abbati inferret, quòd ſi quid contrà fieret, ipſo facto abſque alicuius iudicis decreto, acta & proceſſus in ſuo robore permanerent (ſicut latiùs in inſtrumento concordiæ continetur) quia verò prætendebatur contrauentum, teſtibus ſuper contrauentione examinatis, & vniuerſitate per edictum conſtito de non tuto acceſſu citata; dubitaui, an conſtaret de tali contrauentione communitatis, & hominum montis Fuſculi, quæ ſufficeret ad effectum de quo dubitatur, qui erat, vt vniuerſitas reintruderetur, & viſis verbis concordiæ, & teſtium dictis, Domini dixerunt conſtare de contrauentione, cùm vni-
2. uerſitas, & homines montis Fuſculi impedirent quo minus D. Abbas liberè ſuo iure vti poſſet. *l. ſi duo.* §. *item videamus. ff. vti poſſidet.* Bart. *conſil.* 122. *num.* 2. Baldus *conſil.* 446. *lib.* 3.

3. Quod maximè procedebat in hac facti ſpecie, in qua vniuerſitas promiſerat non * turbare, vel moleſtare aliquo modo D. Abbatem, quæ verba comprehendebant omnem moleſtiæ ſpeciem iudicialem, & extraiudicialem. Alexand. *conſil.* 52. *num.* 3. *& ſequent. lib.* 2. Ruinus *conſil.* 77. *num.* 7. *lib.* 2. Aymon *conſil.* 294. *num.* 4.

* vide Cocc. dec. 198. n. 1. & 204. n. 1. & ſequent.

Impedimenta per teſtes videbantur ſatis petenter probata cùm balliui communitatis montis Fuſculi, multis hominibus in territorio Leoculatis animalia paſcentibus, arantibus, & iuribus ſuis vtentibus, turbationes, & moleſtias intulerint. 4.

5. Nec refert iſtos inferentes moleſtias non probari fuiſſe balliuos vniuerſitatis, quia ſufficit per particulares * homines illius fuiſſe illatos; ſicut in concordia continetur, & cùm contra expreſſè contenta, in concordia rei ad ſe non pertinenti ſe immiſcuerint, culpa non carent. *l. culpa. ff. de regulis iuris*, ſtantibus præſertim verbis concordiæ generaliſſimis, † quacunque culpa; quæ omnem culpam comprehendunt. *l. à procuratore. C. mandati*, vbi gloſſ. *in verb. omnem culpam. l. ſi ita fuerit. ff. de legatis* 3. Alexand. *conſil.* 42. *num.* 8. *lib.* 1. Pariſius *conſil.* 92. *num.* 7. *lib.* 1. Aymon *conſil.* 294. *numer.* 3. *&* 4.

* hæc concluſio eſt vera propter expreſſionē concordiæ & non aliunde, nam delictum particularis non eſt vniuerſitatis, vt per Seraph. dec. 1022. n. 3. qui loquitur in concordia.
† hoc enim verbū, quodcunque, vel quomodocūque, comprehendit omnem modum & formam, Rota recen. part. 1. dec. 41. n. 4. circa medium, & in terminis tranſactionis tradit Seraphin. deciſ. 317. n. 3.

Et licèt Domini tenuerint de contrauentione conſtare, particulariter tamen videre voluerunt, an in hoc caſu intret diſpoſitio *l. ſi diuerſa. C. de tranſact.*

## *Romana cenſus.*

### Die Veneris 1. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2. 3 *Præſumptio ſatisfactionis debiti ſui pro creditore adminiſtrante viget ante redditionem ſufficientem rationum.*

### DECISIO CXIII.

D. Magdalena Strozzia die 13. Auguſti anno 1577. ceſſit Raymundo Vrſino (cuius tutelam adminiſtrabat) ſcuta mille ex credito ſcutorum duorum millium, quod habere aſſeruit pro cenſu à Dominis Troilo & Mario, ad effectum, vt illa compenſare poſſet cum Mario pro reſiduo pretij Caſtri montis rotundi, pro quo fuerat contra Raymundum relaxatum mandatum executiuum: & quia in ceſſione narrabatur, ideo ceſſionem factam, quia Magdalena non habebat in promptu pecunias Raymundi pro ſatisfactione dicti debiti, niſi deueniret ad alienationem alicuius rei immobilis Raymundi, vnde Magdalena prætendebat excludere præſumptionem ſatisfactionis, ſaltem ante ceſſionem, cùm ante illud tempus adhuc videretur eſſe creditrix totius cenſus, & fructuum, ideo dubitaui, 1.

1. De hac cauſa ſuprà dec. 11. & 97.

An præſumptio ſatisfactionis aliàs per Dominos firmata contra * Magdalenam, intraret in tempore ante ceſſionem. 2.

* ſuprà dec. 11. & 97. & de hoc art. vide Cocc. deciſ. 228. n. 2. & Caual. deciſ. 171. num. 7. & 453. n. 3.

Et fuit concluſum illam intrare, quia cùm tam ante ceſſionem, quàm poſt ceſſionem, bona, & redditus pingues Raymundi adminiſtrauit, niſi redditis rationibus ſufficienter oſtendat, ſibi non ſatisfeciſſe, ſemper viget præſumptio ſatisfactionis. *l. ſed ſi damnum.* §. *præterea id etiam*, vbi Angelus, *ff. de pecul.* Matthæus de Afflictis *deciſ.* 13. *num.* 16. *& ſequent.* cum aliis allegatis in alia deciſione, ſed die 2. Aprilis proximè præteriti. *

* ſuprà deciſ. 97.

3. Non obſtat narratiua ceſſionis, quoniam licèt verum fuiſſet tempore ceſſionis Magdalenam adhuc extitiſſe creditricem Marij, & Troili, nec tunc ſibi ſatisfeciſſe, non tamen inde excluditur præſumptio, quòd poſtquam præfatum creditum ceſſit Raymundo, & ſic poſtquam fuit effecta eius creditrix, non cenſeatur ſibi ſatisfeciſſe ex pecuniis eius, quæ tam ante ceſſionem, quàm poſt illam, in notabili quantitate ad Magdalenæ manus peruenerunt, quam præſumptionem non excludet niſi vniuerſæ adminiſtrationis tam præcedentis, quàm ſubſequentis, ceſſionis rationes ſufficienter reddiderit.

Nec refert, quòd Magdalena in ceſſione aſſerat, ſe non habere in promptu pecunias Raymundi, quibus poſſet extinguere debitum cum Mario, & Troilo: nam ſimul hæc conſiſtere poſſunt, & quòd ipſa non haberet in manibus pecunias Raymundi, & quòd remaneret Raymundi debitrix ratione adminiſtrationis, vel quia Raymundi redditus non exegiſſet, vel exactos in alios vſus conuertiſſet. Quinimò ex pluribus partitis ſatis liquere videtur, eam tunc fuiſſe Raymundi debitricem, quod nec Magdalena diffiteri videtur, cùm in ceſſione dicat ſe cedere ad computum eius, in quo potuiſſet Raymundi creditrix remanere ex adminiſtratione, & computorum redditione.

Concluſum ergo quòd Magdalena reddat ſufficientem rationem vniuerſæ adminiſtrationis, ſi vult excludere præſumptionem ſatisfactionis.

## *Burgen. Iuriſdictionis de Pancoruo.*

### Die Lunæ 14. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Remiſſoria ratione præſumptæ calumniæ facilè conceditur.*

3 *Conſtitutio Synodalis præſumitur recepta in tota diœceſi.*

1. *adde Mantic. deciſ. 61. n. 5. ibi magnâ requirit calumniæ ſuſpicionem ad denegandam Remiſſoriam, & Cocc. dec. 10. n. 8. & 338. n. 3. Ludouiſ. dec. 83. n. 5. & 191. n. 5. quando autem præſumatur calũnioſa, vide Duran. deciſ. 462. n. 15. & 264. num. 1. & 453. n. 1. tom. 2.

4 *Remiſſoria in prophanis facilè conceditur, in quacunque inſtantia.*

*Remiſſoriam ex varijs cauſis concedere ſolent iudices. ibid.*

5 *Remiſſoria debet concedi ſi articulus eſt releuans.*

6 *Fatalia non currunt impedimento exiſtente.*

## DECISIO CXIV.

Remiſſoriam dixerunt Domini concedendam D. Archiepiſcopo Burgen. nam cùm in iudicio reſtitutionis in integrum fuerit Archipresbytero conceſſa ad probandum non vſum iuriſdictionis Synodalis reſpectu ſui Archipreſbyteratus, ad ſeruandam æqualitatem, D. etiam Archiepiſcopo fuit concedenda ad probandum contrarium, præſertim cùm ratione præſumptæ calumniæ Remiſſoriæ facilè denegari * non ſoleat, Ægidius *deciſ. 624. in fine*. Et pro Synodali conſtitutione ſtet præſumptio quòd fuerit in toto Archiepiſcopatu vſu recepta. † Decius *conſil. 649. num. 9.* Creſcent. *deciſ. 79.* Thanis *deciſ. 25.* Paleotus *deciſ. 220.* quam præſumptionem coadiuuat obſeruantia eiuſdem Synodalis conſtitutionis probata reſpectu aliorum Archipreſbyteratuum, quæ ſatis tollit præſumptæ calumniæ ſuſpicionem. 3.

2. †adde Mantic deciſ. 115. num. 2.

Accedit, quia in prophanis facilè conceditur Remiſſoria in quacunque inſtantia. * *l. iudices, & Authen. Apud eloquentiſſimum. C. de fide inſtrument.* Caſſador. *deciſ. 3. de dilat.* quod iudices ex variis cauſis an concedenda ſit nec ne, arbitrari ſolent. 4.

*addo Mantic. dec. 374. n. 2. Ludouiſ. dec. 174. n. 2. Caualer. dec. 232. n. 3.

Et ex quo D. Archiepiſcopus intendit probare acceptationem Synodalis conſtitutionis factam per anteceſſorem iſtius Archipresbyteri qui modò eſt in cauſa, negari non poteſt, quin articulus ſit releuans, † & ideo Remiſſoria concedenda. Puteus *deciſ. 413. lib. 2.* Verallus *dec. 147. lib. 1. in manuſcript.* 5.

† etiam ſine fumo. Duran deciſ. 35. n. 1. & 2. & deciſ. 61. n. 1. & 121. n. 15. tom. 1. Ludou. deciſ. 124. num. 1. & 403. n. 3. & 562. n. 3. Coc. dec. 10. n. 1. & 20. n. 3. & 23. n. 1. & 149. n. 1. & aliàs pluries declarauit.

Non obſtat quòd dum lis tractaretur in partibus, non fuit iſta obſeruantia probata, quia nunc poteſt probari, præſertim cùm petatur ad excludendam probationem poſtea in Curia factam.

Quod opponitur de lapſu quadriennij, ex quo ſententia R. P. D. Decani dicitur tranſiiſſe in rem iudicatam, & ideo non videatur adeſſe iuriſdictio, niſi quoad exequendam, vel confirmandam ſententiam, facilè tollitur ex quo Archipreſbyter, qui Remiſſoriam intra quadriennium obtinuit, illius lapſum impediuit. Rota *deciſ. 7. num. 5. de appellat. in nouis.* qua durante non currerunt * fatalia. Caſſador. *deciſ. 9. de appellationib.* 6.

*vide additionem ad Ludouiſ. in dec. 272. n. 8.

## *Peruſina reintegrationis, ſeu fideicommiſſi.*

### Die 8. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Laudum latum, vel ſententia arbitralis ſi exequatur reſpectu poſſeſſorij, poteſt exequi contra hæredem poſſeſſorem.*

3 *Laudum, vel ſententia arbitralis reſpectu petitorij non afficit fideicommiſſarios, vt in eo iudicio audiri non poſſint.*

4.5.6 *Sententia lata contra hæredem, an præiudicet ſubſtitutis non citatis.*

7.8 *Citatio per proclama non ſufficit quando certus eſt contradictor.*

9 *Citatio per edictum, vel proclama, non ſufficit reſpectu illorum qui tempore iudicij habent ius in ſpe.*

10 *Succeſſor in hæreditate vt ſubſtitutus, vel fideicommiſſarius poteſt appellare à ſententia lata contra hæredem.*

## DECISIO CXV.

In hac poſitione, licèt non fuerit diſcuſſa iuſtitia laudi; placuit tamen aliquot ex Dominis conſilium Gabrielis 42. *lib.* 1. in eadem cauſa conſulentis, & tenentis laudum eſſe iniuſtum.*

*hæc annotatio habetur in Codice originali R. P. D. Franciſci Peña.

Svper dubio propoſito, an laudum noceat fideicommiſſariis non citatis, multa propo- 1.

nebantur



nebantur ab informantibus pro ſapientia Bartholina, ad demonſtrandam iniuſtitiam laudi, quorum non fuit habita ratio: nam ſi eſſet iniuſtum, non noceret.

Quare præſuppoſita nunc iuſtitia laudi, placuit Dominis diſtinctio, quòd vel agitur reſpectu poſſeſſoris, vel reſpectu petitorij, ſi reſpectu poſſeſſorij agatur, nempe quòd ſententia, ſiue
2. laudum latum poſſit executioni mandari contra hæredem * poſſeſſorem, fuit concluſum præiudicare reſpectu poſſeſſorij aliis non exiſtentibus in poſſeſſione, ita vt illius executionem ſuſtinere debeant. Innocentius *in cap. quamuis, n. 1. de re iudicata.* Felinus, vbi teſtatur de communi *in cap. cùm ſuper num. 12. verſ. ſtat difficultas, an dicta ſententia, eod. tit.* Ægidius *deciſ. 711.* incip. *Secundùm Dominos, num. 2.* Puteus *deciſ. 155.* incip. *Agit Ioannes, lib. 2.* latè Achilles *deciſ. 6. tit. de citatione.* Cotta *deciſ. 164.*

* & ratio eſt, quia tenetur hæres tranſigentis factũ illius approbare, Seraph. dec. 711. n. 4. Caual. dec. 276. n. 2. Ludouiſ. dec. 354. n. 3. & 418. n. 5. & 6. & ibi additio, n. 15.

Vnde cùm in caſu propoſito nedum fuerit latum laudum contra Petrum Paulum hæredem & poſſeſſorem, ſed etiam executioni mandatum, antequam ſubſtituti in poſſeſſione exiſterent, executio ſuſtinebitur, donec reuocetur laudum.

3. Aut agitur reſpectu petitorij, an ſcilicet ita laudum afficiat fideicommiſſarios, vt in petitorio audiri non poſſint. Et placuit iſto reſpectu non præiudicare, quia licèt anceps controuerſia ſit inter Doctores, an ſententia lata contra hæ-
4. redem præiudicet ſubſtitutis non citatis, de quo latè Pinellus *in l. 1. parte 3. num. 48. & ſeq. C. de bonis maternis*; & ſine citatione etiam per generale proclama, vel edictum præiudicare reſponderint multi, quos refert & ſequitur Ludouicus
5. Molina *lib. 4. cap. 8. num. 3. de Hiſpanorum primogen.* Rota tamen Baldi, & Alexand. opinionem eſt ſæpe ſecuta *in l. de vnoquoque. ff. de re iudic.* tenentium quòd licèt valeat ſententia contra hæredem lata, non præiudicat fideicommiſſario non citato ſaltem per proclama. * Puteus *deciſ. 91.* incip. *Die 23. Ianuarij, & deciſ. 336.* incip. *Eadem die, num. 3. lib. 3.* Achilles *deciſ. 3. & 4. tit. de citatione*, & fuit dictum in cauſa Roman. Fideicommiſſi del Detto coram Domino Pamphilio, tenuerunt Bart. *in l. ſi eo tempore. C. de remiſſ. pignor. & in Extrauagant. Ad reprimendum, in verb. per edictum.* Franciſcus Curtius *conſil. 23.* incip.
6. *Præſupponitur in facto, n. 8. verſ. ſecundò præmittendum eſt.*

* ſtylus Rotæ admittit citare ſemper per proclama omnes intereſſe putãtes. Duran. dec. 78. n. 10. tom. 1.

7. Reſponſiones datæ per informantes aduerſæ partis ad deciſiones Achillis, quòd ſcilicet in illis id tantùm ſtatuatur, ſententiam afficere hæredem etiam non citato fideicommiſſario per proclama, non placuerunt Dominis, cùm verba ipſa aliud oſtendant.

8. Quòd Puteus loquatur, quando ſubſtitutus eſt in poſſeſſione, non ſubſiſtit, quia tunc non ſufficeret citatio per proclama, ſed ſpecialiter foret citandus, ex quo certus eſt * contradictor, vt per Doctores *in dicta l. de vnoquoque. ff. de re iudicata.*

* adde Rotam in recẽ. p. 3. dec. 258. n. 2.

9. Similiter non ſubſiſtit dicere quòd generalis citatio per proclama, ſeu per edictum requiratur ſolùm reſpectu illorum fideicommiſſariorum qui tempore agitati iudicij habent ius in re, non autem reſpectu illorum, qui in ſpe tantùm ius haberent; quia contrarium tenuit Rota *in illa Bononien. fideicommiſſi de Formaglia-rijs 1. Decembris 1586.* coràm Domino Pamphilio.

Quinimo admiſſa etiam contraria opinione, quòd talis ſententia noceat, ſucceſſores tamen poſſunt ab ea appellare, * & eius iniuſtitiam oſtendere, ex traditis per Pinellum *in dicta l. 1. parte 3. num. 50. in 3. limitat. C. de bon. mater.* & tenuit Rota *in vna Hiſpalen. decimarum de Villalua anno 1582. de menſe Iunij.* coram Domino Cantuccio, vbi fuit dictum, in ſententia lata contra ſucceſſorem Maioricatus requiri generalem citationem, & in omnem euentum ſucceſſores & ab illa appellare, & eius iniuſtitiam oſtendere poſſe. 10.

*& ratio eſt, quia hæres eſt eadẽ perſona cum defuncto. Ludouiſ. deciſ. 535. n. 5. & 489. n. 9. & in eum tráſeunt omnia iura actiuè & paſſiuè. Caual. dec. 189. n. 3. & 524. n. 3.

Ordinatum igitur, vt more Rotæ de iuſtitia laudi videretur.

## *Vicentina decimarum feudalium.*

### Die 3. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Dominium prius eſt probandum ab agente, vt deueniatur ad deuolutionem bonorum.*

## DECISIO CXVI.

Dvbium propoſitum, an ſententia Rotalis eſſet confirmanda, vel reuocanda, viſum fuit Dominis nimis generale, & ordinarunt, quòd reſtringeretur ad identitatem terrarum, à quibus iſtæ feudales decimæ debentur.

Verùm, quia informantes pro Randanio multum conqueruntur, dicentes non conſtare de dominio Eccleſiæ agentis ad deuolutionem bonorum, quod tamen priùs eſt legitimè probandum. * Aymon *conſil. 157. num. 3. & 4.* ideo libenter eos ſuper iſto articulo iterum audirem.

*adde Seraphin. dec. 1453. n. 1. & Rotã recen. p. 2. dec. 606. n. 1.

## *Toletan. decimarum de Sazedon.*

### Mercurij 13. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Eccleſiæ debentur decimæ ſuper omnibus fructibus ſi habeat parochiam, & parochianos quibus Sacramenta adminiſtrantur.*

3 *Fabricæ Eccleſiæ de iure debetur quarta pars.*

4 *Priuilegij cauſa ceſſante, & illud ceſſat.*

5 *Dictio, dictæ, & illorum, in priuilegio appoſita eſt reſtrictiua ad rem, vel perſonam cui adijcitur.*

6.7 *Ciuitas, vel caſtrum deſtructum, & alio loco tranſlatum, retinet iura quæ antè habebat.*

8 *Priuilegio abutens, illud meretur amittere.*

9 *Priuilegij verba debent inſpici.*

## DECISIO CXVII.

In territorio oppidi de Sazedon Toletanæ Diœceſis eſt quidam terminus, ſeu diſtrictus 1.

vulgo dictus *del Biſpo*, in cuius ferè medio ſita eſt ſola Eccleſia parochialis S. Bartholomæi de Sazedon cum ſatis Parochianorum numero, quę vigore ſynodalis conſtitutionis prætendit ſibi deberi nouenam partem decimarum, quæ cuilibet Eccleſiæ Parochiali in eo Archiepiſcopatu eſt attributa pro fabricæ reparatione, ornamentis & aliis ad cultum diuinum neceſſariis, quam nouenam partem œconomi pro tempore deputati pro fabricis Eccleſiarum, percipere conſueuerunt.

Ex aduerſo Portionarij Eccleſiæ Toletanæ (quibus Nicolaus V. indulſit nouenam partem decimarum Eccleſiarum depopulatorum Archiepiſcopatus) cùm à certo tempore nouenam partem decimarum in termino del Biſpo collectarum perceperint, eam ſibi deberi prætendunt; ſuper quo cùm eſſet in partibus litigatum in conſilio gubernationis Archiepiſcopatus, anno 1571. iidem Portionarij ſententiam fauorabilem obtinuerunt, quam ad fauorem Eccleſiæ de Sazedon pronuntians, iudex à Nuntio Apoſtolico delegatus reuocauit. Cauſa poſtmodum introducta in Rota dubitaui, an conſtaret de bono iure Eccleſiæ Parochialis de Sazedon ſuper decimis, de quibus agitur, ita vt nouena pars earum pertineat ad ipſam, vel potiùs ad Portionarios Toletan.

2. Et Domini, excepto capite præſcriptionis, in cæteris ſteterunt pro dicta Eccleſia de Sazedon: nam cùm Parochiam habeat, & parochianos, quibus Sacramenta adminiſtrat, & in termino del Biſpo incolæ de Sazedon agros colant, vt ſua animalia paſcant, (vt primus, quintus, ſextus & alij teſtes ſuper ſexto articulo conformiter teſtificantur) Eccleſia ſuper omnibus decimis habet intentionem * fundatam. *cap. quoniam, & cap. cùm ſint homines, de decimis.* S. Thomas 2.2. *quæſt.*87.*art.*3. habebit quoque in primis nouenam partem pro fabrica, iuxta ſynodalem conſtitutionem, (quam ſæpe Rota approbauit) licèt
3. portionem fabricæ minuat quæ de iure deberet eſſe quarta. *cap. quatuor.* 12.*q.*2.

* adde Coc. dec.16.n.1.& 55.num 8. & 188.n.1. Rota in recen. p.1.dec.178.

Priuilegium Nicolai V. quòd loquatur de Eccleſiis locorum depopulatorum, non ſuffragatur Portionariis, cùm expreſsè contineat, quòd ſi aliqua ex dictis locis ad habitationem reductorum, protinus applicatio ceſſet, & fructus, redditus & iura locorum ad habitationem reductorum, ad illarum Eccleſiarum fabricas integrè redeant, quod abſque expreſſione factum etiam intelligeretur, cùm de iure priuilegij, cauſa ceſ-
4. ſante priuilegium ceſſare debeat. *l. athleta.* §. 1. ibi, *quòd in præſidatu ſunt, & l. Geometræ,* ibi, *quo ad curam gerunt, de excuſat. tut.* latè Tiraquellus *tractat. Ceſſante cauſa, parte* 1. *num.* 210. *& ſeq.*

Nec refert quòd cùm Eccleſia del Biſpo fuerit deſtructa, nec vnquam hactenus in eodemmet loco alia fuerit reædificata, priuilegium non videatur ceſſare, cuius verba (vt conſiderant informantes pro Portionariis) velle videntur neceſſe eſſe ad hoc vt priuilegium ceſſet, vt eademmet loca ad habitationem reducantur, & eædem Eccleſiæ depopulatæ reædificentur, cùm
5. illæ dictiones in priuilegio Nicolai poſitæ, *dictis, & illarum*, ſint reſtrictiuæ ad rem, vel perſonam cui adiiciuntur. * *l. ille, aut ille. ff. de legat.* 3. Ripa *in leg. filiusfamilias.* §. *Diui, num.*111. *ff. de legat.*3. Aymon *conſil.* 98. *num.* 6. & 8.

* hæc dictio eſt repetitiua & reſtrictiua præcedentium. Seraphin. dec. 584.n.8. Ludouiſ. deciſ. 495.n.7.

Quia fuit dictum ſatis eſſe reædificari Eccleſiam intra eoſdem limites, ſeu diſtrictum, nec oportere, vt in eodemmet loco, in quo erat antiqua deſtructa, ſeu depopulata, renouetur, vt 6. fuit deciſum in illa Toletana fructuum de Bagas die 1. Iulij 1587. coram R.P.D. Pamphilio: nam cùm in Eccleſia alibi de nouo ædificata adminiſtrentur Sacramenta, * quæ in antiqua ſi adeſſet, miniſtranda forent, ſatis dicitur ſubrogata in locum antiquæ, & propterea prouidendum eſſe illi de bonis Eccleſiæ antiquæ, * *ad c. ad audientiam*, cum *ibi* notatis *de Eccleſ. ædificand.* Et per Lapum *allegatione* 66.*num.*5. confert Communis illa Doctorum ſententia dicentium, quòd ciuitas, vel caſtrum deſtructum, & alio loco tranſlatum retinet iura quæ antea habebat. Innocentius *in cap.*2. *de operis noui nunt.* gloſſ. *in cap. priuilegium, de regul. iur. lib.*6. Alexand. *conſ.*43. incip. *De celeberrima expeditione, n.*2. *verſ. præterea dicit Innocentius.* Bellonus *conſ.*1.

* vide infrà dec.867.n.4.

* Eccleſia noua ſubrogata in locū antiquæ debet aſſumere omnes illius qualitates. Ludouiſ.dec. 463.n.3.

Conſiderabatur etiam ex alio capite priuilegium Nicolai Portionariis non ſuffragari, quia ipſi vigore illius Eccleſias, quæ integro, & ſufficienti lapide, ſeu ligneo ædificio manebant, in eodem ſtatu, vel meliori conſeruare tenebantur, quod cùm non doceant, ſe feciſſe in illa del Biſpo (quam deſtructam fuiſſe contendunt) tanquam abuſi priuilegio, illud merentur amittere. *cap. tuarum.* §. *verum quia, de priuileg. cap. priuilegium* 11. *quæſt.*3. maximè quia priuilegium Nicolai V. (cuius verba inſpici debent, *cap. porrò, de priuileg.*) non loquitur de Eccleſiis deſtructis, ſed de depopulatis. 8.

An autem præſcriptio quadragenaria Portionariis ſuffragetur, Domini particulariter videndum cenſuerunt. 9.

---

## *Panormitana Archidiaconatus.*

### Veneris 15. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Manuteneri debet poſſidens tempore motæ litis.*
3 *Executor cum clauſula*, vocatis vocandis, *gerit vices Ordinarij, & debet procedere ſeruatis ſeruandis.*
4 *A ſententia executoris cum clauſula*, ſeruatis ſeruandis, *datur appellatio, & debet procedere ſeruatis ſeruandis.*
5 *Executor litterarum Apoſtolicarum, & cognitor cauſæ, non debet procedere ad collationem non vocato poſſeſſore, & auditis eius defenſionibus.*
6 *Clauſula* contradictores, *appellatione poſtpoſita compeſcendo reſpicit contradictores de facto, non verò de iure.*
7 *Confeſſio extraiudicialis de iure Canonico plenè probat.*
8 *Qua debet ſaltem probari per duos teſtes.*
9 *Poſſeſſio non amittitur niſi probetur poſſeſſorem habuiſſe animum verum, vel fictum amittendi eam.*

DECI



## *DECISIO CXVIII.

* habetur præſens dec. in impreſſ. penes Marcheſ. de cōmiſſ.p.1.pag. 961. & p.2. pag.491. † ſuprà dec. 89.

DVbitaui an mandatum de manutenendo aliàs Domino Pellicano conceſſum, † foret ſibi relaxandum. Et Domini tenuerunt, pro relaxatione, & Pellicanum manutenendum, quia conſtabat illum poſſediſſe tempore * mo-
1. tæ litis, & paulo antea, *l.*1.*ff. vti poſſidet.* §. *retinendæ, Inſtit. de interdict.*
2. Non obſtat quòd Limbruneta fuerit miſſus in poſſeſſionem ab executore litterarum Apoſtolicarum, in quibus adeſt clauſula, *appellatione* †*remota.* Nam Domini conſiderabant illum iudicem fuiſſe datum ad prouidendum in forma Dignum, cum clauſula, *vocatis vocandis*, quo caſu nō eſt merus executor, ſed induere debet perſonā iudicis ordinarij, & procedere ſeruatis * ſeruandis, à cuius proceſſu datur appellatio etiam ſuſpenſiua. *cap. exhibita, de iudic.* Oldradus *conſil.* 227. incip. *De toto themate.* Zabarella *conſ.*63. incip. *Dico quòd Dominus Plebanus.* & fuit deciſum in cauſa Piſcien. Capellaniæ 21. Februarij 1578. coram Domino Aldobrandino, & in alia Mediolanen. Parochialis de menſe Martij 1588. coram Domino Plato.

* manutentio non datur illi qui non poſſidet tēpore motæ litis, licèt aliàs poſſederit. Cocc. dec. 52. n.4. Caual. dec. 209. n. 1. & 418 n.1. Duran. dec. 21. & 46. & 159. n.1. & eſt admiſſa cōcluſio Rotæ.

3. Et ex quo iudex datus vigore litterarum
4. Apoſtolicarum Limbrunetæ digno reperto de
5. Archidiaconatu prouidere tenebatur, apparet illum non fuiſſe merum executorem gratiæ iam factæ, ſed potiùs cognitorem gratiæ faciendæ, & ideo non potuiſſe de beneficio prouidere, niſi præmiſſa cauſæ cognitione, & vocato poſſeſſore, eiuſque defenſionibus auditis contra impetrantem. Vnde iſto ordine omiſſo irrita eſt eius collatio. Oldradus *dicto conſ.*227. *num.*3. *verſ. ad iſtud reſpondetur dupliciter.* & Pellicanus venit manutenendus.

† quid operetur vide Ludouiſ.dec. 91.n.10.

* adde Duran dec.138. n. 6. tom. 1. nam idē operatur clauſula, ſeruatis ſeruandis, ac vocatis vocandis idem Duran.deciſ. 248. n. 6. & 254.n.1.& 2. & de hoc articulo vidēda eſt deciſ. 69. Ludouiſ. n.4. & ibi additio n. 10. refert, aliquando in Rota cōtrarium fuiſſe iudicatum, vt per Rotā dec.558.p.1. recen. & dec. 225 n. 3. & vide infrà dec 473.n.3. & 4.

Clauſula, *contradictores appellatione poſtpoſita compeſcendo*, reſpicit tantùm † contradictores de facto, non autem via iuris defendentes. Zabarella *in Clement. quia contingit.* §. *contradictores, de religioſ. domib.* gloſſ. *in cap. pro illorum, in verb. contradictores, de præbend.* vbi Abbas *num.*9. Ancharranus *num.*13. Ioannes Andreas *num.*10. & Felinus *in cap. ſuper eo, in ſecunda fallent. num.*5. *verſ. & cum iſtis eſt dictum. de officio delegat.* & ita fuit in terminis reſolutum in illa Mediolanen. Parochialis de menſe Martij 1588. coram R. P. D. Plato.

Confeſſio extraiudicialis Pellicani, per quam Limbruneta conabatur oſtendere illum ſe habuiſſe pro ſpoliato, licèt de iure Canonico plenè probet. * Puteus *deciſ.*11. incip. *Die* 27. *Aprilis, num.*3. *& deciſ.*52. incip. *Fuit reſolutum, lib.*2. quia tamen ſolùm erat probata per teſtes ſingulares, non nocet Pellicano: quoniam debuit, (vt
6. de æquitate Canonica probet) per duos teſtes
7. probari. † Albericus *in l. ſi in cautione, in fine. C. de non numerata pecunia.* tenet Rota, vt per Puteum *deciſ.* 476. incip. *Confeſſio, vt plenè probetur, lib.*2.

† adde Caual.dec.283. n.1. Seraph. 1471.num.3. Coccin. dec. 366. n. 4. & 407.n.5.

Præter ſingularitatem, teſtes viſi ſunt etiam Dominis in dicto inſufficientes, primus aliquando iſtā cauſam ſolicitauit, curauitque ſubſcribi
8. cedulam ſuper eo quod teſtes deponere deberent, (vt dicit ſecundus.) Denique illud ſatis curioſè & exquiſitè viſum eſt, quòd dixerit, ſe vidiſſe Pellicanum ambulantem, ac intra ſe dicentem, quòd fuerat ſpoliatus, & Archidiaconatu priuatus.

Secundus teſtis nil de ſpolio affirmare audet, ſed hoc ſolùm quòd Pellicanus ſibi narrauit, in partibus latam contra ſe ſententiam, per quam extitit Archidiaconatu priuatus.

Tertij teſtis dictum ex deductis per informantes, pro Pellicano videbatur inueriſimile, & licèt dicat audiuiſſe Pellicanum dicentem ſe ſpoliatum de facto. Domini iuxta mentem, & intentionem Pellicani proferentis, eius verba intelligenda potiùs eſſe dixerunt de turbatione ſibi illata, quàm de ſpolio, præſertim cùm in iudicio ageret pro obtinendo mandato de manutenendo.

Quod attinet ad ſupplicem libellum, ſiue memoriale quod per Pellicanum dicitur S. D. N. porrectum, in quo ſe fatetur ſpoliatum, ex multis non fuit habitum in conſideratione, neque apparebat à Pellicano ſubſcriptum.

Cætera quæ cumulabantur pro parte Limbrunetæ, quia petitorium reſpiciebant, conſultò in aliud tempus reiecta ſunt.

Cùm ergo deducta ex aduerſo non concluderent Pellicanum pro ſpoliato * ſe habuiſſe, 9.
& poſſeſſio non perdatur, niſi probetur poſſeſſorem habuiſſe animum verum, vel fictum remittendi poſſeſſionem, *l.*3.§.*in amittenda.ff. de acquirend. poſſeſſ.* Ægidius *deciſ.*668. incip. *Obedientia vaſallorum*, manutenendus fuit.

* adde Caual.deciſ.86. n.2. & 3. & Coccin. dec. 380. n.4. & 490. n.3. & Seraph. dec. 1386. num.2. Duran. deciſ. 138.n.5.

* adde Coc. 170. n.10. Duran.dec.288.n.1. tom.1. & Ludou. dec 408. n.2. Rota in recen. p.1.dec.158.n.11. & 404.p.3.n.2.

† adde Caual.dec.492.num.6. & Manti.dec.179.n.6. Rota in recen. p.1.dec.108.n.7. & dec.664.n.6. p.2. & idem eſt in noſtro Regno licèt de iure ciuili aliter caueatur, noſter Seſſe dec.218.n.19.tom.2.

---

## *Burgen. Abbatiæ de Sobarzo.*

### Die Veneris 15. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Iudicis admiſſio articulorum, vna expreſſa, & alia tacita, licèt in tacita non ſit interlocutus, ſufficit ad valorem.*
3 *Admiſſio, vel repulſio articulorum, licèt non fuerit à iudice interlocuta ex quo teſtes ſuper illis examinantur, tacitè admittit, & valet.*
4 *Verba generaliter prolata etiam ad antecedentia intelligi debent, quando intentio iudicis id ſuadet, n.*5.
6 *Iudex committendo Notario receptionem teſtium transfert in eo iuriſdictionem ad illum effectum.*
7 *Teſtium pro examine ſufficit partem habere notitiam loci examinis.*
8 *Citatio ad videndum iurare teſtes, non eſt neceſſaria, quando fuit notificata partibus admiſſio ad faciendas probationes.*
9 *Examen teſtium ſine interrogatoriis, non vitiatur quando pars contra quam fit examen, non dat ea.*

## DECISIO CXIX.

IVdex in hac cauſa Lucam de S. Petro, & Petrum Velez coram ſe in partibus litigantes admiſit ad probandum die 1. Octobris 1586. & die 2. eiuſdem, Petrus cedulam articulorum ob-

tulit;

tulit, quam iudex admiſit, & die 3. mox ſequenti Notario commiſit teſtium examen ſuper cedula articulorum coram eo præſentata.

Die 10. Decembris eiuſdem anni, idem Petrus quoſdam articulos additionales præſentauit: & iudex ſine nouæ admiſſionis decreto, & ſine noua commiſſione facta receptori quòd ſuper illis teſtes examinaret, illorum copiam Lucæ dari mandauit.

Prætendebat Lucas examen teſtium ſuper articulis additionalibus fuiſſe nullum ex multis, primò, quia iudex non decreuit illos admitti, ſed ſolùm illorum copiam Lucæ fieri.

Secundò, quia commiſſio primo loco data Notario erat reſtricta & limitata ad examinandum teſtes ſuper cedula articulorum tunc præſentata, quæ non videbatur poſſe comprehendere illos additionales nondum præſentatos, nec iudici cognitos, nec fortaſſis cogitatos.

Tertiò, quia Notarius non habuit nouam commiſſionem examinandi teſtes ſuper illis, & ſic carebat iuriſdictione.

Quartò, quia commiſſio examinis fuit generalis pro quibuſuis partibus, & locis Archiepiſcopatus, & quando fuit intimata commiſſio examinis Procurator Lucæ Burgis exiſtenti, non fuit ſpecificatus locus, in quo erant teſtes examinandi.

Poſtremò, quia Procurator Lucæ fuit proteſtatus nil fieri niſi citato ſuo principali, nec tamen de citatione Lucæ, & ad videndum iurare teſtes apparet.

Bis propoſui iſtam cauſam, die 11. Maij, & 15. Iunij, & in prima poſitione aliqui ex Dominis tenebant pro nullitate examinis, aliqui pro validitate.

In ſecunda tamen, vno tantùm reſponſali excepto, cæteri tenuerunt pro validitate examinis.

2. Dixerunt non obſtare primum; ratio fuit, quia cùm duplex ſit admiſſio vna, & altera tacita, licèt iudex expreſsè non fuerit interlocutus ſuper admiſſione articulorum, ex quo tamen illorum copiam Lucæ dari mandauit, tacitè illos admiſiſſe cenſetur, quod ſufficit. Rota *deciſ.* 12. *de probat. in nouis, & deciſ.* 10. *de except. in antiq.*
3. in quibus dicitur quòd licèt in partibus iudices ſuper admiſſione, vel repulſione articulorum non interloquantur, ex quo teſtes ſuper illis examinant, tacitè ſaltem articulos admittunt, ſic licèt in Curia expreſſa admiſſio fieri ſoleat, non tamen excluditur tacita.

4. Non obſtat ſecundum, quia iudex recipiendo iſtos articulos tanquam additionales, & velut conſequentes primos, non tanquam penitus nouos, cenſetur noluiſſe receptorem potuiſſe examinare teſtes ſuper illis, tum ne admiſſio eorum inanis eſſe videatur: tum præterea, quia cùm verba primi decreti, nempe *ſuper cedula articulorum præſentata*, non ſint adeò euidentia, vt articulos præſentandos (præſertim ante examen) penitus excludant, cùm fuerint prolata reſpectu
5. examinis in futurum faciendi, & tam primi, quàm iſti ſecundi, articuli additionales, fuerint præſentati, & à iudice admiſſi ante examen, * generaliter intelligantur de articulis, qui tempore examinis faciendi, erunt præſentati: nam & intentio iudicis articulos admittentis, & ratio ſuſtinendi actus ſuadent ſic tempus illum præteritum exponi poſſe, *l. talis ſcriptura, in fine, & l ſeq. ff. de legat.* 1. *c. ne aliqui, de priuileg. lib.* 6. vbi Ioann. Andreas paulo poſt principium. Ancharan. *notab.* 1. Gemin. *n.* 3. Francus *notab. vlt.* Bart. *in l. illicitas, in princip. ff. de offic. præſid.* Felin. *in cap. fin. n.* 2. *in* 3. *ampliatione, de conſtitut.*

*verba enim quantumuis generalia intelligenda ſunt ſecundùm ſubiectam materiam & intétionem proferétis. Coc. deciſ. 144. n. 14. Caualer. dec 199. n. 7. Ludouiſ. dec. 511. num. 23. Duran. deciſ. 82 à n. 23. & ſequent.

Non obſtat tertium de defectu iuriſdictionis receptoris, quia ex quo iudex ſaltem tacitè articulos admiſit, & illorum copia à Notario cauſæ ſubſcripta, ad receptorem tranſmiſſa fuit, iuriſdictio vigore primæ commiſſionis receptori attributa ad iſtos additionales pertinere videtur, præſertim cùm tempore examinis, & iuramentorum teſtium vigore primorum articulorum facien. iam eſſent præſentati iſti articuli additionales. 6.

Quartum de non notificato loco examinis tollitur ex præſentia partis in loco examinis: 7. Lucas enim die 24. Decemb. conſenſit teſtes etiam in diebus feriatis examinari: nam pro intimatione ſufficit, quòd pars potuerit habere * notitiam loci examinis, vt fuit deciſum in vna Legionen. S. Facundi coram Domino Pamphilio de anno præſenti.

*notitia examinis ſufficit. Rota recen. p. 2. dec. 686. n. 1. & quoties notitiam habet pars, non eſt neceſſaria citatio, vt per Ludouiſ. dec. 127. & ibi latè additio. Rota recen. p. 3. deciſ. 93. quæ eſt eadé Ludou. Coc. dec. 10. n. 3.

Poſtremò de defectu citationis ceſſat: quia fuit citatus Procurator Lucæ: & reſpectu iſtorum articulorum additionalium cùm iudex die 10. Decemb. 1586. mandauit dari copiam parti, id fuit coram Notario, & teſtibus intimatum Procuratoribus partium præſentibus, † ſicut tollitur etiam defectus citationis ad videndum iurare teſtes, quia ſufficit citatio * quando fuit notificata partibus admiſſio ad faciendas probationes, vt fuit deciſum in vna Calaguritana oblationum coram D. Comitolo, & in alia Toletan. decimarum † de Sazedon coram me de anno præſenti. 8.

Leue eſt quod etiam obiiciebatur de examine teſtium ſuper articulis additionalibus facto ſine interrogatoris, quia neque etiam ſuper primis articulis fuerant data interrogatoria; nec vitiatur examen ſine interrogatoriis factum quando pars contra quam ſit examen, non dat interrogatoria, * vt fuit dictum in vna Camerinenſ. bonorum coram me 20. † Martij 1589. 9.

† Caual. dec. 117. n. 1. Ludouiſ. deciſ. 576. n. 2 Cocin. dec. 216. n. 23.

* etiamſi ſit ad totã cauſam. Rota diuer. p. 1. dec. 514. n. 7. & p. 2. dec. 259. n. 8.

† ſuprà deciſ 84.

* & etiamſi dederit pars interrogatoria ſi non reclamat & proteſtat, valet examen. Coccin. dec. 176. n. 2. Ludou dec. 331. vbi latè additio de hoc art. n. 22.

† ſuprà dec. 15. n. 5.

* ſuprà dec. 32.

Dixerunt tamen Domini concedendum Lucæ, ſine retardatione vlterioris proceſſus, vt teſtes iſtos ſuper articulis additionalibus, examinatos repetere poſſit cum interrogatoriis, aut ſine illis (prout ſibi placuerit) quia non videntur ex omni parte integri: nam cùm Lucas habeat pluſquam 18. teſtes ſuper tertio articulo additionali conformiter deponentes ius præſentandi ad iſtam Abbatiam, nullis aliis familiis competere, quàm contentis in deciſione facta in huiuſmodi cauſa 16. Iunij 1589. * de quorum numero non eſt iſta de la Riba, quatuor ſolùm teſtes pro Petro Velez examinati, nempe Franciſcus de la Sota 12. & Franciſcus de Arzillero 16. ambo ex oppido de Villaneua, & Garcia Nauarrus 18. & Ioannes de Zauallos 19. teſtes ambo ex oppido de Obregon, tum ætate minores teſtibus Lucæ, tum exteri ab oppido de Sobarzo, ſuper ſecundo articulo additionali, non verentur dicere ius præſentandi pertinere ad familiam de la Riua.

Spoletana



## *Spoletana bonorum.*

### Die Lunæ 18. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2.3 *Veniens tertius ad cauſam poteſt agere petitorio, nec ei obſtat ſuſpenſio, ſi non ſpoliauit, nec ſpoliari mandauit.*
*Petitorio poteſt agere tertius veniens ad cauſam, nec ei obſtabit ſuſpenſio ſi non ſpoliauit, nec ſpoliari mandauit, n.* 7. *&* 8.
4 *Poſſeſſorij priuilegium in odium ſpoliantis, vel mandantis, perdit qui ſpoliauit.*
5 *Veniens ad cauſam admittitur in ſtatu in quo reperitur proceſſus.*
*quod intellige vt n.* 6. *&* 7.

## DECISIO CXX.

1.

Hæc deciſio habetur in impreſſis Farinacij tõ. 1. dec. 22. & vide ſuprà dec. 55. & quę ibi annotaui, & infrà deciſ. 122.

IN iudicio ſpolij, quod D. Abbas Ancharanus intentauit contra communitatem Spoleti ſuper terris Couigni, Rigoueti, & Petani, quas ad Eccleſiam S. Petri de Ferentillo pertinere prætendebat, petitorium ſuſpenderat: Capitulum Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. quod per ſpeciale ſuæ Sanctitatis reſcriptum tanquam tertium fuit admiſſum ad cauſam pro ſuo intereſſe; dedit articulos maiori ex parte petitorium concernentes, & ſuper eis teſtes examinari petebat, dubitaui, An ſtante ſuſpenſione petitorij pro parte Abbatis Ancharani eſſent tales articuli admittendi.

2.

* vide infrà deciſ. 122. & Rotã diuerſo. dec. 201. p. 2. & 348. n. 3. p. 1.

3. Domini firmarunt regulam affirmatiuam, quòd tertius veniens ad cauſam poteſt agere petitorio, nec ei obſtat ſuſpenſio ſi non ſpoliauit, nec ſpoliari mandauit, * Rota *deciſ.* 3. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet. in nouis.* Mohedanus *deciſ.* 214. incip. *Columbrien. ſpolij, num.* 2. Felinus *in cap. cùm ſuper, num.* 17. *verſ. ſcias etiam, de ſentent. & re iudic.* nam cùm priuilegium poſſeſſorij ſit inductum in odium ſpoliantis, vel mandantis, *cap. fin. de ordine cognit. cap. cùm ad ſedem, de reſtit. ſpoliat.* non debet afficere tertium † non ſpoliantem, nec ſpoliare mandantem, cùm pœnæ ſuos auctores tenere debeant, *cap.* 1. *de cenſib.* cum vulgaribus.

† & ideo cõpetit mihi actio ſpolij ex facto iudicis malè auferentis poſſeſſionẽ. Coccin. dec. 225. n. 8. & adde Ludou. dec. 336. n. 9. & 525. n. 1. Duran. deciſ. 7. num. 17. & dec. 37. n. 5. & 89. n. 3. to. 1. & 454. n. 1. tom. 2.

4. Non obſtat quòd prætenditur Capitulum veniſſe ad cauſam poſt ſuſpenſionem petitorij, in ſtatu & terminis, quo caſu non auditur in petitorio. * Verallus *deciſ.* 224. in manuſcriptis.

5.

6. Quia Capitulum principaliter quoque commiſit cauſam ſuper ſpolio, & venit vigore ſuæ commiſſionis, & non clauſulæ generalis: quo caſu non arctatur ad ſtatum cauſæ cum ſuis qualitatibus. Caſſador. *deciſ.* 1. *de except.*

* diſtinctio datur an tertius veniat adhęrẽdo vel inchoando. in 1. caſu venire debet in ſtatu in quo reperitur proceſſus; in 2. verò prout voluerit. Cocin. dec. 144. n. 18. Ludou. dec. 303. n. 2. & 3.

Propoſitam regulam dixerunt Domini non procedere quando ius tertij ad cauſam venientis eſſet connexum cum iure ſpoliantis: nam licèt Abbas *in cap.* 2. *de ordine cognit.* & aliquot alij, quos refert Gabriel *tit. de reſtit. ſpoliat. conſ.* 1. *num.* 47. *verſ. contrarium*, aliud tenuerint, plures tamen Doctores & maiori auctoritate fulgentes rectiùs ſentiunt ſtante ſuſpenſione petitorij tertium ſuper proprietate non audire, ſi eius ius connexum ſit cum iure † ſpoliantis. Innocentius *in cap. veniens, de ſponſalib.* Imola *in dicto cap. in litteris, de reſtit. ſpoliat.* Felin. *in cap. ſuper eo, n.* 3. *de offic. delegat. & in cap. exceptionem, num.* 25. *verſ. niſi ius tertij, de except.* Guido Papæ *ſingulari* 276. incip. *Spoliatus poſſeſſione*, & alij relati per Gabriel *in loco proximè citato*, & hanc opinionem tenuerunt Domini de Rota 2. Decemb. 1587. in vna Placentin. ſeu Bobien. bonorum coram D. Seraphino. *

7.

† regula eſt quòd tertius non atteſtat, nec ſpoliat, ſed fallit quando tertius habet cauſã à parte quæ eſt in lite Ludouiſ. dec. 14. n. 6. & vide dec. 23. n. 3. p. 1. recen. & dec. 293. n. 10.

* habetur in impreſſis Seraphin. dec. 804. n. 1. & 2.

Et ideo Domini ordinarunt quòd particulariter videretur, an ius Capituli S. Ioannis Lateranen. eſſet connexum cum iure ciuitatis Spoletan. quæ prætenditur ſpoliatrix.

## *Toletan. tributi.*

### Die Veneris 22. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

2 *Venditoris ſola aſſertio dicentis rem venditam eſſe grauatam cenſu, non probat cenſum impoſitum.*
*quod intellige, vt num.* 3.
4 *Recognoſcens cenſum probat eſſe impoſitum.*
5 *Recognitio, vel inſtrumentum locationis non probat dominium quando agitur actione reali.*
6 *Dominium non probatur contra tertium poſſeſſorem per inſtrumentum recognitionis ſi agatur actione perſonali.*
7.8 *Confeſſio vnius non debet alteri tertio nocere, ſed tantum ei & ſuis ſucceſſoribus*
9.10 *Recognitio non probat dominium contra recognoſcentem, ſi oſtendatur erronea.*
11 *Negatiua debet probari ab eo qui eam allegauit.*

## DECISIO CXXI.

DIdacus de Torres anno 1572. ſuo & ſuorum fratrum nomine Ioanni Baptiſtæ Velez Canonico Toletan. quaſdam domos & terras ſitas in loco de Burguillos vendidit, cum expreſſione quòd erant tributariæ, & cenſuales Ioanni de Sancto Petro patri Didaci de Palma in 136. morapetinis in emphyteoſim perpetuam, cuius cenſus tempore contractus, Velez notitiam habuit, & inſtrumentum recognitionis opportunum de illo ſine vlla exceptione ſoluendo Ioanni de Sancto Petro de Palma die 14. Auguſti eiuſdem anni 1572. fecit. 1.

Sed quoniam poſtea D. Velez præfatum cenſum ſoluere recuſauit, iudex in partibus contra illum mandatum executiuum decreuit, & cauſa commiſſa in Rota D. Oranus ann. 1586. cognita re, contra Velez pronuntiauit; & in gradu appellationis coram me, quia Procuratores D. Ioannis Baptiſtæ Velez, proponebant non conſtare Ioannem Suarez de Strada (à quo de anno 1554. Ioannes de S. Petro de Palma cenſum emerat) eundem cenſum poſſediſſe, illos audiui ſuper eiſdem.

Et Domini cenſuerunt ſtandum in deciſis, & propterea Ioannem Baptiſtam Velez teneri ad ſolutionem præfati tributi, cùm enim in inſtrumento recognitionis Velez nedum recognouerit in D. Ioann. de S. Petro de Palma, patrem & auctorem Didaci de Palma, ſed etiam obligaue-

rit

rit ſe & ſuos hæredes, & ſucceſſores ad ſoluendum præfatum cenſum 136. morapetinorum,& duarum gallinarum D. Ioanni de Sancto Petro de Palma eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus, contra Velez poteſt agi actione perſonali,vt adimpleat quod promiſit.

2. Nec obſtat quòd ſola aſſertio venditoris dicentis rem venditam eſſe grauatam cenſu, non probat * cenſum impoſitum, *l. fundum. ff. de actio.empt.* Speculat. *de locato.§.nunc aliqua.* Guido Papæ *deciſ.*24.

* adde Ludouiſ. deciſ. 257. n.10. ſicut nec cõfeſſio nõ ſoluti canonis poteſt preiudicare domino vtili ſi ſit à tertio facta. Manti. dec.373 n.4.

Quia id eſt verum, quando adeſt ſola & ſimplex aſſertio venditoris, ſed hîc præter aſſertionem vendentis, adeſt recognitio emptoris, quæ duo ſimul ſufficienter probant cenſum contra recognoſcentem, & eius ſucceſſorem, vel habentem cauſam ab eo,vt bene concludit Guido Papæ *deciſ.* 272. incip. *Vtrùm dominium, num.*2.
3. *verſ. ſed præmiſſis non obſtantibus.* nam ex reco-
4. gnitione emptoris inducitur probatio dominij * rei, & cenſus debiti. Guilielmus Benedictus *in cap. Raynutius, de teſtament. in verb. & vxorem nomine Adelaſiam n.*445.*& ſeqq.*

* adde Seraphin. deciſ. 1187. n.4. Caual. deciſ. 257.n.2. latè de hoc art. agit noſter Seſſe deciſ. 190. tom. 2. n. 32. cum ſeq.

Eandem opinionem quam profitetur Alexander *conſ.*12.incip.*Viſo proceſſu,num.*4.*lib.*4. vbi ait per recognitionem, ſeu inſtrumentum locationis † non probari dominium, quando agitur actione reali; Domini dixerunt non applicari ad caſum propoſitum, cùm Alexander loquatur
5. quando agitur actione reali contra tertium poſſeſſorem,non autem contra illum, qui recognouit, vel eius ſucceſſorem, qui habet cauſam ab eo.

† vide Rotã diuerſ. lib.3. p.3 dec.467. n 5.& 6.

Eodem modo accipienda eſt doctrina Ripæ
6. *in l. ſi aliquam rem, n.*40.*ff. de acquiren.poſſeſſ.* nam loquitur de intentante actionem perſonalem contra tertium poſſeſſorem,quo caſu per inſtrumentum recognitionis non probatur dominium: quia confeſſio vnius non debet alteri nocere, * *c.1.de confeſſ.l.nam & poſtea.§.fin. ff.de iureiurand.* Secus autem erit ſi agatur contra recognoſcentem, quia eius confeſſio ei ſuiſque ſucceſſoribus † nocebit, quod ſignificantiùs expreſſit *ibidem* Ripa *num.* 42. vbi quaſi ſeipſum explicans ait: intellige vt non probet contra
7. tertium, non habentem cauſam à recognoſcen-
8. te, aliàs in caſibus, in quibus recognitio probat dominium contra recognoſcentem, in eiſdem caſibus probabit contra tertium poſſeſſorem habentem cauſam ab ipſo recognoſcente; multo ergo magis probabit in caſu propoſito contra ipſummet recognoſcentem.

* adde Rotã recen. p. 2. dec.555.n 7. ſicut nec ceſſatio ſolutionis facta per tertium poteſt nocere vero domino vtili. Seſſe dec.35. n.19. tom.1.

† ſucceſſoribus hæreditariis nocet confeſſio defuncti, ſed non aliis. Coccin. dec. 343.n 2.

Poſtremò non obſtat quòd recognitio non probat dominium contra recognoſcentem, ſi
9. oſtendatur erronea. * Aymon *conſ.*157.*num.*15. *verſ. tertiò reſpondeo.* de errore verò Ioannis Baptiſtæ Velez cenſum recognoſcentis conſtare ex ſcripturis ex aduerſo productis, quæ contra ipſum probant. *l.cum pretium. C.de liberali cauſa.* Aymon *conſil.*175. ex quibus apparet, quandam Beatricem cenſum hunc vendidiſſe cuidam Laurentio Suarez,vnde redditur incertum,Ioannem Suarez de Strada illum poſſediſſe.

* adde Coc. dec.305.n.3. Mantic. dec. 199. n.7. & poteſt reuocari confeſſio erronea facta coram iudice à quo, coram iudice ad quem, noſter. Seſſe dec. 38. n.7. tom.1.

Quoniam fragilis viſa fuit iſta probatio,cùm neceſſariò non inferatur, quòd Laurentius non vendiderit cenſum Ioanni de Strada auctori Di-
10. daci de Palma: & cùm onus probandi iſtam negatiuam incumbat Ioanni Baptiſtæ recognoſcenti, † non ſufficit probare per poſſibile, ſed quòd concludenter probet neceſſe eſt, *c. in præſentia,de probatio.* cum ſimilibus.

† quia negatiua debet probari ab eo qui ex ea nititur. Mantic. dec.230. n.6. Caual. dec.315.n.5.

Ex illis itaque placuit Dominis, probari,dominium cenſus eſſe illius, cui facta fuit recognitio, & ſolutio; & Ioannem Baptiſtam Velez teneri ad illius ſolutionem.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Mercurij 4. Iunij 1590.

SVMMARIVM.

4 *Spolians ſi ratione iuris tertij venientis ad cauſam poteſt aliquod commodum ſentire,dicitur habere ius connexum cum ſpoliante.*

5 *Veniens tertius ad cauſam habens ius connexum cum ſpoliante, non poteſt illud deducere ad impediendum ſpolium.*

6 *Coniecturis probari poſſunt ſuſpiciones.*

7 *Iudicium poſſeſſorium recuperandi non poteſt intentari ab eo qui habet illud connexum cum ſpoliante.*

## *DECISIO CXXII.

* hæc deciſio habetur in recẽ. to.1. dec.23.

DIe 18.Iunij præteriti † Domini in iſta cauſa firmarunt regulam cum limitatione
1. quòd tertius veniens ad cauſam poteſt agere petitorio,non obſtante eius ſuſpenſione, niſi ius tertij eſſet connexum cum iure ſpoliantis, & ideo nunc dubitaui,an ius Capituli Sancti Ioannis Lateranen. tanquam tertij venientis ad cauſam,ſit connexum cum iure communitatis Spo-
2. letan.ſpoliantis.

† ſuprà dec. 120. & vide quæ annotaui ſuprà dec. 55. & in dicta dec.120.

Et Dominis viſum fuit eſſe connexum: nam Capitulum vigore Bullæ productæ Bonifacij VIII. prætendit ad ſe ſpectare bona, de quibus agitur: communitas Spoletan. nititur Bullam Leonis X. confirmantis permutationem factam inter Franciſcum Cibum & Capitulum: vbi Franciſcus ceſſit Capitulo portam vrbis iuxta Eccleſiam Lateranen. & Capitulum viceuerſa ceſſit Franciſco bona Abbatis, habita à Bonifacio VIII.quæ communitas Spoleti habuiſſe prætendit ab hæredibus Franciſci.

3. Ex his infertur clara connexitas, quia cùm communitas ſpoliatrix,mediantibus illis de Cibo prætendat habere ius à Capitulo, non poteſt aliqua ſententia ferri pro Capitulo, quæ non proſit ciuitati ſpoliatrici; vnde intrat regula,
4. quòd quando ratione iuris tertij ſpolians poteſt ſentire aliquod commodum & vtilitatem,*tunc ius tertij dicitur eſſe connexum cum iure ſpoliantis, nec poteſt tertius veniens ad cauſam illud deducere in iudicium ad impediendam reſtitutionem. Antonius de Butrio *in cap. in litteris, num.* 23. *de reſtit. ſpoliat.* & *ibi* latè Beroius *num.*102.*verſ.vel dici poteſt, & num.*103. Ripa *in l. naturaliter.§. nil commune, num.*80. *ff. de acquirend. poſſeſſ.* Pontanus *tractat. de ſpol. lib.* 3. *num.*
5. 95. Menochius *de recuperand.remedio* 1. *quæſt.*33.
6. *num.*381.

* adde Rotam recen. deciſ.23.n 6. p.1. & ſuprà dec.120.n.7.

Non deerant præterea aliquot ſuſpiciones per informantes in facto deductæ; quibus Capitulum ciuitati ſpoliatrici colluſiuè fauere videretur; quæ & coniecturis probari † poſſunt. Menochius *citato loco.*

† adde Caual. dec.205. n.10.impreſſa in recen. p.1. dec.412. n.15. & p.3. dec.413.n.2. in fine.



7. Vnde cùm ius Capituli cum iure ſpoliantis connexum videatur, non poteſt Capitulum in petitorio concurrere cum Abbatia intentante iudicium poſſeſſionis recuperandæ,nec impedire quo minus reſtituatur, Beroius *in dicto cap.in litteris. num.* 102. *verſ. vel dici poteſt.* & ideo fuit ordinatum, vt reſecatis articulis petitorium concernentibus, productis pro parte Capituli, ſuper ſapientibus poſſeſſorium tantùm teſtes, quos valet producere, examinarentur, & ita factum fuit.

---

## *Romana fideicommiſſi vineæ.*

### Mercurij 4. Iulij 1590.

SVMMARIVM.

3 *Prohibitione facta alienandi res hæreditarias, ſi eæ alienantur,valet alienatio iuris rigore. Nec impedit dominij tranſlationem,n.*5.

4 *Alienandi prohibitione facta ſi alienentur res, valet alienatio, & transfert dominium ſtricto iuris rigore.*

6 *A regulis communibus non eſt recedendum, niſi in caſibus ſpecialiter expreſſis.*

7 *Regulæ ſtandum eſt donec de exceptione doceatur.*

8 *Regula ſequenda eſt, & ſecundùm eam pronunciandum, niſi contrarium probetur.*

10.11.12.13 *Hærede prohibito alienare, ſi alienauerit, & non ſit ſoluendo, an poſſit agi contra tertium poſſeſſorem ad rem vindicandam.*

14 *Doctor nullam rationem, vel legem allegans intelligendus eſt pro vt loquuntur Doctores quos citat.*

15 *Iudicis ſententia non dicitur iniuſta notoriè ſi fundetur in opinione alicuius Doctoris.*

16 *Sententia lata contra regulas iuris dicitur continere expreſſum iuris errorem,& ideo eſt nulla. quod intellige vt n.*17.

18 *Hæres adeundo hæreditatem tenetur ſeruare voluntatem teſtatoris.*

19 *Edictum Diui Adriani (de quo* in l. fin. C.de edicto Diui Adriani) *non poteſt intentari in bonis quæ teſtator tempore mortis non habebat.*

20 *Condictio triticaria (de qua* in l. 2. ff. de condictio. tritic.) *& condictio indebiti(de qua* in l. indebitè §. 1. ff. de condict.indeb.) *licèt competant ad poſſeſſionem, non tamen afficiunt ſingularem poſſeſſorem.*

21 *Actio hypothecaria(de qua* in l.1.C. communia de legat.) *non pro rebus hæredis, ſed teſtatoris datur.*

22 *Saluianum interdictum non habet locum in rebus hæredis.*

1. 
## DECISIO CXXIII.

* ſuprà dec. 106.

† habetur hæc dec.impreſſa per Paci. poſt tract. de Salui. inter. dec.179. licèt annotetur de anno 1598.

DIe 18. Maij proximè * præteriti, Domini † ordinarunt,vt ageretur de veritate limitationis Ripæ *in l.filiusfamilias.§.Diui. num.*49.*ff. de legat.* 1. & propterea videretur an Portia & ſorores de Alexiis in ſubſidium poſſent agere ad vineam, ex qua Horatius frater natu maior, (qui prohibitus alienare, eam alienauit) non
2. erat ſoluendo. Ac primum fuit conſideratum id quod in alia deciſione, * in iſta cauſa ſub die 20. Octobris 1589. Domini firmauerunt, nempe quòd licèt teſtator poſſit prohibere alienationem bonorum ipſius hæredis, ad textum *in l. vnum ex familia. §. ſi rem. ff de legat.*2. *& in l. ſi quis ita legatus. §.quod conſtitutum. ff.de manumiſ. teſtament.* ſi tamen contra talem prohibitionem bona hæredum alienentur, non impeditur dominij tranſlatio, * quamuis eo caſu prohibitus alienare ad pœnam, vel æſtimationem teneatur, vt voluerunt Barth. Ripa, & cæteri *in præfata deciſione allegati.*

* ſuprà dec. 51.

* de hoc art. vide dec.81. n.6.& 108.n. 2. apud Caual. vbi contrarium videtur deciſum,& habetur in recen. deciſ.295. & 268.p.3.

Atque hinc conſequitur firma concluſio quòd de ſtricta iuris ratione valet talis alienatio, † cùm ea prohibitio dominij tranſlationem non impediat. Donec ergo expreſſo aliquo iure demonſtratum fuerit, rem ipſam, cuius do-
3. minium tranſlatum fuit in emptorem, in ſubſidium (quia is qui alienauit non eſt ſoluendo) vindicare poſſe,alienatio ſuſtinebitur, cùm non ſit à regulis communibus recedendum, niſi in caſibus ſpecialiter expreſſis, & regulæ ſit ſtandum donec de exceptione * doceatur. *l. ab ea parte, ff. de probationib. l. ſuus quoque, verſ. puto generaliter ff.de hæredib.inſtituend. cap.ad decimas, de reſtit. ſpoliat. lib.* 6. Curtius ſenior *conſil.* 10. *num.*2.*&* 3. Iaſon *in l.à Diuo Pio,num.*1.*ff.de re iudic.* Natta *conſil.*199. incip. *Quamuis alias, n.*10. & niſi contrarium probetur,ſecundùm regulam pronuntiandum eſt, Decius *conſ.*142. incip. *Pro*
4. *tenui facultate,num.*4.

† ſed in fideicommiſſo reali contrarium ſuadetur ex Rota diuer.dec. 49. n. 54. & dec.110.n.5. p.2.&in prohibitione alienationis Seraph. dec. 321.n.11. & 785.n.6.

5. Hactenus verò non eſt oſtenſum quòd hæ-
6. rede alienante, exiſtente non ſoluendo, poſſit
7. in ſubſidium agi contra tertium poſſeſſorem
8. non obligatum, aut ad rem vindicandam ab emptore, † in quem fuit legitimè dominium tranſlatum:nec Doctores in contrarium allegati, quos Domini diligenter perpenderunt, probant eam ſententiam.

* adde Ludouiſ. deciſ. 182.n.1.Ricci.dec.Curiæ Archiepiſc. Neapol.107. n.2. & 138. n.1.p.2.

Primum enim allegatur Angelus *in l.* 1. *§. ſi hæredes,ff. ad ſenatuſconſult.Trebel.* qui tamen hoc non dicit.

9. Alexander *ibidem, num.*1.*verſ.& licèt hic,* non aſſerit ſimpliciter quòd quandocumque in ſubſidium poſſit agi contra tertium poſſeſſorem, ſed dicit *interdum* poſſe, ait enim ſic: *& licèt hîc ſit regula quòd actio perſonalis non ſequitur ſingularem poſſeſſorem fundi, tamen ſecundùm Angelum*
10. *fallit interdum in ſubſidium, vt infrà §. proximo, & notat plenè gloſſ. infrà eadem l. §.fin. in gloſſ. magna* Hæc ille, cùm dixit *interdum* poſſe in ſubſidium agi, id eſt, in caſibus à ſe adductis, apertè ſenſit regulam eſſe in contrarium: nec caſus de quo agitur reperitur expreſſus iam quomodo loquãtur iura per Alex. allegata declarat Ripa *in d.l.*1. *§.ſi hæres,n.*13.*in quarta fallentia,ff.ad Trebell.*

† vide Caual in d.dec. 108.& habetur in recen. p.2.dec.243. n.1.

Eodem modo loquitur Iaſon *in dicto §. ſi hæres,num.*8. vbi ſimiliter ait quòd dicta regula fal-
11. lit *interdum* in ſubſidium. Boërius *deciſ.* 204. *num.* 47. præfatam generalem regulam conſtituit, ſed non ponit exceptionem, quòd in ſub-
12. ſidium agi poſſit contra tertium poſſeſſorem. Alexand. *in l. Marcellus.§.res quæ,num.*4.*verſ.limitat etiam & tertiò. ff. ad Trebel.* præciſè loquitur in terminis *l.fin.§.fin.ff.de legat.*2.quam *num.*4.in principio allegauit ex mente Pauli de Caſtro *conſil.* 10. aliàs 94. *parte* 2. incip. *Clarum eſt,* limitat, niſi hæres, qui alienauit, non eſſet ſol-



 uendo

uendo pro reſtituendo pretio fideicommiſſario, tempore euenientis conditionis, quia tunc fideicommiſſarius præfertur emptori. Vnde apparet illum loqui in re ipſius teſtatoris alienari prohibita, quo caſu regnlariter dominium non transfertur, ex quo non licet inferre ad caſum diuerſum, quando res hæredis prohibetur alienari, in cuius alienatione dominium transfertur. Couaruu. *lib. 2. variarum reſolutionum, c. 3. n.* 10. loquitur de illo qui emit ab emptore, vt contra illum poſſit etiam agi ex remedio *l. de reſcinden. vend.* Vnde non facit ad caſum propoſitum, quinimo idem *ibidem concluſ. 2.* ſentit actionem ex præfata lege deſcendentem non competere, nec eſſe admittendam contra tertium poſſeſſorem, qui rem iuſto pretio, alióve ſimili titulo (nempe oneroſo) acquiſiuit, in quo potius facit pro Ioanne Cauarto, quàm contra illum.

13. Menochius *conſil.* 63. incip. *Dubitationem habet, num. 22. & 23. lib. 1.* reiecta opinione Ripæ *in dicta l. 1. §. ſi hæres, num. 13. ff. ad Trebel.* ſimpliciter ſequitur Angelum, Alexandrum, & Iaſonem *in dicto §. ſi hæres*, & cùm nullam rationem nec legem allegat, intelligendus eſt prout loquuntur Doctores quos * citat.

* adde Coc. dec. 67. n. 8. & 291. n. 6. & Rota diuer. dec. 474. n. 9.

Atque ex his potiſſimum aliqui ex Dominis tenebant præfatam limitationem Ripæ non eſſe veram, & licèt aliqui ſentirent illam eſſe veram, omnes tamen conformiter pronuntiauerunt,

14. illam (licèt eſſet vera) non applicari caſui de quo agitur, cùm appareat teſtatorem noluiſſe grauare hæredem, neque in hoc quòd non poſſet transferre dominium, neque in æſtimatione, cùm adiecerit pœnam peculiarem amiſſionis bonorum ipſius teſtatoris; vt in aliis deciſionibus copiosè fuit deductum.

15. Quod inſuper addebatur ſententiam A. C. non poſſe dici notoriè iniuſtam, * cùm ſit fundata in opinione Ripæ & aliorum Doctorum ſuprà citatorum, facilè tollitur ex prædictis, quia vel opinio Ripæ ſi ſimpliciter & indiſtinctè accipiatur non ſubſiſtit: vel vt ſubſiſtat, intelligenda eſt, iuxta doctrinam aliorum, qui interdum (id eſt, in caſibus certis, & expreſſis) contra tertium poſſeſſorem in ſubſidium poſſe agi dicunt, id quod eſt verum, ſed non oſtenditur caſum, de quo agitur, eſſe de illis.

* regula eſt certa quòd ſententia lata cum opinione Doctorum non eſt iniuſta. Rota recen. p. 2. dec. 659. n. 6. Seraph. dec. 166. etiamſi ſit cōtra opinionē quam Rota ſequitur. Rota diuerſ. p. 1. dec. 206. n. 1.

His accedit, quia ſententia lata contra regulam iuris dicitur continere errorem iuris expreſſum, & eſſe nullam, † niſi in ea aliquid exprimatur, vnde appareat lata in caſu alicuius

16. fallentiæ. Decius *conſil.* 8. incip. *Viſo puncto, n.* 1.

17. Felinus *in cap. 1. num. 7. 8. & ſeq. de ſentent. & re iudic.* quod procedit tametſi in aliquibus caſibus poſſet à regula recedi, niſi cauſa exprimeretur cur foret receſſum. Ruinus *conſil.* 41. incip. *De duobus principaliter, num.* 16. *lib.* 1. Alexander *in l. rei iudicatæ. §. ſi non iudicio, num. 5. verſ. & ad dictos caſus. ff. ſoluto matrim.* Crotus *in l. qui Romæ. §. duo fratres, num. 34. ff. de verb. oblig.* In caſu autem propoſito neque expreſſum, ac neque diſcuſſum planè fuit coram A. C. alienantem, vel non eſſe ſoluendo, vel non poſſe aliter ſatisfieri iſtis ſororibus fideicommiſſariis, vnde non poteſt eius ſententia à notoria iniuſtitia vindicari.

† idem eſt ſi ſit lata ſententia contra conſtitutionem Synodalem. Seraph. deciſ. 712. n. 3. & idem eſt ſi ſit lata contra expreſſa verba ſtatuti. idem Seraph. dec. 251. n. 1.

18. Deciſio Rotæ in illa Valaterrana prædij 3. Decembris 1588. non applicatur, quia licèt hæres adeundo hæreditatem teneatur ſeruare voluntatem teſtatoris, * non tamen neceſſariò inde infertur, vt ſingularis ſucceſſor, qui titulo oneroſo rem poſſidet, in ſubſidium poſſit conueniri, cùm in eum dominium rei ſit tranſlatum.

* de hoc art. plura adducuntur in deciſ. 412. apud Caual.

19. Remedium *l. fin. C. de edict. Diui Adrian.* pro rebus hæredis non potuit intentari, quia teſtator eas mortis tempore non poſſidet; vt verba eius legis indicant.

20. Neque aliud remedium poſſeſſorium competit ex his, quæ per informantes pro iſtis mulieribus commemorantur: nam licèt condictio triticaria competat etiam ad poſſeſſionem, *l. 2.* vbi notat gloſ. *ff. de condict. triticaria*, & ſimiliter condictio indebiti competit ad poſſeſſionem, quam quis indebitè in alium tranſtulit. *l. indebiti. §. 1. ff. de condict. indeb.* Nuſquam tamen reperitur expreſſum iſtas actiones competere contra ſingularem ſucceſſorem non obligatum.

21. De hypothecaria manifeſtior eſt ratio cùm illa non pro rebus hæredis, ſed teſtatoris * detur. *l. 1. C. commun. de legat. §. noſtra autem, Inſtitut. de legatis.*

* adde Manticā dec. 156. n. 4. & 5. & Caual. deciſ. 420. n. 1. & latè Duran. dec. 185. à n. 7. tom. 1.

Ceſſat præterea in rebus hæredis Saluianum interdictum, quod hypothecam † præſupponit. In ſumma cùm res propriè hæredis ſub pœna priuationis, hæreditatis teſtatoris, ſint prohibitæ

22. alienari, alienatione ſubſequuta, ad pœnam commiſſam eſt actio parata, non ad reuocandum rem ſic alienatam, * ſecundùm Baldum communiter receptum *in l. 1. n. 48. C. de his quæ pœnæ nom.* cum aliis allegatis in prima deciſione ſuper iſta cauſa 20. † Octobr. 1589.

† adde Coc. dec. 50. n. 2. & Caual. deciſ. 433. n. 5. & 253. n. 1. Ludouiſ. dec. 67. num. 1. & 264. n. 3. Duran. dec. 268. n. 1. & 309. n. 1. & 327. n. 2. tom. 2.

Quòd ſi hæres, quia non ſit ſoluendo pœnam ſoluere non poteſt, non poterit agi contra poſſidentem rem hæredis, ſed tantùm contra eos, qui poſſident bona teſtatoris quibus hæres in pœnam intelligitur priuatus.

Ex quibus denique fuit concluſum non poſſe Ioanni Couarto reſtitutionem vineæ denegari.

* vide quæ annotaui ſuprà ad n. 4. & ad dec. 51.

† ſuprà dec. 51.

---

## *Calaguritana beneficij de Cerbera.*

### Die 14. Ianuarij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Conſtitutio vocans habiliores ſcientia & moribus ad beneficium de iure præſumitur iure recepta.*

3 *Habiliorem ſe eſſe allegantem debet probare, aliàs præferetur habens qualitates anterioritatis requiſitæ in ſtatuto.*

4 *Teſtium dicta licèt mereantur fidem, ſi tamen probationes contrariæ ex inſtrumentis fundentur, fortiores ſunt.*

### DECISIO CXXIV.

1. NOn obſtantibus deciſionibus in iſta cauſa factis ad fauorem Didaci del Caſtillo, prima coram D. Orano 6. Februarij 1589. ſecunda coram D. Bubalo 5. Iunij eiuſdem anni. In tertia inſtantia in qua mihi fuit commiſſa, ſubſtiti propter duo quæ contra eundem Didacum (pro cuius parte petebat expediri) cauſa militare videbatur, primò propter conſtitutionem Synodalem inſertam in proceſſu vltimo loco producto, quæ nullo habito reſpectu ad decantamentum epiſtolæ; præcipit beneficiatos Eccleſiæ Sancti Ægidij de Ceruera recipi, magis idoneos, & habiliores, & priùs ordinatos, aut habiliores ſcientia & moribus, licèt poſteriori

2. loco fuerint ordinati; quæ conſtitutio de iure præſumitur vſu recepta, * Gozadin. *conſil. 16. num. 16.* Decius *conſil. 534. num. 9.* Natta *conſ. 160. num. 22.* Curtius iunior *conſil. 129. num. 12.* Secundò ob dicta teſtium ann. 1536. examinatorum, qui ſuper articulo ſecundo conformiter deponunt, quòd in receptione beneficiatorum ad beneficia iſtius Eccleſiæ non habetur reſpectus ad aliquod decantamentum antiquitatem, ſeu prioritatem Ordinis, vel alterius qualitatis, ſed quòd beneficiati iam recepti eligunt alios clericos beneuiſos, dummodo ſint habiles & ſufficientes pro ſeruitio Eccleſiæ, ac ſint etiam naturales, ſiue originarij, & filij patrimoniales; quod ipſum probant teſtes examinati de anno 1549. propter iſtas difficultates 28. Maij præteriti, Domini tenuerunt, vel ordinarunt, ne cauſam expedirem, antequam ſuper eis eſſet mihi ſatisfactum; in hac verò poſitione, in qua cauſam propoſui vna tantùm parte informante, Domini dixerunt ſufficienter videri ſupradictis difficultatibus reſponſum, nam quantum ad primam de conſtitutione ſynodali, licèt non eſſet probata conſuetudo admittendi antiquiorem per decantamentum epiſtolæ, adhuc ea conſtitutio facit pro Didaco del Caſtillo, quia conſtitutio vocat antiquiorem in Ordinibus, niſi alius ſit habilior: videtur autem Didacum del Caſtillo reſpectu Ordinum eſſe antiquiorem. nam eius litteræ primæ Tonſuræ ſunt de anno 1569. litteræ diaconatus de anno 1571. Didacum verò Torres poſt iſta tempora fuiſſe ad Ordines promotum, factum eius indicat, cùm de anno 1572. obtinuerit donationem certorum bonorum pro titulo patrimonij, vt ordinaretur; quare niſi de prioribus ſuis Ordinibus doceat Didacus del Caſtillo præſumitur antiquior. Aliæ præterea qualitates à conſtitutione

3. requiſitæ concurrunt in iſto Caſtello, cui ſi Torres vult præferri, oportet quòd doceat ſe eſſe habiliorem; vt fuit deciſum in illa Calaguritan. * beneficij Sancti Iacobi & Andreæ 1. Iunij præteriti coram R. P. D. Mantica, nam Caſtillus in Curia examinatus, idoneus eſt repertus. Minus viſa eſt vrgere ſecunda difficultas de teſtibus examinatis ann. 1536. & 1549. nam præterquam ſcripturæ, vbi dicta iſtorum teſtium continentur, ſunt extractæ per quendam Celidonium Martinez Procuratorem Didaci de Torres aduerſarij, acceptantem etiam de tempore dictæ extractionis aliquot prætereа teſtes de Caſtillo qui ſunt Notarij, aſſerunt eas ſcripturas non mereri fidem, quibus accedit non leuis ſuſpicio de mendacio præfatorum teſtium del anno 1536. & 1549. cùm de anno 1499. adſit quædam ſententia ad fauorem cuiuſdam Didaci de Angulo ſuper naturalitate & patrimonialitate, & etiam ſuper decantamento epiſtolæ, qua mandatur beneficiatis, ne quempiam recipiant ante dictum Angulum, & præterea adſit alia ſententia poſt depoſitionem præfatorum teſtium de anno 1549. in qua pariter ſecundùm antiquitatem in decantamento epiſtolæ fuit mandatum quendam alium admitti; quæ omnia bene fuerunt conſiderata in præfatis deciſionibus, & licèt dicta iſtorum teſtium mererentur aliquam fidem; cùm probationes contrariæ ex ſententiis deſumptæ fortiores videantur, præualere debent. Quare iam coram R. P. D. Bubalo fuit denegata Remiſſoria Didaco de Torres, & denique mihi in hac tertia inſtantia ordinatum, vt cauſam expediam ad fauorem Didaci del Caſtillo.

* adde Manticam deciſ. 115. n. 2.

* & habetur in impreſſis Manticæ in d. dec. 115.

---

## *Vlysbonen. adminiſtrationis Capellæ.*

### Die 16. Ianuarij 1591.

### SVMMARIVM.

1 *Differentia conſtituitur inter opus pium & bona operi pio ſubiecta.*

2 *Opus pium vt celebratio Miſſarum ſolet imponi in maioricatu, & eſt adminiſtratio laicalis.*

3 *Adminiſtrationem Capellæ impetrans laicus reddit ipſam laicalem.*

4 *Adminiſtratio bonorum certo pio onere à laico inſtituta, non eſt beneficium Eccleſiaſticum.*

5 *Spirituale onus bonis profanis impoſitum non facit beneficium Eccleſiaſticum.*

6 *Beneficium Eccleſiaſticum ſine auctoritate Epiſcopi non poteſt erigi.*

7 *Beneficium Eccleſiaſticum vt ſit requiritur perſonam prouidentem, perpetuitatem locum & dotem habere.*

8 *Adminiſtrationis qualitas, quòd ſcilicet ſit adminiſtrator Eccleſiaſticus, vel laicus, non facit eam laicalem, vel Eccleſiaſticam, ſed ſolus modus inſtituendi.*

### DECISIO CXXV.

AD fauorem Dominæ Beatricis Pegadæ (de cuius bono iure agebatur) fuit concluſum adminiſtrationem eſſe laicalem, ſicut aliàs coram R. P. D. Cæſare de Graſſis 8. Februarij 1574. conſiderabant enim Domini differentiam eſſe inter bona pro ſuſtentatione Capellaniæ certo pio onere grauata, & eorumdem bonorum adminiſtrationem, & Capellaniam, ſiue opus pium in Capellania peragendum, bona pro ſuſtentatione Capellaniæ pio onere grauata laicalia remanent per illos, quos teſtator nominauit adminiſtranda; aut per alios quos legitimus iudex decreuerit, poſſidenda. Adminiſtratio etiam bonorum laicalis remanet, per eoſdem ſupradictos exercenda: qui de fructibus eorumdem bonorum pia opera adimplere tenentur iuxta ordinationem teſtatoris, Capellania ſiue pia opera * Miſſarum bonis iniuncta per Sacerdotes, ſunt peragenda, quibus de fructibus bonorum ſecundùm ordinationem teſtatoris per adminiſtratores pro tempore exiſtentes ſunt eleemoſynæ erogandæ. Et licèt hoc tertium per Eccleſiaſticos ſolùm peragatur, duo priora per laicas etiam fœminas exerceri poſſunt. Quia præfata diſpoſitio cenſetur maioricatus, † cui impoſitum eſt, onus certarum Miſſarum, ſiue alterius pij operis, & reſiduum manet penes adminiſtratores; nam regno Luſitaniæ frequens vſus eſt inſtituendi huiuſmodi maioricatus, de quo *in l. Re-* 1.

1\. Idem fuit dictū in cauſa Hiſpalen. eremitorij die 4. Decēb. 1596. coram Pāphilio, & in cauſa Maioricen. eremitorij die 22. Aprilis 1602. coram Sacrato, vbi fuit dictum quod iſta nō ſunt eccleſiaſtica beneficia.

* adde Caual. dec. 640. n. 7. & 8. & hanc dec. allegat Loter. de re benef. lib. 1. q. 5. n. 60. vbi deciſ. materia plura adducit.

2\. † adde Seraph. deciſ. 611. n. 1.

gia lib. 2. tit. 35. *dos reſidos.* §. 49. incip. *E por nao vir em duuida*, cautum extat, vt per Aluarum Valaſcum *tomo* 1. *conſultatione* 27. conceſſio facta à Nuntio Apoſtolico Saluatori patri D. Beatricis, & confirmatio eidem Saluatori à ſacra Pœnitentiaria indulta, & canonizatio Rotæ coram Domino Accorambono, & recognitio ab Ordinario Vlyſbonen. ſatis indicant adminiſtrationem eſſe laicalem, Balthaſar aduerſarius idem facto ipſo demonſtrauit, qui cùm
3. eſſet laicus, eandem Capellæ adminiſtrationem impetrauit.

Poſtremò huiuſmodi adminiſtrationes per-
4. petuas bonorum certo pro onere auctoritate teſtantium priuata grauatorum pro Miſſis dicendis, vel aliis piis operibus exequendis, non eſſe beneficia Eccleſiaſtica, ſed res temporales cadentes in laicos, tenent Zabarella *conſil.* 11. *num.* 3. Sarnen. *in regula de annali, quæſt.* 20. Felinus *in cap. ex parte*, *n.* 2. & 3. *de reſcript.* Nauarrus *conſ.* 43. *n.* 6. *tit. de ſimon.* & cæteri allegati per D. Calandrum.

5. Illud verò onus ſpirituale bonis profanis impoſitum, non facit beneficium Eccleſiaſticum, cùm auctoritate Epiſcopi non fuerint ea
6. bona pro dote Capellæ aſſignata. gloſſ. *in Clement.* 2. *de decimis.* Felin. *in dicto cap. ex parte num.* 2. nec concurrunt cæteræ qualitates requiſitæ ad beneficium Eccleſiaſticum conſtituendum, nempe perſona prouidentis, perpetuitas,
7. locus, & dos, vt fuit dictum in cauſa Hiſpalen. iuris Patronatus 16. Iunij 1586. coram Domino Oriolen. confert Selua *de benefic. p.* 1. *q.* 1. Denominatio Capellaniæ nonſufficit, cùm is modus dicendi pro onere pro adimplendo illarum partium more vſurpetur.

Propter difficultatem quam faciebat alia deciſio coram eodem D. Cæſare de Graſſis 21. Maij 1574. vbi dicitur quòd cùm inſpecto tenore fundationis vnus de adminiſtratoribus conſtitutus ſit Eccleſiaſticus, quòd ſaltem reſpectu iſtius adminiſtratio poterat dici Eccleſiaſtica: aliqui ex Dominis dicebant quòd ſi in fundatione diſponeretur, quòd vnus de præfatis duobus adminiſtratoribus deberet omnino eſſe perſona Eccleſiaſtica, tunc pro medietate vacaſſet per contractum matrimonij Saluatoris patris D. Beatricis, & reſpectu eiuſdem medietatis non conſtaret de bono iure Beatricis, ſecus verò eſſe ſi in fundatione non ita diſponeretur, de quo non poteſt haberi certa notitia, cùm proceſſus originalis iſtius cauſæ fuerit deperditus; aliqui verò ſimpliciter tenebant
8. adminiſtrationem eſſe laicalem, quia qualitas adminiſtratoris, (quòd ſcilicet ſit Eccleſiaſticus, vel laicus) non facit adminiſtrationem eſſe laicalem, vel Eccleſiaſticam, ſed ſolus modus inſtituendi, & ideo magis ſubſiſtere præfatam deciſionem Domini de Graſſis 8. Februarij 1574.

Dubitarunt tamen Domini, an mortuo Saluatore patre Dominæ Beatricis, expirauerit conceſſio iſtius adminiſtrationis, ei facta per Nuncium Apoſtolicum, quia licèt ſibi fuerit in perpetuum conceſſa, ſi intelligerentur eius ſolùm vita durante, non tranſiret ad eius filiam.

## *Beneuentana, ſeu nullius.*

### Die 23. Ianuarij 1591.

SVMMARIVM.

1.2 *Intellectus* ad l. ſi diuerſa. C. de tranſact.
3 *Tranſactio reſcinditur de conſenſu communi tranſigentium.*
4 *Pacta ſeruare eſt quid diuinum.*

## DECISIO CXXVI.

IN hac cauſa prima Iunij præteriti * Domini tenuerunt conſtare de contrauentione, ſed voluerunt particulariter videre, an intraret diſpoſitio *l. ſi diuerſa. C. de tranſactionib.* ad effectum vtrùm Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Aſcanius teneretur refundere, ſeu reſtituere pecunias ratione tranſactionis acceptas. Et licèt multis modis diſpoſitio dictæ l. non intelligatur * procedere primò ſi à parte contra partem qua vult recedere à tranſactione, non petatur ex illis verbis legis, *cùm & tu hoc conſideras.* hic autem nil communitas Montisfuſculi opponit contra Dominum Cardinalem; præterea non procedit cùm de communi conſenſu à tranſactione receditur; Curtius iunior *ibi n.* 2. quod videtur habere lo- 2.
cum in caſu præſenti, in quo receditur de com- 3.
muni conſenſu, cùm partes ab initio conuenerint, quòd ſi vniuerſitas tranſactioni contraueniret, tunc poſſet D. Cardinalis ab illa recedere, & ad ſua primauæ iura redire.

1. * ſuprà dec. 112.

* de materia huius deciſ. plures deciſiones & doctrinas congeſſit addit. ad Ludouiſ. deciſ. 354. n. 17.

Cæterùm tum iſtis, tum aliis omiſſis, omnem difficultatem tollit, quia nedum vniuerſitas conſenſit reſciſſioni tranſactionis; ſed ampliùs ſpecificè concordatum fuit, quòd ſi fortè proceſſu temporis D. Cardinalis aliquo modo in dicto territorio turbaretur, vel moleſtaretur, tunc prædicta vniuerſitas, vel homines dictæ terræ Montis-Fuſculi, vel alius, in tali caſu nullam actionem pro recuperatione mille ſcutorum contra D. Cardinalem haberent, ſed tunc dicti mille ducati D. Cardinali, & eius Monaſterio, titulo do-
nationis inter viuos donati eſſe cenſerentur. Ma- 4.
gna autem iuſtitia eſt quæ oritur ex pacto, quod ſeruari oportet, cùm diuinum quid ſit pacta ſeruare. Neuizanus *conſ.* 11. *num.* 10.

## *Comen. Capellaniæ.*

### Die 28. Ianuarij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Sententia lata nemine inſtante eſt nulla.*
3 *Sententia lata nemine inſtante eſt nulla etiamſi iudex aſſerat fuiſſe prolatam ad inſtantiam vnius partis.*
4 *Notarius debet rogari à parte de ſententia prolatione.*
5 *Reſcriptum conditionale donec purificetur non tribuit iuriſdictionem.*

## DECISIO CXXVII.

SEntentiam ad quam partes fuerant citatæ 1.
pro die 25. Auguſti, vt quatenus eo die non ferretur

ferretur



ferretur pro die ſequenti, licèt partes comparuerint die 25. & iudex in eo non pronuntiauit, ſed die ſequenti, in quo partes non com-
2. paruerunt, Domini dixerunt eſſe nullam, quia dicitur lata nemine * inſtante. Bartol. & alij *in l.* 1. *C. vt quæ deſunt aduocat.* Angelus, & Imola *in l. vnoquoque. ff. de iudic.* Iaſon *in l. properandum.* §. & *ſiquidem*, *numer.* 5. *C. de iudic.*

* adde Seraph. dec. 536. n. 1. & 597. n. 2.

3. Nec refert * quòd iudex in ſententia aſſerat pro ea inſtitiſſe Ioannem Albertum Parganum Procuratorem D. Hieronymi Caſanori, quia cùm ageretur de validitate ſuæ ſententiæ, non putarunt ſtandum eius teſtimonio, † gloſſ. *in cap. dilecto*, vbi Abbas *num.* 3. *notab.* 3. *de teſtibus.* Accedebat etiam, quia non conſtabat Notarium fuiſſe rogatum de ſententiæ publicatione.

* vide infrà dec. 164. n. 2. & quæ ibi annotaui circa hunc articul.

† regula eſt quod inſtantia debet eſſe à parte legitima aliàs datur nullitas Rota in recen. deciſ. 541. n. 1. p. 3.

Admittebant quoque Domini aliam nullitatem ex defectu iuriſdictionis, quia reſcriptum directum Vicario Papien. erat conditionale, dummodo Hieronymus Caſſanorius non
4. conſenſiſſet in iuriſdictionem, poſtquam D. Septimius Coadiutor Concanonici fuerat deputatus: quæ conditio cùm purificata non fuerit, non tribuit iuriſdictionem, * Decius *conſil.* 681. *num.* 22. & *ſeq.* Roland. *conſil.* 65. *num.* 22. & *ſeq. lib.* 3. apparebat autem Caſſanorium, poſt Septimij deputationem in coadiutorem à Sanctiſſimo conceſſam ſub die 5. Martij 1588. in Comenſem iudicem conſenſiſſe vſque ad diem 15. & 22. Aprilis 1589.

* adde Ludouiſ. dec. 1. n. 1.

## *Burgen. Emolumentorum ſigilli.*

### Die 28. Ianuarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Emolumenta debentur Epiſcopis ſucceſſoribus, de tempore vacationis.*
*quod intellige vt n.* 3.
4 *Præſcriptio immemorabilis inducit priuilegium Papale.*
5 *Immemorabilis idem operatur quod priuilegium.*
6 *Conſuetudo immemorabilis ius inducit.*
7 *Facultatiua præſcribuntur ſi ſucceſſor non reclamauerit de lite mota per anteceſſores.*
8 *Intellectus* ad cap. quia ſæpe, de election. in 6. & *num.* 8. & 12.
9 *Differentia conſtituitur inter bona Epiſcopatus vacantis, & emolumentorum.*
*Emolumenta Epiſcopatus vacantis diuerſa ſunt à bonis ipſius, ibid.*
10 *Prohibita quia mala, ſunt impræſcriptibilia, non ſic in malis, quia prohibita.*
11 *Prohibitio ab eſu carnium poteſt præſcribi.*
13 *Cuſtodes Eccleſiarum tenentur reddere bona Eccleſiarum ſibi commiſſarum, niſi aliud conſuetudine ſeruetur.*
14 *Conſuetudo quæ à iure præſeruatur non eſt irrationabilis.*
15 *Repugnantia iuris reddit rem impræſcriptibilem.*
16 *Conſuetudo immemorabilis continens iuſtum titulum, excludit malam fidem.*
17.18 *Immemorabilis acquiritur, etiamſi mala fides in præſcribente ſit præſumpta, quæ purgatur in ſucceſſore.*
19 *Leges reprobantes conſuetudines etiamſi vtantur verbis generalibus non excludunt immemorabilem, & n.* 23.
20 *Immemorabilis habens reſiſtentiam iuris requirit vt valeat, requirit ſaltem famam priuilegij.*
*Statutum, ſiue lex prohibens conſuetudines, etiam ſi vtatur verbis generalibus, non excludit immemorabilem,* 19. & 23.
21 *Poſſeſſioni ſi reſiſtat ius, non prodeſt conſuetudo etiam immemorabilis.*
22 *Capitulum Sede vacante ſuccedit Epiſcopo in iuriſdictione Epiſcopali.*
24 *Conſuetudo immemorabilis reprobata, vt irrationabilis, debet eſſe contra ius naturale, vel diuinum.*
25 *Immemorabilis nunquam poteſt induci lege reſiſtente.*
26 *Lex prohibens futuram conſuetudinem, non poteſt ſubſiſtere niſi ex ſcientia Principis, vel Papæ.*
27 *Scientia Principis probatur per ſcientiam miniſtrorum eius.*

## DECISIO CXXVIII.

VTraque parte informante propoſui ſæpè 1.
iſtam cauſam ſub 25. Iunij, & 4. Iulij ann. 1590. & ſub 23. Ianuarij præſentis anni, & quia inter Dominos primos reſponſales non conueniebatur, fuit ordinatum, quòd omnes Domini viderent, denique ſub die 28. Ianuarij, iterum cauſa propoſita Domini tenuerunt immemorabilem Capitulo ſuffragari.

Quamuis enim iura diſponant, emolumenta 2.
tempore vacationis Eccleſiarum obuenientia, debere ſucceſſoribus fideliter reſeruari. *cap. quia ſæpe, de elect. lib.* 6. & in ſpecie id ſit cautum de iſtis emolumentis ſigilli, conſuetudine qualibet
contraria non obſtante *in Clem. ſtatutum, eodem* 3.
*tit.* non tamen cenſetur ſublata immemorabilis. Alexand. *conſil.* 60. *circa finem lib.* 1. Decius *conſil.* 496. *num.* 9. & *ſeq.* Afflictus *deciſ.* 254. *n.* 5.

Et cùm aliàs ſub die 21. Maij * præteriti 1590. fuerit dictum pro parte Capituli probatam fuiſſe immemorabilem percipiendi iſta emolumen-
ta ſigilli; vigore immemorabilis, poterit Capi- 4.
tulum allegare priuilegium Papale, *cap. ſuper quibuſdam.* §. *præterea*, vbi gloſſ. *in verb. non extat memoria, de verborum ſignif.* Alexand. *conſ.* 6. *num.* 1. *lib.* 1. Decius *conſil.* 368. *num.* 3. Gratus *conſil.* 61. *num.* 20. & *ſeq lib.* 1. Berous *quæſt.* 114. cum cæteris cumulatis per Gabrielium *de præſcript. con-*
*cluſ.* 1. nam cùm immemorabilis idem operetur 5.
quod priuilegium, ſicut per Apoſtolicum indultum potuiſſent Capitulo concedi hæc emolumenta ſigilli; eodem etiam modo per immemorabilem, quæ priuilegio æquiparatur: licèt enim immemorabilis non ſit verum priuilegium, Socinus *conſil.* 260. *num.* 22. *verſ. nec obſtat. lib.* 2. Caſſanæus *conſil.* 34. *num.* 13. & fuit dictum in vna Salamantin. iuris viſitandi 28. Februarij 1583. ſatis eſt, vt haberet vim priuilegij, ad hoc vt interdum operari poſſit idem, quod verum priuilegium.

* ſuprà dec. 108.

Et ſufficit Capitulo habenti immemorabilem, illam proponere, cùm vlteriùs nec alium
titulum probare, nec allegare teneatur; talis 6.
enim conſuetudo immemorabilis ius inducit, gloſſ. *in dicto cap. ſuper quibuſdam.* §. *præterea, in verb. non extat memoria, de verbor. ſignificat.* Iaſon





in

in l. ſi certis annis, num. 25. verſic. decimò limita. C. de pactis. Gozadinus conſil. 8. num. 37. Pariſius conſil. 27. num. 80. lib. 1. nec iuſto titulo videtur
7. Capitulum deſtitutum; cùm Archiepiſcopi prædeceſſores, qui aliàs contra idem Capitulum lites mouerunt, non reclamauerint, nec iſta emolumenta petiuiſſe reperiantur, quaſi Capitulum legitimo titulo iuuaretur, * *leg. fin. C. de eo quod met. cauſ.* Pariſius *conſil. 23. num. 256. lib. 1. verſ. nec veriſimile eſt*, ad text. *in dict. cap. quia ſæpe, de elect. lib. 6.* vbi qui accipiunt bona Eccleſiarum
8. Sede vacante, vel ab Epiſcopis dimiſſa, vel vacationis tempore obuenientia, appellantur occupatores, ſubreptores, dilapidatores, diſſipatores, & conſumptores, & à Doctoribus *ibidem* dicuntur tales committere latrocinium, quibus verbis exprimitur peccatum, contra quod nulla currit præſcriptio, cùm diuturnitati temporis
9. grauius fiat. *c. cùm tanto, de conſuetud. c. cùm in Eccleſia, de præb.* * in quibus nulla ratio ſuadere videbatur, vt Sede vacante poſſent à Capitulis vſurpari: de emolumentis autem ſigilli loquitur Clement. *Statutum, de elect.* vbi nullum ſit verbum: imò diſpoſitio eius Clementinæ limitatur, vt non procedat cùm certæ dignitati competit iuriſdictio, cui tunc iſta emolumenta legitimè penderentur.

* adde Ludou. dec. 162. n. 10 vbi latè additio de hoc art. n. 16.

* de ſimon. dicebatur primum ibi non haberi ſermoné de emolumẽtis ſigilli, ſed de aliis bonis Eccleſiæ.

10. Item multum referre, an aliquid prohibeatur tanquam ſua natura & intrinſecè malum, an ob aliam cauſam? nam cùm quid prohibitum eſt, quia ſua natura malum eſt, tunc nulla præſcriptione temperatur, nec vllo temporis immemorabilis interuallo fit licitum, vt patet in mendacio, adulterio, & ſimilibus, quæ iuri naturali, & diuino ſunt contraria; accipere emolumenta ſigilli vacante Sede, non eſt prohibitum, quia intrinſecè malum ſit, imò malum eſt, quia prohibitum, vnde ex cauſa licitè poteſt
11. aliud induci, vt apparet in illis, quæ ſunt mala, quia prohibita, vt in eſu carnium die Veneris, & Sabbati & in Quadrageſima; conſuetudo autem immemorabilis facit præſumere quamlibet cauſam iuſtam, cùm habeat vim priuilegij, & conſtituti. Nauarrus *conſil. 7. num. 2. tit. de conſuetud.* & ideo non poterit dici irrationabilis cùm quòd illa inducit, ſit priuilegio conceſſi-
12. bile. Oldradus *conſil. 172. num. 2.* quamuis enim iſta Eccleſiarum bona morientibus earum Rectoribus, vel miniſtris inuenta, ſiue vacationis ipſorum tempore obuenientia, quæ vel in vtilitatem eorum expendi, vel futuris deberentur ſucceſſoribus fideliter reſeruari, non ſint occupanda per illos ad quorum cuſtodiam, ſiue collationem Eccleſiæ * pertinent, iuxta *dictum cap. quia ſæpe, de elect. lib. 6.* id non procedit cum ſpeciali priuilegio, vel conſuetudine † iam legitimè præſcripta, ſeu alia cauſa rationabili, acce-
13. ptio talium bonorum prædictis cuſtodibus, vel
14. collectoribus Eccleſiarum competere digno-
15. ſceretur. *cap. fin. verſ. niſi de ſpeciali, de officio ord. lib. 6.* per quem textum, quem allegauit Dominus Falconius, ſatis viſum fuit Dominis non poſſe ſimpliciter dici talem irrationabilem conſuetudinem, cùm à iure expreſsè defendatur, & præſeruetur.

* vide Boëri. dec. 340. n 2. & Rotam recen p. 1. dec. 401. n. 1.

† gloſam in d. Clement. ſtatutum in verbo conſuetudine, ibi tollere noluit, in aliquibus Codicibus

Quod dicebatur de iuris repugnantia, ex qua oritur mala fides, cum qua non iuuat immemorabilis, facilè tollebatur: nam cùm iſta prætenſa mala fides reſultet, ex iuris præſumptione conſuetudo immemorabilis continens vim priuilegij conſtituti, vel cuiuſlibet alterius iuſti tituli, omnem malam fidem excludit, & eius præſumptionem ſufficienter purgat, Salicetus *in l. 2. n. 8. C. de ſeruit.* Cardinalis *conſil. 38. num. 3.* Decius *in l. traditionibus num. 12. C. de pact. & conſil. 496. num. 5.* Boërius *deciſ. 39. num. 7.* Caſſanæus *conſil. 34. num. 7.* & licèt obiectio poſſit procedere, quando reuera eſſet probata mala fides, vt tunc immemorabilis ſequens, non ſuffragaretur, ſecus eſt in mala fide præſumpta deducta ex eo quod de titulo non docetur, & ei 16.
reſiſtit ius, tunc enim immemorabilis ſuffragatur. 17. Aymon *de antiquit. temp. part. 4. §. materia, num. 20. & conſil. 146. num. 7. verſ. in hac materia.* Gabriel *de præſcript. concluſ. 1. num. 57.* 18. Reſpectu verò Capituli mortuis omnibus illis primis quorum nunc memoria non extat, qui fortaſſis in mala fide eſſe potuerunt, in ſucceſſoribus purgata manet. Bartol. *in l. poteſt pluribus, in fine. ff. de vſucapionib.* Innocent. *in cap. cura*, vbi Anton. de Butrio *num. 8. de iure patronat.* Socinus *conſil. 187. num. 27. lib. 2.* Aymon *de antiquit. part. 4. §. tranſeo nunc, num. 18.*

affirmatiuè legitur, vt per Azeue. l. 3. n. 19. tit. 1. lib. 2. nouæ recopi. ſed ego vidi plura & in omnibus negatiuè legitur, & ideo tales cõſuetudines ſunt admittendæ.

Rurſus ad *dictum cap. quia ſæpe, de elect. lib. 6. & ad Clement. ſtatutum, eodem tit.* quibus generaliter prohibentur, & damnantur quæcumque bona & emolumenta ab Epiſcopis dimiſſa, vel tempore Sedis vacantis obuenientia, reſpondebatur quòd quantumcumque lex, vel conſtitutio 19. vtatur dictionibus vniuerſalibus, per illa nunquam ſummouetur præſcriptio * immemorabilis. Alexand. *in l. nemo poteſt num. 25. ff. de legat. 1.* Felinus *in rubrica de præſcript. num. 18.* Pariſius *conſil. 27. num. 85. lib. 1.* & alij, quos allegat Tiraquellus *de retract. conuent. §. 1. gloſſ. 2. num. 25.*

* adde Caual. dec. 419. n. 5. & 649. n. 4. & Rotã recen. deciſ. 524. n. 3. & 497. n. 5. p. 2.

Nec eſt verum quòd iſta immemorabilis, 20. quæ habet reſiſtentiam iuris, non inducat præſumptionem priuilegij, niſi ſimul concurrat fama priuilegij, * nam iſta duo copulatiuè requiruntur, quando præter iuris reſiſtentiam adeſt incapacitas, in allegante immemorabilem: vt in laico, qui ex immemorabili prætendit decimas, ſeu aliquod aliud ius Eccleſiaſticum, vel ſpirituale: quia cùm iſto caſu poſſeſſioni reſiſtat ius, 21. & adſit præterea incapacitas ex parte recipientis, tunc non ſufficit ſola immemorabilis, ſed fama quoque eſt neceſſaria, vt latè cumulat Gabriel *de præſcript. concluſ. 1. limitatione 1. num. 16.* & fuit deciſum in illa Toletan. iuris decimandi coram R. P. D. noſtro Blanchetto, in Capitulo Burgen. non poteſt conſiderari talis incapacitas, cùm Eccleſiaſticæ perſonæ capaces ſint emolumentorum, de quibus agitur.

* adde Rotã diuerſ. p. 3. lib. 3. deciſ. 1027. n. 1.

Et cùm Capitulum Sede vacante ſuccedat 22. * in iuriſdictione Epiſcopali, non videtur vſque adeò irrationabile, quòd ratione laboris percipere poſſit emolumenta ſigilli, *ad l. ſecundùm naturam, ff. de reg. iuris*, præſertim cùm ceſſet ratio differendæ electionis Epiſcopi, cùm per Capitulum non eligatur, vt voluit Alexand. *conſil. 110. num. 3. verſ. ſecundò ad idem facit, & num. 8. verſ. ad ſecundum obiectum, lib. 6.*

* adde Rotam in recẽ. dec. 632. n. 4. p. 3. & 346. n. 2. p. 2. & dec. 1. n. 13. in impreſſ. diuerſ. p. 2. & infra deciſ. 699. n. 3.

Hinc tolluntur rationes Ruini *conſ. 156. lib. 4.* 23. quòd loquitur in laico, & de conſuetudine differente laicis redditus Eccleſiaſticos; quo caſu cùm concurrat incapacitas, & totalis inhabilitas reſpectu perſonæ recipientis, non ſufficit ſola immemorabilis, niſi etiam probetur fama priuilegij, (vt paulo antea dictum eſt, licèt obiter) in eodem conſ. Ruinus, in Capitulo præſcribente idem ſentire videatur, non placuerunt Dominis eius fundamenta, non primum, quod ſublata conſuetudine per verba vniuerſalia, intelligatur etiam ſublata immemorabilis, quia contrarium eſt verius, (vt eſt oſtenſum,) & latè pro-
24. ſequitur Pariſius *conſil. 27. num. 85. lib. 1.* & non intelligitur comprehenſa, niſi de ea fiat ſpecialis mentio. Decius *conſil. 496.* incip. *In cauſa, num. 9. verſ. quia talis præſcriptio.*



Non ſecundum, quòd vbi conſuetudo eſt reprobata, velut irrationabilis, cenſeatur etiam reprobata immemorabilis: nam ſi talis irrationabilitas non ſit contraria iuri naturali, vel diuino, non impedit curſum præſcriptionis immemorabilis; manifeſtum eſt autem prohibitionem percipiendi emolumenta ſigilli, vnde colligitur iſta irrationabilitas, non à iure naturali, vel diuino, ſed à iure merè poſitiuo originem habuiſſe, atque eodem modo fuerunt ſublata cætera quæ ex aduerſo proponebantur.

Ad motiuum quod fecit quidam ex Dominis, quòd cùm per dictum *cap. quia ſæpe, & Clementin. ſtatutum, de elect.* nedum prohibeatur præterita, ſed etiam futura conſuetudo, cùm lex
25. ſemper loquatur. *l. Arriani. C. de hæret.* Couarr. *lib. 3. cap. 13. num. 4. variarum reſolutionum*, ſequitur quòd lege ſemper obſiſtente nullo tempore poſſit induci immemorabilis. * Abbas *in cap. fin. num. 24. de conſuetud.* Alexand. *conſ. 196. num. 13. lib. 2.* Reſpondetur per immemorabilem quæ facit ius, vt dicitur, contineri priuilegium vinci, & ſuperari contrariam iuris reſiſtentiam & præſumptionem, vt patet ex deductis.

* adde Seraphin. deciſ. 645. n. 1.

Similiter ad aliud motiuum eiuſdem domini quòd cùm lex futuram conſuetudinem repro-
26. bet, illa non poſſit induci, niſi ex ſcientia Principis, ſeu Papæ. Gozadinus *conſil. 101. num. 26.* Decianus *conſil. 32. num. 50.* Riminal. iunior *conſil. 72. num. 125.* nec ſcientia Papæ probatur in iſto caſu, in quo tamen adſunt viuæ & ſemper loquentes eius conſtitutiones *in d. cap. quia ſæpe,*
27. *& in Clement. ſtatutum*, fuit dictum, ſatis adeſſe ſcientiam Principis, ex quo adeſt ſcientia miniſtrorum, ſeu collectorum illius. Item ſatis hic poſſe dari de Principis ſcientia, ex quo habens immemorabilem, poteſt allegare priuilegium Papale, & ſic ſaltem præſumptam ſcientiam illius.

Poſtremò non putarunt Domini obſtare illam deciſionem ſub die 6. Februarij 1589. * coram me in iſta cauſa: quia tunc nondum fuerat firmata immemorabilis, nec erat particulariter actum de eius viribus & effectu.

* ſuprà deciſ. 9.

---

## *Mediolanen. Iuriſpatronatus.*

### Die 4. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Notarius ſucceſſor in notis poteſt extrahere ſcripturas, quæ faciunt fidem ſine compulſorialibus.*

3 *Aſſertio iudicis in ſententia dicentis ſibi conſtare de iure patronatus cum alijs adminiculis probat.*

4 *Iuſpatronatus antiquum probatur per continuatas præſentationes, & num. ſeqq.*

## DECISIO CXXIX.

AD Capellaniam ſimplicem ſine cura, ſub inuocatione S. Veronicæ, loci de Hoe Mediolanen. diœceſis, vacantem per obitum Andreæ de Blanchis, de menſe Septemb. ann. 1588. ſub die 5. Octobris eiuſdem anni Bernardus, & alij (de quibus mox dicetur) omnes de domo, ſeu familia de Capitaneis, tanquam veri patroni dictæ Capellaniæ, coram Vicario Mediolanen. præſentauerunt D. Ioannem Baptiſtam de Capitaneis Preſbyterum, eundemque inſtituendum petiuerunt. 1.

Vicarius oppoſitis edictis, & legitimè executis, productiſque etiam pro parte dictorum patronorum aliquot præſentationibus, per eorum anteceſſores, & per ipſos factis, cùm inſtitutionibus illarum vigore, ſubſecutis ab anno 1500. vſque ad ann. 1588. ſeruatis ſeruandis; die 8. Nouembris 1588. aſſerens ſibi de dicto iurepatronatus legitimè conſtare, præfatum Ioannem Baptiſtam de Capitaneis inſtituit, qui ſic inſtitutus poſſeſſionem dictæ Capellaniæ apprehendit, & per annum continuauit, donec Paulus Ale à Sixto V. eandem tanquam vacantem in menſe reſeruato, ac velut beneficium liberum impetrauit, obtentoque breui de capienda poſſeſſione, eius vigore ad contumaciam Ioannis Baptiſtæ, ſententiam ab Auditore Cameræ obtinuit, & poſſeſſionem adeptus fuit.

Cauſa mihi commiſſa dedi dubium, an conſtaret de iure patronatus iſtorum de Capitaneis, & dum pro illius propoſitione inſtaretur, per Ioannem Baptiſtam, Paulus in actis renuntiauit, & iure quod prætendebat ſuper eo; verùm quia eius Procurator dedit memoriale in Rota, in quo pro exoneratione ſuæ conſcientiæ dicebat ſe dubitare de duobus; primò, an iura producta pro Ioanne Baptiſta eſſent in forma probanti; ſecundò an iſti de Capitaneis, (qui nunc præſentarunt) eſſent ſucceſſores illorum, qui antiquitus conſueuerunt præſentare, ideo Domini ordinarunt quòd diſcuſſis iſtis duabus difficultatibus, ad fauorem Ioannis Baptiſtæ vltimò loco præſentati, cauſam expedirem.

Quantum ad primum, iura ſunt in forma probanti, quia extracta & publicata ab Hermogene Gerardo Notario actuario Curiæ Archi- 2.
epiſcopalis Mediolanen. cuius manus fuit in 3.
Cura legitimè recognita, apud quem exiſtunt iura, vnde cùm ſit ſucceſſor in officio, & pariter actuarius, potuit extrahere ſine compulſorialibus abſque vitio nullitatis, vt eſt notum, Verallus *deciſ. 244. num. 3. part. 2.* & fuit ſæpe in Rota deciſum. *

Quantum attinet ad ſeruandum, hîc adeſt primum aſſertio Ordinarij † dicentis ſibi conſtare de iure patronatus. Decius *in Authent. ſi quis in aliquo. C. de eden.* Socinus ſenior *conſ. 265. lib. 2.* Pariſ. *conſ. 33. n. 7. lib. 1.* Aymon *conſ. 157. n. 3. & 16.* Couarr. *in pract. quæſt. c. 21. n. 2.* Adeſt præterea deſcendentia cum præſentationibus multiplicatis: nam de anno 1500. per obitum Ioannis 4.

* vt per Cot. dec. 53. n. 2. Mantic. dec. 206. n 9. Ludou. dec. 3. h. 1. & eſt communis opinio Rotæ.

† adde Coce. deciſ. 229 & Caual. deciſ. 55. n. 2. & 61. n. 3. Duran. dec. 423. n. 3. & 423. n. 3. tom. 2.

nis Pauli de Capitaneis de Hoe fuit præſentatus ad præfatam Capellaniam Dominicus de Blanchis de Aldego per illos de Capitaneis, in quibus fuerunt Baptiſtinus filius Audiceoli, Bernardus filius Chriſtophori Chriſtophorus, Franciſcus Poguini, Gaſparinus filius Chriſtophori, Iacobus filius Audiceoli, Ioannes Petrus filius Gaſparis, Ioannes Ant. filius Gaſparis, Iulianus filius Chriſtophori, & Stephanus filius Martinoli.

De anno 1525. cùm præfatus Dominicus de Blanchis de Aldego prædictam Capellaniam in manibus Papæ ad fauorem Ioannis de Blanchis reſignaſſet, Baptiſtinus filius Audiceoli, Bernardus filius Chriſtophori, Iulianus filius Chriſtophori, Petrus filius Beltrani, & Stephanus filius Martinoli, omnes de Capitaneis, & mulieres deſcendentes, (vt apparet ab illis qui de anno 1500. præſentarunt, litteris Apoſtolicis, & omnibus contentis in illis) tanquam legitimi patroni conſenſum, & aſſenſum præbuerunt.

5. De anno 1555. per liberam reſignationem
præfati Ioannis de Blanchis, præfatus Ioannes Andreas immiſſus fuit in realem & actualem poſſeſſionem præfatæ Capellaniæ vigore proceſſus executorialis; verùm in litteris prouiſionis Pauli IV. ſub dat. Romæ, Non. Calend. Octobris anno 1555. expreſsè aſſeritur Capellaniam eſſe de iure Patronatus de Capitaneis, ex fundatione, & dotatione, & pro ea vice dumtaxat eidem iuripatronatus pro medietate derogetur.

6. De anno 1588. Andreas filius Iacobi, Bernar-
dus filius Petri, Chriſtophorus filius Ioannis Antonij, Franciſcus filius Ioannis Antonij, Ioannes Dominicus filius Ioannis Antonij, Ioannes Ambroſius filius Ioannis Petri, Ioannes Petrus filius Chriſtophori, Marſilius filius Ioannis Petri, Petrus Maria filius Ioannis Petri, & Thadæus filius Ioannis Petri, ad iſtam Capellaniam vacantem per obitum Andreæ de Blanchis præſentauerunt Ioannem Baptiſtam de Capitaneis, qui nunc eſt in cauſa.

7. Aderat prætera authentica fides aliquot ve-
tuſtiorum præſentationum factarum de an. 1431. & 1459. & teſtes in Curia recenter *examinati, qui de publica voce, & fama, & per bonas rationes deponebant de iſto iurepatronatus, ex quibus fuit iudicatum ſufficientiſſimè conſtare de iurepatronatus Dominorum de Capitaneis reſpectu iſtius Capellaniæ, ſeu Eccleſiæ Sanctæ Veroniæ de Hoe.

*teſtes de fama cum continuatis præſentationibus probãt ius patronatus. Mantic. dec. 198. n. 4. & 318. n. 5. Cocc. deciſ. 209. n. 3. Caual. dec. 159. n. & habetur in recen. p. 1. dec. 333. Duran. dec. 413. n. 2. tom. 2. Maſcard. de prob. concluſ. 956.

## *Romana, ſiue Lugdunen. redditionis computorum.*

### Die 4 Februarij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Venditorem maiori pretio vendidiſſe rem ſi alleget tertius, tenetur id probare.*
3 *Solutionem allegans tenetur eam probare.*
4 *Actor in eo quòd fundat ſuam intentionem probare tenetur, & num. 6.*
5 *Culpa imputari non poteſt ei, qui fecit quod fieri ſolet.*
7 *Dolus non præſumitur niſi ex perſpicuis indicijs.*
8 *Procurator ad vendendum non poteſt ſibi emere rem niſi ei ſpecialiter ſit permiſſum.*
9 *Probationes difficiles iuramento ſupplentur.*

## DECISIO CXXX.

COnformiter fuit concluſum, D. Horatium 1.
Oricellarium eſſe abſoluendum, ſoluto reſiduo pretij creditorum, (de quibus agebatur) ad rationem 30. pro centenario, & præſtito per eum iuramento, quòd non vendiderit præfata credita, maiori pretio, quàm 30. pro centenario; conſiderabant Domini primum, multiplicem diligentiam adhibitam per D. Thomam de Lilio Epiſcopum Foranum, à quo D. Ioannes de Lilio habet cauſam, vt iſta credita ad maius pretium, quod requiri poſſet in Gallia, venderentur, quod cùm ei ex voto non eueniſſet, tandem ſub die 18. Aprilis ann. 1575. D. Horatio Oricellario dedit in mandatis *chi li vendiſſe il ſuo credito con quel piu vantagio che ſe poteſſe pur che non fuiſſe manco di trenta per cento.* Vnde cùm D. Horatius ſecutus ordinem ſibi in mandato præſcriptum, aſſerat ſe ad eam rationem vendidiſſe, ſoluendo reſiduum
pretij ad 30. pro centenario habeatur, & ſi D. 2.
Ioannes contendit maiori pretio factam eſſe venditionem, id ipſe probare tenetur, cùm ſit fundamentum *ſuæ intentionis. *l. 2. & l. verius ff. de probat.* præſertim cùm D. Horatium de dolo arguere videatur, quaſi animus fideliter negotium ſibi commiſſum tractauerit.

* adde Seraphin. deciſ. 1189. n. 1.

Nec ad rem facit quòd allegans ſolutionem, 3.
probare eam teneatur. *l. 1. C. de probat. l. quinquaginta. ff. eod.* nam Horatius non dicit ſe ſoluiſſe, ſed paratum ſoluere ad rationem 30. pro centenario, ſicut aliis de Liliis ſoluit pro eadem portione.

Minus refert quòd Horatius plus vendere 4.
potuerit, & quòd propterea maiori ſumma ſit condemnandus; nam cùm hoc etiam Horatij culpam arguere videatur, non præſumitur, & Ioannes * in eo ſe fundans probare debet. Bart. *in l. ſi creditor. num. 2.* & Baldus *num. 1. C. de pignorat. actio.* & Alexand. *conſil. 136. num. 3. lib. 7.* Decius *conſil. 562. num. 11.*

* adde quæ infrà ad n. 6. allegantur.

Factum verò Horatij culpa vacare oſtendit, nedum præfatum mandatum ſibi tranſmiſſum, verùm etiam teſtes in Curia examinati qui ſuper 12. de articulato tempore ann. 1575. de publica fama teſtificantur, credita præfata Lutetiæ
Pariſiorum vendi ſolita ad 30. vel 35. pro cen- 5.
tenario parum plus, vel minus, vnde cùm Horatius fecerit, quod frequenter fieri ſolebat, non poteſt ei culpa * imputari. Baldus *in l. pignus. C. de pignorat. act.* Ancharanus *conſil. 348. num. 1. in fine*, Ioannes de Anania *conſil. 71.* Corneus *conſil. 282. n. 8. verſ. quod maximè dicendum eſt.*

* adde Rot. diuer. part. 2. dec. 129. n. 1. à contrario ſenſu.

Similiter ſi D. Ioannes negat, factam eſſe 6.
venditionem, cùm ſit ſuæ intentionis fundamentum, id probare tenetur, * quod procedit, ſiue quis agat, ſiue excipiat. Bart. *in l. penult. §. docere, num. 2. ff. ne quis eum qui in ius vocat.* Iaſon *in l. 4. §. condemnatum, num. 7. ff. de re iudic.* Corneus *conſil. 105. num. 22. lib. 2.* maximè, quia negando factam fuiſſe venditionem, Horatius, qui aſſerit ſe vendidiſſe, arguitur de dolo, qui non præ-
ſumitur, niſi perſpicuis * indiciis concludatur. *l.* 7.
*qualiter*

*adde Cocc. dec. 76. n. 4. & deciſ. 104. n. 6. & 14. & 106. num. 1. & 143. n. 5. & 448. n. 2. Caual. deciſ. 235. n. 1.

* adde Lud. dec. 169. n. 2.



*qualiter. §. 1. Digeſt. de probat. l. dolum. Codice de dolo.*

& Duran deciſ. 386. n. 23. & Seraphin. deciſ. 1275. num. 5. Rota recen. p. 3. dec. 118. num. 1.

Non placuit Dominis, quòd Horatius potuerit pro ſe credita retinere, & inde etiam veniat abſoluendus; quia Procurator conſtitutus ad vendendum, non poteſt ſibi emere, niſi id ei ſpe-
8. cialiter ſit permiſſum. *l. ſi in emptione. §. fin. & l. non licet. ff. de contrahen. empt.*

Sicut nec placuit, quòd Horatius debeat docere venditionem per ſcripturam, cùm id nec ſibi fuerit datum in mandatis, nec iſte ſit de ca-
9. ſibus in quibus ſcriptura requiritur; fuit tamen ordinatum propter difficultatem * probationis, vt D. Horatius iuraret ſe maiori pretio non vendidiſſe, vt fuit dictum in illa Romana pecuniaria inter D. Auguſtinum Pinellum, & Neros 9. Decembr. 1589. coram D. de Rubeis Decano; vbi cùm propter difficultatem probationis D. Pinellus non poſſet oſtendere, quantum expenderit pro quadam expeditione, ſtandum fuit eius libris & iuramento; & meritò, quia de viro probo & notæ nobilitatis non eſt facile aliquid ſiniſtrè præſumendum.

*adde Mant. dec. 6. n. 8. & 11. & 124. n. 12. Caual. dec. 103. n. 1. & infrà dec. 866. n. 1.

## *Calaguritana Beneficij de Ceruera.*

### Veneris 8. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Probatio cum ſcripturis authenticis facta non admittit contrariam probationem per teſtes.*
3 *Habilitas maior litteraturæ non probatur per teſtes, ſed per examinationem.*
4 *Habilitas maior requiritur tempore concurſus, ſed non poſtea.*
5 *Examen ſemel recuſans poteſt deinde ad illud admitti.*
*quod intellige vt num. 6.*
7 *Habilis reputatur ad beneficium ſimplex qui ſciat legere, & grammaticaliter conſtruere.*

## DECISIO CXXXI.

1. AGentes pro Didaco Torres videntes per decisionem factam in hac cauſa 14. Ianuarij * proximè præteriti ſufficienter reſponſum omnibus Didaci prætenſionibus, aliam viam ineuntes, voluerunt diſputare, an ex his quæ proponebantur, foret concedenda Remiſſoria, & commiſſio ſubdelegationis examinis, ad probandam maiorem habilitatem præfati Torres.

* ſuprà deciſ. 124.

Remiſſoriam non putarunt Domini concedendam; nam cùm per ſcripturas probata eſſet conſuetudo admittendi antiquiorem in decantamento epiſtolæ: (vt conſtat ex deciſioni-
2. bus factis in eadem cauſa coram RR. PP. Dominis Bubalo, & Orano,) probatio * contraria per teſtes non eſt admittenda, cùm non releuet. *l. ad probationem. C. de probat.*

*adde Cocc. deciſ. 235. n. 17. Duran. dec. 453. n. 6. tom. 2. Rot. recen. deciſ. 266. n. 7. p. 3.

Similiter cenſuerunt non eſſe dandam commiſſionem ſubdelegationis examinis ad probandam maiorem eius habilitatem, ita vt ad eius fauorem intret conſtitutio Synodalis, quæ vocat antiquiorem in Ordinibus, niſi iunior ſit habilior: nam cùm Torres, non habeat aliquem gradum in aliqua ſcientia, cùm non doceat ſe Doctorem, vel Licentiatum, & ſic non habeat pro ſe præſumptionem, ſed tam ipſe, quàm Caſtello ſint in eodem ſtatu, & ideò maior habilitas non poſſit probari per teſtes, ſed requiratur examinatio perſonæ, Rota *deciſ. 8. de probat. in nouis.* Geminianus *in cap. ſi fortè, circa finem, de
elect. lib. 6.* & iſta maior habilitas adeſſe debeat, 4.
tempore præſentationis, * ſeu habiti concurſus ad beneficium vacans. *cap. ſi eo tempore, de reſcript. lib. 6.* Felinus *in cap. eam te, & reſcript.* Abbas *in cap. dudum, num. 8. verſ. nota quòd electus, de elect.* non poteſt hodie Torres poſt quatuor annos examinari ad probandam ſuam habilitatem, & litteraturam, quam illo tempore adeſſe oportuit: cùm toto hoc temporis interuallo multa didiciſſe potuerit, (vt ſæpe fuit in Rota diffinitum, ac præſertim in illa Legionen. Parochialis coram R. P. D. Comitolo,) ex quibus dicebant Domini tolli quod ex aduerſo opponebatur ex
Lapo & Geminiano *in d. cap. ſi fortè, de elect. lib. 6.* 5.
dicentibus, recuſantem ſemel ſubire examen poſſe, deinde ad illud admitti, loquuntur enim cùm agitur de ſola habilitate probanda, ſecus autem ſi tractaretur de maiori habilitate in con-
curſu probanda, & præſertim in hoc caſu, ſtan- 6.
te lapſu quatuor annorum; * cùm itaque Torres habiliorem ſe probare nequeat, & Caſtillo ſit habilis, † prout ſacerdotium & ſimplex be-
neficium * requirunt, ſatis enim tunc eſt, quòd 7.
ſciat legere, cantare, & grammaticaliter conſtruere, gloſſ. *in Clemen. 1. in verb. reputamus, de conceſſ. præbend.* & diuinum Officium competenter intelligere, & legitimè recitare. *cap. 1. & cap. dolentes, de celebrat. Miſſ.* iterum Domini ordinarunt, vt ad eius fauorem cauſam expedirem.

* adde Rot. diuer. lib. 1. p. 3. dec. 691.

* vide Seraphin. deciſ. 968. n. 10.

† habilitas maior ex quibus cenſeatur in cõcurſu ad beneficium, vide Seraphin. dec. 767.

* adde Seraphin. deciſ. 968. n. 2.

## *Romana Legatorum de Vitellis.*

### Die 8. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

*Peritis artis conſulendum eſt in ratione computorum, per totam.*

## DECISIO CXXXII.

PRopoſui dubium, ad quam ſummam eſſet facienda liquidatio? & Domini ordinarunt, quòd eligerem peritum, qui extraiudicialiter viſis partitis & facto calculo relationem faceret, qua viſa poſſet ſtabilire, ad quam ſummam eſſet facienda taxatio; Hieronymus verò Adelaſius peritus electus, facto diligenti calculo retulit pro vt in ſua relatione.

Cæterùm, quia pro parte Alphonſi Vitelli prætendebatur tres potiſſimum partitas, nempe vnam ducat. 829. alteram ducat. 2913. & tertiam ducat. 902. eſſe duplicatas, eo quia nulla facta ſpecificatione rerum, ex quarum venditione pretium illarum partitarum fuerat extractum, recenſebatur; poſtea verò reperiebantur ſpecificatæ multæ res in inuentario, cum illarum pretio, dicebatur enim pro parte D. Alphonſi eaſdem res, primò in genere æſtimatas, poſtea fuiſſe ſpecificatas,

cificatas,& pretium ſingulis appoſitum : ideo ad tollendam iſtam difficultatem iterum conſului eundem peritum, qui iterum examinato inuentario hæreditatis D. Cardinalis Vitelli reſpondit, non eſſe duplicatas partitas : illas verò tres prædictas potuiſſe conflari ex argento facto tapetibus,equis,thedis,& pleriſque aliis rebus non comprehenſis in partitis venditis per alterum de Contreras, nec in aliis contentis in æſtimatione per Corcos Iudæum, qua relatione ſtante, quia agentes pro D. Alphonſo noluerunt concordari cum D. Chiappino Vitellio ( ſicut ego monueram) & valde optaram ( delato prius iuramento *D.Chiappino)tuli ſententiam contra D.Alphonſum pro ſumma in eo contenta.

* vide decis. 551.n.1.p.2. rec. Caualer. dec 484.n.1.

## *Vlyſbonen. legitimæ.*

Die 15. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in prophanis regulariter conceditur quando articuli ſunt releuantes.*
2 *Deceptio & dolus non excluditur per religionis ingreſſum.*
3.4 *Abſolutio iuramenti ad effectum agendi non requirit partis citationem.*
5 *Ceſſio ſi non habuerit effectum, ſemper remanent actiones penes cedentem.*

## DECISIO CXXXIII.

1. FVit concluſum, concedendam eſſe Monialibus Remiſſoriam,quia in prophanis Remiſſoria regulariter dari ſolet in qualibet inſtantia, quando articuli ſunt releuantes. * Verallus *deciſ.*68.*part.*3. Decius *in cap.* 1.*num.* 72. *& ſeq. de appellat.*

* etiam ſi dubitetur an ſint releuantes articuli. Coc. dec.20. n.4. Mantic. dec.312.n.1. & 369.n.1.& hanc concluſionem ſemper admittit Rota.

Releuantia articulorum erat clara, quia continebant probationem enormiſſimæ læſionis, nec deſinebant eſſe releuantes ſub prætextu, quòd ingredientes monaſterium non poſſint allegare læſionem,quoniam hîc allegabatur dolus, & deceptio quæ non poſſunt tolli per religionis ingreſſum, nam dolus & deceptio excludunt conſenſum, ſine quo non valet actus.

2. Non obſtat periurium, aut religio iuramenti *in contractu renuntiationis interpoſiti de non petendo abſolutionẽm ab eo : nam hæc per pleniſſimam abſolutionem à Sixto V. obtentam de anno 1589. ad effectum agendi ſufficienter tolluntur, in qua non requiritur aliqua partis citatio. † Oldradus *conſil.*120.Couarruuias *lib.*1. *cap.*4. *num.* 6. *variar. reſol.* & fuit dictum in vna Romana donationis die 20.Nouembr.1585. coram R.P.D.Decano.

* an in hac abſolutione iuramenti ſit facienda expreſſio de eo, vide Rotam recen. p. 3. dec.5.n.2.

3.
4. Nec confirmatio Apoſtolica cum clauſula, *ſublata,* appoſita in conformatione renuntiationis,Remiſſoriam nunc impediunt ; nam cùm in abſolutione fiat mentio de clauſula *ſublata*, & deinde ſequatur pleniſſima abſolutio iuramentorum ad effectum agendi, ſatis per hoc intelligitur conceſſa aperitio oris, quod maximè procedit in hoc caſu,cùm verſemur in confirmatione in forma communi,cum clauſula,*licita tamen & honeſta, & ſacris Canonibus non contraria*, conceſſa per pœnitentiariam; vnde clauſula *ſublata,* non obſtat,niſi quatenus pacta in renuntiatione appoſita, forent licita & honeſta, cuius rei inſpectio pendet à negotio principali, quibus accedit, quia confirmatio renuntiationis obtenta fuit ad poſtulationem partis in qua cum clauſula, *ſublata,* non conuenit, alia clauſula, quod de ſubreptionis, vel obreptionis vitio opponi non poſſit, vt conſiderabatur in illa Tarraconen. villæ de Reus ſub die 8.præſentis menſis.

† & ratio eſt, quia talis abſolutio ſolũ habilitat abſolutum ad cõparendum in iudicio ſed non tollit vires & robur iuramenti. Rota recen.part.2. dec.580.n.7.

5. Neque aliquid facit ceſſio Monaſterij, quia cùm non habuerit effectum, iuxta caſus requiſitos *in l.*3.*C.de nouat.* ſemper directæ actiones remanent penes cedentem, * quarum vigore cedens agere poteſt.

* adde Duran. dec. 34. n. 33. & 35. tom.1.& Rotam recen. p.1.dec.394. num.14.

## *Conchen. veſtuarij per contradicta.*

Die 15. Februarij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Fructus bona fide percepti ſunt perceptoris.*
3 *Fructus debentur à die litis conteſtatæ reſtitui parti.*
4 *Retentio rei facilius conceditur,quàm petitio.*
5 *Fictio non poteſt plus operari, quàm veritas.*
6 *Teſtis non reddens rationem ſui dicti non concludit.*

## DECISIO CXXXIV.

ARchidiaconatum & Canonicatum vacantes in Eccleſia Conchen. per obitum Don Marci de Parada, Epiſcopus,Decanus, & Capitulum Conchenſ. Archidiaconatum Don Dionyſio de Caſtro, & Canonicatum Ioanni de Noua contulerunt,qui die 1.Decemb.ann.1578. illorum reſpectiuè poſſeſſionem acceperunt; verùm cùm Dominus Marcus de Parada eſſet ſubcollector Apoſtolicus in ciuitate & diœceſi Conchen. & ideo eius Archidiaconatus, & Canonicatus Sedi Apoſtolicæ reſeruati Don Ferdinandus de Eſcobar de prædictis fuit authoritate Apoſtolica prouiſus, qui vigore litterarum in forma breuis expeditarum de capienda poſſeſſione nomine Cameræ Apoſtolicæ Archidiaconatus ſub die 1. Februar. 1580. & Canonicatus ſub die 26.Martij eiuſdem anni poſſeſſionem apprehendit. 6.

Lite agitata inter Ioannem de Noua, & prouiſum Apoſtolicum,Ioannes tandem ſuccubuit, verùm in partibus contra Decanum, & Capitulum pro conſequendis diſtributionibus quotidianis à die, quo ipſe accepit poſſeſſionem, vſque ad diem in quo fuit tradita poſſeſſio Procuratori Cameræ Apoſtolicæ, & etiam pro conſequendo veſtuario, quod prætenditur, ſolere lucrari Canonicos intereſſentes diuinis Officiis,in vigilia,& die feſto S.Michaëlis,menſis Septemb. iudicium introduxit, & tandem ſententiam fauorabilem coram Ordinario reportauit ſub die 26.Septembr. ann. 1588. per quam Decanus, & Capitulum Conchen. condemnantur ad dandum & ſoluendum Ioanni de Noua valorem fructuum pertinentium ad dictum Canonicatum,& portionem panis,marauedis, & pitantias dicti



dicti Canonicatus à die 1.Decemb.an.1578.quo Ioannes accepit illius poſſeſſionem,vſque ad vltimum Ianuarij ann. 1580. & veſtuarium etiam Canonicatus, quod fuerat lucratus in die S. Michaëlis menſis Septembris ann. 1579. cuius ſolutio facienda erat ann.1580.

Cauſa mihi commiſſa, dubitaui an ſententia Ordinarij Conchen.eſſet confirmanda,vel infirmanda? & quia ſub die 1.Februar.Domini excitarunt aliquot difficultates, non fuit capta reſolutio, ſed die 25. eiuſdem menſis iterum cauſa propoſita & diſcuſſa, fuit deciſum ad fauorem Decani, & Capituli ſententiam eſſe infirmandam ; nam licèt verum ſit fructus bona fide perceptos fieri percipientis, * arg. *l. bonæ fidei.ff. de acquiren.rerum dom.& l.certum, C.de rei vendic.* & ideo non eſſe reſtituendos, vt fuit dictum in illa Romana de Gabrielibus coram R.P.D.meo Giptio 20. Nouembr.1585. hîc ceſſabat iſta ratio, cùm ex confeſſione ipſiuſmet Ioannis,appareret nihil eum percepiſſe, ait enim ſic : *è de toto lo que gane en anno y medio,no ſe me ha dado,ni pagado coſa alguna.* Cùm ergo à menſe Aprilis ann.1589. Ioannes petiuerit,& obtinuerit licentiam à Capitulo,vt iret in oppidum de Madrid,ad litigandum ſuper dicto Canonicatu,ab eo tempore fuit in mala fide ſaltem fictè, cùm tunc iam eſſet ſibilis mota,* quod ſufficit, vt ſi quos percepiſſet fructus, eos reſtituere teneretur. *l. certum eſt, in fine.C.de rei vendicat. l.*1.*in fine.C.de petit.hæredit.* Bart. *in l.illos, eodem tit.* Itaque ſi quis poſt litem conteſtatam perceptos fructus reſtituere tenetur,minus poteſt petere non perceptos,tanquam ad ſe ſpectantes,cùm faciliùs concedatur retentio quàm petitio.*l.per retentionem.C.de vſuris.* Socinus iunior *conſil.*1. *num.*19. *lib.* 1. Aymon *conſil.*358.*num.*4.

2.
* adde Lud. dec. 74. n.1. & 5. & de hoc art. vide ibi annotationem referentem plures dec. Caual. dec.109. n. 6. & 646. n.1. Cocc. deciſ.369.n.3.

* & regula eſt certa in omni interdicto quòd fructus debentur à die motæ litis Caual. deciſ. 409 n.1.

3.
4.

Neque fictio quòd videatur præſens fuiſſe, ac fructus percepiſſe propter licentiam ſibi à Capitulo conceſſam,debet plus operari *quàm veritas. *l.filio quem pater.ff. de liberis, & poſthum. l.ſi filius,* vbi notat Alexander *num.* 1.*ff.ſi cert.petat.* quibus accedit, quia veriſimile eſt, Capitulum non habuiſſe animum reſpondendi Ioanni de fructibus, ſeu pitantiis, niſi in euentum, quo, parta litis victoria, Canonicus Eccleſiæ remanſiſſet.

* adde Rot. recen.part.1. dec.104.n.3. & 266.n.8.

5.

Atque ex his fit conſequens nec veſtuarium ſibi deberi,cùm poſt litem motam, illud prætendat ſe fuiſſe lucratum : nam ipſemet Ioannes fatetur de menſe Aprilis 1589. petiuiſſe licentiam,pro eundo ad litigandum, & de menſe Septembris eiuſdem anni reuerſum ad Eccleſiam, & in vigilia & feſto S.Michaëlis, interfuiſſe diuinis Officiis, quod vniformiter etiam deponunt teſtes ſuper 6. art. quorum teſtificationes non placebant Dominis, cùm non redderent ſufficientem rationem ſui dicti, nec concludenter probant eis Canonicis deberi veſtuarium, qui in vigilia & in feſto S. Michaëlis de menſe Septembris diuinis Officiis interfuerint.

6.

Neque licentiæ datæ D. Ioanni ſub die 6. Decemb.1578.& ſub die 2.Maij,& 30.Septemb. ann. 1579. ei ſuffragatur, quo ad veſtuarium, cùm illæ ſolùm loquantur de pane, & pitantiis.

## *Vicentina decimarum feudalium.*

Lunæ 4.Martij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Dominium vt concludenter probetur contra tertium non ſufficit inſtrumentum inueſtituræ.*
2 *Quod fallit ſi concurrant alia adminicula.*
3 *Dominium ex inſtrumento inueſtituræ probatur ſi conſtet de identitate terrarum.*
4 *Inueſtiturarum ſucceſſiua pluralitas veritatem dominij patefaciunt.*

## DECISIO CXXXV.

DOmini firmarunt regulam, quòd ad effectum probandi dominium concludenter contra tertium,non ſufficit inſtrumentum inueſtituræ. * *l.ad probationem.C.locati, cap.inter dilectos, de fide inſtrument.* Bart. *in l. legata inutiliter. ff. de aliment. & cibar. legat.* Afflictus *deciſ.* 14. *num.* 8. 1.

* de quo vide dec. 249. n.3. p. 1. recen. & Seraphin. deciſ. 1424.n.2.

2.

Eam tamen dixerunt non procedere, quando præter inſtrumentum * inueſtituræ, ſeu locationis concurrunt alia adminicula, tunc enim etiam contra tertium probari dominium voluerunt. Bart.*in d. l. ad probationem,* Socinus ſenior *conſil.* 89.*num.* 11. *verſ. ſecundò ponderandum eſt, lib.*1. Alexand.*conſ.*12.*num.*1. *lib.*4. Pariſ.*conſ.*104. *num.*82.*&* 83.*lib.*1. Afflictus *dicta deciſ.*14.*num.*8. *verſ. niſi probaſſet alia adminicula.* & fuit reſolutum in terminis deuolutionis,ob lineam finitam contra tertium in cauſa ciuitatis Caſtelli Eremitis Camaldulenſibus contra Dominos Vitellios coram R. P. D.meo Pamphilio anno proximè præterito.

* adde Rot. recen.4.part. dec.697.n.3. & deciſ.290. n.1.& 3.p.1. Caual. deciſ. 105.n.1.& 2. & deciſ.269. n.2.& 3. Duran.dec.112. n.5.tom.1.

In caſu propoſito cenſuerunt Domini, inueſtituram factam de anno 1525. Camillo de Nepetis,à quo cauſam habet Randonius,ſatis poſſe videri adminiculatam ad effectum probandi dominium iſtarum decimarum feudalium, ſi conſtaret de identitate terrarum; * quare fuit ordinatum quòd de illa videretur,ex qua potiſſimum pendet reſolutio totius cauſæ : nam tunc ſolutiones multiplicatæ, quæ ſi non ſint legitimæ extractæ, iterum poterant formiter extrahi, & ſucceſſiua pluralitas inueſtiturarum * veritatem patefaciunt,& deciſio coram R. P. D. meo Decano ſub die 28. Aprilis 1589. ſine difficultate ſubſiſtit.

3.
* de hoc articulo infrà dec.173.
4.
* adde Rot. recen.part.1. dec.290.n.4. & Seraphin. dec.868.n.2.

## *Spoletana bonorum.*

Veneris 15. Martij 1591.

## DECISIO CXXXVI.

DOmini tenuerunt in reſolutis ſub die 4. Iulij ann. 1590. * nam quæ pro parte dominorum Canonicorum Sancti Ioannis Lateranen. proponebantur, non erant talia quæ deciſionem benè formatam ſubuerterent,& placuerunt reſponſiones datæ per informantes pro parte Domini Abbatis Ancarani. 1.

* ſuprà deciſ.122.

Palentin.

## *Palentin. & Oxomen. beneficiorum.*

### Die Lunæ 18. Martij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio capta ab eo, de cuius mandato non conſtat, non eſt manutenibilis.*
2 *Poſſeſſio capta ſine mandato, ſuſtinetur poſtea ratihabitione.*
3 *Ratihabitio mandato comparatur.*
*quod habet locum re integra, num. 4.*
5 *Poſſeſſio attentata non eſt manutenibilis.*
6 *Commiſſione præſentata, ſtatim iudex acquirit iuriſdictionem.*
7 *Iudex decernendo citationem, quaſi incipit negotium.*
8 *Litem motam eſſe ſi ſciatur ab vna parte, iam eſt cœptum negotium.*
*quod intellige vt num. 9.*
10 *Citatio niſi perueniat ad partem citatam, non eſt cœptum iudicium, quod fallit in actore.*
11 *Poſſeſſione nulla capta donec citetur, vel ſpolietur poſſeſſor, poſſeſſio capta ab alio non eſt potentior.*

## DECISIO CXXXVII.

1. DVbitaui, an mandatum de manutenendo eſſet dandum Ludouico Ronquello, vel potiùs Didaco de Monteroſo.

Et Ludouico dixerunt Domini non eſſe dandum, quia eius poſſeſſio fuit capta per eum, de cuius mandato non conſtabat, & ideo non potuit Ludouic. acquirere poſſeſſionem. **l. ſi ego. ff. de negot. geſtis. l. 1. §. per procuratorem. ff. de acquiren. poſſeſſ.* Aymon *conſ. 5. num. 15. & 16. verſ. poſtremò iſta res.* & licèt talis poſſeſſio ſecuta ratificatione
2.
ſuſtinetur, cùm ratihabitio ſequens retrotrahatur. * *l. fin. C. ad Macedon.* & mandato comparetur, † *cap. ratihabitionem, de regulis iuris lib. 6.* id tunc locum habet, ſi re integra, ideſt, antiqua, ſuperueniat alia mutatio, ſeu alteri ius acquiratur, ratihabitio fiat, ſecus ſi res non ſit in eodem ſtatu, * vt hîc, cùm ante ratificationem factam
3.
per Ludouicum, Didacus poſſeſſionem beneficiorum occupauerit. Bartol. *in l. ſi vxor. §. ſi quis vxorem, num. 3. verſ. vel aliter, ratihabitio. ff. ad leg. Iuliam de adulter.* Alexand. *in l. quod meo. ff. de ac-*
4.
*quiren. poſſeſſ.* Rota *in nouiſſ. deciſ. 150.* incip. *Licèt amicus meus, de reſtit. ſpoliat.*

Similiter cenſuerunt Domini non eſſe dan-
5.
dum mandatum Didaco, quia eius poſſeſſio videbatur attentata, & propterea non manutenibilis, * Verallus *deciſ. 234. lib. 1.* in manuſcript. & de attentatis conſtabat ex lite introducta per eum, Achilles *deciſ. 5. de attentatis*; nam cùm nomine Didaci eſſet capta poſſeſſio ſub die 9. Decembr. 1588. & 10. Aprilis, eiuſdem anni, Dida-
6.
cus præſentauerit iudici commiſſionem, ex qua protinus acquiſiuit * iuriſdictionem, cuius vigore poſtea fuit decreta citatio, licèt de eius executione non conſtaret, perpetua fuit iuriſdictio. gloſſ. *in Clement. 2. in verb. ad partem, vt lite pend. cap. gratum. §. nos autem, de offic. deleg.* quia per de-
7.
cretum citationis negotium eſt quaſi cœptum. * Decius *in l. more n. 47. ff. de iuriſdict. om. iudic.* & tenuimus anno præterito, Seraphinus Oliuarius Rotæ Decanus, Laurentius, Blanquethus, & ego in relatione canonizationis Beati Iacobi Poloni, quem ad inſtantiam Sigiſmundi eius nominis tertij Regis Poloniæ, & omnium procerum Polonorum Eccleſiaſticorum & Laicorum S.D.N. Gregorius XIV. volebat canonizare, & hoc paſſim ſeruat Rota *deciſ. 9. de dolo & contumac. in antiquis.* Biſnietus *deciſ. 1. de offic. delegat.* Verallus *deciſ. 124. part. 2.*

Ideo ſaltem quo ad Didacum actorem lis fuit 8.
introducta, & ipſe certus erat de ea, quod videtur ſufficere * ad hunc effectum, Caſſadorus *deciſ. 6. num. 3. & ſeq. ſuper regulis.*

Non obſtat *Clement. 2. vt lite pend.* vbi ad inducendam litis pendentiam non ſufficit à iudice
competenti, decerni citationem, niſi etiam ad 9.
partem citatam perueniat; * quia id non procedit reſpectu actoris, qui attentare dicitur poſt citationem decretam, licèt non executam, Rota *deciſ. 6. vt lite penden. in nouis.* Caſſador. *deciſ. 6. num. 4. ſuper regulis.*

Denique Ludouico (licèt nulliter) priùs poſ-
ſeſſionem detentante, eo non legitimè eiecto, 10.
ſeu non poſſidere declarato, Didacus non habuit 11.
poſſeſſionem, * Puteus *dec. 372.* incip. *In vna Tiburtina lib. 2.* & fuit reſolutum coram R. P. D. Pamphilio in vna Maceraten. bonorum 27. Nouembris 1589. & 4. Iunij 1590. & 18. Martij ann. 1591.

Cùm ergo neutra poſſeſſio ſuo auctori ſuffragari poſſet, placuit Dominis illam ſequeſtrari, & ordinarunt, vt videretur de bono iure in negotio principali.

*adde Mant. dec. 227. n. 2. & Lud. deciſ. 50. n. 3.

*adde Cocc. dec. 378. n. 6. & Rotam recen. p. 1. dec. 275. n. 4. Duran. dec. 401. n. 2. tom. 2.

† adde Rot. recen. deciſ. 211. n. 2. p. 3.

* adde Rot. recen. deciſ. 755. n. 3. p. 3.

* adde Duran. dec. 437. n. 6. tom. 2. & infrà deciſ. 617. n. 8.

* adde Rot. recen. deciſ. 546. n. 3. & dec. 143. n. 2. part. 3.

* ſed quod non ſufficiat decretum tenuit Rota recen. deciſ. 156. n. 1. p. 3. & dec. 81. n. 1. eadem p. 3.

*adde Cocc. dec. 449. n. 6. Rotam recen. dec. 685. n. 2. p. 4.

* adde Rot. recen. deciſ. 605. n. 11. p. 4. & deciſ. 736. n. 1. & Seraphin. deciſ. 1046. n. 2.

* adde Lud. dec. 148. n. 4. & latè addit. ad dec. 268. n. 9.

## *Romana mercedis.*

### Die Lunæ 18. Martij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Concedere ſolitus opera ſua, etiam mercede non conuenta, ſalarium debetur.*
3.4 *Creditor qui per multum tempus tacet, & non conqueritur de ſalario ſibi debito, præſumitur ei eſſe ſatisfactum.*

## DECISIO CXXXVIII.

COndemnatus fuerat D. Phedrus Bandinus 1.
hæres Archiepiſcopi Senen. per ſententiam extra Rotam latam, ad ſoluendum ſcuta mille Franciſco de Cittadinis ad rationem ſcutorum 40. quolibet anno, pro ſalario, ſeu mercede 25. annorum, quibus Franciſcus in diuerſis 2.
cauſis, & negotiis D. Archiepiſcopo, (dum viueret) in Curia inſeruierat; & quia in gradu appellationis dubitaui, an iſta ſententia foret confirmanda, vel reuocanda, Domini cenſuerunt reuocandam; non ex eo quòd ſalarium conuentum non debeatur, nam cùm Franciſcus * ſolitus eſſet locare operas ſuas, & Archiepiſcopus conducere, ſalarium etiam non conuentum præſtatur. Put. *deciſ. 44. lib. 2. & deciſ. 1. lib. 3.*

Neque ex Bulla Pauli III. quæ locum habere videtur in familiaribus domeſticis, vt per informantes pro Franciſco; ſed quia non videbatur 3.
ſatis veriſimile, quòd ſi Franciſcus fuiſſet creditor, viuente Archiepiſcopo vel tanto tempore tacuiſſet, * vel conqueſtus non fuiſſet, vel non petiuiſſet. Rota *in vna Romana Mercedis 16. Iunij 1570.* coram Domino Binarino; † item quoniam Archiepiſcopus erat ſolitus ſoluere mercedem ſuis familiaribus, & ſeruientibus, vt probat quartus teſtis pro Franciſco inductus, cui conſentiebant ſecundus, & tertius teſtis, licèt de ſeruitoribus ſolùm loquantur.

Iſtis accedebant non leuia adminicula; nam Archiepiſcopum fuiſſe ſolitum ſatisfacere Procuratoribus, probant aliquot teſtes pro Phedro inducti, nempe ſextus iuxta ſextum interrogatorium, & ſeptimus iuxta 12. & octauus iuxta 4. item aliquot litteræ Franciſci ad Archiepiſcopum ſcriptæ, quibuſdam enim agit gratias pro ſumma eius liberalitate, quam in ſe exercuit, quibuſdam confitetur ſe recepiſſe ordinem ad Baulinos, nec eſſe ſibi nouam eius liberalitatem. Rurſus quartus teſtis pro Franciſco inductus profitetur, Archiepiſcopum diuerſis temporibus, ſæpiùs Franciſco donaſſe aliquas pecuniarum quantitates, quòd idem Franciſcus quibuſdam litteris ad Archiepiſcopum datis ingenuè etiam profitetur.

4. Poſtremò non leue adminiculum Dominis viſum fuit, quòd paulo antequam Archiepiſcopus moreretur, 40. ſcutos mutuo, gratis, & amore Franciſco dedit, quos ille ad beneplacitum eiuſdem Archiepiſcopi reſtituere promiſit, nam cùm Archiepiſcopus eſſet liberalis, & ſolitus ſibi ſeruientibus, in primis verò huic Franciſco ſatisfacere; non videbatur veriſimile, Franciſcum in aliquo Archiepiſcopi creditorem remanſiſſe, & ex his tenuerunt pro reuocatione ſententiæ.

1. Alexander conſil. 109. num. 6.

*adde Cocc. dec. 256. n. 2. & Manticam dec. 266. n. 1. vbi n. 9. hæc deciſio allegatur. Caual. dec. 400. n. 1. Duran. deciſ. 259. n. 20. tom. 2. & infrà dec. 528. num. 7.

* adde Seraphin. deciſ. 1322. n. 4. & deciſ. 65. & de hoc artic. vide Caual. dec. 400. per totam, & infrà dec. 877. num. 7.

† habetur in impreſſis diuer. dec. 559. part. 1.



## *Romana pecudum.*

### Die 22. Martij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſione tradita rei locatæ, præſumitur locatorem ad vtendum re locata patientiam præſtitiſſe.*
3 *Conductor obijciens impedimentum in re locata, illud probare tenetur.*
4 *Conductor ſi habeat aliquod impedimentum, tenetur id denuntiare locatori, aliàs ad aliquid non tenebitur.*
5 *Locatori ſi denuntiata ſint impedimenta, & remouere non poteſt, tenetur remittere partem penſionis pro impedimenti portione.*
6 *Conductor, locatione extincta, non poteſt retinere rem locatam, inuito locatore.*

## DECISIO CXXXIX.

1. FVit concluſum, non conſtare de tali inobſeruantia inſtrumenti locationis, quo minus Domini Chiſij, qui nunc veniunt ad cauſam, agere poſſint, ad effectum qui vigore paſtorum conuentorum competere poteſt, ſaluis tamen exceptionibus legitimis, quas Domini de Maximis proponere voluerint, quarum in progreſſu



cauſæ habetur ratio. Locatio enim ab initio, ex conſignatione maſſariæ pecudum, & prædij *della viterbeſe*, cum continuatione trium annorum effectum habuiſſe videtur: vnde cùm poſ-
ſeſſione tradita, locator ad vtendum re con- 2.
ducta patientiam præſtitiſſe præſumatur. * Bartol. *in l. fin. C. de acquiren. poſſeſſ.* conductor obiiciens impedimentum, illud probare tenetur, † cùm ſit ſuæ intentionis fundamentum. *l. verius. ff. de probat.* Iaſon *in l. 4. §. condemnatum. num. 7. ff. de re iudic.* Alexander (qui loqui-
tur in his terminis) *conſil. 127.* incip. *Viſo* 3.
*inſtrumento locationis, verſic. 5. & ſequent. lib. 5.*

Oportebat præterea, oblata impedimenta 4.
locatoribus legitimè denuntiare, * vt ea amouere poſſent, aliàs non tenebantur ad aliquid. gloſſ. vbi Bart. Baldus, & Salicetus *in l. emptor. C. de aſſertionibus.* Natta *conſil. 38. num. 5. lib. 1.* Couarruuias *lib. 3. variar. reſolut. cap. 17. num. 2.*
quia poterant impedimenta culpa conductoris 5.
prouenire.

Et quamuis talia impedimenta fuiſſent, quæ locator remouere non potuiſſet, non tenebatur ad aliud, quàm ad remittendam penſionem pro impedimenti portione. * *l. ſi fundus quem, ff. locati,* Alexander *dicto conſil. 127.*
*num. 9. lib. 5.* quam cùm Domini Chiſij in actis 6.
faciendam obtulerunt, non debent à commodo contractus cecidiſſe, præſertim verò recuperatione rei locatæ locatione extincta; id enim * ſi Maximi conductores denegarent, Chiſios ſpoliare cenſerentur *l. penult. C. locati*, Alexander *conſil. 33. num. 3. lib. 6.* Agant ergo Chiſij, excipiant legitimè Maximi, vt ius tandem ſuum cuique tribuatur.

* adde Lud. dec. 235. n. 1. vbi latè additio n. 4. de materia huius deciſ.

† adde Duran. dec. 187. n. 4. tom. 1.

*adde Mant. dec. 35. n. 4. & Rotam diuerſ. p. 2. deciſ. 241. n. 2.

*adde Mant. dec. 209. n. 1.

* nam finito tempore locationis cōductor tenetur rem locatam locatori reſtituere. Rot. recen. dec. 662. n. 1. p. 2.

## *Spoletana bonorum.*

### Die 22. Martij 1591.

Non ſummatur, quia eſt pars aliarum deciſionum in hac cauſa reſolutarum.

## DECISIO CXL.

1. PRopoſui dubium de ordine Dominorum, quod tempus percurrerent teſtes pro parte D. Abbatis examinati, & quoniam quidam deponebant de terris laboratiuis, quidam verò de montibus Rigouiti, Couigni, & Petani, placuit diſtinguendo procedere.

Itaque reſpectu terrarum laboratiuarum, ſecundus teſtis de viſu iuxta 38. dicit: *ma le terre che ſe laborano, che ſtanno à piedi di detti monti, ha poſſedutto San Pietro de Terentillo, tanto à tempo mio, quanto per il tempo auanti à me: ma dado i anni dopo, il ſacco di Roma la communita di Spoleti, entro in poſſeſſo delle terre ſudette, chi ſe lauorano di Rigouito & Petano.* Idem ſuper tertio: *Io ho viſto pagara la decima, da piu & diuerſe perſone, & in particulare l'ha pagata Bartholomeo di Marco del Caſtellone, col quale eſteuo à garzone, & queſto fu, dopo la ruina di Roma, & vno anno auanti, che veneſſer o le Spoletini à pigliare el poſſeſſo delle Valle como ho detto di ſopra.*

De hac cauſa copiosè eſt actum; vide remiſſiones infrà deciſ. 195.

Et quartus teſtis iuxta 38. ait : *dui o tre anni o quatro, incirca inanzi al ſaco di Roma andorono là, armata manu à fare obligare li homini che lauorauano le terre lauoratiue, che per prima le poſſedeua l'Abbate di San Petro con pillarne le decime, & che doppo, il ſacco di Roma, ci ritornorono, vn altra volta con farli far obligo di pagare vn Iulio per modiolo, & queſto l'ho ſentito dire publicamente dalli vecchi, quali erano eſtati præſenti,* &c. vbi ait multa ſpolium à ciuitate commiſſum manifeſtiùs exprimentia.

Sextus iuxta ſecundum additionale de auditu à maioribus, ait: *& dicebano ſimilmente le ſopradeti vecchi, che la Città di Spoleti haueua mandato homini armati con trombe, ad occupare le territorie de Rigoniti, & Petano due o tre volte in diuerſi tempi*, idem ſuper nono ait ſic : *e in quanto alli territorij de Rigouito, & Petano; ſonno ſtati occupati dalli Spoletini vltimamente dil. 1532. o 1533. ſecono lo ho inteſo dire publicamente, & che ci erano ſtati prima dil. 1522. vn altra volta.*

Decimus teſtis ætatis annorum 59. iuxta 47. de auditu: *ma inteſe quando ero picolo, che poco tempo inanzi che naſceſſe, la communità di Spoleti, ſi era impatronita de queſti Luoghi, & che le haueua accatreſtati : & queſto li ho ſentuto dire, da quelli chi ſi erano trouati in fatto ad accatoſturli*; idem ſuper 9. poſtquam depoſuiſſet de præfato ſpolio publicè & palam commiſſo per communitatem ſubiungit ſic : *quali maggiori vi ho detto di ſopra, che parte ſe ci era trouata preſente per che, non era cento anni ma da 60. o 70. in circa che la communità di Spoleti vine à pigliare queſti luoghi.*

Et iſtos firmarunt Domini percutere tempus ab ipſiſmet expreſſum, ante & poſt direptionem vrbis reſpectu terrarum laboratiuarum : quod non indiget alia ſpecificatione.

Reſpectu montium præfatorum locorum, ſecundus teſtis ætatis annorum 12. tempore direptionis vrbis iuxta 38. ait ſic : *da tutto il tempo, che mi recordo, io sò che la communità di Spoleto, ha poſſedutto le montagne, de Rigouito, & Petano.* Idem in fine eiuſdem interrogatorij refert ſe audiuiſſe quendam Marinum de Leoniſſa dicentem, patrem dicti teſtis, ſic : *mi rincrece baſtiano che habbiatte per ſe le valle, & Couigno, per che mio patre mi diceba, che le montagne di Couigno, & Petano erano tutte della Abbadia; & mio patre riſpoſe, non ci poſſemo fare altro, per che, lo Abbati, non ſi vole fare manzi, & il ſignore non ci vole aguittare; & non poſſemo noi competere contra communità di Spoleti.*

Tertius iuxta quartum de auditu, à ſenioribus: *ſeria meglio dice vano Signori Abbati che V. S. ſi faceſſe manzi per le coſe di queſte Terre, che vſurpano la communità de Spoleti alla Badia de ſan Pietro:* & paulo pòſt in fine eiuſdem interrogatorij ait ſic : *E di piu dicebano queſti vecchi al detto Signore Abbate delle montagne, che per molti anni prima diceuano, che li aueuano vſurpate la communità di Spoleti vn altra volta.*

Quartus iuxta 38. partim de auditu & partim dicit ſic de viſu : *ho inteſo che la Citta de Spoleti ha poſſeduto Rigouito, monte de couigno, & il monte di Petano, & che ha poſſeduto forzatamente, & da 30. anni le ho viſto yo poſſedere il monte de Petano, & il monte di Couigno, molti anni prima dil ſacco di Roma che la Citta di Eſpoleti ha poſſedutto le montagne ſolite à venderſe per herbagio.*

Idem teſtis iuxta 40. dicit ſic : *queſto monte di Couigno no lo poſſiede hoggi la Abbatia de Terentillo ma li Spoletini : ma per prima che poſſedece li Spoletini li luoghi puditti di Rigouito, & Couigno le poſſedeua l'Abbato de San Pietro, como ho detto di ſopra como ſi diceua, & dice ancora publicamente : & il medeſimo, dico del monte di Petano, che è poſſedutto hoggi da Spoletini, & prima era poſſedutto da San Pietro como ho detto di ſopra.*

Sextus iuxta 38. dicit ſic : *Nel qual territorio di Rigouito & Petano ſi comprehende il monte di Couigno fino alla ferraia, & fina alla força di Carpio : & in queſti territorij, ci ſono dui monti, vno chiamatto la montagna di Rigouito, & l'altro, il monte di Petano, che prima che le Spoletini andaſſero ad occupare queſti territorij, eſſi Spoletini ſoleuano vendere, & affitare, quel herbatico di queſti dui monti, & del tempo del mio ricordatto li Spoletini hanno poſſedutto ſemper deti dui monti vendendo dette herbe, ma ho inteſo che le haueuauanno occupato ancora per prima.*

Septimus ſuper tertio articulo habet ſic de auditu à ſenibus: *& dicebano anchora che li Abbati vecchi vendeuano le montagne delle dette tenute a mora, & queſto lo diceano publicamente, detti vecchi & queſta è la verità che detti vecchi dicebano le coſe predette come ho detto.*

Vndecimus teſtis iuxta 42. de auditu à ſuo patre, qui ab anteceſſoribus ſuis audiuerat, ait ſic : *mi racontaua mio Padre che haueua inteſo, dire delli antepaſati ſui, che la communità de Ricouito, & Petano quando erano in eſſere per riconoſcimento, erano obligati pagare vn Cirio al anno, alla Città de Spoleti & che ſe adduſcero quando andorono male dette terre de Ricouito, & Petano, & ſi feci manzi la Citta de Spoletti, & che coſtoro, çio è la communita de Ricouito, & Petano, reſeruando le regioni che ci habena San Pietro, & che da quello in qua per quanto ho inteſo dire dalli antepaſſati mei, la Citta de Spoleti ha poſſedutto dette montagne : & io non me ricordo, hauerlo inteſo altramente da mio Padre, che como io ho detto: & queſte coſe che ho detto di ſopra, che mi recordo non l'ho inteſo dire altramente, ne da altri, ſi non da queſti vecchi, cio e quelli che vi o detto di ſopra.* Idem verò teſtis iuxta 48. habet ita : *diceua mio Padre che diceuano le antepaſſati ſui, che li homini de Ricouito, & de Petano, conſignorono alla Città di Spoleti le montagne de Ricouito, & de Petano per quel cirio che erano obligatti, dare à la Citta de Spoleti ogni anno, mentre che detti luoghi forano, ni eſſere per tanto tempo, ſino che ſi repacifecauano, che haueuano fatto propoſito li homini di detti luoghui di riſare le caſſe di Ricouiti*; & paulo inferiùs poſtquam narraſſet receſſum incolarum Rigouiti, & Petani, de prædictis locis, idem teſtis ſubdit ita : *& queſto è il tempo de ſei età con la mia : & per quanto mi ha detto mio Padre per il tempo di queſti ſei eta ſempre la Citta de Spoleti, ha vendito li paſcole de dette montagne, è che le ha parſo, & che detta Citta ha poſſedutto dette montagne per tutte queſte genita & non ho enteſo altro, ſe non che ſempre aqueſte genita ha vendutto & affittato la Citta di Spoleti dette montagne.*

Et



Et hæc ſunt, quæ teſtes diſtinctè & ſeparatim deponunt de tempore, tam reſpectu terrarum laboratiuarum, quàm reſpectu montium.

Iidem præterea teſtes, videlicet quartus, ſextus, & ſeptimus, item alij, nempe, primus, quintus, octauus, nonus, & decimus conformiter deponunt, quòd Eccleſia S. Petri de Terentillo poſſedit iſta bona, quouſque, vel antequam fuiſſent occupata per ciuitatem Spoleti, vt primus iuxta 38. quartus iuxta 40. & ſuper tertio, & quintus ſuper quarto, & ſextus iuxta ſecundum additionale, & ſuper tertio, & ſeptimus iuxta 40. & octauus iuxta 20. & 9. iuxta 2. additionale, & decimus iuxta 20.

Quorum omnium abſque præiudicio aliarum deciſionum aliàs in hac cauſa formatarum Domini in concurſu probationum, rationem habendam cenſuerunt.

---

## *Nouarien. bonorum.*

### Die 27. Martij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Inſtrumenta extracta, virtute compulſorialium, ſi fiat ſine mandato, non ſunt in conſideratione.*

3 *Enuntiatio Notarij de inſtrumento producto in proceſſu compulſoriali, non ſufficit ſi tenor non inſeratur.*

### DECISIO CXLI.

1. IN iſta cauſa Nouarien. bonorum, in qua dubitaueram, an tranſumptio, ſeu extractio inſtrumentorum, (de quibus agebatur) vigore litterarum compulſorialium eſſet legitima, & inſtrumenta forent in forma probante : Domini quo
2. ad primam partem dixerunt, quòd ſi conſtabat de productione mandati Procuratoris D. Epiſcopi Nouarien. ( de quo ſolùm in proceſſu compulſoriali apparebat per enuntiationem Notarij, quæ non ſufficit ) cùm tenor * mandati non eſſet inſertus, iura erant formiter extracta, cùm iudex compulſorialis ſeruaſſet omnia requiſita, ad tradita per Canoniſtas *in cap. fin. de fide inſtr.*
3. & per Abbatem *in cap. accepimus, num. 3. notab. vlt. eodem tit.*

* adde Duran. dec. 208. n. 10. & 11. tom. 1.

Quantum ad ſecundam partem, cenſuerunt, particulariter de illis inſtrumẽtis eſſe videndum.

---

## *Cæſenaten. fideicommiſſi.*

### Die 1. Aprilis 1591.

SVMMARIVM.

2 *Inſtrumenti narratiua ex enuntiatione qualitatis probatur.*

### DECISIO CXLII.

1. QVantum ad primam partem dubij, Domini tenuerunt Aldenum habuiſſe beneficia ante acquiſitionem domus Demuratæ: nam cùm domus præſupponatur empta menſe Nouembr. ann. 1544. Aldinus antea iam adeptus videbatur



Canonicatum, cùm in narratiua inſtrumenti emphyteuſis quorundam bonorum de ann. 1542. 2.
Aldino conceſſorum, * enuntietur Canonicus Cæſenaten. & Rector Capellæ S. Andreæ, Aymon *conſil. 29.*

* nam enunciatiua probat quando agitur de probando effectu reſultante ex enũciatione, vt per Coc. dec. 142. n. 13.

Accedunt teſtes 12. ſuper interrogatorio concernente primum capitulum, *verſ. & quando miſer Aldino compro la ſudetta caſa,* & 19. ſuper primo capitulo.

Secundam verò dubij partem, an domus ( de qua agitur, præſumatur empta de redditibus Eccleſiaſticis, vel potiùs de patrimonialibus, Domini particulariter videndam cenſuerunt.

---

## *Senogallien. cenſus.*

### Die 26. Aprilis 1591.

SVMMARIVM.

2 *Venditionis in inſtrumento ſi conſtet de pretio in pecunia numerata, non fit contrauentio conſtitutionis Pij V. ſuper creatione cenſus ex inſtrumento venditionis.*

3 *Numeratio pecuniæ ſimulata in creatione cenſus reddit contractum vſurarium.*

4 *Contractus inhærens alteri contractui, inducit ſimulationem vſuræ.*

5 *Dolus & fraus pro parte exiſtens in contractu, inducit ſuſpicionem in toto exiſtere.*

6 *Fœneratores in vſuris varias ſolent nectere fraudes.*

### DECISIO CXLIII.

1. Habetur hæc dec. impreſſa per Cenci. poſt tract. de cenſ. deciſ. 122. licèt malè annotata de anno 1597.

AD dubium quod propoſueram, an inſtrumentum cenſus celebratum ſub die 19. Septembr. 1572. ſubiaceret vitio vſurariæ prauitatis, Domini affirmatiuè reſponderunt : nam licèt ex inſtrumento conſtare videretur interueniſſe pretium * in pecunia numerata, vt ſatisfaceret conſtitutioni Pij V. ſuper creatione cenſuum, nihilominus ex aliquot † coniecturis videbatur ea numeratio * ſimulata, apparebat enim eodem die, coram eiſdem Notario † & teſtibus fuiſſe priùs celebratum, alium venditionis contractum quorundam bonorum, & mercium inter Orſatum, & Aurelium, & eodem deinde contextu creatum cenſum (de quo agitur,) vnde cenſebatur alter ineſſe alteri, *ad l. lecta. ff. ſi cert. pet.* & arguit * ſimilationem in fraudem vſurarum, Pariſius *conſil. 86. num. 34. lib. 3.* Natta *conſ. 198. n. 11.* Aymon *conſil. 156. num. 11.* Hippolytus Riminald. *conſil. 233. num. 35.*

2. * adde Lud. dec. 157. n. 3. & Caual. deciſ. 406. n. 3. Rot. recen. dec. 106. n. 3. part. 3.

3. † adde Caualer. in d. dec. 406. n. 4. & Ludouiſ. dec. 459. n. 9. & habetur penes Farinac. poſt tom. 2. conſiliorum dec. 282. vbi allegat hanc deciſ.

4.

Numerationem verò pretij, in pecunia numerata, reuera non interceſſiſſe, hæc potiſſimum ſuadebant, primùm, quia Orſatus vendidit Aurelio vnum creditum 165. ſcutorum, cuius ratione, ſicut non intelligitur interueniſſe numerata pecunia, ita nec aliarum rerum, quæ in emptione comprehenduntur, Dec. *in l. 2. C. de non numerata pecunia,* Bartol. *in l. vir ab co. ff. de iure dot.* Baldus *in l. cùm allegas. num. 11. C. de vſur.*

5. * adde Cocc. dec. 208. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

† nam ſicut coniecturis poteſt probari realitas contractus, ita & etiam ſimulatio. Ludouiſ. dec. 195. n. 2. Caual. dec. 612. num. 42.

Tum præterea, quoniam pro eadem ſumma ſcutorum 2004. pro qua fuerunt vendita dicta bona, fuit celebratus contractus cenſus : quod valde ſuſpectum fuit viſum Dominis, vt iudicarent pro ſimulatione contractus pronuntiantis, cenſum creatum contra formam præſcriptam in conſtitu

6. conſtitutione Pij V. & ideo fuiſſe vſurarium, præſertim cùm ſoliti ſint fœnerantes, varias nectere fraudes in hoc contractu, ad occultandam vſuram. Nauarus *de vſuris num.*88.

Alias coniecturas allegatas per informantes pro Domino Cinthio Raſſero ſi probarentur ex actis, eandem ſimulationem, dixerunt Domini, coadiuuare.

---

## *Burgen. ſigilli.*

### Die 29. Aprilis 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Notarij duo ſimul ſint deputati ad cauſam, ſi agatur coram vno tantùm eſt nullum quod fit, num.6.*

3 *Proteſtatio vt ſubſiſtat, debet ratificari in omnibus actibus ſucceſſiuis, aliàs non proderit.*

4.5 *Deputati Notariorum duorum ſimul ad cauſam, ſi fiat ſufficit ſi in præſentia eorum atteſtetur, ita fuiſſe ante eos actum.*

7 *Iudicis remiſſorialis præſentia ſupplet aliquos defectus, ſi atteſtetur coram ſe & Notario fuiſſe teſtes examinatos.*

## DECISIO CXLIV.

1. Aliqui ex Dominis à principio pro ſuſtinendo ſimpliciter examine mouebantur potiſſimum ex duobus: primum, quia ab initio non fuerunt in hoc proceſſu deputati duo Notarij, qui acta conſcriberent, vt in illa Burgenſ. Pontidij, ſub die 3. Iunij ann. 1588. coram Domino Orano, quo caſu ſi examen eſſet factum coram altero tantùm, meritò poſſet cenſeri nullum: ad notata *in cap. quoniam contrà*, vbi Felin. *num.*43. *de probat.* Roman. *conſil.* 781. *num.* 5. Guido Papæ *quæſt.* 122. ſed hîc à principio fuit deputatus ſolus Petrus de Spinoſa, cui deinde recuſato, fuit adiunctus * Ioannes Lopez de Allende.

* & in hoc caſu neceſſaria eſt præſentia amborum Notariorum. Seraph. deciſ. 1213. n. 4.

Præterea, quoniam (vt apparet ex verbis actorum) illa aſſignatio adiuncti, non fuit facta ſimpliciter, ſed vt coram ambobus fieret probatio teſtium, quæ facienda foret, & licèt fuerit proteſtatum de nullitate ſi aliter fieret, ab ea proteſtatione ſatis videri receſſum, ex quo ſicut

2. oportuit, non fuit in ſingulis actibus iudiciali-

3. bus * repetita, & ideo examen etiam coram ſolo Spinoſa in principio recuſato ſuſtineri, ad tradita per Abbatem *in cap. cum ſpeciali num.* 14. *de appell.* Alexand. *conſil.* 12. *num.* 6. *lib.* 6. cum aliis allegatis in illa Burgen. fructuum, coram R.P. D. Pamphilio ſub die 28. Maij 1590.

* adde Lud. dec. 44. n. 8. Caual. deciſ. 348. num. 5. & 349. n. 6. & 483. n. 8. & Seraph. dec. 1159. num. 7. & 1057. n. 2. & 502. n. 3. Coc. dec. 54. n. 4. & habetur impreſſ. recen. part. 3. dec. 51. n. 2.

Cæterùm re pleniùs diſcuſſa, omnes venerunt in hanc ſententiam, eos teſtes vigore Remiſſoriæ validè fuiſſe examinatos, quorum atteſtationibus, vel vterque Notarius, vel vnus Notarius, & iudex ſubſcripſerunt. Atque ita trium teſtium, nempe Andreæ Martinez, Ioannis Fernandez, & Petri Martinez examen ſuſtineri, cùm ex illis actorum verbis: *actum coram*

4. *me Allende: actum coram me Spinoſa*, appareat, & coram vtroque Notario examinatos, & vtrumque Notarium id propria ſubſcriptione atteſtari; quo caſu non fuit neceſſarium vtrumque Notarium ſeparatim acta proceſſus ſcripſiſſe; cùm ſatis * fuerit vnum ſolum ſcripſiſſe in præſentia alterius, ac deinde ſubſcripſiſſe Doctores, *in cap. quoniam contra*, vbi Abbas, & Decius *n.* 200. *de probat.* Bald. *in l. iuſiurandi, in fine, C. de teſtibus.*

* adde Seraphin. in d. dec. 1213. n. 4. & fuit confirmata hæc deciſio infrà dec. 178.

5. D. Bernardino del Peſo, & Didaco de Salazar (niſi eis obſter defectus citationis, quæ apparet facta à ſolo Notario recuſato) idem videbatur dicendum, cùm in actis dicatur: *de mandato iudicis coram nobis dictis Notarijs fuit receptum iuramentum à Bernardino del Peſo, & Didaco de Salazar.* & mox ſubiungitur: *actum coram me Ioanne Lopez de Allende, actum coram me Petro de Spinoſa*: vt idem videatur, quando fuerunt examinati; quod eo magis firmandum cenſebatur, quia fuerunt examinati coram iudice, qui ſe eorum atteſtationi ſubſcripſit, & vtriuſque examini Ioannes Lopez de Allende aſſerit ſe interfuiſſe, cùm ait: *fui præſens Allende.*

Circa validitatem examinis Velaſchi de Temigno, & Petri de Aſperilla Domini dubitarunt, 6.
quia licèt in actis enuntietur eos fuiſſe examinatos, *coram nobis præfatis Notarijs, & iudice*, & iudicem ſimiliter eorum depoſitionibus ſubſcripſiſſe, & Ioannem de Allende fuiſſe etiam præſentem, hoc ſolum conſtat ex aſſertione Petri de Spinoſa Notarij recuſati, dicentis, *fuit præſens Allende.* & deinde addit: *actum coram me Petro de* 7.
*Spinoſa Notario*, niſi dicatur, iſtos defectus ſuppleri ex præſentia iudicis Remiſſorialis, coram quo & Notariis enuntiantur iſti examinati, ad notata *in cap.* 2. *de teſtib.* Speculat. *de teſtib. §. nunc tractandum, in principio.*

---

## *Beneuentana; ſeu nullius.*

### Veneris 10. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Intimatione facta parti, & ſeruatis quatuor terminis, ſi illa non compareat, eſt locus reintruſioni.*

3 *Citatione facta parti, & ſeruatis quatuor terminis, ſi illa non compareat, proceditur ad vlteriora cauſæ, & eſt locus reintruſioni.*

4 *Parte non comparente citationi, &c. proceditur ad vlteriora cauſæ vſque ad executionem.*

5 *Executio ſententiæ ſi non fiat, poteſt contra eam opponi præſcriptio.*

6 *Præſcriptio poteſt dari contra ſententiam non executam.*

7 *Præſcriptio non currit lite pendente.*

## DECISIO CXLV.

Sæpiùs citatis Priore, & Canonicis terræ montis Fuſculi, & non comparentibus, altera parte ſolùm informante propoſui dubium in 1.
Rota, an forent reintrudendi ob non paritionem litterarum executorialium? & Domini ſecundùm ea quæ proponebantur, reſponderunt locum eſſe reintruſioni: cùm enim executoriales 2.
eis fuerint intimatæ, & reproductæ, & legitimè ſeruati quatuor termini ſubſtantiales, Felin. *in c. ad probandum, de re iudic.* pro vlteriori earum exe- 3.
cutione deueniendum fuit ad præteritæ declarationis reintruſionem, & alias pœnas in litteris executorialibus contentas. Caſſad. *dec.* 6. *n.* 10. *de cauſ. poſſ. & propr.* & ita ſeruat receptus Rot. ſtylus.



4. Non obſtat appellatio pro parte Canonicorum interpoſita, nec quod ſub die 2. Maij 1550. obtinuerint decerni litteras compulſoriales generales ad partes, & datis articulis litteras remiſſoriales, quia cùm nil egerint, & appellatio ob illius non proſecutionem fuerit deſerta, & per nouam commiſſionem vltimo loco obtentam, ab Illuſtriſſimo Domino Cardinali Aſcanio Columna moderno Abbate mihi fuerit commiſſum, vt conſtito de præmiſſis ad vlteriorem executionem procederem, & ſi adeſſet res iudicata, eoſdem in excommunicationem, in qua erant, ob non paritionem executorialium, reintruderem, difficultas ceſſat, & locus eſt nouæ reintruſioni.

5. Sicut non obſtat, ſi dicatur contra executionem præfatam, eſſe præſcriptum, cùm lapſi fuerint 30. anni, * & amplius, Bald. *in rub. de præſcr.* Felin. *in cap. cùm inter monaſterium, limit.* 16. *de re*

*adde Cocc. dec. 144. n. 6.

6. *iudic.* quia id non procedit cœpta executione, cùm actio non factum, ſeu iudicis officium pro executione ſententiæ impenſum, effectum fuerit litigioſum, & lite pendente * non currit præſcriptio, maximè in Curia, vbi inſtantia eſt perpetua. Achill. *dec.* 1. *de executione ſententiæ*, aliàs 5. *de præſcriptione, in impreſſis.*

* & non ſolùm lite pendente, ſed cōteſtata non currit præſcriptio. Cocc. deciſ. 337. num. 4. Rota diuerſ. p. 1 dec. 86. num. 1 & per proteſtationem partis coram ſuperiore facta Seraph. dec. 410. n. 4. Duran. dec. 426. n. 21 tom. 2. & 375. n. 3.

Placebat tamen mihi (nec Domini repugnarunt) vt antiquæ executoriales iterum Canonicis intimarentur, ac niſi parerent, in cenſuras in eis contentas reintruderentur, aut reintruſi declararentur: ſicut fuit ſeruatum contra homines montis Fuſculi in eadem cauſa.

---

## *Spoletana bonorum.*

### Die 10. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Teſtis vagus, & incertus non probat.*

3.4 *Probatio vt releuet debet eſſe concludens, & certa.*

5 *Teſtis deponens per verbum,* videtur, *non probat.*

6 *Narratiua partis non probat.*

## DECISIO CXLVI.

1. Dubium fuit reſtrictum ad bona de quibus litigabatur, nempe ad terras & montes Rigouiti, Couigni, & Petani.

Nec dubitabatur de diſmembratione facta per Bonifacium Octauum, cùm de ea conſtaret ex authenticis documentis, ſed de eius effectuatione, reſpectu dictorum bonorum. Et Domini dixerunt, ex teſtibus Abbatis tantùm, effectuationem non probari.

2. Quintus teſtis iuxta 16. vagus eſt, & incertus, cùm generaliter dicat ſe audiuiſſe de quadam diſmembratione, ſed in quibus bonis, non exprimit, de effectuatione nihil loquitur, & in totum ſe remittit ad Bullam Bonifacij.

Sextus iuxta 16. in totum ait, ſe intellexiſſe de diſmembratione oppidorum, quæ hodie poſſidet Princeps Maſſæ, ſed dubium non loquitur de iſtis.

Septimus iuxta 84. ait ſe intellexiſſe poſt obitum cuiuſdam Abbatis, fuiſſe diſmembrata, & capta ab Spoletanis terrimenta Rigouiti, & Petani, ſed neſcit, an id contigerit authoritate Bonifacij, vel alterius. Vnde in huius dicto non poteſt fieri fundamentum; quia captio poteſt intelligi ſpoliatiua, & vt probatio releuet, debet eſſe concludens * & certa, *cap. in præſentia, de probationib.* 3.

* adde Duran. dec. 402. n. 20. in fine tom. 2. Caual. dec. 570. n. 8. Mantica dec. 285. n. 7. & hæc concluſio extenditur, etiam ſi materia ſit fauorabilis, vt per Mant. dec. 111. n. 8.

Quod octauus teſtis iuxta 15. ait, *non hauer iuſto Abbate alcuno, fare atte poſſeſſorij di ſorti alcuna nelle loghi de Rouito, & Petano*, ad ſpolium iam probatum referri poteſt, quaſi ideo nullos actus poſſeſſorios exercuerint, quia erant ſpoliatiui, id quod idem teſtis ſubiunxit, iuxta 16. *che ha inteſo, dire che le Abbadia de S. Pietro di Terentillo è eſtata altre è volte ſmembrata, ma che non ſada che Pontifice ne ſi ricorda che gli lo diceſſe.* Satis enim leue viſum fuit, cùm non dicat in ſpecie, in his bonis habuiſſe locum diſmembrationem.

Decimus teſtis iuxta 16. in genere tantùm loquitur de diſmembratione multorum redditu- 4.
um & bonorum, olim per Abbatiam poſſeſſorum, ſed in ſpecie non loquitur de bonis, ſuper quibus eſt lis, idem iuxta 84. in ſpecie ſe reſtringit ad bona hodie poſſeſſa per Principem Maſſæ; ait enim ita: *& non ſo che li Caſtelli beni & altre intrate, & iuriſdictioni di ditta Abbadia Sciano ſtato datti, & applicati ad altra perſona, eccetto di quello che poſſede hoggi il Principe di Maſſa.*

In dicto eiuſdem iuxta 86. & 89. non poteſt fieri ſtabile fundamentum, cùm non loquatur de certis bonis, & iuxta 93. iterum loquitur de bonis hodie per Principem Maſſæ poſſeſſis.

Vnus ex Dominis ad fauorem communitatis, pro affectuatione diſmembrationis reſpectu bonorum, de quibus agitur, ponderabat dictum 11. teſtis, qui iuxta 16. ait: *& diceua mio Padre, che haueua inteſo, dire dalli Antichi che erano corſe ſei genita che erano ſtate leuate, le terre, & li entrate, à S. Pietro: & mi pare che diceſſe, che haueua inteſo dire, dalli vechi, che era 400. anni, che li erano eſtate leuate queſte terre & bene che io ho detto.*

Cæterùm reſpondebatur hoc eſſe fragile, nam in prima parte dicti in genere dicit: *che erano ſtate leuate le terre, & le intrate à S. Pietro.* Et quatenus de his bonis loqueretur, poſſet referri ad ſpolium iam probatum, (vt ſuprà fuit conſi- 5.
deratum) in ſecunda parte dicti, loquitur * per verbum, *& mi pare.* quod non releuat.

* adde Rot. rec. dec. 136. n. 2. part. 1. & 677. n. 3. p. 3. Seraph. dec. 847. n. 2. ſed aliquando teſtes depōnētes per verbum videtur, probant vt per Mantic. dec. 89. n. 2. vel ſi reddant bonam rationem ſui iudicij. Seraph. deciſ. 550. n. 3.

Effectuatio probata in quibuſdam bonis, & terris non probat concludenter effectuationem diſmembrationis reſpectu aliorum bonorum, & terrarum, cùm bona non ſint ita connexa, & indiuidua vt ſeparari non potuerint, nec ex diuerſis fiat illatio, ex iuribus vulgaribus.

Neque ad rem facit, quòd Bonifacius VIII. conceſſerit Eccleſiæ Lateranen. vt propria auctoritate bona diſmembrata apprehendere poſſet, nam cùm multa impedimenta ſe offerre potuerint, non conſequitur neceſſariò, vt horum etiam bonorum cœperit poſſeſſionem.

Ad Bullam Leonis X. (ex cuius narratiua informantes pro communitate Spoleti, nitebantur probare affectuationem diſmembrationis) multis modis fuit reſponſum, primum dubium eſſe reſtrictum ad teſtes Abbatis. Præterea eam eſſe narratiuam partis. Rurſus cùm non loquatur in 6.
ſpecie de his bonis, in aliis poſſe verificari, & id ſufficere, tandem ex ea non concludi diſmembrationem reſpectu horum bonorum effectum habuiſſe.

## *Narnien. dotis.*

Die 13. Maij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Conſuetudo probatur ex vſu populi, actuum frequentia, & temporis diuturnitate.*
3 *Conſuetudo per alios probata, non indiget alia probatione, & num. 7.*
4 *Teſtes reponentes de frequentia plurium actuum reſpectu vnius, & eiuſdem conformis conſuetudinis, eam legitimè probant.*
5 *Teſtes ſingulares probant conſuetudinem.*
6 *Conſuetudo probatur per teſtes ſingulares.*
8 *Iuri ſuo quilibet renuntiare poteſt.*

## DECISIO CXLVII.

1. VXorem duxerat D. Ioannes Bernardus Scotus, Tullij filius Nobilis Narnienſis dotem conuentam receperat, cum pacto in dotali inſtrumento inſerto, quòd moriente vxore ſine filiis, aut cum filiis decedentibus ante 25. annos, Tullius ſocer teneretur reſtituere dotem infra tempora à iure ſtatuta, ſecundùm formam ſtatutorum, & generalem approbatam conſuetudinem Narniæ.

Veniente caſu, Tullius in reſtitutione dotis tertiam partem ex diſpoſitione cuiuſdam ſtatuti Narniæ, diſponentis quòd moriente vxore ſine filiis, maritus lucretur tertiam partem dotis, ex aduerſo poſtulabat. Maximianus Scotus integram dotem reſtitui poſtulabat, vigore antiquæ conſuetudinis Narnienſis, qua receptum eſſe dicebat, quòd ſi vxor moriatur relictis filiis, qui ſucceſſiuè abſque prole moriantur ante 25. annum, tunc maritus nullo retento dotis lucro, eam integram reſtituere teneatur. Quapropter dubitaui, an in hoc caſu integra dos eſſet reſtituenda.

Et quoniam tota difficultas verſabatur circa conſuetudinem, quam contrahentes præſuppoſuerant, an eſſet ſufficienter probata? Domini

2. * addc Rot. recen. part. 1. dec. 255. n. 4. & 497. n. 2. p. 3. Caualer. dec. 125. n. 6. & habetur in recen. part. 2. dec. 318. n. 5. p. 3. & infrà dec. 856. n. 8.

cenſuerunt eſſe probatam, tum ex teſtibus inter alios examinatis, qui deponunt de vſu * populi, actuum frequentia, & temporis diuturnitate, ex quibus probatur conſuetudo. Natta *conſil. 294. num. 4. & conſil. 309. num. 6. lib. 2.* Socinus iunior *conſil. 92. num. 18. lib. 4.* Rolandus *conſ. 13. num. 12. lib. 4.* & ſemel probata conſuetudo etiam inter alios, non indiget alia probatione, ſicut de ſtylo deciſum fuiſſe tradit Peregrinus *deciſ. 51. lib. 1. & deciſ. 83. lib. 2.*

3. 4. Nec ideo minus probant, quia vnus deponit de pluribus quibuſdam actibus, & alius de quibuſdam aliis, & quòd tanquam ſingulares non probent conſuetudinem; nam cùm concurrant

5. * adde Mant. dec. 284. n. 5. Seraph. dec. 624. n. 3.

in frequentiam plurium actuum reſpectu vnius & eiuſdem conformis conſuetudinis, * eam legitimè probare dicuntur, Bartolus *in l. de quibus, quæſt. 4. ff. de legibus*; ac per teſtes ſingulares probari conſuetudinem tenuit Faber *in §. ex non ſcripto, Inſtit. de iure natur.* & cæteri relati per Decianum *conſil. 51. num. 111. lib. 2.* Imò ex teſtibus inter alios examinatis, ſunt qui deponunt de eodem actu reſtitutionis totius integræ dotis.

Tum ex teſtibus vltimo loco vigore Remiſſoriæ examinatis, qui eandem conſuetudinem affirmant, videlicet primus ad 18. & ſuper 1. art. ſecundus ad 12. & 18. & ſuper primo articulo. tertius ad 15. & 17. quartus ad quartum: ſextus ad 18. & ſuper primo articulo, & ſeptimus ad quartum; nonus ad 18. & ſuper primo articulo, decimus ad 20. & ſuper primo, vndecimus ad 18. & duodecimus ad quartum.

Conſiderabant enim Domini magnam conformitatem inter iſtos teſtes, reſpectu vniformis conſuetudinis reſtituendæ integræ dotis in caſu propoſito, dum quidam de ſpecialibus quibuſdam actibus, alij de publica voce, & fama, quidam etiam à tempore 20. 30. 40. & 50. annorum, nonnulli denique particulariter teſtificarentur de reſtitutionibus in iudicio factis ab illis, qui integrè reſtituere recuſabant. 6.

Iſtis accedebat auctoritas Cornei *conſil. 66. incip. In hac conſultatione, num. 6. verſ. ſed conſuetudo municipalis lib. 4.* in quo licèt Domini principaliter non ſe fundauerint, dixerunt tamen multum coadiuuare hanc probationem, cùm ex eo conſtaret de antiquiſſima quadam præexiſtente conſuetudine reſtituendi integras dotes in ciuitate Narniæ.

Ex quibus negari non poterat, quin ſufficienter appareret de tribus requiſitis quatenus neceſſaria forent ad probandam conſuetudinem, videlicet de vſu populi, de frequentia vſus, & de temporis diuturnitate.* Bartol. *in l. 2. quæſt. 28. cap. quæ ſit longa conſuetud.* Abbas *conſil. 53. incip. In prædicta cauſa, circa finem lib. 2.* Alexander *conſil. 45. incip. Viſis atteſtationibus, num. 3. lib. 2.* quos refert Decianus *conſil. 51. num. 10. lib. 2.* & propterea non eſſe ab his recedendum, præſertim cùm nihil releuans ex aduerſo proponeretur, quod in contrariam ſententiam ire ſuaderet, nam tres particulares actus à quibuſdam teſtibus relati, ſuper quibus dicebatur inita concordia, non tollebant præciſam conſuetudinem concludenter probatam; tum quoniam quilibet iuri ſuo renuntiare poteſt, *l. penult. C. de pactis.* tum etiam, quia in eiſdem caſibus concordatis, nemo maritus retinuerat tertiam partem dotis, ſed longè minorem, vnde fiebat conſequens, eam non fuiſſe retentam vigore ſtatuti, ſed concordiæ, quod non deſtruebat, ſed potiùs iuuabat probatam conſuetudinem, quam cùm tot argumentis Domini optimè munitam cernerent, ſuperuacaneum cenſuerunt ingredi illam diſputationem per informantes pro D. Tullio inculcatam, an iſta conſuetudo ſit ſtatuti interpretatiua, ſeu veriùs diſpoſitiua, vel de nouo inductiua. 7. 8.

* adde quæ retuli ſuprà ad num. 1.

## *Brixien. confidentiæ extra Rotam.*

Die 13. Maij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Manutentionis articulus eſt ciuilis.*
3 *Iuriſdictio tributa in criminalibus cauſis, non extenditur ad ciuiles.*
4 *Iudex adiunctus non poteſt maiorem iuriſdictionem exercere, quàm habet alter.*

DECI



## DECISIO CXLVIII.

1. * habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt to 1. conſil. deciſ. 80.

IN hac cauſa, * in qua fui datus adiunctus D. Carrodoro iudici confidentiarum, Domini dixerunt primum, inhibitionem ab eo factam Auditori Cameræ eſſe moderandam, ad effectum, vt Ludouicus Campanus coram illo poſſit agere, ſuper executione litterarum Apoſtolicarum, ſuper tranſlatione fructuum reſeruarorum ſuper Archipresbyteratu oppidi montis Clari Brixien. Diœceſis, ſeu quolibet alio articulo non ſpectante ad crimen confidentiarum, quia iſti articuli ſunt ciuiles.

Pronuntiarunt præterea (omiſſo illo articulo poſſeſſorij) an Campanus in primis in iſto iudicio eſſet manutenendus in perceptione dictorum fructuum, diſputandum eſſe ſuper confidentia: nam cùm præfati iudicis poteſtas reſtituta ſit ad crimen confidentiarum cognoſcendum, & iſte articulus manutentionis ſit ciuilis,

2.

ſecundùm magis communem opinionem, etiam de conſenſu partium iuriſdictio tributa in cauſis criminalibus tantùm, non poteſt ad ciuiles prorogari.

3. * adde Seraphin. deciſ. 439. n. 3. & 377. n. 9. & ratio eſt quia prius eſt terminandum primum iudicium antequam ad ſecundum deueniatur & vtrûque non eſt cumulandum. Caual. dec. 530. Rota diuerſ. p. 1. dec. 445. n. 7.

* Abbas & alij, *in c. 1. & 2. de officio deleg.* Angelus & Paulus de Caſtro *in l. ſolemus. §. latrunculator. ff. de iudic.* Creſcent. *deciſ. 167. incip. Actum fuerat,* aliàs eſt *5. de indic.* in impreſſis. Quare fruſtrà diſputaretur ſuper mandato de manutenendo, quod non poſſem decernere, cùm mea iuriſdictio, vel poteſtas non eſſet maior, quàm præfati iudicis cui fueram datus adiunctus. †

4. † quo caſu cùm ſit æqualis iuriſdictio procedit concluſio tradita, vt per Seraph. dec. 1213. n. 1. & adde Rotam recẽ. p. 4. dec. 572. n. 8. & 9.

Et hoc maximè locum habere viſa ſunt in iſto iudice noui tribunalis emptitij, & ante paucos annos ſine neceſſitate in Curia introducti, ad quod recurrere frequenter ſolent, qui in aliis tribunalibus de iuſtitia ſuarum cauſarum diffidunt, in quo cùm pro ſuo intereſſe Fiſcalis ei adhæreat, grauiter interdum multi immeritò vexantur: & propterea omnes viri boni optant, de opportuno remedio prouideri; quod pro ſua prouidentia poſtridie, quàm facta fuit hæc deciſio, ſignatura Sanctiſſimi aliqua ex parte interpoſita, ordinando præfato iudici confidentiarum, ne ampliùs, vel A.C. vel Rotæ Auditoribus inhiberet.

## *Meliten. bonorum.*

Lunæ 17. Maij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Executio ſententiæ non poteſt fieri contra non citatos in cauſa.*
3 *Donatarius non tenetur ſoluere debita donantis.*
4 *Executionem non merentur, quæ liquida non ſunt.*

## DECISIO CXLIX.

1. * hæc deciſio fuit confirmata ex rationibus hîc allegatis infrà deciſ. 493.

STantibus ſententiis * latis ad fauorem Hoſpitalis S. Spiritus inſulæ Meliten. (de quarum iuſtitia, vel iniuſtitia in hac poſitione non fuit diſputatum,) & executione facta de annis 1588. & 1589. in bonis (de quibus agitur) ſpectantibus ad pupillos fratres filios Laurentij de Caſſar. dubitaui, an dicta executio fuerit legitimè facta.

Et Domini reſponderunt negatiuè, quia cùm ſententiæ fuerint latæ contra Laurentium, non potuerunt executioni mandari, contra iſtos pupillos hæredes, ipſis non citatis, * & cognito priùs ſummariè, an ſua intereſſet. Bart. *in l. creditores. C. de pignoribus.* Innocentius, Zabarella, Antonius de Butrio, & alij, vbi latè Felinus *num. 4. in c. quia V. de iudicijs.* Angelus *in l. concluſ. 4. n. 29. C. de iudicijs.* 2.

* adde Coc. dec. 449. n. 4. & 466. n. 4. Mantic. dec. 7. n. 4. Seraphin. deciſ. 1314. n. 2. & amplia, vt nõ poſſit procedi executiuè contra tertiũ nõ citatum, etiam vigore obligationis Cameralis; ſed hoc fallit, ſi res lite pendẽte perueniat, & ſit tranſlata in poteſtatẽ non citati, vt per Caualer. dec. 131.

Nec refert quòd fuerit citata Domina Imperia pupillorum mater, tanquam donataria Laurentij mariti.

Nam præterquam quòd donatarius non tenetur ſoluere debita donantis, † *l. æris alieni. C. de donationib.* Purpuratus *conſil. 2. num. 11. lib. 1.* tempore citationis, & executionis, iam donatio euanuerat per tranſitum Imperiæ de anno 1585. ad ſecundas nuptias, vigore pacti appoſiti in donatione.

Præterea, non facta liquidatione, (quæ præcedere debuit ante executionem,) non potuit executio * fieri: quoniam, quæ liquida non ſunt, executionem non merentur. *l. hæc autem. §. 1. ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eatur.* gloſſ. Bartol. & communiter Doctores *in l. 2. C. de ſent. quæ ſine cert. quant.* Alciatus *conſil. 6. incip. In controuerſia, n. 1. & ſeq. tom. 2. lib. 6.*

3. * de hoc art. vide deciſ. 348. n. 1. tõ. 2. apud doctiſſimũ Duran. vbi n. 2. ampliat, procedere in donatione vniuerſali omnium bonorum, tã præſentiũ quàm futurorũ, & latè diſſerit de hac materia.

Et hæc dixerant Domini, procedere ſine difficultate quo ad executionem factam de anno 1588. & 1589. in medietate territorij de la Targe, & aliis bonis ſpectantibus ad prædictos filios Laurentij, ratione legitimæ Hoſpitali debitæ; non autem ratione executionis, & immiſſionis Hoſpitalis in poſſeſſionem alterius medietatis eiuſdem territorij, & aliorum bonorum, pertinentium ad Collettam Xeni maritum Antonellæ de anno 1582. quia de nullitate iſtius primæ executionis, tanquam ad pupillos non pertinente, nihil ipſi prætendebant.

4. † adde Coc. dec. 136. n. 1. Mantic. dec. 349. n. 6. Seraphin. dec. 1168. num. 5. Duran. dec. 50. n. 4. to. 1.

## *Romana, ſiue Lugdunen. Computorum.*

Lunæ 20. Maij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Emphyteuta affirmante ſe ſoluiſſe, & domino id negante, ille tenetur probare ſolutionem, & num. 5.*
3 *Negatiua debet probari ab eo qui ſe in ea fundat, ſi ſit implenda in eo; ſecus ſi per tertium ad eius fauorem eſſet implenda.*
4 *Iuramentum delatum cui fides electa eſt, ſi iuret, ſtandum eſt eius dicto.*

## DECISIO CL.

DOmini ſteterunt in deciſis ſub die 4. Februarij præteriti, * nempe abſoluendum eſſe D. Horatium Oricellarium, ſoluto per eum reſiduo pretij creditorum, ad rationem 30. pro centenario, & præſtito iuramento quòd pluries non vendiderit. 1.

* ſuprà dec. 130.

Neque oppoſitione contra deciſionem tunc firmá

firmatam viſæ fuerunt Dominis releuantes; & quantum ad illud, quòd non ſimus in materia difficilis probationis, in quo plurimum laborant informantes pro D. Lilio contra quam fuerit in fine deciſionis inſinuatum, dicebatur, quòd præterquam quòd non fuit illud potiſſimum deciſionis fundamentum, negari tamen non poterat, quin verſaremur in materia difficilis probationis, reſpectu quantitatis, pro qua fiebant creditorum ceſſiones; tum quia de ceſſionibus non ſemper fiebant inſtrumenta, ſed tunc cùm contrahentes volebant, nec D. Horatius, vigore mandati gratuiti, quod, vt rem gratam faceret amico, in ſe ſuſceperat, tenebatur ceſſionum inſtrumenta conficere.

2.
* adde Coc. dec. 76. n. 4.

Quod ampliùs obiiciebatur contra deciſionem, dicentem negatiuam * probandam ab illo, qui in ea ſe fundat, aliàs eſſet redarguere Oricellarium de dolo, quaſi hoc ſit contra communem concluſionem gloſſæ & Doctorum *in l. 2. C. de iure emphyt.* vbi emphyteota, affirmante ſe ſoluiſſe, & Domino id negante, emphyteota tenetur probare ſolutionem, non obſtante quòd ex hoc emphyteota de dolo argui videatur, facilè diluebatur, cùm illa communis concluſio procedat, quando id quod negatur, eſt implendum in perſona negantis, ſecus ſi erat implendum per tertium, * ad fauorem negantis, ſicut videtur diſtinguere Aymon *dicto conſil.* 1. *n.* 10. facit Corneus *conſ.* 11. *n.* 8. *lib.* 2.

3.
* hanc concluſionẽ intellige prout in deciſ. Ludou. dec. 139. vbi latè additio, n. 6. & adde Seraphin. deciſ. 1339. n. 3.

Iam Oricellarius, qui mandatum ſuſceperat gratuitum, ſolùm tenetur ad ſolutionem ſummæ, in mandato ſibi taxatæ: & cùm eius fides electa fuerit, & paratus ſit ſoluere, eius ſcripto, vel dicto ſtandum eſt, præſertim cum iuramento, Paulus de Caſtro *conſil.* 314. incip. *Omiſſo primo, num.* 2. *verſ. & quod patet, iſtorum agentium,* & Lilius contrarium prætendens probare tenetur.

Et diſpar eſt hæc facti ſpecies, ab illa *l.* 2. nam ibi Dominus negans ſibi factam canonis ſolutionem, non arguit emphyteotam, quaſi doloſè, & fraudulenter in re verſatus ſit, ſed ſolùm ſimpliciter negat: hic Lilius, qui vel Oricellarium vendidiſſe negat, vel maiori pretio vendidiſſe aſſerit, illum proculdubio doloſè negotium tractaſſe arguit, & ideo ſibi incumbit onus id probandi, præſertim cùm Oricellarius offerendo pretium reſidui, ad rationem 30. pro centenario, iuxta formam mandati, facto ipſo ſufficientem rationem reddere videatur.

Infirmum cenſuerunt Domini dictum teſtis, vltimo loco examinati; fatetur enim Oricellarius ſuper iſtis contractibus, ſeu partitis Regiis, inſtrumenta fieri conſueuiſſe; negat autem vniformiter, cùm diſtrahebantur loca partitorum, & cedebatur in ementium fauorem, inſtrumenta confecta fuiſſe, cùm ſufficeret à tergo petentium, litterarum ceſſionem annotare, abſque vlla expreſſione quantitatis pretij, pro quo fiebat ceſſio.

Ac valde veriſimile ſit, in iſtis ceſſionibus, vel idem pretium notatum, quòd continebatur in litteris patentibus, vel nullum notatum, quando minus recipiebatur, ne ementes ea credita, exponerent ſe periculo perdendi, vel non recipiendi amplius, quàm ipſi expoſuiſſent: & quamuis à tergo litterarum patentium oſtenderetur, ceſſionem factam, pro pretio in eis contento, adhuc ea non eſſet concludens probatio, ad tantundem exigendum, cùm notum ſit, rebus Galliæ declinantibus, tunc iſta credita valde in pretio diminuta fuiſſe.

Sed quidquid ſit, in hoc Domini fuerunt concordes, quòd ſiue Lilius prætendat, credita fuiſſe vendita ante mandatum Oricellario datum, vel quandocumque pluris fuiſſe vendita, eum id probare debere.

---

## *Vlysbonen. adminiſtrationis Capellæ.*

### Lunæ 20. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Tranſmiſſibilem eſſe rem ad hæredem, facit indifferentia materiæ.*

3 *Tranſitoria, ſi non eſt ſubiecta materia ad hæredes, intelligitur perpetua ad vitam.*

4 *Perpetuum dicitur, quod eſt ſine temporis limitatione.*

## DECISIO CLI.

NVncius Apoſtolicus Vlysbone ann. 1538. Saluatorem patrem Beatricis Pegadæ, perpetuum huius maioricatus, ſeu Capellæ adminiſtratorem conſtituit: Rinucius Cardinalis, ſummus Pœnitentiarius, de ſpeciali mandato Papæ, eam conceſſionem adminiſtrationis approbauit, ac pro Saluatore, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus confirmauit. 1.

Dubitaui an hæc conceſſio facta Saluatori, *in perpetuum,* quam Pœnitentiarius confirmauit, intelligeretur facta ſolùm Saluatoris vita durante, aut quòd etiam ad eius hæredes fœminas, & nunc ad Beatricem filium tranſiret.

Et Domini conformiter tenuerunt, tranſire ad hæredes, & ſucceſſores, etiam fœminas; nam cùm aliàs in iſta cauſa * ſub die 16. Ianuarij præſentis anni Rota cenſuerit iſtam adminiſtrationem eſſe laicalem, ſubiecta materia † patitur, vt tranſeat ad quoſcumque hæredes, etiam fœminas: quia ſumus in materia indifferenti, *l. maximum vitium, de liber. præter. l.* 12. *tabularum, C. de legitim. hæredibus.*

* ſuprà dec. 125.
2.
† & eſt concluſio certa quòd ſubiecta materia facit rẽ trãſmiſſibilẽ, vel non, vt per Duran. deciſ. 448. à n. 17. tom. 2.

Et licèt, quando materia ſubiecta non eſt tranſitoria ad hæredes, *perpetuum* intelligitur ad vitam. *l.* 1. *ff. pro ſocio.* vbi notat Dominicus, & alij, *de Capell. Monachor. lib.* 6. Corneus *conſil.* 59. *num.* 3. *&* 23. *lib.* 2. Berous *conſil.* 21. *num.* 6. *&* 7. *lib.* 1. Roland. *conſil.* 84. *num.* 11. *lib.* 6. Gabriel de Locato *concluſ.* 2. ſecus tamen eſt, cùm materia eſt ad hæredes, & ſucceſſores tranſitoria, (qualis eſt præſens) quia iſta adminiſtratio eſt laicalis: * nam tunc id dicitur perpetuum, quod eſt ſine temporis limitatione. Romanus *in l. etiam filij, n.* 12. *ff. ſoluto matri.* Alexander *conſil.* 71. *num.* 2. *lib.* 6. Decius *conſil.* 472. *num.* 22. *& conſil.* 516. *n.* 15.

3.
4.
* adde quæ dixi ſuprà ad deciſ. 125. in deciſionibus inibi allegatis circa hũc articulum.





---

## *Conchen. Veſtuarij.*

### Die 27. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Bonæ fidei poſſeſſor, vt poſſit percipere fructus, debet ex omni parte habere bonam fidem.*

3 *Mala fides præſumpta, impedit perceptionem fructuum, bonæ fidei poſſeſſori.*

4 *Præſumptio pro veritate ſolet haberi, donec aliud conſtiterit.*

5 *Fictio idem operatur in caſu ficto, quod veritas in vero.*

6 *Sententiæ tres conformes inducunt præſumptionem malæ fidei in poſſidente.*

7 *Tranſactio ſolùm nocet tranſigentibus.*

8 *Diſtributiones litiganti, non debentur finita lite, niſi præcedente proteſtatione.*

## DECISIO CLII.

1.
* ſuprà dec. 134.

PLacuit Dominis deciſio, aliàs in iſta cauſa, facta coram me, ſub die 15. Februarij proximè * præteriti, quapropter deducta nunc pro D. Ioanne de Noua, non putarunt recedendum.

2.
* de hoc articulo vidẽda eſt deciſ. 528. in recẽ. p. 4. vbi n. 7. tenet quod bona fides ſemper præſumitur & quælibet cauſa etiam beſtialis & temeraria excuſat, de quo vide Ludou. dec. 74. n. 2. & addit. n. 9.
† vide Cocc. dec. 369. n. 3.

Non obſtat, quòd ei fuerit mota lis à Ferdinando de Eſcobar, non autem à Capitulo, & quòd propterea, licèt foret malæ fidei poſſeſſor, reſpectu Ferdinandi, non tamen dici poterat talis, reſpectu Capituli, gloſſ. *in l. ſi quis fundum. ff. de acquiren. poſſeſſ. l. ſi ædes meæ,* vbi gloſſ. *ff. de ſeruit. vrbanor. prædior.*

Quia dicebatur, id non procedere, reſpectu acquiſitionis fructuum, quos vt ſuos faceret debebat eſſe omni ex parte bonæ fidei poſſeſſor. * *l. bonæfidei. ff. de acquirend. rerum domin.* (& fuit in alia deciſione firmatum.) Item hìc agebatur, non de fructibus iam perceptis, ſed de percipiendis, quos Ioannes ſibi adiudicari petit, inter quos magnum † eſt diſcrimen.

3.
* etſi ſit iuris habetur pro liquidiſſima probatione. Caual. dec. 151. n. 11.
4.
5.
† de hac cõcluſione quo ad ſucceſſionem deſcendẽtium vide Rotam recẽ. p. 1. dec. 104. n. 3. & 266. n. 8. & 319. n. 3.
6.
7.
* quia tranſactio ſolum nocet tranſigentibus Duran. deciſ. 95. n. 10. to. 1.

Nihil refert, quòd iſta mala fides Ioannis fuerit præſumpta, ſeu ficta, vtpote inducta per litis conteſtationem, nam præterquam, quòd præſumptio pro veritate * ſolet haberi, donec aliud conſtiterit. *l. penult.* vbi gloſſ. *ff. de probat.* vnde illud, quod idem operatur fictio in caſu ficto, † quod veritas in caſu vero. *l. filio quem pater. ff. de liberis & poſthum. l. ſi is qui. ff. de vſucapio.* hìc ceſſabat omnis difficultas, ex euentu ſubſecuto, cùm Ioannes ſuccubuerit, per tres ſententias conformes quibus nullum ius eius, & mala fides patefacta fuerunt.

Quod Ioannes concordiam, ſeu tranſactionem inierit, cum Ferdinando, & ei ſoluerit fructus, quos Ferdinandus à Capitulo prætendere potuiſſet, & ideo nunc Ioannes, quaſi Capitulum liberauerit, poſſit agere contra illud actione negotiorum geſtorum, *l. ſoluendo ff. de negot. geſtis,* cum ſimilibus, leue fuit exiſtimatum, cùm iſta tranſactio Capitulo * nocere non debeat. *l. ſi vnus. §. ante omnia. ff. de pactis. l.* 2. *C. res inter alios acta.*

Nec Capitulum tenetur actione negotiorum geſtorum, ſi negotium vtiliter geſtum non eſt, *l. Pomponius. ff. de negot. geſtis,* cùm Ioannes non probauerit, Capitulum teneri, ad ſoluendos fructus, & diſtributiones Ferdinando, non poteſt illos à Capitulo petere, quod ſi ſoluerit, ſibi imputet, cùm malè ſoluerit, & agat contra Ferdinandum, non contra Capitulum, quod non eſt ſibi obligatum.

Satis autem videbatur, non teneri Capitulum ad aliquid præſtandum Ferdinando, qui nec reſedit, nec dum litigabat, intelligitur reſediſſe, nec apparet, ipſum aliquando petiuiſſe diſtributiones, nec de illis ſibi exhibendis, proteſtatum * fuiſſe, cùm tamen non debeantur, niſi præcedente proteſtatione, Mohedanus *deciſ.* 109. Auguſtinus *in Epitome tit. de fructib. & litium expenſis, num.* 4. 8.

* de hoc articulo vide Cocc. deciſ. 21. n. 3. & 4. & infrà dec. 556. n. 5.

Quatenus attinet ad licentias D. Ioanni per Capitulum conceſſas, & ad prætenſum veſtuarium, quod aſſerebat, ſe lucratum, placuerunt Dominis reſponſiones in alia deciſione datæ: & ſimiliter, quoad alia ſubiecta, placuerunt allegata per informantes pro Capitulo.

---

## *Vicen. fructuum, ſiue penſionum.*

### Die Lunæ 27. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Venditor, qui ex pacto præcedenti recuperat rem venditam, non debet ſuſtinere onera, ante recuperationem impoſita per emptorem.*

3 *Emptor non poteſt pignorare rem ei venditam, cum pacto de recuperando.*

4 *Mandatum executiuum non exequitur, niſi contra obligatum, vel habentem cauſam ab eo.*

5 *Quaſi poſſeſſio exigendi penſiones, non iuuat penſionarios, contra Capitulum non conſentiens illis.*

## DECISIO CLIII.

DOminium fructuum, & reddituum præpoſiturarum Eccleſiæ Vicen. eſſe penes Canonicos, & Capitulum, ac Præpoſitos eſſe ſolùm adminiſtratores, & ideo Epiſcopum & Capitulum potuiſſe edita conſtitutione, augere portiones antiquas panis, & pecuniarum, pro obſoniis Epiſcopo, Canonicis, & portionariis, per eoſdem præpoſitos præſtandas in hac cauſa, ſæpe fuit in Rota * diffinitum, & inſuper ſententiæ latæ. 1.

* ſuprà deciſ. 8.

Cæterùm, quia dum executioni mandarentur, nonnulli habentes penſiones reſeruatas, ſuper dictis fructibus de conſenſu ſolùm præpoſitorum, prætendebant in primis, ex eiſdem fructibus integrum detrahendas, & perſoluendas penſiones, deinde ex reſiduo ſi quód ſuperfuerit, dandas Epiſcopo, & Capitulo portiones, per conſtitutionem auctas, propterea cùm de hoc dubitaſſem ſub iſto die 27. Maij, Domini conformiter cenſuerunt, non eſſe penſiones primum detrahendas: & principale fundamentum fuit, nam cùm declaratum extiterit, dominium dictorum fructuum eſſe penes Capitulum, non potuerunt Præpoſiti in præiudicium Capituli, ſuper aliquo grauamine conſenſum præſtare,

2. nec impoſitum onus tenentur Canonici ſubire, non ſecus, ac venditor, qui ex pacto præcedenti recuperat rem venditam, qui non debet ſuſtinere onera ante recuperationem, impoſita per emptorem. *l. in diem*, vbi Bartolus, *ff. de aqua pluu. arcen.* Tiraquellus *de retractu conuentionali.* §. 3.
3. *gloſſ. 1. num.* 10. non enim potuit emptor (verbi gratia) pignorando facere deteriorem conditionem venditoris. * *l. 3. ff. quibus modis pig. vel hyp. ſoluit.* Tiraquelli. præcitato loco *num.* 12.

* hæc concluſio poteſt habere difficultatem ex eo, quia talis emptor non habet rē cōmunem cum vēditore. Rota recen p. 3. dec. 502. n. 3. ergo poterit pignorare rē venditā cum pacto de retrouendēdo, cū ille ſolus ante retrouēditionē ſit dominus, & ideo pignus ſuſtineri poteſt licèt ad intereſſe teneatur.

Nec refert, quòd pro parte habentium penſiones opponebatur de litteris reſeruationum, habentibus executionem paratam, quia id procedit contra conſentientes, non contra tertios non conſentientes, nec cauſam à conſentientibus habentes, quibus Papa non præſumitur voluiſſe præiudicare, confert ſimile de mandato executiuo, quod non mandatur executioni, niſi contra ſucceſſorem, habentem cauſam ab obligato. Neguſantius *de pignor. parte* 4. *n.* 20.

Nec quaſi poſſeſſio exigendi iuuat penſionarios, contra Capitulum, & Canonicos, ſuper quorum bonis, non conſentientibus ipſis, non potuit grauamen imponi.

Itaque detrahent Epiſcopus, & Canonici, primùm ſuas portiones, iuxta formam conſtitutionis auctas; de his verò, quæ penes Præpoſitos remanebunt, penſiones erunt perſoluendæ, Creſcentius *deciſ.* 153. incip. *Fructus Monaſterij*, aliàs eſt 3. *ſub titul. de locato*, in impreſſis.

4.

5.

† adde Ludou. dec. 22. & amplia hoc procedere etiamſi executio fiat in vim obligationis Cameralis, & vbi competit via executiua. idem Ludouiſ. deciſ. 330. n. 2. & 362. n. 6. vbi additio n. 11. & ad hūc effectū neceſſaria eſt expreſſa obligatio. Durā. dec. 37. n. 7. & deciſ. 50. n. 1.

## *Pampilonen. Sepulturæ de Sparza.*

### Veneris 30. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Mortuorum cadauera, de iure extra Eccleſiam, non intra ſunt ſepelienda.*

3 *Sepulturam intra Eccleſiam qui habeant.*

4 *Ius ſepulturæ intra Eccleſiam non poteſt tribuere Vicarius.*

5. 6 *Ius ſepulturæ tribuere, eſt ſpecies alienationis, cum clauſula, vt nullus alius poſſit in eo loco ſepeliri.*

7 *Vicarius Epiſcopi poteſt quæcumque & ipſe Epiſcopus.*
*quod intellige limitando, vt num.* 8.

9 *Sepulturam eligere quilibet poteſt.*
*quod intellige, vt num.* 10.

## DECISIO CLIV.

1. CVm Eccleſia iſta Parochialis oppidi de Sparza, propter anguſtias, amplianda foret, contigit vt ſepultura Ioannis Ramirez, quæ (ſicut cætera aliorum ſepulturæ) antea erat in cœmeterio, extra Eccleſiæ ambitum, intra ambitum contineretur, cui Vicarius Pampilonen. ſine conſenſu Rectoris, intra Capellam Sanctæ Catherinæ, ante & prope Altare, eo amplius addito, vt nullus ibi niſi de ſua familia, ſepeliretur, locum ſepulturæ conceſſit: dum Ioannes poſſeſſionem apprehendere niteretur, Rector contradixit, idem Vicarius in gradu appellationis pronuntiauit, quòd in præfata ſepultura, aſſignata, aut per eum pro maiori Eccleſiæ commoditate aſſignanda, antiqua eius ſepultura transferretur: Metropolitanus Burgenſis (ad quem fuerat appellatio interpoſita) ſententiam Pampilonenſis confirmauit. Cauſa introducta in Rota dubitaui, an conſtaret de bono iure Rectoris prædictæ Parochialis, & incolarum, agentium pro Eccleſiæ liberiori ſtatu? Et vtraque parte informante ſub die 31. Maij præſentis ann. 1591. Domini dixerunt, conſtare de bono iure * Rectoris, cui aſſiſtebat primò ius commune, quo ſancitum extat, vt mortuorum cadauera in Cœmeteriis, atrio, aut porticu, aut in exhedris, extra Eccleſiam, non intra eam,

* ab hac reſolutione receſſum fuit infrà deciſ. 199.

2. † aut prope Altare, vbi corpus & ſanguis Domini conficitur, ſepeliantur. Concilium Tribunienſe *cap.* 17. vbi inſigne refertur miraculum, circa quendam intra Eccleſiam ſepultum, Concilium Nannetenſe *cap.* 6. Concilium Vaſenſe, ſeu Varenſe *cap.* 3. *cap. præcipiendum, §. prohibendum* 13. *quæſt.* 2. à quo licèt receſſum quandoque videatur, quod non temere videri factum poteſt: hoc enim ſepeliendi ius, adeò olim venerabile fuit, vt Reges, & Imperatores, magni penderent ſi corpora eorum, non prope Apoſtolos, ſed extra eorum veſtibula ſepelirentur, vt multis oſtendit Ioannes Durandus *lib.* 1. *cap.* 23. *de riti-*

† adde Caual. deciſ. 15. n. 1. vbi hæc deciſio allegatur, & Ludouiſ. deciſ. 145. n. 2. vbi plura de hac materia adducit annotatio ibidē.

3. *bus Eccleſiæ Catholicæ*, non tamen quibus ius ſepulturæ tributum eſt, ſed ſolis Epiſcopis, Abbatibus, dignis Presbyteris, & fidelibus, id eſt, virtute fidei conſpicuis, & ſanctitate præcellentibus, quibuſdam laicis Concilium Moguntiacum primum *cap.* 52. *cap. nullus mortuus*, 13. *quæſt.* 2.

Et licèt, communi quadam conſuetudine, receptum videatur, vt omnes iam intra Eccleſiarum ſepta ſepeliantur, non tamen decet, vel in locis minus idoneis, vel prope Altare ſepeliri, in hoc enim non apparet aliquid immutatum, nec eſt à veteri iure recedendum, in Prouinciis præſertim, & locis, vbi adhuc viget antiqua conſuetudo, ſepeliendi cadauera defunctorum extra Eccleſias, in cœmeteriis, atriis, aut porticibus; iuxta dicta *in cap. præcipiendum*, 13. *quæſt.* 2.

4. Præterea pro bono iure Rectoris, Domini conſiderabant defectum iuriſdictionis in concedente facultatem ſepeliendi; quia Vicarius Pampilonen. * non potuit id iuris tribuere; Capella Tholoſana *deciſ.* 97. nam conceſſio iſtius iuris, præterquam quòd videatur eſſe quædam

* adde Caual. in dicta dec. 15. n. 2.

5. ſpecies alienationis * rei Eccleſiaſticæ, ſeruitutem Eccleſiæ imponens; dum aſſignatur eo adiecto, vt nullus alius ibi ſpeliatur. Antonius de Butrio *in cap. abolendæ, de ſepult. num.* 3. & *ibi* Abbas *num.* 5. quo fit vt eas ſolemnitates ſeruare oportuerit, quas in alienatione rerum Eccleſiæ ſeruari iura iubent. Berous (qui commune teſtatur) *in cap. nulli, num.* 78. & 79. *de rebus Eccleſ. non alien.*

* quæ in hac materia non admittitur nec datur dominium, ſed tantùm vſus ſepulturæ. Rota diuerſ. p. 1. dec. 787. num. 5. Coc. 291 n. 1. Ludou. dec. 145. vbi latè additio n. 5. & 6.

Zabarella, & Vitalinus *in Clem. Dudum. §. huiuſmodi* 2. *de ſepult.* minimè dicunt, Vicarios poſſe concedere licentiam ſepulturæ, nec loquuntur de licentia Epiſcopi, cùm ſolùm doceant, Ec-
6. cleſiis non Parochialibus, de licentia Epiſcopi conſtitutis, non competere ius ſepulturæ, niſi eis ſpecialiter concedatur.

7. Quòd Vicarius poſſit quæcumque poteſt Epiſco



Epiſcopus, Doctores *in cap.* 2. *de offic. Vicar.* Rota *deciſ. vlt. de offic. Vicar. in nouis*, procedit reſpectu
8. eorum, quæ concernunt cauſarum iuriſdictionem, nō ſic reſpectu eorum, quæ vel ſpeciali prouiſione conſtituta * ſunt, vel Eccleſiis, eorumque ſtatui poſſint præiudicare, qualia ſunt, beneficia vnire, tranſactionibus, ſeu alienationibus auctoritatem præſtare, & ſimilia. Capella Tholoſana *dicta deciſ.* 97.

* nam cum iuriſdictio Vicarij ſit delegata, Rota diuerſ. p. 2. dec. 297. n. 1. non veniunt in generali conceſſione quæ requirūt ſpeciale mandatum. Caual. dec. 28. n. 5. Rota recen. p. 1. dec. 311. & deciſ. 375. n. 5. p. 3. & eſt hæc concluſio certa omniū DD.

Teſtium in alia cauſa examinatorum, non fuit habita ratio: nec primò, tanquam agenti de ſuo intereſſe, fuit adhibita fides, ſicut non placuit, Ioannem locum ſepulturæ prædictum acquiſiuiſſe ex titulo oneroſo ſcutorum 250. cùm illa non dederit Eccleſiæ, nomine eleemoſynæ, ſed potiùs fabro mutuauerit.

Epiſcopum eſſe Rectorem negabatur, & Priorem Nauarræ, tanquam Rectorem, & Parochum habentem in dicta Eccleſia perpetuum Vicarium, legitimè potuiſſe contradicere, non ambigebatur; vt bene deducebatur hîc per informantes.

9. Denique non obſtabat, quòd quilibet ſibi poſſit eligere liberè ſepulturam, *cap.* 1. *de ſepult. lib.* 6. & quòd nuda ſeruitus hîc concedatur, * non autem proprietas, ex qua cauſatur alienatio.

* adde quæ dixi ſuprà ad n. 4.

Quia reſpondebatur, quòd licèt electio eſſet permiſſa, vt quiſque in qua Eccleſia velit, ſepeliri poſſit, nec magis in vna, quàm in alia ſepeliri cogatur, non eſt tamen permiſſum, vt vel priuatiuè, quoad alias, ſepulturæ locus concedatur, vel vt in loco, aliàs prohibito, vel incompetente ſepeliri poſſit.

## *Vrbeuentana cenſus.*

### Die 31. Maij 1591.

### SVMMARIVM.

2 ***Conditio appoſita in obligatione cenſus annui de aſſecurando in quemcumque caſum fortuitum, reddit illum vſurarium, & n.* 10.**

3 ***Cenſus natura eſt, vt perempta re, ſuper qua imponitur, confeſtim extinctus cenſeatur.***

4 ***Fundamento ſublato, non ſuſtinetur fundatum.***

5 ***Cenſus natura eſt, vt qui eum imponit, poſſit agere ad penſionem, non verò vt reddatur proprietas quando velit.***

6 ***Cenſus iuſto pretio vendi poteſt, & non eſt vſura.***

7 ***Cenſus conſtitutus, ante conſtitutionem Pij V. non ſeruatis conditionibus ipſius, valet, & non eſt vſurarius.***

8 ***Vſurarum à ſuſpicione honeſtæ perſonæ releuantur.***

9 ***Cenſus impoſitus ſuper re certa, ita poteſt conſtitui, vt ſit liber à quocumque grauamine, vel caſu fortuito, ſed ea perempta, perimit cenſus.***

10. 11 ***Cenſus impoſitus, cum pacto, vt etiamſi fructus, ex prædio, in quo conſtituitur, non percipiantur, debeatur, eſt validus.***

12 ***Sterilitas vnius anni, poteſt compenſari cum vbertate alterius.***

13 ***Exempla licèt non reſtringant, declarant tamen, rem procedere in terminis ſimilibus.***

14. 15 ***Cenſus impoſitus, cum pacto, quòd ſi per ſex menſes non ſoluatur, poſſit peti ſors principalis, non eſt vſurarius.***

16. 17 ***Interpretatio in dubio eſt facienda, quæ magis fauet animæ.***

18 ***Cenſus impoſitus, cum pacto vt non ſit redimibilis, eſt vſurarius.***

## DECISIO CLV.

1. * SEuerinus Miſſinus ann. 1567. vendidit Domino Sebaſtiano Vantio, Epiſcopo Vrbeuentano, vnum annuum perpetuum cenſum 80. ducatorum, liberum, & exemptum à quocumque grauamine, ſeu impoſitione, tam ordinaria, quàm extraordinaria, & à quocumque etiam fortuito caſu, maximè belli, peſtis, grandinis, tempeſtatis, vis maioris, ſeu quauis alia, vel diſſimili, deſurſum, vel deorſum proueniente cauſa; quia in huiuſmodi euentu, tantundem de ſuo liberè donare velle dixit, de ſemeſtri, in ſemeſtrem, ac in principio cuiuſlibet ſemeſtris, annuatim perſoluendum, cum promiſſione, quòd caſu quo per ſpatium ſex menſium, ipſe, vel eius hæredes in ſolutione ceſſarent, tunc poſſet agi contra eos, ad reſtituendum pretium, ſiue ſortem principalem, & caſu quo huiuſmodi cenſus fuerit venditus, donatus, vel legatus, fabricæ alicuius Capellæ, ſeu alteri pio loco, non poſſet redimi, niſi alius cenſus ſimilis eidem loco donaretur.

* habetur hæc dec. impreſſa per Cenci. poſt tract. de cenſi. deciſ. 10 & per Pacificū poſt tract. de Salui. inter. dec. 179.

2.

† vide Seraphin. deciſ. 1418. n. 1.

3.

* adde Dutan. dec. 279. n. 1. & 2. to. 2. & Seraphin. 1418. n. 3. ſed ſi pars fundi (in qua eſt conſtitutus cēſus) remaneat, non extinguitur. Ludou. deciſ. 388. n. 8. Cocin. dec. 208. n. 9. Rota recen. dec. 232. n. 3. & 175. n. 1. p. 3. ſed hoc intellige ſi pars, quæ remanet, ſit capax pro ſolutione cēſus de quo vide dec. 457. impreſſam per Duar. poſt Comē. ad extra. Pij V. de forma crean. cen. quam allegat in to. 2. §. 591. concl. 2. n. 15. cum pluribus ſeq.

Qui pro iſto cenſu fuerat obligatus, eum velut vſurarium coram A.C. accuſauerat, & cùm locumtenens Auditoris Cameræ meum ſuffragium exquireret, ego inclinabam in partem affirmatiuam, quòd contractus eſſet fœneratitius, tum quia cenſus eximebatur ab omni caſu etiam fortuito, † quæ conditio videtur opugnare naturam cenſus, cum perempta re, ſuper ſua imponitur, confeſtim extinctus cenſeatur; * neque enim verum ſit, quod ſcripſit Dominicus Sotus *lib. 6. de iuſtitia & iure, quæſt. 5. art.* 1. nempe hanc conditionem non contineri in Extranegantibus Martini V. & Calixti III. *tit. de empt. & venditione.* nam, ſicut prudenter monuit Nauarrus *tract. de vſuris num.* 73. & 74. non ideo id exprimere omiſerunt illi Pontifices, quia aliud ſentirent, ſed propterea, quòd de ea re non dubitarent: nam certum † eſt ſublato fundamento non ſuſtineri fundatum, *cap. cùm Paulus* 1. *quæſt.* 1. ſolùm enim dubitabatur, an qui pretia recepiſſent, ad eorum ſolutionem teneretur, cùm cenſus, ob quos data fuerunt pereuntibus prædiis, perirent: * dubitationi reſpondentes Pontifices, diffinierunt prædiis pereuntibus non reſtitui pretia, non tamen dicunt, non extingui cenſus.

4.

† adde Monachum dec. Bononiē. 18. n. 45. & latè dec. Flor. 48. n. 3. & ſeq.

5.

* Rota in impreſſis per Durādū poſt commen. ad extrauag. Pij V. de forma creandi cen. dec. 88. quæ correſpōdet ad to. 2. §. 5. q. 4. per totā.

Tum etiam ex illa conditione, quòd ſi venditor ceſſaret à ſolutione fructuum per ſex menſes, tunc ad ſolutionem ſortis principalis compelli poſſet; hoc enim natura cenſus perpetui oppugnatur: nam is, cui debentur cenſus fructus, legitima via agere debet ad eos conſequendos, verùm talem pactionem apponere † non licet, ad tradita per Contradum *de contractibus, quæſt.* 83.

† nā natura cenſus eſt, vt nō poſſit extingui inuito debitore. Seraph. dec. 331. n. 3. Duran. dec. 15. n. 9. to. 1. idē Seraph. dec. 1006. num. 1. & 4.

Cùm autem ex aduerſo peteretur, vt cauſam propo

proponerem in Rota, illam propoſui ſub die 11. Februarij 1591. & Domini tunc dixerunt quòd cauſa concordaretur, ſed cùm Agentes pro validitate contractus nollent concordiam inire, iterum cauſa propoſita ſub die 31. Maij,
6. fuit concluſum per Dominos, contractum eſſe validum & licitum.

Primum conſiderabant, iuxta conſtitutiones Martini V. & Calixti III. cenſum iuſto pretio vendi poſſe, vt concludit etiam Ancharranus *conſil.* 30. & Decianus *conſil.* 2. *num.* 68. & *ſeq. lib.* 1.

7. Item iſtum cenſum fuiſſe creatum, & venditum cum præfatis pactionibus de ann. 1567. & ſic ante conſtitutionem * Pij V. de cenſuum creatione,(quæ fuit edita ann. 1568.) & ſub prædicta forma, tunc publicè, & palàm frequentabantur, vnde etiam præſumebatur licitus, non vſurarius. † Gratus *conſil.* 39. *num.* 4. & *conſil.* 49. *num.* 12. *lib.* 2. Socinus iunior *conſil.* 27. *num.* 7. *lib.* 4. Crauetta *conſil.* 327. *n.* 21. Roland. *conſil.* 58. *n.* 18. & 19. *lib.* 4.

* habetur hæc conſtitutio in Bullario Cherubini tom. 20. in Bullis Pij V. conſt. 79. fol. mihi 276.

† adde Rotã deciſ. 92. in impreſſis per Duardum in comm. ad dictã Extra. Pij V. in fine tomi ſecũdi.

Accedebat qualitas perſonæ contrahentis, videlicet D. Sebaſtiani Vantij, Epiſcopi Vrbeuentani, viri probatæ vitæ, & bonæ opinionis, & famæ, in quem non facilè cadebat ſiniſtra ſuſpicio, nam generaliter honeſtæ perſonæ à ſuſpicione vſurarum releuantur. Crauetta *conſil.* 145.
8. *num.* 24. Decianus *conſil.* 2. *n.* 8. *lib.* 1. Menochius *conſil.* 343. *num.* 17.

9. Non obſtat primum pactum, quo cenſus eximitur à quocumque grauamine, ſeu impoſitione, * & à quocumque caſu, etiam fortuito, cùm tamen debeat, ſuper re certa, ac definita ita conſtitui, vt eâ peremptâ perimi debeat, iuxta verum intellectum Extrauag. conſtitutionum Martini V. & Calixti III. *ſub tit. de empt. & vendit.* & receptam opinionem, quam profitentur, Romanus *conſil.* 417. *num.* 4. & Pariſius *conſil.* 75. *num.* 31. *lib.* 4.

* de hoc articulo vide Rotã diuerſ. p. 1. dec. 757. n. 2. & ſeq.

10. Nam Domini dicebant, ad excludendam vſuram, pactum poſſe referri * ad caſum fortuitum, contingentem ſuper fructibus, vt videlicet cenſus deberet eſſe liber, & immunis ab omni, & quocumque caſu fortuito, non rem ipſam ſtabilem, ſuper qua fuit cenſus impoſitus totaliter perimente, ac deſtruente, nam tunc certum eſt cenſum ipſum etiam totaliter perimendum, † ſed à caſu deuaſtante fructus ipſius rei, Pariſius *dicto conſil.* 75. *num.* 31. *lib.* 4. & fuit reſolutum in vna Romana nullitatis cenſus ſub die 4. Nouembris de anno 1583. coram D. Lauretano, nec verba pacti videbantur, hunc ſenſum excludere, illa videlicet, *belli, peſtis, grandinis, tempeſtatis, vis maioris,* &c. quibus ſignificatur, non interitus, ſeu deſtructio rei ſtabilis, ſed potiùs fructuum, inde prouenientium, ita vt propter bellum, vel peſtem, vel grandinem, ſeu turbinem venti, aut ignis deſurſum, vel deorſum prouenientis; vel domus fructuum habitationis, vel agri, aut prædia, vel vineæ fructuum, meſſium aut vini reddere, aliquo tempore non valeant: hoc enim caſu, licitum eſt pactum de non petendo reductionem, ſeu defalcationem. nam ſterili-
11. tas vnius temporis, * cum vbertate alterius compenſari poteſt *l. licet. C. locati, cap. propter ſterilitatem, de locato.* Iſta enim exempla, quamuis non reſtringant, declarant tamen, rem procede-
12. re in terminis ſimilibus. Oldradus *conſ.* 244. *n.* 14. Socinus iunior *conſil.* 2. *num.* 1. *lib.* 4. quod fiebat
13. euidentius ex eo, quòd in huiuſmodi euentu, emptor cenſus tantundem de ſuo liberè velle donare dixit, & ideo donatio debet reſtringi, vt non intelligatur de æſtimatione totius cenſus, ſed illius anni, vel temporis, quo in fructibus contigit ſterilitas, ſeu interitus; argum. *l. cùm de indebito ff. de probationibus.*

* in impoſitione cenſus, tunc pacta annullant illum, ſi ſint contra ſubſtantiã ipſius contractus, ita vt faciãt illum tranſire in alium. Seraph. dec. 1431. n. 1. ſecus tamen, ſi pacta ſint circa accidẽtalia, quia tunc vitiantur, & non vitiant contractum, vt ibidem, & vide dec. 1418. n. 10.

† adde quæ dixi ſuprà ad n. 3.

* adde Coc. dec. 11. n. 1. & 422. per totam.

14. Non obſtat aliud pactum, quòd ſi per ſex menſes * ceſſatum fuerit à ſolutione cenſus, vel fideiuſſores non fuerint renouati, poſſit cogi ad reſtitutionem pretij.

* vide de hoc articulo magiſtralem dec. in recen. 670. à n. 2. & per totam.

15. Quia fuit per Dominos reſponſum, hoc etiam pactum non eſſe præciſum, ſed ſi ipſe non obſeruauerit contractum celebratum cum iuramento, tunc enim reſoluitur per *l. ſi quis maior. C. de tranſact.* & ei culpa poteſt imputari, iuxta *l. quod quis. ff. de regul. iuris.*

16. Non obſtat, quòd in dubio ea ſit facienda interpretatio, quæ magis fauet animæ, Caſſador. *deciſ.* 1. *num.* 1. *de vſuris,* Probus *in cap. quanquam, num.* 39. *de vſur. lib.* 6. Menochius *conſil.* 109. *n.* 24.
17. quod vtique contingeret, in hoc caſu, ſi fieret interpretatio, declarando iſtum contractum fuiſſe fœneratitium, nam regula procedit in foro conſcientiæ, ſiue in foro poli; ſecus tamen eſt in foro exteriori, ſiue ciuili, ſiue in foro fori. Rolandus *conſil.* 40. *lib.* 2.

18. Poſtremò Domini dixerunt, non obſtare illud pactum de non redimendo cenſu, alicui pio loco donato, niſi alius cenſus æquè idoneus eidem loco donaretur, quaſi id non liceat, ad tradita per Nauar. *de vſuris n.* 72. & 78. quoniam Nauarrus loquitur abſolutè, quando pactum conuentum eſt, ne cenſus redimi poſſit, * quod eſt illicitum, & vſurarium, reſpiciens commodum ipſius emptoris, & in caſu propoſito fuit appoſitum ad fauorem piæ cauſæ, & cùm ex hoc emptor non percipiat vberiores fructus, non debet cenſus vſurarius cenſeri.

* adde Seraph. deciſ. 831. n. 3. & 890. n. 3. & Rotã in impreſſis per Duardũ poſt commen. ad Extrauag. Pij V. to. 2. dec. 152. n. 5.

---

## *Brixien. confidentiæ.*

### Die 5. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Tranſlatio penſionum, per confidentiam facta, prohibetur per conſtitutiones Pij IV. & V.*

3 *Confidentiarius penſionis redditur inhabilis ad eam obtinendam.*

4 *Conſtitutio Pij IV. & V. loquens de confidentia non habet locum in tranſlatione fructuum ſimplici, & n. 8.*

5 *Penſiones propriè beneficia eccleſiaſtica dici non poſſunt.*

6 *Penſio non data in titulum eſt quoddam ius temporale, ſeparatum ab ipſo beneficio.*

7 *Pœnalis conſtitutio ſiue lex, eſt reſtringenda.*

9 *Conſtitutio Pij V. loquens de confidentia non facit mentionem de penſionibus, & fructibus, ſeparatim conſideratis.*

10 *Conſtitutio, ſiue lex puniens, per præſumptiones non debet extendi ad caſus in quibus aliàs extenderetur.*

11 *Cauſa probabilis fraudis, ſi non adſit, non præſumitur.*

12 Fructuum



12 *Fructuum perceptio, non concludit confidentiam præceſſiſſe.*

13 *Præſumptiones iuris, & de iure non recipiunt probationem in contrarium.*

14 *Confeſſio qualificata non poteſt diuidi.*

## DECISIO CLVI.

1. ARchiepiſcopus Coreyren. omnes fructus Archipresbyteratus Montiſclari Brixien. diœceſis, demptis tamen quinquaginta pro titulari; habebat reſeruatos cum facultate, in toto, vel in parte vni, vel pluribus res transferendi: cuius facultatis vigore primum de ann. 1568. ſummam 200. ſcutorum, & iterum de anno 1575. reſiduum dictorum fructuum, ad fauorem Ludouici Campani, ſui familiaris tranſtulit, ſed quoniam Franciſcus Fenicius, præfati Archiepresbyteratus titularis, prætendebat
2. in ea tranſlatione commiſſam fuiſſe confidentiam, prohibitam per conſtitutiones * Pij IV. & Pij V. tum quia poſt tranſlationem, idem Archiepiſcopus, eoſdem fructus exegiſſe, per quietantias factas ab eius Procuratore videbatur, tum ex quibuſdam eiuſdem litteris miſſiuis, quibus videbatur ſignificari, Archiepiſcopum poſt tranſlationem, ſe geſſiſſe, tanquam dominum fructuum, quod non videbatur negare Campanus, qui in ſuis conſtitutis fatebatur, Archiepiſcopum poſt tranſlationem, omnes fructus exegiſſe, tum denique, ex quibuſdam locationum inſtrumentis, vnde inferebatur Campanum, tanquam Procuratorem Archiepiſcopi, poſt tranſlationem præfatos fructus, tanquam ſpectantes ad Archiepiſcopum, vti illorum reſeruatorium locauiſſe, & propterea præfatus Fenicius Campanum coram iudice confidentiarum accuſauerat, cui fuerat per S. D. N. ordinatum, vt cum voto meo in cauſa procederet, propoſita cauſa in Rota dubitaui, an eſſet confidentia in caſu, & ad effectum de quo agebatur; effectus erat magnus, quia ſi iudi-
3. cabatur pro confidentia, tranſlatio præfata reddebatur nulla, & Campanus inhabilis, * iuxta pœnas conſtitutionis Pij V.

De hac cauſa ſuprà deciſ. 148. & habetur præſens deciſio inter impreſſas apud Marcheſan. de commiſſ. p. 1. §. 1 n. 11. fol. 518.

* cõſtitutio Pij IV. habetur in Bullario Cherubini to. 2. conſtit. 85. quæ incipit Romanum Põtificẽ; & illa Pij V. in ea eodem to. 2. conſ. 85. quæ incipit intolerabilis fol. mihi. 120. & 283.

* in dicta conſtitutione §. ſed ne quis 8.

Et licèt ego, qui cauſam non Rotalem proponebam, & ideo primum eram dicturus ſuffragium, ex prædictis inclinarem pro confidentia, omnes tamen Domini concorditer tenuerunt, * de illa non conſtare.

* adde Rotã recen. p. 1. dec. 108. n. 5. vbi ad propoſitum pręſens deciſio allegatur & dec. 166. n. 6.

Potiſſima ratio fuit, quia conſtitutiones Pij IV. & Pij V. non habent locum in ſimplici tranſlatione fructuum, aut penſionum, † cùm loquantur de fructibus, ac penſionibus, quæ reſeruantur ratione reſignationis beneficio-
4. rum, nam prima conſtitutio Pij IV. apertè lo-
5. quitur de beneficiis Eccléſiaſticis, penſiones verò propriè beneficia Eccleſiaſtica dici non poſſunt, Sarnenſis *in regula de infirmis reſignan. quæſt.* 16. *circa medium, verſ. nam clarum eſt.* Gigas *de penſionibus, quæſt.* 28. *num.* 10. nam penſio, cùm non datur in titulum, eſt quoddam ius temporale ſeparatum, & diſtinctum ab ip-
6. ſo beneficio, vt tenuerunt Domini in vna Zamoren. penſionis ſub die 10. Octobris 1577.
7. coram Domino Oriolen. & cùm ſit pœnalis conſtitutio, reſtringenda eſt, *cap.* 1. *de filijs Preſ-*
8. *byter lib.* 6. *cap. odia, & cap. in pœnis, de regulis iuris lib.* 6.

† adde Rotã recen. p. 2. dec. 166. n. 6. vbi ad propoſitum pręſens dec. allegatur.

Clarum autem videbatur, conſtitutionem loqui de penſionibus, & fructibus ex cauſa reſignationis beneficiorum reſeruatis, ibi: * *ac ſibi propterea, penſiones annuas, ac fructus, redditus, & prouentus Eccleſiarum, & aliorum beneficiorum,* &c. ex quibus verbis declaratur, etiam alia, quæ ſequuntur in dicta conſtitutione, *in verſ. Ac fructuum, & penſionum reſeruationes, & in verſ. & inſuper;* quibus locis dictio, *prædictam,* & dictio, *& fructibus procuratis, ob reſignationem confidentialem.*

* in dicta conſtitutione 85. Pij IV. §. quare 2. in fine.

9. Conſtitutio item Pij V. quæ enumerat, omnes modos committendi confidentias, * ſimiliter loquitur de beneficiis, ac penſionibus ſuper beneficiis, occaſione confidentiæ reſeruatis, nec in ea deregitur aliquod verbum de penſionibus, & fructibus ſeparatim conſideratis, vel de illorum tranſlatione, nec videbatur Dominis veriſimile, quòd illa conſtitutio id fuiſſet omiſſura, ſi putaſſet in eo etiam caſu, confidentiæ crimen locum habere, argum. *l.* 1. §. *ſin autem ad deficientis. C. de caduc. tollen.* Alexand. *conſil.* 148. incip. *In cauſa appellationis, num.* 8. *lib.* 5.

* in §. ſed ne quiſquam 8. in conſtitutione 85. Pij V. & in §. vt ſi quis.

10. Conſiderabant etiam Domini, quòd cùm conſtitutio Pij V. procedat per præſumptiones, * non debet extendi ad caſus, in quibus aliàs extenderetur. Abbas *in cap. fin. de ſponſalibus,* Ruinus *conſil.* 112. *num.* 17. *lib.* 2. Roland. *conſil.* 27. *num.* 22. *lib.* 1.

* ſed debent eſſe tales quę neceſſariò concludant, vt per Ludou. dec. 517. n. 2. & 238. n. 2. vbi latè additio n. 14.

Nec videri poteſt Pius V. de illis ſenſiſſe *in verſ. ſed ne quiſquam;* nam ibi quoque agitur de penſionibus, occaſione confidentiæ ſuper beneficio commiſſæ (de quibus paulo antea in prædicta conſtitutione tractatum fuerat.

Non obſtat ſententia lata à Pio V. per quam declaratur nulla tranſlatio penſionis facta in Archiepiſcopum Coreyren. quia non fuit declarata nulla, tanquam confidentialis, ſed tanquam facta ad commodum incapacium, ac in fraudem priuilegiorum militum Sancti Pauli.

Fuit etiam dictum, quòd licèt præfatæ conſtitutiones Pij IV. & Pij V. loquerentur de ſimplicibus penſionibus, (quod tamen non concedebatur) adhuc ex his, quæ proponebantur, non videbatur probata aliqua confidentia: primum, quia cùm Archiepiſcopus vigore ſuæ facultatis poſſet fructus pro ſe retinere, & illas etiam omnes, vel aliquam partem trans-
11. ferre; nulla aderat probabilis, aut veriſimilis ſimulandi cauſa, qua deficiente, nec præſumitur ſimulatio, nec admittitur eius probatio. Aretinus *conſil.* 159. *num.* 11. *verſ. venio nunc ad tertium.* Alexand. *conſil.* 57. *num.* 3. *verſ. & hæc procedunt, lib.* 5.

Facti etiam ſeries videbatur tollere confidentiam: nam ſi confidentiaria & ſimulata fuiſſet tranſlatio, non poteſt ſatis commoda aſſignari differentiæ ratio, cur ſtatim ab initio non fuit facta de omnibus fructibus.

12. Quibus ſtantibus non concludit confidentiam perceptio fructuum, facta per Archiepiſcopum poſt tranſlationem, ſola enim fructuum perceptio non inducit confidentiam, ſed animus, & conuentio hoc faciendi ab initio, vt fuit concluſum in illa Cuſentin. confidentiæ coram R. P. D. Orano de anno præſenti, nec locatio facta per Campanum, nomine Archie-



L piſcopi,

piſcopi, nam iſta cur ita abſque confidentiæ crimine fieri potuerint, cauſas habent probabiles, & veriſimiles, quas in ſuis conſtitutis refert Campanus, intererat enim Campani, ne iſta tranſlatio ab Archiepiſcopi conſanguineis intelligeretur, ac vt facilior eſſet exactio in terris, ſeu dominio Venetorum: quæ præſum-
13. ptiones cùm ſint ſatis probabiles, * contrariæ confidentiæ ſuſpicionem ex perceptione, & locatione ortam elidunt, dicebant enim aliqui ex Dominis, quod cæteris etiam placuit, quòd licèt conſtitutio Pij V. ponat quaſdam coniecturas † ad probandam confidentiam, non tamen tollit alias præſumptiones, & coniecturas, quibus priores vel tollantur, vel elidantur. Illæ enim coniecturæ non ſunt præſumptiones iuris, & de iure, * quæ non poſſint recipere probationem in contrarium.

*nam debēt eſſe concludentes, vt dixi ſuprà ad n.10.& iuris & de iure.

† in §. ad probandas 4.

*nam hæ præſumptiones faciunt liquidiſſimā probationē. Caual.deciſ. 151.n.11.

Confeſſio Campani non obſtat, quia cùm ſit qualificata, non poteſt diuidi. † Abbas *in cap.bonæ, num.29. de poſtulat. prælat.* reddit enim
14. rationem, cur nomine Archiepiſcopi locauerit, & quòd licèt Archiepiſcopus exigeret, tamen Campano ſatisfaciebat de exactis.

† quādo autem diuidi poſſit tradit additio ad Ludouiſ.dec. 112.n.10.

In litteris miſſiuis Archiepiſcopi non poterat fieri fundamentum, cùm inde non concluderetur, quòd pecuniæ (de quibus in eis agebatur) perueniſſent ad Archiepiſcopum.

Atque ex his concluſum pro non confidentia.

---

## *Salamantina exemptionis.*

### Die 5. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

1 *Salamantina Vniuerſitas laudatur.*

2 *Scholaſticus, ſeu Magiſter ſcholæ Salamanticen. habet amplam iuriſdictionem.*

3 *Iudex ſcholæ Salamanticenſis, eſt executor conſtitutionum, & priuilegiorum ſcholaſticorum.*

4 *Magiſter ſcholæ Salamanticenſi priuatiuè quoad Epiſcopum, & alios iudices, exercet iuriſdictionem, & n.7.*

5 *Subiectis Epiſcopo Salamanticenſi datur locus præuentionis cum Magiſtro ſcholæ.*

6 *Exemptus ratione certæ rei, vel loci, non cenſetur exemptus reſpectu alterius, & num.* 12. *&* 13.

8 *Priuilegium conceſſum alicui ſub nomine appellatiuo, cenſetur conceſſum abſolutè, vt contineat quidquid in appellatiuo conſideratur.*

9 *Priuilegium conceſſum dignitati, operatur, vt diſpoſitio cenſeatur facta de illo velut de tali, qualis enuntiatur.*

10.11. *Procuratorem qui ſe nominat, cenſetur (etiamſi id non exprimat) intuitu eius qualitatis actum geſſiſſe.*

12.13. *Intellectus ad* cap.cum Capella, de priuilegiis.

14 *Verba quando ſunt clara, ceſſant ſubtiles interpretationes.*

15 *Obſeruantia ſubſecuta eſt fidelis interpres dubiarum diſpoſitionum.*

16 *Teſtes deponentes, cum ſpecificatione actuum, concludunt de poſſeſſione.*

## DECISIO CLVII.

IN ciuitate Salamantina eſt celebris, & antiqua Vniuerſitas multis Romanorum Pontificum donata priuilegiis, & innumeris Regum Hiſpaniæ munita præſidiis, quia in ea ſpeciali quadam prærogatiua litterarum omnium videtur conſiderare domicilium, litterarum Muſeum, & quaſi commune liberalium Artium, & ſcientiarum emporium, ac linguarum Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, & Chaldeæ florere peritia, *Clem.1. §. vt igitur, de Magiſt.* vt non immeritò Leo Papa X. reſcripto quodam, ſtudio Salamantino priuilegia tribuente, enuntiauerit, prædictam Vniuerſitatem, inter alias totius orbis Vniuerſitates, peritiſſimis cuiuſque profeſſionis linguarum, & iuris Doctoribus, quos in notabili numero indies producit, eximio ſplendore niteſcere, & per eam, fidem orthodoxam non ſolùm conſeruari, verùm illius vndique diffuſa doctrina, ampliùs extolli, & amplificari, cui propterea decuit, excellentem aliquem quaſi gymnaſiarcham, virum præficere, quem tum reſcripta Pontificia, tum eiuſdem Vniuerſitatis conſtitutiones, in primis verò 22.23. & 33. ſcholaſticum appellarunt; is, vt ad eam dignitatem, & præfecturam aſſumatur, (vt 33. conſtitutione cauetur) aut in iure Canonico, vel Ciuili Doctor, vel in Sacra Theologia Magiſter idoneus, bonæ vitæ, & conuerſationis honeſtæ, & ſufficientis litteraturæ, ac talis denique probitatis eſſe debet, vt nulla apud eum exce- 1.

De materia huius deciſionis latè agit noſter doctiſſimus Canonicus D. Ludouicus Sarauia in ſuo tract. de iuriſdict. adiūctorum c.22. à n.14. & ibi n.36. hanc refert deciſionem.

ptio perſonarum habeatur, magnam habet 2.
ſcholaſticus iuriſdictionem, nam ſicut 22. conſtitutione diffinitur, ad prædictum ſcholaſticum pertinet, audire examinare, decidere, & determinare omnes, & ſingulas cauſas, ciuiles & criminales Doctorum, & Magiſtrorum, Licentiatorum, & Baccalaureorum, & ſtudentium, in quacunque facultate, officialiumque omnium Vniuerſitatis, & familiarium, & continuorum commenſalium; vt declaratur *leg. 18. lib. 1. tit. 7. nouæ recopilationis legum Hiſpaniæ*; vnde factum eſt, vt tanquam Con-
ſeruator priuilegiorum, immunitatum, & exem- 3.
ptionum omnium perſonarum, & executor conſtitutionum, ordinationum, & ſtatutorum, Vniuerſitatis eiuſdem, iudex ordinarius conſtitutus, cui ipſa Vniuerſitas immediatè poſt Sedem Apoſtolicam ſubiicitur, in eadem ciuitate Salamantina, publicum tribunal, cum iudicibus à ſe ſubſtitutis, locumtenentem, executorem apparitores, & Nuncios, Notarios, & alios neceſſarios miniſtros, & carceres teneat, vt teſtes iuxta 8. vigore Remiſſoriæ examinati conformiter teſtificantur.

Eam porrò iuriſdictionem ſcholaſticus pri- 4.
uatiuè, quoad Epiſcopum Salamantinum, & quemlibet alium iudicem exercet, nam conſtitutione 23. cautum extat, ne quis de gremio Vniuerſitatis, ratione ſubmiſſionis delicti, vel rei, ad cuiuſuis inſtantiam, coram quocumque iudice Eccleſiaſtico, vel ſeculari, ſed ſolùm coram ſcholaſtico Salamantino, vel eius Vicario, ciuiliter, vel criminaliter conueniri poſſit, aut quoquo modo trahi: permiſſa tamen iuriſ-
dictione Epiſcopi Salamantini, (vt 22. con- 5.
ſtitutione



ſtitutione docetur,) quantum ad ſibi ſubditos Clericos ſuæ ciuitatis, & diœceſis; nam quantum ad iſtos, locus eſt præuentioni iudicij, cùm poſſint vel coram Epiſcopo, vel coram ſcholaſtico coueniri.

Tametſi verò, qui in tam inſigni Vniuerſitate, contra tam innumeras, & egregias perſonas, ad eam vndique ſtudiorum gratia confluentes, tam latè patentem exercet poteſtatem, ab Epiſcopali iuriſdictione meritò foret cenſendus immunis, nihilominus ante paucos annos, Reuerendiſſ. Dominus Epiſcopus Salamantinus, licèt fateretur præfatum ſcholaſticum, ratione officij, & conſeruatoriæ eſſe exemptum, & penitus liberum, ſibi tamen ſubiectum fore putauit, ratione ſcholaſtriæ, quæ eſt illuſtris dignitas in Cathedrali Eccleſia Sa-
6. lamantina, cùm iure conſtitutum extet, exemptum ratione certæ rei, vel loci, non cenſeri exemptum, reſpectu alterius rei, vel loci, vt in terminis, de quibuſdam Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ, exemptis ratione Canonicatuum, ſubiectis tamen ratione Eccleſiarum Parochialium, quas ab Epiſcopo Lingonien. obtinebant, decreuit Innocentius III. *in cap. cùm Capella, de priuilegijs*, quo potiſſimum fundamento, cùm ad fauorem Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Salamantini, ſuperioribus annis R. P. Dominus Seraphinus * Oliuarius, Sacræ Rotæ nunc Decanus pronunciaſſet, ſed Domino ſcholaſtico Remiſſoria conceſſa fuiſſet, ea reproducta, ad inſtantiam Doctoris Franciſci Gaſca Salazar, moderni ſcholaſtici, viri omni virtute, & litterarum ſcientia præſtantis, ego in hac ſecunda inſtantia, præſuppoſitis teſtibus, vigore Remiſſoriæ pro parte ſcholaſtici, legitimè examinatis, & priuilegiis, & conſtitutionibus Vniuerſitatis, dubitaui, an textus *in dicto cap. cùm Capella, de priuileg.* obſtaret, in hoc caſu; ita vt ſcholaſticus non poſſet dici exemptus à iuriſdictione Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Salamantini.

* inuenies hāc deciſionem in impreſſis. Seraphin. deciſ. 595.

Et quia pars Domini Epiſcopi, ſæpiùs citata, non comparuerat, antea ad infirmandum, inſtante Procuratore Domini Scholaſtici, cauſa diu dilata, tandem propoſita ſub iſto die 5. Iunij præſentis anni 1591. Domini Auditores concorditer tenuerunt prædictum caput *cùm Capella*, non obſtare quominus ſcholaſticus Vniuerſitatis Salamantinæ, dicatur plenè exemptus à iuriſdictione Epiſcopi Salamantini.

7. Fuit enim primò conſideratum, Apoſtolica reſcripta Eugenij IV. Innocentij VIII. ſucceſſiuè per Iulium ſecundum, Leonem X. & Clementem VII. confirmata tribuentia ſcholaſtico Salamantino, vt nullus de Vniuerſitate poſſit coram quoquam alio iudice, quàm coram eo conueniri, non enuntiari conceſſa tanquam conſeruatori, vel contemplatione alicuius alterius particularis qualitatis, ſed ſcholaſtico, ſub nomine & qualitate ſcholaſtici, ita vt fateri oporteat, ipſum non vti Conſeruatorem, vel in ſolis negotiis, Vniuerſitatem reſpicien-
8. tibus, ſed ſimpliciter, & abſolutè, etiam vti dicta dignitate ſcholaſtriæ præditum, exemptum eſſe: nam cùm priuilegium conceſſum alicui, eſt proportionabile, ſub omnibus qualitatibus, in eo concurrentibus, & eſt conceſſum, ſub nomine appellatiuo, tunc potius cenſetur abſolutè, quàm contemplatione alicuius certæ qualitatis conceſſum. * Abbas *in cap. quoniam Abbas num. 8. verſ. ſi autem ex verbis, & num. 13. verſ. quid ſi duo, de offic. delegat.* quem *ibidem* ſequuntur, Decius *num. 41. verſ. Tertiò Abbas concludit*, & Berous *num.88. verſ. ex verbis Abbatis.* illa enim expreſſio dignitatis, & qualitatis ſcholaſtici, operatur, vt diſpoſitio cenſeatur facta de illo velut de tali, qualis enuntiatur, Abbas *conſil. 115. num. 1. verſ. præterea vbicumque, lib.2.* ſicut de eo, qui ſe Procuratorem nominauit, vt cenſeatur (etiamſi id non exprimat) intuitu eius qualitatis, actum geſſiſſe, traditur *in l. quacumque ff. de procurat.* Bartol. *in l. fin. ff. de inſtitut.* Siluanus *conſil. 8.* incip. *Quoniam ſolet, num.3. & ſeq.* idem iudi- 9.
cium fit de eo, qui hæres, qui tutor, qui nepos 10.
nominatur, aut de quo ſub certa qualitate fit 11.
mentio, Romanus *conſil. 88. in principio.* Alben. *conſil. 42. num.3.* Alciatus *conſil.3. num.14. lib.2.* Purpuratus *conſil.14. num.11.* Ægidius *deciſ.5. & deciſ.423.*

* hæc regula eſt certa in criminalibus, ſed non in ciuilibus, nam exemptus ratione perſonæ cōueniri poteſt vbi res eſt Rota diuerſ. p.1.dec.702. n. 1. Seraph. deciſ. 1058. n.1.& de hoc articulo latè agitur.

Præterea, eadem reſcripta Apoſtolica perſonis Vniuerſitatis priuilegia exemptionum tribuentia, poſt expreſſos Rectorem, ſcholaſticum, Doctores, & Magiſtros, continent illa verba, *aliuſque Vniuerſitatis perſonas.* Vnde patenter infertur, Rectorem, Doctores, & ſcholaſticum, qui eſt Conſeruator, & iudex ordinarius ſtudij Salamantini, eſſe perſonas eius Vniuerſitatis.

Nec prædictis obſtat textus *in dicto cap. cùm* 12.
*Capella, de priuileg.* in quo potiſſimum eſt fundata deciſio R. P. D. Seraphini ſub die 13. Decembris 1582. * quia termini illius textus, à caſu propoſito ſunt diuerſi, nam ibi exemptio tributa Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ, erat reſtricta ad illam qualitatem, quòd eſſent Canonici eius Capellæ, & ideo non eximebat illos, reſpectu alterius qualitatis, quatenus ſcilicet ab Epiſcopo Lingonien. Eccleſias Parochiales obtinebant, vel aliàs eius iuriſdictionem reſpiciebant, vt apertiſſimè indicat textus *ibidem in §. quocirca*, vbi ſcriptum eſt ita: *Quocirca mandamus, quatenus, in quantum exempti ſunt, eiuſdem ratione Capellæ Apoſtolicis priuilegijs deferas reuerenter: ſed in quantum ratione Parochialium Eccleſiarum, vel aliàs iuriſdictionem tuam reſpicere dignoſcuntur, officij tui debitum in eoſdem liberè proſequaris.* Hactenus ibi.

* in dicta dec.595.n.1.

At in caſu propoſito, exemptio, ſeu conceſ- 13.
ſio exemptionis, non eſt reſtricta ad ſcholaſticum Vniuerſitatis, nec reſtringi rationabiliter potuiſſet, cùm Vniuerſitas nullam talem habeat ſcholaſtriæ dignitatem, & cùm illa dignitas in Eccleſia Salamantina conſiſtat, potiùs debuiſſet ad eam dignitatem, in præfata Eccleſia conſiſtentem, reſtringi. Sicut apparet, reſtricta in priuilegio Eugenij IV. relato per Clement. VII. ibi, *Ac ſcholaſtico Eccleſiæ Salamantinæ.*

Sed illa quoque caſuum differentia difficultatem tollere videbatur, quia *in dicto cap. cùm Capella*, illi Canonici, ratione Parochialium, non poterant dici à iuriſdictione Epiſcopali exempti, eo etiam nomine, quòd Parochiales ab eodem Epiſcopo obtinebant, vt indicant illa textus verba; *qui Parochiales Eccleſias*

ſias à te tenent, &c. Hic autem ſcholaſticus non habet ſcholaſtriam ab Epiſcopo Salamantino, ſed eius diſpoſitio, tanquam dignitatis electiuæ, (vt 33. conſtitutione ſancitur) Sedi Apoſtolicæ ſub hac forma reſeruatur, vt occurrente illius vacatione, viro idoneo, per diffinitores negotiorum ipſius Vniuerſitatis, aut maiorem partem eorum eligendo, conferatur, & ſic electum per Archiepiſcopum Toletanum, pro tempore exiſtentem, Authoritate Apoſtolica, aut per Sedis Apoſtolicæ Le-
14. gatum, vel Nuntium, ab ipſa Sede poteſtatem Legati de latere habentem, infra tempus à iure ſtatutum confirmetur, illo addito, quòd propterea dicto Archiepiſcopo nulla poteſtas, vel iuriſdictio, aut ſuperioritas, ſupra ſcholaſticum conceſſa, vel tributa eſſe cenſeatur; multo ergo minus talem iuriſdictionem Reuerendiſſimus Epiſcopus Salamantinus prætendere poterit.

Satis minus vrgens viſum fuit aliud eiuſdem deciſionis fundamentum quod Scholaſtico Salamantino, Salamanticæ commoranti non videatur applicari ratio conſiderata in priuilegio Innocentij VIII. relato per Clement. VII. quòd Rector & ſcholares litterarum, ſtudia ſæpiùs pro rebus ſuis, in partibus remotis defendendis intermittere cogebantur: tum, quia idem Innocentius, in expreſſione eius rationis, facit mentionem de ſcholaſtico: vnde verbis exiſtentibus claris, ceſſant ſubtiles interpretationes * Aymon *conſil.4.num.21.* Tum, quia Innocentius loquitur de reſcriptis delegatorum, quorum vigore omnes æqualiter ad diuerſas partes, & tribunalia trahebantur, quæ ratio ſcholaſticum etiam comprehendit. Tum poſtremò, quoniam illa non fuit finalis priuilegiorum cauſa, ſed aliæ in aliis Pontificum reſcriptis (illa excepta) narratæ.

* adde Seraphin. dec. 761.n.1.Coc. dec.203.n.1.

15. Poſtremò obſeruantia ſubſequuta, quæ omnium dubiarum * diſpoſitionum ſolet eſſe fidelis interpres. *l. ſi de interpretatione. ff. de legib. cap. cùm dilectus. §. dictus verò, de conſuetud. cap. certificari, de ſepult.* Dominos etiam mouit, vt pro ſcholaſtico ſentirent; nam licèt in caſu propoſito verſaremur in dubio, teſtes vigore Remiſſoriæ examinati illud tollunt, cùm iuxta octauum, & nonum interrogatorium, & ſuper 4. articulo conformiter deponant, ſemper ſcholaſticum fuiſſe in hac poſſeſſione exemptionis, & Epiſcopos Salamantinos nunquam contra ſcho-
16. laſticos proceſſiſſe, imò occurrentibus caſibus, in quibus erat contra Capitulares procedendùm, ſemper ab Epiſcopis exceptos fuiſſe ſcholaſticos, id quod teſtes, propoſitis aliquot actibus, & exemplis, ſatis patenter oſtendunt, ex quibus longa obſeruantia roboratis, reſpectu ſcholaſtriæ probatur exemptio, Aymon *conſil. 101. num.3. & conſil. 201. num.11. & conſil.274. num.7.* Siluanus *conſil. 63. num. 18. & conſil. 65. num.17. & conſil.98. num.18.* Menochius *conſ.37. num.97.* Riminaldus iunior *conſil.102. num.5. & ſeq.* Gabriel *conſ.89. num.17. & 18. lib.1.* Bartholomæus Socinus *conſ.145.n.2.lib.1.*

* adde Coc. dec.483.n.4. & in terminis iuriſdictionis Mãtic. dec.296. num.3. & ad materiã videaddi. Ludou. ad dec. 184.n.8.

Stantibus itaque Apoſtolicis priuilegiis (quorum tenore inſpecto, ſub die 27. Iunij 1582. fuit concluſum pro manutentione, ad fauorem * ſcholaſtici,) & conſtitutionibus Vniuerſitatis, & obſeruantia per teſtes Remiſſoriales legitimè probata, Domini à præfata deciſione ſub die 13. Decembris 1582. recedentes, ſcholaſticum etiam reſpectu dignitatis ſcholaſtriæ in Eccleſia Salamantina exiſtentis, à iuriſdictione Reuerendiſſimi Epiſcopi Salamantini, pro tempore præſidentis exemptum cenſuerunt, ac minimè mutanda, quæ eandem interpretationem ſemper habuerunt. *l. minimè ff. de legibus.*

* apud Seraphinum dec. 585.

## *Romana Legati de Maximis.*

### Die 5. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Hæres tenetur exonerare conſcientiam defuncti.*

### DECISIO CLVIII.

DOminicus de Maximis ann. 1570. in codicillis ſcripſit ita: item codicillando vt ſuprà, *dechiara, come adeſſo Signore Dominico pare che Torneſſe da Magliano li preſtaſſe circa ſcudi 50. paro ordina, che le ſe tino pagati, quando non ſe tino pagati.* Hæredes Dominici non docebant de ſolutione, hæredes verò Torneſij 50. legata petebant: Thomas de la Scouola, qui adhuc ſuperuiuebat, medio iuramento examinatus coram me depoſuit, Dominicum de Maximis de manu ſua accepiſſe præfata 50. ſcuta, ſibi à Torneſio mutuata; & quia hæredes Dominici ſe paratos ad ſoluendum offerebant, ſi conſtaret iſtos de Torneſiis, (qui tunc comparuerunt) eſſe hæredes illius Torneſij de Magliano, (cuius meminit Dominicus in codicillis) iuſſi examinari duos teſtes, qui de publica voce, & fama depoſuerunt, iſtos eſſe hæredes quondam Franciſci Torneſij, & nunc illius bona poſſidere; quare reiectis nonnullis oppoſitionibus hæredum Dominici de Maximis, decreui mandatum executiuum pro ſolutione dictorum ſcutorum 50. quæ teſtator legauit, pro exoneratione ſuæ conſcientiæ, quam hæredes exonerare tenentur. 2. Alexander *conſ. 63. lib.4. & conſ.3. lib.5.* Decius *conſ.304.num.6.*

## *Ceſenaten. fideicommiſſi de Aldinis.*

### Die Veneris 7. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Redditus tenues ſi habeat Clericus, & emat domum, præſumitur ex bonis patrimonialibus emiſſe.*

3 *Præſumptionem vnam per aliam elidi non eſt nouum.*

### DECISIO CLIX.

1. DVbitaui, an domus de Murata præſumeretur empta à Reuerend. Domino Aldino de redditibus Eccleſiaſticis, vel potiùs de

1. Menochius de arbitrariis caſu 195.



de bonis patrimonialibus? & Domini de bonis patrimonialibus fuiſſe emptam cenſuerunt, nam ex quibuſdam inſtrumentis productis, conſtabat ad manus Domini Aldini peruenïſſe ex bonis patrimonialibus diuerſas ſummas, nedum tangentes ratam ſuam, aſcendentem ad libras 425. verùm etiam maiorem, vt apparet ex ſerie facti, ex quibus intrat præſumptio, quòd ex illis ſoluerit pretium domus, & illam fabricauerat, & meliorauerat, non obſtante quòd Aldinus de anno 1542. habue-
2. rit Canonicatum, & Capellam, cùm redditus inde prouenientes eſſent tenues, ita vt veriſimiliter vix ſufficerent pro eius victu, & veſtitu, non intrat præſumptio, quòd ex illis domum acquiſiuerit. Alexander *conſil.* 116. incip. *Viſo chirographo, num.2. & ſeq. lib.7.* Abbas *in cap. cum eſſes, num. 24. de teſtament.* Zabarella *conſil. 79.* incip. *Dico de iure.* præſertim cùm de dictis fructibus Eccleſiaſticis pro expeditione litterarum, vna etiam annata fuerit detrahenda; & bona patrimonialia Aldini, vltra alia, quæ ex propria quærebat induſtria, ad ſcuta ferè annua centum aſcenderent, vnde potuerat multo maiorem ſummam pecuniarum conflare, quàm eſſet pretium domus, itaque cùm præſumptiones, quòd domus fuerit empta de pecuniis patrimonialibus, ſint vrgentiores, pro iſta parte fuit pronuntiandum, cùm non ſit nouum, vnam
3. præſumptionem * per aliam, ſeu alias elidi. *cap. quia veriſimile, cap. illud, & cap. litteras, de præſumpt.* Zabarella *dicto conſ 79. num. 3.*

* adde Rotã recẽ p.3.dec. 507.n.12. in fine. Seraph. dec.619.n.3. & 684 n.4. ſed limita hãc regulam in præſumptione iuris, vt per Seraphin. deciſ. 623.n.13.

## *Romana damnorum, & intereſſe de Gabrielibus.*

### Die 10. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

2 *A poſſeſſione momentanea, de iure ciuili non datur appellatio.*

3 *Iudex. ſi dedit reuerentiales, videtur appellationi detuliſſe.*

4 *Appellatio quæ fuit delata, virtute reuerentialium non operatur effectum ſuſpenſiuum, ſed deuolutiuum.*

5 *Iudex à quo per admiſſionem appellationis, à ſe abdicat iuriſdictionem.*

6 *Reuerentiales conceſſi videntur ſub conditione, ſi ſententia appellationem admittat.*

### DECISIO CLX.

1. *LAta fuit ſententia in Rota contra Dominos fratres de Porta in poſſeſſorio, & ipſis ab ea appellantibus iudex dedit Reuerentiales, cauſa mihi commiſſa cum clauſula, vt quatenus locus eſſet Ægidianæ ad effectualem mandati in dicta ſententia decreti relaxationem procederem, dubitaui, an Ægidianæ foret locus.

* habetur hæc deciſio impreſſa per Pacific. poſt tract. de Saluian. interdict. deciſ. 232.

2. Prætendebant iſti de Porta, ei non eſſe locum: quia licèt de iure ciuili à momentanea
3. poſſeſſione non appelletur, * *l. 1.* vbi Cinus, Bartol. & communiter Doctores. *C. ſi de moment. poſſeſſ.* tamen ex quo iudex dedit Reuerentiales, videtur appellationi detuliſſe, Rota *deciſ. 5. de appellat. in nouis.* Gabriel *conſil. 5. num.10. lib.2.* Item cauſam factam fuiſſe appellabilem, ita quòd non ſit procedendum ad eius executionem, ſed cognoſcendum in cauſa appellationis, ad Baldum *in l. poſt ſententiam, num 7. C. de ſent. & interlocut. omn. iudic.* Alexand. *conſil.2. num.15. lib. 2.*

* adde Mantic. dec.167. n. 9 & hoc procedit etiã de iure Canonico, vt per Seraph. dec.1295. n. 1. & 3. Rota recen. p. 3. dec.287.n 7. & 150 n.2. & 3. Rota diu. p.1.dec.256. n.9.

Sed Domini contrarium pronuntiantes, locum eſſe Ægidianæ cenſuerunt: nam delatio appellationi facta per conceſſionem Reuerentialium, non operatur effectum ſuſpenſiuum, ſed ſolùm deuolutiuum, Petrus de Benintendis *deciſ. 17.* & licèt iudex à quo per admiſſionem 4. appellationis, * & delationem ei factam à ſe abdicauerit † iuriſdictionem, non tamen efficit quin iudex ad quem, ad executionem ſententiæ procedere poſſit, ſtante præſertim commiſſione, cum præfata clauſula, *nec aliter,* Ægidiana appellationem in poſſeſſorio permittat, quàm ſi ex eiſdem actis ſententiæ oſtendatur iniuſta, * ad gloſſ. communiter receptam *in cap. ex conqueſtione, de reſtitut. ſpoliat.* quod in propoſito minimè docebatur. Denique Reuerentiales in 5. forma dati in Rota, ſub conditione conceſſi, videntur intelligendi, quatenus ſcilicet ſententia appellationem admittat, & quantum ad illam tantùm partem, quæ admittit. Socinus iunior *conſil 18. lib.1.* (vt in hoc caſu) quantum ad litis expenſas. Achilles *deciſ. 8. de appellationib.* ex quibus concluſum ceſſare in contrarium conſiderata.

* vide additionem ad dec.573.Ludou.n. 15. & Rotam recẽ. p 4.dec 562. n.1. † Rota diu. dec.774.n.2. p.1. * adde Coc. dec.417.n.1.

## *Bononien. Parochialis.*

### Die 10. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

*Paupertate oppreſſo aſſignandum eſt aliquid, vt iura ſua proſequi valeat.*

### DECISIO CLXI.

DOmini cenſuerunt, ex his quæ proponebantur, ſatis poſſe arbitrari probatam Stephani paupertatem, ad gloſſ. *in Authent. præterea. C. vnde vir, & vxor,* & Bartol. *in l ſi conſtante, num.14.* vbi Iaſon *num 148. ff. ſolut. matri.* & ideo ordinarunt, vt nunc per modum prouiſionis darentur * Stephano decem ſcuta, prouiſuri deinde, in diſcurſu cauſæ, quod iuſtum videretur, ne oppreſſus paupertate Stephanus, iura ſua proſequi, omittere compelleretur.

* quãdo autem expenſæ litis, & alimenta ſint ſubminiſtrãda collitigãti, vide latè per Ludouiſ. deciſ.189. & 543. vbi latè additio vtrobique, & vide Seraph. dec. 1098.n.1.

## *Melphien. penſionis.*

### Veneris 14. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Dictio, dummodo, importat conditionem.*

3 *Clericus collatus à non ſuo Epiſcopo, non habet bonum titulum.*

4 *Ordinatus à non ſuo Epiſcopo recipit Ordines, ſed remanet ſuſpenſus.*

5 *Suſpenſus ab Ordinibus, priuatur omni actu ad ſuum commodum tendente.*

6 *Gratia motu proprio conceſſa, ſtatur illius narratiuæ.*

7 *Collatio ſigillata ab Epiſcopo, videtur facta ab eo, vel de eius licentia.*

8 *Relatio facta à Notario, in litteris teſtimonialibus, conceſſis ab Epiſcopo, non dicitur tam relatio Notarij, quàm Epiſcopi.*

## DECISIO CLXII.

1.
2.
Agentes pro Domino Cardinali Altuemps, ad annullandam reſeruationem penſionis, ad fauorem Iulij Caſtilioni, & euitandum illius ſolutionem, opponebant de nullitate Clericatus Iulij, qui de anno 1539. Mediolani à quodam Epiſcopo Laodicen. in Clericum fuerat ordinatus; dicebant enim, quòd licèt ex litteris Clement. VII. appareret, Ioannem Antonium Malignarum de anno 1533. fuiſſe creatum Epiſcopum Laodicen. eidemque conceſſam facultatem exercendi Pontificalia in diœceſi & ciuitate Mediolanen. ea tamen facultas non fuit conceſſa ſimpliciter, ſed conditionaliter, videlicet poſtquam munus conſecrationis ſuſcepiſſet, ac dummodo ab Archiepiſcopo Mediolanen. eſſet requiſitus, & ſpecialem licentiam habuiſſet, quæ cùm importet conditionem, * Bartol. *in l. quibus diebus.* §. *Termilius num.* 7. *ff. de condit. & demonſtrat.* nec conditio probaretur purificata, non erat bonus Clericatus Iulij, tanquam † collatus à non ſuo Epiſcopo, *cap.* 1. *de temporibus ordinat. lib.* 6. Verallus *deciſ.* 126. *parte* 1. Pariſ. *conſil.* 136. *num.* 4. *lib.* 4. & licèt ordinatus à non ſuo Epiſcopo, ſeruata Eccleſiæ forma, reuera recipiat Ordinem, remanet tamen ſuſpenſus ab Ordinis exercitio. Geminian. *in cap. Lugdunen. num.* 49. *quæſt.* 2. Butrius *num.* 3. & Abbas *num.* 1. per illum textum *in cap. quod tranſlationem, de temporibus ordinat.* Vnde cùm Iulius tempore reſeruationis penſionis non expreſſerit, ſe fuiſſe ab alieno Epiſcopo ordinatum, tanquam ſuſpenſus priuatus erat omni actu, ad ſuum commodum tendente, Rebuffus *in practic. benefic. tit. de forma litterarum dimiſſor. numer.* 22. *& ſeq.*

* hæc dictio importat cõditionẽ quãdo eſt adiecta diſpoſitioni, vt per Seraph. dec. 1017. n. 4. & 338. n. 5. Caual. dec. 227. & in recen. p. 2. dec. 417. n. & 2.

3.
† de hac materia adeſt noua conſtitutio, Sãctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII. de anno 1624. relata per Barboſ. ad vnguem in Paſtor. allegat. 8. n. 6. quã videbis.

4.
5.
6.
* adde Seraphin. deciſ. 1498. n. 1. & Rotã recen. p. 2. dec. 656. n. 1 2. & 3. & fuit dictũ in vna Ianuen. Abbatis 22. Iunij 1626. coram Burato, Durand. dec. 154. n. 3.

Sed iſtis non obſtantibus, Domini concorditer cenſuerunt, conſtare de ſufficienti Clericatu: primò, quia Papa in conceſſione penſionis factæ Iulio, enunciat illum Clericum, & cùm ſit gratia * motu proprio, ſtatur eius narratiuæ. Gabriel *tit. de probat. concluſ.* 2. *num.* 55. Achilles *deciſ. vnica, ſub tit. de motu proprio.* Quibus accedit, quia D. Cardinalis reſeruationi penſionis, in qua narrabatur Iulium eſſe Clericum, liberè conſenſit, & ſic videtur confeſſus Clericatum.

7.
† collatio probatur per litteras & nõ per teſtes. Durand. dec. 208. num. 12. tomo primo, & quod ſufficiat ſigillum ſine regiſtratione, ipſe Durand. dec. 376. n. 5. & de hoc artic. vide deciſ. 349. n. 7. in recen.

8.
Poſtremò, ex litteris Clericatus, † qui licèt ſit collatus ab alieno Epiſcopo, habet tamen ſigillum Archiepiſcopi Mediolanen. Vnde præſumitur de eius licentia collatus, Rebuffus *in pract. benefic. tit. de forma litterar. dimiſſ. num.* 37. in eiſdem etiam annunciatur locus, & tempus collati Clericatus, de quibus teſtificatur Notarius Curiæ Epiſcopalis Mediolanen. * quæ aſſertio non tam dicitur eſſe Notarij, quàm ipſiuſmet Epiſcopi ordinantis. Roman. *conſil.* 179. *num.* 6. Curtius ſenior *conſil.* 49. *numer.* 75. Alciatus *de præſumpt. regula* 3. *præſumpt.* 13. Aderant etiam actus multiplices collationum * Ordinum, ex quibus apparebat, præfatum Epiſcopum Laodicen. non aliter quàm conſecratum, & de licentia Archiepiſcopi Mediolanenſis, Ordines conferre potuiſſe.

* & eſt concl. certa, fidẽ adhiberi litteris, & actibus ipſis corporis, in his quæ pertinẽt ad eorũ officium. Matic. dec. 280. n. 3.

Atque ex his fuit concluſum pro ſufficienti Clericatu, non obſtantibus adductis in contrarium, quibus ex deductis apparebat, ſufficienter ſatisfactum.

---

## *Malacitana Capellaniæ.*

### Veneris 14. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Pacta in limine fundationis Capellaniæ poſita, ſi ſint licita, debent obſeruari.*

3 *Fundatio Capellaniæ, cum pacto vt ſit incompatibilis cum alio beneficio, eſt valida, & debet obſeruari.*

4 *Reſtitutio in integrum non retardat executionem ſententiæ, ſi pars infra terminum ſibi præfixum, nihil releuans deduxerit, ad docendum ſe debuiſſe reſtitui.*

5 *Reſtitutio in integrum non datur contra tres ſententias conformes, niſi conſtito de bono iure.*

6 *Executio rei indicatæ in beneficialibus, ſi adſint duæ ſententiæ, non impeditur, etiamſi petatur reſtitutio à maiore.*

## DECISIO CLXIII.

Ordinarius Malacitanus, ad fauorem Capellanorum, contra Garciam de Velaſco ſententiam tulit, per quam declarauit, à die quo impleti fuerunt tres menſes, poſtquam Garcias accepit poſſeſſionem dimidiæ portionis, iuxta formam ſtatutorum, in fundatione Capellaniarum conditorum, Capellaniam, de qua agitur, vacare, & Capellanos poſſe procedere ad illius prouiſionem, tanquam ad Capellaniam vacantem in gradu appellationis. Garcias à priori S. Iacobi de la Spada, ſententiam fauorabilem reſtitutoriam ſuæ priſtinæ poſſeſſionis reportauit; ſed poſtea, pro parte Capellanorum, cauſa commiſſa in Rota cum clauſula, *quam & quas,* ſub die 15. Februar. 1591. per ſententiam Rotalem prima ſententia Ordinarij fuit confirmata, cum declaratione vacationis prædictæ Capellaniæ: & cùm Garcias obtinuiſſet in integrum reſtitui, ac de bono eius iure videre vellem, ille priùs audiri voluit ſuper eo, an ſententia Rotalis foret exequutioni mandanda: Domini autem, cum præſuppoſito quòd proceſſus ad Curiam tranſportatus eſſet integrè, (nam cæteras nullitates contempſerunt) conformiter cenſuerunt, locum eſſe executioni ſententiæ Rotalis, quia ex lectura præfatorum ſtatutorum euidenter conſtabat de bono iure Capellanorum, cùm in limine fundationis fundator inter alia ordinauerit, quod per aſſecutionem alterius beneficij, vacaret Capellania, nec dubium ſit, quin huiuſmodi

1. De hac cauſa in ſeq. deciſ.

2.



3.
pacta in fundatione * poſita, velut licita, ſint reſeruanda. Zabarella *conſ.* 48. incip. *Quidam Nobilis,* Pariſius *conſil.* 48. *lib.* 4. Decius *conſil.* 129. *num.* 5.

* adde Rot. recen. part. 2. dec. 561. n. 1. & deciſ. 194. n. 1. Duran. dec. 418. n. 1. & 455. n. 8.

4.
Commiſſio reſtitutionis in integrum non poterat retardare executionem, cùm Garcias infra terminum ſibi præfixum, nihil releuans deduxerit, ad docendum, ſe debuiſſe reſtitui, quo caſu reſtitutio non impedit executionem. Ant. Auguſtinus *in Epitome tit. de reſtit. in integrum.* §. 10. Puteus *deciſ.* 456. *lib.* 2. Et licèt quando adſunt tres ſententiæ conformes, non detur reſtitutio, niſi conſtito * de bono iure. Rota *deciſ.* 1. *de reſtit. in integ. in nouis, & deciſ.* 5. *eodem tit. in antiq.* neque hîc adſint tres conformes, ſed ſolùm duæ, videlicet ſententia Ordinarij, & Rotalis eius confirmatoria, id ſufficit in beneficialibus, vbi non obſtante reſtitutione, à maiore poſtulata, non impeditur rei iudicatæ executio. Verallus *deciſ.* 330. *part.* 1. quod eſt de mente Doctorum *in l.* 4. §. *condemnatum. ff. de re iudic.* Quod Dominis maximè hîc locum habere videbatur, cùm non verſaremur in ſententiis latis per contradictas, ſed in obtentis in iudicio contradictorio.

5.
* adde Cocc. dec. 104. n. 1. & 394. n. 5. Rota recen. p. 2. dec. 329. n. 1. & 731. n. 1. & 530. part. 1. n. 2. & dec. 427. n. 1.

Nec ambigebatur, Garciam propterea confugiſſe ad commemorandas nullitates, quia bonum ius Capellanorum clarum eſſe videbatur; videndum ergo, an talia deſint in iſto proceſſu, & propterea Rotalis ſententia nulla ſit cenſenda.

---

## *Malacitan. Capellaniæ.*

### De menſe Auguſti 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Iudicis aſſertioni non eſt ſtandum, ſi acta ſint geſta coram eo, & non coram tertio.*

3 *Appellans non tenetur tranſportare acta extraiudicialia.*

## DECISIO CLXIV.

1.
* in antecedenti deciſione.

Svb die 14. Iunij * proximè præteriti, fuit per Dominos concluſum, ſententiam Rotalem eſſe executioni mandandam, ſi proceſſus de partibus eſſet integrè tranſportatus, & pro non integra tranſportatione, pro parte Garciæ de Velaſco, contra Capellanos opponebantur duo, primum quòd non eſſent tranſportata acta, facta in gradu appellationis coram Metropolitano Hiſpalen. ſed ex inſpectione proceſſus conſtitit iſta acta non deficere, vnde pars aduerſa, quantum ad hanc prætenſionem, dedit manus. Item opponebatur de non tranſportatione actorum, quorundam geſtorum à Capitulo Malacitan. contra Garciam, nam vacante Capellania, Capitulum appoſuit edicta ſuper prouiſione Capellaniæ, iuſſit deleri nomen Garciæ ex quadrante, & prohibuit, ne ei pararentur miſſæ, nec paramenta darentur; de quibus actibus conſtat ex relatione Prioris de la Spada, iudicis à Nuntio Apoſtolico delegati.

2.
* ſupra dec. 127. n. 3. & de hoc art. vide Rot. recen. p. 2 dec. 451. n. 11. quod etiam extendere in executore mixto quoad iuſtificationẽ. Lud dec. 413. n. 1. & limita ſi adſit modicum præiudicium. Caual. dec. 4. num. 4.

Sed reſpondebatur, quòd licèt aſſertioni iudicis foret ſtandum, (quod tamen non eſt ita) vt fuit dictum coram me in vna Comen. Capellaniæ; * ſub die 28. Ianuarij præſentis anni, cùm iſta acta, tanquam geſta à tertio, & non coram iudice cauſæ, non ſint proceſſalia, tanquam extraiudicialia, * potuerunt omitti, nec tenebatur Capellanus ea tranſportare. Nec deciſio coram R.P.D. Blanchetto in contrarium allegata, fauebat ad propoſitum, cùm loqueretur de actis primæ inſtantiæ, geſtis coram Ordinario, & ex his (re per me communicata, cum R.P.D. Decano) fuit viſum, relaxandas executoriales, in ſententia Rotalis decretas.

* hæc concluſio habet locum etiam ſi acta ſint facta in alio iudicio inter eaſdem perſonas, quia tantum ſunt de proceſſu ſcripturæ, quarum copiam dedit pars, vt per Rot. diuerſ. p. 1. dec. 465. n. 2. & 3. & eſt deciſ. Seraph. 377. & de hoc artic. Lud. dec. 59. vbi latè additio n. 10. & ſequent. vide infra in tom. 2 harum deciſ. 968. & Caual. deciſ. 43. n. 2.

---

## *Comen. Capellaniæ.*

### Lunæ 17. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Ius patronatus probatur per continuatas præſentationes.*

3 *Iuris patronatus vſurpatio non præſumitur, in priuatis perſonis.*

4 *Præſentationis effectus ſatis probatur, ſi per obitum vnius alius fuerit præſentatus.*

5 *Conſenſus Patronorum in prouiſionibus beneficium iuris patronatus habet vim præſentationis.*

6 *Ius inſtituendi poteſt acquiri conſuetudine.*

7 *Inſtitutio inferioribus Prælatis, conſuetudine, priuilegio, vel ex diſpoſitione teſtatoris, poteſt pertinere.*

8 *Sententia lata in fauorem vnius contra alios, circa ius patronatus, conſtituit eum patronum.*

9 *Teſtes deponentes de auditu, Capellam fuiſſe dotatam, & fundatam per maiores probant ius patronatus.*

10 *Inſignia familiæ in Capella poſita, inducunt præſumptionem iuris patronatus.*

## DECISIO CLXV.

Qvia vacante iſta Capella S. Martini, plebis finis Comenſis diœceſis, per obitum Ioannis Antonij Caſſanori, de anno 1587. Ordinarius Comenſis tanquam beneficium liberæ collationis, illam contulit Septimio de Ciceris; Domini * verò de Caſſanoris, & de la Porta, ciues Comenſes tanquam Patroni, ad illam præſentarunt Hieronymum Caſſanorum: ideo orta lite in partibus, & lata ſententia canonizatoria iuris patronatus, per Vicarium Papienſem, ad fauorem Hieronymi; & cauſa per appellationem introducta in Rota, in hac poſitione in qua vna tantùm pars informabat, dubitaui, an conſtaret de iure patronatus præfatæ Capellæ ad effectum, vt ſi de illo conſtaret, prouiſio Ordinarij, nulla decerneretur. quod dubium continet duas partes, vnam expreſſam, an ſcilicet conſtet de exiſtentia iuris patronatus, alteram virtualiter, de deſcendentia Hieronymi præſentati ab antiquis Patronis familiæ de Lauizanis. 1.

* hæc deciſio habetur penes Garciam de benef. 5. p. c. 9. vbi latè differit de hac materia, & n. 94. ad litteram refert.

Et quantum ad primam partem, Domini tenuerunt, conſtare de iure patronatus, primò ex præſentationibus factis ab anno 1465. vſque ad vltimam vacationem * de anno 1587. quæ omnes, vna poſt aliam, per ſpatium 120. annorum, & ampliùs effectum habuerunt. Abbas *in cap. querelam, num.* 9. *de elect.* Zabarella *Clement.* 2. *quæſt.* 5. *de iure patronatus,* Decius *conſil.* 126. 2.

* adde Cocc. dec. 174. n. 5. & 209. n. 3. Duran. deciſ. 293. num. 2. tom. 2. & deciſ. 23. n. 3. & 87. n. 4. tom. 1. & Seraph. dec. 1142. n. 1. & 2.

ſil. 126. num. 3. Caſſador. deciſ. 7. *de iure patronatus.*

3. Quod maximè procedere videbatur in iſtis priuatis perſonis, de quorum iure patronatus agebatur, *in quibus ceſſat præſumptio vſurpationis, de qua in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 9.* in his enim nihil eſt per Concilium innouatum,† ſed remanet in diſpoſitione iuris communis, vt ſæpe Rota cenſuit.

*hoc extende etiam in Eccleſia Domina iuriſdictionis temporalis. nam præſumitur quo ad hunc effectum vt priuata. Duran. dec. 413. n. 5 tom 2. † adde Caual. dec. 560. num. 2.

Effectus verò ſubſecutus, ex eo ſatis probatur, quòd per obitum vnius præſentati, * alius præſentatus extiterit. Oldradus *conſil. 229. num. 2.* Lambertinus *de iure patron. lib. 2. part. 2. quæſt. 10. art. 7.* quod ſeruat vſitatus ſtylus Rotæ, vt fuit deciſum in vna Foroliuien. iuris patronatus, coram R.P.D. meo Blanchetto de anno 1585. Iſta verò continuatio præſentationum ſatis dilucidè deducitur in informatione facti, pro Hierony-
4. mo. Nam vacante iſta Capella de anno 1465. per obitum cuiuſdam Ambroſij de Mazonibus, Gabriel de Lauizanis, vnà cum quibuſdam aliis, præſentauit quendam Stephanum de Vacanis, qui fuit tunc inſtitutus per præpoſitum plebis Fini, in cuius Plebanatu exiſtit iſta Capella, ad quem, ex antiqua conſuetudine, dicitur inſtitutio ſpectare: licèt tunc ad cautelam, per Vicarium Comenſem, ad eandem præſentationem idem Stephanus confirmatus, & inſtitutus extiterit.

*adde Cocc dec. 386. Duran. dec. 100. n. 3. tom 1. Ludou. deciſ. 215. n. 1. & latè additio n. 8. Seraph. dec. 1141. n. 1. & 2.

Effectum iſtius præſentationis euidenter probat poſſeſſio eius vigore ſubſecuta, vſque ad annum 1515. quando vacante eadem Capellania, per liberam reſignationem eiuſdem Stephani de Vacanis, Catherina, & Marta ſorores de Sauizanis, tanquam nepotes ex Chriſtophoro filio ſupradicti Gabrielis, eiuſque vniuerſales hæredes præſentauerunt Ioannem de la Pobra eidem præpoſito plebis Fini: cuius ſimiliter effectuationem oſtendit ſubſecuta poſſeſſio, vſque ad annum 1531. de quo, vacante Capella, per obitum eiuſdem Ioannis, eadem Marta, Thomas, & Augerina fratres vti filij, & hæredes ſupradictæ Catherinæ, & Gaſparini della Porta eius mariti, præſentauerunt Donatum de la Porta, proprium fratrem, qui per eundem præpoſitum fuit ſimiliter inſtitutus.

Hoc autem Donato, de anno 1541. in manibus Ordinarij, liberè præfatam Capellam reſignante, idem Ordinarius de conſenſu Martæ, & eiuſdem Donati, vti filij & hæredis Catherinæ, illam contulit Ioanni Antonio Caſſanoro, qui pacificè illam poſſedit, vſque ad obitum de anno 1587.

5. Conſenſum autem per patronos in prouiſionibus, *beneficiorum iuris patronatus, habere vim præſentationis, & ſtatum, in ius patronatus continuare, exploratum eſt, Abbas *in cap. cùm dilectus, num. 8. de iure patronatus*, Lambertinus *de iure patronatus parte 1. lib. 2. quæſt. 6. art. 6. num. 21.* Decius *conſil. 126. circa finem*, quod ſæpe in Rota decretum eſt, & nouiſſimè coram R. P. D meo Pamphilio, in illa Salernitana Rectoriæ, de anno præſenti.

* adde Caual. dec. 639. n. 2. Rotam diuer. part. 1. dec. 534. n. 4.

6. Neque obſtat inſtitutiones vigore iſtarum præſentationum, factas fuiſſe à Præpoſito, qui de iure non habet poteſtatem inſtituendi; quia ſtante antiqua, & laudabili conſuetudine, per quam ad ipſum Canonica inſtitutio, & confirmatio iſtius Capellaniæ pertinere dignoſcitur, vt in pluribus inſtrumentis enuntiatur, legitimè potuit inſtituere. Lapus *allegatione 78. num. 9. & ſeq.* cùm inſtitutio, * inferioribus Prælatis, ex priuilegio, conſuetudine, vel diſpoſitione teſtatoris competere poſſit, 7. Barbatia *in cap. ſuper eo, de offic. deleg.* Lambertinus *de iure patronatus, part. 3. lib. 2. quæſt. 1. art. 10.*

* adde infrà dec. 228. n. 5.

Secundò, pro iure patronatus ſentiebant Domini, ex antiqua ſententia lata, de anno 1488. 8.
ad fauorem præfati Gabrielis de Lauizanis, in qua contra alios, qui ſimul cum eo præſentauerant, declaratus fuit vnicus Patronus in ſolidum huius Capellæ, Mohedan. *deciſ. 217.* & quia eſt ſuper iurepatronatus, facit ſtatum. *l. ingenuum. ff. de ſtatu homin.* Achilles *deciſ. vnica, de ſtatu benef.* & facit ius quo ad omnes, Puteus *deciſ. 95. n. 11. lib. 1.* Creſcen. *deciſ. 18. de probat.* in impreſſis, 9.
quam iuſtificant dicta teſtium, tunc examinatorum deponentium, * de auditu à maioribus, & de publica voce, fama præfatam Capellam fuiſſe fundatam, & dotatam, per anteceſſores Gabrielis, quod ſufficit, Ant. de Butrio, Aretinus, Felinus, & alij *in cap. veniens, de teſtib.* Bartolus *in l. admonendi num. 45.* vbi Iaſon *num. 242. ff. de iureiuran.*

* adde Duran. dec. 202. n. 2. tom. 1. & Caual. deciſ. 336. n. 3.

Concurrebant prætereà inſignia iſtius familiæ * de Lauizanis, inſculpta in lapide marmoreo iſtius Capellæ, (vt quidam teſtes deponunt) ad tradita per Ripam *in cap. cùm Eccleſia, num. 97. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* & alia adminicula, in facto conſiderata, ex quibus ſine controuerſia fuit concluſum pro iure patronatus. 10.

*adde Cocc. dec. 230. n. 1. Caual. deciſ. 378. n. 1. Seraphin. dec. 1143. num. 7. quæ facit ad motiua præſentis dec.

Quantum ad ſecundam dubij partem de deſcendentia, Domini inclinabant in affirmatiuam, quòd eſſet ſufficienter probata.

## *Abbatiæ S. Marci.*

### Die 17. Iunij 1591.

### DECISIO CLXVI.

IN iſta cauſa Abbatiæ, ſiue Parochialis S. Marci, Dominus Ioannes Thomas Capanus, aduersùs tres ſententias Rotales, obtinuit committi cauſam reſtitutionis in integrum, qui ad probandum, vacationem dictæ Parochialis, ob non promotionem Perſij, (qui de illa prouiſus extiterat,) teſtes examinauit, quorum atteſtationibus productis, dubitaui, an ſententia Rotalis eſſet confirmanda, vel reuocanda.

Et Domini, circumſcriptis nunc aliis inſpectionibus, videndum cenſuerunt, vtrùm ante litem motam contra Perſium, effluxerit integer annus, intra quem ratione prædictæ Parochialis, tenebatur promoueri, iuxta textum *in cap. licèt Canon. de elect. lib. 6.*

## *Lodien. Canonicatus.*

### Veneris 21. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo conceditur, conſtito de poſſeſſione, ſi ſequeſtrum interpoſitum tollatur.*

DECI



### DECISIO CLXVII.

MAndatum de manutenendo, dixerunt Domini eſſe dandum Martino Simonis, quia conſtabat de illius poſſeſſione, & ſequeſtrum fuerat ſublatum, per decretum factum ſuper illius reuocatione, de conſenſu partis, quæ tranſegit, & conſenſit ſequeſtri reuocationi.

## *Romana Sponſionum, ſiue Scommiſſarum.*

### Veneris 21. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Iudex datus cum eiſdem facultatibus à ſuperiore in locum alterius dicitur ſubſtitutus.*

3.4 *Subſtitutio conditionalis habet locum deficiente conditione in inſtituto.*

5 *Subſtitutio etiam per modum transfuſionis poteſt habere locum.*

### DECISIO CLXVIII.

1. DVbitaui ſub die 21. Iunij 1591. an Dominus Fabius Vrſinus fuerit ſubſtitutus in locum clerici Cameræ ad effectum, de quo agebatur, & Domini cenſuerunt eſſe ſubſtitutum: nam verba erectionis Archiuij generalis, in perſona D. Fabij, pridie Calen. Nouembr. ann. 1588. erant clara, ibi: *Sed potiùs dictus Regens Archiuij, in locum ipſius clerici, & prædictæ Cameræ, quo ad huiuſmodi iuriſdictionem, & auctoritatem, in omnibus & per omnia ſubſtitutus, & ſubrogatus, ipſaque iuriſdictio, & facultates ab ipſis clerico, & Camera, penitus abdicata, & in prædictum Regentem integrè*
2. *tranſlata, & transfuſa ſint, & eſſe cenſeantur.* Nam qui in locum alterius iudicis, cum eiſdem facultatibus datur, dicitur in eius locum ſubſtitutus. * *l. penult. in fine, ff. iudicat. ſolui. l. proponebatur, in princip. de iudic. l. 1. ff. de vulgar. & pupil.* Ægidius *deciſ. 39. 140. & 328.*

* & eſt eiuſdem naturæ ac iuriſdictionis cuius eſt iudex in cuius locum ſubrogatur. Rota recen. p. 1. dec. 558. num. 8.

Nec refert, quòd D. Fabius videretur ſubſtitutus, ſub conditione expreſſa, ſi contigerit à Camera alicuius Clerici fieri deputationem, quæ conditio cùm non fuerit purificata, quia nulla facta fuit Clerici deputatio, locum non habet
3. ſubſtitutio. *l. Mæuius. ff. de condit. & demonſtrat.* cùm datum ſub conditione, ea deficiente, non eſſe datum intelligatur, *l. 1. verſ. nam hoc modo. ff. de regula Caton.*

4. Quia fuit reſponſum per Dominos, imò Fabium purè, & ſimpliciter fuiſſe ſubſtitutum in locum Clerici, qui debebat per Cameram deputari: Papa enim prohibuit, ne amplius per Cameram deputatio Clerici fieri poſſet, quod ſi fieri contingeret, ea nullius eſſet ponderis & momenti: vnde cùm Fabius, tanquam Regens Archiuij, in locum ipſius Clerici, qui ante factam prohibitionem erat deputandus, & præfatæ Cameræ, quoad iuriſdictionem, & auctoritatem, in omnibus & per omnia fuerit ſubſtitutus, & ſubrogatus, & *ipſa iuriſdictio, & facultates, ab ipſis Clerico, & Camera penitus fuerint abdicatæ, & in præfatum Regentem integrè tranſlatæ, vt dicitur in ipſa erectione Archiuij generalis, hoc non poteſt intelligi, ſub illa conditione, ſi contigerit Clericum à Camera deputari; ſed potiùs intelligitur, quòd Clericus non poſſit à Camera deputari; quia in eius locum D. Fabius in omnibus, & per omnia erat ſubſtitutus, & in eum omnis poteſtas, & iuriſdictio erat tranſlata, *& transfuſa, vt in dicta erectione apparet expreſſum: cùm enim ab ipſo Clerico, & Camera fuerit abdicata iuriſdictio, & in ipſum Fabium tranſlata, & transfuſa, non poteſt dici, quòd iuriſdictio eſſet abdicata in eo caſu, quo contigerat eum deputari, quia in eo caſu, nullam prorſus haberet iuriſdictionem, cùm talis deputatio contra prohibitionem Papæ eſſet irrita, ſicut fuit expreſſum: prætereà ſufficit, D. Fabium ſubſtitutum fuiſſe, quoad iuriſdictionem, & poteſtatem iudicandi, & quo ad vniuerſalem curam, & regimen Archiuij generalis exercendi, licèt in aliquo diſcrepet ab eo, in cuius locum ſubrogatur, Paulus de Caſtro *conſ. 73. incip. Licèt iſta Domina, lib. 1.* Decius *conſil. 50.* Gabriel. *de regul. iur. concluſ. 2. num. 28.*

* regula eſt quòd ſubſtitutus vel ſubrogatus intrat cum eiſdem conditionibus & qualitatibus. Duran. deciſ. 339. num. 77. Rota recen. dec. 391. n. 8. part. 1.

* ſicut dicitur de Eccleſia ſubrogata vt debeat aſſumere omnes qualitates quas habebat prima. Ludou. deciſ. 463. n. 3.

Atque hinc ampliùs dicebatur ceſſare illa difficultas, quòd cùm officium Regentis, tanquam 5.
vacans à primæua erectione, conceſſum fuerit D. Fabio, non poterat ille dici ſubſtitutus in locum Clerici; nam quantum ad effectum, circa adminiſtrationem eiuſdem generalis Archiuij, eadem iuriſdictio Clerico Cameræ conferenda, ſi ille fuiſſet actualiter deputatus, iuxta c. 18. ordinationum per Cameram editarum, circa regimen Archiuij generalis tranſlata, & transfuſa fuit in D. Fabium, ideoque Fabius per modum etiam transfuſionis, ſubſtitutus dici poteſt. Bald. *in l. ſi eum. §. qui iniuriarum. ff. ſi quis caut.* Marianus Socinus *conſil. 33.* incip. *Pulchra eſt, num. 17. lib. 3.*

## *Rocanaten. Attentatorum.*

### Die 21. Iunij 1591.

### SVMMARIVM.

2 *Attentatum dicitur, quidquid poſt appellationem, & inhibitionem factum ſit.*

3 *Auditor Cameræ habet facultatem reaſſumendi cauſas dependentes ab obligatione Camerali, quod intellige vt num. 4.*

5 *Cauſæ dependentes & connexæ dicuntur, quando ſententia lata in vna, aliam iuuat, & poteſt parere exceptionem rei iudicatæ.*

6 *Commiſſionis tranſmiſſio ad Referendarium, de iure, neque de ſtylo inducit auocationem cauſæ.*

### DECISIO CLXIX. 1.

DOmini dixerunt conſtare de attentatis: 2.
quia cùm à ſententia A.C. eſſet appellatio interpoſita, & poſt commiſſam cauſam in Rota inhibitum, quidquid poſtea factum fuit, * attentatum cenſetur. Accorambonus *dec. 53. lib. 1.* Achilles *deciſ. 7. de attentatis.* Puteus *deciſ. 395. lib. 2.*

*adde Cocc. dec. 252. n. 2. & 315. n. 1. Mantic. dec. 168. n. 1. & 345. quod extende etiã ſi procuratori vel principali ſit intimata inhibitio. Caualer. dec. 223. n. 3.

Neque excuſant attentata facultates A. C. reaſſumendi cauſas, dependentes ab obligatione Camerali, nam prætérquam quòd in inſtru-

menta

ſtrumento cenſus, cuius vigore Corradi egerunt contra Barbanum, nulla videbatur adeſſe obligatio Cameralis, vnde intrabat diſpoſitio *l.4. §. totiens. ff. de dam. infect.* Aymon *conſil.205. num.17.* dicebatur quòd licèt talis obligatio expreſſa fuiſſet, adhuc non purgabat attentata, quia facultates A. C. habent in ventre reſtrictionem, ſiue exceptionem, dummodo non dependeant à cauſis coram aliis iudicibus pro tempore introductis: quare cùm cauſa, quæ coram A.C. pendebat inter Corrados, & Barbanum, antea per viam appellationis, per Barbanum introducta eſſet in Rota, & cauſa quæ vltimo loco, poſt inhibitionem Rotalem fuit tractata coram A. C. contra Marmilium, ad inſtantiam Barbani, & Romani, eſſet dependens à cauſa, quæ pendebat in Rota, inter Corrados, & Barbanum, ſine controuerſia videbatur, intrare exceptio facultatum Auditoris Cameræ.

5. Dependentia ſatis videbatur clara: quia ſi Barbanus contra Corrados obtinuiſſet, domum occupaſſet, nec contra Marmil. vltrà agere potuiſſet, quaſi ſibi domus fuiſſet legitimè debita: nam ſententia ad fauorem Barbani lata, conſecutiuè Marmilium iuuaſſet, cùm tunc cauſæ dependentes & connexæ dicantur, quando ſenten-
tia lata in vna aliam iuuat, * & poteſt parere exceptionem rei iudicatæ, Decius *conſ.33. num.4.* Aymon *conſil.* 181. *num.* 5. Capitius *deciſ.* 122. *num.* 9.

* adde Lud. dec.354 n.7. & 10.

6. Quod ad effugiendam dubij propoſitionem in Rota pro parte Marmilij dicebatur, in manibus referendarij extare commiſſionem ad effectum remittendi cauſam, ad Auditorem Cameræ nihil operabatur, quia neque de iure, neque de ſtylo, tranſmiſſio commiſſionis ad referenda-
rium,* inducit auocationem cauſæ, aut manus appoſitionem.

* ſecus autem eſt in Præfecto ſignaturę quia ſemper reſcribit de mandato Papæ ſiue per conceſſum in præſentia vt vt per Seraphin. deciſ. 857. num. 1. & 12.

---

## *Iaccen. Vicariæ.*

### Lunæ 26. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis in probatione ſententiæ mortis deponens, contrahit irregularitatem.*

2 *Diſpenſatus præſumitur irregularis, ſi per multum tempus exercuerit ſuum miniſterium. quod maximè fallit, vt num. 3.*

## DECISIO CLXX.

1. ANtonius de Pueyo, ex eo quòd de an. 1575. adhibitus fuerit teſtis in prolatione cuiuſdam ſententiæ mortis, * irregularitatem contraxerat, vt fuit reſolutum ſub die 15. Iunij 1590. ſed quoniam ſua intererat declarari, an præſumeretur diſpenſatus, vna tantùm parte informante, propoſito dubio in Rota, Domini cenſuerunt, præſumi diſpenſatum: nam à tempore incurſæ irregularitatis, vſque ad præſens, lapſi ſunt 15. anni, & de toto iſto tempore ſemper fuit tentus, & reputatus pro habili, & vt talis de anno 1577. ad Sacerdotium promotus, quinimò in litteris promotionis ad Preſbyteratum, Epiſcopus Pampilonen. aſſerit Antonium diſpenſatum, & eidem tanquam habili, ante ann. 1584. fuit collatum beneficium, & de anno 1584. conceſſa licentia prædicandi verbum Dei, & Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrandi, & abſoluendi pœnitentes à caſibus Epiſcopo reſeruatis, & de ann. 1588. in litteris commendatitiis, conceſſa facultas à ſuo Ordinario, exercendi vbique officium Preſbyteratus, & alia diuina Officia:
ſtante ergo tanti temporis lapſu, diſpenſatio 2.
præſumitur.* Sarnenſis *de triennali quæſt.* 10. Ancharranus *conſil.* 117. Gabriel. *tit. de præſumpt. concluſ.* 1. *num.* 15.

* irregularitas contrahitur ex quolibet actu inducente ad executionē ſententiæ mortis. Seraphin. deciſ. 1191. n. 1. vel vt illa ſequatur etiam ſi ſit ex actu licito Rota recen. p. 2. dec. 3. n. 4. & 5.

* adde Rot. recen. part. 1. dec. 71. n. 5. & ſeq. & deciſ. 200. n. 5. p. 2. quæ eſt dec. prima. Caual. n. 6. vbi ad propoſitū allegat hanc deciſ. & Rot. diuer. part. 1. deciſ. 731. n. 18. Ludouiſ. dec. 57. n. 8.

Non obſtat deciſio Putei 139. incip. *In vna Colonien. & deciſio* 257. incip. *In cauſa Colonien. lib.* 3. vbi concludit, etiam per ſpatium 40. annorum, non præſumi factam diſpenſationem, quia Puteus euidenter loquitur ibi de caſibus, in quibus non ſolet diſpenſari, vt ſi contractum reperiatur matrimonium cum aliqua muliere religionem approbatam profeſſa: ſecus dicebant Domini eſſe in caſu propoſito, vbi Antonius per imprudentiam fuit adhibitus teſtis, non ad pro-
bandum delictum, ex quo fuit ſubſecuta con- 3.
demnatio ad mortem, ſed ſolùm ad probationem, ſiue authenticationem ſententiæ.

Nec refert, ſi dicatur quòd cùm non probetur ſcientia iſtius irregularitatis, non eſt veriſimile, quòd fuerit diſpenſatus, præſertim cùm ipſemet Antonius petiuerit diſputari, an præſumatur diſpenſatus. Nam Domini nihil de ſcientia inquirendum putabant, ſed an ex lapſu tanti temporis præſumeretur diſpenſatus, & concluſum præſumi diſpenſationem, nedum ex curſu tanti temporis, & ex pluribus actibus ſuprà relatis, ſed etiam ex eo, quòd in litteris promotionis fit mentio diſpenſationis.

Quòd verò Antonius diſputari petierit, an præſumeretur diſpenſatus, id fecit ad* cautelam, vt præiudicium, quod ſibi intulerat deciſio Rotalis ſub die 15. Iunij 1590. per hanc deciſionem euitaret.

* & hæc non præiudicat Lud. dec. 125. num. 12.

---

## *Conchen. fructuum.*

### Veneris 26. Iunij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Delegatus ad examinandum teſtes, non poteſt ſubdelegare.*

3 *Teſtes examinati ſuper liquidatione fructuum, debent deponere de communi æſtimatione, & non de iudicio eorum.*

4 *Teſtis deponens ſuper liquidatione fructuum, debet deponere de valore, deductis oneribus.*

5 *Teſtis habens intereſſe in cauſa, non eſt habilis.*

## DECISIO CLXXI.

SVper dubio propoſito, an conſtaret de exceſ- 1.
ſiua liquidatione fructuum, pro parte Rectoris de Gaſcuena opponebantur multa contra teſtium examen, & liquidationem: examen enim prætendebatur nullum, quia teſtes fuerunt examinati à quodam, quem ſubdelegauerat iu-
dex, ab Auditore Rotæ ſubdelegatus, qui non 2.
potuit ſubdelegare. Rota *deciſ.* 8. *de offic. deleg. in nouis.* Puteus *deciſ.* 169. *lib.* 1. licèt reſponderetur, ei fuiſſe commiſſum nudum miniſterium, quale

ſæpe



ſæpe Notariis examinantibus committi * ſolet. Item apponebatur; quia licèt teſtes forent validè examinati, non tamen probant, fructus (de quibus agitur) fuiſſe à Rectore perceptos, quod eſt neceſſarium, vt ad eorum reſtitutionem † poſſit condemnari. Deponebant preterea de eorum iudicio, & crudelitate, quod non ſufficit, cùm agatur de valore rei, & ideo teſtificandum ſit de
3. communi æſtimatione. *l. pretia rerum. ff. ad legem*
4. *falcid.* item non deponebant de valore deductis oneribus, * & impenſis, ſicut oportet. *l. fructus. ff. ſolut. matr.* Verallus *deciſ. 30. part. 2.* Couarruuias *lib. 1. variar. reſolut. cap. 3. num. 3.* Denique non fuit habita ratio ſeruitij vnius Capellani Rectori ſeruientis, cuius ſalarium fuerat ſubducendum, Caſſador. *deciſ. 19. de præben.* ex quibus videbatur, exceſſiuam fuiſſe liquidationem ad ſummam 80. ducat. pro quolibet anno; diſplicebat etiam, quia teſtes depoſuerunt iuxta tenorem cuiuſdam memorialis, ipſis pro parte Collegij oſtenſi, in quo proponebantur multa, in quibus Rector non fuerat condemnatus, & ideo ſi his teſtibus fuiſſet ſtandum, Domini ſatis dubitabant de liquidatione, an eſſet legitima.

* adde Lud. dec. 368. n. 3. vbi latè additio num. 9. circa articulum præſentem, plures Rotæ deciſiones refert.

† adde Lud. dec. 553. n. 9. Rot. recen. p. 1. dec. 170. n. 2. & deciſ. 479. n. 1. p. 2.

* hæc concluſio intelligenda eſt quando teſtis deponit de affirmatiua valoris, ſecus ſi de negatiua Mant. deciſ. 138. n. 2. & vide deciſ. 178. num. 1. & 182. n. 7. & 220. n. 6. Caual. dec. 383. n. 2. & quæ onera ſint deducenda vide deciſ. 462. ipſius Caual. Lud. dec. 357. n. 4. & 411. n. 3.

Videbatur tamen, eam poſſe ſuſtineri ex aliis teſtibus in ſecunda inſtantia in partibus iuridicè, & cum interrogatoriis partis examinatis, nam Hieronymus de Gaſcuena ſuper 18. art. refert, ſe ſcire primitias Curato ſolui ſolitas quolibet anno, eſſe valoris 150. ducat. & reddens rationem ait, quòd quando Curato dabatur medietas fructuum præſtimoniij, conſignabatur ei 35. fanecæ tritici puri, & vltra 20. fanecæ auenæ, & inſuper centeni, Ioannes de Armunia ſuper
5. eod. 18. art. deponit quòd à 7. & 8. annis valor fructuum aſcendit ad centum ducat. potius plus quàm minus. Ambroſius Lopez deponit de 70. vel 80. fanecis tritici puri, & Didacus Nuñez de 80. fanecis tritici, & totidem hordei, & centeni, & auenæ, ex quibus non videbatur exceſſiua liquidatio.

---

## *Toletanus decimarum de Sazedon.*

### Sub die Lunæ 1. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

2.3 *Decimarum præſcriptio in aliena Parochia, vt probetur debet eſſe quadragenaria cum titulo.*

4 *Præſcriptio interrumpitur deficiente titulo, in quo præſcribatur.*

5 *Mala fides ad præſcribendum inducitur, ex defectu tituli.*

## DECISIO CLXXII.

1. DOmini ſub die 13.* Iunij 1590. in poſitione iſtius cauſæ, cùm dubitaretur, an conſtaret de bono iure Eccleſiæ de Sazedon, & foret deciſum conſtare, ſolùm reſeruarunt videndum, an probaretur quadragenaria præſcriptio, quæ portionariis ſuffragaretur: in hac verò poſitione vna tantùm parte pro Eccleſia de Sazedon informante, licèt aliqui ex Dominis tenuerunt, ſatis videri probatam quadragenariam ex teſtibus, pro parte portionariorum examinatis, alij verò dubitarent, ex quo vel non ſpecificabant quotam decimarum, quam acceperint portionarij, vel an fuerint decimæ portionariis perſolutæ, vel non explicabant præciſè tempus, ad inducendam legitimam præſcriptionem, vel aliis quibuſdam modis conſideratis, per informantes pro Eccleſia de Sazedon, omnes tamen Domini fuerunt concordes, quòd licèt probaretur quadragenaria, illa non poterat portionariis ſuffragari, & præcipuum fundamentum fuit, quia cùm portionarij tractarent de præſcriben-
dis decimis in aliena Parochia, neceſſaria eſt 2.
quadragenaria * cum titulo, vel immemorabilis, quæ ſecum affert omnem, & quemcunque titulum, etiam meliorem de mundo. *cap. 1. de præſcr. lib. 6.* ſatis autem conſtabat, hîc non adeſſe titulum, cùm fuerit reſolutus per reædificationem
nouæ Eccleſiæ, intra eoſdem limites, in qua erat 3.
antiqua; vt fuit concluſum in alia * deciſione; huic verò interpretationi apertè fauet priuilegium Nicolai V. quo potiſſimum portionarij nituntur, quo cauetur, quòd ſi aliqua ex dictis locis depopulatis ad habitationem reducantur, protinus applicatio ad fauorem portionariorum conceſſa eſſet, & fructus, redditus, & cura locorum ad habitationem reductornm, ad illarum Eccleſiarum fabricas integrè redeant, quæ verba tituli reſolutionem, ſeu extinctionem eui-
denter inducunt, quo deficiente præſcriptio in- 4.
terrumpitur. * Baldus *de præſcript. 3. part. 6. part. quæſt. 6.* Couarruuias *in reg. poſſeſſor. part. 2. §. 12. num. 3.*

* ſuprà deciſ. 117.

*adde Cocc. dec. 345. n. 6. & 187. n. 3. Seraph. dec. 802. n. 1. & 1404. n. 1.

* ſupra in d. dec. 117. n. 5.

* de materia huius art. & quiſnam titulus interrumpat præſcriptionem vide Ludou. dec. 289. n. 7. vſque in finem.

Ex defectu tituli amplius infertur mala fides, quam inducit quilibet actus, interrumpere præſcriptionem. † Puteus *deciſ. 385. num. 2. lib. 3.* Verallus *dec. 360. num. 12. lib. 2.* quam malam fidem veriſimile eſt, portionarios habuiſſe, cùm non
præſumantur ignorare priuilegium, in quo ſe 5.
fundant, in quo illud etiam præcipitur, quòd ipſi Eccleſias integro, & ſufficienti lapideo, ſeu ligneo ædificio manentes, eodem ſtatu, vel meliori, conſeruari tenerentur, quod minimè ſe feciſſe demonſtrant, vnde non mirum, ſi beneficio priuilegij non perfruatur, vt latiùs fuit in alia * deciſione deductum.

†adde Cocc. dec. 362. n. 1. & 2. Duran. dec. 401. n. 14. & 375. n. 3. & 5. & 426. n. 20. & ſeq. Seraph. dec. 908. n. 6.

* ſuprà in d. dec. 117. n. 4.

Ad illud verò quod pro parte portionariorum paucis poſtea diebus fuit propoſitum, quòd hæc dicatur ante 40. annos contigiſſe, in quo temporis ſpatio, cùm Eccleſiæ de Sazedon competierit actio ad petendas iſtius decimas, nec eas repetie-
rit, imò portionarij in earum perceptione con- 6.
tinuauerint, eas propterea legitima præſcriptione poſſideant, *cap. de quarta, & cap. illud, de præſcript.* nec ideo poſſit ampliùs Eccleſia de Sazedon ad illos agere.

Reſpondebatur poſſe procedere, duobus potiſſimum concurrentibus, quòd eſſet concludenter probata quadragenaria, & quòd illa ſufficeret ſine titulo, quem toto illo tempore non afuiſſe ſuperiora oſtendunt, in primis verò priuilegium ipſum Nicolai V. quo nituntur ditiſſimi portionarij Eccleſiæ Toletan. contra pauperrimam Eccleſiam de Sazedon, & alias eius ſimiles, vt ex multis cauſis, & controuerſiis ſuper iſto priuilegio exortis, notum eſt Rotæ.

*Vicentina*

## *Vicentima decimarum feudalium.*

### Lunæ 1. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Demonſtrationes duæ ſufficiunt ad concludendum de identitate.*
3 *Coniecturis poteſt probari identitas rei.*
4 *Noualia ex cultura deſinunt eſſe, & fiunt agri.*

### DECISIO CLXXIII.

1. IN poſitione iſtius cauſæ ſub die 4. Martij proximè præteriti, * fuit concluſum, conſtare de dominio Eccleſiæ reſpectu iſtarum decimarum feudalium, ſi modò identitas terrarum probaretur, quam in hac poſitione Domini ſatis ſufficienter probari cenſuerunt, ne dum ex demonſtrationibus, ſed etiam ex coniecturis, nam omiſſa vna petia terrarum circiter centum, & triginta camporum, de qua non eſt controuerſia, ſecunda petia camporum circiter quadraginta, & totidem tertia ſimiliter camporum (de quibus nunc agitur) deſcriptæ ſunt in poſterioribus inueſtituris, & præſertim in illa de ann. 1561. Nam ſecunda comprehenditur ſub hac confinium deſcriptione, videlicet ſecunda petia poſita in pertinentiis Campiliæ, in contrata Caratiæ, apud olim Ioann. Faram de Ripettis, nunc apud illos de Paſinis, pro bonis acquiſitis ab aliis de Ripettinis, quæ bona nunc tenentur ab illis de Pighis, de Campilia, & iſti ſunt confines à manè apud viam communis nunc apud eandem, & eſt à meridie apud hæredes Lamberti de Campilia, poſtea apud illos de Ciontis de Collade, nunc apud Dominum Camillum de Ripettis, pro bonis acquiſitis ab illis de Cibatis, & confines ſunt à ſero, & à manè.

* ſuprà dec. 135 n. 3.

Tertia petia, ſimiliter poſita eſt in pertinentiis Campiliæ in contrata, & via Maranioli apud viam, quæ intermediat dictam petiam terræ, apud hæredes Antonij de Sienis, & nunc apud hæredes Guidonis de Sienis, & apud Fratarum prata, à Sero nuncupata *de le Segnize* tenta per dominum Camillum de Ripettis, à meridie apud illos de Priolis.

2. Deſignatio bonorum, quæ Camillus de Ripettis olim inueſtitus de iſto feudo vendidit Randonio, cum prædictis ſituationibus conuenire videtur, vt bene deducitur ex facto pro Eccleſia Vicentina; ex quibus demonſtrationibus ſatis videtur probari identitas, præſertim cùm duæ ſufficiant. * Bart. *in l. demonſtratio. ff. de condit. & demonſtrat.* gloſſ. *in l. forma. ff. de cenſibus.* Quibus præterea accedunt coniecturæ, quarum prima deſumitur ex illa clauſula generali, quòd fuerint venditi omnes campi, cuiuſcunque generis poſiti in pertinentiis Campiliæ in contrata ditta Caraza, liberi, & exempti à ſolutione decimarum, exceptis tamen aliquibus campis qui ſubiacent ſolutioni decimarum, nam ſub illa generalitate omnes campi cuiuſcunque generis continentur, etiam campi quadraginta comprehenſi in inueſtitura; & hæc eſt vna coniectura. Altera eſt, quia omnes venduntur iure proprio, exceptis aliquibus, qui ſubiacent ſolutioni decimarum, præſertim cùm per coniecturas * probari etiam poſſit identitas, ad tradita per Ruinum *conſil.* 50. incip. *In quæſtione, num.* 14. *lib.* 1. Vnde tollitur obiectum, quòd identitas debeat probari concludenter, & quòd confines inueſtituræ del 1525. non conueniant cum confinibus expreſſis in inueſtitura de anno 1561. quia (vt prædictum eſt) demonſtrationes, & coniecturæ ſuperant difficultatem. 3.

* adde Mant. dec. 197. n. 1. Ludouiſ. dec. 172. n. 2. & dec. 575. n. 5. licet mutata ſit qualitas rei Cocc. deciſ. 120. n. 1. 5. & 7. Caualer. dec. 146. n. 4. & 160. num. 1.

* adde Lud. dec. 172. n. 6. vbi additio plures deciſ. de hoc artic. adducit n. 10. Caualer. dec. 146. n. 2.

Nec eſt mirum, ſi in aliquibus confines etiam fuerint mutati: nam cùm inueſtitura 1525. & ann. 1561. campi, pro quibus ſoluuntur decimæ, in contrata Carazæ, dicantur eſſe quadraginta, & in inſtrumento venditionis de anno 1560. Camillus vendiderit omnes campos cuiuſcunque generis poſitos in contrata dicta la Caraza, ex quo plures fuerunt venditi & comprehenſi, neceſſarium fuit mutari confines; quod tamen non impedit, quin ex ſupradictis probetur identitas terrarum de quibus agitur.

Quòd amplius opponebatur de differentia camporum etiam in qualitate, ex eo fuit ſublatum, quia qualitas quoque ex tempore mutari poteſt, nam quæ fuerunt noualia, ex cultura deſinunt eſſe noualia. *cap.* 1. *de verb. ſignif. l. ſilua. §. noualis. ff. eod. tit.* Item ex aliquo accidente terræ, bonarum qualitatum ſæpe ſolent deteriorari, quod non tollit illarum identitatem. 4.

## *Romana de Naris.*

### Lunæ 1. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum exequutiuum, pro futura annua præſtatione poteſt concedi.*
3 *Agere quis non poteſt ante diem debiti.*
4 *Obligatio certa ad diem, licèt is non venerit, poteſt generare mandatum executiuum.*

### DECISIO CLXXIV.

DIxerunt Domini, Franciſco Naro dandum mandatum executiuum, pro nouennio locationis Caſalis Montiſmelioris, pro ſua tertia parte, deductis tamen oneribus: in futuris verò locationibus ne cum Ioanne Antonio Naro fratre ſuper dicta ſua tertia parte, exigenda contendere cogeretur, fuit dictum, quòd conductor Caſalis delegaretur Franciſco pro debitore, reſpectu dictæ tertiæ partis, nihil enim videbatur impedire, quominus poſſet decerni mandatum executiuum * pro futuris annuis præſtationibus, vt cùm dies venerit, effectum ſortiri poſſit. † *l. cedere diem. ff. de verbor. ſignif.* licèt ante diem malè quis agere videatur. *l.* 1. *in fine. ff. quando dies vſuſfruct. leg. ced.* quia in caſu propoſito, obligatio erat certa, & executio confertur poſtquam venerit dies obligationis, *deciſ. Pedemon.* 130. 1. 2. 3.

* tamen exequi non poteſt ante aduentum diei Rota diuer. p. 1. dec. 476. n. 4. & ſeq.

† Ludou. dec. 428. n. 3. Caual. dec. 342. n. 1. & ſeq.

Cæterùm ſub die 5. Iulij vtraque parte informante, Domini ordinarunt, quòd Ioannes Antonius daret Franciſco cedulam bancariam, pro ſua tertia parte ad triennium, cum obligatione de renouando de triennio in triennium: placuerant enim Dominis allegata pro D. Ioanne Antonio. 4.





## *Romana liquidationis fructuum vineæ.*

### Sub die 5. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

3 *Expenſas factas in adminiſtratione fructuum debet extrahere adminiſtrator.*

### DECISIO CLXXV.

1. SEntentiam tuli in iſta cauſa, contra ſorores de Alexiis, condemnando eas ad ſummam ſcutorum 661. & Iuliorum octo: quia Lactantius de Amelia peritus à Rota electus, & deputatus retulit, de ann. 1589. fuiſſe recollecta in præfata vinea barrilia vini muſti 512. & aquati 78. à prædictis 512. barriliis abſtuli 11. barrilia pro quolibet centenario; quia ſingula centum barrilia purgata, reducuntur regulariter ad 90. barrilia, & ideo remanſit ſumma barriliorum 456. quæ per me fuerunt æſtimata ad rationem Iuliorum 14. pro quolibet barrilio, quia Scipio de Alexiis Romanus, quintus teſtis pro parte Ioannis Cauarti, pro liquidandis iſtis fructibus examinatus iuxta 20. interrogatorium dixit: *che haueua comprato, dalle interrogate donne barrili trecento cinquanta cinque de vino, à ragione di quatuordeci Iuly, & mezzo il barrile.* cuius dictum coadiuuabat ſecundus teſtis iuxta 24.

Sup. dec. 51. 85. 106. & 123.

2. Aquatum æſtimaui ad valorem 30. Iul. pro ſingulis barriliis, quia ſecundus teſtis ſuper 11. deponebat de valore aquati ad quatuor & quinque Iulios pro ſingulo barrilio, & quartus teſtis ſuper 11. deponebat de valore trium, & trium cum dimidio, & etiam quatuor Iuliorum pro ſingulo barrilio.

3. Non condemnaui ad valorem 4. mil. faſcinarum, quia de illis deponebat ſolus vnus teſtis; neque ad valorem aliorum fructuum, quia licèt teſtes deponerent de illorum perceptione in genere, nihil tamen ſpecificabant: ſed reſeruaui in ſententia ius dicto Ioanni Cauarto, pro reliquis fructibus liquidandis, ſicut etiam reſeruaui prædictis ſororibus de Alexiis, ius agendi pro expenſis factis in cultura vineæ, & in recollectione fructuum, quæ ſunt detrahendæ de prædicta ſumma, quando fuerunt liquidatæ.

## *Conchen. fructuum.*

### Die 5. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

1 *Fructuum æſtimatio debet fieri ſecundùm quantitatem collectam tribus proximioribus annis.*
*quod intellige vt num.* 2.
2 *Valorem fructuum, ex teſtibus proximioribus annis computandum eſſe, non admittit Rota.*
3 *Ex valore de præſenti, arguitur ad valorem de præterito, ſed non è contra.*



4 *Mutabilia quæ ſunt curſu temporis, non præſumuntur in eodem ſtatu perdurare.*

### DECISIO CLXXVI.

IN iſta Conchen. fructuum licèt cauſa eſſet remiſſa ad Calendas pro parte Collegij de Huete, inſtabatur pro declaratoria contra Rectorem de Gaſcueña pro annis 1581. & ſeqq. vſque ad ann. 1590. non obſtante, quòd teſtes ad probandum valorem fructuum, eſſent examinati de anno 1581. per doctrinam Pinelli *in l.* 2. *C. de reſcinden. vendit. part.* 3. *cap.* 4. *num.* 30. dicentis, æſtimationem fructuum computandam ſecundùm quantitatem collectam tribus proximioribus annis. 1.

2. Sed dicebatur, Rotam non admittere talem practicam, * vt apparet ex traditis per Gomezium *in regula de valore, quæſt.* 12. præterea non eſſe verum, quòd ex quantitate fructuum collecta in annis proximioribus, arguatur ad quantitatem collectam in annis futuris: nam licèt ex valore de præſenti arguatur ad valorem de præterito, non tamen ex eo infertur ad valorem de præſenti, † *l. pretia rerum. ff. ad leg. falcid.* nam ea quæ ſunt mutabilia, * curſu temporis non præſumuntur in eodem ſtatu perdurare. Verallus *deciſ.* 330. *part.* 3. 3. 4.

* nam Rota valorē computat ex anno ſterili cū fertili, vt per Mantic. dec. 178. n. 1. & ſaltem debet eſſe de quinque annis ante, & quinque poſt, vt per Seraph. deciſ. 1340. num. 1.

† hanc concluſionem limita ſi modicum temporis interuall. intercedit. Lud. dec. 553. n. 5. vbi latè addit. n. 15. & vide infra deciſ. 1528. tom. 2.

* adde Caual. dec. 160. n. 2. & ſeq.

Procuratores Collegij poſtquam ſe viderunt excluſos ab iſta prætenſione, intentarunt aliam viam, dicentes deberi collegio fructus ab ann. 1574. (de quo fuit mota lis) vſque ad ann. 1580. & pro fructibus iſtorum annorum petebant declaratoriam.

Sed quia pro parte Rectoris opponebatur de laudo emologato ab vtraque parte, de cuius viribus nondum erat actum in Rota, nec viſum an Rectori prodeſſet bona fides, in qua vigore laudi emologati fuerat conſtitutus, & ſic prædictorum annorum fructus perceperat, nec mihi in contrarium aliquid releuans proponebatur, neque de iure, nec ſecundùm conſcientiam, potui decernere præfatam declaratoriam: & ita, prout iam Domini conſtituerant, iuſtiſſimè remiſi cauſam ad Calendas.

## *Vrbeuentana prædij.*

### Die 5. Iulij 1591.

### DECISIO CLXXVII.

EX teſtibus ſuper iſta liquidatione examinatis, ſatis probari videbatur D. Troilum Magalotum pro ſua parte, de anno 1588. & 1589. ex prædio, de quo agitur, percepiſſe fructus infraſcriptos, videlicet ſalmas frumenti in totum 13. cum dimidio; item quartengos duos cum tribus quartis bladi, & quartengos duos cum vno quarto hordei, item pro ſua rata glandium eum exegiſſe ſcuta tria, & baiocas 25. ac quatuor inſuper capones, quatuor gallinas, & totidem pullos gallineros, item 11. faſciculos lini, & ſeptem ſalmas pyrorum diuerſi generis, & ita viſum ad hanc ſummam eſſe faciendam liquidationem.

### *Burgen. emolumentorum ſigilli.*

Veneris 18. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Præſcriptio immemorabilis includit tempus infinitum, à quo licèt adimatur quodlibet tempus finitum, ſemper remanet immemorabilis præſcriptio.*

3 *Emolumenta debentur Prælato ſucceſſori de tempore vacante, niſi adſit præſcriptio contraria.*

## DECISIO CLXXVIII.

1. LIcèt in deciſionibus in iſta cauſa factis, omnes * difficultates ſatis viderentur ſublatæ, nilominus, quia Doctor Lobera Procurator Reuerendiſſimi Archiepiſcopi inſtantiſſimè petebat audiri: placuit differre expeditionem vſque ad præſentem diem. Itaque in congregatione habita in Monaſterio B. Mariæ de Pace, Domini re conſiderata ordinarunt, quòd pronuntiarem ad fauorem Capituli.

*ſupra deciſ. 9. 108. 128. & 144. in quibus annotaui tangentia ad articulos præſentis dec.

Nam ad ea, quæ deducebantur contra teſtium examen, reſponſum fuerat in deciſione ſub die 28. Aprilis proximè præteriti. *

*ſuprà dec. 144.n.4.

Quòd verò iſti proceſſui ad curiam tranſportato opponebatur, quòd eſſet extractus à ſolo Petro de Spinoſa Notario recuſato, ex eo tollebatur, quòd cùm ipſe Petrus eſſet Notarius actuarius, penes quem remanſerat proceſſus originalis, ab eo fuerat extrahendus: cuius fidem muniebat ſubſcriptio iudicis Remiſſorialis, in fine proceſſus extracti appoſita.

Nec mouit Dominos aliud motiuum de ſubducendo tempore ſedium vacantium; quia vltra quòd pro parte Archiepiſcopi non probabatur quanto tempore durauerint ſedes vacantes, dicebatur hæc non procedere in præſcriptione im-
2. memorabili, quæ in potentia includit tempus infinitum, * à quo licèt dematur quodlibet tempus finitum, ſemper remanet infinitum, ſiue præſcriptio immemorabilis. Oldradus *conſ.* 254. incip. *Quia tota pars, num.* 18. *verſ. ſeptimò opponitur, & verſ. ad iſtud reſpondetur.*

*adde Seraphin. deciſ. 1367.n.3.

3. Quod maximè procedit in hoc caſu, in quo potiſſimum debent concurrere duo, primùm quòd in ſedibus vacantibus Capitulum perceperit emolumenta ſigilli. Secundò quòd ſede plena, Capitulum iſta emolumenta pro ſe retinuerit, nec illa Prælato reddiderit, ſicut iure tenebatur, *Clement. Statutum, de elect.*

### *Bracharen. Parochialis.*

Veneris 19. Iulij 1591.

SVMMARIVM.

2 *Pauperi litiganti poſſunt aſſignari fructus de beneficio, in quo litigatur, ad effectum tranſportandi proceſſum.*

## DECISIO CLXXIX.

1. DOmini attenta facultate mihi in commiſſione per Ferdinandum Gonzalez obtenta tributa, ordinauerunt, quòd eum abſoluerem ad cautelam, ad effectum, vt poſſet obtinere licentiam celebrandi Miſſam, quæ eo potiſſimum nomine ei concedenda videbatur; quia ex quibuſdam reſponſis Theologorum, quæ ſecum adduxerat, ſatis ſufficiens fumus oriebatur pro non ſimonia.

2. Item attenta eiuſdem paupertate, decreuerunt, quòd acta illius cauſam * concernentia, tranſportarentur ad Curiam, ex fructibus Parochialis, qua in partibus priuatus extiterat.

*nam dato fumo boni iuris etiam ſunt miniſtranda alimenta. Rota recen.part.2. dec.470.n.5. Lud.dec.189. n.1.&7.

### *Romana diuortij & reſtitutionis dotis.*

Sub die 30. Auguſti 1591.

SVMMARIVM.

*Commiſſio originalis præſentata iudici ſi perdatur, non impeditur ex eo, vt poſſit inhibere, ſi ſit regiſtrata in broliardo Notarij.*

## DECISIO CLXXX.

PRo parte Pompei Albertini petebatur inhiberi, cæterùm quia commiſſio originalis per cautelam fuerat abducta à Notario cauſæ, dubitaui an poſſim inhibere vigore præſentatæ ſub die 14. Iulij 1591. & eodem die re communicata cum R. P. D. Decano, fuit dictum, eſſe inhibendum: quia de commiſſione originali non poterat dubitari, ex quo fuit incapſata, excapſata, & diſtributa, & notata in broliardo Notarij cauſæ, & aderat etiam præſentata, ſignata manu R.P.D. Regentis Cancellariæ, iuxta ſtylum Curiæ, quæ præſentata erat penes Notarium cauſæ in actis loco originalis.

### *Neapolitana Hebdomadariæ annotatio ſuper ſententia ferenda.*

Die 27. Septembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Fructuum appellatione non veniunt incerta.*

3 *Incerti etiam vocantur fructus beneficij.*

## DECISIO CXXXI.

1. IN iſta cauſa in qua procedebatur per contradictas, non obſtantibus feriis, quibus expreſsè fuerat derogatum, petebatur à me ferri ſententia liquidatoria ad rationem 88. ducat. ſingulis annis per ſpatium 20. annorum, quæ ſumma potiſſimum colligebatur ex dictis quorundam teſtium pro parte Philippi Peduti examinatorum; ſed ego re inſpecta deprehendi in proceſſu contineri confeſſionem ipſiuſmet Bernardini Trenciæ, vnde conſtabat illum has ſummas exegiſſe ratione dictæ Hebdomadariæ, primum ducatos quinque quolibet anno, in quorum valore conſiſtebat præbenda in tot cenſibus certis, & hoc fatebatur Bernardinus ſuper ſecundo articulo.

2. Super quartum dicebat, quòd ſingulis etiam annis



annis habebat ducatos 23. prouenientes ex Miſſa communi; addit tamen quòd non percipiebat præfata emolumenta, quando non ſeruiebat, vel quando erat impeditus; item quòd dicta emolumenta fuerunt diminuta per aggregationem quatuor hebdomadariorum: nam quæ primum diuidebantur inter nouem hebdomadarios, poſt dictam aggregationem diuidebatur inter 13.

3. Item deponit ſuper quinto articulo, quòd de ſepulturis defunctorum recipiebat ſingulis menſibus tres, vel quatuor ducatos; nam iſta emolumenta, non erant vniformia, ex quo non ſemper æqualiter contingebat mori & ſepeliri homines.

Addit tandem ſuper ſexto quòd de eleemoſynis incertorum capiebat ſingulis menſibus vnum ducatum, quæ ſummæ ſimul collectæ ſingulis annis aſcendunt ad ducatos 76.

Cæterùm ex prædicta ſumma videbatur deducenda primùm illa portio, quæ poſt aggregationem dabatur quatuor illis hebdomadariis aggregatis, nam totum illud quod dabatur illis, decreuit prioribus nouem hebdomadariis; item videbatur habenda ratio abſentiarum, & impedimentorum, quia tunc præfatus Bernardinus Trentia nihil lucrabatur. Item eſt deducenda penſio 30. ducat. quæ Bernardinus ſuper eodem quarto articulo aſſerit ſe ſoluiſſe Philippo Peduto vſque ad tempus litis quando Vitilianus Vicarius generalis Neapolitan. pronuntiauit ad fauorem Bernardini ne ſolueret dictam penſionem.

Item videtur habenda ratio verborum, ſeu tenoris ſententiæ, quæ condemnat ad reſtituendos fructus vera & pertinentia: an iſta verba comprehendant omnes redditus prædictos.

Veneris 11. Octobris 1591.

Sub iſta die conſului Rotam, & propoſui omnes iſtas præcedentes difficultates, quibus auditis, dixerunt Domini, quòd poterat fieri liquidatio in ſumma 800. ducat. & in tali ſumma pronuntiaui; quæ videbatur eſſe omnium minima, quæ omnibus deductis taxari poterat. Non obſtabat vltimum de ſententia condemnatoria in fructibus, & quòd in caſu noſtro aderant incerta multa, quæ non veniunt appellatione fructuum, * quia fuit reſponſum, quòd ex dictis teſtium, & ex depoſitione ipſiuſmet Bernardini conſtabat, in iſta Eccleſia illa incerta proueniunt, ex Miſſis communibus, ex ſepulturis defunctorum, & ex eleemoſynis incertorum, quaſi conſiſtentem, & vniformem habere naturam, inſtar fructuum certorum; nam licèt incerti ſint redditus, communiter tamen ad certam ſummam redigi poſſunt. * Felinus *in cap. ad aures, de reſcript.* Selua *de benef. part.* 3. *quæſt.* 12. *num.* 9. *verſ. tertius caſus.*

*adde Lud. dec.540.n.4. &7. & Duran.dec.285. n.38. 94. & ſeq. Rotam diuer.part.1. dec.330.n.2.

*adde Rot. recen.part.2. dec.449.n.1. Duran.deciſ. 411.n.6.&7.

### *Calaguritana Beneficij de Berganzo.*

Die Lunæ 14. Octobris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Papa ſolus poteſt dare ius ad vacatura.*

3 *Mandatum de prouidendo non poteſt extendi vltra caſum expreſſum.*

4 *Habenti beneficium, aliud etiam ſimplex ex diſpoſitione iuris non poteſt conferri.*

5 *Præſumptio eſt iuris habentem beneficium gaudere ſufficiente ſuſtentatione, niſi contrarium probetur.*

## DECISIO CLXXXII.

1. DOmini dixerunt, dimidiam portionem Eccleſiæ S. Michaëlis de Berganzo adiudicandam Martino de Torreros: primùm ex nullitate numeri, ſeu ſtatuti dictæ Eccleſiæ, diſponentis quòd occurrente vacatione, (de qua in dicto ſtatuto) Martinus de Ozio, ad quartam portionem præſentaretur, & de ea inſtitueretur: nam alius, quàm Papa, non poteſt dare ius ad vacatura, * *cap. nulla, de conceſſ. præben.* & licèt valuiſſet, cùm eſſet mandatum de quarta, non potuit extendi ad dimidiam. *cap. cui de non Sacerdotali, de præbend. lib.* 6. iſta enim mandata non extenduntur ad alios caſus, quàm ad expreſſos; præterea cùm dum expectabatur euentus de quarta, Martinus de Ozio fuerit alibi prouiſus de dimidia, virtute dicti mandati, non potuit de iſta ſecunda dimidia prouideri. *cap. ſi pauper,*
2. *de præbend. lib.* 6. obſtabat etiam ei Concilium
3. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. quo cauetur, ne habenti
4. ſufficiens beneficium, aliud conferatur, quod etiam in ſimplicibus habere locum, ſæpe Congregatio declarauit, quod eſt iuri communi conforme. *cap. is cui, de præbend. lib.* 6. *& cap. ſuper inordinata*, vbi gloſſ. *in verb. Beneficiati*, & communiter Canoniſtæ *eodem titulo Decretalium.*

*de hoc art. vide Triden. ſeſſ. 24. c.19. pro quo vide c.2. de conc. præbend. in 6. & c. deliberatione 6. prohibemus; de offic. legat. in 6.

5. Quòd autem beneficium dimidiæ portionis, Martino de Ozio collatum in Eccleſia de Peñaranda, præſtaret ei ſufficientem * ſuſtentationem, niſi contrarium probaretur, præſumptio iuris communis ſuadebat, *cap. nemo el* 1. *de conſecrat. diſtinct.* 1. Verallus *deciſ.* 62. *part.* 1. quam præſumptionem in caſu propoſito, coadiuuant teſtes, ex quorum dictis videbatur probari præfaram dimidiam portionem Martino de Ozio, ſufficientem præſtare ſuſtentationem.

*adde Mant. dec.250.n.4. & 255.n.2.& habetur in recen.part.2. deciſ.7.n. 2. Lud.dec.215. n.6.& ibi addit.n.10.

### *Pampilonen. tributi de la Garda.*

Mercurij 13. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Teſtis deponens de facto proprio, euidentiorem facit probationem.*

3 *Decennalis ſolutio non probat cauſam ſolutionis, niſi exprimatur.*

4 *Decem annis continuis inducunt tituli præſumptionem.*

5 *Solutio diuturna ex mera liberalitate cœpta, inducit obligationem in futurum; ſi fiat piæ cauſæ.*

6 *Ex cauſa neceſſaria præſumitur ſolutio diuturna facta piæ cauſæ.*

7 *Vniuerſitas quæ patitur ſolutionem per 40. annos, præſumitur fieri cum conſilio eius.*

## DECISIO CLXXXIII.

1\. INcolæ de la Garda, præſtationem quadra-
De hac cauſa infrà deciſ.194.
ginta caficiorum Monaſterio de Ronzeſual-
les loco eleemoſynæ, ſeu ex cauſa voluntaria,
non autem neceſſaria dari ſolitam prætenden-
tes, in futurum à ſolutione deſiſtere voluerunt.
Ordinarius Pampilonen. de ann.1588. ad fauo-
rem Monaſterij de Ronzeſualles, ſententiam
pronunciauit, & cùm dediſſem dubium, an præ-
dicta ſententia eſſet confirmanda, vel infirman-
da; Domini cum præſuppoſito, quòd in iudi-
cium fuerit etiam deductum petitorium, tenue-
runt, ſententiam Pampilonen. eſſe confirman-
dam, iſtam enim præſtationem per 40. annos
ante litem motam ſatis videntur probare teſtes
in ſummario additionali, & de auditu ab incolis,
probant etiam primus, tertius, & ſextus, qui
ſubdit eſſe negotium publicum, & manifeſtum,
incolas eſſe debitores præfati Monaſterij, &
2\. cùm multi deponant de facto proprio, euiden-
tiorem * efficiunt probationem. Cephalus *con-
ſil.*170. *num.* 42. Multi præterea ex teſtibus, ſed
in primis 14. & 15. ſpecificant iſtam ſolutionem
eſſe ex cauſa tributi, non ex cauſa † voluntaria,
cùm dicant quietantias fuiſſe factas ſub nomine
tributi ac in libris receptorum, ſub nomine quo-
que tributi eam præſtationem annotari ſolitam,
quo caſu ad probandum talem titulum ſuffice-
ret decennalis: quamuis enim decennalis ſo-
lutio non probet cauſam ſolutionis, id fallit,
quando in ſolutione exprimitur talis cauſa, Sa-
lianus *in l. ſi certis annis. C. de pact.* Ruinus *con-
ſil.*104. *num.*16. *lib.* 5. Verallus *deciſ.*166. *lib.* 3.
Annua enim, & vniformis præſtatio cuiuſlibet
redditus facta, ex cauſa expreſſa decem conti-
3\. nuis annis, * veræ cauſæ, & tituli præſumptio-
4\. nem inducit, Bartolus, & *ibid.* Salicetus *quæſt.* 3.
*in l. cùm de in rem verſo. ff. de vſuris.* Alexand. *in
dicta l. ſi certis annis. C. de pactis*, Couartuuias *in
regula poſſeſſor. parte* 2. §. 4. *num.* 2. *prædictis ac-
5\. cedit*, nam cùm iſta præſtatio ſit in cauſam piam,
diuturna ſolutio, ex mera liberalitate cœpta
inducit obligationem in futurum. Paulus de
Leazaris *in repetitione cap. in litteris, de reſtit.
ſpoliat. num.* 24. quem ſequitur Felinus *in cap.
ad Apoſtolicam num.* 3. *verſic. prædictis adde, de
ſimon.* ex quibus dicebant Domini, ceſſare mo-
tiua adducta per informantes, pro vniuerſitate,
quòd non conſtet de cauſa, ſiue titulo mona-
ſterij, cùm (ex prædictis) titulus probetur, qui
licèt non probaretur, adhuc in dubio præſumen-
6\. dum eſſet, præſtationem fieri ex cauſa neceſſaria.
* Crauetta *conſ.*106. *num.*8.
Non obſtat, quòd hîc prætendatur ſolutio
debiti ab vniuerſitate de la Garda, & tamen
non conſtat, ſolutionem factam nomine vni-
uerſitatis, quod neceſſariò requiri videbatur,
7\. cùm agatur de obliganda vniuerſitate: nam
dicebant Domini, quòd cùm iſta præſtatio
fuerit ſucceſſiua per 40. annos, non erat ne-
ceſſarium probare eam fuiſſe factam per in-
colas, conſilio cum vniuerſitate communica-
to, cùm vniuerſitas eam fieri paſſa fuerit, ar-
gumento eorum quæ tradit Felinus *in cap. cùm
omnes, num.* 31. *verſic. ſexta declaratio, de con-
ſtitutione.*
Omnis præterea iſta dubitatio tolli videba-
tur, ex deputatione exactoris iſtius tributi,
quem vulgò appellant *Sayon.* is enim ab
vniuerſitate conſtitutus, ab incolis exigit,
& deinde Monaſterio ſoluit; vt præ cæte-
ris deponunt 14. & 15. teſtes, quod ſa-
tis indicat præſtationem nomine vniuerſitatis
fieri.

(Margin, at 2.: * adde Lud. dec.351.n.11. & 50. & 521. n. 3. & 544. n.7. Coccin. dec.48. n. 2. quod ſemper admittit Rota. *& quietantiæ probant debiti ſolutionem ex qua cauſa ſit facta. Duran. dec.279.n.4. Seraph. dec. 1339.n.2.)

(Margin, at 4.: * adde Rot. recen. part.1. dec.454.n.2. & 3.)

(Margin, at 6.: * adde Seraphin. deciſ. 1226. num.1. Rot. recen. p.1. dec.502. num.23.)

---

### *Romana Alimentorum.*

### Mercurij 13. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Filij ſemper à parentibus accipiunt ſalubria conſilia.*
3 *Pater non tenetur extra domum præſtare alimenta filio, niſi probata cauſa; cur in domo paterna non moretur.*
4 *Pater non obligatur ex facto filij.*
5 *Alimenta qui petit extra domum eius, cui petuntur, plus dicitur petere.*
6 *Alimenta ſunt taxanda pro modo facultatum, & qualitate perſonarum.*
7 *Patrem filiorum commodis proſpicere præſumitur.*
8 *Contumacium conditio non debet eſſe melior, quàm obedientium.*
9 *Alimentorum qualitas, & quantitas arbitrio iudicis relinquitur.*
10 *Alimentorum quantitas arbitrio iudicis relinquitur, ſed debet regulari à iure.*

## DECISIO CLXXXIV.

D. Iacobus Cincius Nobilis Romanus, qui 1.
extra domum paternam inſcio patre no-
bilem vxorem duxerat, D. Franciſcum Cincium
patrem in Curia Capitolina pro conſequendis
alimentis conuenerat; & tamen cùm de Ordi-
ne S. D. N. Gregorij Papa XIV. hanc cauſam
Senator cum ſuffragio Rotæ terminare iube-
retur, cum præſuppoſito (ſine veri præiudi-
cio) quòd in iſto caſu alimenta deberentur,
dubitatum eſt, ad quam ſummam venirent
taxandæ.
Domini multa putauerunt conſideranda, pri- 2.
mum cauſam iſtam eſſe valde exemplarem, quæ
filiisfamilias præbeat anſam, non obediendi
parentibus, qui pro filiis bonum, ac ſalubre
conſilium ſemper capere præſumuntur, * *l. nec* *adde Cocc. dec.48.n.3.
*in ea. ff. ad leg. Iul. de adult.* cùm nullus affe-
ctus paternum vincere dicatur, *l. final. C. de
curat. furioſ. l. iſti quidem, ff. de eo quod me-
tus cauſ.*
Præterea patrem non teneri filio alimenta 3.
extra domum præſtare, niſi probata iuſta cauſa,
* cur in domo paterna morari non poſſit. Paulus *de hoc art. vide Duran. dec.95.n.13. & 14. & dec. 148. Seraph. dec.1194.n.1. & infrà dec. 621. & deciſ. 656.n.4.
de Caſtro *in l.* 2. *num.*3. *C. famil. erciſcun. & in l.
quidam cùm filium num.*6. *de verbor. oblig.* Socinus
iunior *conſil.*15. *num.*2. *&* 3. *lib.*2. Vnde videbatur
inferri, vt alimenta extra domum præſtanda, in
maiori quantitate, quàm ſi in domo præſtanda
forent, taxari non deberent, cùm ex facto filij,
obligatio patris augeri non debeat, vt in ſimili 4.
propoſito conſuluit Ancharranus *conſil.*254. *n.*3.
*&* 4. Rolan. *conſil.*89. *num.*10. *& ſeq. lib.* 3. nam 5.
plus petere dicitur, qui ſibi extra domum mi-
niſtrare alimenta deſiderat, cùm in domo de-
bentur.



bentur. Ruinus *conſil.* 81. *num.* 3. *lib.* 2. Rolan.
6\. *conſil.* 22. taxanda forent alimenta, pro modo
facultatum, * & qualitate perſonarum. *l.* 2. vbi
Bartol. Baldus, & alij, *C. de alimen. pupil. præſtan.*
Verallus *deciſ.*21. *num.*3. *part.*1. nihilominus non
debebat eſſe in facultate illius, cui in domo pa-
terna deberetur, vt ſibi extra domum in præiu-
dicium, & damnum debitoris ſuppeditaretur,
præſertim ſi culpa petentis alimenta contingat,
eum non poſſe in paterna domo morari, quod
7\. in dubio petentis culpa contingere præſumitur,
* *dicta l. nec in ea. ff. de adult.* quia non debet eſſe
melior conditio contumacium, quàm obedien-
8\. tium. † *cap. contingit, de dolo, & contumac. cap.
eum qui, de præbend. lib.* 6. *l. ſeruus. ff. quod vi,
aut clam.*
Domini tamen, ex multis circunſtantiis ſi-
mul concurrentibus, & eorum animum mo-
uentibus, attendenteſque qualitatem, quan-
titatemque alimentorum arbitrio * iudicantis
relinqui. *l.* 2. *ff. vbi pupil. educari morarique deb.*
Alexand. *conſil.*72. *num.*7. *lib.*5. Aymon *conſ.*198.
*num.*10. Beninten. *concluſ.*43. *num.* 2. licèt id ar-
9\. bitrium à iure regulari debeat. Decianus *con-
ſil.*92. *num.*66. *& ſequent. lib.* 2. quamuis ampliſ-
ſimæ forent D. Franciſci patris facultates, ex-
cedentes videlicet annuum redditum viginti
millium ducatorum, dixerunt danda eſſe Ia-
cobo filio ſingulis menſibus ſcuta quinqua-
ginta.

(Margin, at 6.: *adde Cocc. dec.390.n.2. Mantic. dec. 331.n.7.& 8.)

(Margin, at 7.: *adde Rot. recen part.2. dec.480.n.5.)

(Margin, at 8.: † adde Seraphin. deciſ. 354. n. 5. & habetur in impreſſis diuer. p.1. dec. 369. n. 4. & vide dec.101. n. 9. in eiſdem impreſſis p.3.lib.2.)

(Margin, at 9.: *adde Mant. deciſ.331.n. 10. Seraphin. deciſ. 1194. n. 4. Rotam recen.part.1. dec.538.n.2. & deciſ. 31. n. 2. & infrà dec.691.n.5.)

---

### *Romana hæreditatis.*

### Mercurij 20. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Suitas non datur, niſi in deſcendentibus.*
3 *Extenſio de perſona ad perſonam, non datur in ſtatutis.*
4 *Dictio, tantùm, eſt taxatiua.*
5 *Statutum dans modum procedendi, ſecundùm eum eſt agendum.*

## DECISIO CLXXXV.

1\. LVcida de Vrſis, producto teſtamento Lu-
cretiæ de Milonibus eius filiæ, in quo fuerat
vniuerſalis hæres inſtituta, coram D. Vicario
vrbis petiit, & obtinuit mandatum de aſſocian-
do, ſeu immittendo ex forma ſtatutorum vrbis
*cap.* 147. *lib.* 1. cuius ſtatuti remedium expreſsè
dicit, ſe intentaſſe, & alterius ſtatuti *cap.* 86.
*eod. lib.* cauſa introducta in Rota dubitaui, an
iſta ſententia, ſeu decretum eſſet iniuſtum, &
nullum, & propterea reuocandum, aut potiùs
exequendum? & Domini cenſuerunt, ſenten-
tiam eſſe nullam, nec exequendam, & licèt
multa nullitatis capita proponerentur per in-
formantes pro Europa de Milonibus ſorore
Lucretiæ defunctæ agentis de nullitate dicti
teſtamenti, placuit Dominis nullitas, ex cap.
remedij intentati, vigore ſtatuti vrbis: quia
Lucida in petitione, & iudex in decreto re-
ſtringit ſe ad ſtatuta vrbis, quorum vigore
non poterat decerni mandatum de immitten-
do: nam præfatum ſtatutum ſub *cap.* 147. diſ-
ponens, quòd poſſeſſio * quorumcunque bono- *adde Cocc. dec.488.n.4.
rum teſtatorum, vel ab inteſtato defunctorum,
dictorum ſtatutorum auctoritate in hæredes
continuata cenſeatur, expreſsè loquitur de ſuis
tantùm hæredibus, quod non competit Lucidæ 2.
matri, quia ſuitas non datur niſi deſcendentibus.
Angelus *in §. inteſtatorum, n.*1. *&* 2. *Inſt. de hæredi-
tatib. quæ ab inteſt. deferunt.* & in ſtatutis non fit 3.
extenſio de perſona ad perſonam. * Alexand.
*conſil.*80. *lib.*1. Pariſius *conſil.* 47. *num.* 78. *lib.* 3.
præſertim quando habent dictiones taxatiuas
(prout in præfato ſtatuto, vbi ponitur dictio *tan-
tùm,*) † quæ omnes alios excludit. Dec. *conſ.*328.
*num.* 5.
Nec poteſt ſuſtineri decretum, vigore alte-
rius ſtatuti ſub *cap.* 86. *eod. lib.* 1. quo cauetur,
vt teſtamenta, & quælibet vltimæ voluntates
ad inſtantiam illius, cuius intereſt, executioni
mandentur, niſi infra decem dies qui ſe op-
ponit, exceptionem probauerit: nam primum
dicebatur, quòd cùm dictum ſtatutum det mo- 4.
dum procedendi, ordinatoria concernere vi- 5.
detur, Baldus *in l.* 1. *num.* 8. *verſic. item dicit
gloſſ. C. quæ ſit longa conſuetud.* præterea cùm
executio illius vigore tribuatur ſenatori, &
collateralibus, non videtur deciſorium, nec in
omnibus Curiis ſeruandum, ſed in Capitolina
Curia tantùm, * vnde vicegerens non potuit
eius vigore ſic decernere. Alexand. *conſil.* 167.
*num.*6. *lib.*2.
De iuſtitia, vel iniuſtitia, quæ pendet ex vi-
ribus teſtamenti, & aliis in diſcurſu cauſæ de-
ducendis, Domini particulariter videre vo-
luerunt.

(Margin, at 3.: * limita ſi ſtatuti ratio militet fortius in perſona ad quã extenditur. Duran. deciſ. 36. n. 6. vel niſi ſit conformis intentioni ſtatuentium. Seraph. deciſ. 496. n. 7. & dec.822.n.4.)

(Margin, at 5.: † adde Seraphin. deciſ. 257.n.2. Rotam recen. p.2. dec.740. num.4. * adde Caual. dec. 553. num.5.)

---

### *Brixien. contributionis expenſarum.*

### Die Mercurij 20. Nouembr. 1591.

SVMMARIVM.

2 *Canonicus non poteſt recuſare onus annexum Canonicatui.*
3 *Canonicus participans fructus, tenetur etiam ad expenſas, & onera Eccleſiæ.*
4.5 *Beneficiati participantes de fructibus Eccleſiæ, an ad onera eius concurrere teneantur.*

## DECISIO CLXXXVI.

IDem fuit deciſum in alia cauſa Brixien. con- 1.
tributionis expenſarum coram R. P. D. Cor-
duba die 26. Febru. 1061. * Præpoſitus Eccleſiæ *hæc annot. reperitur in Codice originali. R. P. D. Peña.
Parochialis Sanctorum Nazarij, & Celſi de an-
no 1457. in erectione iſtius Eccleſiæ, in qua fue-
runt quatuor Canonici de nouo creati, eiſdem
aſſignauit certos fructus, cum onere quòd præ-
fati Canonici pro tempore exiſtentes, pro me-
dietate ſuſciperent onus curæ animarum eiuſ-
dem Eccleſiæ, vt apparet ex Bulla Calixti, in qua
iſtius Eccleſiæ erectio continetur. Ex alia quo-
que Innocentij Bulla conſtat, poſtea in eadem
Eccleſia fuiſſe erectas ſex Capellanias pro toti-
dem perpetuis Capellanis, qui quotidie inibi
Miſſas celebrarent, & horas Canonicas diurnas,
pariter & nocturnas perſoluerent, quibus de

eiuſdem etiam præpoſituræ fructibus certa portio aſſignata extitit. Et cùm tam ſuper contributiones expenſarum, quàm ſuper aliis capitulis coram diuerſis iudicibus eſſet litigatum, & cauſa denique commiſſa in Rota, Præpoſito moderno ſolùm informante dubitaui, an præfati Canonici, & Capellani pro tempore exiſtentes, tenerentur contribuere in expenſis faciendis, tam in concernentibus reparationem, quàm ornatum Eccleſiæ. Et ſæpe cauſa propoſita, quia Domini voluerunt videre tenorem erectionis,& aſſignationis fructuum, tandem ſub die 20. Nouembr. cenſuerunt, eos teneri ad contributionem, & quantum attinet ad onus curæ animarum, quàm quatuor Canonici pro medietate ſuſceperunt, res caret difficultate, quia à principio fuerunt eis aſſignati fructus, vt dictum curæ onus ſuſciperent, cui ſubeundo ſuo ſponte videntur obligati, argum. *l. ſi duo, de acquirend. hæredit.* neque enim onus annexum Canonica-
2. tui quis poteſt recuſare : tenentur etiam præfati
3. quatuor Canonici pro medietate ad expenſas concernentes præfatam curam * animarum, vt fuit deciſum in illa Aquiliana Vicariatus 16. Nouembr. 1588. cùm participent de fructibus ſpectantibus ad Præpoſitum, ex vulgata regula *in l. ſecundùm naturam ff. de regul. iur.*

* adde Rot. recen. part. 2. dec. 340. Seraphin. deciſ. 1283.

4. Quantum attinet ad aliam propoſiti dubij partem de impenſis concernentibus reparationem, & ornatum Eccleſiæ, fuit dictum quòd cùm pro iſtis non adſint redditus diſtincti, iuxta textum *in cap. quatuor 12. quæſt. 2.* omnes beneficiati, iuxta ratam fructuum quos percipiunt, debent contribuere. *cap. 1. & cap. de his,* & vtrobique Doctores, *de Eccleſ. ædifican.* Lambert. *lib. 3. de iure patronat. quæſt. 7. principali art. 2. num. 1. & 2.* nam cùm omnes beneficiati de fructibus Eccleſiæ participent, omnes etiam ad onera concurrere * debent. *Clement. 1. de cenſib.*

* & regula eſt percipiētem fructus ad onera teneri. Duran. dec. 60. n. 22. & 67. n. 18.

## *Iacen. Vicariæ.*

### Die 27. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

2.3 *Impetrans beneficium tenetur verificare narrata à tempore datæ.*

4.5 *Subreptitia dicitur gratia, ſi non narratur verum.*

6 *Conſtitutio Pij V. prohibet Epiſcopis, ne vltra decem dies poſſit differre nominationem Clerici idonei concurſus, quod intellige vt num. 7.*

6.7 *Epiſcopis prohibetur per conſtitutionem Pij V. vt non differant vltra decem dies, nominationem Clerici idonei, concurſus facti.*

## DECISIO CLXXXVII.

1. ANtequam Santius de la Badia eſſet inſtitutus de Prioratu Eccleſiæ Collegiatæ de Voltaña Balbaſtren. diœceſis, vel eius poſſeſſionem fuiſſet adeptus, Vincentius Marige Vicarium del Hecho Iacen. diœceſis, quam Santius obtinebat, pridie Idus Iulij ann. 1586. tanquam vacantem per aſſecutionem dicti prioratus impetrauit, quo tamen tempore, Vicaria non vacabat : cæterùm poſtquam Santius adeptus fuit poſſeſſionem eiuſdem Prioratus, ſub die 2. Februarij ann. 1587. & ſic per tres menſes, & ampliùs, tanquam vacantem per adeptionem Prioratus.

Dubitaui an gratia per aſſecutionem ſuffra-
2. garetur Antonio? & fuit concluſum non ſuffragari, quia cùm impetrans teneatur, * verificare narrata, Ioannes Andr. *in cap. 1. de lit. conteſt. lib. 6. num. 2.* Verallus *deciſ. 39. part. 2.* Gigas *de penſionib. quæſt. 22. num. 16.* & Antonius in ſua gratia narrauit prouiſionem Vicariæ ſpectare ad Pa-
3. pam, quia Ordinarius Iacen. non curauerat facere concurſum iuxta formam Concilij Triden. & infra tempus conſtitutionis Pij V. de prouiſione Parochialium, quæ narratiua non verificatur de tempore datæ, * imò conſtat ſex menſes, qui Ordinario dantur, ad prouidendum tunc nondum fuiſſe elapſos, illius gratia tanquam ſubreptia non poterat ei ſuffragari. †

* adde Duran. dec. 208. n. 1. & 2. & Rot. recen. p. 2. dec. 443. num. 2.

* quod fieri debet, Duran. dec. 244. n. 3. & quid probare teneatur, vide Duran. deciſ. 178.

Maximè, quia ſi Papa ſciuiſſet, tempus non eſſe elapſum, veriſimile eſt, eum non fuiſſe in præiudicium Ordinarij de Parochiali prouiſu-
4. rum, ad notata *in cap. poſtulaſti, de reſcript.*

† adde Mant. dec. 214. n. 1. latè Ludou. deciſ. 150. & 450. & vtrobique additio Rotæ recen. deciſ. 418. n. 1. & 423. n. 7. p. 1. Seraph. dec. 989 n. 4.

Nec refert per conſtitutionem * Pij V. prohiberi Ordinariis, ne tempus decem dierum à Concilio Trident. præfixum ad Clericos idoneos nominandum, vltra alios decem dies prorogare audeant. Nam dicebatur Antonium non probare, Epiſcopum infra id tempus, tales Clericos non nominaſſe, quod pro fulcimine ſuæ gratiæ erat ſibi etiam verificandum.

Quibus accedit, quia ſi nemo fuerit, qui ſe
5. examini queat ſubiicere, ex auctoritate à Conci-
6. lio Epiſcopo tributa, Epiſcopus non tenebatur
7. ſeruare Pij V. conſtitutionis formam, cui in hoc conſtitutio non derogat Concilio.

* habetur in Bullatio Cherubini, tomo 2. in conſt. Pij V. conſt. 33. fol. mihi 219. in §. prohibentes.

Ad alia, quæ proponebantur pro D. Antonio, placuerunt Domini reſponſiones datæ per D. Proydam. Illo reſeruato particulariter diſputando, an ex confeſſionibus Vincentij probaretur, non fuiſſe in iſto caſu ſeruatam formam Concilij, & præfatæ conſtitutionis.

## *Camerinen. bonorum.*

### Veneris 29. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Reus conuentus non tenetur probare ſuam exceptionem, niſi priùs actor probauerit ſuam intentionem.*

3.4.5 *Reus malitioſè differens producere inſtrumenta litem dirimentia, tenetur reſarcire expenſas in lite factas actori.*

6 *Iure ſuo vtens, nemini iniuriam facit.*

## DECISIO CLXXXVIII.

1. MVltis annis agitata lite inter Dominos de Cibo, in diuerſis tribunalibus, ſuper quadam tenuta ſita in territorio Fabriani Camerinen. diœceſ. vulgo dicta *la Rochetta de Pierpol.* & deinde in Rota ab ann. 1547. & ſeqq. inter D. Achillem Cibo, & Comitem Bald. & Mauritium & litis conſortes, & coràm me ann. 1588. multis dubiis diſputatis, & ad fauorem D. Achillis reſolutis, & demum ſub 30. die Ianuarij 1589. * conſtito ex deductis de bono illius iure, deciſum extitit, intentionem Achillis fuiſſe iuſtificatam in interdicto Quorum bonorum, verùm cùm iam eſſem in calculo ferendæ ſententiæ, poſt 48. ferè annos productū fuit in actis quoddam inſtrumentum, continens venditionem factam de dicta Rochetta; per D. Theodorinam Cibo, ad fauorem D. Ducìſſæ de Camerino, per quod (ſi foret validum) omnis D. Achillis intentio reddebatur inanis, cumque pro parte D. Achillis prætenderetur, malitioſè tanto tempore fuiſſe ſuppreſſum, & ideo non poſſe eius ad-
2. uerſarios ſuper eo audiri, niſi refectis expenſis, & damnis paſſis in tam longa lite, dato ſuper hac re particulari dubio, & D. Achille ſolùm informante, fuit deciſum contra ipſum.



* ſuprà deciſ. 7.

3. Præcipua ratio Dominorum fuit, quia reus conuentus * non tenetur probare ſuam exceptionem, niſi priùs actor probauerit ſuam intentionem, quoniam actore non probante, reus, etiamſi nil probauerit, abſolui debet. † *l. qui accuſare. C. de eden. l. vlt. C. de rei vindic. §. retinendæ. Inſtit. de interdict.* vnde cùm D. Achilles, in quadraginta annis quibus litigauit, non probauerit ſuam intentionem, quod patuit, quia ad eam probandam ſæpe teſtes examinari obtinuit, non tenebantur D. Comes, Baldus, & litis conſortes, qui erant rei conuenti priùs ſuas producere exceptiones, quàm ille intentionem ſuam protinus probaſſet, quod cùm denique effeciſſe videretur, tunc protinus rei conuenti inſtrumentum (de quo agitur) exhibuerunt, nec imputandum eſt illis, ſi tanto tempore tacuerunt, quoniam D. Achille non probante, ſufficiebat illis * vincere per non ius illius.

* adde Manticam deciſ. 111. n. 1. Ludouiſ. deciſ. 201. n. 3.

† adde Rotā recen. p. 1. dec 409. n. 6. Doctiſſimū noſtrū Seſſe dec. 217. n. 4. tō. 2. & hæc regula habet locum etiam in beneficialibus, vt per Mantic. dec. 364. n. 2. Duran. dec. 381. n. 1.

* nam reus poteſt excludere actorē per non ius eius. Rota recen. p. 2. dec 520. n. 6. Durand. dec. 278. n. 3. Seraphin. dec. 871. n. 5. Caual. dec. 608. n. 11. & 631. n. 3.

Ex alio etiam capite dicebatur, D. Achilli expenſas non deberi, quoniam cùm poſt inſtrumentum productum, adhuc ſuſtineret litem, non confitebatur illud eſſe litis deciſiuum.

Non obſtat regula, quòd reus malitioſè differens † producere inſtrumenta litem dirimentia, quibus productis, actor non ſuſtinuiſſet litem, nec litis expenſas, quando illa producit, non debeat audiri, niſi refectis expenſis, in illa
4. cauſa factis. Baldus *in cap. exceptionem num. 2. de exceptio.* vbi Felin. *num. 47.* Idem Felinus *in cap. de cætero, num. 11. verſ. meritò dicit Baldus; de re iudic. & in cap. ad audientiam, lib. 2. num. 14. verſ. ad omnes, de reſcript.* Neuizanus *conſil. 17. num. 15. & conſil. 18. num. 20. & conſil. 18. num. 17.* Iaſon *in l. properandum §. ſin autem alterutra, num. 12. C. de iudic.* quoniam procedit, cùm reus præſumitur
5. fuiſſe in dolo. *l. eum quem temere, ff. de iudic. §. 2. Inſtitut. de pœna temerè litigan.* Matheſilanus *notab. 82. incip. Nota practicam.* Iaſon *in d. §. ſin autem alterutra, num. 12. verſ. limita tamen.* de nullo autem dolo conſtabat in caſu propoſito, præſer-
6. tim cùm Comes, Baldus, & alij D. Achillis aduerſarij differendo producere iura ſua antequam Achilles probaret ſuam intentionem, iure ſuo vterentur, & nemini iniuriam facerent. Felinus *in dict. cap. ad audientiam, num. 14. verſ. etſi diceretur, de reſcript.* quare fuit ordinatum, quòd videretur de viribus producti inſtrumenti.

† reus quando poſſit cogere actorem ad edendū, vide apud Durand. dec. 117. n. 26.

## *Salamantina penſionis.*

### Veneris 29. Nouembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Procuratores duo ſub clauſula, ita vt non ſit melior conditio præoccupantis, &c. & cum facultate ſubſtituendi, ſi vnus ſubſtituit primò, & poſtea alter non efficitur dominus litis ſubſtitutus.*

3 *Procurator ſubſtitutus per comparitionem, & alias diligentias fit dominus litis.*

4 *Mandatum expirat, morte mandantis in beneficialibus, etiam re non integra.*

5 *Penſionis cauſa eſt profana, cùm in temporalitate ſola conſiſtat*

6 *Mandatum Procuratoris facti domini litis expirat per obitum principalis etiam in profanis nullo apparente hærede.*

7 *Mandatum quando expiret, per obitum concedentis, & n. 8. 9.*

10 *Mandatum conceſſum ad ſubſtituendum, non extenditur ad reuocandum.*

11 *Procurator ſi reuocetur, vt valeat reuocatio, requiritur ſcientia ipſius, & non ſufficit patientia.*

## DECISIO CLXXXIX.

DIdacus de Mena, Portionarius Eccleſiæ Salamantin. ad proſequendam litem in Curia ſuper nullitate penſionis ſuos Procuratores, ſine facultate reuocandi, ac ſine clauſula, *ita quòd non ſit melior conditio præoccupantis,* conſtituit Hieronymum Hurtado, & Didacum del Caſtillo, & ſubſtituendos ab illis. Vigore iſtius mandati Hieronymus Hippolytum Merendam ſubſtituit, qui in duabus inſtantiis in Rota cauſam fuit proſecutus, Didacus verò del Caſtillo ſubſtituit Petrum Nauarrete, Didacum Segredum, & Ambroſium Cardoſum, interim Didacus de Mena principalis in partibus moritur, relictis Petro de Nauarrete nepoti fructibus penſionis decurſis, ſi victoriam ex lite reportaret, cui volenti in tertia inſtantia cauſam proſequi, obiectum fuit pro parte D. Salzedi aduerſarij, non adeſſe legitimum Procuratorem dominum litis effectum, qui in cauſa poſſet procedere.

1. De hac cauſa agit ſequens deciſio.

Stantibus ergo prædictis dubitaui, an aliquis foret legitimus Procurator dominus litis effe- 2.
ctus. Re per Dominos diſcuſſa, fuit pronunciatum Petrum Nauarrete, & alios per Didacum del Caſtillo ſubſtitutos, non eſſe legitimos Procuratores, quia cùm Didacus de Mena, Hurtadum, & Caſtillum Procuratores in ſolidum conſtituerit, cum facultate ſubſtituendi abſque clauſula, *quòd non foret melior conditio præoccupantis,* & Hurtadus Merendam ſubſtituerit, qui plures actus iudiciales in cauſa fecit, ſtante dicta præoccupatione, non potuit Caſtillus longè poſt litem conteſtatam iſtos Procuratores ſubſtituere. *c. ſi duo, de procurat. lib. 6.* Riminaldus ſenior *conſ. 320. num. 19.*

Rurſus mandatum quoque Hurtadi, per iſtam ſubſtitutionem in perſonam D. Merendæ expirauit. Baldus *in l. quod quis, n. 7. C. de procurat.*

3. Quantum ad D.Hippolytum Merendam, concorditer fuit concluſum, ipſum remanſiſſe legitimum Procuratorem, dominum litis effectum, qui poſſet litem proſequi, *l. nulla*, vbi communiter Doctores, *C.de procurat.* Creſcen.*deciſ.*171. aliàs 8.*de procurat.*

Nec obſtabat quòd morte mandantis, in beneficialibus mandatum etiam re non integra
4. expiret. * *Clem.fin.de procurat.* nam fuit reſponſum, cauſam penſionis eſſe profanam, cùm in ſola temporalitate conſiſtat. Gigas *de penſionib. quæſt.*1.*num.*2.*& quæſt.*21.*in principio.* Sarnen. *in regula de infirmis reſignan. quæſt.*16.*& in regula de annali quæſt.*21.*in fine*, & fuit reſolutum in
5. cauſa Mediolanen.* penſionis coram D.Mantica 20 Nouemb.1589.

* ita tenuit Rota, apud Mantic. dec. 213.n.5.

* habetur in impreſſis Manticæ 12. Febru. 1590. & eſt deciſio 94.

Ad aliam difficultatem motam per D. Proydam Aduocatum, quòd per obitum principalis, nullo apparente hærede, etiam in profanis ex-
6. piret mandatum Procuratoris † domini litis effecti, per deciſionem 35. Ioannis Thomæ Minadoi, Domini reſpondendo conſiderabant tres caſus. Primus eſt, quando conſtat aliquem deceſſiſſe cum hærede, & iſte eſt caſus clarus, quòd Procurator effectus dominus litis poſſit litem proſequi.*

† de hac propoſitione vide Seraphin. dec. 824. n. 1. & ſeq. & deciſ. 1352. n. 1. vbi etiã per mortem ciuilem expirat mandatum.

Secundus caſus eſt, quando conſtat, bona eſſe vacantia, & nemo vult eſſe hæres: & iſte etiam eſt caſus Clarus quòd talis Procurator non poteſt litem proſequi.

7. Tertius caſus eſt, cùm ſumus in dubio, & nulla eſt facta diligentia, an aliquis velit eſſe hæres, ſed hæreditas iacet, & in hoc caſu Procurator dominus litis effectus, poteſt litem proſequi, donec appareat, † nullum velle eſſe hæredem, & defunctum ſine hærede deceſſiſſe. Angelus, Imola, & alij, *in l.non ſoluta.§ morte, in principio ff.de noui oper.nunt.* Decius *in cap.relatum, paulo poſt initium, de offic.deleg.* & ſic diſtinxit Rota ſub die 6. Martij 1573. in cauſa Romana ſtatus de Columna coram Domino Robuſterio.

* adde ſuprà dec.2.& quæ ibi annotaui num. 9. & in quibus caſibus non expiret mandatũ per mortem concedentis. Seraphin. deciſ. 1048.n.7. & 541.num.3. licèt contra in recen.p.2. dec.492.n.4.

Nec propterea Merenda deſiit eſſe Procurator, quòd à Didaco del Caſtillo fuerit reuocatus: nam cùm poteſtas data Didaco per principa-
8. lem, eſſet ad ſubſtituendum, non autem ad reuo-
9. candum facta ſubſtitutione, finita fuit.*cap.is qui, de procurat.lib.*6.Oldradus *conſil.*130.incip.*Omiſ-*
10. *ſa prolixitate, num.*2.

Minus obſtare viſa fuit ſcientia, & patientia Merendæ poſt reuocationem de ſe factam, & ſubſtitutionem in alterius perſonam, quaſi propterea mandato renunciaſſe cenſeatur: nam iſta patientia non ſufficit, niſi probetur voluntas Merendæ conſentientis * ſe reuocari. Puteus *deciſ.*303. incip. *Procurator, lib.*2. ex quibus fuit concluſum poſſe Merendam iſtam litem proſequi.

† adde Seraphin. dec. 1151.n.1.vbi in annotione allegatur præſens dec. licèt inſcribatur de anno 1593.

* Seraphin. dec.195.n.1. & de hoc articulo vide infrà deciſ. 167.n.2.

## *Salamantin. penſionis.*

### Mercurij 4. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Procurator dominus litis effectus ad inſtantiam intereſſe habentis compelli poteſt ad litem proſequendam.*

## DECISIO CXC.

1. SVb die 29.Nouembr.* in iſta cauſa dixerunt Domini Hippolytum Merendam remanſiſſe Procuratorem dominum litis effectum, & propterea, eum poſſe cauſam proſequi; verùm quoniam pars aduerſa curabat impedire proſecutionem, & Merenda deſiſtebat ab illa, habito verbo in Rota, Domini ordinarunt, vt vel ipſe Merenda relictis excuſationibus ad vlteriora procederet, vel Procuratorem ad beneplacitum Licentiati Nauarrete ſubſtitueret: quia Procurator dominus litis effectus, ad inſtantiam intereſſe habentis, compelli poteſt ad litem proſequendam. *Clement.* 1. *de procurat.* cum *ibi* notatis. 2.

* de hac cauſa præcedens deciſio agit.

## *Alatrina Canonicatus.*

### Mercurij 4. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt variare in prouiſione Canonicatus.*

2 *Poſſeſſio capta poſt inhibitionem eſt attentata, & immanutenibilis.*

3 *Poſſeſſio capta pendente lite eſt immanutenibilis.*

## DECISIO CXCI.

PRætendebat Ciſilius de Angelis, Regulum Vrſum non eſſe audiendum, ex quo ab Epiſcopo Alatrino fuit ſecundo loco prouiſus, cùm Epiſcopus non potuiſſet variare, ex quo primò Canonicatum contulerat cuidam Petro de Tutiis *ad deciſ.*31.*&* 33. *de conceſſ. præben.in antiq.* 1.
Item, quia Regulus poſſeſſionem cœperat poſt inhibitionem * Rotalem, contrà verò Regulus dicebat poſſeſſionem Ciſilij non fuiſſe legitimam, nec manutenibilem ex quo prætẽdebatur capta pendente lite, & cùm ad probanda ſibi incumbentia, Ciſilius teſtes examinare vellet, & Regulus petitorium ſuſpendiſſet, dicens primùm eſſe poſſeſſorium terminandum: ſuper iſtis prætenſionibus propoſitis vtriuſque partis memorabilibus in Rota, loco cauſæ, vt firmior haberetur reſolutio, Domini cenſuerunt videndum eſſe primùm, an poſſeſſio Ciſilij foret legitima, & manutenibilis, & teſtes ab Ciſilio productos eſſe examinandos, tam ſuper petitorio, quàm poſſeſſorio, & ponendos ad partem. 2.

* adde Ludouiſ. deciſ. 435.ferè per totã & 305. n.2.quod extẽdit etiam ſi inhibitio emanauerit ex commiſſione ſubreptitia, in deciſ.119. n.8. Durand.dec. 312. n. 2. & dec.4.n.8. & dec.149.n.2. quod ſæpe Rota declarauit.

Nec tenebatur Regulus de ſuo intereſſe docere, ex quo Ciſilius eius aduerſarius, vigore clauſulæ, *omneſque alios*, Regulum citauerit, qui comparebat, tanquam reus neceſſarius. 3.

## *S.Martij Abbatiæ S.Cyriaci.*

### Mercurij 4. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

1 *Parochialem habens, tenetur infra annum ad ſacros Ordines promoueri.*

2 *Reſignatio*



2 *Reſignatio ſi fuit nulla, ob non expreſſionem qualitatis beneficij, non ex eo abdicatur ius reſignanti.*

3 *Poſſidens beneficium per decennium, etiamſi gratia ab initio ſit nulla, præſumitur diſpenſatus.*

## DECISIO CXCII.

1. DVbitaui, an effluxerit integer annus ante motam litem, infra quem Perſius Martorenus, ratione Parochialis, tenebatur promoueri ad ſacros Ordines, iuxta textum *in cap. licèt canon. de elect.lib.*6. & Domini reſponderunt, probari quidem Perſium non fuiſſe promotum infra annum, cæterùm eam probationem non releuare ad fauorem Ioannis Thomæ Campani: nam cùm D.Cardinalis Sacellus reſignaſſet hoc beneficium Perſio tanquam ſimplex, non tenebatur Perſius infra annum ad ſacrum Presbyteratus Ordinem ſe promouere; etſi reſignatio
2. fuit nulla, ob non expreſſam curam animarum, non fuit ius abdicatum à D. Cardinale reſignante, * vnde tempore impetrationis gratiæ *ſi neutri*, beneficium non vacabat; vt fuit conſideratum ſub die 27. Februar. 1584. ex quo ſolo capite Ioanni Thomæ, tanquam non probanti aliquam certam vacationem, non videbatur aliquod ius competere.

* adde Ludouiſ. deciſ. 138. n. 5. & infrà deciſ. 388. Seraph. dec.389.n.1. & 9. & infrà dec.388.

3. Prædictis accedebat, † quòd cùm à tempore poſſeſſionis habitæ à Perſio de anno 1567.vſque ad tempus impetrationis gratiæ *ſi neutri*, obtentæ de anno 1576. effluxerint decem ferè integri anni, quo toto tempore Perſius illud pacificè poſſedit, non poterat ampliùs ſuper eo moleſtari, * ex quo præſumitur diſpenſatus, ad latè tradita per Sarnen. *in regula de triennali, quæſt.*10.

† vide infrà dec.352.

* & ratio eſt quia poſſeſſio triennalis inducit præſumptionem alterius tituli validi, licèt appareat de vno titulo inualido. Ludou. dec.36. n.9. Coccin. dec.475.n.5.

## *Pampılonen. tributi, ſiue 40. caſiciorum de la Garda.*

### Mercurij 11. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

2.3 *Teſtes examinati ſuper poſſeſſorium, non probant in petitorio, & num.*14.

4 *Iuriſdictionem non habet Commiſſarius ad poſſeſſorium in petitorio.*

5 *Teſtes examinati, & iurati circa poſſeſſorium, non ſunt iurati quoad petitorium.*

6 *Poſſeſſoris ſuſpenſione habita per partes, ſi agatur ad petitorium, teſtes in poſſeſſorio examinati non probant in petitorio inter eaſdem partes.*

7 *Retinendæ in iudicio, vincit qui meliùs probat poſſeſſionem.*

8 *& in tali articulo admittitur articulus proprietatis, ad iuſtificandam poſſeſſionem.*

9 *Virtutis non habet cauſam annexam proprietatis à natura cum poſſeſſorio.*

10 *Poſſeſſorium habens cauſam mixtam proprietatis, admittit ſuſpenſionem petitorij.*

11 *Retinendæ in iudicio, non datur ſuſpenſio iuriſdictionis in petitorio.*

12.13 *Petitorium intentans vna pars, & altera poſſeſſorium, procedendo ſuper vtrumque, non ſuſpenditur iuriſdictio.*

15 *Petitorium ſuſpendens, poteſt recedere à ſuſpenſione in ſuum fauorem inducta.*

16 *Iudex laicus, non poteſt cognoſcere de cauſis Eccleſiaſticis in petitorio.*

17 *Legem ferens quis contra alium, in ſe debet eam pati.*

18 *Petitorium & poſſeſſorium retinendæ, per eundem ſimul intentari non poteſt.*

19 *Citatio partis, eſt neceſſaria ad videndum iurare teſtes.*

## DECISIO CXCIII.

MOnaſterium Beatæ Mariæ de Ronzeſualles, ad percipienda quadraginta caſicia tritici annua, ab incolis de la Garda, tributi nomine ſibi debita, coram Regio Conſilio de ann. 1569. iudicium contra illos introduxit, in quo Vniuerſitas de la Garda negauit tale tributum Monaſterio deberi, aſſerendo quòd ſi in præteritum aliquam frumenti quantitatem percepiſſet, illa non excedebat numerum 38. caſiciorum, quæ ſoluere deinde obtulit, vt ceſſaret iudicium ſuper manutentione, & cauſa tractaretur in petitorio, cæterùm Monaſterium noluit conſentire, quòd in hac inſtantia tractaretur aliquid pertinens ad petitorium ſuſpendendo: & cùm deinceps Procurator Monaſterij ad probandum ſibi incumbentia dediſſet articulos, ſuper dictam oblationem impugnauit, inſiſtendo, quòd procederetur in cauſa poſſeſſorij: itaque conſilium Regium, lata ſententia pronunciauit, Monaſterium de Ronzeſualles eſſe defendendum, atque manutenendum in poſſeſſione recipiendi, & exigendi tributum 40. caſiciorum in iſto iudicio, Monaſterium teſtes aliquot examinare curauit, & duas ſententias fauorabiles reportauit, & ſuam poſſeſſionem continuauit. De anno 1585. incolæ de la Garda, prætendentes ſuper poſſeſſorio tantùm fuiſſe pronunciatum, ſuper petitorio contra Monaſterium iudicium mouerunt, & de anno 1588. per Ordinarium Pampilonen. contra ipſos fuit lata ſententia diffinitiua, cauſa in Rota commiſſa ſub die 13. Nouemb. Domini, cum præſuppoſito quòd in iudicium fuerit etiam deductum petitorium tenuerunt, præfatam ſententiam eſſe confirmandam; * & quia præcipuum fundamentum eius conſiſtebat in teſtificationibus præfatorum teſtium, in iſta poſitione præſuppoſitis petitionibus Monaſterij, ſuper petitorij ſuſpenſione, & inſtantia incolarum de la Garda, ſuper poſſeſſorij ceſſatione, & petitorij proſecutione, dubitaui, an examen dictorum teſtium ſuſtineretur, 2.
nedum reſpectu poſſeſſorij, ſed etiam reſpectu petitorij, & fuit deciſum iſtis teſtibus in iudicio petitorij, non eſſe fidem adhibendam, * primò quia iudicium in quo teſtes fuerant examinati, fuit introductum à Monaſterio ſuper poſſeſſorio, vt apparebat ex libello dato pro parte Monaſterij, in quo narrabatur Monaſterium exiſtere in poſſeſſione, & concludebatur petendo in ea manuteneri. Socinus *conſil.*262.*num.*1.*&* 2. *lib.*2.*& in l.rem quæ nobis, num.*4.*ff. de acquiren.* 3.
*poſſeſſ.* Secundò quoniam cùm communitas de la Garda vellet deducere petitorium, Monaſterium

* ſuprà deciſ.183.

* adde Ludouiſ. deciſ. 535.n.13. & dec.357.n.2. ibi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

rium illud ſuſpendit, vnde examen teſtium non
poterat reſpectu petitorij ſuſtineri. Gozadinus
4. *conſil.*10.*num.*21. tum quia teſtes fuerunt exami-
nati à iudice (propter ſuſpenſionem petitorij)
5. iuriſdictione * carente. Rota *deciſ. fin. verſ. imò*
*etſi teſtes, de teſtib. in nouis*. Thanis *deciſ.*87. incip.
*In vna Oueten*. Puteus *deciſ.*171. incip. *Erat com-*
*miſſa cauſa, num.*1. *lib.*1. Pontanus *de ſpolio lib.*2.
*cap.*6. *de ſuſpenſione petitorij, num.*52. tum quia tali
caſu depoſuerunt non iurati ſuper articulis ex-
tra caſum, ſiue materiam de qua agitur, Rota
*dicta deciſ. fin. de teſtibus in nouis*. Contardus *in*
*l.*1. *C. ſi de moment. poſſeſſ. limitatione* 2. *ratione mix-*
*turæ, num.*25.

* adde Rotam diuerſ. p.2. dec. 35. n.6.& 7.

6. Imò quanquam non fuiſſet ſuſpenſum peti-
torium, ſed ſolùm poſſeſſorium ſimplex ab
initio deductum (pro vt in iſta cauſa factum
videtur) teſtes in poſſeſſorio * examinati non
probarent in petitorio, inter eaſdem partes. Pu-
teus *dicta deciſ.* 171. *lib.*1. *num.*1. *verſ. & ita hoc*,
Baldus *in cap. licèt cauſam, de probat. num.* 13. *in*
*fine*. idem *in l. ordinarij, num.* 11. *de rei vendic.*
Contard. *in d. l. vnica, C. ſi de moment. poſſeſſ. limita-*
*tione* 2. *ratione mixturæ*. §.6. *num.*23. quod multo
magis erit verum, ſtante expreſſa petitorij ſu-
7. ſpenſione. Nec refert ſi dicatur, ideo teſtes exa-
minatos, in iudicio poſſeſſorio probare in peti-
torio, quaſi in iudicio retinendæ diuerſa ſit ra-
tio, cùm in tali interdicto vincat, qui meliùs
probat de poſſeſſione, & in tali poſſeſſorio ad-
8. mittatur articulus proprietatis, ad iuſtificandam
poſſeſſionem. * Decius *conſil.* 162. *num.* 2. *verſ.*
*ſecundò poſſeſſorium.*

* adde Ludouiſ. deciſ. 357. n. 2. & ibi annotat. n.6. vbi hæc deciſio allegatur & dec. 535.n.13.

* Rota recē. p 2.dec.423. n.7.

Quoniam dicebatur, iſtud poſſeſſorium an-
9. nuæ præſtationis, etiam ex cauſa ſeruitutis, non
habere naturâ annexam cauſam proprietatis,
cùm iſta poſſeſſoria à natura, ſolùm dicantur
illa, quæ in iure ſic reperiuntur qualificata, qua-
lia ſunt, quæ enumerantur *in l.*2. §. *quædam ff. de*
10. *interdictis*, Contardus *in d. l.*1. *C. ſi de momen. poſ-*
*ſeſſ. limitatione* 62. *ratione mixturæ*. §.7. *num.*17. *&*
*ſeqq.* & ideo petitorium, * tanquam omnino à
poſſeſſorio ſeparatum, ſuſpendi potuiſſe, quo
ſuſpenſo non valuerunt actus ipſum concer-
nentes, nec Decius loquitur in iſtis terminis.

* adde Rotam diuerſ. part.3. lib.2. dec.9.n.1.

Accedebat præterea, quia etiam in poſſeſſo-
rio habente mixtam cauſam proprietatis, admit-
titur ſuſpenſo petitorij, cùm titulus non requi-
ratur, niſi ad colorandum poſſeſſorium. Contar-
dus *in dicta l. vnica*. §.8. *limitatione ſecunda, ratione*
*mixturæ, num.*38.

Præterea non obſtat dictum Ripæ *in l. natu-*
*raliter*. §. *nihil commune, num.*154. *ff. de acquirend.*
*poſſeſſ.* Rubei Alexandrin. *conſil.*167. & Putei *de-*
*ciſ.* 29. *lib.*3. ex quibus agentes pro Monaſterio
probare conabantur, quòd in iudicio poſſeſſo-
rio Retinendæ, non datur ſuſpenſio iuriſdictio-
11. nis in petitorio, & maximè in hac cauſa, cùm ab
vna parte fuerit intentatum petitorium, * & ab
alia parte poſſeſſorium, quo caſu procedendo
ſuper vtroque, non ſuſpenditur iuriſdictio. Bart.
*in dicto* §. *nihil commune n.*26. Ripa *num.*164. Cro-
tus *conſ.*105. *num.*3. *lib.*1. Menochius *de retinend.*
12. *remedio* 3. *num.*533.

* adde Rotā diuerſ. p. 1. dec.351.n.4. & 349.n.2.& part.2. lib.3. dec 744.

13. Quoniam iſti (& præſertim Ripa *dicto n.*164.)
loquuntur, quando priùs fuit à ſe, vel ab alio in-
tentatum: ſecus autem eſt, quando actor priùs
intentauit remedium retinendæ: nam tunc pe-
titorium ſuſpendere poteſt, & impedire, ac pro-
teſtari, ne reus audiatur in petitorio. Ripa *in*
*dicto* §. *nihil commune, num.*98. *&* 99. Fabius Ac-
corambonus *num.* 60. vbi dicit magis commu-
nem, Rubeus *num.* 174. Socinus iunior *n.* 132.
Alciatus *num.*14. Natta *conſil.* 419. *num.*5. *lib.*2.
Menochius, (qui hanc dicit magis communem),
*de retinend. remedio* 3. *numer.* 675. *verſ. ſecundò*
*itaque.*

Iſte autem videbatur caſus propoſitus, cùm
Monaſterium priùs intentauerit poſſeſſorium,
& deinde incolis de la Garda volentibus dedu-
cere petitorium, reſtiterit proteſtando, quòd per
nullum actum cenſeretur deductum petitorium,
quod per omnia ſuſpendebat, & ſuſpenſum eſſe
volebat.

Minus obſtat dicere quòd Monaſterium re- 14.
ceſſerit à proteſtatione, & ſuſpenſione exami-
nando teſtes, ex quibus conſtabat de petitorio:
nam ex quo probationes præſumebantur fa-
ctæ, ad colorandum poſſeſſorium intentatum,
non autem ad inducendum iudicium petito-
rium, per inductionem teſtium, non videbatur
receſſum à dicta ſuſpenſione, & proteſtatione,
Gozadinus *conſ.* 10. *num.*33. Contardus *in dicta*
*l. vnica. C. ſi de moment. limitatione* 2. *ratione mixtu-*
*ræ*. §.9. *num.*16. *&* 24.

Neque ex iſto actu examinis teſtium induci-
tur tam clara renunciatio ſuſpenſionis petitorij,
vt non potuerit fieri ad alium finem, cùm in iſta
cauſa, (vt dictum eſt) tenderet ad colorandum
poſſeſſorium, ab initio intentatum, licèt anti-
qua poſſeſſio articularetur: &, quod vulgo dici- 15.
tur, ſuſpendentem petitorium poſſe recedere à
ſuſpenſione, in ſuum fauorum inducta, procedit
quando conſtat * de receſſu, de quo non appa-
ret in caſu propoſito.

* adde Seraphin. dec. 458.

Prædictis accedebat, nam cùm laicus non ſit 16.
competens * iudex Clerici, poſtquam Mona-
ſterium intentauit ſolum poſſeſſorium, coram
iudice laico, deinde coram eodem, inuito Mo-
naſterio, non potuit ab incolis deduci petito- 17.
rium, ſed debuit adiri iudex Eccleſiaſticus, Affli-
ctus *deciſ.*155.

* adde Seraphin. dec. 957.n.3.& 4.

Iure etiam videbatur, nunc diffiniri contra
Monaſterium, nempe non probare teſtes in pe-
titorio ad eius fauorem, cùm Monaſterium ab
initio petitorium deducere noluerit, vt legem
quam tulit in alium, in ſe pateretur. *l.* 1. *ff. quod* 18.
*quiſque iur.* Afflictus *deciſ.* 66. Puteus *deciſ.* 434.
*num.* 4. *lib.* 2. præſertim cùm per eundem non
poſſit ſimul intentari petitorium, * & poſ-
ſeſſorium retinendæ, quia ſibi ipſi contradice-
ret. Crotus *conſ.*105. *num.*1. *lib.*1.

* adde Rotā recen. p. 2. dec.698.n.1. & ſeq.& 517. n.1.

Tandem, Domini ex eo etiam teſtium exa-
men Monaſterio minimè ſuffragari dixerunt, 19.
quia fuit nullum ex quo Communitas de la
Garda non fuit citata ad videndum iurare te-
ſtes. *leg. ſi quando*, vbi communiter Docto-
res. *C. de teſtibus, cap.* 2. vbi Baldus, & Ab-
bas *numer.* 7. *de teſtibus*, fuit nuper reſolutum
coram Domino meo Blanchetto 27. Nouem-
bris proximi præteriti. Vnde factum etiam exa-
men ſine interrogatoriis partis aduerſæ, meritò
corruebat.

*Toletan.*



## *Toletan. Parochialis de Mazarambroz.*

### Lunæ 16. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Teſtes intelligi debent in ſuis dictis, ne ſibi contradicant, & diuiſionibus, & diſtinctionibus adiurari.*

3 *Contrarietatis euitandæ cauſa, in teſtibus accipitur impropria ſignificatio.*

4 *Teſtium dicta non ſunt cauillanda, ſed potiùs coadiuuanda.*

5 *Teſtes ſuſpecti de falſo, non probant.*

6 *Teſtis varius debet conciliari, non vt probet, ſed vt non incidat in falſitate.*

7 *Teſtes duo quando reperiuntur conteſtes, alij debent reduci ad concordiam ad effectum, vt probent.*

### DECISIO CXCIV.

1. DIdacus del Aquila de ann. 1589. commit-
tens cauſam ſpolij iſtius Parochialis, con-
tra Franciſcum del Aquila articulauit valorem
illius annum, deductis oneribus, & expenſis eſſe
octingentorum ducatorum auri de Camera,
quem valorem probauit etiam per duos teſtes,
quos in Curia examinari curauit. Didaco mor-
tuo, Melchior de Canales in ius Didaci Apoſto-
lica auctoritate ſubrogatus, narrauit fructus,
redditus, & prouentus iſtius Parochialis, & illi
annexorum, non excedere valorem annuum ſex-
centorum & ſexaginta ducatorum auri de Ca-
mera, pro qua narratiua verificanda, eoſdem
duos teſtes examinauit, qui conformiter depo-
ſuerunt, quòd licèt aliàs in eadem cauſa, & ſu-
per eodem valore, teſtificati fuerint, valorem
annuum eſſe ſcutorum mille monetæ Hiſpaniæ,
nunc tamen declarant eſſe ducatorum ſexcen-
torum & ſexaginta.

Et quia in dubio quod propoſui, an gratia
Melchioris eſſet iuſtificata, tota difficultas re-
dacta erat ad valorem; nam de cæteris qualita-
tibus non erat controuerſia, quin forent iuſtifi-
catæ, Domini etiam quoad valorem gratiam
Melchioris iuſtificatam eſſe cenſuerunt.

* vide infrà dec.216.n.1.

2. Nec teſtes ſibi contradicebant, ex quo di-
ctum quiſque ſuum legitimè declarabat, dice-
bant enim in priori depoſitione depoſuiſſe de
valore octingentorum, * ſeu mille ducatorum
monetæ Hiſpaniæ, computatis incertis, veluti
primitiis, & emolumentis prouenientibus à pe-
de Altaris, & aliis ſimilibus; his tamen demptis,
non excedere valorem per Melchiorem narra-
tum: quo caſu ſtandum eſt teſtium declaratio-
3. ni, præſertim cùm ſit veriſimilis: ſic enim teſtes
intelligi debent, ne ſibi contradicant, † ac etiam
diuiſionibus, & diſtinctionibus adiuuari, Bart.
*in prima C. conſtitutione, num.*13. latè Iaſon *in l. ait*
*prætor* la 1. §. *iurari, num.*19. *& ſeqq. ff. de iureiuran.*
multo magis videtur eorum interpretatio reci-
pienda: nam cauſa contrarietatis euitandæ,
etiam in teſtibus accipitur impropria ſignifica-
tio, * Bart. *in l. Lucius*. §. *quæſitum. ff. de legat.*3. So-
cinus ſenior *in l. ſed & in illo*. §. *ſin. num.* 3. *&* 4.

† adde Ludouiſ. deciſ. 309. n. 2. & 344.n.14. & 351.num.38. Durand.dec. 90.n.7.Seraphin. deciſ. 862.n.2.

* adde Ludouiſ. deciſ. 330.n.1.& 9. & 558. n. 7. & ferè per totā, & dec. 578. n. 7. & quando reduci ad concordiam non poſſint, Lud. dec.298.

*de reb. dub.* præſertim cùm dicta teſtium non 4.
ſint cauillanda, * ſed potiùs coadiuuanda. Ale-
xand. *conſil.*5. *num.*12. *lib.*1. *& conſil.*186. *num.*4.
*lib.*7.

* adde Seraph. deciſ. 241.n.3.Rotam recen p. 1. deciſ.147. n.27.

Non obſtat, ſi dicatur iſtos teſtes videri ſu-
ſpectos de falſo, & ideò non probare, † cùm ſu-
ſpicio falſi, ad inualidandam probationem pro 5.
falſitate habeatur, Riminal. ſenior *conſ.*145. *n.*9.
Decius *conſil.*448. *num.*28. Ruinus *conſil.*35. *n.*9.
*lib.*4. Decianus *conſil.*15. *num.*57. *lib.*1. nam dice-
batur quòd cùm poſſint conciliari, & ipſi ſeipſos
interpretentur, * ceſſat falſitatis ſuſpicio.

† nam teſtis varius non probat. Rota recē.p.1.dec. 167.n.10.

Ad illud, quod tametſi verum ſit, teſtes varios 6.
deberi conciliari, id procedere, non vt probent,
ſed ne incidant in pœnam falſi. Alexand. *conſ.*73.
*num.*2. *verſ. & licèt teſtes, & conſ.*116. *num.*1. *verſ.*
*quinimo quando ſunt duo, lib.*1. Domini reſponde-
bant, primò id non habere locum, cùm ipſemet
teſtis tempore depoſitionis declaret dictum 7.
ſuum, præterea teſtes etiam ad effectum, vt pro-
bent, debere reduci ad concordiam, * quando
reperiuntur plures conteſtes, ſaltem duo. *c. cùm*
*tu, de teſtib.* licèt ſecus foret, ſi duo tantùm eſſent
adeò ſibi contrarij, vt conteſtes eſſe non poſ-
ſent. Alexand. *conſil.*143. incip. *Quoniam abundè,*
*num.*3. *verſ. accedit, quia, lib.*2. In facti ſpecie pro-
poſita, iſti duo teſtes ex eorum declaratione
ſic conciliari poterant, vt eos eſſe conteſtes ne-
gari non poſſet.

* quod extende etiam impropriando verba Ludouiſ. deciſ. 252.n.11.

† adde Ludouiſ. deciſ. 230.n.1. vbi ad propoſitū allegat hanc deciſ.

## *Spoletana bonorum.*

### Veneris 20. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

2 *Rota in cauſis quæ proponit, non ſolet in abſtracto dubia proponere, vel decidere.*

4 *Poſſeſſio anterior, potentior eſt poſteriore.*

5 *Poſſidere duo in ſolidum eandem rem, non poſſunt.*

6 *Reus ad excludendam intentionem actoris, clarè, & concludenter debet probare ſuam exceptionem.*

7 *Inſtrumenta in facto antiquo plus probant, quàm teſtes.*

8 *Probatio nulla eſt tam fortior, quàm per inſtrumenta.*

9 *Iuriſdictionis poſſeſſionem demonſtrat collectarum exactio.*

10.11 *Ius protectionis iuriſdictionem non tribuit, & num.*18.

12 *Collectarum onera non tenentur ſoluere, qui ſunt ſub populi protectione, niſi ſpecialis acceſſerit obligatio.*

13.14 *Ex poſſeſſione de præſenti non infertur ad de præterito, quando præſens ſtatus habet contra ſe veritatem alicuius præcedentis ſtatus.*

15 *Poſſeſſio non probatur per locationem contra tertium.*

16 *Iudicium, & Prætorum deputatio, eſt actus iuriſdictionis.*

17 *Iuriſdictionis ex probatione non infertur ad dominium, vel poſſeſſionem terrarum, & montium oppidi vbi exercetur.*

19 *Dictio*, ſemper, *includit omne tempus.*

20 *Oratio quæ ſumitur ex ſigno vniuerſali, ſi*

in

*in vno reperitur falſa, in totum redditur falſa.*

21 *Probatio in ſpecie, excludit contrariam in genere.*

## DECISIO CXCV.

1. * de hac cauſa pluries fuit actũ ſuprà deciſ. 23. 29. 41. 42. 43. 49. 62. 65. 90. 95. 110. 187. 110. 120. 122. 136. 140. & habetur præſens deciſio in recen. dec. 24. p. 1.

† ſuprà dec. 146.

IN hac cauſa, poſt aliquot reſolutiones factas ad fauorem * Eccleſiæ, pro parte communitatis Spoleti porrecto memoriali in Rota, fuit petitum, diſputari ſequens dubium, an ex teſtibus, & iuribus pro parte communitatis adductis, probaretur ciuitatem ſemper poſſediſſe montes, & terras laboratiuas, de quibus agebatur. Et domini ſub die 27. Maij proximè præteriti † ordinarunt, quòd diſputaretur dubium petitum, additis tamen (more Rotali) illis verbis, ad effectum de quo agebatur, quia Rota in cauſis quæ proponuntur, non ſolet in abſtracto dubia proponere, vel decidere.

2. Effectus verò potiſſimus tendebat ad hoc, an per iſtam communitatis probationem, ſic de illius bono iure conſtaret, vt quæ hactenus deducta fuerant pro Eccleſia, ei non ſuffragarentur, verba enim propoſiti dubij, & præſertim illa dictio, *ſemper*, inibi ex induſtria propoſita, eò referebantur, vt vel continuata communitatis poſſeſſio, vel anterior poſſeſſione Eccleſiæ probaretur, quod ſi concludere potuiſſet communitas, parum Eccleſiæ ſuæ probationes profuiſſent.

3. Poſtquam ergo quater fuiſſet iſtud dubium propoſitum, nempè ſub die 26. Iunij, & 2. Decemb. & 9. Decemb. anni præſentis, tandem ſub die 20. Decembris, vtraque parte informante, Domini cenſuerunt, communitatem non probare ſuam intenſionem ad effectum de quo agebatur. Alterum enim ex duobus fuerat à communitate concludenter probandum, vt ſua ſe probatione tutò munirent, vel quòd Eccleſia nunquam poſſederit, vel ſaltem, quòd communitatis poſſeſſio fuerit anterior. *deciſ. vlt. de reſtit. ſpoliat. in nouis.*

4. quorum neutrum communitas præſtitit, non primum: nam firmiter ſtabilitum manere dictum fuit, quod de poſſeſſione Eccleſiæ, iam ante annum Domini 1230. ſub die 26. Martij 1590. deciſum fuerat, * non ſecundum, nam ex iuribus à communitate productis, conſtabat de initio poſſeſſionis ipſius, vnde ſequebatur eam non ſemper poſſediſſe, & eius poſſeſſionem Eccleſiæ poſſeſſione fuiſſe poſteriorem: nec potuit iſta poſſeſſio eſſe ſimultanea, cum poſſeſſione Eccleſiæ: nam duo * non poſſunt in ſolidum eodem tempore poſſidere. *l. 3. §. ex contrario. ff. de acquirend. poſſeſſ. l. ſi vt certo, §. ſi duob. ff. commodat.* Corneus *conſil. 35. n. 13. lib. 1.*

* ſuprà dec. 96.

5. * adde Coc. dec. 309. n. 2. & 388. n 9. & 394. n. 7. & 406. n. 2. & 481. n. 3. & eſt communis concluſio.

6. Præterea cùm communitas rea veniat ad excludendam intentionem Eccleſiæ actricis, clarè & concludenter debet probare ſuam exceptionem, ad excludendum primum extremum ab Eccleſia probatum, Bart. Alexand. & communiter Doctores *in l. non ſolùm §. ſicut probari. ff. de oper. noui nunt.* Creſcentius *deciſ. 302.* incip. *Spoliator*, aliàs eſt 20. *tit. de probat.* in impreſſis.

Probatio communitatis facta per teſtes deponentes, ciuitatem ſemper poſſediſſe, non fuit iudicata clara, & certa, cùm teſtibus repugnarent inſtrumenta ab Eccleſia producta, quibus * cùm verſemur in facto antiquo, & hominum memoriam excedente, magis eſt credendum, quàm teſtibus: nulla eſt enim fortior probatio, quàm per inſtrumenta. † Baldus *in cap. cauſam num. 3. de probatio.* Socinus ſenior *conſil. 187. n. 18. lib. 2.* Craueta *conſil. 154. num. 15.* Decius *conſ. 146. num. 14.* Pariſius *conſ. 104. num. 46. lib. 1.* Roland. *conſ. 2. num. 59. lib. 1.*

* adde Duran. dec. 453. n. 6. vbi plures allegat. Mantic. dec. 24 n. 5. Coc. deciſ. 235. n. 17.

7.

8. In hac verò cauſa anteriorem Eccleſiæ poſſeſſionem probare videbantur antiqua inſtrumenta, primum Gregorij IX. ſub anno 1231. numerantis caſtra (de quibus agitur) inter bona Eccleſiæ: alterum Bonifacij Octaui de ann. 1300. diſmembrantis bona ab Eccleſia, vnde præſupponitur, illam penes Eccleſiam tunc extitiſſe, ſicut fuit conſideratum in hac cauſa in deciſione facta ſub die 26. * Martij 1590. conferebat etiam factum cuiuſdam Raynerij Vicepapæ, (alias à communitate allegatum) qui tempore Alexandri IV. ad ann. 1259. ciuitati Spoleti, ob inſignem eius deuotionem in Sedem Apoſtolicam, Abbatiam S. Petri de Ferentillo, vnà cum eius bonis donauit, hæc enim ſatis oſtendunt, & poſſediſſe Eccleſiam, & anteriori tempore poſſediſſe.

† nam faciũt probationẽ probatã. Duran. dec. 128. n. 12. & dec. 158. n. 1. & 185. n. 1. & 211. n. 1. & eſt certa cõcluſio admiſſa per Rotam & DD.

* ſuprà dec. 96. n. 5. & 6.

Neque prædictis obſtare videbantur deducta pro communitate: ac primum, non illud quod ex inſtrumentis, de quibus in ſummario ciuitatis *num. 1. & 2.* patebat, ciuitatem de annis 1360. & 1361. & 1372. & 1373. impoſuiſſe, ac exegiſſe collecta à communitatibus caſtrorum Rigouiti, & Petani; cùm imponere, & exigere collectas demonſtret poſſeſſionem iuriſdictionis. * Bald. *in l. data opera, num. 28. qui accuſ. non poſſ.* Ruinus *conſ. 2. num. 4. lib. 4.* Natta *conſ. 672. num. 1. & 2. lib. 4.*

9. * adde Caual. dec. 161. n. 5. Ludouiſ. dec. 487. n. 4.

10. Quoniam reſpondebatur, primum veriſimile eſſe, poſſeſſionem communitatis initium habuiſſe à pactis, ſeu conuentionibus contentis in inſtrumento, quo ſe de anno 1306. homines Rigouiti liberè commiſerunt fidei, & tutelari patrocinio ciuitatis Spoleti, quo licèt non tribueretur Spoletanis poſſeſſio, nec facultas locandi, aut collectandi, *l. 2. ff. de iure immunit.* Curtius iunior *conſ. 286.* incip. *Habita diligenti, num. 22. lib. 3.* curſu tamen temporis paulatim, & tentari, & obtineri in omnibus parum potentibus potuit: cùm protectionis * eius quod iuriſdictionem, poſſeſſionem, vel dominium non tribuit, ſed clientes in protectionem, & tutelam receptos defendere tenentur recipientes. *Authen. de de hæredit. & falcid. §. 1. cap. imperialem, de prohibita feud. alien. per Federicum*, ſæpe plus æquo extendatur, & ad quæſtum, atque priuatam vtilitatem transferatur. Andreas Gail *lib. 2. practicarum obſeruat. 54. obſeruatione.*

11. * adde Ludouiſ. dec. 4. n. 3.

12. Ad iſta enim collectarum onera, niſi ſpecialis acceſſerit obligatio, non tenentur populi ſub protectione recepti; vt in terminis receptionis communitatis Montis Franchi, ſub protectione ciuitatis Spoleti, conſuluit Barth. *conſ. 59.* incip. *Commune Spoleti conceſſit.*

13. Accedebat præterea, quia cùm prima impoſitio collectarum memoretur fuiſſe de ann. 1440. quamuis ex iſtis argueretur poſſeſſio ad fauorem communitatis Spoleti, ea non poſſet ei ſuffragari, cùm de anteriori Eccleſiæ poſſeſſione conſtaret, quando probatur antiquior communitatis poſſeſſio: nam quando præſens ſtatus habet



habet contra ſe veritatem alicuius præcedentis ſtatus, ex poſſeſſione * de præſenti, non infertur ad poſſeſſionem de præterito, Bartolus, Iaſon, Alexand. & alij *in l. ſi prius. ff. de noui oper. nunt.* Alexand. *conſil. 81. num. 3. lib. 7.* Vnde ex iſtis non poteſt probari poſſeſſio antiquior poſſeſſione Eccleſiæ.

* vide Durand. dec. 91. n. 5.

14. Ob eandem rationem dictum fuit, non obſtare inſtrumenta locationum factarum à ciuitate Spoleti de territoriis, & paſcuis caſtrorum Rigouiti, & Petani de annis 1440. & 1442. & 1443. & 1457. & aliarum diuerſis temporibus iteratarum (prout in ſummario Spoletan. *n. 3.*) quaſi ex iſtis arguatur vera, & legitima poſſeſſio. Socinus *conſil. 187. num. 16. lib. 2.* Crauetta *conſ. 54. num. 10.*

Quoniam licèt inſtrumenta eſſent antiqua, & celebrata eo tempore, quo nullus erat futuræ litis timor, nihilominus, cùm locationes fuerint factæ poſt ſuſceptam protectionem, ſpolium potius arguebant, quàm legitimam poſſeſſionem: rurſus tametſi (ſine veri præiudicio) concederetur ex illis probari poſſeſſionem, non tamen probatur de anteriori tempore, & ideo non poteſt inde concludi, ciuitatem ſemper

15. poſſediſſe; iſtis etiam accedebat, quia per locationem * non probatur poſſeſſio contra tertium, *cap. inter dilectos, de fide inſtrument.* Gabriel *concluſ. 4. num. 1. de locato.*

* nam præter locationem ad hunc effectũ probanda eſt effectuatio & perceptio fructuũ Durand. deciſ. 212. n. 18. & 220. n. 2. & 269. n. 1. & requiruntur alia adminicula Coccin. dec. 161. n. 4.

Item fuit reſponſum, non obeſſe Eccleſiæ, quod prætendebatur de immemorabili ciuitatis poſſeſſione conſtare, ex 52. deputationibus prætorum, ſiue poteſtatum in dictis caſtris Rigouiti & Petani à ciuitate factis ab ann. 1360. vſque ad annum 1538. (de quibus in ſummario Spoletan. *num. 4.*) cùm deputare iudices, & Prætores in caſtris, & territoriis ſit poſſidere, vt hîc per informantes pro ciuitate.

16. Quoniam iſta iuriſdictionem, & protectionem ipſius ciuitatis, non poſſeſſionem terrarum, & montium arguebant; nam ex probatione iuriſdictionis non infertur ad probationem

17. poſſeſſionis, & dominij * terrarum, & montium exiſtentium ſub protectione ciuitatis. Gabriel *de præſumpt. concluſ. 9. num. 4.* Crauetta *conſil. 54. num. 9.* Afflictus *deciſ. 267. num. 4.* Curtius iunior *conſil. 158. num. 25. lib. 2.* & cùm iſtæ deputationes de certo tempore enuntientur, de illo tantùm ſunt accipiendæ, non ad aliud anterius, vel antiquius extendendæ, vnde non poteſt verè dici, ciuitatem ſemper poſſediſſe.

* Seraphin. dec. 281. n. 8.

In hac verò facti ſpecie dubitationem, (ſi qua contingere poterat) tollebat inſtrumentum receptionis in protectionem, ex quo apparebat, Syndicum ciuitatis Spoleti de ann. 1306. ſub die 25. Maij, & eodem anno ſub die 4. Iunij, in ſuam clientelam, & protectionem homines Rigouiti ſuſcepiſſe, ſaluo, & reſeruato ſemper honore, & iure Monaſterij Sancti Petri de Ferentillo, & ſacroſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis, ex quibus etiam colligebatur, de illo tempore Eccleſiam poſſediſſe.

Atque ex eadem prorſus cauſa receptionis in protectionem, deſcendebat penſitatio cerei librarum 15. & librarum 16. quem in eiſdem inſtrumentis præfati homines Syndico Spoletano ſoluere promiſerunt.

Minus obſtare iudicata fuerunt inſtrumenta inueſtiturarum, factarum à ciuitate hominibus caſtrorum Polini, Caſerioſæ, & Abbatiæ de anno 1529. & 1530. in quibus præfati homines confitentur, territoria eſſe ciuitatis: nam iſta ad vltimum ſpolium pertinere viſa ſunt: ſicut & alia tria inſtrumenta de ann. 1535. quibus ciuitas conſtituit Procuratores, ad vendendum molendina, & territoria Rigouiti, & Petani: nam de eo tempore iam fuerat commiſſum ſpolium de terris etiam laboratiuis, cùm Eccleſia probauerit, tempore direptionis vrbis ſe eas poſſediſſe.

Inſtrumenta ſuper ſolutione modiolorum ex terris laboratiuis de ann. 1529. & 1530. potiùs videbantur facere contra ciuitatem Spoletanam, cùm in illis dicatur homines ibidem nominatos, per tempora multa dictas terras coluiſſe, & nihil ciuitati culturæ, vel alterius penſitationis nomine perſoluiſſe, tunc tamen promittere ſe ſoluere bolonenos octo pro ſingulis modiolis: ex quibus infertur, ciuitatem antea non poſſediſſe. Iſta verò teſtium ex aduerſo productorum, deponentium ſemper audiuiſſe, & vidiſſe ciuitatem percipere modiolos ex præfatis inſtrumentis de ann. 1529. & 1530. declarantur, non enim poſſunt extendi vltra dictos annos, cùm tunc fuerit cœpta ſolutio modiolorum, atque eadem eſt cataſtri ratio: nam poſt annum 1529. & 1530. non antea cœptum fuit cataſtrari.

Omnes præterea actus pro parte ciuitatis producti, ad docendum de ſua poſſeſſione, eò potiſſimum nomine iudicabantur ſpoliatiui, quia contigerunt, poſtquam ciuitas homines Rigouiti ſuſcepiſſet in ſuam protectionem de dicto ann. 1306. nam ciuitas ante iſtum annum nullos legitimæ poſſeſſionis actus oſtendit: iſti autem actus, ex quo homines ſub protectione ſuſcepti, expreſsè ſe ad illos non obligarunt, nec legitimè fieri, nec eius aliquot 18. ciuitati tribuere potuerunt. Barthol. *in dicto conſil. 59. in fine.*

Ad teſtes quoſcumque pro ciuitate productos, indiſtinctè teſtificantes, ciuitatem ſemper poſſediſſe, dicebatur primum, quòd ſi acciperentur, de quocumque tempore etiam ante annum 1231. manifeſtè falſum reddebatur eorum dictum, ex antiquiſſimis inſtrumentis probantibus anteriorem Eccleſiæ poſſeſſionem: ideoque non poteſt ciuitas dici ſemper poſſediſſe, maximè cùm dictio *ſemper*, includat omne tempus. *l. 1.* cùm *ibi* notatis. *ff. ſolut. matrim.* & oratio quæ ſumitur ex ſigno vniuerſali, ſi in vno reperitur falſa, in totum reddatur falſa. *l. ſi is qui ducenta. §. vtrùm. ff. de reb. dub.* & probatio in ſpecie, * excludat contrariam probationem in genere. *l. cùm de indebito, & ibidem* notat Bart. & Paulus de Caſtro, *ff. de probat.*

* adde Rotam recen. p. 2. dec. 299. n. 3.

Reſpondebatur etiam, iſtos teſtes non percutere tempus ante poſſeſſionem Eccleſiæ, cùm eorum depoſitiones verificentur, in ſpacio centum annorum. Alexand. *conſil. 16. num. 16. lib. 5.* & longè ante iſtud tempus Eccleſia poſſidebat.

Ad teſtes vltimo loco de anno præterito vigore Remiſſoriæ examinatos, facilè patebat reſponſio;

ſponſio : nam verum eſt, quod dicunt, ciuitatem ſemper poſſediſſe, poſtquam Eccleſia, propter commiſſum ſpolium, deſiit poſſidere, de cuius anteriori poſſeſſione conſtitit ſufficienter.

Quòd ſi vlteriùs contenderetur, eorum dictum præciſè fore intelligendum, nempe ciuitatem, *ſemper*, id eſt, quocumque tempore ante Eccleſiam poſſediſſe, tunc manifeſtè conuincerentur mendaces, ex antiquiſſimis documentis, vt fuit dictum; nonnulli verò ex eis ſatis ſuum dictum interpretabantur, dum deponebant, ciuitatem ſemper poſſediſſe ab eorum recordatu.

Poſtremò non obſtabant dicta duorum teſtium pro Eccleſia examinatorum, nempe ſecundi, & 11. quorum ille ætatis 64. annorum iuxta 42. ait, ſemper à ſuo recordatu ſe vidiſſe per communitatem Spoleti poſſideri montes Petani, idemque à ſuis maioribus audiuiſſe; vndecimus verò ætatis 54. annorum, iuxta 48. dicit per ſex ætates, ciuitatem poſſediſſe montes Rigouiti, & Petani.

Quoniam fuit vnico verbo reſponſum, in hac cauſa duplex diuerſis temporibus fuiſſe commiſſum ſpolium, vnum recens de terris laboratis poſt vrbis direptionem, poſt annum 1527. alterum antiquius, ſeu vetuſtius, de montibus, & paſcuis non multò poſt receptos incolas Rigouiti, ſub protectione Spoletanorum de anno 1306. poſt quod vetus de montibus ſpolium, ſemper ciuitas montes iſtorum oppidorum poſſedit, vt iſti duo teſtes affirmant : non tamen concludunt, quin priùs Eccleſia poſſederit.

Atque ex his fuit concluſum, ciuitatem non probare ſuam intentionem, ad effectum de quo agitur; videndum tamen, an ſuperſit aliquid releuans, ſuper quo meritò audiri debeat.

20. In teſtibus examinatis de anno 1535. inter ciuitatem Spoleti, & communitatem Monteleonis, ſuper nonnullis confinibus Rigouiti occupatis à præfata Monteleonis communitate, Domini non fecerunt aliquod fundamentum, tum quia inter alios examinati, non poterant Eccleſiæ præiudicare, tum præterea, quoniam multas nullitates pati dicebatur eorum examen, ex quo fuerunt examinati ad inſtantiam ciuitatis abſque citatione, & interrogatoriis illorum de Monteleone, nec eorum examen nunc productum erat in forma probanti.

21. Similiter in aliis teſtibus examinatis ab eadem ciuitate de anno 1568. non fuit factum fundamentum; quia fuerunt examinati in alia cauſa agitata inter ipſam ciuitatem, & communitatem Ferentilli, qui propterea non potuerunt Eccleſiæ præiudicare, vltra quod iſti teſtes ſolùm probant ciuitatem iſta bona tenuiſſe, quod verificatur in tempore poſt commiſſum ſpolium, præſertim cùm dicant à 40. annis circiter, ſe vidiſſe accataſtrari, & menſurari iſta loca, & ab inde citra ciuitatem recepiſſe modiolos, quia prius nil accipiebat : quare loquuntur poſt ann. 1529. quo tempore cœpit ſolutio modiolorum, poſt ſpolium commiſſum.

## *Carthaginen. Portionis.*

### Veneris 20. Decembris 1591.

SVMMARIVM.

*Gratia,* ſi neutri, *habet duas conditiones, ſcilicet ſi beneficium vacat, & ſi neutri ius competat.*

## DECISIO CXCVI.

AD ſatisfaciendum voluntati Melchioris de Ciſneros aſſiduè petentis proponi dubium, quæſiui, an gratia, *ſi neutri*, eſſet iuſtificata, & intraret. Et Domini tenuerunt eam non intrare : nam talis gratia habet duas conditiones, ſi beneficium vacat, * etſi neutri ius competat. Puteus *deciſ.* 47. *lib.* 1. hîc primum deficiebat prima conditio, quia beneficium non vacabat : nam Melchior impetrauit iſtam portionem de ann. 1586. tanquam vacantem per obitum Ioannis Mancebi, longè antea defuncti de ann. 1575. de quo tempore Rodericus Garcia fuerat in ius Ioannis Mancebi ſubrogatus, cum noua prouiſione : vnde, cùm Rodericus impetrauit de anno 1575. per obitum Mancebi, non potuit Melchior per obitum eiuſdem de ann. 1586. ampliùs illam capere, cùm tunc verè non vacaret. Deficiebat etiam hîc ſecunda conditio, quia Rodericus non habuiſſet ius vigore ſubrogationis in ius Ioannis Mancebi, habebat præterea ceſſionem à Thoma de Gani, qui portionem iſtam à Sede Apoſtolica impetrauerat, item Rodericus ſpatio decem annorum pacificè eam poſſederat : ex qua decennali poſſeſſione præſumitur ſuperueniſſe nouus titulus validus, qui ius Roderico tribuerat. Placuerunt etiam Dominis aliæ rationes adductæ per informantes pro Roderico Garzia.

* adde Rotam recen. p. 2. dec. 726. n. 1. & 196. n. 1. Verall. dec. 42. n. 3. p. 2. Pute. deciſ. 48. aliàs 46. num. 3. in corr. lib. 1.

Et quia cauſa erat diu ventilata, & ſatis conſtabat de non bono iure Melchioris, ordinatum fuit, quòd cauſam expedirem ad fauorem Roderici, vt autem conſulerem paupertati Melchioris, vt euitaret expenſas, tam factas in Rota, quàm in aliis tribunalibus, in quibus Melchior Rodericum accuſauerat de ſimonia, & confidentia, curaui vt cederet liti, & cauſæ, ſicut fecit, vnde viciſſim Rodericus omnes illi expenſas condonauit.

## *Bononien. Donationis.*

### Die 23. Decembris 1591.

## DECISIO CXCVII.

VIgore reſcripti Papalis decreui mandatum executiuum pro ſumma ſcutorum mille, ad fauorem Domini Ludouici de Felizinis, cuius vigore idem Ludouicus fuit immiſſus in poſſeſſionem montium pro dicta rata, fuerunt etiam vigore litterarum compulſorialium, per partitas Camploni liquidati fructus ſupradictorum locorum per D. Annibalem poſſeſſorum : & cùm ſuper liquidatione vellem pronunciare, nouus Procurator in iſta cauſa cœpit excitare quædam dubia, iam reſoluta in tribus ſenten-



ſententiis, in iſta cauſa * latis, & ſignanter in duabus deciſionibus coram me factis ſub die 20. Nouembris 1589. * in qua plenè fuit ſatisfactum omnibus obiectionibus, quæ fiebant pro parte D. Annibalis Dayneſij, & in alia ſub die 7. * Maij ann. 1590. in qua fuit dictum, donationem factam per Franciſcum de Turchis D. Ludouico Felicino, non fuiſſe inofficioſum; quibus conſideratis cum illa, quæ modò proponebantur, inde ſatis remanerent ſublata, cenſui cauſam expediendam iuxta ordinem Dominorum, qui mihi iniunxerant, vt eam expedirem, ſi nihil ex aduerſo releuans proponeretur. Viſis itaque, & calculatis partitis fructuum perceptorum ab ann. 1578. ſub die 5. Martij vſque ad ann. 1588. & diem 14. eiuſdem anni, tulit ſententiam liquidatoriam in ſcutis auri in auro mille & ſeptuaginta; licèt calculus aſcenderet ad ſcuta auri in auro mille octoginta cum dimidio, & ſolidos vndecim, & denarios vndecim.

* ſuprà dec. 31. 33. & 56.

* ſuprà dec. 36.

* ſuprà dec. 127.

## *Peruſina bonorum.*

### Lunæ 17. Februarij 1592.

Domini non ſteterunt in iſta reſolutione : ſed quia D. Pyrrhus Bagleonus renũciauit ſcientiæ, non fuit hæc dec. reuocata quę viſo meliùs facto reuocata fuiſſet ex nouiter conſideratis.

SVMMARIVM.

1 *Procuratore non reperto in loco, ſi dominus eſt præſens citari debet.*

2 *Sententia eſt nulla ex defectu citationis, & ideo appellabilis, num.* 3.

4 *Attentatum eſt, quod geritur intra tempus ad appellandum.*

## DECISIO CXCVIII.

1. DOmini dixerunt, ſententiam fuiſſe nullam ex defectu citationis, nam licèt vnus ex Procuratoribus fuiſſet citatus, per diligentias factas à curſoribus, cùm Romæ adeſſet D. Genebra principalis, illa citari debuit, quia Procuratore non reperto, ſi dominus eſt præſens, citari debet. * Baldus *in cap. in nomine Domini, num.* 14. *verſ. niſi Procurator, de teſtib.* Franc. *in cap. ſi quem.* §. 1. *num.* 3. *verſic. vltimò nota, de Procuratoribus, lib.* 6. Boërius *deciſ.* 285. *num.* 5. *verſ. ſed limita illam concluſionem.* & cùm ſententia fuiſſet nulla, ex defectu citationis, † ac ideo ap-
2. pellabilis. Berous *conſil.* 110. *num.* 11. *lib.* 3. quod illius vigore geſtum fuit intra decendium * ad appellandum à iure præfixum, attentatum fuit, *cap. non ſolùm,* vbi gloſſ. & Doctores, *de appellat. lib.* 6. Iaſon *in l.* 3. §. *ſi ſeruus, num.* 13. *de acquirend. poſſeſſ.* Alexand. *conſ.* 99. *n.* 3. *lib.* 5.

* quod etiã extẽde ſi adſit in loco alius procurator, vt per Caual. deciſ. 35. n. 3. quibus adde Seraphin. dec. 1352. n. 4. vbi præſens deciſio allegatur.

† adde Coc. dec. 45. n. 1. & 79. n. 7. & 81. n. 2. & 83. n. 2. & 466. n. 3. & Ludouiſ. dec. 4. n. 1.

Nec obſtat, quòd non fuerit itum ad iudi-
3. cem pro Apoſtolis, quaſi ita videretur tacitè appellationi renunciatum, ſeu appellationem deſertam : nam etiam iſto caſu poſſe attentata reuocari voluit Boërius *deciſ.* 256. *num.* 3. Lapus *allegatione* 1. *num.* 11. qua nullitate ſtante non habuit locum Ægidiana, & ideo fuit concluſum, quòd Domina Margarita per dimiſſionem poſſeſſionis, quam infra decendium acceperat,
4. purgaret attentata.

* adde Coc. dec. 265. n. 3. Durand. dec. 86. num. 12. & 313. n. 4. Ludouiſ. deciſ. 339. n. 6. Caual. dec. 211. n. 3.



## *Pampilonen. Sepulturæ.*

### Lunæ 17. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Ius funerandi eſt de iuribus Rectoris.*

2 *Ius ſepulturæ vt acquiratur, requiruntur ſolemnitates, vt in alienatione rerum.*

3 *Iuſpatronatus in Eccleſia ſi habeatur, deſtructa ea corruit illud.*

4 *Quod fallit, ſi durat eadem cauſa.*

5.6 *Defunctorum cadauera antiquitus non poterant ſepeliri intra Eccleſiam, ſed de iure nouo admittitur.*

## DECISIO CXCIX.

DOmini receſſerunt à reſolutis, ſub die 30. Maij ann. 1591. * conſtabat enim primum de licentia Rectoris Eccleſiæ, concedentis facultatem ſepulturæ Ioanni Ramirez, & conſenſum ratificantis de ann. 1578. cùm ius funerandi ſit de iuribus Rectoris. † *cap. ex parte,* & *ibi* Abbas *num.* 7. *notab.* 2. *de ſepulturis.* Conſiderabant præterea Domini, iſtud ius ſepulturæ, non tam competiuiſſe Ioanni Ramirez, ex noua conceſſione, quàm ex antiquo ſuo, ſeu primæuo ſtatu, cùm ſepulchrum primò non fuerit loco motum, ſed illud idem, quod ante ampliationem, ſeu ædificationem Eccleſiæ; extra tamen Eccleſiæ ambitum, poſt Eccleſiam ædificatam, intra Eccleſiam remanſerit, & deinde propter maiorem commoditatem Eccleſiæ, ab illo loco fuerit in alium tranſlatum. Vnde licèt in acquirendo iure ſepulturæ, re- 2. quirerentur certæ ſolemnitates, quales in alienatione * rerum Eccleſiæ interuenire iubentur, quod tamen Domini non admittebant, ex illo tamen antiquo ſtatu, & curſu tanti temporis affuiſſe præſumerentur. gloſſ. *in cap. peruenit. de empt. & vendit.* Butrius & Imola *in cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt à Prælat.*

1. * cõtrarium fuit deciſum ſuprà deciſ. 154. & hæc deciſio fuit confirmata infrà deciſ. 213.

† adde Mantic. dec. 294. n. 1. Rotam recen. p. 1. dec. 376. n. 1.

* de hoc art. dixi ſuprà in dec. 154. n. 4. & 5.

Nec id ius ceſſauit per deſtructionem Eccle- 3. ſiæ antiquæ, & nouæ conſtructionem, ſeu ampliationem, nam ſepulchrum non fuit, primò à ſuo antiquo ſtatu, ſeu poſitione motum, & ideo non applicabatur exemplum de Eccleſia patronata diruta, & poſtea reædificata, quòd non propterea ius patronatus ſemel extinctum, reuiuiſcat : nam præterquam quòd id exemplum habet locum in iure patronatus ex ædificatione acquiſito, quod ideo meritò deſtructa Eccleſia extinguitur, ſecus tamen eſt 4. quando eadem cauſa durat. Berous *in cap. quoniam, num.* 92. *iure patronat.*

Minus ceſſauit iſtud ius ſepulturæ, ex eo quòd antea ſepultura eſſet extra Eccleſiam in cœmeterio, in quo licitum eſt defunctorum ca- 5. dauera ſepelire, & poſt ædificationem ceciderit intra nauem Eccleſiæ, in qua non eſt licitum ſepelire. * *cap. præcipiendum.* §. *prohibendum* 13. *quæſt.* 2. quoniam hodie, generali Chriſtianæ reipublicæ conſuetudine, receptum eſt, 6. vt intra etiam Eccleſias ſepelire liceat, quod iure quoque Canonico permiſſum eſt. *cap. cùm grauia. cap. milies* 23. *quæſt.* 5. *cap. Eccleſiam, de conſecrat. diſt.* 1. cenſuerunt tamen Domini ita

* de hoc art. dixi ſuprà dec. 154. n. 1.

componendam iſtam Ioannis Ramirez ſepulturam, ne vel ex forma eius, ſeu ſtructura, vel ex ſeſſione eorum, quorum eſt ſepultura, aliquod diuinis officiis celebrandis impedimentum, vel deformitatem, aut indecentiam præſtare poſſit.

---

## *Romana hæreditatis de Anguillaria.*

### Lunæ 23. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Diſponere non dicitur, qui præſupponit.*
3 *Verba quæ præſupponunt in neceſſarium, antecedens diſponunt.*
4 *Copula, &, accipi poteſt pro, id eſt, ſi materia id patiatur.*
5 *Teſtator ſi relinquat legatum, non animo diminuendi illud, non debet diſpoſitio in damnum legatarij retorqueri.*
6.7 *Dictio, item, appoſita in diſpoſitione inducit repetitionem, & idem ius in repetito.*
8 *Dictio item, non inducit repetitionem, quando oratio eſt imperfecta.*
9 *Dictio item, non inducit repetitionem præcedentium, quando orationes ſunt perfectæ, & eſt diuerſitas rerum, & perſonarum.*
10 *Dictio item, non inducit repetitionem præcedentium, quando ratio diuerſitatis reddi poteſt.*
11 *Ius variatur ex qualibet facti mutatione.*
12 *Præſumi non poteſt, quem inire rationem, per quam eius iudicium ſubuertatur.*
13 *Vſusfructus vxori legatus, donec dos ei ſoluatur, hæres non liberatur, donec dotem vxori non reſtituat.*
14 *Vſusfructus legato cum proprietate, idem eſt, ac ſi proprietas ſola fuiſſet legata.*
15 *Dotis promiſſione facta, per neceſſarium antecedens conceduntur vſuræ, vt acceſſoriæ.*
16 *Vſufructu legato cum onere, quod ſine proprietate impleri non poteſt, videtur legata proprietas.*

### DECISIO CC.

1. Dominus Auerſus de Anguillaria ſub die 13. Nouembris 1586. ad fauorem Domini Virginij eius filij, ita legauit. *Item reliquit, & declarauit, ſe habuiſſe, & ad eius manus perueniſſe de rebus, & bonis quondam Magdalenæ Vrſinæ, olim ſuæ vxoris, & matris Virginij Anguillariæ ipſius teſtatoris filij, tam occaſione dotis perceptæ, quàm etiam aliorum bonorum mobilium, & pretij caſtri Carboniani, ac bonorum hæreditariorum quondam Iuſtinianæ Comitiſſæ Anguillariæ ſcuta 15. m. monetæ, de Iuliis decem pro ſingulo ſcuto, quæ quidem pecuniarum ſumma, quatenus non valeat, nec poſſit ſolui per infraſcriptos ſuos hæredes, & cohæredes, reſpectiuè debeant fructus dictarum pecuniarum ſoluere Domino Virginio, ad rationem quatuor ſcutorum pro quolibet centenario de ſemeſtri in ſemeſtrem, vel alias, prout ad inuicem inter ipſos erunt concordes, circa tempus ſoluendi dictorum fructuum, de quibus quidem fructibus ad rationem 4. ſcutorum pro quolibet centenario, mandauit dictum Virginium, eſſe tacitum & contentum, & quod vltrà petere non poſſet, tam occaſione prætenſæ dotis ſupradictæ D. Magdalenæ ſuæ matris, quàm etiam quorumcumque bonorum mobilium prætenſorum de bonis, & hæreditate quondam Iuſtinæ, aut Comitiſſæ Anguillariæ, olim eius auiæ, & pro quacumque alia prætenſione exceptis, & reſeruatis, vinea, vallis, & campo maris, in quibus 2. terminis iura D. Virginij illæſa fuerunt.*

Quo ligato, & quibuſdam aliis præſuppoſitis, cùm ſub die 15. Decembr. 1589. Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Plattus, (tunc Rotæ Auditor) propoſuiſſet dubium in Rota, an Dominus Auerſus diſpoſuerit, quoad proprietatem, vel potiùs quo ad fructus, Domini cenſuerunt Auerſum nil diſpoſuiſſe circa proprietatem ſummæ 15. m. nec eam Domino Virginio legaſſe, ſed tantùm declaraſſe ſummæ quantitatem, & quoad fructus ſolùm voluiſſe diſponere; cùm autem coram me pro parte D. Æmiliæ hæredis D. Virginij eius mariti, peteretur diſputari ſuper eiſdem, nec ſub die 9. Decembris 1591. fuiſſet capta reſolutio, ſub die tamen 24. Februar. cauſa plenè diſcuſſa, Domini ſteterunt in deciſis, quoniam de proprietate 15. m. ſcutorum nulla apparebat facta diſpoſitio, ſed ſolùm præſupponitur ea ex alia cauſa D. Virginio deberi: qui autem præſupponit, ni-
hil diſponit. *l. ex facto. l. 1. ff. de hæred. inſtituend.* 2.
*Clement. 1. ad finem, de præbend.* Felin. *in cap. licèt num. 7. verſ. facit quod notat Rota, de offic. iud. ord. & in cap. ſedes num. 5. circa med. verſ. ſic intellige, de reſcript.* Rota *deciſ. 23. de procurat. in antiq.* Biſnietus *deciſ. 1. eodem tit.*

Non fuit viſum obſtare, quòd teſtator diſponendo de fructibus, tanquam de ſumma debita D. Virginio, in neceſſarium antecedens
videretur etiam reliquiſſe proprietatem, & quòd 3.
verba, quæ præſupponunt in neceſſarium antecedens diſponant. *l. 2. C. de dot. promiſſ.* Bart. *in l. cùm tale. §. vlt. ff. de condit. & demonſtrat.* Alex. *conſil. 126. num. 4. lib. 5.*

Quoniam reſpondebatur, hoc antecedens in caſu propoſito non eſſe neceſſarium, cùm ſcuta 15. m. ex alia cauſa deberi potuiſſent, quod cùm Auerſus præſuppoſuiſſet, nil de proprietate, ſed ſolùm de vſufuctu, ſeu interuſurio diſponere voluit.

Et ideo verbum, *reliquit*, * non referebatur ad illud, quod præſupponebatur, ſed ad illud quod potiſſimum diſponebatur, nempe ad vſumfructum, & illius taxationem, quod maximè ſuadebat, illud verbum, *declarauit*, continenter appoſitum, quod indicat id teſtatoris factum, potiùs fuiſſe declarationem, quàm diſpoſitionem, præſertim cùm illa copula, &, accipi
poſſit pro, *id eſt*, vt materia patitur. *l. 1. ff. de pa-* 4.
*ctis, l. de quibus*, vbi notat Bart. *ff. de legib. l. 1. in princip.* vbi gloſſ. *ff. de dolo.*

* adde Rotam recen. p. 2. dec. 162. n. 3.

Eandem ſententiam ſuadebat hæc conſide- 5.
ratio, nam id legatum ad diminuendum ius Virginij in fauorem fructuum, quibus Virginius fecerat donationem, relictum videbatur, quos teſtator noluit poſſe cogi ad ſummam 15. m. ſcutorum Virginio reſtituendam; cùm ex ea plus lucri Virginius, quàm quatuor pro centenario, quos teſtator taxauit, ſingulis annis, ſi



ſi illam habuit, conſequi potuiſſet, ne itaque in damnum fratrum retorqueretur, quod in illorum fauorem inductum fuiſſe videbatur, præſertim in conſequentiam donationis à Virginio fratribus factæ, *l. cùm tale. §. falſam legati, ff. de condit. & demonſtr.* ibi, *quia non animo legandi, ſed diminuendi, & l. in ratione* la 2. §. *tametſi, in fine ff. ad legem falcid.* meritò inferebatur iſtam diſpoſitionem, *in l. de proprietate*, ad fauorem Virginij continere, maximè cùm etiam teſtator adiecerit, vt Virginius, vſufructu ad 4. pro centenario taxato, contentus occaſione dotis maternæ, vel quocumque bonorum mobilium, &c. vltrà petere non poſſet.

Conſuetudo loquendi teſtatoris, quòd ſicut
6. in aliis legatis voluit legare proprietatem, ita in iſto de quo agitur, ſtante præſertim dictione *item*, quæ inducit repetitionem, &
7. idem ius in repetit. *l. Seiæ. §. Caio. ff. de inſtruct. vel inſtrument. legat. l. in repetendis ff. de legat. 3.* vbi dictio *item*, inducit repetitionem præcedentis qualitatis. Iſta, inquam, conſuetudo non mouit Dominos, quoniam in aliis legatis verba id ſignificant, ſecus in iſto, in quo ex
8. verbis nulla inducebatur, ſuper proprietate, diſpoſitio, vnde cùm diuerſa eſſet ratio, non po-
9. terat inde argumentum colligi. *l. naturaliter. §. nil commune ff. de acquirend. poſſeſſ.*

Nec dictio *item*, inducit repetitionem præcedentium qualitatum, niſi quando oratio eſt imperfecta. Iaſon *in §. aquæ num. 45. Inſtitut. de actio.* nam quando orationes ſunt perfectæ, & eſt diuerſitas rerum, & perſonarum, (vt in caſu de quo agitur,) tunc dictio *item* non inducit repetitionem præcedentium qualitatum, Baldus *conſil. 58. num. 1. lib. 2.* Decius *conſil. 317. num. 5.* nec dictio *item*, inducit repetitionem, quando ratio diuerſitatis reddi poteſt. Romanus *in l. Prætor ait, in princip. ff. de public.* clarum autem eſt hîc poſſe reddi ſufficientem inter iſta legata diuerſitatis rationem.

10. Nec obſtat, quòd cùm teſtator voluit legare vſum, id expreſſit, vt in vſu, & habitatione palatij; nam ibi talis declaratio neceſſaria erat, at in propoſita facti ſpecie, ex verbis apparet potiùs teſtatorem voluiſſe limitare inter vſurium ad fauorem fratrum Virginij, quàm proprietatem Virginio legare.

Vltra quod hîc non agebatur de repetitione eiuſdem qualitatis, ſed ſubſtantiæ, cùm dubitaretur, an eſſet legata proprietas, vel vſusfructus, quod pertinet ad ſubſtantiam, non ad qualitatem legati.

Ad iura inducta per informantes pro D. Æmilia Vrſina (quibus conabantur probare, Auerſum legaſſe proprietatem) vno verbo reſpondebatur, ea loqui in caſibus diuerſis, cum propoſito themate nil commune habentibus, vt ap-
11. parebat ex diligenti eorum inſpectione, & ideo non poſſe ex eis aliquid concludi, cùm ex qualibet facti mutatione ius varietur. *l. vt reſponſum. C. de tranſact. l. precibus. C. de impub. & aliis ſubſtit.* nam in illis legibus, (vtplurimùm) legatum reſpicit ſolum commodum legatariorum, & nulla capitur coniectura contrariæ voluntatis, quorum contrarium apparebat hîc, cùm Auerſus inſtantiſſimè curauerit, vt Virginius bona materna, & auita, pro conſeruanda agnatione, Ioanni Baptiſtæ, & Flaminio fratribus, & eorum filiis donaret; vnde non eſt veriſimile, eum modò voluiſſe contrarium diſponere,
cùm nemo præſumatur eam rationem inire, per 12.
quam eius iudicium ſubuertatur. *l. 3. ff. de milit. teſtament.*

Cæterùm deſcendendo etiam ad ſpecialia, 13.
dicebatur, primò non obſtare textum *in l. inter cohæredes, §. vſusfructu vxori legato. ff. famil. erciſcun.* nam ibi non dubitabatur, an dos eſſet vxori debita, cùm verè debita eſſet; ſed hoc tantùm diſponitur, quòd ſi teſtator leget vſumfructum vxori, donec ei dos ſoluatur, hæres non liberatur ab onere præſtandi vſumfructum, donec dotem vxori teſtatoris perſolueret, atque idem eſt ſenſus Boërij, *deciſ. 44. num. 37.* & Gabrielis *conſ. 55. num. 1. lib. 2.*

Textus *in l. ſpecies ff. de auro, & argent. legat.* 14.
non efficit, quia ibi expreſsè fuerat legata proprietas, cum adiectione vſusfructus, quæ adiectio non facit, quin proprietas etiam legata conferatur.

Ad *l. libertis. §. 1. ff. de aliment. & cibar. legat.* fuit dictum, teſtatorem voluiſſe libertis dari ſua prædia, & inſuper declarauit, vt eis cibaria, & veſtuaria conſtituerentur, quod cùm reſpiciat commodum legatariorum, non reſtringit legatum proprietatis.

Ex *l. 2. C. de dotis promiſſ.* non poterat infer- 15.
ri ad caſum præſentem; nam ibi dotis promiſſio eſt neceſſarium antecedens, ad hoc vt valeat promiſſio vſurarum, cùm acceſſorium ſine principali conſiſtere nequeat, (vt bene declarat *ibidem* Baldus,) ſed in hoc caſu legatum proprietatis non eſt neceſſarium antecedens; vt propterea valeat declaratio, & moderatio vſurarum per teſtatorem facta, vt patet ex deductis.

Ad *l. Proculus ff. de vſufruct.* dicebatur, ca- 16.
ſum eius leg. & eum de quo agitur, magno diſcrimine inter ſe differre: nam ibi ex onere adiuncto legato vſusfructus, ſatis colligitur, legatum fuiſſe proprietatem, cùm tale onus non congruat, ſi vſusfructus tantùm intelligeretur fuiſſe legatus: quæ ratio ceſſat hîc, cùm legatum vſusfructus ad 4. pro ſingulo centenario, commodiſſimè abſque proprietate & conſiſtere & intelligi poſſit, caſu quo prædicta ſumma foret debita, vt debita Virginio eſſe potuiſſet ex alia cauſa, veluti ſi donatio fuiſſet inutilis, vel potuiſſet intelligi reuocata.

Poſtremò dicebant Domini hæredes Auerſi habere fundatam ſuam intentionem ſuper verbis teſtamenti, in quibus non legitur, legata proprietas; ac dubitationem prætereà ceſſare, ex verbis eiuſdem teſtatoris, iubentis D. Virginium vſufructu ſibi legato tacitum & contentum eſſe debere, nec amplius petere poſſe. Vnde cùm tam ex verbis, quàm ex mente teſtatoris appareret, non fuiſſe legatam proprietatem, meritò ſtatum eſt in deciſis.

## *Salamantina penſionis.*

### Veneris 28. Februarij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Reſeruata penſione in beneficium, ſi agatur de exceſſu, debet probari de tempore reſeruationis.*

2 *Probatio in qua fundatur intentio, debet fieri concludenter, vt releuet.*

3 *Teſtis vt probet de his quæ vidit, vel cognouit, debet eſſe ſaltem 14. annorum.*

4 *Libri priuati non probant, niſi ſint in Archiuio publico.*

## DECISIO CCI.

1. DOmini ſteterunt in reſolutis coram R.P.A. Bubalo, & cenſuerunt non probari exceſſum de tempore reſeruationis, * videlicet de anno 1543. de quo probandus erat per D. Petrum Sauzedam tranſlatarium, qui in eo ſe fundat,
2. aliàs eius probatio non releuat. *l. non ſolùm, §. ſed vt probari. ff. de oper. noui nunt.*

* Ludouiſ. dec 431. n. 6.

In teſtibus vigore remiſſoriæ examinatis, non poterat fieri fundamentum: nam duo ex illis non erant nati de dicto tempore, & ideo non poterant probare.

Tertius non probat; nam licèt tunc eſſet natus, erat ſolùm ætatis ſeptem annorum, teſtis ve-
3. rò vt deponere poſſit de his, quæ vidit, vel cognouit, ſaltem debet eſſe 14. annorum. Verallus *deciſ. 290. lib. 3.* in impreſſis.

Quartus ætatis annorum 60. non releuabat, cùm fatetur quòd de annis interrogatis non reſidebat in Eccleſia Salamantina, imò nec in ciuitate Salamantina.

Neque in partitis quibuſdam extractis de libris Capitularibus, Domini fecerunt fundamentum, tum quia non conſtabat omnia contenta in eis deberi ratione maſſæ groſſæ, tum etiam, quoniam vnus teſtis deponebat, certam quantitatem non deberi, niſi intereſſen-
4. tibus proceſſionibus; tum poſtremò, quia illi libri Capitulares erant libri priuati, * nec conſtabat eos fuiſſe confectos ab officialibus ad id deputatis, † nec minus, extractos ab Archiuo publico, erant etiam in illis deſcripti tantùm redditus; non autem expenſæ, & onera, quæ veriſimile erat extare, vt fuit deciſum in vna Cameracen. vnionis 19. Ianuar. 1575. coram Illuſtriſſ. Lancelloto.

* adde Coc. dec. 101. n. 11. & 473. n. 4. Rota recen. p. 2. dec. 690. n. 6. & p. 1. dec 43. n. 1.
† Caual dec. 361. n. 1. & 370. n. 3. Seraphin. dec. 1088. n. 4.

## *Nouarien. alienationis.*

### Lunæ 2. Martij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Scripturæ, & iura extracta, vigore compulſorialium cum requiſitis probant, & n. 3.*

2 *Inſtrumenta extracta à Notario rogato ex ſuo Protocollo, fidem faciunt.*

3 *Inſtrumenta ſine ſubſcriptione non probant. quod intellige vt n. 4. & 5.*

## DECISIO CCII.

DOmini dixerunt iura, de quibus agebatur, eſſe in forma authentica & probante; quia fuerunt extracta vigore compulſorialium * auctoritate iudicis ad hoc ſpecialiter deputati, & recognitis filziis, ſeu protocollis, & adhibitis cæteris ſolemnitatibus, in tali extractione requiſitis. Abbas *in cap. fin. num. 2. verſ. Nota officium iudicis, de fide inſtrument.* & fuit aliàs dictum coram me in vna Salamantin. † Parochialis 16. Octobr. 1589. *verſ. his accedebat.* 1.

* vide infrà deciſ. 607. & 235. n. 2. & Ludouiſ. dec. 292. n. 2. vbi latè additio n. 5. Coccin. dec. 248. n. 1. Mantic. dec. 206. num. 7. & 8.
† ſuprà dec. 50. num. 3. & 4.

Et quantum ad inſtrumenta Reuiſlati, res carebat difficultate, cùm eſſent ſubſcriptæ ab eodem Reuiſlato Notario rogato, * & fidem etiam ſuſciperent à ſuo protocollo. Ruinus *conſil. 159. lib. 4.* 2.

* Caual. dec. 518. num. 3. Cocc. deciſ. 450. n. 1.

Quantum ad inſtrumenta Ralioti, quæ cùm eſſent ſine ſubſcriptione, † non videbantur eſſe in forma authentica, ad Angelum *conſil. 220. num. 1.* Ancharan. *conſil. 431. n. 1.* Corneum *conſil. 118. num. 2. lib. 4.* nam inter alias ſolemnitates eſt neceſſaria Notarij ſubſcriptio. Couarruuias *in practic. quæſtio. cap. 20. num. 5.* Verallus *deciſ. 204. parte 2.* Fuit etiam dictum eſſe in forma probante, quia fuerunt authenticata per Abbates Collegij Nouarien. ad id facultatem habentes, quo caſu inſtrumenta, ſeu imbreuiaturæ Notarij defuncti authenticari, & publicari poſſunt. Cynus *in l. contractus, num. 14. de fide inſtrument.* Alexand. *conſil. 14. num. 17. lib. 6.* Curtius iunior *conſil. 162. num. 5. vol. 2.* Cheſanen. *deciſ. 72.* incip. *Inſtrumentum in manuſcriptis.* Et licèt iura ſic per iſtos Abbates authenticata ſolùm facerent fidem in ciuitate Nouarien. & non extra iuriſdictionem, Anton. Auguſt. *deciſ. 481. lib. 3. & in epitome tit. communia de fide inſtrument. num. 22.* incip. *Scripturæ*, in hoc caſu difficultas ceſſabat, propter extractionem ſolemniter factam vigore compulſorialium * Rotalium, quibus accedebat, quia ex quo fuerunt reperta in filzia, † ſeu protocollo, inter alia authentica inſtrumenta, perinde facerent fidem, ac ſi eſſent in forma probante. Pariſius *conſ. 27. num. 18. lib. 2.* Cinus *in dicta l. contractus, num. 54. C. de fide inſtrument.* & ita cenſuit ſæpe Rota, vt in illa Albanen. bonorum ann. 1565. coram Grato, & pluries in cauſa Parmen. ſtatus, quæ adhuc pendet in Rota.

3.
† adde Ludouiſ. deciſ. 393. n. 1. Vide infrà dec. 927. n. 5. & 6. & 261. n. 6.

4.
* vide Coc. deciſ. 128. & ſuprà ad n. 1.
† adde Manticam deciſ. 174. n. 3.

## *Amerina hæreditatis.*

### Lunæ 2. Martij 1592.

## DECISIO CCIII.

DOmini aliter non plenè diſcuſſa cauſa ſuper releuantia ſtatuti Amerini, in quo ſe fundabant illi de Canſachis, ordinarunt quòd extraheretur formiter, attenta præſertim loci vicinitate, & non magnis impenſis pro illius extractione faciendis.





## *Conchen. Archipreſbyteratus.*

### Die Lunæ 9. Martij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Gratia dicitur nulla, ſi narratiua contineat duo, & vnum non probetur.*

3 *Lis extinguitur per ceſſionem factam ab vna ex partibus.*

4 *Ordinarius vt poſſit prouidere beneficium litigioſum, ſufficit vt vnus ex litigantibus moriatur, & alter tacitè renunciet.*

5 *Renunciare litem tacitè videtur pars, ſi in termino probatorio à iudice dato, nihil probet.*

6 *Archipresbyteratus dignitas habet annexam curam iuriſdictionalem, & ideo eſt incompatibilis cum parochiali.*

7 *Clauſula*, ſiue præmiſſo, ſiue aliàs quouis modo, *comprehendit omnem modum vacationis.*

8 *Incompatibilitas vt oriatur ex obtentione duorum beneficiorum, requiritur, vt habeatur pacifica poſſeſſio ſecundi.*

9 *Confeſſio partis, non poteſt præiudicare tertio.*

10 *Triennali poſſeſſione tutus eſt quis in beneficio litigioſo poſt ceſſionem litis à parte factam.*

## DECISIO CCIV.

1. ANno 1582. Oſorius, & Palomares Archipreſbyteratum (de quo agitur,) quem poſſidebat Oſorius, & Archidiaconatum Caurien. quem tenebat Palomares, inuicem permutarunt, anno mox ſequenti 1583. Oſorius coram Ordinario Conchen. iudicio moto, contra Palomarem, ſub prætextu quòd in valore contigerit deceptio eandem permutationem reſcindere tentans, Archipreſbyteratum ſibi reſtitui poſtulauit in ea lite bis, aut ter, tantum hinc inde de iuribus partium fuit allegatum, & die 8. Auguſti 1584. iudex, præfixo partibus nouem dierum termino, eas ad probandum recepit: nec quidquam ampliùs reperitur in cauſa actum: imò die vltima Auguſti eiuſdem anni, Oſorius per ſe, & Palomares per Procuratorem, receſſerunt à quocunque iure, & actione, quam prætendere poterant, eique vna pars ad fauorem alterius ceſſit, imò Oſorius die 20. Decembr. 1588. à ſua prætenſione, ex quo ſciebat non habere iuſtitiam, nec ius ad annullandam permutationem, ſe receſſiſſe declarauit, dicens ſe litem habuiſſe pro derelicta, animo illam amplius non proſequendi, idem Oſorius ann. 1586. Archidiaconatum vigore permutationis habitum, cum quadam Eccleſia Parochiali permutauit; Palomares verò toto iſto tempore in pacifica & quieta Archipreſbyteratus poſſeſſione continuauit, vſque ad ann. 1587. quo obiit in menſe Decembri, per cuius obitum ordinarius Conchen. eodem menſe, eundem Archipreſbyteratum contulit D. Hieronymo Badillo.

Dominus Petrus Amoraga quinto Nonas Martij 1587. narrata præfata litis pendentia, & quod Don Hieronymus nullo Canonico titulo iuriſve adminiculo ſuffragante, ſe in dicto Archipreſbyteratu intruſerat ad omne ius Palomaris, à Papa obtinuit ſubrogari, & de prædicto beneficio, ſiue præmiſſo, ſiue aliàs quouis modo vacante, ſibi præuideri; cauſa in Rota introducta, & coram Illuſtriſſimo Domino Cardinale Plato (tunc Rotæ Auditore) dato dubio, an præfata gratia Petri eſſet iuſtificata, primum Domini cenſuerunt iuſtificatam, cæterùm deinde ex magnis rationibus tunc conſideratis, ab ea deciſione receſſerunt, & contra D. Petrum, ad fauorem Don. Hieronymi, duæ ſententiæ Rotales fuerunt latæ; in tertia inſtantia Petrus, cùm inſtanter audiri poſtulaſſet, dedi dubium an eius gratia ſub 5. Nonas Martij 1587. foret iuſtificata, & intraret ad effectum de quo agebatur: & vtraque parte informante, Domini cenſuerunt, eam non eſſe iuſtificatam, nam cùm narratiua Petri duobus niteretur, quæ Papam * ad concedendam ei gratiam principaliter mouiſſe videbatur, nempe lite inter Oſorium, de Palomarem (per cuius obitum vacauit Archipresbyteratus) extitiſſe, niſi amplius doceretur, litem fuiſſe talem, quæ manus Ordinarij ſic ligauerit, aut eius poteſtatem, & iuriſdictionem impediuerit, vt Hieronymo, de vacante Archipresbyteratu prouidere non potuerit, quod cùm hactenus probatum non fuerit, gratia fuit nulla, Verallus *deciſ. 545. lib. 2. & deciſ. 229. lib. 3.* Quinimo dicebant Domini in caſu propoſito, potiùs conſtare de non lite, cùm Oſorius illi ceſſerit, † & talis ceſſio valuerit. Puteus *deciſ. 498. lib. 2.* Chiſanen. *deciſ. 23.* & ad effectum vt ordinarius poſſit prouidere, ſufficit. quòd vnus ex collitigantibus moriatur, & alter tacitè renunciet. * Imola *Clement. 1. num. 23. vt lite pendent.* hîc & Oſorij & Palomaris aderat clara ceſſio, & expreſſa præterea Oſorij declaratio de ſuo animo non proſequendi litem, quem multi actus poſitiui, ab eo geſti maniſeſtiùs patefecerunt: nam in termino probatorio à iudice præfixo, nihil probare iurauit: quo facto, tacitè viſus fuit liti renunciaſſe, Cephalus *conſil. 201. num. 8. lib. 2.* item quia per ſe ipſum, etiam coram Notario, & teſtibus omni iuri ſibi competenti ceſſit.

2.
* adde Cocc. dec. 328. n. 1. & vide in vna Bononien. Canonicatus 19. Febr. 1590. impreſſ. per March. de commiſ. p. 1. pag. 375. duplicata in eadem p. 1. pag. 478. in vlt. impreſſione quæ eſt coram D. Pamphilio.

3.

4.
† vide Caualer. dec. 359. n. 3. & 7. & vide infrà dec 232.
* videnda eſt deciſ. 383. in recen. part. 2. & deciſ. 109. n. 3. p 1.

5.

Ex quibus illud inferebatur, minus iuſtificari, quod ſecundo loco in ſua gratia narrauerat Petrus, videlicet Don Hieronymum nullo titulo ſuffraganti ſe in dicto Archipresbyteratu intruſiſſe; conſtabat enim, Ordinarium non impeditum, prouidere potuiſſe, & ideo legitimè, & canonicè Archipresbyteratum Don Hieronymo contuliſſe.

6.
Neque obſtare putabatur, illud quod Petrus veniret, etiam vigore vacationis ex perſona Oſorij, per aſſecutionem Parochialis incompatibi-
7.
lis, cum Archipresbyteratu. habente curam iuriſdictionalem, *Extrauag. Execrabilis. §. nec non etiam, de præbend. cap. dudum el 2. §. ſed cùm in iure,* vbi Abbas *num. 7. de elect. & in cap. de multa, n. 21. & ſeq. de præbend.* maximè cùm gratia Petri non foret reſtricta ad aliquam vacationem, propter clauſulam. *ſiue præmiſſo, ſiue aliàs quouis modo*; quæ capit * omnem modum, etiam per aſſecutionem, per quam Ordinarius vacantem Archipresbyteratum non potuit conferre, & ideo ad iſtum effectum, ne ordinarius poſſet prouidere, ſatis fuiſſe, narratiuam litis iuſtificatam, vt in prioribus reſolutionibus Rota cenſuerat.

* adde Rot. recen. part. 2. dec. 309. n. 2. & hæc concluſio habet locum data vacatione de facto quocũque modo ſit, vt infrà dec. 632. allegata per Lud. dec. 37. n. 6. & habetur in rec. p. 2. dec. 49. num. 5.

Quia reſpondebatur, quòd cùm non conſtaret, Oſorium habuiſſe pacificam * Parochialis poſſeſſionem, etiam cum perceptione fructuum, aut maiore eorum parte, ſicut requiritur ad

* add. ad deciſ. 451. Lud. n. 10. Seraph. dec. 953. n. 4.

iſtum effectum. *cap. ſi tibi conceſſo*, vbi gloſſ. & Doctores, *de præbend. lib. 6.* Ægidius *deciſ. 596.* non erat locus vacationi per aſſecutionem; Oſorij verò confeſſio, aſſerentis ſe Parochialem poſ-
9. ſediſſe, in præiudicium Hieronymi tertij * ſcilicet, de cuius intereſſe agebatur; dicebatur non probare. *l. Seia mancipia*, vbi Paulus de Caſtro, *ff. ad ſenatuſconſ. Velleianum*, Ruinus *conſil.* 147. *num.* 13. *lib.* 1.

* Ludou. dec. 57. num. 8. 105. n. 24. 455. n. 11. Seraph. dec. 87. n. 4.

Poſtremò dicebatur, quòd cùm poſt permutationem irritam, & mutuam litis ceſſionem, Palomares pacificè per triennium * Archipresbyteratum poſſederit, non obſtante aſſerta vacatione per aſſecutionem, tutus erat, per allegationem Lapi 89. præſumentem, ſuperueniſſe meliorem titulum, qui haberi poſſit, Mohedan. *deciſ.* 241. atque ex his concluſum gratiam Petri, neque fuiſſe iuſtificatam, neque intrare.

* Lud. in d. dec. 37. n. 9. & infrà dec. 32. n. 11. & ibi annotaui.

Cæterùm, quia in iſta reſolutione præſupponebatur, quòd liti fuerat legitimè ceſſum, & mihi non conſtabat, an ceſſio producta eſſet in forma probante: item quia informantes pro Don Hieronymo, primùm in informatione facti confitebantur, Oſorium de ann. 1586. vigore permutationis cùm Archidiaconatu adeptum fuiſſe poſſeſſionem Parochialis, quod tamen in reſponſione facti, & iuris, in dubium reuocarunt, inconſultis Dominis nolui cauſam in tertia inſtantia impedire; quia ſi iſta non erant firmiter ſtabilita, fortaſſis neque Palomares potuiſſet iuuari allegatione Lapi.

## *Spoletana bonorum.*

Die Veneris 6. Martij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Nuntiatiuam vnam ſi contineat Bulla conceſſionis etiam in antiquiſſimis, non probat.*
3 *Enuntiatiua ſola, quæ non ſufficeret, ſi ſit corroborata, alijs generibus probationum, benè probauit.*
4.5.6 *Bullæ conceſſæ ad partis ſupplicationem, non probant tanquam ortæ à perſona ſuſpecta.*
7 *Spolij actio non competit ei, qui facto proprio cecidit à poſſeſſione.*

## DECISIO CCV.

1. DIe 20. Decembris * præteriti, vtraque parte informante fuit deciſum, communitatem Spoleti non probaſſe ſuam intentionem, ad effectum vt probatio Eccleſiæ non ſuffragaretur, (ſicut latiùs in dicta deciſione continetur.) Cæterùm communitas die 24. Februarij porrecto in Rota memoriali, ac deſuper Dominis informatis, petebat videri an Bulla Gregorij IX. probaret ad fauorem Eccleſiæ, & an actio ſpolij competeret Abbati Ancaiano, ſtante Bulla Bonifacij octaui, vel ſaltem adiri ſuper eiſdem, & ideo Domini ordinarunt, quòd ſuper eiſdem, audiretur; cùm verò dubium tunc propoſitum eſſet, an ex teſtibus, & iuribus pro parte communitatis adductis, probaretur ciuitatem ſemper poſſediſſe montes, & terras laboratiuas (de quibus agebatur) ad effectum excludendi probationem Eccleſiæ ſuper eius primo extremo, Domini videntes rationes, quibus deciſio nitebatur, ex his quæ in hac poſitione deducebantur pro communitate, non fuiſſe ſublatas ex eiſdem, in deciſis ſtandum cenſuerunt.

* ſuprà deciſ. 195.

Dixerunt præterea non obſtare conſiderata per informantes pro communitate, ſcilicet Bullam Gregorij IX. eſſe vnicam, & continere vnicam enuntiatiuam, quæ etiam in * antiquiſſimis 2.
non probat, Aretinus *in cap. cùm cauſam, num.* 20. *de probat.* Crauetta *tract. de antiq. temp. part.* 1. §. *ampliatur, num.* 14. *& ſeq.* quia præterquam quòd non admittebatur ſimpliciter vnicam Papæ enuntiatiuam in antiquiſſimis, hominumque memoriam excedentibus, non probare, Aretinus *in dicto cap. cùm cauſam, num.* 20. dicebatur, probationem primi extremi ad fauorem Eccleſiæ factam non fuiſſe fundatam in ſola, & vnica enuntiatiua, ſed in teſtibus præterea, & aliis adminiculis conſideratis in aliis deciſionibus in hac cauſa factis, nam vbi enuntiatiua ſola non ſufficeret, corroborata tamen aliis probatio- 3.
num generibus, * bene probaret, Vitalis de Gambanis *tract. clauſular. tit. quando verba enuntiatiua in priuilegijs, num.* 5. Afflictus *deciſ.* 83. *num.* 1.

* adde Mant. dec. 88. n. 4. Lud dec. 142. n. 1. 2. & 77. num. 7. Coc. dec. 69. n. 9. & 436. n. 4.

* Ludou. dec. 172. n. 4. vbi additio. n. 8. plures deciſ. allegat & 407. n. 5.

Ad aliam obiectionem de eadem Bulla Gre- 4.
gorij noni, quòd cùm emanauerit ad ſupplicationem partis, vt patet ex illis verbis, *veſtris ſupplicationibus*, &c. nihil probare poſſet, tanquam à perſona ſuſpecta orta. Speculat. *tit. de locato.* §. *nunc aliqua, num.* 72. *&* 73. Bertrandus *conſil.* 167. *num.* 12. *lib.* 3. Achill. *deciſ.* 5. *de iurepatron.*

Reſpondebatur, id non procedere in antiquis, 5.
vbi lucida verba Principis, in quibus fundat ſuam intentionem, probant in omnibus caſibus, etiam in præiudicium tertij. Dominicus *in cap. ſi Papa, de priuileg. lib.* 6. Alexand. *conſil.* 6. *num.* 6. *lib.* 1. *& conſil.* 15. *num.* 3. *lib.* 5. Decius *conſil.* 146. *num.* 14. *circa medium, & conſil.* 152. *num.* 2. *&* 5. Iaſon *conſil.* 34. incip. *Ad motiua data, num.* 9. *lib.* 1. quibus accedebat, quia obiectio non procedit, 6.
quando ex præcedentibus, ſeu ſubſequentibus apparet, Principem ſuper narratis informatum fuiſſe, nam tunc vt informatus præſumitur talia aſſerere. Alexand. *conſil.* 15. incip. *Viſis narratis, num.* 2. *lib.* 5.

Ad illa quæ obiiciebantur contra Bullam Bonifacij VIII. diſmembrantis bona Monaſterij S. Petri de Ferentillo propter flagitia Abbatis, & Monachorum, eaque applicatis Canonicis 7.
Eccleſiæ Lateranenſis, quaſi quòd actio * ſpolij non competerit ei, qui facto proprio cecidit à poſſeſſione, vnico verbo dicebatur, ex eis non probari, aut confirmari ius communitatis, cùm pertinerent ad iura Eccleſiæ Lateranenſis, de quibus ſuo tempore erat diſceptandum, præſertim cùm ad iſtam cauſam & venerit & admiſſa fuerit.

* Ludou. dec. 15. n. 2. Coc. deciſ. 436. n. n. 12. Caual. dec. 140. n. 3. & 568. n. 1. Seraph. dec. 264. num. 1. & 387. n. 1. & 1200. n. 2. Rota recen. p. 1. dec. 628. n. 2. & 169. n. 7. & aliàs pluries.

Quæ opponebantur de ſtatuto vrbis *lib.* 1. *cap.* 160. ſtatuente per lapſum † 30. annorum tolli actionem ſpolij, item de proprio motu Pij V. de anno 1569. narrantis litem inter communitatem, & Albericum Cibo Principem Ferentilli, ſuper bonis, & territoriis, ex multiplici caducitate ad ciuitatem deuolutis, eandemque litem extinguentis, cum clauſula, *ſublata*, & decreto irritante, quaſi propterea ſit Abbati Ancaiano clauſum os ad agendum, item de exceptionibus, contra teſtes eiuſdem Abbatis, Domini extra dubium ita fuiſſe dixerunt, cùm ſtrictè cauſa proponeretur ſuper eiſdem, & ideo hoc tantùm quæreretur, an ex iuribus, & teſtibus ciuitatis, probaretur eam ſemper poſſediſſe, quibus propterea non oportuit particulariter reſpondere.

† Mantic. deciſ. 259. n. 2.



## *Burgen. Abbatiæ de Sobarzo.*

Veneris 13. Martij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Teſti vni affirmanti, plus creditur, quàm mille negantibus.*
3 *Teſtes in genere deponentes, inferiores ſunt deponentibus in ſpecie.*
4 *Teſtes de negatiua debent deponere, remouendo ſenſum ab actu, & quòd aliter non poſſet eſſe, quin ipſi ſcirent.*
5 *Teſtes deponentes ad ſuum commodum, non valent.*
6 *Teſtes contrarij, ad concordiam reducibiles, debent concordari.*

## DECISIO CCVI.

1. QVia teſtes Lucæ de S. Petro conformiter deponebant, ius præſentandi ad iſtam Abbatiam nullis aliis familiis competere, quàm contentis in deciſione facta in iſta cauſa * die 16. Iunij 1589. de quarum numero non erat familia de la Riua, ad quam ius etiam præſentandi pertinere probabant ſolùm quatuor teſtes pro Petro Velez inducti, & fuit concluſum die 15. Iunij * 1590. Ideo præſuppoſitis depoſitionibus teſtium examinatorum pro Luca, & aliis quatuor teſtibus examinatis pro Petro, deponentibus de pertinentia patronatus familiæ de la Riua, dubitauit, an in concurſu magis eſſet credendum teſtibus Lucæ, quàm Petri, & Domini dixerunt
2. teſtibus Petri maiorem fidem adhibendam, quia deponebant affirmatiuè, * teſtes verò Lucæ negatiuè, per regulam receptam, quòd magis credatur vni teſti affirmanti, quàm mille negantibus, gloſſ. & Doctores *in l. dum proferre.* §. *ſi plures. ff. de recept. arbitr.* Baldus *in l. actor, num.* 21. *C. de probationib.* Alexander *conſil.* 148. *num.* 2. *lib.* 2. Socinus iunior *conſil.* 146. *num.* 38. *lib.* 1.

* ſuprà deciſ. 32.

* ſuprà deciſ. 119.

* Ludou. dec. 449. n. 3. & infra deciſ. 370. n. 6. & dec. 661. n. 5.

3. Item, quia teſtes Petri in ſpecie teſtificabantur ius præſentandi ad iſtam Abbatiam, ad præfatam familiam de la Riua pertinere, quod in genere tantùm teſtes Lucæ negabant, deponentes non ſpectare, niſi ad quaſdam familias inibi expreſſas, vnde illi tanquam magis ſpecificè teſtificantes, * præferendi fuerant, ad notata per Innocent. & alios *in cap. auditis de præſcript.* Pariſ. *conſil.* 88. *num.* 31. *lib.* 3. Crauetta *conſil.* 94. *num.* 3. Alexand. *conſil.* 148. *num.* 3. *lib.* 2. Gabriel. *de teſtib. concluſ.* 4. *num.* 72.

* Duran. dec. 458. la primera num. 8. & 9. Ludouiſ. dec. 449. n. 8. Mantic. dec. 366. n. 4. & 5. & infrà dec. 540. num. 4. & 817. n. 6.

4. Conſiderabatur quoque modus deponendi teſtium Lucæ, qui non deponebant de negatiua concludenter, remouendo * ſenſum ab actu, & per verba quòd aliter non poſſet eſſe, quin ipſi ſcirent, ſicut requiritur in teſtibus, ad effectum vt legitimè negatiuam probare dicantur. gloſſ. *in Authent. de hæredib. & falcid.* §. *ſi verò abſunt, in verb. vidiſſe*, Paulus de Caſtro *in l.* 1. *num.* 22. *ff. ſi cert. petat.* Romanus *conſil.* 145. *num.* 9.

* Lud. deciſ. 42. num. 5. & 325. n. 5. & 510. n. 1. Seraph. deciſ. 1227. n. 4.

Præterea Domini magnam vim fecerunt in 5.
qualitate teſtium, quia licèt teſtes Lucæ eſſent plures, teſtes verò Petri pauciores, cùm omnes ferè plures illi teſtes Lucæ eſſent de illis familiis, quibus competebat ius præſentandi ad iſtam Abbatiam, (vt fuit deciſum) tanquam intereſſatis, ac deponentibus ad ſuum * commodum, minus credendum fuit. *l. nullus ff. de teſt. l. omnibus. C. eod.* quam exceptionem non patiebantur teſtes Petri, quorum dicta ſatis quoque viſa fuerunt adminiculata, ex antiqua ſententia arbitramentali, lata de ann. 1523. ad fauorem familiæ de la Riua, contra alias familias, quæ illam de la Riua excludere nitebantur, per quam iſta familia, & ſui deſcendentes declarabantur Patroni, & velut Patronis adiudicabatur participatio cuiuſdam oblationis, vulgariter nuncupata, *Horttero.* quod in quibuſdam anni feſtiuitatibus Patroni percipere conſueuerunt.

* quod verũ eſt etiam ſi commodum ſit in conſequentiam, vt per Duran. deciſ. 128. n. 14. & ſeq. & deciſ. 462. n. 8. & talis teſtis dicitur in cauſa propria Ludou. dec. 42. n. 2.

Nec iſta ſententia adiudicabat ſolùm iſta de la Riua Hortorium, ſiue eius participationem, cùm adiudicaret etiam ius præſentandi, vt clara eius verba indicabant, quod eſt in fructu iuris patronatus. Abbas *cap.* 1. *num.* 4. *de religioſ. domib.* vbi Innocent. *num.* 2. Cardinalis *num.* 1. *quæſt.* 2. Ioannes Andreas *num.* 4. quem fructum actualiter iſtam familiam percepiſſe probabat Ioannes de Ceuallos *ſuper ſecundò articulo additionali*, referendo quendam Garciam Clericum iſtius Abbatiæ Abbatem, ex eadem & per eandem familiam fuiſſe præſentatum.

Poſtremò dicebatur, omnem difficultatem 6.
ceſſare, ex quo teſtes vtriuſque partis facilè ad concordiam reduci poterant; * nam cùm teſtes Lucæ dicerent, iuſpatronatus pertinere ad quatuor familias, & ad alias dependentes, & deſcendentes ab eis; teſtes verò Petri affirmarent familiam de la Riua deſcendere à veris patronis, vt euitaretur contrarietas, intelligendum erat, quòd familia de la Riua deſcendebat à familiis veris Patronis iſtius Abbatiæ *cap. cùm tu;* vbi latè Felinus *de teſtib.* Puteus *deciſ.* 28. *lib.* 3. *num.* 3. Iaſon *in l. ſi is qui pro emptore, num.* 10. *ff. de vſucapion.*

* & ſemper ſunt concordãdi teſtes ſi fieri poteſt, vt euitetur contrarietas, Duran. deciſ. 90. num. 7. & 458. la primera num. 9. Ludouiſ. deciſ. 558.

## *Peruſina bonorum.*

Die Lunæ 16. Martij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Mater fundatam habet intentionem in iure communi, quo ad ſucceſſionem filij.*
3 *Agnata non eſt mater filio.*
4 *Agnata non dicitur auia nepoti ex filio.*
5 *Filij non ſunt in familia matrum.*
6 *Incluſio vnius, eſt excluſio alterius.*
7 *Voluntas declaranda eſt ſi ab ea pendeat, quòd declaretur affirmatiuè, vel negatiuè.*
8 *Statutum excludens matrem à ſucceſſione filij, intelligi debet propter perſonas in eo expreſſas.*
9 *Statutum excludens matrem à ſucceſſione filij, non includit auiam.*
10 *Matri iure naturæ debetur legitima filij mortui.*

Legi

11.12 *Legi requirenti duas cauſæ ad ſucceſſionem, ſufficit ſi non vna verificetur.*

13.14 *Statutum in loco ipſius, ligat forenſes.*

## DECISIO CCVII.

1. DOminus Aſtor Baglionus ſenior ex D. Genebra Saluiata, Guidum vnicum filium procreauit, quo & matre ſuperſtitibus, Aſtor obiit. Guidus ex D. Margarita Sanctacruce, legitima vxore, Aſtorem iuniorem ſuſcipit, ac pariter eiſdem viuentibus, Guidus moritur: non multo pòſt, in pupillari ætate Aſtor quoque iunior deceſſit, ſuperſtitibus Margarita matre, & Genebra auia, quæ cùm de ſuccedendo in bonis præfati Aſtoris tam exiſtentibus in territorio Peruſino, quàm ſitis in caſtris Hiſpelli, & Baſtiæ inter ſe decertarent, viſum fuit ſeorſum agere de bonis ſitis extra territorium Peruſinum, de quibus dedi dubium, aliàs coram R.P.D. Comitolo tunc Rotæ Auditore, nunc Epiſcopo Peruſino propoſitum, an domina Margarita foret immittenda in poſſeſſionem bonorum extra territorium Peruſinum exiſtentium. Et quantum ad bona ſita in territorio Hiſpelli, Domini cen-

2. ſuerunt Margaritam fuiſſe immittendam, quia cùm ſit mater, * fundatam habet intentionem in iure communi, *Authent. defuncto. C. ad Senatuſconſult. Tertull.* neque ſtatutum Hiſpali Margaritæ videbatur obſtare, quoniam non excludit matrem ſimpliciter à ſucceſſione filij ab inteſtato decedentis, ſed contemplatione maſculorum agnatorum, quibus non obſtantibus, ſtatutum vocat agnatos proximiores, ideſt, fœminas natas in familia, quæ verba non conueniunt D. Genebræ, quæ non eſt agnata Aſtori

* vide Lud. dec. 495 n. 1. 6. 12. & 15. Rot. recen. p. 1. deciſ. 414. n. 6. & 479. num. 1.

3. iuniori nepoti ex filio: nam ſi mater non eſt

4. agnata filio. §. 1. *Inſtit. de Senatuſconſult. Tertull.* minus nepoti ex filio poterit agnata cenſeri. *l. pronuntiatio. §. fin. & l. familiæ. §. fœminarum. ff. de verbor. ſignif.* nec filij ſunt in familia * matrum:

Videatur Marian. Soccin. conſil. 1. n. 115. lib. 1.

5. nam qui naſcuntur, (vt ait Imperator *in §. at qui. Inſtit. de legit. agnator tutel.*) patris, non matris familiam, ideſt, agnationem, ſequuntur.

* adde Rot. recen. part. 1. dec. 417. n. 3.

Non obſtitit dicere, alios extare agnatos, quorum contemplatione D. Margarita, quæ tranſiuit ad ſecundas nuptias, intelligebatur excluſa, quaſi eis extantibus, nullum ei ius competere poſſet, niſi vel haberet ceſſionem à proximioribus, vel probaretur, eos repudiatione, aut tempore excluſos fuiſſe. *l. 2. ff. ſi pars hæred. pet.* Crauetta *conſil. 166. num. 14.*

6. Quoniam dicebatur, fortaſſis iſta locum habere poſſe, ſi D. Margarita veniret ex ſtatuto, in quo tamen non ſe fundabat, ſed in iure communi, & ideo non poterat ei opponi de ſtatuto, niſi ab eo, qui eſſet incluſus in ſtatuto, propter excluſionem alterius, qualis non eſt Domina Genebra, cùm eſſet forenſis, nec ſub verbis, vel mente ſtatuti comprehenderetur; cùm ſæpe aliàs Rota cenſuerit, ſtatuentes in huiuſmodi ſucceſſionibus, ſolùm ciuibus ſuis, eorumque familiis non forenſibus proſpicere voluiſſe, vt fuit dictum in iſta cauſa die 8. & 13. Iunij 1590. coram R. P. D. Comitolo, & in illa Balneoregien. bonorum die 7. Iunij 1591. coram R. P. D. Pamphilio.

7. Quibus accedebat, quia D. Genebra non poterat opponere de iure tertij, cùm non eſſet excluſiuum ipſo iure intentionis agentis, ſiue tertius vellet, ſiue nollet, de illa apparere debuit. Riminaldus ſenior *conſil. 599. num. 8. lib. 3.* Gratus *conſil. 14. num. 14. lib. 2.*

Præterea ſtatutum non excludit matrem à ſucceſſione filij, niſi propter perſonas * ſpecialiter expreſſas. Alexand. *conſil. 204. num. 14. lib. 2.* Corneus *conſil. 92. num. 5. lib. 3.* in caſu propoſito dum mater excluditur à ſtatuto, non includitur auia, quæ propterea non poteſt de ſtatuto opponere, contra Margaritam, quæ nititur iure communi. Rolandus *conſil. 24. num. 29. lib. 3.* Socinus iunior *conſil. 80. num. 14. lib. 4.* Ruinus *conſil. 48. num. 4. lib. 3.* Alexand. *conſil. 44. num. 15. lib. 5.* 8.

* adde Seraphin. deciſ. 822. n. 4. Rotam rec. p. 1. dec. 463. n. 4.

9.

Quantum ad bona ſita in territorio Baſtiæ, ſimiliter Domini cenſuerunt, Margaritam in eorum poſſeſſionem fore immittendam, non obſtante ſtatuto ſub rubrica 29. diſponente ne mater ſuccedat filiis ab inteſtato morientibus, ſed ſit excluſa etiam à legitima, ſi ad ſecundas tranſierit nuptias, & ſucceſſio ad proximiores agnatos decedentis maſculos deuoluatur: nam cùm in hac etiam parte, mater excluderetur fauore conſeruandæ agnationis, ſi tales maſculi non extarent, non cenſeretur mater excluſa; nec D. Genebra non agnata, nec ſub ſtatuto comprehenſa, potuit Margaritam excludere.

Quod ſtatutum in prima parte fauore agnationis non excluſerit matrem à legitima, iure ita conſtituit, quia noluit ſine rationabili cauſa, ſolo agnationis intuitu matrem excludere à legitima, * iure naturæ debita. *cap. ſi pater, de teſtament. lib. 6.* quod tamen voluit ſi mater ſecundis nuptiis copularetur, ſed non ideo ſubuertitur diſpoſitio iuris communis, præferentis matrem auiæ in ſucceſſione filij, præſertim in hoc caſu, in quo cùm D. Genebra velit excludere Margaritam per ſtatutum, deberet eſſe de perſonis in ſtatuto ſpecificatis, & militare in ea ratio conſeruandæ agnationis, quod eſt præcipuum ſtatuti fundamentum. 10.

* cum hæc debeatur matri, vt fuit dictum in Romana legitimæ 14. Maij 1613. coram Veroſpio impreſſ. per Merlin. poſt tract. de leg. dec. 63. num. 1.

Nec refert ſi diceretur, ſufficere alteram ſubeſſe rationem, iuxta textum *in §. affinitatis. Inſtit. de nupt. & l. ſi non lex. ff. de hæred. inſtit.* nam procedit, quando quælibet ratio eſſet principalis, & per ſe ſufficeret ad inducendam legis diſpoſitionem, ſecus ſi vtraque ratio coniunctim requireretur, argum. *l. ſi plures. ff. de cond. inſtit.* Ripa *in l. 1. num. 125. ff. ſolut. matr.* 11. 12.

Non obſtat, quòd cùm bona (de quorum ſucceſſione tractatur,) ſunt in loco ſtatuti; tunc ſtatutum liget etiam forenſes, * ad tradita per Ancharranum & alios *in cap. canonum ſtatuta, de conſtit.* quia Rota contrariam † ſententiam ſequi ſolet, & ita etiam loquuntur DD. allegati per Rolandum *in dicto conſil. 24. num. 29. lib. 3.* quod maximè dicendum videbatur, in terminis iſtorum ſtatutorum, quòd ſcilicet non comprehenderent forenſes, * cùm eorum verba, in perſonas mulierum diligerentur, vt in ſtatuto Hiſpelli, ibi, *quòd, quæcunque perſonæ terræ Hiſpelli.* & in ſtatuto Baſtiæ, tam in rubrica, quàm in diſpoſitione, ibi: *quòd mater non ſuccedat filiis.* Vnde cùm per talia ſtatuta, nec inhabilitentur forenſes, Alexand. *dicto conſil. 44. num. 15. verſ. nec prædictis, lib. 5.* & Socinus iunior *conſ. 80. num. 4. lib. 4.* concluſum D. Margaritam matrem, iure communi munitam, in poſſeſſionem vtrorumque 13.

* adde Seraphin. deciſ. 1170. num. 1. quod intellige quo ad ſolemnitates Rota recen. p. 1. dec. 153. n. 5. & p. 2. dec. 118. n. 5. † Cocc. dec. 111. n. 5. & 6. Ludouiſ. dec. 279. n. 10. 23. 25. & 255. n. 1. & 8. & de hoc art. Duran. dec. 31. n. 6. & ſeq.

14.

* adde annot. ad d. deciſ. 275. Lud. n. 25. vbi allegat hanc deciſ. licèt eam annotet de ann. 1591.



rumque bonorum Hiſpelli, & Baſtiæ fore immittendam.

## *Vrgellen. Archidiaconatus de Andorra.*

### Lunæ 13. Aprilis 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Commiſſione cauſæ in Rota circa beneficium, fit cauſa litigioſa.*

3 *Beneficium litigioſum ſemper dicitur eſſe, donec extinguatur, etiam ſi vna pars moriatur.*

4 *Breue obtentum de capienda poſſeſſione, dicitur ſubreptitium, ſi non narretur, beneficium eſſe litigioſum.*

## DECISIO CCVIII.

1. QVoniam Raphaël Duran Archidiaconatum de Andorra, tanquam vacantem in menſe reſeruato, per obitum Michaëlis Grimoſachs impetrauit in Curia, & obtinuit ſibi concedi litteras Apoſtolicas de capienda poſſeſſione nomine Cameræ, in quibus non fecerat mentionem de lite, quam Paulus Antonius Boquet, qui vigore ſtatuti à Sede Apoſtolica confirmati, præfatum Archidiaconatum optauerat de ann.

Habetur præſens deciſio in impreſſis per March. de commiſſ. p. 3. pag. 76.

2. 1583. mouerat contra quondam Michaëlem Prouiſum Apoſtolicum, & in Rota introduxerunt vigore ſpecialis commiſſionis citato, & comparente Michaële, & ſeruatis terminis ſubſtantialibus, dubitaui, an conſtaret de lite, de qua foret facienda mentio in prædictis litteris in forma breuis. Et Domini concorditer cenſuerunt, primum conſtare de lite per * commiſſionem cauſæ in Rota, citationis executionem, & ſeruatos terminos ſubſtantiales *Clement. 2. vt lite pendent. Authent. litigioſa. C. de litig.* quæ cùm non fuerit extincta per obitum † Michaëlis, beneficium remanſit litigioſum. *cap. 1. & 2. vt lite pendent. lib 6.* Mohedanus *deciſ. 14.* aliàs 240. *de cauſ. poſſeſſ. & proprietat.* in nouiſſimè impreſſis, *& deciſ. 190. in manuſcript.* Sarnen. *de triennali, q. 61. circa finem*, & ideo debuit de illa fieri mentio. Ægidius *dec. 102.* etiam in litteris in forma breuis pro capienda poſſeſſione, aliàs cenſentur ſubreptitiæ, * & non operantur effectum, Paleothus *deciſ. 116. incip. Ioannes Michaël*, Verallus *dec. 70. incip. Breue, parte 1.* in impreſſis, vnde nec vigore talis breuis poſſet capi poſſeſſio, nec capta ſuſtineri, quia eſſet † attentata, & vitioſa.

* Caual. dec. 483. num. 10. Rota recen. p. 2. dec. 605. n. 11. & dec. 42. num. 1. & dec. 81. n. 1. & 455. n. 1. & vide infrà dec. 577. n. 7.

3. † adde Caualer. dec. 280. n. 1. Rotam recen. part. 1. dec. 109. n. 1.

4. * de hoc art. vide Ludou. deciſ. 2. n. 5. vbi allegat hanc deciſ. & habetur in recen. part. 2. dec. 29. n. 2. & vide in eiſdem rec. p. 1. dec. 228. n. 3. vbi etiã hæc deciſio allegatur & adde infra deciſ. 524. num. 9.

Albertinus in tract. de agnoſ. aſſert. q. 22. num. 11. & 12.

† adde Lud. deciſ. 10. vbi pro hoc art. allegatur præſens deciſ. 10. & in dec. 305. n. 5.

## *Palentin. & Oxomen. Præſtimoniorum.*

### Lunæ 13. Aprilis 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Actor tenetur priùs probare ſuam intentionem.*

3 *Poſſeſſio vitioſa nulli prodeſſe poteſt.*

4 *Attentata poſſeſſio non meretur commodum poſſeſſionis.*

## DECISIO CCIX.

PRæſtimonia Palentinum, & Oxomenſe, de quibus Ludouicus Ronquillo ex cauſa reſignationis fuerat de an. 1587. auctoritate Apoſtolica prouiſus, impetrauerat certo modo, tanquam vacantia ob non factam publicationem reſignationis, Didacus de Monteroſo de annò 1588. prædictis verò præſtimoniis, ſub ſequeſtro poſitis, quia de nullius legitima poſſeſſione conſtabat, dubitaui, cui priùs incumberet onus iuſtificandi ſuam gratiam? & Domini concorditer cenſuerunt Didaco incumbere: nam cùm ipſe ſimpliciter commiſerit cauſam in Rota contra Ludouicum, quem decreta citatione vocauerat in iudicium, tanquam actor priùs tenebatur probare ſuam intentionem. * *l. qui accuſare. C. de eden. l. is qui deſtinauit. ff. de rei vendic.* Rurſus cùm gratia Didaci eſſet nulla, ob non factam publicationem, tanquam obiectiuè veniens, ipſe priùs tenebatur ſuam impetrationem iuſtificare. 1.

* Rota diu. p. 3. lib. 3. deciſ. 748. n. 1.

2.

Nec Didacus poterat ſe fundare in aliqua poſſeſſione ad effectum, vt tanquam reus poſſeſſor poſſet opponere obiectus contra gratiam Ludouici, & vincere per non ius illius, nam reſpondebatur, quòd cùm aliàs Rota reſolueret, Didaci poſſeſſionem fuiſſe attentatam, non poterat ex tali poſſeſſione id commodum conſequi; cùm improba & vitioſa poſſeſſio nulli prodeſſe debeat. * *l. improba poſſeſſio. C. de acquiren. poſſeſſ.* quod multo iam antea Rota diffinierat in vna Tuden. Parochialis de Tabuchia coram Grato die 10. Nouembr. 1567. pronuntians, attentatam poſſeſſionem non mereri commodum poſſeſſionis. * Refert Lancellotus *de attentatis, circa finem, cap. 31. de pœnis attentatorum, num. 191. & 192.* 3. 4.

* Rota rec. p. 1. dec. 304. num. 1.

* Cocc. deciſ. 486. n. 3.

## *Bergomen. Matrimonij.*

### Die 17. Aprilis 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Adulterium ſolum non inducit impedimentum, ad contrahendum cum adultera.*

3.4 *Adulterium non inducit impedimentum cum adultera, niſi fides, vel promiſſio viuente vxore præcedat, vel fuerit machinata mors, num. 5.*

6.7 *Matrimonium vt dirimatur, ſunt neceſſariæ clariſſimæ probationes.*

8 *Filij habiti ex adulterio viuente vxore prima, poſtea ſi ſit contractum matrimonium cum concubina, non ſunt legitimi, & ideo incapaces ſucceſſionis.*

9 *Filij naturales, per ſubſequens matrimonium legitimantur, & ſunt capaces ſucceſſionis.*

10 *Proles cenſetur legitima, per bonam fidem contrahentium, etiam ſi vnus ſolus eam habuerit.*

*Illegitima dicitur proles, per malam fidem contrahentium, ibid.*

11.12 *Filij cenſentur legitimi per bonam fidem contrahentium, etiam ſi vnus ſolus eam habuerit.*

DECI

## DECISIO CCX.

1. De hac cauſa agit ſequens deciſio.

PRo capienda vera iuris reſolutione, ſequentia ſunt in facto præſupponenda, quæ ex actis in proceſſu contentis colliguntur.

Primum, viuente Claudia legitima Camelli Marconi vxore, eundem Camillum conſuetudinem, & carnale commercium multis annis habuiſſe cum Eliſabetha, quam etiam apud ſe domi retinebat.

Item ex eodem carnali commercio, viuente ſimiliter Claudia legitima vxore, Camillum ex Eliſabetha filios procreaſſe.

Præterea defuncta Claudia, eundem Camillum cum Eliſabetha adultera matrimonium in facie Eccleſiæ contraxiſſe.

Denique Epiſcopum Bergomenſem, viſo libello, ſiue querela propoſita die 22. Auguſti 1590. per Ioannem Baptiſtam Caſoltum, nomine filiorum dicti Camilli ex officio, non citata parte, quoſdam teſtes examinaſſe, quorum nonnulli de auditu ab E[illegible]abetha deponunt, Camillum viuente Claudia, dediſſe fidem Eliſabethæ, de illa in vxorem ducenda poſt obitum Claudiæ.

Quibus ita ſe habentibus, tres princ pales quæſtiones oriuntur. Prima eſt, an ex qu Camillus viuente Claudia adulterium commiſit cum Eliſabetha, mortua Claudia, impeditus fuerit ducere Eliſabetham, ita vt matrimonium fuerit nullum, & de facto tantùm contractum, & propterea dirimendum.

Secunda eſt, præſuppoſito quòd ex ſola carnali copula non oriatur legitimum Canonicum impedimentum, quo minus mortua prima vxore, non poſſit contrahi matrimonium cum adultera, niſi etiam concurrat promiſſio, ſiue fidei datio de adultera ducenda, an in caſu propoſito iſta promiſſio præcedens viuente Claudia ſit præſumenda, ex antecedentibus, & ſequentibus actibus, videlicet longa cohabitatione Camilli cum Eliſabetha, carnali commercio, ſuſceptione liberorum, & ſubſequuto matrimonio poſt mortem Claudiæ, & denique ex teſtibus ſingularibus ex officio per ordinarium receptis.

Tertia & vltima quæſtio eſt, qui filij ex Eliſabetha ſuſcepti ſint legitimi cenſendi, caſu quo ex prædictis actibus, & conſtantiis non probaretur promiſſio Camilli, viuente Claudia de ducenda Eliſabetha.

2. Ad primam quæſtionem videtur dicendum, quòd licèt aliqua iura velle videantur, ſolùm adulterium, ſiue copulam carnalem præcedentem, inter adulterum, & adulteram eſſe ſufficiens impedimentum ad matrimonium, cum eadem adultera, vel adultero contrahendum, poſt mortem coniugis, * *cap. ſignificauit, de eo qui duxit in matr. quam poll. per adult.* nihilominus vera, & communis ſententia eſt, ſolum adulterium non impedire matrimonium cum adultera. Zabarella *in cap. ſignificaſti, in principio, de eo qui dux. in matr. quam poll. per adult.* Præpoſitus *in cap. fin.* vbi gloſſ. *in verb. cognouit eandem, eod. tit.* Sylueſter *verb. matrimonium, 8. quæſt. 9.* nam regula eſt, adulterium ſolum non impedire matrimonium cum

3. 4. adultera, niſi viuente coniuge ſit adiunctum cum matrimonio de facto cum adultera contracto, vel cum fidei datione de adultera ducenda, *cap. fin. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.*

* de hoc art. videndus eſt Sanchez de matr. lib. 7. diſp. 79. n. 30. & per totam agit de materia huius dec.

*cap. relatum, 31. quæſt. 1.* vel in mortem coniugis, 5.
vt daretur locus contrahendi aliud matrimonium cum adultera, machinatum fuerit. * *cap. ſignificaſti, eodem tit.* vnde Præpoſitus *in dicto cap. fin. in principio, notab. 1.* rectè ſeſit dum ait ſolam fidei dationem, vel matrimonium de facto contractum, non impedire matrimonium cum ſecunda, mortua prima, quia iſta duo copulatiuè requiruntur, & ita, inquit, limitantur omnia iura in hac materia loquentia, & omnes ita ſentire, ſcribit *ibidem* Ioannes Andr. *num. 6.* vbi ait, duo eſſe neceſſaria coniunctim ad matrimonium dirimendum, fidem, & copulam, aut matrimonium de facto contractum, & copulam; in caſu propoſito de copula, ſiue adulterio clarè conſtat, de fide data dubitatur, vt in ſecunda quæſtione.

* Sanchez vbi ſuprà diſp. 78. n. 1. & ſeq.

Pro reſolutione ſecundæ quæſtionis præſupponendum eſt, (vt patet ex libello, ſiue querela Ordinario porrecta nomine filiorum Camilli Marconi) iudicium coram Ordinario intentatum eò ſpectare, vt Ordinarius declararet, matrimonium non potuiſſe contrahi inter præfatos Camillum & Eliſabetham, & vti prohibitum, & ab initio nullum, nullatenus poſſe ſubſiſtere de iure, vel de facto. Vnde cùm agatur de dirimendo matrimonio in facie Eccleſiæ contracto, quod eſt maximi præiudicij, nedum ratione Sacramenti, ſed etiam ratione filiorum ex eo ſuſce- 6.
ptorum, clariores probationes videntur neceſſariæ, niſi dicatur quòd cùm iſtæ promiſſiones ſecretò fieri ſoleant, & ideo non poſſint concludenter probari, ſufficiant coniecturæ, quales in hoc caſu videntur multæ, concurrere: ſed in primis duæ, videlicet copula, ſiue adulterium per multos annos continuatum, & teſtium depoſitio de fide data, nam licèt, (vt dictum eſt) ſola copula non ſufficiat in caſu propoſito, tot aliis concurrentibus, copula videtur fuiſſe complementum fidei dationis, vt ex ſententia Cardinalis, dixit Præpoſitus *in dict. cap. fin. in princip. verſ. ſecundò requiritur, de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.*

Nec videtur obſtare teſtium ſingularitas, quia ſunt plures, & deponunt veriſimilia, & de auditu ab ipſamet Eliſabetha. Item non videtur obſtare, quòd fuerint examinati parte non citata; quia Ordinarius proceſſit ex officio, & ſummariè, ſicut in libello fuerat petitum, & ad ſummum poſſunt formiter repeti in iudicio plenario cum citatione partis.

Non obſtat, quòd Eliſabetha interrogata ſuper promiſſione, eam negauerit, quia id fecit, vt occultaret propriam turpitudinem, & ſuper his, vellem mihi ſatisfieri, & iudicio dominorum acquieſcere: nam ex vna parte adeſt efficax ratio, quòd cùm agatur ad dirimendum matrimo- 7.
nium, requiruntur pleniſſimæ probationes: ex alia verò parte militant graues coniecturæ, & veriſimilitudines perſuadentes fidei dationem, ſeu promiſſionem de contrahendo inter Camillum, & Eliſabetham interueniſſe.

Ad tertiam quæſtionem facilis eſt reſponſio, diſtinguendo aliquot caſus.

Primus eſt de filiis ſuſceptis per Camillum, ex Eliſabetha * adultera viuente adhuc Claudia, & de iſtis certa eſt iuris concluſio quòd remanent ſpurij, & ab hæreditate repelluntur, licèt 8.
poſt mortem Claudiæ legitimè Camillus cum Eliſabetha

* adde Rot. recen. part. 1. dec. 191. n. 2.



Eliſabetha matrimonium contraxerit. *c. tanta, qui filij ſint legit.* & ratio eſt, quia ad hoc vt filij 9.
illegitimi per ſubſequens matrimonium legitimentur, debent eſſe ſuſcepti de tali muliere, quæ tempore conceptionis filiorum potuiſſet eſſe vxor illius, * qui eam fecit grauidam: in caſu propoſito, certum eſt, Eliſabetham viuente Claudia legitima Camilli vxore, non potuiſſe legitimè cum Camillo per matrimonium copulari: vnde per ſubſequens matrimonium naturales tantùm, non autem ſpurij legitimantur. Martinus Laudenſis * *in c. 1. §. naturales, ſi de feudo fuerit controuerſ.* quem refert & ſequitur Curtius *tract. de feudis parte 3.* Baldus *in l. ex libera, C. de ſuis, & legit.* Maynerius *in l. quatenus, num. 9. ff. de regul. iuris*, & hoc dixit eſſe veriſſimum dictum, Marianus Socinus *conſil. 31. num. 44.* per textum expreſſum *in dicto cap. tanta.*

* adde Lud. dec. 19. n. 3.

* Ludou. deciſ. 461. n. 6.

10. Secundus caſus eſt quando probaretur cum copula, ſiue adulterio promiſſio, ſeu fidei datio: nam tali caſu, cùm matrimonium ſubſequutum inter Camillum, & Eliſabetham foret ipſo iure nullum, & inualidum, * & velut tale per Eccleſiam declarandum, & dirimendum, filij ex eo ſuſcepti non eſſent legitimi, & cùm vterque tam Camillus, quàm Eliſabetha eſſet in mala fide, † & ſcirent criminis per ipſos patrati impedimentum, non intraret diſpoſitio textus *in cap. ex tenore, qui fil. ſint legit.* ad effectum, vt propter bonam fidem alterius, * ſaltem ex coniugibus prolis ſuſcepta foret cenſenda legitima.

* & quando præceſſit cōcubinatus vrgentiores probationes ſunt neceſſariæ ad probandum matrimonium, latè annotat. ad Lud. dec. 247. n. 24.

11. Tertius caſus eſt, ſi non probatur fidei datio, vnà cum adulterio: nam tunc filij procreati ex

12. ſubſecuto matrimonio legitimi erunt: nam cùm matrimonium hoc caſu fuerit legitimum, filij ex eo procreati legitimi quoque erunt.

† Mantic. deciſ. 149. n. 13. Caſſad. dec. 1. de ſpon. Rot. diuer. part. 1. dec. 605. n. 5. & de hoc articulo videndus eſt Couarr. de ſponſ p. 2. c. 8. §. 2. n. 16. & 17.

* Ludou. dec. 461. n. 2.

---

### *Bergomen. Matrimonij.*

### Die 17. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

5 *Teſtes examinati ex officio, ſine partis citatione, non faciunt fidem.*

6 *Teſtis eſt ſingularis de auditu, ſi ſingulariter aſſerat ſe audiuiſſe articulum à parte.*

7 *Teſtes ſingulares non faciunt numerum, & tantum probant vnus, quantum mille.*

8 *Confeſſio non probatur per teſtes ſingulares.*

9.10 *Matrimonium vt dirimatur, debent eſſe teſtes examinati, omni exceptione maiores.*

11 *Matrimonium vt dirimatur, non ſufficiunt præſumptiones.*

12 *Matrimonium vt valeat, ſufficit probatio per præſumptiones.*

13.14.15 *Confeſſio ambarum partium de matrimonio contrahendo, ſi fiat de tempore inualidante, dirimit ipſum.*

16 *Confeſſio coniugum, ſi fiat tempore non ſuſpecto, & ceſſante periculo colluſionis, ſufficit ad matrimonium dirimendum.*

## DECISIO CCXI.

1. De hac cauſa ſuprà deciſio præcedens.

* IN iſta cauſa, (in qua proceditur per contradictas) in Rota habita die 16. Martij proximè præteriti coram S.D.N. Clemente Papa VIII.

* hæc deciſ. habetur impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſ. dec. 64.

nolui capere reſolutionem, quia informantes non ſatisfecerant difficultatibus, quas ego recitaueram, quare pro capienda vera reſolutione, præſuppoſito in facto, quòd viuente Claudia legitima Camilli Marconi vxore, Camillus multis annis habuit carnale commercium cum Eliſabetha, domi etiam retenta, ex qua viuente ſimiliter Claudia, idem Camillus filios ſuſceperat, & quòd defuncta Claudia Camillus cum eadem Eliſabetha adultera matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerat, & quòd Epiſcopus Bergomenſis, viſo libello, ſiue querela propoſita die 22. Auguſti 1590. per Ioann. Baptiſtam Laſoltum, nomine Filiorum dicti Camilli, parte non citata, ex officio quoſdam teſtes examinauerunt, quorum nonnulli de auditu ab Eliſabetha deponebant, Camillum viuente Claudia dediſſe fidem Eliſabethæ de illa in vxorem ducenda poſt obitum Claudiæ; dubitaui de tribus.

Primò, an ex quo Camillus viuente Claudia adulterium commiſerat cum Eliſabetha, mortua Claudia, potuerit cum eadem Eliſabetha legitimum matrimonium contrahere.

Secundò dato, quòd ex ſolo adulterio præcedente non prohiberetur adulteram ducere, niſi etiam concurreret promiſſio, ſiue fidei datio de adultera in vxorem ducenda, an in caſu propoſito talis promiſſio præcedens viuente Claudia foret præſumenda inter adulterum, & adulteram, ex copula carnali, liberorum ſuſceptione, & matrimonio ſubſecuto poſt mortem Claudiæ, & ex teſtibus ſingularibus ex officio per Ordinarium receptis.

Tertiò qui filij ex Eliſabetha ſuſcepti, legitimi cenſendi forent, caſu quo ex prædictis non probaretur promiſſio, ſiue fidei datio inter Camillum, & Eliſabetham, Claudia viuente.

Quibus dubitationibus Domini in iſta poſi- 2.
tione concorditer reſponderunt, dicentes, primò ad primam veram, & communem eſſe concluſionem, ſolum adulterium præcedens non impedire matrimonium cum adultera. Zabarella, & alij *in cap. ſignificaſti, de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adulter.* Præpoſitus *in cap. fin.* vbi gloſſ. *in verb. cognouit eandem, eod. tit.* Sotus *lib. 4. ſentent. diſtinct. 37. quæſt. 1. art. 4.* textus *in cap. inter cætera, 22. q. 4.* Sylueſter *verb. matrimonium 8. quæſt. 4.* cum aliis: quia in iſta materia ad hoc vt ex crimine naſcatur impedimentum prohibens matrimonium contrahendum cum adulte- 3.
ra, & dirimens contractum, regula eſt, non ſufficere ſolum adulterium, * niſi viuente coniuge ſit admixtum cum matrimonio de facto cum adultera contracto, vel cum fidei datione de adultera ducenda, *cap. fin. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adulter, cap. relatum, 31. quæſt. 1.* vel in mortem coniugis, vt daretur locus contrahendi matrimonium cum adultera, * machinatum fuerit, *cap. ſignificaſti, eod. tit.* Itaque Præpoſitus *in d. cap. fin. in princip. notab. 1.* iure cenſuit, ſolam dationem, vel matrimonium de facto contractum, non impedire matrimonium cum ſecunda, mortua prima; cùm duo iſta copulatiuè requirantur, & ibidem addit ita limitari, omnia iura in hac materia loquentia, omneſque ita ſentire ſcripſit *ibid.* Ioann. Andr. *n. 6.* vbi dixit ad matrimonium dirimendum duo * eſſe coniunctim neceſſaria, fidem, & copulam, aut matrimonium de facto contractum cum adultera, & copulam.

* vide Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 79. n. 5.

* Sanchez vbi ſuprà diſp. 78. n. 1.

* Sanchez in d. quæſt. 79. num. 22.

4\. Pro ſolutione ſecundæ dubitationis, Domini conſiderabant in propoſita facti ſpecie agi de dirimendo matrimonio in facie Eccleſiæ contracto, & propterea requiri plenas probationes,
5\. quales non videbantur hîc adeſſe: nam omnis difficultas reducebatur ad dicta teſtium, qui erant examinati parte non citata: quo caſu,
*Mant. dec. 103.n.1.
etiam ſi Ordinarius proceſſiſſet ex officio,*non faciebant fidem. Abbas *in cap.2. num.* 8. Felin. *num.9. verſic. contrarium.* Dec. *num.* 39. *de teſtib.* Bart.*in l.fin.num.9.ff. de quæſt.* Gabriel *tit.de citatione,concluſ.*1. *num.*105. nec aliquid operabatur, quod poſſet formiter repeti, parte citata; quia ſatis erat eos modò non probare.

6\. Erant præterea ſingulares de auditu ab Eliſabetha,
* & teſtis de auditu à parte aduerſa nihil probat Ludou. dec. 570.n.2.
* cùm quilibet fateretur, neminem extitiſſe præſentem, quando Eliſabetha cuilibet diceret, viuente Claudia, Camillum ſibi dediſſe fidem de illa ducenda. Alexand. *conſ.*68. *num.*8. *lib.*3. Decius *in cap.veniens, num.*24. *verſ. non obſtat.de teſtib.* Felin. *in cap. licèt ex quadam num.* 2. *eod. tit.* Aquiles *deciſ.*464. *num.*3. *& ſeq.* Put. *deciſ.*476. incip. *Confeſſ.* 10. *lib.*2. Gabriel *de teſtib. concluſ.*2. *num.*4.

7\. Nec defectus ſupplebatur ex numero, quia quando teſtes ſunt ſingulares, non dicuntur facere numerum: tantum enim probant mille,
*adde Lud. dec.390.n.3. vbi annotat. num.11.
* quantum vnus. Baldus *in l. iuriſiurandi num.* 9. *C.de teſtib.* Decius *conſil.*133.*num.*4.*& conſil.*189. *num.*9. Gabriel *d.concluſ.*2.*num.*2.

8\. Et licèt vnus ex Dominis retuliſſet, quòd aliàs Rota in vna Florentin. legitimitatis coram Cotta de menſe Ianuarij 1571. tenuerit, contra præfatam Putei deciſionem, qua teſtes ſingulares probant confeſſionem,
* teſtis vnicus non probat confeſſorem patris Lud.dec.517. n. 26. Mant. dec.179.n.6. Seraph. dec. 1029.n.11.
* vt per Rol.*conſ.*82. *num.* 44. *& ſeq. lib.*2. ex aliis tamen iſtis teſtibus non videbatur danda fides: quia vltra quod, (vt dictum fuit) fuerunt examinati parte non citata, non placebat Dominis ipſorum qualitas, nam quatuor erant mulieres ſatis viles, quæ non poterant dici omni exceptione maiores ad matrimonium dirimendum. Decius *conſ.* 113. *num.*4.
9\. *verſ.poſtremò, & generaliter omnes erant perſonæ vi-*
10\. *les*, cùm tamen ad dirimendum matrimonium legitimè contractum, claræ probationes, & teſtes
*Ludou.deciſ. 351.n.2. Mant. deciſ. 372.n.1.
* omni exceptione maiores requiruntur. *cap.1. de conſang. & affinit. cap.licèt ex quadam, de teſtib.*Decius *d.conſ.*133.*num.*2.Gabr.*de teſtib.concluſ.*8. *num.* 1.

11\. Dicebatur præterea, alias præſumptiones deſumptas ex carnali copula, liberorum ſuſceptione, & matrimonio ſubſequuto, poſt obitum Claudiæ, non eſſe ſufficientes ad præſumendam fidei dationem ad effectum, vt id matrimonium eſſet dirimendum, cùm requiruntur concludentes probationes, ſicuti in cauſis criminalibus: vt notant Canoniſtæ *in cap.de illo, de eo qui cogn.con-*
12\. *ſang.vxor.ſuæ.* Dec.*conſil.*133.*num.*3. regula enim eſt, quòd in cauſa matrimoniali, cùm agatur de matrimonio dirimendo, duæ pluréſve præſumptiones non coniunguntur ad faciendam plenam probationem. Alexand. *conſil.* 143. *num.*4. *lib.*2. Decius *conſil.*133.*num.*3.*& conſil.*310. Gratus *conſil.*38.*num.* 30. *lib.* 2. licèt ſecus ſit, cùm agitur de matrimonij validitate: nam tunc plures
*Ludou. deciſ.247.n.12. 13. & deciſ. 248. n. 40. quæ conducunt ad materiam huius dec.Rota recen.p.2. dec. 341.n.1.& 5. p.2. & deciſ. 198. num. 1. & 310. n. 1. & 7. p.1.
* præſumptiones connecti poſſunt ad plenam probationem faciendam. Barbatia *conſil.* 6. *num.* 1. *&* 2 *lib.* 1. Menochius *de præſumptionib. quæſt.*40. *num.*5. *&* 6.

Motiuum factum per vnum Aduocatum, 13.
quòd neque confeſſioni amborum coniugum eſſet ſtandum, licèt faterentur fidei dationem interceſſiſſe de matrimonio inter eos contrahendo, & concurreret rumor viciniæ.*cap.ſuper eo, de eo qui cognou. conſang. vxor. ſuæ*: vbi Anton.de Butrio *num.*1.*&* 3. Abbas *num.*1. *&* 2. Henricus Boichus *num.*5. Hoſtienſis *in ſumma eod.tit.* §. *& quid iuris, num.*3.*verſ.illud notandum.* & in terminis Ioann.Andr.*in d.cap.fin.de eo, qui dux.in matr. quam polluit per adult. num.*7.*verſ.in foro tamen iu-*
*diciali,* Domini non putabant indiſtinctè, & ſim- 14.
pliciter admittendum: nam ſi talis coniugum confeſſio emanaſſet de tempore non ſuſpecto, verbi gratia, ante contractum ſecundum matrimonium, & quando eſſet certum, quòd coniuges nollent inter ſe colludere in odium matrimonij, vt illud reſcinderent, tunc ea confeſſio releuaret.

Textus autem *in dicto cap. ſuper*, & Doctores 15.
*ibidem,* & Ioann.Andr. *in dicto cap.fin.* vbi allegat eundem textum, loquuntur in aliis terminis, ſcilicet quando coniuges impugnant matrimonium: nam tunc cùm facile contra matrimonium poſſent colludere, & ad confeſſionem inceſtus proſilire, ſi ſuo iudicio crederetur, ideo non ſtaretur eorum confeſſioni, quamuis ex viciniæ rumore coadiuuaretur, vt *dicto cap.ſuper eo,* neque ex tali confeſſione poſſet iudex ad dirimendum matrimonium procedere, ſed aliæ plenæ probationes habendæ forent, Hoſtienſis *in cap.atteſtationes,* vbi Abbas, *num.*8. & Præpoſitus *num.*6.*de deſponſatione impuber.* Ioannes Brunellus *tract.de ſponſalib. concluſ.*29. *num.*4. *verſ. ſextò limitatur.* Couarruuias *in epitome lib.* 4. *Decretal. part.*1.*cap.*4.§.1. *num.*4. *&* 5.

Cæterùm ceſſante periculo colluſionis, ſi con- 16.
feſſio * coniugum ſtantium pro matrimonio, *adde Ludouiſ.dec. 247. n.16.Seraph. dec.156.n.2.
fieret in tempore non ſuſpecto, tunc ſufficeret ad matrimonium dirimendum. Hoſtienſis *in d. cap.atteſtationes,* vbi Abbas *num.*8. *verſ.vbi autem ceſſat præſumpt.fraudis.* & Brunell.*d.tract.de ſponſalib.concluſ.*29.*num.*4. Abbas *in dicto cap.ſuper eo, num.* 7. licèt in propoſito themate iſta ceſſarent, cùm non adeſſet aliqua coniugum confeſſio contra ſecundum matrimonium, nam iſta quæ prætendebatur haberi ex ore Eliſabethæ, non erat legitimè probata.

Pro reſolutione vltimæ dubitationis, Domini 17.
diſtinguebant tres caſus, primus de filiis ſuſceptis per Camillum ex Eliſabetha adultera viuente adhuc Claudia, & iſtos pronuntiarunt remanere ſpurios, & ab hæreditate repelli, licèt poſt mortem Claudiæ Camillus legitimè Eliſabetham in vxorem duxerit, *cap.tanta, qui filij ſint legit.* quia iſti non legitimantur per ſubſequens matrimonium. Marian.Socinus *conſ.*31.*num.*44. *lib.* 2.

Secundus, quando ſimul cum copula probata fuiſſet fidei datio: nam tunc cùm matrimonij ſubſequutio foret ipſo iure nulla, filij ex eo ſuſcepti, legitimi eſſe non poterant.

Tertius, quando non probaretur fidei datio vnà cum adulterio, vt in propoſita facti ſpecie non fuerat probata: & iſto caſu filios ſuſceptos ex matrimonio ſubſequuto inter Camillum, & Eliſabetham poſt obitum Claudiæ, & legitimos eſſe, & in hæreditate ſucceſſibiles Domini cenſuerunt.





## Perusina bonorum.

### Die Lunæ 20. Aprilis 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Pœnæ à iure ciuili ſtatutæ contra mulieres ſecundò nubentes infra annum luctus, per ius Canonicum ſunt ſublatæ, & num.7.*
3 *Statuta iubentia ſeruari ius ciuile, non habent locum, ſi inueniatur correctum per Canonicum.*
4 *Ius ciuile correctum per Canonicum, non dicitur ius ciuile.*
5 *Pœnæ à iure ciuili inductæ, fauore filiarum, non ſunt ſublatæ per ius Canonicum.*
6 *Statutum ciuitatis non ligat extra territorium ſuum.*
8 *Dictio,* infra, *vel* intra, *denotat licentiam conceſſam, in qualibet parte temporis poſſe fieri.*
9 *Mulier quæ peperit poſt mariti diſceſſum, & ibi fuit mortuus, non poteſt præſumi grauida ex ſuo marito.*

## DECISIO CCXII.

1\. Hæc deciſ. habetur impreſſa per Farin. poſt tom.2. conſ. dec.65.
*de hoc art. Sanchez de matr. lib.7. diſp.88. n.3. & 38. & ſeq.

PRopoſui dubium; an pœnæ impoſitæ de iure ciuili *in l.* 1. *&* 2. *C. de ſecundis nuptijs,* vindicarent ſibi locum contra dominam Margaritam de ſancta Cruce, quæ infra tempus luctus ab obitu D.Guidi de Ballionibus, primi eius mariti, nupſerat Domino Pyrtho de Ballionibus, ad effectum, * vt priuaretur hæreditate Aſtoris, illius filij ab inteſtato defuncti; & Domini concorditer cenſuerunt, pœnas à iure ciuili latas, contra ſecundò nubentes infra annum
2\. luctus, † per ius Canonicum fuiſſe ſublatas, *cap.*
† de hoc art. vide Verall. dec.25. n. 3. part.2.
*ſuper illa, & cap.vltimo, extrà de ſecundis nupt.* vbi notant communiter Canoniſtæ, Abbas *in cap. Eccleſiæ S. Mariæ, num.* 15. vbi Felinus *num.*56. *&* 57.*de conſtit.* Couarruuias *in epitome lib.*4.*Decretalium,part.*2.*cap.*3.§.9.*num.*5. Capra *conſil.*70. *num.* 10. & alij, quos refert Gabriel *tit. de ſecund. nupt.concluſione* 5. *num.*1. ac propterea non nocere D. Margaritæ, quominus in hæreditate filij ſuccederet.

Nec placuit Dominis, quod pro parte D.Genebræ Saluiatæ opponebatur de ſtatuto vrbis *lib.*1. *c.*42. viuente inter ciues Romanos incolas, & diſtrictuales, (quales præſupponebantur eſſe iſtæ Dominæ Genebra, & Margarita) ſeruari ius ciuile, vbi ſtatuta non diſponunt: quoniam reſpondebatur, tale ſtatutum non habere locum,
3\. quando ius ciuile, in caſu ſtatuti per ius Canonicum expreſsè reperiebatur correctum, vt in terminis voluit Capra *conſil.*70. *num.* 12. incip. *Et ſi viſo*, quem refert, & ſequitur Gabriel *tit.*
4\. *de ſecund. nupt. concluſ.* 5. *num.* 5. ſtatutum enim mandans, ſeruari ius ciuile, intelligitur de iure ciuili non correcto, vel abrogato, quia ius correctum non dicitur ius ciuile, gloſſ. *in l. fin.* vbi Bartol. *num.* 1. *ff. ad legem Cornel de falſis.* Capra *dicto conſil.*70. *num.*12. *verſ. nec obſtat ſtatutum.* & ex his quoque tollebatur alia oppoſitio de auctoritate Papæ confirmantis ſtatuta Populi Romani, nam confirmatio non dedit robur ſtatutis loquentibus de iure ciuili, aliàs per ius Canonicum correctis: nec propterea ſequebatur abſurdum conſideratum pro D. Genebra, quod inde fieret, vt nunquam tale ſtatutum poſſet habere locum, ſi ſemper ius Canonicum foret obſeruandum: nam cùm in multis caſibus ſæpe appareat, variis modis fuiſſe diſpoſitum de iure Canonico, & de iure ciuili, præſertim in materia teſtamentorum, in illis locis vbi ſeruabitur ius ciuile, remanebit quidem illud in viridi obſeruantia, ſi expreſsè per ius Canonicum non appareat abrogatum.

Neque de præſenti caſu debet fieri extenſio 5.
ad alios, verbi gratia, contentos *in l.fœminæ, & in l. hac edictali. C. de ſecund. nupt.* nam circa iſtos, pœnæ à iure ciuili inductæ fauore filiorum, non cenſentur ſublatæ per ius Canonicum.*c.cùm conſtet. de pignoribus*, vt expreſsè notat Innocentius quem alij ſequuntur, *in dicto cap. fin. de ſecund. nupt.* Felin.*in d.cap.Eccleſiæ S.Mariæ num.*56.*verſ. prima declaratio, de conſt.* nam iſtæ pœnæ non ſunt appoſitæ in odium matrimonij, ſed fauore filiorum. * Abbas *in d. cap.fin.de ſecund. nupt. num.*3. *verſ.ſed pœnæ appoſitæ.*
* Rota rec. p.1.dec.638. num.3.

Conſiderabatur præterea, hæreditatem de qua 6.
agebatur, non eſſe ſitam in territorio vrbis, & ideo ſtatutum Romanum ad illam trahi * non potuiſſe. Alex.*conſ.*16.*& conſ.*128.*n.*2.*lib.*1. Lapus *allegatione* 91.*n.*7. Gozadinus *conſ.*49.*n.*8. quia ſtatuentes non habent facultatem ſtatuendi extra territorium. Puteus *dec.*351. incip. *Dubitaui ego, num.*3. *lib.*1.
*adde Cocc. dec.133.n.2. Ludou. dec. 255.n.1.& 7. Rota recen. p.2.dec.218. num.2.

Et licèt aliqui Doctores voluerint, pœnas à 7.
iure ciuili inductas contra ſecundò nubentes, non eſſe ſublatas per ius Canonicum, quando mulier nimis properè feſtinaſſet ad ſecundas nuptias, idque ob incertitudinem prolis; quia ſi mulier pareret in decimo, vel vndecimo menſe, poſt obitum primi mariti, incertum eſſet cui, an primo, vel ſecundo marito foret proles attribuenda. gloſſ.*in l. decreto. C.ex quibus cauſis infamia irrogetur.* vbi Baldus, & Paulus de Caſtro, & alij relati per Gabrielem *tit. de ſecund. nupt. concluſ.*5.*num.*6. quod in propoſita facti ſpecie videbatur militare contra D. Margaritam, quæ aſſerebatur, ante duos menſes completos ab obitu primi mariti, ad ſecundum matrimonium conuolaſſe; Domini tamen contrariam ſententiam veriorem eſſe cenſuerunt, quam tenuit Abbas *in c.fin.n.*3. *verſ.ſed iudicio meo, de ſecund.nupt. & in c.Eccleſia S.Mariæ,n.*15. *verſ.ſed ego, de conſtit.* & *ibi* Felinus *n.*57. Baldus *in l.* 1. *in ſecunda lectura n.*9. *C.de ſecund.nupt.* & Capra *in d.conſ.*70. *n.*10. *in fine verſ. & hoc quod tale ius.* vbi ait Innocentium, & poſt eum Hoſtienſem, & Ioannem Andr. *in d cap.fin.de ſecund.nupt.* tenuiſſe dictas pœnas, quæ imponebantur propter feſtinationem matrimonij, fuiſſe ſublatas, quam ſententiam ſatis probare videtur text.*in d.c.fin.de ſecund. nupt.* ibi, 8.
*infra tempus luctus,** nam illa dictio, *infra*, ſeu *intra*, apertè denotat licentiam conceſſam in qualibet parte anni. Abb.*ibid.n.*3.*verſ.ſed iudicio meo.*
*hæc deciſio ad hunc arculum allegatur à Pic. ad ſtatuta Vrbis deciſ. 38.n.12.

Poſtremò, in propoſita facti ſpecie, difficultas ceſſabat, & ratio conſiderata per Doctores alterius opinionis de incertitudine prolis: quoniam Dominus Guidus Ballionus, qui in abſentia deceſſerat in partibus Flandriæ, nec fuerat reuerſus, non poterat iterum grauidam reddere D. Margaritam, quæ poſt mariti diſceſſum pepererat Aſtorem, Ioan.Andr.*in dicto cap.fin.de ſecund. nupt.num.*5.*verſ.ad id quod de honeſtate.*

*Pampilonen. Sepulturæ.*

Die Veneris 24. Aprilis 1592.

## DECISIO CCXIII.

AGentes pro incolis de Sparza contra Ioannem Ramirez, ad infringendam deciſionem ſub die 17. Februar.* ad illius fauorem factam, produxerant quaſdam ſcripturas, ſuper quibus volui ipſos de nouo audire, & ſic propoſui cauſam ſuper eiſdem; quas cùm Domini vidiſſent non releuare, ordinarunt expediri cauſam, & confirmari ſententiam per ordinarium, ad fauorem præfati Ramirez latam, ſuper quadam ſepultura, quæ poſtquam ædificata fuit Eccleſia, remanſerat intra illam, in loco, in quo erigendum erat Altare Capellæ, quam vocant S. Catherin. ita tamen, vt prædicta ſepultura remaneret plana, & ſolo æquata, nullumque impedimentum, vel indecentiam diuinis officiis celebrandis offerre poſſet.

* ſuprà deciſ. 199.

*Foroliuien. penſionis.*

Veneris 24. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſor manutenendus eſt in poſſeſſione.*
3 *Poſſeſſor exigendi penſionem, manutenendus eſt, etiã ſi ei opponatur exceptio nullitatis penſionis.*
4 *Teſtis deponens ſe ſoluiſſe penſionem, quam habebat in ſuo beneficio, non valet.*
5 *Poſſeſſor gratiæ conditionalis, ſi ſit in poſſeſſione eius, manutenendus eſt.*
6 *Interdicto retinendo agenti, ex eo, quòd penſio ſit extincta, per profeſſionem in religione, non obſtat ad effectum poſſeſſionis.*
7 *Manutentio non debet denegari, ſi non conſtat de iniuſtitia poſſeſſionis.*
8 *Iudicium retinendæ intentatum pro penſione non impedit, cumulare iudicium nullitatis.*

## DECISIO CCXIV.

1. REſeruata fuerat penſio cc. ſcutorum auri in auro, ſuper menſa Epiſcopi Foroliuien. de ann. 1562. ad fauorem D. Camilli Aleotti, poſtquam idem Camillus clericali charactere fuiſſet ritè inſignitus, quam cum à R. D. Fuluio Theophilo moderno Epiſcopo Foroliuien. exigere cœpiſſet, ac poſtmodum dubitaretur, vtrùm Camillo præfata penſio deberetur, coram Auditore Cameræ Camillus ſententiam contra ſe reportauit, per quam fuit pronuntiatum, penſionem cc. ducatorum fuiſſe caſſatam, & extinctam, propter conſtitutionem * Sixti V. ſuper delatione habitus clericalis. Cauſa introducta in Rota dubitaui, an Camillus eſſet manutenendus in quaſi poſſeſſione exigendi penſionem. Circa conſtitutionem Sixti V. licèt Dominis non videretur contemnenda oppoſitio, quæ inde fiebat pro parte Domini Epiſcopi, propter decretum in ea oppoſitum, quod inficit etiam poſſeſſionem, nihilominus, quia id reſpiciebat petitorium, & nunc agebatur de ſolo, & mero poſſeſſorio, præſertim cùm pro parte Camilli petitorium fuiſſet ſuſpenſum, nihil videndum cenſuerunt, ſed ſuper poſſeſſorio pronuntiarunt, D. Camillum fuiſſe manutenendum: * nam de quaſi poſſeſſione exigendi, conſtabat ex depoſitione Domini Ioanneti, qui, dum fuerat Epiſcopus Foroliuienſis, eam ſoluerat, † item ex mandato ipſiuſmet moderni Epiſcopi Theophili, cum receptione inde ſecuta, item ex depoſitione primi teſtis examinati pro parte Camilli, qui deponit ſe ſoluiſſe dicto Camillo prædictam penſionem de ordine Ioannis Franciſci Canobij tunc Epiſcopi Foroliuienſis, vnde cùm ex his ſufficienter probaretur quaſi poſſeſſio ad iſtum effectum, intrabat clara iuris concluſio, Camillum poſſeſſorem manutenendum. Bart. *in l. 1. ff. vti poſſid.* Faber, & alij *in §. retinendæ, Inſt. de interdict.* quod procedit, quamuis penſionario poſſeſſori opponeretur exceptio nullitatis penſionis. * Caſſad. *dec. 10. n. 8. verſ. niſi agens eſſet, de reſcript.* Mohed. *dec.* 158. & ita paſſim ſeruat Rota, vt in illa Cæſarauguſtana penſionis die 30. Ianuarij 1589. & die 25. Maij eiuſdem anni coram R. P. D. Gyptio.

* habetur hæc conſtitutio in Bullario Cherubini tom. 2. conſtitut. 92. Sixti V. fol. mihi 653. quæ incipit Sacroſanctã Dei eccleſiam.

* adde Duran. dec. 48. n. 2. & 324. num. 25. quod ſemper Rota ſeruat & pluries declarauit.

†& hęc quaſi poſſeſſio anteceſſoris afficit ſucceſſorem. Cocc. dec. 31. n. 1. & 5. Rota recen p. 1. dec. 508. n. 2. & latè Poſt. obſeru. 56. n. 19. vbi plures dec. allegat.

* de hoc art. latè agit Poſtius de manu. obſer. 42. à n. 33. cum ſeq. vbi plures deciſ. allegat.

Nec teſti, pro parte Camilli inducto dicebatur obſtare deciſio Parmenſis penſionis die 26. Matt. 1562. coram Franc. Sarmiento, tunc Rotæ Auditore, nunc verò meritiſſimo Epiſcopo Giennenſi, vbi deciſum fuerat, non eſſe credendum teſtibus, deponentibus ſe ſoluiſſe penſionem, ex quo deponebant ad ſui exonerationem, quando ſi non ſoluiſſet, iterum ſoluere teneretur, ſicut loquitur Alexander (in quo eſt fundata præfata deciſio) *conſ. 71. n. 4. & 8. lib. 7.* & in propoſita facti ſpecie, nil intererat iſtius teſtis, ſi ſoluiſſet, vel non ſoluiſſet, ſed nec erat neceſſarium, tam anxie inquirere de fide iſtius teſtis, cùm eo ſemoto, bene videretur Dominis, ex aliis probata quaſi poſſeſſio exigendi. 3.

† adde infrà *deciſ. 666.* & hoc requirit altiorem indaginē quo caſu tales exceptiones nō admittuntur. Caual. deciſ. 150. n. 3. Ludou. deciſ. 9. n. 10. & 107. n. 3. & deciſ. 275. num. 11. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. ſed non eſt intitulanda Florentina, ſed Foroliuien.

* adde Lud. dec. 275. n. 1. & ſeq.

Nec manutentionem retardare poterat reſeruatio penſionis conditionalis, poſtquam Camillus ritè foret clericali charactere inſignitus, nam & dicta conditione ſtante, manutenendus eſt poſſeſſor. Caſſador. *d. deciſ. 10. num. 8. verſ. niſi agens eſſet, de reſcript.* 4.

Deciſio in cauſa Parmen. 28. April. 1567. quòd ſolutio facta ante purificatam conditionem, non præiudicet ſucceſſori, reſpectu quaſi poſſeſſionis, eo nomine dicebatur in propoſita facti ſpecie, non obſtare, quia ex depoſitione D. Ianneti, conſtabat, ipſum ſoluiſſe, quòd ipſum apparebat ex depoſitione primi teſtis tempore Epiſcopi Canobij, ex his enim nòn poterat dici, conſtare ſolutionem fuiſſe factam ante purificatam conditionem, ſicut conſtabat in dicta cauſa Parmenſi, ſed difficultas ceſſabat ex ſolutione facta per R. Modernum Epiſcopum Theophilum. 5.

Conferebant etiam tradita per Verallum *deciſ. 331. lib. 1. & deciſ. 313. lib. 2.* vbi agenti interdicto retinendæ, non obſtabat allegare penſionem fuiſſe extinctam, per profeſſionem, quibus non repugnat deciſio eiuſdem Veralli 185. *part. 3.* quæ loquitur in terminis longè diuerſis, iuxta *dec. 1. de reſtitutione ſpoliat. in antiq.* 6.

Quod opponebatur de iniuſtitia poſſeſſionis, reſultante ex ſententia Auditoris Cameræ ſuper extinctionem penſionis, facilè tollebatur ex eo, quòd effectus ſententiæ fuerat ſuſpenſus per appellationem à Camillo interpoſitam, quo caſu cùm nam dicatur conſtare de iniuſtitia poſſeſſoris, non debet ei manutentio denegari. * *c. cùm teneamur, de appell.* Berous *conſ. 45. num. 2. & ſeq. & conſ.* 119. 7.

* adde Rot. in vna Oritana voti 27. Martij 1626. impreſſa per Poſt. poſt tract. de manu. dec. 101. n. 6. & deciſ. 228. n. 6.



*conſ. 119. num. 7. & ſeq. lib. 3.* & fuit deciſum in vna Hiſpalen. nullitatis penſionis coram D. Cæſare de Graſſis, quæ nunc habetur 4. *tit. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* in impreſſis.

8. Et quamuis iudicio retinendæ intentato pro penſione, liceat iudicium nullitatis cumulare, hoc tamen non facit, quin interim pendente appellatione à ſententia lata ſuper nullitate, poſſeſſor manuteneri debeat, vt *in d deciſ. 4. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* coram Domino de Graſſis.

*Romana donationis.*

Die 27. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

2 *Simulatio in donatione non præſumitur, niſi cauſa ſimulandi doceatur.*
3 *Bona patris de iure ad filios debent peruenire.*
4 *Donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio ſunt prohibitæ.*
5 *Donatio inter virum & vxorem conſtante matrimonio facta ſi iuramento muniatur, valet.*
6 *Donatio facta coniunctæ perſonæ, non præſumitur ſimulata, ſi non ſunt aliæ coniecturæ.*
7 *Donatio facta de maiore parte bonorum, non præſumitur doloſa, ſi fuerit ante æs alienum contractum.*
8 *Donatio non præſumitur ſimulata ex eo, quòd donator remanſit in poſſeſſione adminiſtrationis bonorum donatorum.*
9 *Clauſula*, conſtituti, *in donatione poſita, excludit omnem fraudis, & ſimulationis ſuſpicionem.*
10 *Donatio facta de parte bonorum, non præſumitur doloſa, etiam ſi donans aliqua bona donata pignorauerit.*
11 *Donatio præſumitur valida ex retrodonatione donatarij.*
12 *Aſſertio partis erronea non nocet ei.*
13 *Præſumptiones, ex quibus arguitur ſimulatio, ita demum operantur, ſi cauſam ſimulandi, tempore donationis affuiſſe, doceatur.*

## DECISIO CCXV.

1. DOminus Alexander de Grandis, die 19. Februarij ann. 1573. ſponte, & omni meliori modo, ſub certis conditionibus, & ſubſtitutionibus donauit D. Læliæ Maſſæ eius vxori, ob ſinceram dilectionem, qua eam proſequebatur, donatione inter viuos, duo caſalia, palatium, domos, maſſariam pecudum, & alia quædam in inſtrumento dictæ donationis ſpecificata, in vrbe, & eius territorio exiſtentia, non tamen omnia, quæ ipſe poſſidebat, cùm pleraque penes ſe retinuerit, eo addito pacto, vt poſt obitum donatariæ, eadem bona filiis maſculis communibus reſtitueret, & filias etiam communes congruenter dotare teneretur; interim idem Alexander donator victum, & veſtitum, & facultatem adminiſtrandi eadem bona donata, cum clauſula, *conſtituti*, ſibi reſeruauit. Hanc donationem in cella Vicarij S. Petri de Montorio, coram tribus religioſis teſtibus celebratam, & per D. Fabium Aronium Notarium ipſius donantis affinem receptam, die 25. eiuſdem menſis & anni Lælia acceptauit, vt eadem die, coram ſecundo collaterali Veriæ Capitolinæ pro tribunali ſedente, hora audientiæ ſolita, ſeruatis ſtatuariis ſolemnitatibus, fuit ritè donatio eadem inſinuata: cæterùm quia creditores qui poſt factam donationem cum Alexandro contraxerant, eam tanquam fraudulentam, & ſimulatam reuocandam prætendebant, quibus ex aduerſo ſe opponebant D. Lælia, vt eius filij, quibus vigore donationis, & ſubſtitutionis in ea factæ, fuerat ius quæſitum, dubitaui an donatio prædicta ſuſtineretur, & vtraque parte informante, & ſuas prætenſiones, tam in facto, quàm in iure proponente, Domini die Lunæ 27. April. cenſuerunt, donationem fuiſſe* validam.

De materia huius deciſionis vide infrà deciſ. 446.

* hæc reſolutio fuit cõfirmata infrà dec. 313.

Et quia pro parte creditorum non opponebatur defectus ſolemnitatis, (omnia enim requiſita, tam à iure communi, quàm à ſtatutis, ſatis in ea ſeruata fuiſſe apparebant,) ſed ſolùm arguebatur fraudis, & ſimulationis, ex multis coniecturis, ideo vnas coniecturas cum aliis conferre oportuit, vt illis ſtaretur, quæ vrgentiores viderentur. Quæ verò pro ſuſtinenda donatione afferebantur, vrgentiores viſæ fuerunt in hoc caſu, aderat enim primum inſtrumentum donationis, omnibus ſolemnitatibus munitum, ſubſequebatur inſinuatio, & iudicis decretum, & ſpectata probitas, & bona conditio donantis, & donatariæ, * æs alienum multo poſt donationem tempore extiterat contractum, denique non apparebat cauſa ſimulandi, cùm tamen non ſufficiat proponere ſimulationem, niſi etiam ſimulandi cauſa doceatur. * *l. patronus. ff. de probat.* Bartholom. *conſ. 65.* incip. *Factum tale, num. 4.* Ancharan. *conſil. 227. num. 2.* Idem *in l. poſt contractum, num. 3. verſ. ſecunda præſumptio ff. de donat.* Alexand. *conſil. 111.* incip. *Viſo ſuperiore themate, num. 1. lib. 3. & conſil. 28.* incip. *In cauſa, & lite, num. 12. lib. 5.*

* vide infrà dec. 1190.

2.

* adde Duran. dec. 128. n. 10. Ludou. deciſ. 157. n. 17. & 21. & latè additio. n. 27. & dec. 401. num. 15. Rotam rec. p. 2 dec. 413. n. 1. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, & vide infrà dec. 530. n. 2. vbi alias deciſ. annotaui.

Illa etiam coniectura fuit viſa Dominis ſimulationem excludere, quoniam in pactum fuerat deductum, vt poſt obitum donatariæ, bona reuerterentur ad filios donatoris, ad quos aliàs de iure peruenire debebant. 3.

Neque coniecturæ adductæ pro creditoribus ſuadebant ab hac deciſione recedendum: nam quòd donatio eſſet inter virum, & vxorem, inter quos conſtante matrimonio prohibitæ ſunt mutuæ donationes, * ne in paupertatem incidere compellantur, † *cap. fin. de donat. inter virum, & vxorem, l. 3. ff. eod. tit.* non perſuadebant ſimulationem: nam præterquam quòd donatio non fuerat de omnibus bonis, multa enim bona libera remanſerant penes donantem, erat etiam iuramento munita, quod ſuſtinet talem donationem. * Abbas *in dicto cap. fin. num. 9. de donat. inter vir. & vxor.* Decius *conſil. 202. num. 2. verſ. alia eſt opinio, & 232. num. 6.* & hanc eſſe magis communem opinionem voluit Albenſis *conſ. 4. n. 11.* Rolandus *conſ. 8. num. 16. lib. 1.* Aymo *conſ. 102. num. 2. & conſ. 245. num. 11.* 4.

* Ludou. dec. 67. n. 3. Mantica dec. 49. n. 1. & ſeq. † vide infrà deciſ. 728. n. 27. vſque ad 29.

5.

* adde Duran. dec. 268. n. 4. Ludou. dec. 563. n. 7. vbi additio litt. C. hanc deciſ. allegat ad hunc art. & vide infrà dec. 239. n. 5. 631. & 637.

Et hinc quoque cenſebatur ſatis ſufficienter ſublata alia præſumptio ſimulationis de donatione facta coniunctæ perſonæ: nam niſi aliæ coniecturæ vigentiores ſimul concurrant, iſta ſatis leuis putabatur. Crotus *conſil* 182. *num.* 77. *lib.* 2. cùm propenſiores eſſe ſoleamus ad donandum coniunctis, quàm extraneis perſonis, & propterea cùm coniunctis donatur, illa præſum- 6.

ptio capienda eſt, quòd donatio potius contemplatione proximitatis, quàm fraudis & doli fiat, Coraſius *in dicta l. poſt contractum, num. 9. ff. de donat.*

7. Nec fraus arguebatur, ex eo capite, quòd donatio eſſet facta de maiori parte bonorum, nam cùm conſtitueretur facta ante contractum æs alienum, non putabatur alicuius fuiſſe momenti, vt inde dolus argueretur. Barthol. *dict. conſ. 65. num. 4. & 5. & in dicta l. poſt contractum num. 2. ff. de donat. per l. ſi ventri, §. fin. ff. de priuileg. credit.* latè in ſimili Ancharanus *conſ. 251.*

8. Minus colligi poterat ſimulatio ex eo quòd donator remanſit in poſſeſſione, * & adminiſtratione bonorum donatorum, quia præterquam quòd iſta præſumptio non eſt ſufficiens ad fraudem præſumendam, Iaſon *in §. item ſi quis num. 41. Inſtit. de actionib.* Picus *in l. poſt contractum, num. 49. ff. de donat.* Barth. *dicto conſil. 65. num. 5.* ex facto ſatis ceſſat obiectio, cùm expreſsè fuerit in donatione deductum, vt donator
9. poſſet adminiſtrare, ſi vellet, addita clauſula Conſtituti, quæ excludit omnem fraudis, & ſimulationis ſuſpicionem. * Bartholom. *d. conſ. 65. num. 6.* Romanus *conſ. 246. n. 1.* Socinus *conſ. 264. lib. 2. num. 2. verſ. ſed dicet.*

* adde Lud. deciſ. 401. n. 16. & habetur in recen. p. 2. dec. 241. n. 10. Caual. deciſ. 13. n. 4. Rotam diu. p. 2. dec. 116. num. 9.

* ſed ſi conſtat de ſimulatione nihil operatur Coccin. dec. 222. n 5. & dec. 379. n. 4. & 5.

Præterea ex eo, quòd D. Alexander donator die 26. eiuſdem menſis, & anni quo fuit facta donatio, impoſuerit annuum cenſum ſcut. 680. auri in auro, ſuper vno ex caſalibus vxori do-
10. natis, illumque vendiderit Syluestro Gottardo pro pretio ſcutorum octo millium ſimilium, non poterat inducta videri fraudis præſumptio: cùm enim donatio, facta Læliæ, non fuerit de omnibus donatoris bonis, & penes eum remanſerint alia bona libera excedentia dictam ſummam, ceſſauit proculdubio titulus de his, quæ in fraudem creditorum, Bart. *in d. l. poſt contractum*, ſicut ceſſauit etiam ex eo, quòd donator pro Dominis Etantibus ſe obligando, ab eis fuerat releuatus indemnis; nec aderat periculum, vt propter eam obligationem mali aliquid pateretur. Denique cùm illis creditoribus iam fuiſſet ſatisfactum, nec hodierni ſucceſſiſſent in locum illorum, non ſatis apparebat, quo iure competeret eis inde allegandi fraudem. *l. ait prætor. §. ita demum, & l. ſi quis. ff. de his quæ in fraud. credit.*

11. Ex retrodonatione facta eidem Alexandro per D. Læliam, potiùs cenſebatur inducta validitas donationis, quàm aliqua eius ſimulatio, quoniam ſi ſimulata fuiſſet, ex quo inde reddebatur nulla, non erat neceſſarium retrodonare. Socinus *conſil. 254. num. 7. lib. 2.* Aretinus *conſ. 96. num. 5.*

12. Et quamuis D. Lælia retrodonando aſſeruerit, non parum dubitari poſſe de validitate donationis, ex quo fuerat facta conſtante matrimonio, nec ipſa illius poſſeſſionem acceperit, cùm D. Alexander donator in poſſeſſione remanſerit, & bona donata adminiſtrauerit, non ideo corruerat donatio, aliàs ſolemniter, & ſine præexiſtente ſimulationis & fraudis cauſa facta, & cùm ex prædictis potuerit, iſtas cauſas non efficere inualidam donationem, aſſertio Læliæ, tanquam * erronea, non videbatur conſideranda, Rolandus *conſ. 13. num. 29. lib. 1.*

*Ludou. dec. 522. num. 14. Duran. deciſ. 314. n. 12. vbi alias deciſ. refert.

Locus celebrati contractus ſatis alienus putabatur ad inducendam præſumptionem ſimulationis, præſertim cùm & ad teſtamenta condenda, & ad alios contractus inter coniunctas perſonas celebrandos, ſæpe talia religioſa loca contrahentes adire ſoleant, quibus propterea nec religioſi teſtes adhibiti, nec Notarij affines, vel conſanguinei eorum, inſtrumenta recipientes, præſumptionem fraudis afferre debent, & ad ſummum iſtæ leuis hominis, non vrgentes iuris, aut legitimæ præſumptiones eſſe cenſebantur.

Denique omnem fraudis ſuſpicionem excludere videbatur, tempus elapſum inter donatio- 13.
nem factam, & debita cùm iſtis creditoribus contracta, nam cùm fortaſſis, elapſi fuerint decem anni, (vt rei geſtæ ſeries oſtendebat,) non poterat cenſeri donatio facta in fraudem creditorum incogitatorum, ac ne animo quidem conceptorum, maximè cùm præſumptiones, ex quibus arguitur ſimulatio, ita demum operentur, ſi cauſa ſimulandi, tempore donationis affuiſſe doceretur. Boſſius *titul. de publicatione bonorum, num. 45. & multis ſeqq.*

---

## *Toletanus Parochialis de Mazaranbroz.*

### Die Mercurij 29. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

2 *Appellatione redditiuum, prouentuum, iurium, & obuentionum, veniunt etiam quotidianæ diſtributiones.*

3 *Procuratori data facultas ad reſignandum beneficium, cum reſeruatione penſionis, certæ ſummæ, vel alterius ei bene viſæ, non extenditur ad minorem ſummam.*

4.5 *Alternatiua ſufficit, in vna verificari.*

6 *Donare ſuum non præſumitur quem voluiſſe.*

7 *Declarationi partis, dicentis ſe nolle conſentire actui, per Procuratorem facti vltra mandatum, ſtandum eſt.*

8 *Papæ arbitrium in reſignatione beneficij, cum reſeruatione penſionis, ſemper de iure intelligitur.*

9 *Mandatum generale conceſſum Procuratori, ad conſentiendam penſioni, debet intelligi, & reſtringi ciuiliter, & ad arbitrium boni viri regulari, num. 10.*

11 *Verbum*, videtur, *adiectum aduerbio*, bene, *inducit arbitrium boni viri.*

12 *Bene viſum non dicitur, quod præter rationem fit.*

13.14 *Mandatum cum generalibus clauſulis datum, ſi poſtea addatur*, in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, *& c. reſtringit ſuperiora.*

15 *Verbo*, videtur, *ſi addatur verbum vniuerſale, denotat liberam voluntatem, non autem arbitrium boni viri.*

## DECISIO CCXVI.

ANno 1588. die 18. Iunij Didacus del Aqui- 1.
la, dedit mandatum, quibuſdam Procuratoribus in vrbe morantibus, ad reſignandam iſtam Parochialem, *cum clauſula, reſeruata tamen ſibi, & aſſignata validè, & efficaciter penſione annua ſexcentorum ducatorum ad rationem* 11. regalium, monetæ illarum partium pro quolibet ducato, vel penſione annua, cuiuſuis ſummæ, & quantitatis S. Domino Papæ, & ſuis Procuratoribus, aut eorum alteri, bene viſæ, & generaliter cum clauſula, *ad agendum ea, quæ ipſemet Didacus faceret, aut facere poſſet, ſi præſens ipſe, & perſonaliter intereſſet.*



Die 1. Auguſti eiuſdem anni expreſſis fructibus Parochialis in ſexcentum ducatis, cum reſeruatione ducentorum ducatorum de Camera tantùm, pro reſignante fuit expedita ſupplicatio, ad fauorem Franciſci del Aquila, Didacus habita iſtius reſignationis notitia, quaſi non fuerit forma mandati ſeruata, eam impugnauit, cauſam in Rota commiſit, & interim obiit, in cuius locum Melchior de Canales, auctoritate Apoſtolica in ius Didaci gratioſè ſubrogatus, dum ſibi Parochialem adiudicari peteret, dubitaui an vigore mandati in actis producti, (cuius paulo antea facta fuit mentio,) potuerit præſtari conſenſus.

Et Domini ad memoriam reducentes deciſionem, * aliàs in iſta cauſa factam, die Decembr. 1591. fuerat ſtabilitum, valorem iſtius Parochialis, computatis incertis, aſcendere ad octingentos ducatos, & quod Didacus confeſtim re intellecta, reſeruationi contradixit, & anno ſequenti 1589. aliam maiorem penſionem cccc. ducatorum, in alia ſupplicatione ceſſionis, inter ipſum & eundem Franciſcum reſignatarium porrecta, & à Papa ſignata, adhuc tamen in componendis retenta, ſibi reſeruari obtinuerat; vnde apparebat, quòd ſi maior penſio, quàm cc. ducatorum reſeruanda, petita fuiſſet, Papa illam conceſſiſſet, cenſuerunt vigore mandati
2. (de quo in actis) non potuiſſe præſtari conſenſum ſuper reſignatione pro parte Franciſci in actis producta, maximè cùm reſignans nedum voluerit, ſibi reſeruari penſionem ſuper fructibus, ſed etiam ſuper redditibus, prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuerſis, quorum verborum tam generalium appellatione, veniunt etiam quotidianæ diſtributiones, * vt fuit reſolutum in vna Toletan. penſionis, coram bon. mem. D. de Rubeis ann. 1565. quibus computatis, valor Parochialis aſcendebat etiam ad DCCCC. ducatos 11. Regalium Hiſpaniæ, & fortaſſis amplius, vnde non videbatur veriſimile, Didacum tam modica ſumma cc. ducatorum futurum contentum; quia iſta ſumma non apparebat ſufficiens recompenſa, pro tam pingui beneficio renunciaſſe. Creſcentius *deciſ. 215.*

* ſuprà dec. 194.

* adde Coc. deciſ. 144. n. 11. vbi ad propoſitum allegatur hæc dec.

3. Neque facultas Procuratoribus data de conſentiendo ſummæ DC. ducatorum, vel alterius cuiuſuis quantitatis eis bene viſæ, per quam videbatur eis dari liberum arbitrium de alia quauis ſumma, cùm in alternatiuis * ſufficiat, alterum impleri. *cap inter cæteras, de reſcript. cap. in alternatiuis, de regul. iur. lib. 6.* præiudicauerat Didaco, quoniam quando alternatiua ponitur inter ea, in quibus ex veriſimili mente diſponentis, poteſt cadere ordo prælationis, vel propter affectionem, vel ob aliam cauſam, tunc ſecunda
4. pars alternatiuæ † cenſetur poſita in defectum,
5. & ſubſidium primæ partis, nec ſufficit alterum, ex alternatiuis impleri, ſed conſideratur ordo ſcripturæ, ita vt prima pars adhibita, ſufficienti diligentia, ſi fieri poteſt, adimpleatur, quod alternatiua ordinis, non præſtationis ſuo iure poſtulare videtur. *l. cùm pater §. penult. ff. de legat. 2.* gloſſ. *in cap. Metropolitano, in verb. & Presbyteris 63. diſtinct.* Francus *in cap. mandato, num. 2. verſ. vltimò noto, de præbend. lib. 6.* Felinus *in cap. inter cæteras, num. 4. verſ. fallit primò, de reſcript.* Berous *conſil. 142. num. 5. lib. 3.* Hippolytus Riminaldus *conſ. 458. num. 42. lib. 4.* in caſu propoſito ſatis eſt veriſimile, Didacum magis voluiſſe ſibi reſeruari penſionem DC. ducatorum, quàm minorem, tum quia nemo præſumitur velle donare ſuum.
*l. cùm de indebito. ff. de probat.* tum quia ſtatim ha- 6.
bita notitia contradixit, & declarauit ſe nolle
conſentire, cui declarationi, incontinenti factæ 7.
defertur. Angelus *conſ. 209. num. 1. & 2.* Crauetta *conſ. 112. n. 12.* vnde fit, vt conſenſus non potuerit ita præſtari, ſicut præſtitus fuit.

* adde Durand. deciſ. 265. n. 26. & 286. n. 1. & paſſim ſeruat Rota vt per Coc. dec. 139. n. 1.

† vide infrà dec. 243.

Neque conſenſum reddidit validum, ex quo 8.
altera pars alternatiuè fuerat relata in arbitrium Papæ, quia de iure * id ſemper in his terminis intelligitur. Rebuffus *in praxi tit. de reſignat. condit. num. 24.* & ex quo Papa † aliam ſupplicationem ſignauerat, cum reſeruatione cccc. ducatorum, quæ non fuit expedita, ſatis apparebat, eum non ſe reſtrinxiſſe ad penſionem cc. ſi maiorem Procuratores Didaci reſeruari petiuiſſent, ſicut adhibita diligentia facere tenebatur, Rebuffus præcitato loco *verſ. aliàs ſi non conſtiterit per Procuratorem*; facit deciſio Veralli *deciſ. 89. parte 3.*

* Durand. dec. 5. n. 3. & 60 n. 1. & 78. n. 2. & 98. n. 1. vbi aliæ dec. allegantur.

† & Rota numquã declarat arbitrium impẽſione niſi deguſtata prius validitate penſionis, vt per Seraph. dec. 674. n. 1.

Minus ſuſtinet conſenſum ampla, & libera Procuratorum poteſtas, ad conſentiendum penſioni cuiuſuis ſummæ, & quantitatis eis, vel al-
teri eorum bene viſæ, & ad faciendum quidquid 9.
Didacus, ſi præſens fuiſſet, * facere potuiſſet: quoniam nullum eſt tam vniuerſale, & latè patens verbum, quod non debeat intelligi, & reſtringi ciuiliter. *l. ſi cui. ff. de ſeruit. l. obligatione generali. ff. de pignorib. & hypoth.* Oldradus *conſ. 148. num. 7.* Calcaneus *conſil. 17. num. 7.* Crauetta *conſil. 462. num. 15. lib. 3.* Cephalus *conſ. 570. lib. 3. num. 100.* & ad arbitrium boni viri regulari.
Caſſadorus *deciſ. 1. num. 3. de empt. & vend.* Illud 10.
etiam verum eſt, non obſtante quacumque verborum cautela, ob læſionem præſertim enormem, reductionem boni viri peti poſſe: non eſt enim veriſimile partes ſenſiſſe, quòd arbitrator eos enormiter lædere poſſet. *l. cùm Aquiliana. ff. de tranſactio.* Caſſadorus *dicta deciſ. 1. num. 3. de empt. & vendit.* quod maximè ſuadere videbatur illud aduerbium *bene*, additum verbo *vide-*
*tur*, quod multo magis indicabat arbitrium bo- 11.
ni viri. * *l. fideicommiſſa. §. quanquam*, & *ibi* Bartolus, *ff. de legat. 3.* nam quod præter rationem viſum eſt, non dicitur bene viſum, Corneus *conſil. 92. num. 11. & 12. lib. 2.* Crauetta *conſ. 732. num. 27.* Illa autem verba, *& quidquid ipſe conſtituens facere poſſet, ſi præſens extitiſſet*, nocere potius Franciſco, quàm ei fauere iudicabantur, quoniam ſi Didacus fuiſſet præſens, etiam maiorem quàm DC. ducatorum ſibi reſeruari procuraſſet, ſi à Papa id obtinere potuiſſet. Similiter illa mandati verba; *etiamſi talia forent, quæ*
*mandatum exigerent magis ſpeciale, promittens in-* 12.
*ſuper idem conſtituens, ratum perpetuò habiturum, totum id, quod per ſuos Procuratores geſtum fuerit,* &c. non operabatur ratificationem, aut validitatem actus geſti in notabile damnum mandantis, cùm expreſsè haberentur etiam illa alia verba, *in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum*; ideoque
per illa nil amplius concedebatur, quàm ſupe- 13.
riùs fuerat expreſſum. * Alexand. *conſil. 22. n. 10. lib. 1.* quanquam enim ex his verbis intellige-

* videda eſt dec. Seraph. 1124. Rota recen. p. 1. dec. 576. n. 1.

* adde Caual. dec. 374. n. 2. impreſſa in recen. p. 1. deciſ. 698. & videndę ſunt ibidem dec. 359. n. 6. & 640. num. 13. Ludouiſ. dec. 252. n. 8. Rota recen. p. 2. dec. 376. n. 1.

* Seraph. dec. 831. n. 5.

retur Procurator conſtitutus cum libera, tamen ſine ſpeciali mandato donare non poterat. *l. cre-*
14. *ditor. §. Lucius ff. mandati, cap. fin.* vbi notant Dominicus *num.* 3. & Francus *num.* 1. *de offic. Vicar. lib.* 6. Berous *conſ.* 174. *num.* 13. *&* 22. *&* 25. *lib.* 1. *& conſ.* 130. *num.* 49. *lib.* 2. Cæſar de Graſſis *deciſ.* 150. aliàs 2. *num.* 1. *de donat.*

15. Poſtremò non obſtabat, quòd quando verbo *videtur*, additur verbum vniuerſale, denotet liberam voluntatem, non autem arbitrium boni viri, ſicut cùm dicitur, quidquid videbitur expedire, Baldus *tit. de pace Conſtantiæ, verſ. nomina verò, in fine.* Ruinus *conſ.* 133. *num.* 3. *&* 4. *lib.* 2. nam iſta non habent locum, quando verbum vniuerſale reſtringitur, ſeu regulatur per illud aduerbium, *benè*, vt in caſu propoſito, tunc enim rationabilem voluntatem ſignificat, ex quibus tandem Domini concluſerunt, vigore mandati producti, non potuiſſe conſenſum præſtari.

---

## *Romana Cenſus de Comitibus.*

### Mercurij 29. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

2 *Dominio acquiſito fundi, in quo cenſus erat impoſitus, extinguitur.*
3 *Scripturæ obſcuræ pars debet per aliam declarari.*
4 *Confinibus fundi aſſignatis, quid in diſpoſitione comprehenſum ſit, intelligitur.*
5 *Ignorantia, niſi ſcientia probetur, præſumitur.*
6 *Cenſus cùm conſtituitur ex conſtitutione Pij V. debet eſſe ſuper re certa, & indiuidua.*

## DECISIO CCXVII.

1. * habetur hæc dec. impreſſa per cẽci. poſt tract. de cenſibus dec. 217.

*DOmini Hieronymus, & Federicus de Comitibus, annuum cenſum ſcutorum 150. auri in auro, quem ſuper octàua parte, ex nouem partibus illiuſque tenimento, ſeu territorio caſtri diruti Turriculæ impoſuerant, Mario Farrio pro pretio 2000. ſcutorum ſimilium vendiderunt, & D. Balthaſari de Comitibus, vt rem illi gratam facerent, ſummam 2000. ſcutorum tradiderunt: ſed Balthaſar vice verſa, tanquam dominus, & patronus vnius partis ex nouem partibus caſtri diruti Turriculæ, illiuſque tenimenti, ſeu territorij, ſuper dicta vna parte, ex nouem partibus dicti caſtri, illiuſque tenimento, & territorio, intra certos terminos ibidem deſignatos, & expreſſos, ſimilem annuum cenſum centum quinquaginta ſcutorum auri in auro impoſuit, illumque eiſdem Hieronymo, & Federico, pro eodem pretio duorum milium ſcutorum auri in auro vendidit. Orta poſtmodum controuerſia inter prædictos, Hieronymum, & Federicum ex vna, & Balthaſarem ex altera, ſuper diuiſione ſtatus, ab eis in communi poſſeſſi, Dominus Cardinalis Azolinus, in quem fuerat compromiſſum, in laudo deſuper lato, Balthaſari pro ſua nona, & integra parte prædicti ſtatus caſtrum Gorghæ, Hieronymo verò, & Federico cætera omnia, & ſingula caſtra, iuriſdictiones, territoria, & tenimenta, aſſignauit, & pro totali adæquatione nonæ partis, Balthaſari aſſignatæ, eoſdem Hieronymum, & Federicum ad deponendum, in banco tuto 18. m. ſcuta, ad tot cenſus emendos, & in Balthaſaris commodum inueſtiendos, ſuper bonis ſtabilibus eorundem Hieronymi, & Federici, ad rationem ſex cum dimidio pro quolibet centenario, vt perpetuò pro euectione dictæ nonæ partis, Barthaſari aſſignatæ manerent obligati, condemnauit: & quoniam poſt obitum Balthaſaris in dubium reuocabatur per illius hæredes, an prædictus cenſus deberetur, nam ex quo dicebatur impoſitus ſuper caſtro Turriculæ, & illius territorio, & tenimento; quod per dictum laudum, vnà cum aliis caſtris, & territoriis ſtatus de Comitibus fuerat aſſignatum Hieronymo, & Federico, prætendebatur extinctus, & conſolidatus cum proprietate, & ſuper hoc ab Auditore Cameræ contra hæredes Balthaſaris fuerat pronunciatum, dubitaui, vtrùm dicta ſententia eſſet confirmanda, vel infirmanda. Et ter poſita cauſa, in duabus prioribus poſitionibus, non fuit capta reſolutio, quia Domini voluerunt videre depoſitiones quorundam teſtium, quorum fuit data copia, & die 29. Aprilis, vtraque parte informante, fuit reſolutum, pro validitate ſententiæ Auditoris Cameræ.

Et quoniam reſolutio pendebat ab eo, an ille cenſus fuiſſet ſolùm impoſitus ſuper illa nona parte caſtri Turriculæ, quæ poſſidebatur priùs pro indiuiſo, vel etiam ſuper illo caſale exiſtente in tenimento dicti caſtri, quod tanquam fundus proprius, & hæreditarius pro indiuiſo poſſidebatur à Dominis Ioanne, & Balthaſare fratribus de Comitibus, quod proprio nomine vulgariter dicebatur, *il caſſale della caſſa.* Nam ſi 2.
cenſus erat impoſitus ſuper illa nona parte, cùm ea poſtea in laudo adiudicata fuiſſet Hieronymo, & Federico, proculdubio fuiſſet extinctus. * *l.* 1. *ff. quemadm. ſeruit. amittat. l. ſi tibi fundi ff. quibus mod. vſusfruct. amitt. l. neque pignus ff. de regul. iur.* contrà verò non cenſeretur extinctus, † ſi foret etiam impoſitus ſuper prædicto caſale, eiuſdem cenſus capace; *l. vt pomum. §. ſi prædium, ff. de ſeruitut.* Bartolus *in l. pro parte ff. eodem,* idem *in l. ſtipulationes non diuiduntur, num.* 3. *ff. de verbor. oblig.*

* de hoc art. vide Seraph. dec. 872. n. 3. Rotã recen. p. 1. dec. 571. n. 3.

† Ludouiſ. dec. 225. n. 1. & 4. & latè additio n. 16.

Domini inſpectis verbis inſtrumenti impoſitionis cenſus, *etiam ſuper illo caſale, & ſuper dicta vna parte ex nouem dicti caſtri diruti Turriculæ, illius tenimento, & territorio, iuribus, membris, & pertinentijs,* &c. Ex quibus, cenſum nedum fuiſſe impoſitum putabant, ſuper vna parte ex nouem dicti caſtri, ſed etiam ſuper illius tenimento, quod adhuc per D. Ioannem, & hæredes Balthaſaris poſſidebatur, præſertim cùm ex teſtium depoſitionibus appareret, iſtud caſale quod dicebatur continere circiter ccc. rubia terræ, fuiſſe in territorio Veliterno, itaque illa verba, *illiuſque tenimento*, perinde accipienda fore, ac ſi dictum fuiſſet, cenſum imponi ſuper vna parte ex nouem partibus, & ſuper illius tenimento.

Nec aliquid faciebat conſideratio deſumpta ex prioribus inſtrumenti verbis, quibus Balthaſar aſſerebatur dominus, & Patronus vnius partis ex nouem caſtri diruti Turriculæ, illiuſque tenimenti, ſeu territorij; quaſi quòd ille genitiuus regularetur, ſeu dependeret ex illis verbis, *vnius partis ex nouem*, quoniam dicebatur, vtrumque genitiuum æqualiter referri ad illa verba, *Dominus, & patronus*, vt eſſet ſenſus, Balthaſarem non ſolùm habuiſſe dominium vnius partis ex nouem dicti caſtri, ſed etiam particularis illius caſalis, ſeu tenimenti quod vnà cum Ioanne poſſidebat, & ad ſe pro medietate ſpectabat: quem ſenſum, verum, & directum arguere videbantur ſubſequentia verba, ibi, *ſuper dicta vna*
3. *parte illiuſque tenimento*, cùm non ſit nouum vnam * ſcripturæ partem obſcuram, per aliam declarari.

* adde Seraphin. dec. 626. n. 1.

Hanc interpretationem ſuadebat etiam deſignatio confinium, quibus caſale enuntiabatur comprehenſum, cùm ex confinibus aſſignatis,
4. quid in diſpoſitione comprehenſum ſit, intelligatur. *l. æde ſacra ff. de contrahen. empt.* Pariſius *conſil.* 2. *num.* 64. *lib.* 3. Socinus iunior *conſ.* 139. *num.* 1. *lib.* 3. quoniam territorium Veliternum, quod ab vno latere aſſignabatur pro limite, confinabat cum præfato caſale, præſertim cùm licèt Ioannes, & Balthaſar illud caſale poſſiderent tanquam fundum proprium, & peculiare, non tamen tanquam ſeparatum à tenimento, ſeu territorio Turriculæ poſſediſſe probarentur, imò verò, ſemper diceretur tentum, & poſſeſſum, tanquam pars territorij Turriculæ.

Veriſimilis quoque mens contrahentium, eandem interpretationem ſuadebat, eos ſcilicet noluiſſe imponere cenſum, ſuper ſolo Turriculæ territorio, cuius fortaſſis exigui valoris erat iuriſdictio, ſed etiam ſuper illo caſale maioris valoris, vt firmiorem, & ſtabiliorem cenſum conſtituerent.

5. Nec mirandum, ſi Dominus Cardinalis Azolinus, nullam in laudo iſtius cenſus, vel illius valoris mentionem fecerit, cùm non potuerit meminiſſe eius quod ignorabat, & in dubio ignorantia, * niſi ſcientia probetur, præſumatur, *l. verius ff. de probat.*

* adde Coc. dec. 499. n. 11. & dec. 30. n. 1. in impreſſis Merlini in fine tract. de legit. & illegi. Durand. dec. 380. n. 13. & 426. n. 9. & eſt cætera concluſio.

Ex illis tenuerunt Domini, cenſum fore præſumendum impoſitum, etiam ſuper illo caſale, *della caſa.*

Libenter tamen iterum audirem hæredes D. Balthaſaris, nam non poſſum facile concipere, quomodo contrahentes, contra vſitatum ſtilum qui in ſimilibus contractibus paſſim ſeruatur, non fecerunt ſpecificam, & indiuiduam mentionem iſtius caſalis, cùm proprio, & peculiari nomine vocaretur, nam bona pro indiuiſo poſſeſſa, vocabantur, *la nona parte*; iſtud verò
6. appellabatur *il caſale della caſa*; maximè ſtante conſtitutione * Pij V. de creatione cenſuum, iubente rem ſuper qua cenſus creantur, debere eſſe certam, & indiuiduam; † hîc verò non poterat dici certitudinaliter, de iſto caſale conſtare, præſertim etiam, cùm limites deſignati magis prætenderetur continere terris nonæ illius partis ex nouem partibus, quàm iſti caſali, & tanto magis erat ſpecificandum per Balthaſarem, quia ipſe non poſſidebat integrum caſale, *della caſa*, ſed illius medietatem tantùm, (vt teſtes conformiter deponunt) præſertim, cùm idem Balthaſar in alio cenſu 80. ducatorum, quem impoſuit ſuper dicto caſale, & nomen, & confinia, & medietatem eius ſe ſolùm poſſidere expreſſerit.

* habetur in Bullario Cherubini tom. 2. in cõſtit. Pij V. conſt. 7.

† adde Coc. dec. 208. n. 6. Rotam rec. p. 1. dec 670. n. 1.

Denique quoniam cum Hieronymus, & Federicus, prætenderent, ſupet iſto caſali *della caſa* habere iura, & ad ſe ſpectare pro duabus tertiis partibus, & deſuper lis mota fuerit, quæ adhuc coram R. P. D. meo Pamphilio dicitur indeciſà pendere, inueriſimile videbatur, eos voluiſſe fundare cenſum, ſuper fundo quem maiori ex parte ſuum eſſe prætendebant.

---

## *Tuden. præſtimonij del Roſal.*

### Die Lunæ 4. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2.3 *Citatio perſonalis requiritur in præiudicialibus.*
5 *Poſſeſſio beneficij capta per Procuratorem ſine ſpeciali mandato, non ſufficit ad regulam de triennali.*
6 *Procurator ad capiendam poſſeſſionem beneficij licèt non habeat ſpeciale mandatum, poteſt eam capere cum clauſula generali, & ad capiendam quorumcumque beneficiorum poſſeſſionem.*
7 *Regula de triennali non habet locum in poſſeſſione capta per Procuratorem ſine ſpeciali mandato.*

## DECISIO CCXVIII.

DE beneficio ſimplici Sanctæ Mariæ del Roſal, vacante de menſe Aprilis ann. 1584. 1.
per obitum Bernardini de Auellanedo, fuit auctoritate Apoſtolica prouiſus Auguſtinus de Samaniego, qui menſe Septemb. ann. 1586. illud in manibus Papæ ad fauorem Alphonſi de Samaniego, eius fratris germani reſignauit, & Alphonſus in menſe Ianuario 1587. præfati beneficij poſſeſſionem accepit, eamque continuauit, vſque ad menſem Maij ann. 1590. de quo tempore Ioannes Ybañez, tanquam Procurator Alphonſi, produxit mandatum ad comparendum in cauſis in quibus ipſe legitimè foret citatus, & quoniam 1. die Martij 1587. Apparitius de Sitien, ſub prætextu, quòd beneficium adhuc vacaret, per obitum Bernardini, ex quo Auguſtinus de Samaniego verum illius valorem non expreſſerat, illud à Sede Apoſtolica impetrauerat; & adhibita diligentia, Alphonſum citare curauerat, quem tamen nunquam citauit perſonaliter, dubitaui, an regula de triennali ſuffragaretur Alphonſo; & licèt aliqui ex Dominis tenerent partem negatiuam, ex capite citationis pro parte Apparitij, contra Alphonſum bene
executæ, quia licèt regula ſit, quòd in præiudi- 2.
cialibus requiritur perſonalis citatio, * quando citandus eſt præſens in loco iudicij, vel in ciuitate, in qua ſolet habitare, id tamen dicebant non procedere, quando citandus non reperitur
in aliquo iſtorum locorum, nam tunc citatio 3.
fieri poteſt domi, † Marianus Socinus *tract. de citatione art.* 17. *num.* 23. *&* 24. Caſſador. *deciſ.* 1. *de appell. num.* 2. Papazonus *ad deciſionem* 22. *de reſcript. in nouis*; contrà verò alij ex Dominis generali regulæ ſtantes, non putarunt tutum hoc fundamentum; quia quando agitur de graui præiudicio, & ferenda eſt ſententia diffinitiua contra aliquem, prima citatio perſonaliter * eſt exequenda. Abbas *in cap. cauſam, num.* 2. *&* 6. *de dolo, & contumac.* Felinus *in cap. ad petitionem n.* 8. *verſ.*

* vide infrà deciſ. 273. & 404. n. 2. & Seraph. dec. 972. n. 10.

† & ſi agatur ad priuationem beneficij quid fieri debeat vide Mantic. dec. 12. & Seraph. deciſ. 1366. n. 1.

* adde infrà dec. 368. n. 2. & 404. n. 2. & 435. n. 2.

*verſ. & alia dicta, de accuſat.* Decius *conſil.* 460. *num.*25. Verallus *deciſ.*117.*parte* 1. à qua non apparebat in hac facti ſpecie ſufficiens cauſa recedendi, cùm optimo iure, & validis rationibus eſſet munita.

5. Omnes tamen cenſuerunt, regulam de triennali non intrare ad fauorem Alphonſi, ex eo capite, quòd Alphonſus non videbatur poſſediſſe per triennium, quia in actis non conſtabat de ſpeciali mandato Didaci Martinez, qui tanquam Procurator Alphonſi nomine cœperat poſſeſſionem,* Ioann. de Selua *tract. de benefic. parte* 3. *quæſt.* 55. *num.*2. Crauetta *conſil.*104. *num.*17. & ideo talis Procurator non potuit Alphonſo acquirere validam poſſeſſionem. *l.* 1. *§. per Procuratorem. ff. de acquirend poſſeſſ.* Verallus *deciſ.*350. *num.* 6. *parte* 2. nam ad capiendam poſſeſſionem beneficij, licèt non requiratur mandatum ſpeciale reſpectu † eius beneficij cuius poſſeſſio capitur: requiritur tamen, quòd in tali mandato adſit clauſula generalis, *& ad capiendam quorumcunque beneficiorum poſſeſſionem*, Canoniſtæ *in cap. accedens, de præbend.* Alexander *in l.*1.*§. per Procuratorem. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Ferretus *conſ.* 220. incip. *Mandatum procuræ, num.*12. *verſ. non obſtat deciſio.* & fuit deciſum coram me 24. Maij, & 5. Iunij ann. 1589.* in vna Caſalen. beneficiorum, *verſ. & eo minus.*

* & ad capiẽdam poſſeſſionẽ beneficij requiritur ſpeciale mandatum. Coccin. dec.486.n.1. Durand. dec. 335. vbi aliàs dec. allegat.

6.

† vide ſuprà dec.28. & infrà 1578. n.6.

* ſuprà dec. 28.n.4. & 5.

Neque ratificatio ſubſecuta reddebat tutum Alphonſum, tanquam triennalem poſſeſſorem: nam ad iſtum effectum non retrotrahitur ratificatio. gloſſ. & Doctores *in cap. ratihabitationem, & in cap. ratum, de regul. iuris lib.*6. Decius *in l. ſemper qui non prohibet. ff. de regul. iuris.* Sarnenſis *ſuper regul. de trien. quæſt.*59. Verallus *dict. dec.*350. *num.*5. *part.*2.

## *Romana pecudum.*

### Lunæ 4. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Executio non poteſt dari pro credito non liquido.*

## DECISIO CCXIX.

DEderam dubium, an Dominis de Chiſiis eſſet dandum mandatum executiuum, contra Dominos de Maximis; opponebatur contra Chiſios, in actis extare duas ſcripturas, vnam quæ prætendebatur inſtrumentum extenſum, ipſis à Notario traditum, alteram verò, quæ erat nota Protocolli Notarij rogati, ambas inter ſe diſcordes, etiam in ſubſtantialibus, item quia opponebatur, non poſſe Chiſios agere in ſolidum contra Maximos, ex eo, quoniam in locatione pecudum facta duobus, nempe Antonio de Maximis, & Hieronymo de Venturis, nullibi legebatur facta, & recepta in ſolidum; propterea vt in iſta cauſa ſatis antiqua, diſtinctè procederetur, & breuiùs finiretur, Domini ordinarunt, quòd Chiſij in primis declararent, cui ſcripturæ vellent ſtare. Deinde videretur, an Maximi, vigore contractus locationis, tenerentur in ſolidum, & poſtremò diſcuterentur eorum legitimæ exceptiones, nam cùm aliter non poſſet dici eorum creditum liquidum, non poterat eis dari executio,* quam petebant. *l. ſtatuliber rationem, & l. fin. ff. de ſtatulib.* Capicius *deciſ.* 17. *num.*5.

* adde Durand. dec.50. n. 4. Seraph. deciſ. 1168. n.5. ſed quod eſt liquidum non retardatur per illiquidum, & ita poteſt illud exequi, vt per Ludouiſ. deciſ. 220. n. 5. & de hoc artic. ibi additio n. 6. vbi pro notabili caſu commendat dec.242.p.1. recen. quæ omnino eſt videnda ad propoſitum.

## *Carthaginen. penſionis.*

### Die Lunæ 11. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2.3 *Liber publicus, per legales perſonas cuſtoditus probat.*

4 *Ex ſolutione penſionis declaratur, eam cadere in vtilitatem eius cui ſoluitur.*

5 *Cardinalis aſſertioni ſolæ non creditur.*

## DECISIO CCXX.

1. SVper fructibus, & diſtributionibus Canonicatus Eccleſiæ Carthaginen. quem fel. recor. Gregorius XIV. ann. 1591. contulerat Doctori Antonio Barbæ, reſeruata fuerat penſio centum ducatorum auri in auro cuidam Hieronymo Rodriguez, qui eam in ſuo capite receperat in confidentiam alteri perſoluendam: ſed quia in libro Datariæ vulgariter, *il libro delle penſione confidentiali* nuncupato, reperiebatur primò ſcriptum, ſed cancellatum nomen Hieronymi de la Valle, & poſt illam cancellationem ſequebantur hæc verba: *in commodum Antonij Pinos,* & præterea D. Barba prætendebat, ſe non teneri ad penſionem Antonij Pinos perſoluendam; dubitaui, an conſtaret de reſeruatione penſionis, ad commodum ipſius Pinos; & Domini conſtare cenſuerunt primùm ex prædicto libro * Datariæ, qui cùm eſſet bene cuſtoditus, & in loco publico per legales perſonas † ſeruatus, & in eo huiuſmodi penſiones confidentiales deſcribi ſolerent, plenè probat Bartolus *in l. quadam, §. numularios, num.*3. *ff. de eden.* Iaſon *in repetitione l. admonendi num.*132. *ff. de iureiurando,* Socinus *conſil.* 205. *num.*2. *lib.*2. Crauetta *tract. de antiquit. parte* 1. *§. quartò limitatur, num.*66. Verallus *deciſ.*155. *parte* 2. *in fine.*

* adde Seraphin. dec. 1088.n.4. vbi ad propoſitũ allegat. hanc deciſ.

2.

† adde Caual. dec.370. n. 3. & 361. n. 1. & 444. n. 1. & vide infrà deciſ. 1150. Rotam recen. p. 2. dec.764.n.3.

3. Quòd autem perſona Antonij Pinos (ad cuius vtilitatem penſio fuerat reſeruata) eſſet in præfato libro deſcripta, apparebat ex fide Tadæi de Marchis, Notarij Cameræ Apoſtolicæ, cuius fides in Curia propter facilem recurſum ad inſpectionem libri, pro veritate habenda, fidem faciebat, & probabat, vt fuit dictum in cauſa Aretina Comendæ * die 7. Nouembr. 1586. coram R.P.D. meo Seraphino Oliuario, nunc Rotæ Decano.

* habetur in impreſſis Seraphini dec. 755. n. 1. & vide infrà dec.230.n.2.

4. Aderat præterea fides mercatorum, aſſerentium ſe ſoluiſſe die 3. Ianuarij ann. 1592. ſcutos 50. auri in auro, præfato Antonio Pinos, de ordine Hieronymi Rodriguez, pro termino natalis Domini noſtri ann. 1591. ex quo videbatur ſublata difficultas, quæ priùs poterat conſiderari, reſpectu perſonæ, in cuius commodum penſio eſſet reſeruata, nam ex iſto actu ſolutionis, ſatis declarabatur penſionem cedere in vtilem Antonij Pinos. *l. ſi de interpretatione. ff. de legib.* Crauetta *conſil.*35. *num.*9. *& conſil.*192. *n.*19.

5. Accedebat poſtremò fides Illuſtriſſimi Domini Cardinalis Efondrati, nepotis fel. record. Gregorij XIV. aſſerentis ſuper dicto Canonicatu fuiſſe conſtitutam penſionem centum ducatorum, in capite Hieronymi Rodriguez, & ad commodum Hieronymi de la Valle, qui cùm illam acceptare noluiſſet, ſuam Sanctitatem feciſſe gratiam de eadem penſione, Antonio Pinos, eiuſdem D. Cardinalis familiari.



6. Non obſtat quòd aſſertioni Cardinalis non credatur, * Pariſius *conſil.* 136. *num.* 31. *lib.*4. Gabriel *de probat concluſ.*3. nam aliud ſuadebant hîc facultates ampliſſimæ, in ſpecie D. Cardinali † conceſſæ: vt fuit dictum in illa Aquilegien. Canonicatus coram D. Cæſare de Graſſis 9. Decembr. 1575. quæ eſt prima titulo, *de præbend.* in impreſſis.

* Cocc. dec. 4. n. 3. Rota diuerſ. p.1. dec.133.n.1. & 253.n.1. p.2.

† tunc enim ſtandum eſt dicto Cardinalis. Duran. dec.116.n.6. Seraph. dec. 142.n.1. Rota recen.p.1. dec.339.n.1.

Neque teſtes pro Doctore Barba, aliud concludebant, quinimo multum videbatur præfatam reſolutionem comprobare, cùm dicerent, iſtam penſionem fuiſſe ab initio deſtinatam, ad commodum Hieronymi de la Valle, vt extingueret aliam ſimilem penſionem, quam habebat ſuper præpoſitura Vicomercati, quam Pamponius Leca obtinebat: nam cùm ſecuta morte Pomponij, noluiſſet Hieronymus iſtam penſionem acceptare, ſed antiquam potiùs retinere, tunc locus factus fuit reſeruationi eiuſdem penſionis, ad commodum Antonij, dum autem teſtes dicebant, penſionem fuiſſe reſeruatam ad commodum Pomponij, ex aliis in eadem depoſitione prolatis, intelligendi erant, de commoditate mediante perſona Hieronymi de la Valle, qui poſtea erat conſenſurus caſſationi alterius penſionis, ſibi antiquitus reſeruatæ ſuper præpoſitura, quam Pomponius poſſidebat, qui tamen noluit conſentire; & ex his ceſſabant cætera, quæ opponebantur de impenſa facta per Pomponium pro ſoluenda compoſitione in Dataria, & de conſignatione cedulæ bancharíæ, per Henricum, & Coſtam, nam cùm Hieronymo nolente conſentire, iſta omnia non habuerint effectum, ideo factus fuit locus reſeruationi penſionis, ad commodum Antonij Pinos.

## *Vrgellen. Archidiaconatus de Andorra.*

### Die 15. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Lis ſuſpenſa, non dicitur haberi pro derelicta, & num.*6.

3 *Litis deſertio, vt præſumatur debet eſſe per decem annos.*

4 *In beneficialibus tituli multiplicari poſſunt, & per acceptationem vnius, non cenſetur alteri renunciatum.*

5 *Gratiam qui obtinet, ſi neutri, vel perinde valere, non ex eo cenſetur primæ gratiæ renunciare.*

6 *Præiudicium alteri per alterum generari non debet.*

## DECISIO CCXXI.

1. RAphaël Durand. acquieuerat deciſioni in iſta cauſa contra ſe factæ, die 13. Aprilis proximè præteriti,* qua fuerat definitum, conſtare de tali lite, de qua in litteris de capienda poſſeſſione nomine Cameræ, mentionem facere debuiſſet, ſed cùm poſtea ex eo capite, quòd lis eſſet habita pro derelicta, niteretur oſtendere, non oportuiſſe de illa mentionem facere, dubitaui, an conſtaret Paulum Antonium Boquet, & Capitulum Vrgellen. litem habuiſſe pro derelicta, aut ei aliter renunciaſſe; litis autem deſertionem, ex ſequentibus coniecturis euidenter putabat oſtendi.

* ſuprà dec. 208.

Prima, quoniam ex quo tempore Michaël Grimoſach Paulum expulerat, mox ad ſuum Canonicatum reuerſus, & pro Canonico ſe gerens, integro ſex annorum ſpatio nil egit in cauſa, & Michaëlem prouiſum Apoſtolicum, ſciens, & prudens pacificè poſſidere, permiſit.

Secunda, quia defuncto Michaële, idem Paulus aſſerens, eundem Archidiaconatum vacare, per obitum Michaëlis, & ſic, quaſi ius illius magnifaciens, iterum optauit, vnde videbatur, & liti, & priori optioni factæ de ann. 1583. actum contrarium feciſſe, per quem cenſeri deberet, liti renunciaſſe.

Tertia, quoniam Paulus fundans ſe in vltima optione, nulla facta mentione de prima, vel de lite deſuper introducta; cauſam velut nouam, mihi committi obtinuit, quod litis derelictionem eo nomine arguit, quoniam ſi ſuper eodem beneficio, ex eodem illo priore iure veniſſet, coram R.P.D. Gyptio, primo iudice, litem fuiſſet proſecutus, cùm in eadem cauſa, nec diuerſa reſcripta, nec diuerſi iudices dari ſoleant.

Poſtrema, quoniam tametſi non fuiſſet habita pro derelicta; negari tamen non poterat, quin ſaltem foret ſuſpenſa, de qua propterea non fuit mentio facienda. Curtius iunior *conſil.* 174. *num.*4. 2.

His tamen non obſtantibus, Domini concorditer cenſuerunt, litem non fuiſſe habitam pro derelicta. 3.

Primam verò coniecturam pro contraria parte conſideratam ex decurſu; ſiue taciturnitate ſex annorum,* eo nomine dictum fuit non obſtare, quoniam vt ex decurſu temporis inducatur iſta derelictionis præſumptio, non ſufficiunt pauciores, quàm decem anni, Caſſadorus *deciſ.*5. *vt lite pendent.* Sarnenſis *in regulà de triennali, quæſt.*61.

* de hoc art. vide Rotam recen. p. 2. 383. n. 1. & ſeqq. Rotam diuerſ. p. 3. lib. 1. deciſ. 110.

Ad ſecundam coniecturam de iterata optione facta per Paulum, poſt obitum Michaëlis, reſpondebant Domini, ex ea potius confirmari litem, quàm tolli: cùm enim lis verteretur ſuper iure optandi, Paulus iterum optando poſt obitum Michaëlis, ius ſuum ſibi ex priori optione competens, magnifeciſſe videbatur, parum autem ius Michaëlis æſtimaſſe: nam cùm in be- 4.
neficialibus * tituli multiplicari poſſint, vt per acceptationem vnius non cenſeatur alteri renunciatum. *cap. poſt electionem,* vbi Abbas, *num.*4. *de conceſſ. præbend.* Felinus *in cap. in noſtra num.*1. *verſ. titulus multiplicatur, de reſcript.* ex ſecunda optione Paulus potiùs præſumebatur, voluiſſe corroborare ius ſibi competens ex prima, quàm illud dereliquiſſe, vel ei renunciaſſe: tunc autem ius Michaëlis magnifeciſſe videri potuiſſet, ſi aliquam ab eo ceſſionem, vel in illius ius ſubrogationem obtinere procuraſſet: qui enim (verbi gratiâ)

* adde Coc. dec.47.n.26. & 317. n. 4. Durand. dec. 14. n. 16. & 237. n. 22. Rotam recẽ. p.2.dec.742. n.3. & part.1. dec.117.n.2. & aliàs ſæpe.

5. gratiâ)obtinet gratiam, *ſi neutri, aut perinde valere*, vel nouam prouiſionem, ſuper eodem beneficio, non præterea cenſetur primæ gratiæ renunciare, Abbas *in dicto cap.poſt electionem,num.*4. *verſ.& ex hoc ſis cautus,de conceſſ.præben.*

Tertiam coniecturam deſumptam, ob non factam mentionem primæ optionis,& commiſſionem directam alteri iudici, facti veritas tollit: nam cùm Raphaël, an vltimam commiſſionem,Breue de capienda poſſeſſione nomine Cameræ, Auditori Cameræ directum obtinuiſſet Procurator Capituli,& Pauli ad illius executionem impediendam ſignaturam adiuit, petens, vt eidem Cameræ Auditori committeretur, vt procederet, perinde ac ſi litteræ Apoſtolicæ in forma Breuis ſignatæ fuiſſent, cum clauſula, *prout de iure*; nam Paulus coram eo intendebat, opponere de litis pendentia, & aliis iuribus ſibi competentibus: verùm cum ſignatura, cauſam in Rota committendam decreuiſſet, Regens ſignaturæ reſcripſit, vt ego de cauſa cognoſcerem:& licèt coram R.P.D. Gyptio multa eſſent in cauſa acta, denique penes me manſit iuriſdictio, ex qua ſerie facti, nulla potuit capi coniectura pro litis antiquæ derelictione.

Ad poſtremam obiectionem, quòd de lite ſuſpenſa non fuerat mentio facienda, & propterea literas in forma Breuis, ad fauorem Raphaëlis ſuſtineri: reſpondebatur, Curtium iuniorem *conſil.* 184. *num.*4. quem ſequebantur Crauetta *conſil.* 182. *num.* 4. & Menoch. *de arbitrar.lib.* 2. *caſu* 202. *num.* 16. non applicari ad propoſitam
6. facti ſpeciem, in qua fuit lis introducta, & verè conteſtata; vt patuit in deciſione: * Curtius autem,& qui eum ſequuntur, loquuntur, quando non eſt lis conteſtata, vel ſi ſit conteſtata,eſt tamen extincta per conuentionem, vel quando eſt ſopita, & facta executio, quibus caſibus ſuſtinetur reſcriptum,quamuis in eo talis litis nulla fiat mentio, tunc enim cauſa non dicitur eſſe in aliquo ſtatu.

* ſuprà in d. dec.208.

Poſtremò dicebatur, quòd cùm lis ſuper iure optandi etiam cum Capitulo Vrgellen. agitaretur, per taciturnitatem Pauli toto ſpatio ſex annorum, nil in cauſa agentis, non poterat Capi-
7. tulo præiudicari, ita vt vel derelicta foret cenſenda, vel ei renunciatum, cùm alteri per alterum præiudicari non debeat. *cap.non debet, de regul.iur.lib.*6. ac veriſimile fuiſſe, Papam non ita facilè literas in forma Breuis conceſſurum, ſi litem etiam cum Capitulo tractari nouiſſet.

---

## *Beneuentana decimarum.*

### Die Veneris 15. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Sequeſtrum debet apponi,vel ad exequendam rem iudicatam, vel propter iudicij aſſecurationem, vel vigore* Clement.primæ,de ſequeſtr.poſſ.
3 *Sequeſtrum debet apponi, quando agitur ſuper beneficij titulo.*
4 *Sententia antiqua non debet executioni mandari, niſi guſtato priùs de eius bono iure.*
5 *Sententiæ executio præſcribitur ſpatio* 30. *annorum.*
6 *Sequeſtrum datum ad inſtantiam vnius, non poteſt prodeſſe ſucceſſori cauſæ, ſed de nouo eſt concedendum.*

## DECISIO CCXXII.

QVoniam iſta cauſa, iam ante multos annos 1,
fuit introducta in Rota,& multo tempore intermiſſa: vt intelligatur in quo ſtatu nunc reperiatur, & qualiter in hac poſitione facta fuerit,propoſiti dubij reſolutio ſcire oportuit, Cardinalem Spinolam ſeniorem, tunc Commendatarium Sanctæ Sophiæ Beneuentanæ diœceſis, ann. 1533. vigore monitorij coram Auditore Cameræ,contra communitatem, & homines de Monteſuſculo, cauſam introduxiſſe ſuper eo, quod in iuribus, & quibuſdam poſſeſſionibus, terris, paſcuis, iuriſdictione, feudo, dominio, herbagiis, & rebus per Commendatarios pro tempore exiſtentes, poſſeſſis moleſtaretur. Auditor Cameræ ſententiam declaratoriam ob non paritionem monitorij, contra præfatam communitatem promulgauit: cauſa appellationis D. Mohedano tunc Rotæ Auditori commiſſa fuit, Cardinali Spinolæ, vitâ functo, Hieronymus Spinola eius nepos, & in dicta Abbatia ſucceſſor anno 1536. vigore ſpecialis commiſſionis, ſuper decimis territorij del Couante, quas ad Abbatiam pertinere prætendebat, eidem Mohedano, cauſam ſuper hac prætenſione contra priorem, & Canonicos S. Ioannis de Monteſuſculo, præfatas decimas percipientes, committi obtinuit. Mohedanus ann.1545. contra vniuerſitatem & Canonicos ad fauorem Commendatarij pronuncians declarauit, territorium del Couante, cum iuribus, & pertinentiis ſuis, ad præfatum Hieronymum Commendatarium ſpectaſſe, & pertinuiſſe, & cum iuribus, & pertinentiis ſuis Abbatiali Monaſterio adiudicauit: Canonicorum verò prætenſiones temerarias fuiſſe decernens, eiſdem perpetuum ſilentium impoſuit, cauſa appellationis D. de Sancta Cruce tunc Rotæ Auditori commiſſa extitit, qui anno 1546. Mohedani ſententiam confirmauit,à qua cùm non fuiſſet appellatum, Commendatarius literas executoriales relaxari, & Canonicos ſuſpendi,aggrauari,& reaggrauari obtinuit,vnà cum brachio ſeculari.

Canonici ann.1549. cum narratiua,quòd declaratoria, executoriales, & brachium ſeculare, pendente iudicio reſtitutionis in integrũ coram bon.mem. Puteo, nulliter fuerant relaxata, non citato videlicet Procuratore citando, cauſam vnà cum toto negotio principali, eidem Puteo cum clauſula *prout de iure*, committi obtinuerunt; Puteus vigore dictæ commiſſionis ſolutis expenſis, Canonicos abſoluit, qui litteras compulſoriales generales, quarum vigore multa iura compulſarunt,ad docendum de ſuo bono iure ſuper perceptione præfatarum decimarum, & Remiſſoriales ad teſtes examinandos decerni obtinuerunt, quorum proceſſus ann. 1550. coram eodem Puteo fuerunt reproducti, à quo tempore,vſque ad ann.1590. contra Canonicos nil per Commendatarios actum fuit:licèt ſuper prætenſione contra communitatem ann. 1574. deuentum fuerit ad quandam concordiam, * de cuius contrauentione ſeparatim tractatur.

* de qua ſuprà dec. 112. & 126.

Et quoniam in menſe Maio ann. 1591. pro parte



parte Illuſtriſſ. Domini Aſcanij Cardinalis Columnæ,moderni Commendatarij,fuit obtentum à Rota, quòd opponeretur ſequeſtrum ſuper omnibus, & quibuſcumque emolumentis, & exactionibus, prouenientibus ex feudo del Couante,necnon ſuper omnibus,& quibuſcumque decimis, à colonis dicti feudi quomodolibet debitis, & debendis, cuius ſequeſtri vigore fuit in partibus impedita exactio dictarum decimarum, præfatis Priori, & Canonicis Sancti Ioannis,qui recurſum habuerunt ad Rotam, pro dicti ſequeſtri reuocatione, dubitaui an præfatum ſequeſtrum veniret reuocandum.

Et Domini reuocandum * cenſuerunt,ex triplici enim capite prætendi poterat ſuſtinendum, † aut de nouo imponendum, vel vigore *Clem.* 1. *de ſequeſtatione poſſeſſ. & fruct.* vel ad exequendam rem iudicatam, & executoriales, vel denique propter iudicij aſſecurationem,ex primo capite non poterat ſuſtineri ſequeſtrum vigore dictæ *Clem.* 1. quia in hac cauſa non agebatur ſuper titulo beneficij, ſed ſuper rebus ad ipſum pertinentibus, quo caſu non intrabat diſpoſitio
2. *dictæ Clem.*1.gloſſa *ibidem in verbo,ſuper beneficio,*
3. Zabarella *q.*6. *n.*14. Imola *n.*15. Vitallinus *n.*59. & Verallus *dec.*153.incip. *Sequeſtrum apponi,p.*3. vbi dicit omnes Doctores ita tenere; & fuit reſolutum in vna Cameracen. nullitatis vnionis die 6.Iunij 1575.coram D.Cardinale Lancelloto tunc Rotæ Auditore.

* hac reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 236.

† ſequeſtrũ in quibus caſibus apponi debeat vide Rotam rec. p.2.dec.293. n.2.& 3.

Nec poterat ſuſtineri ex ſecundo capite,ad effectum exequendi rem iudicatam, & executoriales iam relaxatas, quia priùs videbatur diſcutiendus proceſſus executorialium, qui fortaſſis potuit eſſe nullus; præſertim cùm ſolæ exe-
4. cutoriales etiam antiquæ, executioni mandari non debeant. * Antonius Auguſtin. *deciſ.* 285. *lib.*3. idem *in epitome, tit. de executorialibus, num.*15.

* Seraphin. dec.138.n.6. in fine,& habetur in impreſſis diuer. p.1.dec.130.

Idem in ſententia antiqua, quæ non mandatur executioni,niſi guſtato eius bono iure,Rota in vna Valleſolitana decimarum de Medina del Campo coram Franciſco Orano die 23.Octobris ann.1598.Vnde Domini in illa Tudertina bonorum ann.1567.die 25.coram bon.mem.D.de Rubeis, noluerunt procedere ad vlteriorem executionem, niſi priùs examinato proceſſu executorialium,& diſputato ſuper illius validitate,quod eo potiſſimum nomine in iſta cauſa faciendum videbatur, quoniam Puteus, cui fuerat commiſſa cauſa reſtitutionis in integrum, (prout de iure cognoſcenda) Canonicos refectis expenſis, abſoluerat à cenſuris, & compulſoriales pro extrahendis iuribus, & remiſſoriales pro teſti-
5. bus examinandis, eidem conceſſerat, maximè decurrente nunc lapſu 30. annorum, * in quo ſententiæ executio † præſcripta videbatur. Abbas *in cap. fin. num.*30. *de præſcript.* Baldus *in rubrica de præſcript. num.* 22. Afflictus *deciſ.* 245. *num.* 12. *verſ. ad ſecundum dubium*, Balbus *tract. de præſcript.quæſt.*31.*in* 4.*part. quartæ part.princip.* Achilles *dec.*1. *de execut. ſent.* & fuit reſolutum die 31. Maij ann.1563. in vna Tullen. præeminentiarum coram Domino Oriolen.

* hoc non procedit, ſi cœpta fuerit executio, vt fuit reſolutũ in hac cauſa, in alia poſitione ſuprà dec.145.n.4.

† adde Coc. dec.144 n.6. Durand.dec. 210.n.8.Rotam rec.p.1. dec.689.n.5.

Placebat etiam aliquibus Dominis illa ratio, quia cùm ſententia Mohedani (cuius vigore ſequeſtrum emanauit)lata fuerit ad fauorem Hie-
6. ronymi Spinolæ ad eiuſdem fauorem, non D. Cardinalis eius ſubrogati, debuit dari ſequeſtrum,Zabarella *Clem.*1.*q.*4.*n.*13.*verſ.ex his colligitur notabilis limitatio, de ſequeſtr. poſſeſſ. de fruct.* Caſſador.*deciſ.*1.*n.*5.*de dilat.*

Poſtremò minus poterat dici,non eſſe locum reuocationi ſequeſtri, propter aſſecurationem iudicij, & metum dilapidationis bonorum, quia de hoc ex his, quæ proponebantur, non conſtabat.

---

## *Farſen. Villæ Caprolæ.*

### Die 20. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Emphyteoſis ſi ſit data vſque ad tertiam generationem,dubitatur,an includatur perſona primi acquirentis.*
3 *Emphyteuſis data pro ſe ipſo, & ſucceſſoribus vſque ad tertiam generationem, incipit à primo ſucceſſore.*
4.5 *Emphyteoſis conceſſa verbis qualificatis, & generalibus ſucceſſionum, comprehendit pronepotes.*

## DECISIO CCXXIII.

ANno M.CCCC.XLV. Ioannes de Vrſinis,Ab- 1.
bas tunc Monaſterij Farfen.ſuo, & ſuorum in dicto Monaſterio ſucceſſorum nomine locauit, & conceſſit in emphyteoſim, villam Caprolæ Paulo, & Iacobo Antonio fratribus de Vrſinis, & pro ipſorum, & cuiuſlibet eorum filiis, & nepotibus legitimis maſculis, ex eis, & quolibet ipſorum, per directam lineam deſcendentibus, vſque ipſorum, & cuiuſlibet eorum tertiam generationem legitimam maſculinam finitam,& bene completam, ſi filios maſculos legitimos habuerint, ſuccedant, & ſi filios maſculos legitimos non habuerint, vel ſi habuerint, & deceſſerint, & filias fœminas habuerint, vna filia ipſorum,maior ætate maritata,vel maritanda ſuccedat, & ad eam perueniat, donec tertia generatio, in maſculis, & in fœminis finiatur; cumque Paulus, & Iacobus Antonius, primi recipientes, relictis filiis deceſſiſſent, & filij etiam obiiſſent, ſimiliter relictis Paulo, ſcilicet Hilario, nepotibus ipſorum primorum recipientium, per iſtorum obitum, tunc Abbas Farfenſis, tanquam ſi prima generatio incepiſſet à primis recipientibus, & expiraſſet per obitum nepotum, capta poſſeſſione dictæ villæ Hieronymo Fabio, & aliis de Vrſinis primorum recipientium, pronepotibus inde pulſis, alios inueſtiuit, qui cùm ſe prætenderent in præfata inueſtitura comprehenſos, vna tantùm parte informante, (nam alia licèt ſæpiùs citata non comparuit) dubitaui, an Hieronymus Fabius, & fratres pronepotes primorum recipientium in dicta conceſſione, eſſent comprehenſi: in qua difficultate primum fuit obſeruatum, inſpicienda eſſe verba inueſtiturarum, ſiue conceſſionum, nam Doctores, ſecundùm diuerſas conceptiones verborum, diuerſo modo locuti reperiuntur, & quamuis plures modi, ſeu caſus conſiderari poſſint, primus quando fit conceſſio ſim-
pliciter, vſque ad tertiam generationem, quo 2.

caſu licèt controuerſia ſit inter Doctores, an perſona primi acquirentis includatur, vel non, vt apparet ex deductis per Gabrielem *tit.de iure emphyteotico concl*.4. *n*.1. receptius tamen eſſe videtur eam includi.

3. Secundus, quando data eſt aliquibus, pro ſe ipſis, & cuiuſlibet ipſorum, in tertiam generationem, nam tunc quia nemo poteſt generare ſe ipſum, prima generatio videtur incipere à filiis, & pronepotes velut tertiam generationem comprehendere, Baldus *in Authent ſi quas ruinas, num*.4. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Iaſon *in l*. 2. *num*. 166. *C. de iure emphyteot.* Alexander *conſil*. 125. *num*.5. *lib*.5. Ruinus 166. *num*.6. *lib*.1. Bellonus qui alios refert, *conſil*.80. *num*.7. Gabriel *conſil*.90.*num*.1.*lib*.1. Curtius iunior *tract.de feudis in* 2.*parte* 3. *part.principalis, num*.51. *verſiculo ſecundo, circa iſtam materiam*, & alij, quos allegat Gabriel *in dicta concluſ*.4. *n*.4. *limitatione* 1. *tit. de iure emphyteot.* quæ verba ſunt in conceſſione de qua agitur.

4. Tertius caſus, * quando fieret conceſſio, additis verbis magis qualificatis, qualia reperiuntur in hac conceſſione, facta Paulo & Iacobo Antonio pro ipſorum, & cuiuſlibet eorum filiis vſque in ipſorum, & cuiuſlibet eorum tertiam generationem finitam,& bene completam:nam hoc caſu Domini minus dubitabile eſſe cenſuerunt in conceſſione, etiam pronepotes comprehendi. Alexander *conſil*.110. *num*.19. *verſ. & prædicta tanto magis lib*.3. idem *conſil*.125. *num*.5. *lib*.5. Gozadinus *conſil*.25. *num*.17. Ruinus *dicto conſil*.166.*num*.6.*lib*.1. Iulius Clarus *in §. Emphyteoſis, quæſt*.34.*verſ.idemque, & multo fortius*, Baldus *conſil*.448. *num*.1. *verſ. idem ſi dicatur, lib*.3. *& conſil*. 375. *num*.2. *&* 3. *lib*.4. Calderinus *conſil*.10.*tit.de locato*, Gabriel *dicta concluſ*.4. *num*.5. *verſ.ſecundò limita*, Decius *conſil*. 624. *in principio*, Socinus *conſil*.25. *num*.3.*lib*.1. Bellonus *conſ*. 80. *num*. 8. quod maximè procedere videbatur, ſtantibus etiam illis verbis: *donec tertia generatio in maſculis, & fœminis finiatur.* quam ſententiam velut communem, ſecuta fuit Rota in vna Romana deuolutionis domorum, inter ſodalitatem Confolonis, & Bernardinum de Militibus ann.1551.coram bon. mem. D.Oradino, in qua fuit concluſum, quòd propter illud verbum, *completa*, appoſitum in conceſſione, primus acquirens non comprehendatur in illa prima generatione, ſed tantùm venientes poſt ipſum, quòd optima ratione conſtitutum fuiſſe videtur, cùm enim in conceſſione emphyteoſis fuiſſet facta mentio de filiis, & nepotibus, in qua ipſi erant indubitanter incluſi, niſi verba ſubſequentia, videlicet, *& vſque in tertiam generationem bene completam, comprehenderent pronepotes*, ſuperflua,& inutilia redderentur. Gozadinus *dicto conſ*.25.*num*.17.

* hanc reſolutionem ſequuta fuit Rota nõ obſtante deciſ. Veralli de qua in præſenti, vt per Seraph. dec. 1362.Rotam rec. p.1. Ludouiſ. deciſ. 522. n. 1. & ſeqq. vbi additio n. 20. ex DD.Mançanedo ex Caual.refert non eſſe recedẽdum ab hac reſolutione in iudicando.

Deciſio Veralli 18. incip. Præterea die 5. Iunij parte 2.in impreſſis, licèt aliquibus Dominis difficultatem facere videretur, nihilominus, caſus conceſſionis, (de quo in ea,)diuerſis verbis erat conceptus, & in hac facti ſpecie, numerus Doctorum erat magnus, & Doctores quoque erant auctoritate conſpicui.

## *Placentina fideiuſſionis.*

### Veneris 22. Maij 1592.

SVMMARIVM.

1.2 *Abſolutio ab excommunicatione, ſemel, licèt nulliter,impenſa, ſuſtinetur,nec debet dari reintruſio,ſine cauſæ cognitione.*

3 *Commiſſio data, non dicitur eſſe in actis, donec pars citetur.*

4 *Iudex Commiſſarius non poteſt abſoluere reum, pendente termino ad dicendum contra commiſſionem.*

5 *Innocentiana diſponit,vt attendatur, commiſſionum præſentata,vt agatur in cauſa.*

6 *Commiſſio non tribuit iuriſdictionem, vltra caſum in ea expreſſum.*

7 *Abſolutionem poteſt obtinere ab excommunicatione,qui habet principale intereſſe.*

8 *Abſolutio, à cenſuris latis in Curia non datur, niſi cauſa cognita.*

## DECISIO CCXXIV.

DOmini in iſta cauſa tenuerunt communem ſententiam,à Rota ſæpe approbatam,abſolutionem videlicet ab excommunicatione, ſemel, licèt nulliter impenſam, ſemper ſuſtineri, nec dandam nouam reintruſionem, ſine cauſæ cognitione. Rota *dec*.7.*de ſent. excom. in nouis, in princ.* Verallus *dec*.1.*parte* 1.*num*.2. Couarruuias *in cap. Alma mater,part*.1.§.11.*n*.7. 1.

Sed limitandum,quando eſſet impenſa,per iudicem iuriſdictione carentem, tunc enim abſolutionem non ſuſtineri. gloſſ.*in c.venerabilibus*.§. *vbi autem,in verb.competit.de ſent.excom.lib*.6. Abbas *in c.qua fronte, n*.7.*de appellat.* Pariſ. *conſ*.120. *n*.21.*lib*.4.Verallus *dec*.107.incip. *Abſolutio,lib*.1. *in manuſcript.* 2.

*Quàm limitationem dixerunt habere locum in caſu propoſito, quia ego abſolueram D. Petrum,Decanum Placentinum,cùm non haberem iuriſdictionem; primò, quia D.Balthaſar de Miranda,non fuerat citatus, ad dicendum * contra commiſſionem,quæ non dicitur eſſe in actis,niſi pars ſit citata. Sarnen.*in regula de annali,quæſt*.4. *verſ.quinimo*, Caſſadorus *deciſ*.7.*in fine, de appellat.* Cæſar de Graſſis *deciſ*.3. *num*.7. *de reſtit. ſpoliat.* Romanus *conſ*.519.Caſſadorus *deciſ*.1. *num. fin. de except.* & additio ad Veſtrium *lib*.5. *cap*.2. *num*. 4. 3. imò nec pendente termino ad dicendum contra commiſſionem, poteſt iudex abſoluere; cùm is detur,vt eo durante,reus ſuas exceptiones contra commiſſionem proponere valebat,Rota *deciſ*.30.*n*.3.*de ſent.excom.in antiq.*

* vide infrà dec.741.n.3.

* adde Coc. dec.169.n.4. & latè additio ad Ludouiſ. dec.552. n.7.

† citatio, & reproductio eſt neceſſaria,vt lis dicatur introducta, & vt cõmiſſarius poſſit procedere ad vlteriora.Ludou. dec. 94. n.2. Seraph. dec. 316.n.4.

Neque in contrarium vrgebat Caſſadorus *dec*.5. *de reſcript.* cùm ibi loquatur, ad effectum præuentionis,inter Rotæ Auditores, vigore Innocentianæ, propter multitudinem commiſſionum, quæ in Rota præſentabantur, & neſciebatur, quis deberet eſſe iudex. 4. Vnde meritò Innocentius conſtituit, vt attenderetur commiſſionum præſentata. 5.

Secundò,ob non præſentationẽ actorum,* me iuriſdictione caruiſſe,fuit quoq; pronunciatum.

* vide ſuprà dec.89.n.3.

6. Aliqui etiam ſentiebant, abſolutionem fuiſſe nulliter impenſam, ex eo, quia licèt in commiſſione (cuius vigore abſolueram Decanum) ipſe



eſſet nominatus, erat tamen cauſa diuerſa * ab illa Ioannis de Montemayor,qui commiſſionem obtinuerat,vnde commiſſio non tribuebat iuriſdictionem † reſpectu Decani, ad notata *in c. P. & G.de offic.deleg.* Biſnietus *dec*.4.*n*.2.*de appell.*

* de hoc art. videndus eſt Nauarrus in manuali cap. 27.n.5. in fine, & in cap. cum contingat 2. cauſa nullitatis de reſcript.

† cum commiſſio non extẽdatur ad perſonam nõ expreſſam. Ludou. dec. 34.num.2.& adde infrà dec.741.n.3.

Sed hoc aliis Dominis non placebat. nam cùm Ioannes de Montemayor fuiſſet per Balthaſarem conuentus ſuper eodem negotio fideiuſſionis,ſuper quo Decanus, qui à Curia receſſerat, videbatur etiam conuentus, vt apparet ex ſerie commiſſionis per Ioannem obtentæ, ibi, *ad dandum fideiuſſorem, loco D.Petri*, & ibi, *ſub prætextu, quòd D.Petrus ſe tranſtulerit ad reſidentiam*,vigore clauſulæ; *omneſque alios*,&c. in commiſſione poſitæ; Decanus, qui in eadem cauſa habebat principale intereſſe, poterat abſolutio- 7. nem obtinere,Achilles *deciſ*.2.*de lite*, Puteus *deciſ*.390.*lib*.3.

Quia tamen ex duobus prioribus fundamentis non poterat data abſolutio ſuſtineri, fuit dictum, quòd Decanus iterum peteret abſolutionem,& cauſa cognita,videretur an ei poſſet, aut deberet impendi, quia à cenſuris latis in Curia, non datur abſolutio,niſi cauſa cognita.Verallus *deciſ*.2.*part*.1.

## *Panormitana Archidiaconatus.*

### Veneris 22. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Attentata dicitur poſſeſſio per vim capta.*

3 *Attentata non dicitur poſſeſſio, ſi capta fuerit virtute mandati iudicis de manutenendo, licèt quoad expenſas, ſi non ſint ſolutæ, detur attentatum.*

4.5.6 *Solutio expenſarum, non fit per oblationem vnius Iulij,prout de ſtylo Rotæ,aut offerendo ſe paratum ſoluere,ad euitandum attentatum.*

7 *Publicis perſonis, in his quæ ad officium pertinent, fides adhibetur.*

8 *Priuilegium ſuſpenſiuum negotijs habent attentata.*

## DECISIO CCXXV.

1. DIe 24. Maij ann.1591.ſolo Lambruneta informante, propoſui iſtam cauſam, & tunc ex deductis pro ipſo,fuit reſolutum non conſtare de attentatis,in hac poſitione, vtraque parte informante,Domini cenſuerunt de attentatis,quæ venirent per ipſum purganda ex his, quæ proponebantur,ſatis conſtare.

Et quoniam duo opponebantur attentatorum genera; primum propter poſſeſſionem captam Archidiaconatus,per Lambrunetam,inde eiecto Pellicano: alterum propter acceptos fructus ab Archidiaconatu prouenientes,per integrum ferè annum à menſe Auguſti 1589. vſque ad ſequentem menſem Auguſti 1590.quo toto tempore Lambruneta Archidiaconatũ occupauerat.

2. Quantum ad attentata, reſpectu poſſeſſionis difficultas ceſſabat,cùm per dimiſſionem Archidiaconatus,& pacificam in eo poſſeſſionem Pellicani, vigore mandati de manutenendo à Rota decreti,ſufficienter eſſent purgata; ſed quantum
3. ad fructus,& expenſas concluſum fuit,attentata eſſe purganda. Achilles *dec*.140.incip.*Fructus perceptos*,Verallus *dec*.33.*lib*.2.*in manuſcript.*

Nec ſufficit oblatio vnius * Iulij de ſtylo Rotæ,aut offerre ſe paratum ſoluere, facta liquidatione. Baldus *in l. vnica, n*.4. & *ibidem* Salicetus *n*.6.*cap.in vna eademque cauſ.tert.prouoc.* Mohedanus *deciſ*.311. 4.

* adde Coc. dec.371.n.5. & infrà dec. 251. Rotam rec.p.1. dec. 269.n.1. Ludouiſ. deciſ. 503.n.1. vbi latè annotatio n.6.& ibi allegatur præſens deciſio, & vide infrà deciſ. 251.n.6.

Quoniam dicebatur, in primis eſſe liquidandos fructus, & expenſas, & omnia perſoluenda. Verallus *deciſ*.224.*lib*.1.*in manuſcript.* Paleothus *deciſ*.369.incip.*Fuerat lata ſententia*,Puteus *deciſ*. 143.incip.*In vna Oueten.lib*.1.Peregrinus *dec*.246. incip.*In vna cauſa Toletana,lib*.2.quod tenuit Rota de anno 1579.in cauſa Regien. bonorum coram Sereniſſ.Domino Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore. 5.

Et licèt Domini cenſuerint,non conſtare præciſè de quantitate fructuum acceptorum per Lambrunetam; ſatis tamen putauerunt, de illorum perceptione ſaltem in genere apparere:tum quia * probata poſſeſſione,præſumitur quoque fructuum perceptio,ne poſſeſſio vana,& inutilis † videatur. Cotta *deciſ*. 54. tum ex teſtibus (de quibus in ſummario dato) videlicet ex primo, iuxta 54.57.& 58.interrogatorium,& ex ſecundo iuxta 54.tum denique ex atteſtatione gubernatorum tabulæ Panormi, quibus velut publicis officialibus, in his quæ pertinent ad ſuum officium,fides erat adhibenda. 6. 7.

* vide infrà dec.1101.

† adde Ludouiſ. deciſ. 50. n. 2. vbi præſens deciſio allegatur & infrà dec.410 n.4. & 485.n.3.& Rotam recẽ. p.1.dec.269. n.2.vbi præſens dec. allegatur.

Ex quibus fuit concluſum, non eſſe ad vlteriora procedendum, niſi attentatis per Lambrunetam ſufficienter purgatis, cùm attentata habeant priuilegium ſuſpenſiuum * negotij principalis.Rota *deciſ*.15.*de appellat.in nouis.* 8.

* adde Seraphin. dec. 1176.num.4. Rotam diu. part.3. lib.3. dec. 48. n.1. & paſſim ſeruat Rota.

## *Peruſina bonorum.*

### Die Lunæ 25. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Verba prægnantia, vt ad cogitata, & incogitata in inſtrumento appoſita, comprehendunt, quæ aliàs non comprehenderentur.*

3 *Reſtitutionem, vel limitationem non admittunt verba generalia,& prægnantia.*

4 *Verba geminata in inſtrumento poſita, oſtendunt enixiorem contrahentium voluntatem.*

5 *Correctio in continenti in inſtrumento facta, non præſumitur.*

6 *Poſſeſſionem bonorum qui non habet, non poteſt ſeſe obligaſſe.*

7 *Mulieribus repugnat eſſe liberales.*

8 *Filij vt ſuccedant parentibus, commune eſt eorum votum.*

## DECISIO CCXXVI.

ORdinauerunt Domini, vt expedirem iſtam cauſam ad fauorem D. Margaritæ de ſancta Cruce, quæ tanquam hæres ab inteſtato petebat,immitti in poſſeſſionem hæreditatis Aſtoris iunioris,eius filij iuxta deciſiones * Rotales in ea factas,videlicet pro medietate,quoad bona exiſtentia in territorio Peruſino,ſine præiudicio iurium partium,quantum ad aliam medietatem; & quoad bona exiſtentia extra territorium in totum, & quia D. Genebra de Saluiatis, iſtam immiſſio 1.

* ſuprà dec. 198. 107. & 212.

immiſſionem retardare prætendebat ex eo, quia dicebat ſe eſſe creditricem dictæ hæreditatis in ſcut. 2500. ad computum reſtitutionis dotis, quam Guidus eius filius ſibi ſoluere promiſerat,& in alia ſumma ſcut.8500.quæ D.Genebra, de ſuis bonis eidem Guido filio donauerat, & quorum vſumfructum durante ſua vita ſibi reſeruauerat,& ratione quarumdam aliarum prætenſionum, propterea vt ſatisfacerem D. Genebræ; dedi dubium, an prætenſiones adductæ pro parte ſua,forent tales,quæ poſſent retardare cauſæ expeditionem ad fauorem D. Margaritæ.

Et Domini cenſuerunt, neque expeditionem cauſæ, neque immiſſionem ampliùs eſſe retardandam.

Et quantum ſpectabat ad prædium del Cantone,& prædium della Rizaria, non erat difficultas,quia partes erant concordes, quòd pertinebant ad D.Genebram, vigore pacti reſolutiui in donatione appoſiti, quatenus Guidus præmoreretur.

Neque habenda fuit ratio cuiuſdam molendini, an in eius poſſeſſionem D. Margarita foret immittenda, quod de Genebra prætendebat ſibi deberi, tanquam feudum à Camera Apoſtolica habitum, quia lis ſuper iſto molendino à Rota fuerat aduocata, & in Camera introducta.

Itaque difficultas verſabatur circa duas alias præfatas prætenſiones, & quantum ad primam de ſcut. 2500. eam Domini ſublatam eſſe dixerunt ex quietantia, de qua in fine ſummarij,litera X, vnde apparebat, D. Genebram de illis ſe vocare ſatisfactam, & bene contentam, & ideo Guidum filium quietauit, liberauit, & penitus abſoluit.

Quantum ad aliam prætenſionem de ſcut. 8500. Domini ſimiliter cenſuerunt, illam non obſtare, cùm donatio intelligeretur facta Guido de bonis propriis ipſius Genebræ,quæ tunc poſſidebat,& quorum vſumfructum ſibi reſeruauit, non autem de pecuniis ſibi à Guido filio Venetiis ſubtractis, accendentibus ad ſummam 9. m. ſcutorum; donatio enim non poterat reſpicere iſtas pecunias,quæ in tranſactione inita inter D. Genebram,& Guidum filium ann.1581. comprehenſæ cenſebantur,in qua fuerat facta ampliſſima quietantia,& mutua remiſſio circa id omne, quod partes prætendere poterant,ibi, *omnes prætenſiones, & iura, omneſque actiones reales, & perſonales,hypothecarias,& pigneratitias,*&c. *ſibi quomodolibet competentia,& competitura*; & ibi, *quauis de cauſa,& occaſione, hic etiam non expreſſa, ita quòd præſens abſolutio trahatur ad cognita, vel incognita.*
2. quæ verba cùm ſint ita prægnãtia,& vniuerſalia, omnia comprehendunt, * etiam illa, quæ aliàs non comprehenderentur.gloſſ.*in Clem.1.in verb. quauis,de iudic.* Bartol. *in l.generali capite,§. vxori. ff.de vſufruct.legat.* Natta *conſ.525.n.8.lib.3.* nec vllam limitationem,vel reſtitutionem recipiunt, ita vt magis vnam prætenſionem, quàm aliam comprehendiſſe videantur, Iaſon *conſil.* 124. & *conſil.* 147. *lib.4.* Natta *conſil.* 525. *num.* 8. *vol.3.* Riminal. iunior *conſil.* 450. *num.*36. & 37. *vol.4.*
3. præſertim cùm ſint geminata, & ideo magis
4. enixam voluntatem contrahentium oſtendant, Riminal. *dicto conſ.450. num.40.vol.4.* Natta *conſil.160.num.30. & 31. vol.1.* itaque cùm D. Genebra poſtea donaſſet ſcut. 8500. de bonis ſuis, non cenſetur donaſſe prætenſiones paulo antea in eodem contractu liberè,& plenè remiſſas, ne correctio in continenti inducta præſumeretur, 5.

* adde Duran.dec.200. n.11.Rotam recen. p. 2. dec. 76. n.3. in fine. Rotã rec. p.1. dec. 41.num.6.& ſeq. & n. 19. & diuer.p.2. dec.24.n.19.

* Pariſius *conſil.27.n.47.lib.4.* quia D. Genebra in iſta donatione de bonis propriis ad ſummam ſcut. 8500. ſpecialiter ſibi reſeruauit vſumfructum, qui in bonis ſubtractis, & non reſtitutis penitus fuiſſet inutilis; altera quoniam donec D.Guidus de bonis donatis fuiſſet inueſtitus, & corporalem eorum poſſeſſionem apprehenderet, D.Genebra conſtituit ſe;Guidi nomine poſſidere,quod non poteſt ad bona ſubtracta referri, quorum poſſeſſionem D. Genebra non habebat, Alexand. *in l. quod meo, num.22.* & Alciatus *num.14.ff.de acquired.poſſeſſ.* Alexand. *conſil.261. num.1.lib.6.*Ruinus *conſil.143.num.5.lib.1.*Decius *conſ.400.num.9.* 6.

5. * Durand. deciſ.145.n. 12.& 410.n. 9.Caual.dec. 199. n. 5. & n.13.

Illa inuerisimilitudo donationis, tam grandis ſummæ,quàm non videbatur, factura D. Genebra mulier cum mulieribus repugnet *eſſe liberales, facile tollebatur, tum ex verbis claris, & valde prægnantibus donationis, tum præterea, quoniam viciſſim Guidus multa magni valoris etiam donauit, & remiſit D.Genebræ matri, videlicet Caſale del Campanile, pro fundo dotali pro ſcutis ſex mille,& pro ſcutis quatuor mille, prædium del Cantone, quæ erant longè maioris valoris, nec tenebatur præterea D. Genebra de adminiſtratis rationem reddere; quod non erat exigua magnæ obligationis remiſſio.

7. * adde Rotam recen. dec.621.n.2.

Quod D.Genebra non intellexerit,remittere prætenſiones ſibi competentes circa pecunias ſubtractas, propter ignorantiam, leuiſſimum fuit viſum: nam & qualitas facti,cuius non præſumebatur ignorantia, & ſpatium tanti temporis,in quo ſcientia facile haberi potuit, præſumptionem ignorantiæ excludebant:vnde ceſſabat diſpoſitio. *l.tres fratres,ff.de pact.*

Poſtremò, non poterat videri exorbitans donatio factæ Guido filio,cùm ſibi Genebra mater reſeruauerit vſumfructum, & pactum reſolutiuum appoſuerit, vt ſi ipſe priùs decederet, bona donata ad donatricem reuerterentur; maximè etiam cùm hoc ſit commune votum parentum; * vt poſt mortem ſuam,filios ſuos ſibi ſuccedere velint. *l. nam etſi parentibus,ff.de inoffic. teſtament. l.ſcripto.ff.vnde liberi.*

* Ludouiſ. dec.319.n.9.

## *Romana Scommiſſarum.*

### Lunæ 25. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Dubitatio in claris non relinquitur.*
3 *Relatio ad proxima fieri debet.*
4 *Iuriſdictio nulla, non poteſt in alium transferri.*
5 *Relatio non poteſt fieri ad ea, quæ repugnantiam continet, vel inutilem diſpoſitionem redderet.*
6.7.8 *Subrogatus in locum alterius in iuriſdictione, dicitur ſubſtitutus,non principalis.*
9 *Subrogatus in locum alterius, licet in aliquo diſcrepet, ſi in aliis ſequatur, dicitur ſubſtitutus.*

DECI



## DECISIO CCXXVII.

1. PRæſuppoſitis integra Bulla erectionis regentis Archiuij generalis,& creatione D.Fabij Vrſini, ad dictum officium, cum clauſulis in dicta Bulla contentis, & capitulis editis per Cameram Apoſtolicam, ſuper conceſſione Archiuorum, dubitaui, an ſuprema iuriſdictio fuerit Domino Fabio data, principaliter per viam inſtitutionis, vel potiùs, per modum ſubſtitutionis, ita vt à deciſis * foret, vel non recedendum; & Domini conſiderantes illa Bullæ verba: *Sed potiùs dictus Regens Archiuij in locum ipſius Clerici, & prædictæ Cameræ, quoad huiuſmodi iuriſdictionem, & auctoritatem in omnibus, & per omnia ſubſtitutus, & ſubrogatus, ipſaque iuriſdictio & facultates ab ipſis Clerico, & Camera, penitus abdicatæ, & in præfatum Regentem, integræ tranſlatæ, & transfuſæ ſint, & eſſe cenſeantur*, &c. quæ videntur ſatis clara, nec in claris dubitationi * locus relinquatur, *l. ille aut ille. §. cùm in verbis. ff. de legat.3.* cenſuerunt, ſupremam iuriſdictionem non fuiſſe Fabio datam principaliter, per viam inſtitutionis, ſed potiùs,
2. per modum ſubrogationis,ſiue ſubſtitutionis.

* ſuprà dec. 105.& 168.

* adde ſuprà dec.105.n.9. Seraph. dec. 762.n.1.

Neque huic ſententiæ obſtare videbatur, quòd iſta ſubſtitutio Fabij debeat intelligi facta, eo caſu, quo contingeret Clerici deputationem à Camera fieri, quæ cùm facta non fuerit Fabium propterea non poſſe dici ſubſtitutum, ſed principaliter inſtitutum, quaſi hunc ſenſum referrent, alia eiuſdem Bullæ verba præcedentia, videlicet: *ita vt deputatio Clerici huiuſmodi, per ipſam Cameram fieri nullo modo poſſit, nec debeat,& ſi eam fieri contigerit, tanquam de facto, ac præter, & contra mentem, & intentionem noſtram, attentata nulliuſque ſit roboris,vel momenti,* &c.
3. cùm relatio ad proxima fieri debeat,*gloſſ.& Doctores,*in l.ſi idem cum eodem; §.fin.ff.de iuriſdict.omn.iudic.* Angelus *conſ.330. in fine,* Cephalus *conſ.107.n.6.vol.1.*

* Seraphin. dec.606.n.4. Rota recen. p.2.dec.277. n.8. & quando relatio non debeat fieri ad præcedentia vide Rotam recen. p. 1. dec.530. à n. 6.& ſeqq.

Quoniam reſpondebatur, ex iſta ſubtili argumentandi ratione, illud repugnans euenire; nam ſi ſubſtitutio Fabij intelligeretur facta ſolùm in caſu,quo Clerici deputatio à Camera facta fuiſſet,conſequeretur nullam in eo poſſe intelligi tranſlatam iuriſdictionem, cùm talis deputatio fieri prohiberetur,&
4. facta nullius roboris,& momenti eſſe decernatur.

Cùm verò à Clerico, iuriſdictio claris Bullæ verbis abdicata pronuncietur, & in Fabium transfuſa, & quod nullum eſt, abdicatum dici non poſſit, nec in alium tranſlatum, non poſſet dici tranſlata,ſeu transfuſa,iuriſdictio, quæ nulla eſt,cuius tamen contrarium, expreſſis conſtitutionis verbis declaratur. Vnde relatio non poteſt intelligi facta ad illa, ad quæ ſi fieret, repugnantiam * contineret, vel inutilis diſpoſitio redderetur. *l. cùm vulgari,* cum gloſſ. & *ibi* Bart. *ff. de dote præleg.* cum aliis adductis per Purpuratum *conſ. 402. n.76. lib.2.* & Cephalum *conſ.137. num.28. lib. 1.* itaque Fabius, tanquam Regens Archiuij,in locum Cameræ Apoſtolicæ, & Clerici, qui ſecundùm primam intentionem Papæ, debuerat deputari,intelligitur ſubſtitutus.* Vnde ipſa iuriſdictio, & facultates ab ipſis Clerico, & Camera penitus abdicatæ in præfatum Regentem, per modum ſubſtitutionis integrè fuerunt transfuſæ.

* adde Serephin. dec. 1500. n. 1. Rotã recen. p.1.dec.319. n.10.

5. * dixi ſuprà in additio. ad dec. 168. n.3.



Et rurſus, cùm ſuprema iuriſdictio, & cura, 6.
vigore *cap.18.* ordinationum, priùs fuiſſet data Cameræ Apoſtolicæ, & deinde fuerit in Fabium tranſlata, ipſe ſubſtitutus potius, & ſubrogatus, quàm principaliter inſtitutus, & ſuprema iuriſdictione donatus, * cenſeri debet. *l.1.de vulgar. ſubſtit.l.penult.in fine ff.iudic.ſolui.*

* & annotaui ſuprà ad. d.deciſ.168. n.4.

Quam interpretationem, eiuſdem Bullæ verba §. *necnon omnes*, ſatis patenter recipere videbantur, cùm inibi Papa omnes, & quaſcumque cauſas, lites, moleſtias, & controuerſias, ac alia ipſum officium concernentia,coram quibuſcumque iudicibus pendent, ad ſe aduocauerit,& eidem Fabio, & pro tempore Regenti Archiuij commiſerit, cognoſcenda, & decidenda, cum eiſdem facultatibus, quibus aliis commiſſa fuerunt, & cum illis omnibus, quæ iuxta formam edicti, pro conceſſione, ſeu appaltu dicti Archiuij editi, pro tempore exiſtenti dictæ Cameræ Clerico, in præſidentem ipſius Archiuij, vt mihi expreſſum fuerat, deputando, attributæ erant, hæc enim Fabij potius ſubſtitutionem in locum Cameræ, & Clerici, quàm primariam; ſeu principalem inſtitutionem ſapiunt Ægidius *deciſ.140.* Iaſon *in l.ſi eum.§.qui iniuriarum, num.21.ff.ſi quis caut.* 7.

Ampliores facultates Fabio attributæ, ob cognitionem cauſarum criminalium,& præcedentiam ipſi datam, quam nec Camera, nec Clericus habebant, non faciunt, quo minus Fabius dicatur ſubſtitutus, quia licèt ſubrogatum in aliquo diſcreparet, nilominus in aliis ſequetur eandem naturam. Decius *conſ.190.n.3.verſ.quartò hoc idem,*Tiraquellus *de vtroque retractu,part.1. §.1.gloſſ.10.num.8.*;

Ad alia extra dubium vagantia, non oportuit reſpondere.

Ad cætera (ſi quæ erant alicuius momenti) placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes pro mercatoribus.

## *Comen. Capellaniæ.*

### Veneris 29. Maij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Præſentatio Beneficij de iure fieri debet coram Ordinario.*
3 *Licet poſſit ex conſuetudine ad inferiores collatores pertinere.*
4 *Enunciatiua inſtrumenti, cum effectuatione in antiquis probant conſuetudinem.*
5 *Inſtituendi ius poteſt acquirere inferior cumulatiuè,cum Ordinario per conſuetudinem.*
6 *Actus qui ſortitus eſt ſuum effectum, ſi per tempus longum non impugnetur, præſumitur habuiſſe omnes ſolemnitates.*
7 *Obſeruantia ſubſecuta eſt actuum dubiorum certa, & fidelis interpres.*

## DECISIO CCXXVIII.

QVoniam vnica tantùm parte informante, die 17. Iunij ann. 1591. facta fuit deciſio, * ad fauorem Hieronymi Caſſanorij pro exiſtentia iuriſpatronatus,ideo volui Septimium audire ſuper eiſdem. 1.

* ſuprà dec. 165.& habetur præſens dec. impreſſa penes Garci.de bene.5. p.c.9. n. 95. qui latè diſſerit de mat.

P 3 Tres

Tres potiſſimum difficultates excitabantur pro parte Septimij; prima, quòd iura producta non eſſent in forma probante, altera quòd non conſtaret de deſcendentia Hieronymi ab antiquis patronis; tertia, quòd exiſtentia iuriſpatronatus non probaretur; de duabus prioribus difficultatibus Domini particulariter videre voluerunt, & quantum ad tertiam ex eiſdem rationibus, in præfata deciſione * conſideratis, cùm præſuppoſito, quòd iura eſſent in forma probante, cenſuerunt ſufficienter conſtare de iure patronatus, nec eſſe recedendum à reſolutis.

* ſuprà in d. dec. 165.

2. Neque obſtabat, quòd aliquot præſentationes oſtenderentur, factæ non coram Ordinario, vt de iure fieri oportebat, ſed coram Præpoſito Fini, de cuius facultate, ad inſtruendum, vigore præſentationum, non conſtabat.

3. Quia reſpondebatur, hoc ius ex conſuetudine poſſe * ad inferiores collatores pertinere, Lapus *allegatione* 78. iſtam verò conſuetudinem in caſu propoſito, ſatis videri probatam, ex enunciatiua inſtrumenti antiqui de ann. 1465. & aliis enunciatiuis, † cum effectuatione ſubſecuta, Gabriel *conſil.* 196. *num.* 6. *&* 7. *lib.* 2. & Epiſcopi ſcientia, & patientia, cùm non ſit veriſimile, Ordinarios, qui propter viſitationes, quas præfinitis à iure temporibus facere tenentur, præſumuntur habere notitiam qualitatum beneficiorum, * & beneficiatorum ſuæ diœceſis, diſſimulaturos fuiſſe inſtitutiones à Præpoſitis Fini factas, niſi illi legitimam inſtituendi facultatem habuiſſent.

* & hæc cõſuetudo debet eſſe immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo. Coccin. dec. 165. n. 2.

4. † adde Durã. (qui alias dec. allegat) dec. 413. n. 2. & dec. 87. n. 4. Caual. dec. 362. n. 1. & Seraph. dec. 1305. n 3. & infrà deciſ. 638. n. 10.

Quòd Ordinarius quandoque etiam inſtituerit, & propterea non poſſet dici conſtare de conſuetudine illius Præpoſiti, in inſtituendo, ex quo, vario modo fuerat obſeruatum, non præiudicabat iuripatronatus, cùm inferior poſſit acquirere ius inſtituendi cumulatiuè ad Ordinarium, † Pariſius, poſt alios, *in cap. auditis, num.* 12. *de præſcript.* Felin. *in cap Paſtoralis, num.* 2. *de officio ordin.*

5. * adde Seraphin. dec. 306. & 293. n. 4.

† adde ſupr. in deciſ. 165. n. 7. & Caual. dec. 656. n. 5. & 6.

6. Minus putabatur obſtare, quòd opponebatur, non conſtare de mandato illius Vicarij, qui inſtituit, loco Præpoſiti: nam cùm illa inſtitutio ſuum fuerint ſortita effectum, & verſemur etiam in extraiudicialibus, ſpatio tanti temporis mandatum affuiſſe præſumitur. Caſſadorus *deciſ.* 3. *num.* 2. *de procuratorib.*

7. Poſtremò, omnes difficultates ſuperare videbatur, effectuatio inſtitutionum, & obſeruantia ſubſecuta, quæ actuum dubiorum * eſt certa, & fidelis interpres. Crauetta *conſ.* 101. *num.* 3. *& conſ.* 201. *num.* 11. Siluanus *conſ.* 63. *num.* 18. *& conſil.* 65. *num.* 17.

* adde Caual. deciſ. 80. n. 3. Seraph. dec. 1410. n. 16. & infrà dec. 261. n. 8.

---

### *Mediolanen. bonorum de Caſatæ.*

### Veneris 29. Maij 1592.

#### SVMMARIVM.

2 *Ex verbis proœmij cognoſcitur cauſa principalis, & finalis.*

3 *Hæreditatis, & bonorum in ſucceſſione, dicitur cauſa principalis.*

4 *Illegitimitatis oppoſitio in ſucceſſione, appellatur acceſſoria, & incidens cauſa.*

5 *Filiationis defectum oppoſitum in controuerſia ſucceſſionis, dicitur incidens, & acceſſoria cauſa.*

6 *Cauſa quæ opponitur per modum exceptionis, ad impediendam ſucceſſionem, de qua principaliter agebatur, eſt incidens, & acceſſoria.*

7 *In libello debet attendi, quod principaliter, non quod incidenter, & acceſſoriè agitur.*

8 *Cauſæ principali omnia tribuuntur.*

9 *Tranſactio, vt dicatur facta de aliqua re, neceſſarium eſt, vt de ea ſit controuerſia.*

10 *Succeſſibilis non dicitur quis, ex ratione ſola legitimitatis.*

*Argumentum non ſequitur, eſt quis legitimus, ergo ſucceſſibilis. ibid.*

## DECISIO CCXXIX.

CVm propter diuerſas Dominorum ſententias non, potuiſſet capi reſolutio alterius dubij ſæpe propoſiti, ſuper reſciſſione tranſactionis, ex capite enormiſſimæ læſionis, & quia vnus ex Dominis dicebat, potius fuiſſe initam tranſactionem ſuper ſtatu, quàm ſuper bonis, aut ſuper bonis, occaſione ſtatus, ſiue illegitimitatis, deuentum fuit ad iſtam inſpectionem, & dubitatum, an tranſactio (de qua controuertebatur) fuerit facta ſuper ſtatu, vel potiùs ſuper bonis: ſed iſte articulus ſatis etiam fuit controuerſus, cùm in diuerſis poſitionibus factis vtraque parte informante die 28. Februarij, & 9. Martij, & 10. Aprilis, nil potuerit ſtabiliri, vt propterea oportuerit ordinare, duobus nouiſſimis Dominis Auditoribus, videlicet Pompeio Arigonio, & Alexandro Littæ, qui ante Auditoratum Aduocati officio functi fuerant in hac cauſa, vnus pro vna parte, & alius pro alia, vt eo non obſtante, præſertim cùm partes non repugnarent, in ea ſuffragium ferrent; vnde tandem die 29. Maij, cùm vnus de præfatis Dominis receſſiſſet ab illa opinione, quam defendebat, dum eſſet Aduocatus, pro maiori parte fuit concluſum, tranſactionem fuiſſe factam ſuper ſucceſſione, & bonis & non ſuper ſtatu. 1.

Et quoniam reſolutio pendebat ab eo, an principalis cauſa tranſactionis fuiſſet hæreditas, & ſucceſſio de qua tractabatur, an verò incapacitas, & illegitimitas ob defectum natalium, viſum fuit, principalem cauſam fuiſſe hæreditatem, & ſucceſſionem, quoniam proœmium tranſactionis in his verbis indicare videbatur:

*Cùm Fabricius Caſatus moturus eſſet litem contra Ioannem Matthæum, Ioannem Hieronymum, & Lucam fratres de Caſate, ſuper relatione nonnullorum bonorum immobilium, vti relictorum in hæreditate, & bonis Ioannis Matthæi, & Antonij prædictorum fratrum, aui & patris, vigore teſtamenti, per D. Matthæum conditi, in quo hæredem vniuerſalem inſtituit Alexandrum, ipſius Fabricij patrem, ex quo Antonius, prædictorum fratrum pater, & dicti Matthæi filius, erat incapax, imò erat mortuus ciuiliter, ob condemnationem capitaliter, contra eum ſequutam, & è contra fratres ipſi, multa quoque opponerent Fabricio*; ex verbis enim 2.
proœmij, cognoſcitur cauſa principalis, & finalis. *l. fin.* cum ibi notatis. *ff. de hæred. inſtituendis*; præfata autem indicant omnem controuerſiam fuiſſe ſuper dicta hæreditate, & bonis.





Nec refert quòd paulo pòſt ſubſequatur, ex quo Antonius prædictorum fratrum pater, & Matthæi filius, erat incapax, & ciuiliter mortuus, quia iſta non videbatur cauſa principalis tranſigendi, ſed tantùm acceſſoria, & incidens, allegata ad oſtendendum filios Antonij non potuiſſe impedire, quin Fabricius ſuccederet in

3. dicta hæreditate, & bonis, nam quando de ſucceſſione in hæreditate agitur, & illegitimitatis cauſa obiicitur, ea incidens, & acceſſoria, non principalis, & primaria reputatur; quia hæreditatis, & bonorum cauſa, ſemper dicitur principalis, *cap. lator. qui filij ſint legit.* vbi in controuerſia, ſuper hæreditate, & ſucceſſione Doctores cau-

4. ſam illegitimitatis oppoſitam, acceſſorium, & incidentem * appellant. Abbas, poſt alios, *notab.* 2. *num.* 3. *& num.* 7. *&* 8. Præpoſitus *notab.* 2. *num.* 2. Couarruuias *lib.* 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 8. §. 3. *num.* 4. gloſſ. *in cap. tuam, in verb. dependentem, verſic. ſed quandoque quæſtio, de ordine cognit.* Ripa poſt alios *cap.* 2. *num.* 16. *de iudic.*

* adde Lud. dec. 418. n. 2. quæ loquitur in terminis tranſactionis & vide dec. 200. p. 2. diuer.

5. Similiter *in l.* 1. *C. de ordin. iudic.* Baldus, & Salicetus, & alij, defectum filiationis oppoſitum in controuerſia, ſuper ſucceſſione, & hæreditate, incidentem, & acceſſorium putant, quod ipſum etiam annotant Iacobinus de S. Georgio *in l. quotiens, num.* 2. *&* 3. Corneus *num.* 1. *verſ. in qua poteſt poni exemplum, C. de iudic.*

Præterea, quòd cauſa ſtatus, ſiue illegitimitatis, non eſſet principalis, ex eodem proœmio apparebat; quoniam opponebatur quoque non obſtare renuntiationem, per Alexandrum factam de dicta hæreditate, ex quo fuit facta minus ſolemniter.

Ex verbis etiam diſpoſitiuis colligebatur tranſactum ſuper hæreditate, & bonis: nam tranſigentes, operâ amicorum, deuenerunt ad quædam pacta, & conuentiones, in quibus primo loco, Fabricius renuntiabat omni iuri ſibi competenti, tam in hæreditate prædicti Matthæi, ipſorum fratrum aui, quàm Antonij, eorum patris, ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento, vel aliter quomodocumque ſibi ius competeret, ita vt nec Fabricius, nec eius hæredes, & ſucceſſores, vllo vnquam futuro tempore, ratione præmiſſorum, & dependentium ab eis aliquam moleſtiam prædictis fratribus inferrent. Et viceuerſa, Ioannes Matthæus, & fratres renuntiauerunt omni, & cuicumque iuri, ſibi competenti, vel eorum deſcendentibus, quouis modo competituro, ratione diſpoſitionis, ſeu cuiuſcunque fidecommiſſi, tam facti per Alexandrum, ipſius Fabricij patrem in eius teſtamento, quàm aliàs; in his enim pactis, & conuentionibus, nihil de ſtatu, ſeu incapacitate, ſed omnia, præcipuè ſuper

6. bonis, & hæreditate tranſacta apparent. Vnde cùm cauſa incapacitatis deduceretur per modum exceptionis, & replicationis, ad impediendam ſucceſſionem (de qua principaliter agebatur) incidens, & acceſſoria meritò erat iudicanda, vt declarat Curtius iunior *in d. l. quoties, n.* 2. *C. de indic.* Menochius *lib.* 1. *de arbitr. ind. quæſt.* 45. *num.* 5.

Ex his tollebatur difficultas ex libello porrecto in Senatu, in quo ſimiliter fiebat mentio de illegitimitate, nam ea narrabatur incidenter, non tanquam cauſa principalis tranſigendi, cùm id attendi debeat, quod principaliter, non quod incidenter, & acceſſoriè agitur. *l. qui exceptionem*, vbi Baldus *num.* 2. *ff. de condict. indeb. l. ſi quis. ff. ſi cert. pet.* nam principali cauſæ omnia tribuuntur, Calderinus *conſil.* 4. *de locato*, Aymo *conſ.* 202. *num.* 14. 8.

Similiter reſpondebatur ad text. *in l. fratris, C. de tranſact.* ex quo non poterat argui ad propoſitam facti ſpeciem, nam ibi æquè principaliter fuerat tranſactum ſuper ſtatu, ac ſuper hæreditate, vt apparet ex illis verbis, *de paterna ſucceſſione, ac ſtatu*, *ſecus in caſu propoſito, vbi quæſtio ſtatus propoſita fuit incidenter.*

Supradictis inſuper accedebat, quoniam, vt 9.
tranſactio dicatur facta ſuper ſtatu, neceſſarium eſſe videtur, vt ſtatus controuerſia in dubium fuerit deducta, & ſtatuatur ſuper ſtatu, ne amplius in dubium reuocari poſſit. *l. fin. C. de tranſact.* in hac tranſactione nihil fuit ſuper ſtatu conſtitutum, ſed ſuper bonis, & ſucceſſione, quæ nedum occaſione incapacitatis, ſed aliarum quoque cauſarum non expreſſarum, in litem venire poterant, ad Baldum *in l. ſub prætextu ſpecierum la* 2. *num.* 13. *C. de tranſact.*

Multum quoque placuit illud quod vnus ex 10.
Dominis ſenioribus prudenter conſiderabat, de iure ſuccedendi, & iure legitimitatis, quæ ſunt inter ſe diuerſa, & ſeparata: neque enim validè arguitur, quis eſt legitimus, ergo ſucceſſibilis. Socinus *conſil.* 246. *n.* 3. *verſ. ſecundò prima legitimatio, lib.* 2. Tiraquellus *in l. ſi vnquam, in verb. donatione largitus, num.* 317. per doctrinam Bartoli *in l. is poteſt, num.* 8. *de acquiren. hæredit.* hinc in vna Portuen. bonorum de Columna die 27. Nouembr. 1577. coram R. P. D. meo Seraphino Oliuario Rotæ Decano * fuit deciſum, quòd ſubreptio in vno, non inficiebat aliud, iuxta doctrinam Antonij de Butrio *in cap. conſtitutus, num.* 21. *de reſcript.* & Felini *in cap. ſedes, num.* 2. *eod. titul.* quod fuit etiam reſolutum coram S. D. N. Clemente Papa VIII. dum eſſet Rotæ Auditor, in vna Siracuſana illegitimitatis die 19. Octobris 1573.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 351. n. 13. & ſeq.

Cauſa ergo tranſigendi præcipua fuit ob ſucceſſionem bonorum, non ob illegitimitatem, aut incapacitatem, cuius ius à iure ſucceſſionis eſt ſeparabile.

---

### *Aurien. præſtimonij.*

### Lunæ 1. Iunij 1592.

#### SVMMARIVM.

2.3 *Liber exiſtens in Dataria, in quo notantur beneficia reſeruata, probat.*

4 *Reſeruatio beneficij, probatur ex litteris conceſſionis officij.*

5.6 *Probatio reſeruationis in titulo expedito cum teſtibus de auditu ſufficit.*

## DECISIO CCXXX.

PRæſtimonium oppidi de Caceres, Caurienſis diœceſis, vacans per obitum Antonij Capata de menſe Septembr. ann. 1588. extra Romanam curiam defuncti, Epiſcopus Cautien. licèt gratia alternatiua gauderet, cuidam tamen Petro Galarza contulit, ſed cùm Petrus illud in manibus eiuſdem Epiſcopi renunciaſſet, rurſus Epi- 1.

ſcopus Petro de Toledo contulit,cæterùm,quia
.8 præſtimonium, tum ratione menſis, tum quia Antonius in Curia litterarum Apoſtolicarum ſcriptor fuerat, reſeruatum erat Antonio de la Parra, per S.D. Papam collatum extitit: & cùm citati aduerſarij non comparuiſſent, & proceſſum per contradictos decreuiſſem, Antonio de la Parra informante,dubitaui, an eius gratia eſſet ſufficienter iuſtificata, ad effectum, vt cauſa ad illius fauorem expediri poſſet.

Domini verò cenſuerunt gratiam eſſe iuſtificatam, præterquam quoad valorem * beneficiorum, tam iſtius impetrati, quàm Parochialis obtentæ.

* de quo infrà dec.233.

2. Primum, de reſeruatione conſtabat, ratione menſis Septembris in quo vacauerat, qui ſtante acceptatione alternatiuæ dicebatur reſeruatus.

De acceptatione alternatiuæ apparebat, ex atteſtatione Franciſci Vgolini,Notarij Cameræ, aſſerentis, in libris Datariæ annotatum extare, Epiſcopum Caurien. die 3. Auguſti 1585. alternatiuam acceptaſſe, cùm atteſtationi erat ſtandum, cùm ſit de libro exiſtente in Dataria, ad quem facilè poteſt haberi reuerſus, vt fuit dictum in Aretina Commendæ de ann. 1577. coram R.P.D.meo Decano,& in vna Carthaginen. penſionis coram me die 11.Maij proximè præteriti. *

* ſuprà dec. 220.n.2.& 3. vbi annotaui.

Neque Antonius de la Parra tenebatur, probare Epiſcopum de illo tempore reſediſſe, cùm habeat intentionem fundatam, ſuper acceptatione alternatiuæ, * & in præſumptione iuris, quòd Epiſcopus ſemper reſederit, & ſi Epiſcopus,vel prouiſus ab eo,aliud fortè prætenderent, cùm ſit fundamentum intentionis eorum, ipſi id probare tenentur. †

* reſeruatio per præſumptiones probari non poteſt. Duran. dec.120.n.8. ſed plene & concludéter, idem Duran. dec.442.n.1. Ludouiſ.dec. 359 n.1.Rota recen.p.2. dec.160.n.2. † Cocc dec. 259. reſoluit reſeruationē teneri probare qui dicit beneficium eſt reſeruatum.

Accedebat alia reſeruatio,quia Antonius Capata fuerat ſcriptor Apoſtolicus, * vt conſtabat ex litteris reſignationis iſtiuſmet beneficij, in quarum expeditione fuerat annotatum, *gratis pro ſocio*. Creſcentius *dec.5.de probat.*in impreſſis, & ex ſupplicatione conceſſionis officij ſcriptoriatus Antonij *ad not.in cap.fin.de conceſſ.præbend. lib. 6.* Sarnen. *in regula de impetr.benef.per obitum famil.Cardinal.quæſt.23.*

4. Obitum Antonij, fundando reſeruationem in tempore,Domini non putabant eſſe ſufficienter probatum, cùm tunc plena, † & concludens
5. probatio requiratur. Puteus *deciſ.266.* incip. *In*
6. *vna Vrgellenſ.lib.3.num.4.* quem tamen ſufficienter probatum cenſuerunt, fundando reſeruationem in ſcriptoriatu; quia tunc probatio per publicam vocem & famam ſufficit. Mohedanus *deciſ.* 77. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de probationib.num.19.*& hic aderant tres teſtes,vnus de viſu,alter de auditu, & tertius de publica voce & fama.

De clericatu conſtabat ex titulis exhibitis, & de legitimitate, & Doctoratu ex atteſtatione duorum teſtium deponentium de publica voce,& fama, quod ſufficit ad effectum iuſtificandi gratiam.

* beneficia ſcriptorum Apoſtolicorum ſunt reſeruata; quia tales ſcriptores ſunt familiares Papæ vt ex conſtitutione Iulij ſecundi, quam reperies in Bullar. Cherub.tom 1.in conſt.Iulij 2. conſt.15. † Lud. deciſ. 37. n.1. Caual.deciſ.33. num.2.

## *Calaguritana prætenſæ confidentiæ.*

### Die Veneris 5. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Sententia lata contra mortuum, eſt nulla.*
3 *Confidentiarum iudex fuit creatus à Sixto V.*

### DECISIO CCXXXI.

* DVbitaui in iſta cauſa, quam propoſui extra Rotam, de voto tamen Rotæ cognoſcenda, an ſententia per iudicem confidentiarum lata, contra Iuſtinum Sanctorum, & Didacum Ximenez, vel Didaci ſucceſſorem Canonicos Calaguritanos, eſſet nulla, vel iniuſta. 1.

Domini omiſſo capite iniuſtitiæ, (ſuper quo particulariter videre voluerunt) conformiter cenſuerunt eſſe nullam, & reuocandam,ex defectu iuriſdictionis præfati iudicis,cui in caſu propoſito obſtabat clauſula,*ſublata*,poſita in litteris Apoſtolicis, quibus in prædictis Canonicatibus, Iuſtinus, & Didacus deputati fuerant Coadiutores.

*habetur inter impreſſas Farin.tom.3. deciſ. 6. & apud Marcheſ.de commiſſi parte 1. pag. 130. & apud eundem Farin. poſt tom.2. conſ. dec.66. Vide infrà deciſ.246.

Rurſus, quantum ad Didacum ex alio etiam capite ſententia erat nulla, quia lata contra illum iam mortuum. * *l.in ſumma. §.fin ff.de re iudic.* Speculator *tit.de ſentent. §.iuxta, num.5. verſ. vel quia is, contra quem lata eſt, mortuus erat.* Gabriel *conſ.56. num.15. lib.* 1. & fuit reſolutum coram me in vna Vicen.augmenti die 16. Decembris 1588. † 2.

Conſiderabatur præterea, an poſſet dici nulla,ex quo facultas iudicis non*ſe extenderet ad iſtum caſum; ſed quia hoc pendebat ab intellectu motus proprij fel. recor. Sixti V. † conſtituentis iſtum iudicem confidentiarum, quod requirebat altiorem indaginem, cùm ex ſupradictis eſſet nulla, non fuit neceſſaria iſta diſputatio.

* ſententia lata contra defunctum eſt nulla Duran.dec.198. n.12.hoc fallit vt ibidem n.14. Caual. dec.396.n.3. & 4.Rota recen.p.2. dec. 742.n.2. † ſuprà dec. 2.n.9. & ibi annotaui circa hunc articulum. * adde Rot. recen.part.2. dec.166.n.1. vbi allegatur hæc deciſ.ad propoſitum, & in vna Albinganen. confidentiæ 6. Martij 1607. coram March. Mōtio impreſſa per Farin. tom. 2. conſ. dec.234. † habetur in Bullar. Cherubini tomo 2. conſt. 47. in conſt.Sixti V. & incipit Diuina Dei prouidentia.

## *Conchen. Archipreſbyteratus.*

### Die Lunæ 8. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Triennalis poſſeſſio beneficij, eſt melior titulus de mundo, & num.4. & 11.*
3 *Lis extinguitur per ſententiam executioni mandatam, & per ceſſionem ad fauorem poſſeſſoris legitimè factam.*
5 *Poſſeſſionis ex inſtrumento, dicitur poſſeſſionem legitimè probari.*
6 *Poſſeſſio ex confeſſione ponentis, dicitur probari.*
7.8 *Poſſeſſio per teſtes de viſu probari debet.*
9 *Titulum beneficij habens,reputatur ab alijs,vt beneficiarius.*
10 *Ordinarius reputat pro titulari beneficij,eum qui poſſidet.*
11 *Poſſeſſon multi temporis in beneficio, præſumitur verus titularis illius.*

DECI



### DECISIO CCXXXII.

1. DIfficultas in hac deciſione fuit reſtricta ad aſſecutionem Parochialis,nam cùm D.Petrus Amoraga prætenderet,per permutationem initam anno 1582. inter Oſorium, & Palomares, non fuiſſe abdicatum ius ab Oſorio, quod ſibi competebat,ad Archipreſbyteratum,ex quo non docebatur de publicatione, & quia idem Oſorius ann. 1586. aſſecutus fuerat Parochialem incompatibilem, cum Archipreſbyteratu, quam vacationem videbatur capere impetratio Petri, vigore clauſularum generalium; *ſiue præmiſſo, ſiue alio quouis modo:*ideo dedi dubium,cum præſuppoſito, quòd dicta aſſecutio Parochialis eſſet probata, an releuaret ad præfatum effectum.

Et Domini conformiter cenſuerunt, probatam non releuare, quia cùm Palomares, qui vigore permutationis, habuerat Archipreſbyteratum, fuerit in illius pacifica poſſeſſione, per cuius obitum Ordinarius eundem Archipreſbyteratum contulit D. Hieronymo Vadillo,intrabat allegatio Lapi,*ad fauorem Hieronymi,ita vt alia quæuis vacatio, ex cuiuſuis perſona, vel etiam ex perſona Oſorij, ratione præfatæ aſſecutionis allegari non poſſet: cùm celebris illa,
2. & ſæpe canonicata allegatio Lapi 89.faciat præſumere meliorem * titulum de mundo. Sarnen. *in regula de triennali quæſt.10.in fine*, Mohedanus *deciſ.* 41.*num.*2. Antonius Auguſtinus *in epitome*
3. *tit.de allegatione Lapi,num.3.*

* de qua infrà n.11.

* adde Seraphin. deciſ. 316.n.2.

Non obſtat oppoſitio de non pacifica poſſeſſione Palomaris propter litem poſt permutationem introductam, quaſi ad hunc effectum non dicatur extincta per ceſſionem: quia reſpondebant Domini,non ſolùm extingui litem per ſententiam executioni demandatum, vel per Papæ extinctionem, ſed etiam per ceſſionem,* ad fauorem poſſeſſoris legitimè factam, Achilles *deciſ. 1. de lite*, Papazonis *deciſionem 3. de renunt.in in caſu huius deciſionis*, vbi refert, ita fuiſſe tentum in vna Palentina coram D. Thoma de Thomis,quod tunc in multis cauſis ſæpe Rota, tum nouiſſimè in hac poſitione firmauit, ſtante
4. præſertim poſſeſſionis continuatione, (vt mox dicetur) de poſſeſſione autem triennali Palomaris conſtare videbatur ex inſtrumento adeptæ poſſeſſionis,quo legitimè cenſetur probata poſſeſſio. * Faſtolus *dub.* 41. Romanus *conſil.* 482. *num.*2. Socinus *conſil.*105. *num* 5.*lib.*1. & præſu-
5. mitur continuata Rota *deciſ.*124.*in nouis*, quam etiam poſſeſſionem, & illius continuationem comprobabat gratia ſubrogationis D. Petri, in
6. qua petebat, ſe ad poſſeſſionem Palomaris ſubrogari. * Item confeſſio eiuſdem Petri in poſitionibus, eum ponens fateri, dicatur Lapus *alleg.*119. *num.*1. Romanus *conſil.*91. *num.*12.

* adde ſuprà dec.204.n.3.

* adde Caual. dec.150. num.1.

* poſſeſſio probatur ex confeſſione partis. Rota coram Remboldo in impreſſis Merlini de legit. dec.93. n. 1. & 2. Duran. dec.405. vbi plures allegat. n. 3. & ſequent.

Concluſio illa, quòd poſſeſſio per teſtes de viſu probari debeat,procedit, quando agitur de excludenda probatione de publica voce, & fama, ſed non habet locum, ad excludendam probationem, de qua conſtat per inſtrumentum, quod dicitur facere rem notoriam, & probationem probatam, vel ad excludendum illam, de qua conſtat per confeſſionem, quæ ſuperat omnes alios probationum modos, Crauet.*conſ.*375.
7. *num.*1.& 4.& *conſ.ibi num.*3.Bald.*conſ.*192.*num.*8.
8. *lib.*2. & *conſ.*354. *num.*1. *lib.*3.

Ad obiectionem de communi reputatione, quòd non probaretur, Palomarem reputatum pro vero titulari, nec quòd Ordinarius eum pro tali habuerit, dicebatur, quòd cum Palomares titulum habuiſſet, & pro Archipreſbyteratu ſe geſſiſſet, veriſimile erat, eum pro tali ab aliis fuiſſe reputatum, Ægidius *deciſ.* 193. qua etiam ratione ſatis concurrebat reputatio Ordinarij, * cùm ad iſtum effectum ſufficiat ordinarium neſciuiſſe, alium fuiſſe verum Archipreſbyterum,quod ſæpe Rota cenſuit,Gabriel *conſil.*190. *num.* 8. *lib.* 1. quam reputationem in Ordinario maximè ſuadebat ceſſio litis, de qua ſi Ordinarius non habuiſſet notitiam, & non habuiſſet illum pro vero titulari, non permiſiſſet illum poſſidere. Caſſadorus *dec.2.de cauſ.poſſeſſ.& propriet.num.3.* Anchar.*conſ.*117. *num.*2. 9. 10.

* adde Lud. dec.57.n.7.

Nec refert, quod dicebatur, non conſtare de tolerantia Ordinarij, qui ex officio Ordinarij præſumebatur ſatis pro illa,à qua præſumptione non erat cauſa recidendi.

Sed omnem tandem difficultatem tollebat allegatio Lapi fundata ſuper ſola pacifica poſſeſſione * tanti temporis. Caſſador. *deciſ.* 2. *de cauſ.poſſeſſ.& propriet.num.*1. poſſeſſio enim tanti temporis † inducit præſumptionem, quòd ille eſſet verus titularis,aliàs non permanſiſſet tanto tempore in poſſeſſione,Ancharanus *conſ.*117.incip.*Satis impertinens, num.*2. 11.

*adde Cocc. dec.475.n.3. & 4. & Seraphin. deciſ. 974. & fuit dictum in Lucana Maiuſculatus 7. Iunij 1585. coram Orano impreſſa penes Marcheſ. de cōmiſſ.p.1.pag. 471.n.1. †Duran.dec. 285. n. 159. Seraph. dec. 1055.n.3.

## *Caurien. Præſtimonij.*

### Veneris 12. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

1 *Valor præſtimonij probatur per duos teſtes de voce, & fama publica.*
2 *Parochialis valor probatur per duos teſtes de publica voce & fama ad effectum iuſtificandi famam.*

### DECISIO CCXXXIII.

DOmini die 1. Iunij * in iſta cauſa cenſuerunt, gratiam Antonij fuiſſe iuſtificatam, præterquam quoad valorem beneficiorum, tam iſtius impetrati, quàm Parochialis obtentæ, quam in hac poſitione dixerunt fuiſſe iuſtificatam quoad vtrunque,nam valorem præſtimonij probabant duo teſtes de publica voce, & fama, * quæ probatio ſufficit ad iſtum effectum iuſtificationis gratiæ, Bellamera *deciſ.*674. Verallus *deciſ.* 78. *part.*2. maximè cùm fuerint examinati in Curia.Puteus *dec.*29.incip.*In vna Colon.lib.*1. 1. 2.

* ſuprà deciſ.230.

Valorem Parochialis obtentæ ſimiliter probabant teſtes ſuper 5.art.de publica voce, & fama,quæ etiam ſufficit. Bellamera *dec.*682.

* hæc concluſio eſt ſemper admiſſa in Rota, Duran.deciſ.38. n. 3. & 234. n. 4. & 244. n.3.Ludouiſ. dec.78. n. 3. & 84. n.3. & 471. num. 9. quod amplia vt ſufficiat vnus teſtis iunctis adminiculis. Duran.deciſ. 172. n.4. vbi allegat alias deciſ.

## *Vrgellen. Archidiaconatus de Andorra.*

### Lunæ 15. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Subrogatus à Papa abſolutè, debet mitti in poſſeſſionem.*

*ſionem, in locum defuncti, ſine aliqua verificatione.*
3 *Poſſeſſio debet dari ſine aliqua verificatione, gratioſè ſubrogato in locum alterius.*
4.5 *Executiuè non poteſt agi contra habentem parem titulum.*

## DECISIO CCXXXIV.

1. DEderam dubium in hac cauſa vigore gra-
tioſæ ſubrogationis, eſſet locus immiſſio-
ni in poſſeſſionem Archidiaconatus, ad fauorem
Raphaëlis Duran, & Domini in duabus poſitio-
nibus, die 8. & die 15. Iunij, concorditer cenſue-
runt locum fore immiſſioni: nam cùm Raphaël
doceret de poſſeſſione Michaëlis Grimoſachs,
tempore obitus illius, 24. Decembr. 1590. ac de
lite etiam conſtitiſſet, ex deductis in deciſioni-
* ſuprà dec. 207. & 220.
bus ſuper hac cauſa* factis, & de Clericatu præ-
terea ſuo, feciſſet fidem, & eſſet ad poſſeſſionem
Michaëlis à Papa gratioſè ſubrogatus, abſque
2. alia narratorum verificatione, erat in poſſeſſio-
* adde Lud. dec. 307. n. 1. vbi annotatio num. 24. Coc. dec. 72. Caual. deciſ. 450. n. 1. & 458. & infrà dec. 836.
† ſuprà dec. 17. n. 2. & 3.
nem immittendus. * Mohedanus *dec.* 327. incip.
*Fuit reſolutum, num.* 1. Puteus *deciſ.* 495. incip. *die
12. Nouemb. lib. 2. num.* 1. quod ſæpe fuiſſe in Rota
deciſum, docent frequentes deciſ. Burgen. *de
Pancouio* 24. *Octobr. &* 28. *Nouembr.* 1588. coram
D. Gyptio, & in Parmen. Beneficij 12. April. 1589.
† coram me, vt allegaui plures deciſiones, &
nouiſſimè die 1. præſentis menſis, idem fuit de-
ciſum in vna Mediolanen. beneficij, coram R. P.
D. Decano.
3. Quod opponebatur de non exiſtentia litis,
ſuper poſſeſſione Archidiaconatus, ſed tantùm
ſuper iure illius, leuiſſimum videbatur, quia ma-
ior dicitur eſſe lis ſuper beneficio, aut iure illius,
quàm ſuper poſſeſſione, cùm lis ſuper poſſeſſio-
ne non faciat beneficium litigioſum. Caſſador.
*deciſ.* 4. *vt lite penden. num.* 1.
4. Non obſtabat illa oppoſitio de iure Antonij
Pauli, qui cùm optauerit Archidiaconatum, vi-
gore ſtatuti à Sede Apoſtolica confirmati, dici
poterat Apoſtolicus prouiſus, quaſi tunc intra-
ret regula ad illius fauorem, quòd contra ha-
bentem parem titulum, non poſſit agi executi-
* adde Lud. dec. 76. n. 6. & Rotam recen. p. 2. dec. 197. n. 4. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur & infrà deciſ. 1001. num. 4.
† adde infrà dec. 503. n. 9. & 10.
uè. * Mohedanus *deciſ.* 331. aliàs 13. *vt lite pen-
dent.* incip. *Reſolutum fuit.* Zuchardus *in l. fin.
num.* 374. *C. de edicto diui Adrian.* Menochius *de
adipiſcen. num.* 565.
Et ideo Raphaël iſto caſu non poſſet iuuare
ſe, vigore ſuæ gratioſæ ſubrogationis.
Quia fuit reſponſum, † quòd præterquam
quòd Antonius Paulus vigore prætenſi indulti,
non poterat verè dici Apoſtolicus prouiſus, illa
regula procedit, quando ille par titulus procede-
ret ab eodem fonte, & eſſet eiuſdem ſpeciei, vt
verbi gratia, ſi prouiſio Apoſtolica Antonij Pau-
5. li, eſſet etiam gratioſa ſubrogatio in locum, &
poſſeſſionem Michaëlis, nam concurrentibus
duobus, vel pluribus, & ab eodem fonte proui-
ſis, & habentibus gratioſam ſubrogationem ad
eius, & poſſeſſionem alicuius: tunc, cùm ex eo-
dem iure, [illegible] omnes concurrentes præ-
tendant ius, & [illegible] titulos habeant, ordinario
modo, & non [illegible] cognoſci debet, quis ex
concurrentibus [illegible] titulus cano-
nizetur. Mohedanus [illegible] incip. *Diu fuit
diſputata.*
Periurium Raphaëli [illegible] ex quo cùm
fuit receptus in Canonicum eiuſdem Eccleſiæ,
præſtitit ſolemniter iuramentum de ſeruandis
ſtatutis Eccleſiæ, in quibus aderat indultum de
de optando, quod nunc videbatur, ex duobus
potiſſimum ei non putabatur obſtare, primò
quia nondum apparebat, an indultum eſſet in
vſu, & potiùs de non vſu conſtabat, cùm Mi-
chaël, vltimus iſtius Archidiaconatus poſſeſſor,
vigore Apoſtolicæ prouiſionis, ceperit poſſeſſio-
nem, & in ea vſque ad obitum pacificè conti-
nuauerit. Secundò, quoniam etſi in viridi ob-
ſeruantia fuiſſet, ſublatum fuerat, per regulas fel.
record. Gregorij XIV. reſeruantis ſibi omnia
beneficia, quæ vacarent à die 5. menſis Decemb.
ac declarantis, conſuetudines etiam immemora-
biles optandi maiores, & pinguiores præbendas,
nec non priuilegia, & indulta Apoſtolica, mini-
mè ſuffragari. Denique iſta, etſi eſſent alicuius
momenti, non erant præſentis ſpeculationis, per-
tinentis ad poſſeſſorium, cùm ad negotium pe-
titorij referenda eſſent cætera obiecta, vel erant
extra dubium, vel ex his cenſebantur ſufficien-
ter ſublata.

---

## *Nouarien. bonorum.*

### Die Lunæ 15. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Scripturæ extractæ virtute compulſorialium, ſunt in forma probante.*
3 *Inſtrumenta poſita in filzijs, & protocollis, continentibus authentica alia inſtrumenta, faciunt fidem.*

## DECISIO CCXXXV.

DOmini ſteterunt in deciſis, die 2. Martij 1.
proximè præteriti; * ex rationibus tunc
* ſuprà dec. 202. vbi annotaui in n. 1. & adde infrà dec. 227.
deductis, quas ſatis firmas eſſe iudicarunt, vt iu-
ra de quibus agebatur, dicerentur eſſe in forma
probante, cùm eſſent extracta, vigore compul-
ſorialium Rota *deciſ.* 36. *de probationibus, in an-* 2.
*tiquis.*
Non erat verum, quòd teſtes non bene reco-
gnoſcerent prædicta inſtrumenta, quaſi loque-
rentur dubitatiuè, per verbum *videtur*; nam ſe-
cundus, quartus, & quintus, ſuper vltimo inter-
rogatorio præcisè, & affirmatiuè aſſerebant, ſe
habere notam manum illorum Notariorum, &
pluries, ſe illos ſcribere vidiſſe.
Defectus ſubſcriptionis oppoſitus, reſpectu 3.
ſcripturarum, ſeu inſtrumentorum Reuiſlai, non
ſubſiſtebat, ex quo omnia habebant ſubſcriptio-
nem, reſpectu inſtrumentorum Ballioti, ceſſa-
bat, ex quo erant poſita in filziis, & protocollis,
continentibus authentica inſtrumenta, quæ pro-
pterea, & in forma probante, & fidem facere di-
cuntur. Pariſius *conſ.* 27. *num.* 18. *lib.* 2. & fuit ſæpè
dictum in illa Parmen. ſtatus, quorum fidem, ma-
gnopere coadiuuabant Rubricellæ ipſius Bal-
lioti, omnium inſtrumentorum, in quibus more
Lombardo notabantur ſummariola iſtorum in-
ſtrumentorum, tanquam authenticorum.
Extra dubium propoſitum videbatur dicere,
quòd aliqua de iſtis inſtrumentis adeò non pro-
barent, quòd haberent relationem ad alia in-
ſtrumenta,



ſtrumenta, item illud, de verbo quingenta, cùm
iſta pertinerent ad aliam inſpectionem.

---

## *Beneuentana decimarum.*

### Die Lunæ 15. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2.3 *Sententiæ executio, eſt ſuſpendenda, & nil innouandum, ſi poteſt detegi iniuſtitia.*
4 *Executio debet fieri in his quæ tangunt, & pertinent ad ſententiam, ſed non vltrà.*
5 *Sententia ſtrictè debet intelligi.*
6 *Sententia debet intelligi, pro vt verba eius ſonant, & non ſecundùm libellæ conceptionem.*
7 *Sententiarum verba, in dubio, in fauorem rei debent inter præſtari.*

## DECISIO CCXXXVI.

1. QVoniam agentes pro Illuſtriſſimo Domi-
no Cardinal. Aſcanio Columna, moderno
Abbate S. Sophiæ, non acquieſcebant deciſioni
* ſuprà deciſ. 222.
factæ die 15. Maij præteriti, * volui eos iterum
audire, & Domini, cauſa diligenter diſcuſſa, con-
corditer cenſuerunt, non fore recedendum à re-
ſolutis, & firmis remanentibus prædictæ deciſio-
nis fundamentis, nec poſſe ſuſtineri ſequeſtrum,
ex ſequentibus etiam concluſerunt, primò non
vigore commiſſionis, & actorum coram bon.
mem. Puteo, tunc Rotæ Auditore, cùm idem
Puteus, vigore alterius commiſſionis appella-
tionis, & reſtitutionis in integrum, cum clauſu-
la, *prout de iure,* ſibi per Canonicos præſentatæ,
eoſdem refectis expenſis abſoluerit, & literas
compulſoriales, & Remiſſoriales relaxauerit,
2. quorum vigore, coram eodem D. Puteo, teſtes
& iura compulſata produxerunt, ex quibus cùm
* vide infrà dec. 735. n. 6.
poſſit detegi iniuſtitia, * executio eſt ſuſpenden-
da, & nil innouandum. Innocen. *in cap. cùm Ber-
toldus, num.* 4. *de re iudic.* Iaſon *in l. patre furioſo,
num.* 22. *ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. iur.* Pariſius
*conſ.* 87. *num.* 51. *lib.* 3. latè Verallus *deciſ.* 87. incip.
*Die Lunæ lib.* 2. *in manuſcript.*
Omnem verò difficultatem tollere vide-
3. batur factum D. Putei, qui, Canonicos vigore
nouæ commiſſionis comparentes, & nihil de
nouo deducentes, voluit abſoluere, & ad vlte-
riorem executionem noluit procedere, nec ſe-
queſtrum aliquod decernere, quod hodie multo
minus, poſt factas, & productas probationes fieri
debuit, cùm ex eis (vt dictum fuit) detegi poſſit
iniuſtitia ſententiarum, ad fauorem Abbatum,
latarum.
4. Nec potuit ſuſtineri, vigore nouæ commiſ-
ſionis mihi præſentatæ, & præfixionis termini,
Canonicis aſſignati, iſta enim non ſunt ſufficien-
tia ad decernendum ſequeſtrum ſine cauſa; præ-
ſertim cùm ex iuribus productis adſit ſufficiens
cauſa ſuperſedendi, donec videatur de iuſtitia
ſententiarum, quæ ex nouis probationibus poſ-
ſunt iniuſtè deprehendi, nec deſit talis aliqua
ſuſpicio, ex quo iam tunc D. Puteus omnia re-
uocauit, & Canonicos ad nouas probationes
admiſit.
Poſtremò dicebant Domini, ſententias fuiſſe
latas ſuper territorio, ac eius iuribus, & perti-
nentiis, non ſuper decimis, & ideo ſuper illis,
non poſſe executioni mandari. Decius *conſ.* 322. 5.
*num.* 2. cùm ſententia ſtrictè debeat * intelligi.
* Seraph. deciſ. 667. n. 1. Rota recen. p. 2. dec. 243. n. 4. hæc regula fallit in duobus caſibus de quibus Duran. deciſ. 266. n. 27. & 28. Rota recen. p. 2. dec. 604. n. 3.
Alexander *conſ.* 46. *num.* 5. *&* 6. *lib.* 1. & ſimplici-
ter prout verba ſonant, non ſecundùm libelli
conceptionem. † Socinus ſenior *conſ.* 37. *num.* 11.
*lib.* 4. & in dubio in fauorem rei potius, quàm
actoris, ſententiarum verba interpretari de-
beant. Alexand. *conſil.* 46. *num.* 2. *lib.* 5. Ruinus
*conſil.* 104. *num.* 10. *lib.* 5. Socinus iunior *con-
ſil.* 181. *num.* 82. *lib.* 2. Crauetta *conſ.* 74. *num.* 10.
*lib.* 1.

6.

---

7.
† Duran. dec. 258. n. 2. & 451. n. 2. Ludou. dec. 76. n. 1. & 2. Seraph. deciſ. 835. n. 5. Rota recen. p. 2. dec. 439. n. 2.

## *Anconitana computorum.*

### Veneris 19. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Carceratus ex propria culpa tenetur ſoluere expenſas, & damna, quæ ratione carcerationis ſequuntur.*
3.4 *Attentans tenetur reſarcire expenſas.*

## DECISIO CCXXXVII.

PRopoſui dubium, vna tantùm parte infor- 1.
mante, an eſſet locus reuocationi ſententiæ
latæ, per Bigardum, condemnantem Equitem
Ferretum, in reficiendis ſcutis 600. Alexandro
Benincaſo, quem Eques Ferretus Galeotæ ſuæ
Capitaneum præpoſuerat, & taxationi expen-
ſarum, damnorum, & intereſſe, in quibus Ale-
xander fuerat condemnatus, in iudicio attenta-
torum, & Domini dixerunt, eſſe locum reuoca-
tioni ſententiæ, nam cùm Capitaneus Alexan-
der fuerit aptus, & carceratus ob culpam, & de-
licta propria, non ratione Galeotæ, cui præpo- 2.
ſitus fuerat, non tenebatur Eques Ferretus ad ex-
penſas factas, ex cauſa carcerationis. Bald. *in l.
inter cauſas. §. non omnia, num.* 3. *verſ. ſi verò dam-
num. ff. mandat.*
Faciendam quoque dixerunt taxationem ex- 3.
penſarum, cùm ſemper attentans * teneatur ad
* adde Duran. dec. 305. n. 2. & 427. num. 1.
expenſas reficiendas ei, qui paſſus fuit attentata.
Portius Imola *conſ.* 66. *num.* 24.
Similiter etiam facienda fuit taxatio, quan- 4.
tum ad damna, & intereſſe, cùm attentans ea
reſarcire teneatur, vt poſt alios tradit Lancello-
tus *de attentatis, part.* 3. *cap.* 31. *de pœnis attent.
num.* 164. *& ſeq.*

---

## *Bononien. Parochialis.*

### Die Lunæ 22. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Commiſſarius iudex tenetur partes aſſumere, ſi adeſt quis in poſſeſſione.*
3 *Poſſeſſor non tenetur dimittere poſſeſſionem, ad nutum executoris; quia eius poteſtas eſt contra reſiſtentes de facto, non de iure.*
4 *Reſtituendus eſt poſſeſſor, qui de facto fuit priuatus, per executorem.*
5 *Inſtitutio ſola ad beneficium, tribuit titulum coloratum.*

Conditio

6.7 *Conditio de præterito, non ſuſpendit, ſed ſolùm præſeruat.*
8 *Commiſſio data, cum clauſula,* quam, & quas, *includit omne ius, tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio.*
9 *Commiſſio data officio, & tribunali, poteſt per ſucceſſorem exerceri.*
10 *Spolÿ cauſa, de iure Canonico, eſt perpetua.*
11 *Sententia nulla, non tranſit in rem iudicatam.*

## DECISIO CCXXXVIII.

1. Videnda eſt deciſio Putei lib.2.dec.32. an faciat cõtra iſtam, cui reſpondetur infrà n.7.

BIs propoſui iſtam cauſam, ſemel die Lunæ 11. Maij, vna tantùm parte informante, & tunc Domini dixerunt, ſententias de partibus latas, ad fauorem Stephani de Lazzaris, declarantes Vicarium Imolenſem, nulliter proceſſiſſe, & Stephanum eſſe reſtituendum ad ſuam priſtinam poſſeſſionem, eſſe confirmandas, & iterum vtraque parte informante, die Lunæ 22. Iunij, & Domini ſteterunt in deciſis pro Stephano: nam cùm Stephanus eſſet in poſſeſſione, & coram dicto Vicario in tempore
2. comparuiſſet, & ſuam poſſeſſionem allegaſſet, debuit ille Vicarius partes iudicis aſſumere, & de iuribus Stephani cognoſcere, iuxta notata communiter per Doctores *in cap.fin.de præſumpt.* vbi Antonius de Butrio *num.* 8. *& ſeq.* Felinus *num.*17.24. *&* 33 .*verſ.quartò aduerte,* quod ſæpe Rota profeſſa eſt, vt in illa Neapolitana S. Andreæ, die 14.Februar. 1569. coram Domino Fineto, & in illa Piſcien. Capellaniæ coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente VIII.tunc Rotæ Auditore die 21. Februar. 1578. quod eo potiſſimum nomine iſte Vicarius facere tenebatur, quia in litteris commiſſionis, ſibi delegatæ, extabat clauſula, * *Dum modo tempore datæ præſentium, non ſit alicui ius quæſitum.* Ideo de iuribus Stephani, in poſſeſſione exiſtentis, fuerat diſcutiendum.

* hæc clauſula facit exequutorem de mero mixtam Ludou. dec.91. n. 1. Duran. dec.414.n.2. & 437.n.3.

3. Nec poſſeſſor tenetur ad nutum executoris ius ſuum, & poſſeſſionem relinquere; quia iſtorum executorum poteſtas, contra † reſiſtentes de facto procedit, non contrà de iure ſe defendentes. Achilles *dec.*4.*de ſentent.excomm num.*11.
4. ex quibus conſequebatur, poſſeſſionem per iſtum Vicarium executorem, Stephano ablatam, eidem Stephano legitimè fore reſtituendam, * vt nominatim fuit reſolutum, in illa Piſcien. Capellaniæ: & propterea ſententiæ, quæ Stephanum reſtituerunt, meritò erant confirmandæ.

† Cocc. dec. 144.n.15.Seraphin. dec. 1045. n.3. & 1056.n.4.

* adde Seraphin. deciſ. 1045.n.4.

† ad agendũ Spolio in beneficialibus requiritur titulus coloratus. Cocc. dec.312.n.3. & 361. n. 1. & 387.n.1.

De titulo colorato Stephani, † ſatis conſtabat, ex præſentatione, * & ſubſecuta inſtitutione, quamquam ſola inſtitutio, (licèt de præſentatione non appareret) titulum coloratum
5. probet, Pontanus *tract.de ſpol.lib.*2. *num.*139.

* adde Rot. recen.part.2. dec.52.n.3.

6. Nec refert, quòd inſtitutio Stephani eſſet conditionalis, cum clauſula: *Dummodo ante inſtitutionem per Papam non fuiſſet alicui legitimè, & canonicè prouiſum*; quia cùm ſit conditio de
7. præterito, non ſuſpendit, ſed ſolùm præſeruat, † Sarmiento *in regula de iure quæſito non tollen. quæſt.*1. *in fine*, Achilles *deciſ.*18. *de probat.in impreſſis*; vnde non operabatur effectum ſuſpenſiuum, * quominus Stephanus reſtitui deberet, non obſtat deciſio Putei 32, incip. *Decima Octob. lib.* 2. quia ibi poſſeſſio erat tradita ſub conditione, de qua ſtatim poterat conſtare, an eſſet purificata: ſecus eſt autem, in caſu propoſito, in quo non poterat ſine diſcuſſione ſtatim apparere de bono iure Michaëlis, de quo erat videndum in petitorio, & propterea interim non poterat reſtitutio in ſpolio Stephano denegari. Achilles *d.deciſ.*18. *de probationib.in fine.*

† adde Seraphin. deciſ. 1484.n.12.& 1498.n.4.

*Ludou.dec. 350.n.1. vbi annotatio litera A. plura tradit circa hunc art.

Quod dicebatur de commiſſione in qua non apparebat comprehenſum hoc ſpolium, ex clauſula eiuſdem commiſſionis, *quam, & quas,* ſufficienter tollebatur cùm vigore illius, omne ius, * tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio deductum cenſeatur. Cotta *deciſ.*65. incip. *Coram eodem Tiraſſonen.* 8.

* adde Rot. recen.part.1. dec.360.n.3. & apud Pacificum poſt tract. de Saluia.inter.deciſ. 68. n. 12. vbi aliæ dec. allegantur. Caual. deciſ. 200.n.5.& 6

Defectus oppoſitus contra ſententiam latam, per D.Dandinum, tunc Bononiæ Vicelegatum, quaſi ille non potuerit iudicare, ex eo, quòd cauſa non ei, ſed D.Cardinali de Saluiatis Bononiæ Legato commiſſa extiterit, & ideo cenſenda foret perſonalis, eo nomine tollebatur, quòd commiſſio fuerat directa D.Cardinali Saluiato, tanquam Bononiæ Legato, & delegans, non tam habuerat rationem perſonæ præſidentis, quàm 9.
tribunalis, cui præſidebatur; iure ergo D.Dandinus in officio, & tribunalis ſucceſſor, potuit vigore eiuſdem commiſſionis iudicare. Abbas, & alij *in cap.quoniam Abbas, de offic.delegat.* & de Legato Bononiæ tradit Andr. Gambara *tract. de officio legati lib.*8. *num.*98.

Lapſus temporis, ita vt inſtantia deſerta videri poſſit, non obſtat, tum quia erat prima in- 10.
ſtantia ſuper cauſa ſpolij, quæ de iure Canonico, eſt perpetua, * tum quia tametſi ſeruanda foret, cùm ſententia Vicarij Imolenſis fuiſſet nulla, non tranſiuit in rem iudicatam. †

* de hoc art. vide Seraph. dec.1360.

11.
Defectum citationis ſerius facti tollebat, cùm omnes citationes rite factæ apparerent.

Quæ dicebantur de validitate, aut inualiditate præſentationis, & de Canonica Michaëlis prouiſione, ad petitorium erant referenda.

†adde Cocc. dec.234.n.7. Seraph. dec. 432. num.7. &493. n. 4. & 988. n. 5. & 1469. n.3. Caual. deciſ. 270.n.5.

---

## *Romana pecuniaria de Grandis.*

### Die Lunæ 22. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Donatio, quæ non fit incontinenti, inſinuatione indiget.*
3 *Solemnitates requiſitæ in donatione, debent ſeruari in retrodonatione.*
4 *Notario ſtipulante donationem, ius acquiritur donatarÿs.*
5 *Donatio per iuramentum ſuſtinetur.*
6 *Statutum requirens ad donationem aſſiſtentiam duorum affinium, ſi duo non venerint, debent alÿ duo vocari, aliàs non valebit donatio.*
7 *Conſenſus errantis nullus eſt, & n.*12.

## DECISIO CCXXXIX.

QVoniam creditores D. Alexandri de Grandis, ſæpe citati, noluerunt informare diuer- 1.
ſas excuſationes prætexentes, propoſui dubium, aliàs datum, an donatio, ſeu retrodonatio facta per D. Læliam Maſſam, D. Alexandro eius marito, die 10. Martij ann. 1587. eſſet valida, vel nulla? & Domini cenſuerunt, eſſe nullam; primò defectu inſinuationis: nam licèt fuerit retrodonatio de eiſdem bonis, quæ priùs idem D.Alexander D. Læliæ vxori donauerat, nilominus,
2. cùm non fuerit facta in continenti, ſed poſt annos 14.& vera donatio cenſebatur, * & inſinuationem requirebat, tam ex diſpoſitione ſtatuti vrbis *lib.*1. *cap.*150. quàm iuris communis, *l.ſancimus. C.de donationib.* Baldus *in l.ſi viua, num.*2. *verſ.ſed ego quæro.C.de bonis mater.* Cæſar de Graſ-
3. ſis *deciſ.*150. incip. *Plures ex dubio, num.* 15. maximè cùm omnes ſolemnitates, in donatione requiſitæ, in contractu retrodonationis, ſeruari etiam debeant. *l.*2. *C.ſi aduerſus don. l.ſi ad reſoluendum.C.de prædÿs minor.* Iaſon *in l.cum filiofamilias, num.* 170. *ff.de legat.* 1. Arias Pinellus *in l.*1. *in* 3. *parte num.* 60. *circa finem, verſic.ſextò. C. de bonis mater.*

* Caual.dec. 354.n.5. Seraphin. dec. 232.n.1.& 3.

Nec iuramentum * hoc caſu ſupplebat validitatem donationis, cùm per ſtatutum vrbis à Papa confirmatum, de cuius validitate dubitare non licebat, particulariter eſſet prouiſum.

* adde Duran.dec.155. n.12. & 361. n. 19. & 20. Caual. deciſ. 257.n.1.& 2. Seraph. dec. 201.n.23.

Item cenſebatur inualida, & nulla, quia cùm prima donatio bonorum, quam fecit D.Alexander Læliæ ſuæ vxori, fuiſſet etiam facta ad fauo-
4. rem communium filiorum, pro quibus Notarius ſtipulatus fuerat, nunc in illorum præiudicium, illa prior donatio per iſtam retrodonationem non poterat reuocari, quia mediante Notario ſtipulante, ipſis fuerat ius quæſitum, Socinus iunior *conſil.*118. *num.*13. *lib.*2. Couarruuias *lib.*1. *variar.reſolut.cap.*14. *num.*11. Clarus *in* §. *donatio quæſt.*13 *.num.*5.*verſ.difficultas eſt.* Illa verò dona-
5. tio ad fauorem filiorum facta, propter iuramentum *ſatis ſuſtinebatur. Gabriel *tit.de donat.concluſ.*4. *num.*1.

* dixi ſuprà ad dec. 215. n.5.Rota recen.p.2. dec. 665.n.6.& 7. & infrà dec. 632.& 637.

Accedebat alia nullitas, ex defectu ſolemnitatis requiſitæ, per ſtatutum vrbis *lib.*1. *cap.*150. diſponentis ſub pœna nullitatis, † vt in contra-
6. ctu donationis adhibeantur duo coniuncti proximiores, qui in hac retrodonatione non affuerunt, licèt fratres D. Læliæ vocati fuerint, nam cùm illi non acceſſerint, alij coniuncti vocari debuerant. Baldus, & Salicetus *in l. viduæ. C. de nuptÿs*, præſertim cùm alios conſanguineos D. Lælia haberet in vrbe, quibus propterea exiſtentibus, & non vocatis, non potuit deueniri ad deputationem curatoris, nam ſtatuti forma * erat primùm diligenter ſeruanda, argumen. *l.proſpexit.ff.qui, & à quib.* vbi gloſſ.*in verb.ſcriptæ.*

† Rot.recen. p.2.dec.723. n.1.& ſeq.

*Duran dec. 121. n.34.& 155. n. 8. & infrà deciſ. 327.n.2.

Poſtremò, cùm cauſæ, quibus inducta fuerat D.Lælia ad retrodonandum, eſſent falſæ, vt fuit conſideratum in alia deciſione die 27. Aprilis proximè præteriti, * ex defectu voluntatis, videbatur retrodonatio corruere, cùm errantis nullus ſit conſenſus, nulláque voluntas. *l.cùm teſtamentum.C.de iur.& facti ignorant.*

* ſuprà deciſ.215.n.12.

---

## *Placentina fideiuſſionis.*

### Die Lunæ 22. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Cenſuræ debent iuſtificari ex probationibus ante promulgationem factis.*
3 *Fideiuſſor non dicitur, qui ſe obligauit ad ſoluendum, ſicut principalis.*





4 *Fideiuſſor liberatur, extincta principalis obligatione.*
5 *Clauſula,* ſine præiudicio legitimæ executionis, *non impedit, quin iudex à quo, poſſit procedere ad vlteriorem excommunicationem, ſed non impedit, vt iudex ad quem, reuocet geſta per iudicem à quo, ſi iniuſtè proceſſit.*
6 *Clauſula,* ſine præiudicio legitimæ executionis, *ſolùm præſeruat, quòd legitimè fuit factum per iudicem à quo, non quòd nulliter.*
7 *Clauſula,* ſine retardatione ſolutionis penſionis, *operatur, vt non retardetur ſolutio.*
8 *Abſolutio cenſurarum ad reincidentiam, debet dari, dum diſcutitur iuſtitia, vel iniuſtitia negotÿ.*

## DECISIO CCXL.

1. Hæc deciſio habetur inter impreſſas Marcheſ. de commiſſ.p.1. c.6.pag.277.

DOn Petrum Decanum Placentinum, quem Balthazar de Miranda ab A. C. declarari excommunicatum obtinuerat, ex eo quòd, cùm diſceſſerat à Curia, loco ſui alium fideiuſſorem obligatum non dimiſerat, pro ſoluenda quadam aſſerta penſione, reſeruata ſuper decanatu Placentino, Domini conformiter abſoluendum cenſuerunt, ad beneplacitum, cum reincidentia, quoniam cenſuræ fuerant iniuſtæ, tum quia re- 2.
ceſſus Petri non apparebat probatus in actis coram A. C. ante fulminatas cenſuras, quod erat neceſſarium, quia ex nouis probationibus, * cenſuræ non poſſunt iuſtificari. Innocen.*in cap.prudentiam, num.*6. *de offic. delegat.* Puteus *deciſ.*123. *lib.*2. Antonius Auguſt.*deciſ.*356. *lib.*3. Verallus *deciſ.*156.*lib.*2.*in manuſcript.& deciſ.*129.*part.*3. *in impreſſis*; tum verò potiſſimum, quia obligatio Don Petri erat de dando alio fideiuſſore loco illius, qui recederet à Curia, & tamen Don Petrus, hodie Decanus, qui die 5. Ianuarij 1589. fuerat deputatus coadiutor in decanatu, cum ſimili obligatione ſoluendi penſionem, non erat fideiuſſor, * ſed principalis; vt patebat ex verbis litterarum coadiutoriæ, ibi; *quòd tu quoque Petre, durante coadiutoris officio, de prædicta penſione ſoluenda in forma Cameræ, te obligare perinde, ac dictus Garcias ſe obligauit, etiam tenearis, aut tenetur*; hæc enim verba omnimodam ſimilitudinem important, ad ipſum Garciam Decanum, cui Petrus datus fuerat coadiutor. Angelus *in l. ſi finita* §.*ſi quis metu. ff. de damno infect.l.ſi lege.* §.*perinde,* vbi Bald. *ff. de petit. hæred.* Socinus *conſil.*62. *num.*21. *lib.*4. Decius *conſil.*361.*num.*4. vnde ſicut Garcias ſi præſens in Curia fuiſſet, & ab ea receſſiſſet, vigore ſuæ obligationis alium fideiuſſorem dare non tenebatur, ita nec Don Petrus, qui ad ſimilitudinem Garciæ, cui erat datus coadiutor, fuerat obligatus, decretum enim non dicebat, quòd loco principalis abſentis, vel recedentis, eſſet alius dandus, ſed tantùm loco fideiuſſoris, quod ſuadebat etiam formula obligationis fideiuſſorum, qui non ſolùm promiſerunt pro Garcia, ſed etiam pro Don Petro, à quo fuerunt indemnes releuati, quod ſatis indicat, Petrum quoque fuiſſe principalem, & eo maximè, quoniam tempore iſtius obligationis, iam Garcias Decanus fuerat mortuus in Hiſpania, qui ſi tantùm 4.
fuiſſet principalis, omnes illæ obligationes euanueſſent cùm principali carerent. *l.Græcè.* §.*illud. ff.de fideiuſſ.* §.*fideiuſſores, Inſt.de fideiuſſoribus.*

* adde Rot. apud March. de commiſſ. p.1.n.61. fol. 64.num.7. & quando poſſint, vide apud eundem March. deciſ. 5. n.4. fol.340.

*Ludou.dec. 445. n.2. ibi annot.n.8. & dec.564.n.3.

3.

Neque cenſuræ ſuſtinebantur, ex clauſula commiſſionis, *ſine præiudicio legitimæ executionis;* licèt

licèt enim commiſſio appellationis, propter dictam clauſulam non ſuſpendat, * nec impediat, quin iudex à quo, procedat ad vlteriorem executionem, tamen non operatur, quin iudex ad quem, qui cognoſcit de cauſa appellationis, non poſſit reuocare omnia geſta, per iudicem à quo, ſi iniuſtè proceſſerit: illa enim clauſula, * *ſolùm præſeruat illud, quod legitimè fuit factum, non id, quod nulliter, aut iniuſtè geritur*, vt fuit aliàs reſolutum, coram S.D.N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, * in vna Romana Caſalis 24. Nouembr. 1581. & colligitur etiam ex traditis per Staphilæum *tract. de litteris gratiæ & iuſtitiæ, verſ. conſequenter tunc debet.* vbi annotat, non ſine myſterio, in ſimilibus commiſſionibus, apponi ſolere illud abuerbium *legitimè*.

* addc Lud. dec. 232. n. 1. & latè annotat. n. 4. & ad dec. 91. n. 23.

* Rot. recen. p. 2. dec. 609. n. 1. Seraph. dec. 247. n. 1.

* hæc deciſ. habetur impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 2. §. 2. pag. 61.

7. Deciſiones 33. incip. *Item fuit dictum*, Ioannis Pauli *lib.* 1. & D. Blanchetti in illa Romana, penſionis die 23. Martij 1576. eo nomine non obſtabant, quia non loquebantur de fideiuſſione, ſed de ſolutione penſionis, & aderat clauſula, *ſine retardatione ſolutionis*, quæ tam * propter malitiam, & fraudes recuſantium penſiones ſoluere, retardari non debet, Staphilæus *præcitato loco.*

* adde Rot. diuer. part. 1. dec. 301. n. 1. & 349. n. 1. & p. 3 lib. 2. deciſ. 182. n. 3. Seraph. dec. 664. n. 1. Caual. deciſ. 78. n. 1. & 2. Rot. recen. part. 1. dec. 505. n. 1. & apud Marcheſ. vbi ſuprà p. 1. §. 2. fol. 609. n. 8. & pag. 613. num. 14.

In hac deciſione additum fuit, Decanum fore abſoluendum, ad beneplacitum, & cum reincidentia, † tum, quia ita communiter ſeruat ſtylus huius tribunalis, tum quoniam ex diſcuſſione negotij principalis, ſuper validitate, aut inualiditate reſeruationis penſionis, clariùs patebit iuſtitia, vel iniuſtitia cenſurarum, quàm iniuſtitiam hodie, ad effectum abſoluendi, ſatis ex deductis patere, Domini cenſuerunt.

8.

† adde Mant. dec. 237. n. 6.

## *Romana pecudum.*

### Die 26. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Obligatio duorum, ex contractu locationis orta, intelligitur pro parte, niſi aliud pactum fuerit.*

## DECISIO CCXLI.

1. PRætendebant hæredes Laurent. Chiſij, agentes contra hæredes Antonij de Maximis, in locatione pecudum facta, de ann. 1531. Hieronymo Venturino, & Antonio de Maximis, pro quarum recuperatione, vnà cum fructibus, nunc agebant, Antonium, & Hieronymum fuiſſe in ſolidum obligatos, eorumque hæredes, eodem obligationis vinculo obſtringi, & cùm propterea dubitarem, an hæredes Antonij in ſolidum tenerentur, reſponſum fuit regula generali, & communi, eos pro virili, non in ſolidum teneri,

De hac cauſa ſuprà deciſ. 86. 104. 139. & 219.

2. *l. reos. §. cum tabulis. ff. de duobus reis.* ex contractu enim locationis & conductionis duo, vel plures tam quo [illegible] tionem, quàm quo ad penſionem, [illegible] r, pro parte obligati, niſi aliud pactum [illegible] Paulus de Caſtro *in l. item quæritur. §. 1.* [illegible] *apparebit. ff. de locato, & conduct.* Auth [illegible] *duob. reis*; in protocollo autem, [illegible] hæredes Laurentij declarauerunt [illegible] preſsè, Antonium, & Hieron [illegible] conductores fuiſſe in ſolidum obliga [illegible]

An verò, ex quo ſolus A [illegible] adminiſtrauit, & vterque promiſit, & quilibet bona ſua omnia hypothecauit, vel quia ab initio quaſi ſocietatem contraxiſſe videbantur, ſaltem tacitè in ſolidum fuerint obligati, ideoque nunc in ſolidum illorum hæredes conueniri poſſent, particulariter diſcuti vellem.

## *Romana vnionis, ſiue Marſicana Abbatiæ.*

### Die Veneris 26. Iunij 1592.

## DECISIO CCXLII.

PRopter magnam ſolicitudinem agentium pro Capella Præſepis, fuit intra paucos dies bis propoſita hæc cauſa, nempe die 19. & 26. præſentis menſis Iunij, & quoniam aliqui ex Dominis dicebant, difficultatem obiectorum contra gratiam Petri Franciſci Iuſti, faciliùs poſſe ſuperari, ſi conſtaret fel. recor. Gregorium XIV. tempore impetrationis à Iuſto obtentæ habuiſſe notitiam vnionis inchoatæ, per fel. mem. Sixtum V. ad fauorem Capellæ Præſepis, ideo D. Iuſtus, die Lunæ 22. huius, citauit Præpoſitum dictæ Capellæ, & vnum ex Capellanis, qui hoc negotium in Rota ſolicitabat, ad videndum iurare teſtes, & eodem die, præcedente legitimo decreto, dedit articulos in actis, & per totum diem Martis proximè ſequentis, fuerunt dicti agentes expectati, ad dandum interrogatoria: nam expreſsè ego ordinaueram Notario, ne die Martis inciperet examen, & tandem die Mercurij 24. nemine comparente ad dandum interrogatoria, examinati fuerunt duo teſtes. Cauſa propoſita, Domini ordinarunt, quòd ex abundanti, ſi pars vellet dare interrogatoria, teſtes repeterentur, & quòd more Rotali, ſeruatis ſeruandis, in ea procederetur, vt vtrique parti ius ſuum inuiolabiliter reddi poſſet.

## *Toletana Parochialis de Mazarambroz.*

### Die Veneris 26. Iunij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Generalitas verborum in reſeruatione penſionis, non importat ſummam diſſimilem, reſpectu ſummæ maioris.*

3 *Procuratori datum mandatum ad conſentiendum penſioni ad ſummam bene viſam, debet intelligi, arbitrio boni viri.*

*& idem eſt de mandato ad vendendum, num. 4.*

## DECISIO CCXLIII

DOmini ſteterunt in reſolutis die 29. Aprilis, proximè præteriti, * nam illa mandati verba ad conſentiendum reſeruationi penſionis, *cuiuſuis ſummæ, & quantitatis*, non 1.

* ſuprà dec. 216. vbi aliqua addidi.

continent alternatiuam electionis, ſed ordinis, vt ſi non poſſet obtineri penſio ſexcentorum, quam reſignans ſibi reſeruari petebat, in ſubſidium, reſeruaretur alia ſumma, 2.



ma, minor quidem ſexcentis, ſed maior quæ haberi poſſet; illa enim generalitas verborum non importat ſummam adeò diſſimilem ducentorum, reſpectu ſummæ ſexcentorum per reſignantem expreſſæ, ad tradita per Socinum *conſ.* 260. *num.* 15. *lib.* 2. & Gratum *conſil.* 65. *num.* 57. *lib.* 1.

3. Quibus accedebat, quòd in mandato Didacus reſignans non dixerat ſimpliciter de quacunque ſumma, ſed de quacunque ſumma beneuiſa, quæ verba ſatis indicabant, ſummam debuiſſe arbitrio boni viri regulari, * *l. fideicomm. §. quamquam. ff. de leg.* 3. Berous *conſ.* 174. *n.* 24. *lib.* 1. vbi etiamſi detur mandatum cum libera ad vendendum, pro pretio, quod Procuratori videbitur, nihilominus

* dixi ſuprà ad dec. 216. n. 11. vbi addidi.

4. intelligitur de pretio arbitrio boni viri: denique ſi Didacus voluiſſet reſignare, pro quacumque ſumma, etiam modica, nec intellexiſſet de ſumma honeſta, & rationabili, aut parum diſtante ab illa ſexcentorum, quam ipſe expreſſerat, ſatis ei fuiſſet, nulla expreſſa ſumma dicere, quòd renuntiabat quacunque penſione ſibi reſeruata.

## *Calaguritana Canonicatus extra Rotam.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Gratiæ expectatiuæ ſunt prohibitæ per Tridentinũ.*

3 *Gratia expectatiua morte Papæ concedentis non expirat, & num.* 11. 12. *&* 14.

4 *Intellectus* ad cap. ſi ſuper gratia, de offic. deleg. *qui pugnat* cum cap. ſi cui nulla. §. ſecus, de præben. lib. 6. *& num.* 5.

6. 7. 8. 9 *Gratia, morte concedentis expirat, ſi fieri mandat, ſecus ſi mandet exequi.*

10 *Executor ſimpliciter datus non vt cognoſcat, ſed vt exequatur, & incepit proceſſum, ille actus ſine citatione perpetuauit ſuam iuriſdictionem, vt res non dicatur integra.*

13 *Gratiæ faciendæ dicuntur, ſi ex eis non acquiratur aliquod ius.*

15 *Regula reuocatoria expectatiuarũ, non adeſt hodie.*

16 *Gratia poteſt eſſe perfecta, ſine executione eius.*

17 *Gratia dicitur inefficax, ſine executione.*

18 *Gratiam, ſiue rem reddi inutilem, longè differt à in longum protrahi illius effectum.*

19 *Gratia expectatiua beneficij, cum clauſula,* infra menſem, à die vacationis duxeris acceptandum, *dicitur pura.*

1.

* de hac cauſa infrà dec. 249. & de eius materia videndus eſt Loterius de re benefic. q. 25. à num. 4. cum ſequen. lib. 2. vbi de hac conceſſione Gregorij XIV. facit mentionem.

† habetur hæc deciſio inter impreſſas penes Marcheſ. de commiſſio. p. 1. pag. 461.

## DECISIO CCXLIV.

COnceſſerat * fel. recor. Gregorius XIV. die 26. Septembr. ann. 1591. per litteras motus proprij, cum ampliſſimis clauſulis, & ſpeciali Concilij Tridentini † derogatione, Dionyſ. Franceſio expectatiuam ad vnum Canonicatum, & præbendam Eccleſiæ Calaguritan. primo, ſecundo, tertio, & vlteriori loco vacan. quem infra menſem à die habitæ notitiæ duceret acceptandum, Auditor Cameræ, vnus de executoribus, in gratia expectatiuæ, per Papam datus, cui litteræ motus proprij fuerant præſentatæ, eodem menſe, proceſſum fulminauit, & litteras monitoriales pro gratia exequenda relaxauit, die 21. Ianuarij ann. 1592. Romana Sede vacante contigit vacatio iſtius Canonicatus, quem Dionyſius die 1. Februar. immediatè ſequentis, acceptauit, & præſentatis Capitulo Eccleſiæ litteris ſuæ expectatiuæ, & monitorialibus A. C. executoris dati, ſibi illius actualem poſſeſſionem tradi requiſiuit; quam idem Capitulum prætendens gratiam expectatiuæ, per obitum concedentis expiraſſe, tradere recuſauit, ſicuti etiam eandem denegauit cuidam alteri ſub die 7. Februar. ab Ordinario prouiſo, & quia paulo pòſt, Ambroſ. Gonzalez, de eodem Canonicatu, & præbenda per S.D.N. Clementem VIII. prouiſum extitit, & ſuper controuerſia inter prædictos exorta, quorum quilibet ad ſe Canonicatum pertinere prætendebat, Sanctiſſimus iuridicum reſponſum habere volebat, & mihi eius rei curam demandauerat, propoſui dubium, an gratia Dionyſij expiraſſet per obitum concedentis, ex quo illo viuente, non videbatur ſortita ſuum effectum.

Et licèt gratia Dionyſij viſa fuiſſet Dominis 2.
exorbitans, cùm eſſet extra metas Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 19. ſecurè expectatiuas prohibentis, quæ propterea concedi non debuerat, quia tamen de poteſtate concedentis non dubitabatur, reſponderunt gratiam non expiraſſe:
nam cùm Papa non commiſerit executoribus, vt 3.
ipſi gratiam facerent, iuxta *cap ſi cui nulla. §. ſecus ſi ſuper prouiſione, de præbend. lib.* 6. ſed ipſemet gratiam fecerit, & Dionyſio ex nunc prout ex tunc canonicatum, quem duceret acceptandum, cum plenitudine iuris Canonici contulerit, & prouiderit, & ſic gratia eſſet facta, intrabat regula, quòd illa non expirauit per obitum concedentis. *cap. ſi ſuper gratia, de offic. deleg. iud. lib.* 6. vbi gloſſ. *in verb. facta*; & inibi communiter Canoniſtæ, Ioannes Monachus *n.* 4. *verſ. hic erat gratia facta.* Archidiacotus *num.* 1. Ioann. Andr. *num.* 1. *verſ. in gloſſ ſecunda*, Geminianus *num.* 1. *&* 4. *verſ. gloſſam ſecundam*, Ancharanus *num.* 1. *verſ. in quo primò nota.* Francus *n.* 4. *verſ. & intellige primò.* gloſſa *in d. cap. ſi cui nulla*, in verbo, *moriatur*, & *ibi* communiter Canoniſtæ, *de præben. lib.* 6. Federicus de Sen. *conſ.* 78. incip. *Caſus eſt: Papa conceſſit.* Æneas de Falconibus *tract. de reſeruat. part.* 2. *in* 5. *quæſt. principali, n.* 4. *verſ. quartò quæro.* Lapus *allegat.* 17. incip. *An datio executoris*; quæ licèt tota ſit deprauata, idem velle videtur. Rota *dec.* 349. incip. *Si Papa mandet*, aliàs eſt 12. *de offic. delegat. in nouis*, quam referunt & ſequuntur Geminianus *in dict. cap. ſi ſuper gratia, num.* 7. *verſ. ſed oppone quòd Papa mandat*, & Francus *n.* 4. *verſ. ſecundò intellige*, qui-
bus locis, conciliando illa duo iura, quæ vi- 4.
dentur inter ſe pugnantia, videlicet *cap. ſi ſuper gratia, de offic. deleg. & cap. ſi cui nulla.* §. *ſecus ſi ſuper prouiſione, de præbend. lib.* 6. dicunt ideo *in*
*cap. ſi ſuper gratia*, poteſtatem executorum da- 5.
torum ſuper exequenda alicuius gratia, non 6.
expirare per obitum concedentis, * re adhuc integra, ſicut nec gratia ipſa expirat, cùm poteſtas executorum ſit acceſſoria ad gratiam; quia ille textus loquitur de gratia iam facta, vt verba ipſa indicant, ibi: *ſuper gratia alicui ab Apo-*
*ſtolica ſede facta*; ſed *in cap. ſi cui nulla. § ſecus*, po- 7.
teſtatem executorum re integra, per obitum concedentis, propterea expirare; quia Papa *ibi*, non fecerat gratiam, ſed fieri mandauerat, vt ſcilicet executor datus prouideret alicui de beneficio; vt oſtendunt illa verba, *ſuper prouiſione certæ perſonæ facienda*: vnde cùm poteſtas executoris ibi eſſet principalis ad gratiam faciendam, non autem acceſſoria ad gratiam iam factam, vt in

* vide infrà dec. 249.

8. in primo caſu, ideo re integra, poteſtas expirauit, & in his terminis procedunt Doctores allegati per Gabrielium *titul. de præbendis, concluſ.* 1. *num.* 5. *verſ. limita hanc ampliationem*, & ſupradictam diſtinctionem approbauit Rota ann. 1553. vt teſtatur Guidobonus *deciſ.* 29. incip. *Coram Domino Reomano.*

Francus ſimiliter *in cap.* 1. §. *ex parte, num.* 3. *notab. vlt. de conceſſ. præbend. lib.* 6. intelligitur iuxta præfatam diſtinctionem, cùm apertè loquatur in executore dato ad conferendum beneficium, quod impetrans duceret acceptandum: nam eo caſu inhibitio talis executoris, & eius collatio, & intimatio facta ante tempus vacationis, non ligant manus Ordinarij, quominus conferre valeat, cùm vacauit, ſed in caſu propoſito Papa contulit.

Ex alio etiam capite videbatur expectatiua Dionyſij permanere, quia ex quo A.C. executor datus, præſentata ſibi Bulla expectatiuæ, proceſſum deſuper fulminauit, res non poterat dici
9. ampliùs integra, & ideo gratia per obitum concedentis non expirauit. Lapus *in d. cap. ſi cui nulla, circa finem, num.* 4. *verſ. ſed vbi procedit vt executor, de præben. lib.* 6. quem refert, & ſequitur *ibid.* Geminianus *num.* 6. vbi recenſet multorum opi-
10. niones, quando dicatur res integra. Et tandem *in verſ. Lapus*, Abbas concludit ex illius ſententia, quòd quando executor eſt ſimpliciter datus, non vt cognoſcat, ſed vt exequatur, & ille incipit facere proceſſum, ille actus ſine citatione ſufficit, ad perpetuandam eius iuriſdictionem, ad effectum, vt res non dicatur ampliùs integra, quod ſine difficultate procedere voluit Alphonſus Sotus (vulgò Gloſſator) *ad regulam* 10. *Cancellariæ, verſ. & ratio eſt, quia expectatiua, & verſ. dico breuiter*, & Ioannes Nicolaus Gimonteus *tract. de gratijs expectatiuis, cap.* 3. *num.* 2. *verſ. quantum autem ad materiam noſtram*, quod tenuit aliàs Rota, vt apud Guidobonum *d. deciſ.* 29.

Hieronymus Paulus *in practica Cancellariæ, paulo ante medium, verſ. præſtantiſſime Doctor*, dicebat, iſtas gratias expectatiuas, conceſſas per
11. litteras Apoſtolicas, re integra, non expirare per obitum concedentis, * quia quando alicui, quamuis tertio, eſt quæſitum ius in re, vel ad rem, aut ſaltem officij iudicis imploratio, per tales litteras Apoſtolicas gratioſas, ſiue gratiæ ſint puræ, ſiue in diem, ſiue conditionales, tales gratiæ non extinguuntur per obitum concedentis, neque executorum iuriſdictio, ſeu poteſtas finitur, ex quo in omnibus iſtis (inquit, gratia eſt
12. facta, non autem facienda, quamuis non ſit executa, cùm ſit quæſitum ius in re, vel ad rem, vel ſaltem ius implorandi officium iudicis, ſiue executoris, per notata *in dicto cap. ſi ſuper gratia, & cap. ſi cui nulla*; additque eo loco quoſdam Doctores, fortè non ſatis practicos, aut parum aduertentes ad ſtylum Cancellariæ, non bene exemplificare mandata de prouidendo, dici gratias faciendas, & non factas, cùm gratiæ faciendæ ſint illæ, quando non eſt alicui (modis prædictis)
13. quæſitum ius, ſed eſt ſolùm conceſſa facultas.

*ad propoſitum pro hac reſolutione allegat hanc deciſ. Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pagin. 422. num. 253.

14. Iſta præterea gratia, eo nomine non videbatur extincta per obitum concedentis, quia fuit conceſſa auctoritate Apoſtolica, quæ per mortem Pontificis non finitur, *cap. ſi gratioſè, de reſcript. lib.* 6. vbi Ioannes Monachus & alij.

15. Poſtremò, non poterat videri extincta, ex quo hodie non adeſt regula reuocatoria expectatiuarum, quæ quatenus extaret, cùm reuocaret ſolùm eas expectatiuas, quæ in aliqua parte ſortitæ forent effectum, nempe reſpectu alicuius beneficij, ſecus ſi reſpectu nullius expectandum eſſet, vt effectum ſortiretur, ne gratia vana, & inutilis redderetur. Gloſſator *in dicta regula* 10. *Cancellariæ, verſ. hîc dicitur, quod reuocat Papa*, & bene facit textus *in dicto cap. ſi ſuper gratia, verſ. ne gratiam eandem, de officio iud. delegat. lib.* 6.

Nec obſtabat oppoſitio de non complemento iſtius gratiæ, quaſi propterea extincta redderetur, vel cenſeretur; quia viuente Pontifice concedente, nullus Canonicatus vacauerat, nullaque fuerat actualis executio, per quam poſſet videri gratia ſubſtantiata.

Quia reſpondebatur, executionem non eſſe 16.
de ſubſtantia gratiæ, nam licèt gratia dicatur 17.
inefficax ſine executione; * tamen poteſt eſſe gratia perfecta, cùm in genere gratiæ ad perfectum eſſe deducta fuerit. *cap. fin. de conceſſ. præben. dicto cap. ſi ſuper gratia.* vbi Geminianus *in*
*principio de offic. indic. delegat. lib.* 6. maximè cùm 18.
longè inter ſe differant, gratiam, ſiue rem aliquam reddi inutilem, & illius effectum in longum protrahi, cùm gratia perfecta remanente, illius expectetur euentus.

* Duran. deciſ. 365. n. 10.

Minus vrgebat controuerſia mota per informantes, an ſtante illa clauſula, *ex nunc prout ex tunc*, gratia diceretur pura, vel potiùs conditionalis: quia tametſi conditionalis eſſet, adhuc non cenſeretur reuocata per obitum concedentis, præſertim, cùm non ſit gratia facienda, ſed potiùs facta, quamuis eius expectetur * euentus, ſeu effectus ſit prolongatus, vt patet ex prædictis.

* & ideo adueniente caſu potuit Dionyſ. capere poſſeſſionem. vt per Seraph. dec. 761. n. 8.

Rurſus, quia pura videri poterat, ſtante alia clauſula, *quem infra menſem à die vacationis, duxeris acceptandum, Clement.* 1. § *ſecus autem, de conceſſ. præben.* Gabriel *conſil.* 186. *num.* 14. *lib.* 1.

Deciſio 3. Caſſadori *tit. de præben.* cùm loquere- 19.
tur in diuerſis terminis, nempe in reuocatoria Concilij Lateranenſis ſuperuenientis, conditione pendente, non obſtabat, nec applicari poterat ad hunc articulũ, in quo quærebatur, an per mortẽ concedentis expectatiua cenſeretur reuocata.

Deciſio 35. Veralli *part.* 2. non faciebat ad propoſitum. Et ex his Domini concluſerunt, iſtam gratiam non expiraſſe.

---

## *Vrgellen. Archidiaconatus de Andorra.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio capta nomine Cameræ, & ceſſa in fauorem ſubrogati Apoſtolici, dicitur vna, & eadem poſſeſſio, non diuerſa.*

### DECISIO CCXLV.

QVoniam pro parte Pauli Antonij Boquet 1.
opponebatur, contra deciſionem factam die 15. Iunij proximè præteriti, * non eſſe locum immiſſioni in poſſeſſionem iſtius Archidiaconatus, ad fauorem Raphaëlis Duran. ex quo poſſeſſio Michaëlis, ad quam Raphaël fuerat ſubrogatus, videbatur vitioſa, quaſi capta per Michaëlem poſt litem motam, & inhibitionem Rotalem, cùm Papa non cenſeatur ſubrogare, niſi ad legi-

* ſuprà deciſ. 234.

timam



timam poſſeſſionem, ideo propoſui iterum cauſam in Rota ſtrictè, quo ad poſſeſſionum Michaëlis, quam Domini dixerunt eſſe legitimam, captam videlicet, vigore Breuis nomine Cameræ Apoſtolicæ expediti per Michaëlem die 10. Ianuarij 1583. ante commiſſionem cauſæ, & inhibitionem Rotalem, quæ fuit die 17. Iunij eiuſdem anni: vnde cùm Camera legitimam, vigore Breuis, poſſeſſionem apprehendiſſet, illam quam Dimas habebat tempore obitus, & poſt litteras, per Michaëlem expeditas, Camera eandem poſſeſſionem in Michaëlem transfudiſſet, ſeu tranſtuliſſet, non poterat vitioſa cenſeri, licèt
2. poſt Breue inhibitio emanauerit, nam iſto caſu non conſiderabantur diuerſi actus poſſidendi, nempe Cameræ Apoſtolicæ, quæ cœpit poſſeſſionem ad vtilitatem Michaëlis, per obitum Dimæ, & Michaëlis, & deinde Raphaëlis gratioſè ſubrogati, poſt obitum enim Michaëlis vnus cenſebatur actus poſſidendi, continuatus in Raphaëlem, qui miniſterio Principis, * vigore gratioſæ ſubrogationis, repræſentabat eandem perſonam Michaëlis, ex qua conſideratione ceſſabant omnia ex aduerſo oppoſita, diuerſos actus poſſidendi repræſentantia, cùm per fictionem vnus tantùm poſſidendi actus conſtitui debeat, vt prædictum fuit.

*adde Cocc. dec. 72. n. 2. & 3. & de materia vide latè Ludou.

Denique cùm Paulus Antonius iſtum Archidiaconatum optauerit, vacantem per obitum Michaëlis illius, & ius, & poſſeſſionem magnificauit.

---

## *Calaguritana præten ſæ confidentiæ.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1592.

### SVMMARIVM.

1 *Clauſula*, ſublata iudicibus, *&c. claudit os, ita vt donec per Papam aperiatur partibus, aliquid dicere non poſſunt.*
2 *Iudices Rotæ viſa clauſula*, ſublata, *non procedunt, donec per ſignaturam Papæ os aperiatur.*
3 *Iudex poteſt procedere in cauſa, ſi per reum non ſint appoſita exceptiones releuantes.*
4 *Clauſula* ſublata, *quandocunque poteſt apponi.*
5 *Clauſula* ſublata, *adimit iudici inferiori omnem iuriſdictionem.*
6 *Papa, per clauſulam* ſublata, *inhabilitat ipſo iure iudicem, vt proceſſus ſit nullus.*
7 *Iudicium vt dicatur, requiritur, iudex, actor, & reus.*
8 *Reuocatio generalis non extenditur ad particularia.*
9 *Clauſula* ſublata, *tribuit priuilegium ei, cui conceditur.*
10 *Iudex confidentiarum ſolus, poteſt de eis cognoſcere.*

1. Clauſula, ſublata, quãdo non impediat, fuit dictum, in vna Vrgellen. Canonicatus coram D. Blanchetto die 30. Octob. 1592. præſens dec. habetur inter impreſſas Marcheſ. de commiſſ. p. 2. pag. 436. & per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 67.
* ſuprà deciſ. 231.

### DECISIO CCXLVI.

QVoniam Andreas Martinez, qui fiſco adhærebat in hac cauſa, nolebat acquieſcere deciſioni donorum, quæ die 5. Iunij proximè præteriti * cenſuerunt ſententiam iudicis confidentiarum fuiſſe nullam, tum propter clauſulam, *ſublata*, tum quia lata contra mortuum, ideo volui, illum iterum audire ſtrictè, quo ad clauſulam, *ſublata iudicibus aliter interpretandi, aut iudicandi facultate*, poſita in literis Apoſtolicis, coadiutoriarum, Iuſtini & Didaci, omnibus claudit os, * ita vt donec, & quouſque eis per Papam aperiatur, aliquid dicere non poſſint. † Zabarella *in cap. quia diligentia in* 3. *quæſ. de elect.* Gondiſaluus de Villadiego (in ſignis olim Rotæ Auditor) *tract. de Legato, quæſt.* 7. *n.* 32. Puteus *dec.* 50. incip. *Eodem die, num.* 5. *verſ. Item, quia erat clauſula, lib.* 1. Pariſius *conſil.* 5. *num.* 133. *& conſil.* 38. *num.* 7. *lib.* 4. Ruinus *conſil.* 21. *num.* 15. *lib.* 1. Verallus *deciſ.* 134. *num.* 4. *part.* 3. & ideo laudabilis ſtylus ſeruatur in Curia, vt cùm primum de clau-
ſula, *ſublata*, innotuerit, non prudentes iudices 2.
procedant, quàm per ſignaturam Papæ, * os operiatur, *deciſ.* 18. incip. *Coram eodem*, inter miſcellaneas.

* Caual. dec. 430. n. 3. Rota recen. p. 2. dec. 180. n. 1. †Rota penes Marcheſ. de commiſ. p. 2. pag. 438. n. 5. Seraph. dec. 764. n. 1. & infrà deciſ. 286. n. 5.

* vide Rot. recen. part. 2. dec. 461. n. 1.

Nec refert ſi diceretur, coram iudice confi- 3.
dentiarum non fuiſſe per reos conuentos oppoſitum de clauſula, *ſublata*, quaſi propterea proceſſus coram illo factus, & ſententia inde ſecuta ſuſtineantur, Bartolus *in l. eleganter.* § *ſi quis poſt. ff. de condict. indebiti*, notat Baldus *in l. non dubium, num.* 30. *C. de legib.*

Quia reſpondebatur, primò de clauſula, *ſub-* 4.
*lata*, * quandocunque opponi poſſe, cùm ſit impedimentum reale, adimens inferiori † iuriſdictionem, & reddens ipſum ad iudicandum, & procedendum, inhabilem.

*de hoc art. vide March. de commiſſ. p. 2. pag. 414. n. 30. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.
†adde Mant. dec. 309. n. 3. Seraph. dec. 351. n. 1.

Præterea dicebatur, quòd cùm per clauſulam, *ſublata*, Papa inhabilitet perſonam iudicis, tunc ipſo iure, abſque eo quòd opponatur exceptio aliqua, proceſſus eſt nullus, ſecundùm opinionem Ioann. Andr. *in additione ad Specul. tit. de probatione ſententiæ.* § *iuxta, ſuper verba, item eſt nulla*
*ratione litigatorum, verſ. eſt excommunicatus*, & Ia- 5.
cobi de Arena, diſputatione quadam incip. *Quæ-* 6.
*ſtio eſt*, quam ſequitur Decius (& bene) *conſ.* 275. incip. *In cauſa, num.* 2. *verſ. ſed præmiſſis minimè obſtantibus*, quidquid ibi ſentiat Gallus Paraphraſtes *in verb. valet.* nam Ioannis Andreæ ſententia eſt magis communis, Alexand. *in l.* 1. § *ſublata, num.* 1. *&* 2. *ff. ad Trebell.* Rota Genuenſis *deciſ.* 180. incip. *Nomen debitoris, num.* 8. Vnde, cùm in omni iudicio requiratur, iudex, actor, & reus, *cap. forus, de verbor. ſignific.* & in iſto agitata coram iudice confidentiarum, propter clauſulam, *ſublata*, perſona iudicis eſſet inhabilis, iudicium fuit nullum, cùm deficeret iudex.

Videatur text. in l. quos prohibet. ff. de poſtulan.

Minus obſtabat alia oppoſitio fiſci, ſiue Andreæ ei adhærentis, dicentis clauſulam, *ſublata*, appoſitam in coadiutoris Iuſtini, & Didaci,
fuiſſe reuocatam, per conſtitutiones Pij IV. & 8.
Pij V. & per facultates iudicis confidentiarum: nam quantum ad conſtitutionem Pij IV. fuit dictum, in ea ſolùm in genere derogari conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, & ideò non cenſeri derogatum clauſulæ *ſublata*, quæ tribuit priuilegium. Bartolus *in Extrauagant. reprimendum, in verb. non obſtantibus; verſ. ſecundo verò caſu principali*, facit Ripa *in cap.* 1. *num.* 55. *de reſcript.*

Conſtitutio Pij V. reſpicit illos, qui vel antè eius editionem receperunt, & retinent in confidentiam beneficia, niſi celeri dimiſſione ſibi proſpiciant, vel qui in futurum tale facinus perpetrauerint, de quibus non erant iſti, quos nil tale adhuc perpetraſſe conſtabat;

10. Facultates, per Sixtum V. iudici confidentiarum attributæ, licèt ſint ampliſſimæ, contra alios iudices, & quælibet tribunalia, quibus plenè interdicitur, ne de crimine confidentiæ cognoſcere audeant, non tamen derogant ſpecificè gratiis particularibus, & præſertim illas habentibus, cum clauſula, *ſublata*, & per hoc reſpondebatur etiam ad deciſionem in illa Burgen. de Heliner, quia cùm Concilium Tridentinum iubeat examinari vniones, à 40. annis citrà per Ordinarios, & habeat clauſulas fortiſſimas, & derogatoriarum derogatorias, non mirum ſi clauſulæ, *ſublata*, derogare etiam cenſeatur.

Iuſtinus, & Dominicus, committentes cauſam, non cenſebantur renunciaſſe beneficio clauſulæ, *ſublata*, imò ex quo tracti ipſi in iudicium, & condemnati, Papam adiuerunt, & nedum ſuper iniuſtitia, ſed etiam ſuper nullitate ſententiæ, cauſam committi obtinuerunt, beneficium clauſulæ, *ſublata*, firmum ipſis manere, voluiſſe videtur.

Denique, placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes contra fiſcum, & conformiter cenſuerunt, ſententiam fuiſſe nullam, & reuocandam.

---

## *Toletan. Parochialis de Mazarambroz.*

### Die Lunæ 20. Iulij 1592.

SVMMARIVM.

2 *Sententia lata in fauorem poſſeſſoris, excuſat ſequeſtrum.*

3 *Sententiæ tres, licèt quis habeat in poſſeſſorio, ſi in petitorio ſit contra, poteſt appponi ſequeſtrum.*

## DECISIO CCXLVII.

1. AD retardandam expeditionem cauſæ opponebatur pro parte Franciſci de Aguila, quòd acta coram Segouien. non erant tranſportata; item dicebatur, quòd non erat locus ſequeſtro, iuxta *Clement.* 1. *de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* ex quo Franciſcus habuerat in partibus ſententiam fauorabilem, ſiue decretum ab officiali Segouien. cuius vigore fuerat immiſſus in poſſeſſionem, iſtius Parochialis.

Sed in congregatione habita in Conuentu B. Mariæ de Pace, vtrumque fuit ſublatum, nam quantum ad primum, duæ aderant in actis commiſſiones, prima ſuper iactationibus cum clauſula, *quam, & quas*, in prima inſtantia, in qua agebatur de nullitate reſignationis, factæ in Curia. Secunda appellationis à decreto officialis Segouien. executoris deputati, in litteris reſignationis qui decreuerat, Franciſcum immittendum in poſſeſſionem iſtius Parochialis: vnde cùm hodie Melchior de Canalis, procederet vigore primæ commiſſionis, & peteret pronunciari, prout in prima, nec veniret in gradu appellationis à decreto Segouien. non fuerat neceſſarium acta coram illo tranſportare; & ita ſæpe aliàs, cùm eadem difficultas eſſet propoſita, fuerat ſublata.

2. Quantum ad ſecundum, dictum fuit, ſequeſtrum eſſe opponendum, quia licèt ſententia lata ad fauorem poſſeſſoris excuſet à ſequeſtro, id non procedit, quando in ſecunda inſtantia pronuntiatur ſuper alio, quàm fuerit pronuntiatum in prima; nam licèt fuerint latæ tres ſententiæ, *ad fauorem alicuius in poſſeſſorio, ſequeſtrum nihilominus debetur petitori, qui primam habuit in petitorio. Caſſadorus *deciſ.* 2. *de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* Simonetta *deciſ.* 82. incip. *Fuit aliàs coram me.* Atque hîc ſequeſtrum relaxari, ad fauorem Melchioris, qui primam ſententiam, ſuper nullitate reſignationis reportauerat.

3. * adde infrà dec. 847. n. 3. & 4.

---

## *Caurien. iuris conferendi.*

### Die Veneris 9. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

*Poſſeſſio Canonicatus, ſi non detur capitulariter, non prodeſt.*

## DECISIO CCXLVIII.

PEtrus Caſtrus, ab Epiſcopo, & Capitulo Caurien. communiter, & concorditer, in concurſu aliorum magis habilis iudicatus, & approbatus ad Canonicatum Magiſtralem Eccleſiæ Caurien. & à ſolo Epiſcopo inſtitutus, ſiue in poſſeſſionem miſſus, petebat ſibi de fructibus reſponderi, pro toto eo tempore, quo Eccleſiæ, (non tamen conſentiente Capitulo) inſeruierat, & quoniam petierat à me mandatum contra Capitulum, vt ſibi de fructibus reſponderet, conſulti Domini, cenſuerunt, non eſſe nunc dandum tale mandatum, quia poſſeſſio ei tradita per ſolum Epiſcopum, (ſaluis tamen pro nunc Epiſcopi iuribus, & prætenſionibus, ſuo tempore deducendis,) per ingreſſum in chorum non ſuffragabatur, cùm non eſſet data capitulariter, * Caſſad. *deciſ.* 8. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Ferret. *conſ.* 320. *num.* 13. *lib.* 1. Cæterùm quoniam durum videbatur, mutuas contentiones Epiſcopi, & Capituli, Petro aliàs idoneo reperto, & communiter approbato præiudicare, Domini ordinarunt, diſputari dubium, an Epiſcopus, & Capitulum ſimul conuenire tenerentur, ad effectum tradendi D. Petro Canonicam poſſeſſionem.

* de hoc art. plura tradit annot. ad Ludouiſ. deciſ. 364. n. 7. & vide Coccin. dec. 212. n. 7. & 235. n. 11. & 353. n. 3. & pluries Rota declarauit.

---

## *Calaguritana Canonicatus extra Rotam.*

### Die Veneris 9. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

3 *Executor expectatiuæ, ſi proceſſum fulminauit, non dicitur rés integra, & non expirat gratia morte concedentis, ſi expreſsè per ſucceſſorem non reuocetur.*

4 *Executor expectatiuæ non poteſt dare poſſeſſionem, donec non vacat beneficium.*

5 *Procedendi formula in expectatiuis.*

6 *Proceſſus gratia expectatiuæ poteſt fulminari, ante regiſtrationem Bullæ.*

7 *Executor apponendo manum, facit rem non eſſe integram.*





8 *Executor expectatiuæ, fulminatione proceſſus, ligat manus Ordinario, vt infra tempus aſſignatum expectanti non poſſit conferre.*

9. 10. *Gratia conditionalis, ſecuta purificatione, retrotrahitur ad tempus conceſſionis.*

11 *Clauſula, ex nunc prout ex tunc, efficit, vt adueniente conditione, retrotrahatur gratia ad tempus conceſſionis.*

## DECISIO CCXLIX.

1. DE mandato S.D.N. fuit iterum cauſa propoſita ſuper eiſdem, an videlicet expectatiua Dionyſio Franceſio conceſſa, expirauerit per obitum concedentis, Domini re maturè diſcuſſa, iterum cenſuerunt, eam non expiraſſe, quia fundamenta deducta in deciſione, in eadem cauſa * facta die 1. Iulij, proximè præteriti, firmiter ſtabilita, non vacillabant ex deductis nunc pro Ambroſio Gonzalez.

Peregrin. dec. ciſ. 59. & 62. lib. 2. Put. dec. 35. lib. 3.

* ſuprà dec. 244. quæ eſt videnda ad materiam.

2. Primùm enim gratia Dionyſio facta erat per ipſummet D. Papam, non commiſſa executoribus facienda, vnde etiam re integra, per obitum concedentis, non expirauit. *cap. ſi ſuper gratia*, vbi communiter Canoniſtæ, *de offic. delegat. lib.* 6. Guidobonus *deciſ.* 29. cum aliis allegatis in alia deciſione.

3. Secundò, ratio deſumpta ex fulminatione proceſſus ante obitum Pontificis, expectatiuam concedentis, tollebat omnem difficultatem, quia ſi executor datus in litteris expectatiuæ, proceſſum fulminauerit, fulminatione ſecuta, res non dicitur ampliùs integra, & tunc morte Pontificis concedentis, expectatiua non expirat, niſi per ſucceſſorem expreſsè reuocetur. *cap. penult & vlt. de præbend. lib.* 6. Staphilæus *tit. quibus modis literæ ad beneficia expirent.* §. *Dicendum eſt modò, num.* 4. *verſ. nam, vt dicit Dominicus.* Verallus *deciſ.* 290. incip. *Expectatiua non expirant, lib.* 1. *in manuſcript.* Guidobonus *dicta deciſ.* 29. & tenent Canoniſtæ *in cap. ſi cui nulla, de præbend. lib.* 6.

4. Quod dicebatur per informantes pro Ambroſio, de fulminatione proceſſus, quòd non poterat fieri per executorem, ante acceptationem, * & vacationem, ex quo executori erat data facultas dandi poſſeſſionem expectanti, quæ non poterat dari, niſi ſecuta vacatione, & acceptatione, vnde cùm antequam iſta contingant, res videatur integra per obitum concedentis, gratia dicebatur expiraſſe, tanquam gratis dictum, & contra vulgarem ſtylum exequendi gratias expectatiuas; Domini meritò contempſerunt, quoniam ex ipſis formulis inſtrumentorum, quibus Notarij, & practici in hac re vti ſolent, apparebat, rem ita geri conſuetam: habens enim gratiam expectatiuam, executori ſibi dato præſentat litteras ſuæ gratiæ, quibus viſis, executor ante vacationem, & acceptationem fulminat proceſſum, ad effectum actualis executionis gratiæ, cum inſertione Apoſtolicarum litterarum, addita prohibitione, directa Ordinario, & quibuſlibet collatoribus, ne ipſi de tali beneficio, vel beneficiis, interim ante acceptationem expectantis, diſponere quoquo modo præſumant; niſi eis conſtet, quòd expectans, vel eius Procurator, infra tempus ei aſſignatum, per D. Papam ad acceptandum illud, vel illa, nolit acceptare.

* Seraphin. deciſ. 1444. n. 4. & 5.

5.

Et licèt ſuperioribus annis, quando expectatiuæ erant in vſu, iſte eſſet communis ſtylus, nihilominus tamen proceſſus poterat fulminari, etiam ante regiſtrationem Bullæ, & erat validus, Ioannes Paulus *deciſione* 97. incip. *Fauentina Canonicatus*, Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de errore expectatiuæ, & proceſſus, num.* 2. Ex hoc ergo, quòd executor apponit manum, & incipit ſe ingerere, res non remanet ampliùs integra, & per conſequens, gratia per obitum concedentis non expirat, & iſte eſt vnus ſingularis effectus fulminationis proceſſus. 6.

7.

Alter effectus multum quoque notabilis eſt, quia propter eandem fulminationem, pro actuali gratiæ executione, in quo apponitur decretum irritans, manus Ordinarij remanent ligatæ, ita vt infra tempus aſſignatum expectanti ad acceptationem, vel acceptandum, conferre non poſſit, Staphilæus *tit. de gratiys expectatiuis*, §. 1. *num.* 24. *verſ. nec eſt verum, & tit. de vi, & effectu clauſularum* §. *Succeſſiuè in huiuſmodi litteris, num.* 36. & 37. ſecundùm vetuſtiorem impreſſionem, ſecundùm modernam autem impreſſionem. §. *Septimò & vltimò*, & patet euidenter ex formula fulminationis talis proceſſus, per quam inhibetur Ordinariis, ne ipſi aliquo modo de tali beneficio durante tempore ad acceptandum, diſponere præſumant, cum decreto irritante, ſi ſecus attentent. gloſſ. *in verb. intra menſem*, & *ibidem* Canoniſtæ, *in Clement.* 1. §. *ſecus autem, de conceſſ. præbend.* 8.

Quod procedit etiam ante purificationem qualitatum in gratia appoſitarum, dummodo poſtea, tempore congruo purificatio ſubſequatur: quia ſecuta purificatione, gratia, decretumque retrotrahuntur, Ioannes de Lignano *in cap. propoſuit, de conceſſ. præbendæ*, & Ioannes Calderinus, & Cardinalis *in dicta Clement.* 1. quos refert & ſequitur Staphilæus *in loco proximè citato*; ſatis enim eſt, gratiam, & eius qualitates infra menſem, ſiue infra tempus datum à Papa ad acceptandum purificari. 9.

Nec refert, quòd iſta gratia videretur conditionalis, vt indicant illa verba, *quod primo, ſecundo, vel vlteriori loco duxeris acceptandum.* Oldradus *conſil.* 229. *num.* 4. & quòd ideo tanquam imperfecta, morte concedentis expirauerit.

Quia reſpondebatur, quòd licèt reſpectu actualis prouiſionis, videretur adeſſe conditio, propter futurum euentum, dependentem ab arbitrio expectantis, nulla tamen aderat conditio reſpectu ipſius Papæ, gratiam ſimpliciter concedentis, vbi expectans ex parte ſua, qualitates gratiæ purificaſſet; tunc enim ſecuta prouiſione executoris, cuius reſpectu nulla quoque aderat conditio, omnia retrotrahuntur, ad tempus datæ ipſius gratiæ; propter illa verba, *ex nunc prout ex tunc conferimus*, &c. Alexander *in l. huiuſmodi la* 2. *in principio, num.* 3. *ff de verbor. obligat.* idem *conſil.* 111. *num.* 23. *lib.* 6. Felinus *in cap. licèt cauſam, num.* 6. *de probationibus*, vnde perinde eſt, ac ſi Papa tempore datæ primæ gratiæ contuliſſet. Creſcentius *deciſ.* 260. incip. *De beneficio tunc vacante*; aliàs eſt ſeptima, *de conceſſ. præbend. in impreſſis.* 10. 11.

## *Romana de Naris.*

Lunæ 12. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Executio debiti liquidi non debet retardari per illiquida.*

### DECISIO CCL.

1. PRopoſitis memorialibus loco cauſæ, vt firmior reſolutio caperetur, Domini decreuerunt, mandatum pro ſumma ſcutorum 462. b. 28.concernente fructus caſalis tantùm, aliàs relaxatum, contra D. Ioannem Antonium de Naris, remotis impedimentis, fore exequendum ad fauorem D. Franciſci de Naris; cuius ſummæ
2. exactionem, cùm eſſet liquida, non poterat retardare ſententia A. C. lata in alia ſumma ſcutorum 578. pro alia cauſa, cùm non conſtaret in Rota de iuſtitia illius ſententiæ: neque alia ſumma ſcutorum 732. depoſitorum à conductoribus, apud Montem Pietatis, pro rata pertinente ad Hieronymum Narum, iam diu vitâ functum, & de mandato A. C. Franciſco, tanquam creditorum Hieronymi conſignatorum, quæ Ioannes Antonius ad ſe ſpectare prætendebat, quia de illis erat particulariter videndum, cuius eſſent, & quo iure ad illam pertinerent.

## *Panormitana Archidiaconatus.*

Die Veneris 16. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Attentata debent priùs purgari, vt procedatur ad vlteriora proceſſus.*

3.4 *Mandatum de manutenendo non ſuſpendit procedi ad vlteriora.*

5 *Retinendæ remedium intentans, non poteſt intentare recuperandæ, vel attentatorum.*

7 *Iudicium attentatorum ſuſpendit omne aliud, & etiam ſpolij.*

8 *Attentatorum iudicium eſt magis priuilegiatum quàm ſpolij.*

9 *Ex attentis condemnatus non poteſt procedere in negotio principali petitorij, niſi ſatisfactis attentatis.*

### DECISIO CCLI.

1. PRætendebat Lambruneta, non eſſe impediendum proceſſum ad vlteriora, licèt non reſtituiſſet fructus Archidiaconatus, quos ſaltem in genere percepiſſe conſtabat, tum, quia non erant liquidati, & ipſe afferebat depoſitum vnius Iulij cum obligatione de reſtituendo, quando forent liquidati, tum ex aliis, mox ſuo ordine diluendis, & propterea recedendum à reſolutis die [illegible] Maij proximè præteriti, * vnde cauſa propoſita ſuper eiſdem, Domini cenſuerunt, ſtandum in deciſis, nec ad vlteriorem proceſſum in negotio principali petitorij poſſe procedi ante plenariam purgationem attentatorum, Rota *deciſione 15. de appell. in nouis.* Puteus *deciſ. 31. lib. 3.* quod procedit etiam quoad fructus, & expenſas. Verallus *deciſ. 33. in manuſcriptis.* 2.

* ſuprà dec. 225.

3. Quibus non refragabatur, quòd Pellicanus obtinuerat mandatum de manutenendo, quod non ſuſpendit, quominus ad vlteriora procedi poſſit, vt videtur indicari in illa Zamoren. ſpolij de Toro die 10. Maij 1574. coram D. Cæſare de Graſſis: quia licèt id poſſit habere locum in ſimplici interdicto retinendæ, non poterat applicari ad caſum propoſitum, in quo præter illud interdictum, aderat etiam remedium attentatorum pro fructibus lite pendente perceptis.

4. Nec illa regula, quòd mandatum de manutenendo non ſuſpendat iudicium ad vlteriora, videbatur Dominis ſatis firma, cùm contrarium profiterentur, Bartolus, Iaſon & alij *in l. naturaliter, §. nil commune. ff. de acquirend. poſſeſſ.* præſertim cùm aliàs Rota de ea re non ſatis conuenerit, vt apparet ex deciſione Veralli 324. *parte 2. in impreſſis.*

5. Quod ſemel intentans remedium retinendæ, non poſſet intentare remedium recuperandæ, vel attentatorum, Domini non putauerunt admittendum; contrarium enim fieri poteſt, & præſertim ſucceſſiuè, & ſuper diuerſis rebus. * Afflictus *deciſ. 156.* quæ loquitur in attentatis, & agebatur interdicto retinendæ, Mohedanus *deciſione* 174. incip. *In eadem cauſa.* aliàs eſt 11. *tit. de cauſa poſſeſſ. & propriet.*

* Ludouiſ. dec. 345. n. 1. & 6.

6. Oblatio de reſtituendo, cùm fructus forent liquidati cum depoſito vnius Iulij, eo nomine non videbatur ſufficere, * quia in primis, & ante omnia, erat facienda liquidatio, & fructuum reſtitutio, Verallus *deciſione 224. lib. 1. in manuſcript.* idem *deciſione 270. num. 5. part. 2.* in impreſſis, & *deciſione 150. num. 7.* vbi loquitur in attentatis, & ſpolio, dicens, quòd in iſtis iudiciis priuilegiatis, Rota ſeruat doctrinam Baldi *in cap. conquerente, num. 1. de reſtit. ſpoliat*, quem ſequitur etiam Decius *in l. edita, num. 94. C. de edendo*, vbi ſi vnus nummus deficeret, non teneretur ſpoliatus ſuper aliis reſpondere.

* dixi ſuprà dec. 225. n. 4. quibus adde Seraph. dec. 1176. n. 2. vbi ad propoſitũ præſens deciſio allegatur.

Et in hanc ſententiam * reperiebantur multæ Rotales deciſiones, inter ſe conformes, nempe Veralli *deciſio 270. num. 4. part. 2.* vbi firmat, in ſpolio non ſufficere oblationem, ſed ſpoliatorem teneri ad purgandum ſpolium, vſque ad obolum, item eiuſdem *deciſio 224. lib. 1. in manuſcript.* vbi concludit in ſpolio, & attentatis non admitti depoſitum, & Paleoth. *deciſio* 369. quæ loquitur de attentatis, & Peregrini *deciſio* 249. incip. *In cauſa Toletana lib. 2.* vbi in cauſa ſpolij non profuit depoſitum vnius Iulij, & ideo fuit ſuperſeſſum, donec fructus eſſent in partibus liquidati, & ſoluti. Item deciſio Putei 143. *in vna Oueten.* qui loquitur in ſpolio.

* adde Coc. dec. 371. n. 5. Ludouiſ. dec. 523. Rotam rec. p. 1. dec. 269. n. 1.

7. Quod multo magis procedere dicebant Domini, in iudicio attentatorum, tum, quia hoc iudicium ſuſpendit omne aliud iudicium, etiam ſpolij, *cap. non ſolùm, in fine, de appell. lib. 6.* Rota *deciſ. 1. de ordine cognit. in antiquis.* Verallus *deciſ. 231.* incip. *Sententia lata, lib. 1. in manuſcript.*

8. tum, quia videtur magis priuilegiatum, * quàm remedium ſpolij, Francus *in cap. conſuluit. el 2. num. 8. & in cap. bonæ, num. 13. & ſeq. de appell.* Rota *deciſ. 2.* aliàs 14. incip. *Fuit dubitatum, n. 3. de reſtit. ſpoliat. in nouis*, Decius *in cap. ex parte el 2. num. 22. verſ. quarta concluſio, de reſcript.* idem *conſil. 200.* incip. *In caſu propoſito, n. 2. verſ. & quod plus.*

*Lancelotus de atten. p. 3. c. 30. n. 9. dicit hanc eſſe communem.



9. Deciſionem Mohedani 311. incip. *Inter cruciferos*, vbi dicitur, condemnatum ſuper ſpolio, ſeu attentatis, poſſe procedere in negotio principali petitorij facto depoſito, in euentum liquidationis fructuum; Domini dixerunt non ſeruari in Rota, vt fuit declaratum in illa Regien. bonorum die 27. Maij 1579. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, quæ cùm loquatur in ſpolio, multo magis locum habebit in attentatis magis priuilegiatis, (vt paulo antea patuit.)

Hæc autem, quæ de attentatorum reuocatione firmabantur, in quouis etiam ſpolio, ſiue ſimplici, ſiue attentato, locum habere, Domini cenſuerunt in odium attentantium, & ſpoliantium, quamuis multi ſint caſus, * in quibus omiſſa attentatorum reuocatione, Rota conſultò ſolet videre, de bono iure ſuper negotio principali.

* Lancelot. tract. de attentatis p. 3. cap. 30. n. 58. & multis ſeqq. refert iſtos caſus.

## *Burgen. beneficij de Vzieda.*

Veneris 16. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

1 *Præſentatio in beneficio non poteſt fieri niſi vacet in additione.*

2 *Vſurpatio iuriſpatronatus ceſſat, ſi non eſt Dominus villæ patronus, in quo eſt ſitum beneficium.*

3 *Immemorabilem non ſufficit probare, ad effectum probandi ius patronatus, exiſtente beneficio ad nutum amouibili.*

Præſentatio nõ poteſt fieri in beneficio niſi vacet. Lãbert. part. 1. lib. 2. artic. 11. q. 6. principal. n. 2. & conſequenter cùm ad ſit timor vſurpationis non ſufficit immemorabilis. hęc annotatio habetur in Codici originali.

### DECISIO CCLII.

1. PRocedebatur per contradictas, & ideo, vno tantùm informante, propoſui dubium, an conſtaret de iure patronatus Dominorum domus de Teran, & licèt Dominis videretur, ſatis ſufficienter probata immemorabilis, ex dictis teſtium datorum in ſummario, & ceſſaret præſumptio vſurpationis, ex quo iſti de domo de Teran non erant domini temporales * oppidi de
2. Vzieda, nilominus, quia ex deductis videbatur indicari, præſentatos per illos de Teran eſſe ad
3. multum eorum amouibiles, dixerunt, non ſufficere immemorabilem, † ad effectum probandi iuſpatronatus, quoniam exiſtente illa qualitate amouibilitatis ad nutum, vlteriùs requiritur, quòd ſit probata fama priuilegij, quæ in hoc caſu ſecundùm ea quæ proponebantur, non apparebat probata, vt aliàs fuit deciſum in vna Toletana iuris nominandi, die 28. Ianuar. 1585. coram R. P. D. Blanchetto; quare decreui, viſo meliùs proceſſu, iſta diligentiùs exequirere, licèt cauſa tractaretur ſuper beneficio ſimplici.

* de hoc art. latè Ludou. dec. 222. n. 1. & ſequent. & annot. n. 10. & deciſ. 397. num. 4. Rota rec. p. 2. dec. 374. n. 1.

† cum præter immemorabilem probandæ ſunt continuatæ præſentationes. Durand. dec. 413. num. 4. quod fallit in Eccleſia Domina loci vbi in d. dec. n. 5.

## *Legionen. Præſtimoniorum.*

Veneris 16. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Gratia cum clauſula*, ſi neutri, *habet effectum, ſi tempore datæ non competat alicui ius.*

3 *Gratiæ*, ſi neutri, *ſatisfit ſi exprimatur in genere modus vacationis, cum clauſulis generalibus.*

### DECISIO CCLIII.

1. FErdinandus de Palacios impetrauerat gratiam, *ſi neutri*, de ann. 1587. dubitauit D. Pamphilius, an dicta gratia caperet vacationem præſtimoniorum, (de quibus litigabat cum Gutierro Laſſo) per contractum matrimonij Gutierij, de anno 1586. & reiecto conſilio Geminiani 79. *num. 7. verſ. vnde ſi in fine litis*, Domini
2. tenuerunt gratiam Ferdinandi capere illam vacationem; * quia ſufficit, non competere ius de tempore datæ gratiæ, *ſi neutri*, Ioannes Paulus *deciſ. 70.* incip. *Aretina Parochialis, & ad deciſ. 24. de reſcript. in nouis*, & Felinus *in cap. ad noſtram, de reſcript. corollario 15. & 37.* vbi dicitur, quòd in gratia, *ſi neutri*, debet exprimi modus vacationis, fuit dictum ſufficere expreſſionem in genere, & clauſulas generales.

* adde Coc. dec. 139. n. 2. & 4.

## *Romana cenſus.*

Die Lunæ 29. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Inſtrumenta, & libri cenſuum debent exhiberi à petente, vt Conuentus vti poſſit eis.*

### DECISIO CCLIV.

1. DOmini omiſſa priori parte, de ſtatuto vrbis *lib. 1. cap. 178.* volentes habere plenam notitiam veritatis, quam Rota præcipuè attendere ſolet, quantum ad ſecundam partem dixe-
2. runt, quòd Canonici Sancti Celſi exhiberent libros, & inſtrumenta cenſuum, * quibus Iulianus, qui ad cauſam venerat, vti poſſet, *cap. 1. cum ibi notatis, de probatio.* Rota *deciſione 3. de probationib. in nouis*, Verallus *dec. 180.* incip. *Licèt non poſſit actor, lib. 1. in manuſcript.* Gomezius *dec. 135.* incip. *Magna etiam fuit altercatio.*

* Ludouiſ. dec. 129. vbi plura tradit annotat. n. 5. Seraph. dec. 230. n. 5.

## *Foroliuien. penſionis.*

Die Veneris 23. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopo in remotis agente, eius Vicarius generalis poteſt dare licentiam ordinandi.*

3 *Ordinarij appellatione venit Vicarius Epiſcopi, in his quæ ipſe gerere poteſt.*

4 *Remotus vt quis iudicetur, relinquitur arbitrio iudicis.*

5 *Qualitas quàm faciliorem redderet gratiam, non indiget expreſſione.*

6 *Papam quæ redderent difficiliorem ad gratiam, debent exprimi, aliàs non valet.*

7 *Subreptitia dicitur gratia, tacita veritate ex defectu voluntatis concedentis.*

8 *Iuriſpatronatus confirmatio, ad ſolum Epiſcopum pertinet.*

## DECISIO CCLV.

1\. COnceſſerat per ſuum Breue fel. record. Pius Papa IV. D. Camillo Aleotto in ſexto ætatis anno conſtituto, die 29. Nouembr. ann. 1562. vt de licentia ſui Ordinarij, à quocumque Epiſcopo, extra Romanam Curiam reſidẽte, Clericali charactere ſe poſſet facere inſigniri; Vicarius generalis Foroliu. vigore dicti Breuis, die 21. Ianu. ann. 1563. litteras dimiſſorias dedit Camillo, vt ab Epiſcopo Cluſino poſſet accipere Clericatum quem idem Cluſinus in eadem ciuitate Foroliuien. ei contulit die 22. Ianuarij mox ſequenti; & die 29. eiuſdem menſis, in renunciatione Epiſcopatus in Romana Curia facta per D. Petrum Ioannem Epiſcopum Foroliuien. reſeruata fuerunt ſcuta cc. aurea, ad fauorem D. Camilli ſcholaris, ſuper menſa Epiſcopali; & quoniam agentes pro Reuerendiſſimo Theophilo, moderno Epiſcopo Foroliuien. prætendebant, Clericatum Camilli eſſe vitioſum ex quibuſdam motiuis, mox ſuo ordine diluendis, propterea dedi dubium, an conſtaret D. Camillum Clericali charactere ritè inſignitum fuiſſe? & vtraque parte informante, Domini cenſuerunt, conſtare de legitimo Clericatu: quia de diſpenſatione Camilli conſtabat ex Breui Pij IV. cum expreſſione ætatis ſex annorum, & de facultate Vicarij generalis, dimiſſorias Camillo concedentis, non dubitabatur, cùm Epiſcopo in

2\. remotis agente, eius Vicarius generalis dare poſſit licentiam ordinandi, * *cap. cùm nullus. §. Epiſcopo autem. de temporib. ordinat. lib. 6.* vbi Francus *num.* 1. *notab.* 4. Geminianus *num.* 3. Staphilæus *tract. de litteris gratiæ, tit. de reſcripto in forma Breuis; num.* 23. & 24. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de forma vicariatus, num.* 48. quinimò Ioannes Andr. *in dicto cap. cùm nullus, num.* 3. *in fin. verſ. hodie*, talibus Vicariis dari ſuper his expreſſam facultatem, ita quòd præſentibus etiam Epiſcopis, tales licentias concedere valent.

* vide Riccium in praxi aurea & quotid. fori Eccleſ. reſolut. 18. per totam.

3\. Accedebat præterea, quia appellatione Ordinarij, venit etiam Vicarius * in his, quæ ipſe gerere poteſt. gloſſ. *in cap. Romana, de appell. lib.* 6. Bertachinus *de Epiſcopo, lib.* 4. *part.* 7. *n.* 1.

* adde Rotam rec. p. 1. dec. 311. n. 2.

Abſentiam verò D. Petri Ioannis Epiſcopi Foroliuien. multæ veriſimilitudines ſatis probare videbantur: prima, quia in Breui Apoſtolico Papa eum appellat Prælatum domeſticum, quaſi actu inſeruiret; ſecunda, quia Camillus in eadem ciuitate Foroliuienſi fuit ordinatus ab Epiſcopo Cluſino, quod miniſterium per proprium Epiſcopum fuerat exercendum, ſi præſens fuiſſet. Tertia, quoniam cùm Camillus die 21. Ianuarij habuerit dimiſſorias, & die 22. fuerit ordinatus, & D. Epiſcopus Foroliuienſis die 29. in Curia Epiſcopatum reſignauerit, veriſimile eſt, eum Romæ tunc extitiſſe, ex iſta enim actuum propinquitate apparebat D. Epiſcopum in tam paruo temporis interuallo, in plena hyeme, non potuiſſe eſſe & Forliuij, & Romæ; ex his enim cenſebant Domini, ſatis videri, Epiſcopum Foroliuien. in remotis tunc

4\. egiſſe; præſertim cùm id arbitrio iudicantium relinquatur, * gloſſ. *in dicto cap. cùm nullus, in verb. remotis, in fine.*

* vide Menoch. de arb. caſu 222. n. 26.

Atque ex his potiſſimum tollebuntur multæ difficultates ex aduerſo oppoſitæ, videlicet, ſuper defectu ætatis, nam ætas fuit expreſſa in Breui, & quòd litteras dimiſſorias Camillus non obtinuerit à proprio Epiſcopo, quia perinde eſt, eum eas habuiſſe ab eius generali Vicario, qui etiam dicitur Ordinarius, vel quòd Epiſcopus Cluſinus ordinans in ſua diœceſi non reſideret, quia ſufficiebat, eum eſſe extra Romanam Curiam, & verba Breuis indicabant, quæ non arctabunt Camillum, vt ab Epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, ordinaretur.

Nec obſtabat Camillo, quòd ſe non Clericum, ſed ſcholarem appellauerit, quia cùm ſi ſe Clericum appellaſſet, Papa faciliùs fuiſſet gratiam penſionis conceſſurus, non fuit neceſſarium, id exprimere, * nec gratia propterea reddebatur nulla, Rota *deciſ.* 73. *de reſcript. in antiq.* nam, quæ reddunt Papam difficiliorem ad concedendum, neceſſariò exprimendæ ſunt, † non quæ reddunt eum faciliorem, *c. poſtulaſti, de reſcript.* Socinus ſenior *conſil.* 164. *num.* 5. *lib.* 2. Cæſar de Graſſis *deciſ.* 119. aliàs 8. *num.* 1. *& ſeq. de præbend.* 5.

* non eſt neceſſariū exprimere quæ non retardarent Papam ad cõcedendam gratiã. Caualer. dec. 551. n. 5. Rota recen. p. 1. dec. 418. n. 1.

In deciſione Guidoboni 139. incip. *In vna Adien.* non poterat fieri fundamentum contra Camillum, quia penſio, de qua in ea fuerat cuidam, vti maiori, reſeruata, cum regreſſu ad Parochialem, in defectum non ſolutionis, qui tamen erat infans annorum quatuor, cuius ætatis, cùm in diſpenſatione non fuiſſet facta mentio, meritò gratia fuit iudicata ſubreptitia, ex defectu intentionis * concedentis: at ſecus erat in caſu propoſito, cùm expreſſa ætatis mentio facta fuiſſet. 6.

† de hoc art. vide annot. ad dec. 150. Ludou. n. 10. & 11. & dec. 108. n. 6. & dec. 107. n. 6. & infrà dec. 385. n. 2.

Minus obſtare dicebatur, deciſio diuerſorum 148. & 149. incip. *Die 22. Martij.* quoniam qualitas inibi Papæ narrata, ſuper qua fundabatur conceſſio, fuit detecta falſa, & actus geſtus per Vicarium Epiſcopi, nempe confirmatio iuriſpatronatus ad ſolum Epiſcopum pertinebat: in caſu autem propoſito nihil falſi narratum apparebat, & actus potuit fieri per ipſum, atque ex his concluſum, ſatis conſtare de bono, & legitimo Camilli Clericatu. 7. 8.

* Cocc. dec. 328. n. 2.

An autem gratia penſionis ſuſtineretur, ex quo tempore reſeruationis Camillus nondum erat ſeptennis, quaſi diſpenſatio ſolùm ſuffragaretur ei, quoad Clericatum, non quoad penſionem, Domini particulariter videre voluerunt.

---

### *Conchen. Archipresbyteratus.*

### Die Veneris 30. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Remiſſoria ad probandum delictum, vt concedatur requirit magnum fumum.*

3 *Remiſſoria ad probandum delictum, vt concedatur, requirit ſaltem ſemiplenam probationem.*

## DECISIO CCLVI.

D. Petrus Amoraga, ad probandam ſimoniam initam inter Palomares, & Oſorium ann. 1582. in permutatione iſtius Archiepresbyteratus, cum Parochiali petiuerat Remiſſoriam, & ſub prætextu, quòd ei fuiſſet decreta, per Re- 1.



uerendiſſ. Peruſinum, tunc Rotæ Auditorem, die 5. Ianuarij anni præteriti, cùm ſibi commodum videbatur, ad retardandam cauſæ expeditionem, protinus obiiciebat de Remiſſoria ſibi decreta, licèt eam nunquam expedire curaſſet, & ideo propoſito dubio, an foret concedenda, Domini, ipſo non informante, cenſuerunt denegandam: quia cùm peteretur, ad probandum

2\. delictum * ſimoniæ, requirebat magnum fumum. Caſſadorus *deciſ.* 4. *de dilat.* Verallus *deciſ.* 62. *parte* 3. in impreſſis, & ſaltem ſemiplenam

* adde Ludouiſ. deciſ. 414. n. 9. & 10.

3\. probationem, Paleothus *deciſ.* 334. incip. *Vacauerat Archidiaconatus*, in caſu propoſito non conſtabat de fumo, ſed potiùs de calumnia, quæ ſatis ſe propalabat ex ſequentibus; quia in fine videbatur peti, ad retardandam cauſæ expeditionem, * Fabius deciſione incip. *Eadem die*, & quia nunquam illam ſibi decretum Petrus expedire curauerat.

* adde Ludouiſ. deciſ. 356. n. 8. Durand. deciſ. 264. n. 1. Seraphin. dec. 1460. n. 1.

Et cùm ex his ſatis videretur deneganda, non oportuit ingredi illam ſpeculationem, tactam per informantes pro D. Hieronymo Vadillo, de irreleuantia Remiſſoriæ, ex quo verſabamur in allegatione Lapi 89. præſumentis, meliorem titulum de mundo, & omnem, & quamcunque diſpenſationem, & habilitationem Chiſanen. *deciſ.* 14. quaſi allegatio Lapi fundetur in potentia cum præſumptione. Caſſadorus *deciſ.* 3. *n.* 5. *& dec.* 4. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* hæc enim ſpeculatio particularem requirebat indaginem, & diſcuſſionem maturiorem.

Mandoſius in additione ad allegat. Lap. 89. q. 14.

---

### *Foroliuien. beneficij, ſiue Hoſpitalis Sanctæ Mariæ in Sclauonia.*

### Die Veneris 30. Octobris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Ius patronatus probatur ex fundatione, constructione, dotatione, aut immemorabili præſentandi poſſeſſione.*

3.4 *Notarij aſſertio, dicentis inſtrumenta eſſe producta in proceſſu, non probat.*

5 *Notario non creditur, niſi ſuper illis, de quibus ipſe fuit rogatus.*

6 *Inſtrumentum quod non oſtenditur in forma probante, non probat ius patronatus.*

7 *Inſtrumenta admiſſa per iudicem in proceſſu, non inducunt probationem iuriſpatronatus, ex eo ſolo.*

8 *Inſtrumenti productio facta in proceſſu, non probat ius patronatus, niſi reperiatur in eo.*

9 *Ius patronatus præſcribitur per poſſeſſionem centum annorum.*

10 *Præſentationes litigioſæ non poſſunt firmare ius patronatus.*

11 *Teſtium examen, ſine citatione eius, cuius intereſt, non probat.*

12 *Beneficia omnia, de iure præſumuntur libera.*

13 *Fama ſola in antiquis non probat ius patronatus.*

14 *Ius patronatus probatur in antiquis per famam, cum longiſſima quaſi poſſeſſione.*

## DECISIO CCLVII.

CVm occurrente vacatione iſtius beneficij, per obitum Angelerij Petrus Paulus Guriolus tanquam patronus, Aſdrubalem Gioioſum D. Epiſcopo Foroliuien. inſtituendum præſentaſſet, & Epiſcopus præſentationem admittere noluiſſet, niſi docto priùs de legitimo iuriſpatronatus, & deſcendentia præſentantis à fundatore, tunc coram eodem Epiſcopo producta fuerunt inſtrumenta cuiuſdam præſentationis, factæ de ann. 1524. per Petrum Paulum Guriolum ſeniorem, patruum iſtius Petri Pauli iunioris, in qua enunciabatur, fuiſſe productum teſtamentum Rigoli de Guriolis fundatoris, iamdiu confectum de anno 1260. vnà cùm multis præſentationibus, & inſtitutionibus factis, per ſuos prædeceſſores, eo addito, quòd Epiſcopus de dicto ann. 1524. viſis prædicto teſtamento, præſentationibus, & inſtitutionibus, admiſerat præſentationem, tunc per Petrum Paulum ſeniorem factam, tam nomine ſuo, quàm fratrum ſuorum, & inſtituit Petrum quendam Totium tunc præſentatum, cum ſubſecuta poſſeſſione. 1.

Producta etiam fuerat Bulla confirmatoria fundationis, conceſſa per Epiſcopum de ann. 1260. in proceſſu agitato coram Vicario, de anno 1516. quæ tamen non apparebat; quibus informantes pro Aſdrubale, addebant quædam alia, ad ſuam intentionem probandam, vnde dato dubio in Rota, an conſtaret de iurepatronatus familiæ de Guriolis; Domini negatiuè reſponderunt, quia nec fundatio, nec conſtitutio, vel dotatio, * aut immemorabilis præſentandi poſſeſſio, ex deductis apparebant probata, Archidiaconus *in cap. piæ mentis,* 16. *quæſt.* 7. Abbas *conſil.* 106. *num.* 2. *verſ. ſed his, lib.* 2. Lambertinus *de iurepatronatus* 2. *part.* 2. *lib.* 5. *art.* 10. *quæſt. principalis, num.* 1. Puteus *deciſ.* 59. *in fine, & deciſ.* 60. *lib.* 1. quamuis enim teſtamentum antiquum Rigoli de Guriolis prætenſi fundatoris, & Bulla confirmatoria (vt Notarius aſſerebat) dicerentur producta, cùm tamen non apparerent, in actis relicta, Domini dicebant, per illa non probari ius patronatus, nec ea facere aliquam præſumptionem. Speculator *tit. de inſtrument. editione.* §. *videndum num.* 2. vbi Ioannes Andr. *in additione*, Aretinus *conſil.* 110. *num.* 1. *verſ. nec valet ſi dicatur.* Corneus *conſil.* 57. *num.* 6. *lib.* 3. Decianus *conſil* 121. *num.* 18. *lib.* 3. potuerunt enim eſſe non authentica, nec aſſertioni Notarij erat credendum, *Authent. ſi quis in aliquo, C. de eden.* Rota *deciſ.* 2. *&* 9. *de fide inſtrument. in antiq.* Abbas *in cap. cùm in iure, num.* 6. *de officio deleg.* Notario enim non creditur, niſi ſuper illis, de quibus ipſe fuit rogatus. * Innocent. *in cap.* 1. *num.* 6. *& ſeq. de fide inſtrument.* & Abbas *dicto cap. cùm in iure, num.* 6. *de offic. deleg.* inſtrumentum enim, quod non oſtenditur in forma probanti, non probat ius patronatus. Puteus *deciſ.* 136. *num.* 2. *lib.* 3. 2. 3. 4. 5.

* Cocc. dec. 106. n. 2. Durand. deciſ. 100. n. 2. & 3. Caual. deciſ. 30. n. 1. & 2. quod ius patronatus probatur ex dotatione, fundatione, &c.

* Mantic. dec. 62. n. 3. Caual. deciſ. 272. n. 5. & 6. & 653. n. 4. 5. & 6. & infrà dec. 309. n. 3. & 611. n. 5.

Nec aliquid operabatur factum iudicis, admittentis, & inſpicientis præfata inſtrumenta, iuxta *conſil.* Gozadini 96. *num.* 15. & Aymon. *de antiquit. part.* 2. *num.* 33. *verſ. ſed tenendo, & n.* 34. vel, ſecundùm aliam impreſſionem, *n.* 60. *&* 61. nam iſti loquuntur in mandato, quod faciliùs præſumitur, cùm ſit de ſolemnitatibus iudicij, licèt 6. 7.

licèt ſubſtantialibus. Secus tamen eſt in aliis inſtrumentis, & ſcripturis, in quibus talis productio,& admiſſio nihil efficit, niſi de illis conſtiterit,(vt paulò pòſt declarat,)idem Aymon *verſ. vel, & ſecundò dici poteſt.*

8. Et ex his videbatur ſufficienter reſponſum ad antiquam præſentationem de ann.1579. factam per Raynerium filium Rigoti de Guriolis, cuius præſentationis inſtrumentum dicebatur fuiſſe productum de ann. 1516. quia cùm non reperiretur in actis relictum, non ſufficiebat fuiſſe productum, præſertim cùm de illius effectuatione non conſtaret.

9. In duabus præſentationibus de ann. 1466. & 1467. non poterat fieri ſtabile fundamentum, vel ad probandam quaſi poſſeſſionem vnà cum forma, cùm talis poſſeſſio non poſſet dici pacifica ſtante lite de ann.1516.per quam fuerat interrupta, præſertim cùm poſtea fuerit etiam ſubſecuta poſſeſſio tanquam de libero beneficio: vel ad probandam legitimam præſcriptionem,cùm non effluxiſſet legitimum centum annorum ſpatium.Caſſadorus *deciſ.2.num.6.de probat.* Abbas *dicto conſ.*106.*n.*2.*lib.*2.

10. Duæ aliæ recentiores præſentationes de ann. 1524.& 1526.factæ per iſtos de Guriolis de Petro,& Cardinale Rodolpho cùm fuerint litigioſæ, & ſine pacifico ſtatu non poterant formare aliquod legitimum iuriſpatronatus, Calderinus *conſil.* 12. *tit. de iurepatronatus.* Mohedanus *deciſ.* 269.incip.*Erecta fuit capellania.*

11. Fama ſuper iſto iurepatronatus probata,multis modis non ſuffragabatur, tum quia teſtes erant examinati inter alios, Mohedanus *dec.*217. & eo cuius intererat non citato, * *cap.2.de teſtibus*, tum quia per alios teſtes dicebatur probari contrarium, quibus tanquam pro libertate Eccleſiæ teſtificantibus magis videbatur ſtandum,

12. cùm haberent iuris præſumptionem, per quam omnia beneficia * præſumantur libera, Gabriel *de teſtib. concluſ.*4. *num.*23. tum poſtremò, quia licèt legitimè examinati fuiſſent, & fama ſufficienter foret probata,non prodeſſet, cùm ſola

13. in antiquis non probet † ius patronatus, niſi ſimul concurrat longiſſima quaſi poſſeſſio. Puteus *deciſ.*60. incip. *Et in eadem fuit deciſum*, *in fine lib.*1.

* vide ſuprà dec. 38. n.2. & quos ibi addidi.

* Mant.dec. 360.n.4.Caual.dec.126. n.11.

† adde Mantic. dec.209. n. 3. & 174. n.5. Durand. dec.413.n.2. & 4. & deciſ. 293. & infrà dec.260.

Deciſio in illa Aretina Capellaniæ die 22. Iunij 1590. coram Reuerendiſſ. Peruſino,potiùs faciebat contra D.Aſdrubalem: nam ibi aderant

14. plures antiquæ præſentationes effectuatæ, & enuntiatiuæ dotationis plurium antiquorum inſtrumentorum plures teſtes de fama, cum inſignibus, * & ſepultura patronorum familiæ de Aſcarellis, & antiquum inſtrumentum teſtamenti, in quo dos conſtituta videbatur, cum aliis inibi relatis, quæ in caſu propoſito deſiderabantur, vnde fuit concluſum pro non iurepatronatus.

* adde Coc. dec.230.n.1. & ſeqq. Caual. dec.159. & habetur in rec.p.1. dec. 333.

---

## *Camerinen. bonorum.*

### Mercurij 4. Nouembris 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Simulatio non præſumitur, niſi de cauſa ſimulandi conſtiterit.*
3 *Coniecturis poteſt probari ſimulatio.*
4 *Simulatio arbitrio iudicis relinquitur.*
5 *Simulatio arguitur, ſi contra ſtylum in inſtrumento ponantur clauſulæ inuſitatæ.*
6 *Simulata præſumitur venditio, propter coniunctionem perſonæ cui fit.*
7 *Donare mulieres facilè non præſumitur.*
8 *Venditio præſumitur ſimulata, ſi vendens ſit in poſſeſſionem rei venditæ.*
9 *Simulata præſumitur venditio, ſi vendens retardet productionem inſtrumenti venditionis, per longum ſpatium.*

## DECISIO CCLVIII.

Poſt diſputationem multorum dubiorum in iſta cauſa, cùm Domini ordinaſſent, vt ad fauorem * D.Achillis Cybo pronunciarem,pro parte D.Baldi Mauritij, & litis conſortum, producta fuerunt quædam inſtrumenta, continentia venditionem tenutæ della Rochetta, (ſuper qua erat lis) factam per D.Theodorinam Cybo, ad fauorem Catherinæ Duciſſæ de Camerino: & quoniam pro parte Achillis opponebatur de ſimulatione dictæ venditionis,& dicebatur,ideo factam, vt poſſet illam Theodorina Martiæ nepti ſuæ in dotem dare, in præiudicium ſuorum filiorum, propterea dubitaui, an inſtrumentum præfatæ venditionis eſſet releuans, vel ſimulatum ad effectum de quo agebatur, quod propoſui,vna tantùm parte informante,quia alia pars, quamuis ſæpiùs citata, non comparuit, & licèt regula ſit, non eſſe præſumendam ſimulatio- 2.
nem, niſi de cauſa ſimulandi conſtiterit, * Crauet. *conſil.*145.*num.*2.Bald.*conſil.*389.*num.*1.*verſ. in contrarium, lib.*4. Rota *deciſ.*1. *num.*2. *de donat. in nouis.* nilominus, cùm ſimulatio coniecturis 3.
probari poſſit, † Crauet. *conſil.* 156. *num.*7. Decius *conſil.*14.*num.*6.*verſ. ſimulatio enim, & conſil.* 692. *n.*1. & arbitrio iudicis * relinquatur, quales coniecturæ ad hunc effectum ſufficiant. Bald. *conſ.*311. *num.* 12. *lib.*5. Pariſius *conſil.* 55. *num.* 28. *lib.*1. Couartuuias *lib.* 3. *variar. reſolut. cap.*7.*num.*3. *in fine*; in caſu propoſito, & cauſam ſimulandi, & ſufficientes coniecturas ad probandam ſimulationem,Domini concurrere cenſuerunt.

1.
* ab hac deciſione receſſum fuit infrà deciſ. 284.per motiuum ibi expreſſum.

* Cocc. dec. 408.n.2.Durand. deciſ. 128 n.10.

† Cocc.in d. dec.408.n.4. Mantic. dec. 325. n. 3. & præter coniecturas adduci debet cauſa, aliàs illæ nõ ſufficient, vt per Ludouiſ.dec. 157.n.21. & 27. & vide infrà deciſ. 1594.& eundem Ludou. dec.195.n.2. & 3. Caual. dec.406.n.1.

Cauſa ſimulandi fuit, vt ſub velamine venditionis, tenuta daretur † in dotem D. Martiæ, in præiudicium aliorum filiorum, ſicut effectus ſubſecutus demonſtrauit, nam Martia in dotem tenutam accepit.

4. Item multæ coniecturæ concurrebant, prima quoniam in inſtrumento procuræ, & venditionis, dabatur facultas ad concordandum de pretio, & illud promittendum ſub certis terminis, & dilationibus, & nihilominus Theodorina venditrix fatebatur, ſibi fuiſſe ſatisfactum, diuerſis vicibus,temporibus, & diebus, quod ante mandatum procuræ factum fuiſſe, vix intelligi poterat, cùm ex illius tenore contrarium appareret, minus in tempore intermedio, propter paruum eius interuallum, nam à die procuræ, vſque ad diem venditionis, ſolùm interceſſerunt nouem dies, qui veriſimiliter fuerunt conſumpti in tranſmittendo mandato, à ciuitate Camerini ad vrbem, vbi Andreas de Albicis Procurator à Duciſſa conſtitutus degebat, & in itinere dicti Procuratoris ab vrbe Roma, ad ciuitatem

* adde Seraphin. dec. 996.n 4.
† & ſimulatio arguitur ex præcedẽtibus & ſequẽtibus cõiecturis. Seraphin. dec. 660.n.2.&3.



tatem Vrbeuentanam, vbi venditio fuit celebrata:præſertim,cùm Theodorina fateretur, diuerſis vicibus, diebus, & temporibus, ſe in contanti à dicta emptrice, maximam pecuniarum quantitatem,aſcendentem ad ſummam duorum millium,& centum ducatorum recepiſſe.

Accedebant clauſulæ quædam inſolitæ,qualis
5. erat, renunciatio expreſsè facta non numeratæ pecuniæ,pluries in inſtrumento,cùm iuramento repetita,item illa, non ſpe futuræ numerationis, quæ ponebatur, poſt confeſſionem de recepto, contra Ordinarium ſtylum, nam hinc etiam arguebatur ſimulatio, Pariſius *conſ.*55.*n.*51.*lib.*1. Natta *conſ.*198.*n.*13.*&* 15.*lib.*1.

6. Simulationem præterea augebat,quia venditio fiebat D.Duciſſæ deCamerino,nepti quoque ipſius Theodorinæ; nam perſonarum coniunctio ſæpe ita præſumere præmittit. Natta *conſil.* 443. *num.* 10. *lib.*2. Barbatia *conſil.* 22. *num.*6. *lib.*4.

Euentus ſubſecutus eandem ſimulationem arguebat,quia emprix tenutam præfatam,in dotem tradidit Martiæ,expreſsè cauens,vt ſi Martia ſine filiis decederet, ad proximiores conſanguineos D.Martiæ tenuta reuerteretur:ſi enim emptio ſimulata non fuiſſet, cùm mulieres non
7. præſumantur facilè donare, Socinus *conſil.* 20. *num.* 8. *lib.* 3. Duciſſa non fuiſſet ita liberaliter donatura.

Concurrebat præterea potens illa ſimulationis præſumptio, quia Theodorina poſt celebra-
8. tam venditionem,ſemper vſque ad obitum, remanſit in poſſeſſione tenutæ, * Corneus *conſ.* 135.*n.*5.*verſ.inſuper ſimulatio,lib.*1.Paulus de Caſtro *conſ.*74.*n.*2.*verſ.*2. *coniectura, lib.*2. Cæpolla *tract. de ſimulatione contract. præſumptione* 24. *num.*164.

* hæc coniectura ſola non ſufficeret ſi aliæ nõ concurrerẽt, vt per Ludouiſ. dec.401. n.16.

Poſtremò, magna præſumptio ſimulationis iſtius contractus oriebatur,ex retardatione productionis iſtius inſtrumenti, per ſpatium quinquaginta annorum, & amplius, quibus D. Catherina Duciſſa, & ſucceſſores ſui, litem ſuſtinuerunt,& ex recuſatione, ſiue renitentia in eo exhibendo,Cæpolla *tract. de ſimulatione contract. præſumpt.*20.*n.*144.Iaſon *in l.non dubium,num.*49. *C.de legib.*Decius *conſ.*399.*n.*9.

---

## *Romana hæreditatis.*

### Veneris 13. Nouembris 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Hæredi datur immiſſio bonorum hæreditatis, ex* l.fin.C.de edict.Diui Adrian. *& n.*10.
3 *Teſtes deponentes quem non eſſe ſanum mente, ad faciendum teſtamentum,etiam non rogati reddere debent rationem,vt probent.*
4 *Teſtes deponentes de inſania teſtatoris per ſigna, & actus non probant,niſi rationem explicent.*
5 *Teſtamentum facere non poteſt mente captus, vel furioſus,qui ſunt omnino, nam ſi omnino mente non ſint priuati, poſſunt illud facere.*
6 *Furioſi, fatui, & mente capti, qui omnino non ſunt mente priuati, poſſunt facere teſtamentum.*
7 *Matrem hæredem inſtituere filiam, non eſt à ratione alienum.*
8 *Exceptio quòd quis non poteſt teſtari, non impedit immiſſionem bonorum hæreditatis.*
9 *Actus celebratus, ſecundùm leges voluntarius,& licitus,potius quàm illegitimus debet præſumi.*

## DECISIO CCLIX.

Lvcretia Milonia, annos 12. & menſes no- 1.
uem nata,Lucidam matrem hæredem inſtituit,cui petenti immiſſionem in bona hæreditaria, ex remedio *l. fin. C. de edicto Diui Adrian.* multa opponebantur, in quibus hæc erant præcipua, primum, quòd non eſſet talis mentis, & iudicij, vigore prædita, vt teſtamentum condere potuerit;alterum, quòd metu, & ſuaſionibus maternis inducta,teſtamentum fecerit;propoſito ergo dubio, an Lucidæ matri eſſet danda immiſſio, Domini cenſuerunt eſſe dandam: nam cùm Lucida oſtenderet teſtamentum, ſeruatis debitis requiſitis conditum,& omni vitio viſibili carens,ex remedio *dicta l.fin.* erat immittenda, 2.
non obſtante,quòd teſtes contra eam examinati, pro Europa Milonia,Lucretiæ ſorore,hæreditatem prætendente,teſtificarentur,Lucretiam non potuiſſe condere teſtamentum, ex quo iudicio illorũ,videbatur ſimplex,& inepta, & in quamuis partem facilè mutabilis, cùm in hac mate-
ria non ſufficiat dicere, quempiam eſſe inſanæ 3.
mentis, vel furioſum, vel non idoneum ad condendum teſtamentum, niſi teſtes etiam non rogati,ſufficientem rationem redderent,aliàs enim pro ſana mente præſumendum erit, * Baldus *in l.furioſum, num.*3. & Paulus de Caſtro *num.*3. *C. qui teſtament. facere poſſ.* more item furioſorum tales actus geſtos fuiſſe dicere oportet,Bartol.*tract.de teſtimonijs, num.*94. *verſ. oppoſita prudentiæ,* Alexander *conſ.*54.*num.*2.*lib.*1. Herculanus *tract.de probanda negatiua, num.*157. *verſ. ſecundus modus eſt*;licèt enim teſtes referant ſigna, vel actus exteriores, ex quibus poſſit colligi fu- 4.
ror,vel inſania, * niſi rationem explicent, tunc cùm potius dicantur iudicare, quàm deponere, nihil probant.Socinus *conſ.*42.*n.*5.*lib.*1. Pariſius *conſ.*88.*n* 59.*lib.*3.Decius *conſ.*448.*n.*31. & fuit firmatum in illa † Vlyſbonen. profeſſionis 22. Iunij an.1579.coram bon.mem.D.Cantuccio.

* Rota rec. p.1.dec.384. n. 2. & 3. & diuerſ. p.2. dec.134.

* de hoc art. vide Caual. deciſ.366. & 622. Rotam rec.p.1. dec. 384. n. 7. & ſequent. Rotam diuerſ. p.2.dec.107. n.33.
† habetur in impreſſis diuerſ.p.2.dec. 107.

Vnde teſtes deponentes,quòd Lucretia *era di poco giudicio, ciocarella, & che credeua ogni coſa, & ſenza malitia,& ſimplice*,non probabant,eam inhabilem ad condendum teſtamentum: quamuis 5.
enim mente captus,vel furioſus,* teſtamentum condere non poſſit.§.*præterea.Inſtit.quibus non eſt permiſſ.facere teſtam.* ſimplices tamen,& fatui,& qui hebetiori ſunt intellectu, dummodo omnino mente priuati non ſint, teſtamentum facere poſſunt, Paulus de Caſtro *in l.ſi frater,n.*2.*C. qui teſtament. facere poſſunt*, Faber *in dicto §.præterea, num.* 2. *Inſtit. quibus non eſt permiſſ. facere teſtament.* Decianus *reſponſo* 127.incip. *Circa primum num.*29. *& ſeqq.* in caſu propoſito, tametſi Lu- 6.
cretia ſimplex eſſet, non probabatur inſanæ mentis,imò quidam ex teſtibus, iuxta 20. interrogatorium dicebat, quòd Lucretia non erat matta, *& era di giudicio.* id quod actus etiam teſtandi ſatis indicabat,cùm non ſit à ratione alie-
num,matrem hæredem facere, Guilel.Benedict. 7.
*in cap.Raynutius, in prima parte,in verb.adiectæ improberi,n.*67.*de teſtament.* Bald.*in d.l.furioſum,n.*2. Socinus *dicto conſ.*42.*num.*11.*lib.*1.

* adde Manticam deciſ. 60. n. 2. Rotam rec.p.1. dec.384.n.1. & ſequent.

8. His accedebat, quia iſta exceptio, quòd quis teſtari non poſſit, non impedit immiſſionem, Angelus *conſ.* 135. *n.* 2. Decius 84. *n.* 1. *verſ. ad iſta*, Boërius *quæſt.* 23. *in fine*, *n.* 103.

9. Alterum, quòd Lucretia metu, & ſuaſionibus maternis inducta, teſtamentum condiderit, ex his quæ proponebantur, non probabatur pro parte Europæ, cui id iure incumbebat. * Vnde cùm actus eſſet celebratus, iuxta legum præſcriptum, voluntarius, & licitus potius, quàm illegitimus fuerat præſumendus. *l. meritò ff. pro ſocio.* Pariſius *conſ.* 5. *num.* 168. *lib.* 4. licèt enim coniecturis, & præſumptionibus iſta probari ſoleant, & Dominis viderentur ſuſpectæ artes, & diligentiæ quædam Lucidæ matris, quibus & Lucretiam filiam à domo tutoris abduxerat, eamque ei reſtituere actu diſtulerat, & aliæ ſimiles, ex his tamen, quæ proponebantur, non apparebant fuiſſe tales, ex quibus poſſet colligi metum, aut minas, in teſtando interueniſſe. Vnde, cùm nullum vitium viſibile teſtamenti patenter probaretur vitium inuiſibile, (ſi quod erat) non poterat impedire hæredem mitti in poſſeſſionem. * *l.* 2. *C. de edicto Diui Adriani.* quapropter, vt decerneretur, in quorum bonorum hæreditariorum poſſeſſionem eſſet immittenda, fuit obiter dictum, vt lucidam rationem adminiſtrationis redderet.

* nam alleganti deméntiã incumbit onus probãdi illam, & concludẽter. Rota recen. in dicta dec. 384. n. 3.

10.

* adde Duran. dec. 178. n. 4. & deciſ. 180. n. 1. Ludouiſ. deciſ. 206. n. 1. & 194 n. 11. & alibi ſæpe quod extende etiam in bonis emphyteoticis, vt per Caual. dec. 316. n. 1. & 8.

## *Burgen. beneficij de VZieda.*

### Veneris 13. Nouembris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Ius patronatus in antiquis per famam, & quaſi poſſeſſionem, cum alijs adminiculis, probatur.*
3 *Teſtes deponentes extra articulata non nocent.*
4 *Deſtitutio beneficij pertinet ad eos, ad quos de iure pertinet inſtitutio.*
5 *Patronus in limine fundationis, an poſſit ſibi reſeruare facultatem amouendi à ſe præſentatos, de licentia ordinarij.*

## DECISIO CCLX.

1. ITerum propoſito dubio ſuper eiſdem, an conſtaret de iurepatronatus Dominorum de Teran, reſpectu iſtius beneficij, pronunciatum fuit, conſtare; nam omiſſa nunc immemorabili, quam in alia poſitione Rota cenſuit fuiſſe probatam; * hîc ſaltem dicebatur probata fama iuriſpatronatus, quæ in antiquis, iuncta quaſi poſſeſſione, † vel aliquibus adminiculis, probat ius patronatus. Caſſadorus *deciſ.* 2. *num.* 5. *de probationib.* Puteus *deciſ.* 140. incip. *Sexta Iulij*, *num.* 1. *lib.* 1. Achilles *deciſio* 7. *n.* 4. *de iurepatronatus.*

* ſuprà dec. 252. n. 3.
† vide ſuprà dec. 257. n. 13. & quæ ibi addidi. & Rotã diuerſ. parte prima dec. 791. n. 1. & ſeqq.

2. De quaſi poſſeſſione præſentandi conſtabat, tum ex antiqua præſentatione ann. 1530. tum ex teſtium depoſitionibus.

3. Neque hîc oportuit probare famam priuilegij, propter amobilitatem, de qua aliqui teſtes mentionem facientes, dicebant, iſtos de Teran amouiſſe Clericos à ſe præſentatos; vt in deciſionibus in cauſa Toletan. iuris nominandi 28. Ianuar. 1583. coram D. Oriolen. & 27. Ianuar. 1584. coram D. Bubalo; quia præterquam quòd hîc agebatur de beneficio ſimplici, nullam habente curam animarum, cùm iſti Domini de Teran non prætenderent tale ius amouendi, neque illud articulauerit, non erat attendendum, quid teſtes dicerent. Bart. *in l. fin. C. qui legit. perſon. habent ſtan. in iudic. num.* 6. gloſſ. *in cap. de teſtib. extrà de teſtib.* Ripa *in l. naturaliter.* §. *nil commune*, *num.* 16. *de acquirend. poſſeſſ.* Alexand. *conſil.* 90. *num.* 7. *lib.* 3.

Et ſatis conſtabat, eos non prætendiſſe ius amouendi, ex præſentatione de ann. 1530. vnde apparebat, illum tunc præſentatum fuiſſe ab Ordinario inſtitutum, vt perpetuò haberet beneficium: nam cùm præſentati à patronis inſtituuntur ab Ordinariis, patroni non poſſunt illos ad arbitrium ſuum remouere, aut deſtituere; 4. quia ad eos de iure pertinet deſtitutio, ad quos inſtitutio ſpectat. *c. ex frequentibus, de inſt.* gloſſ. *in cap. vt commiſſi*, *in verb. honoribus*, *de hæret. lib.* 6.

Neque teſtes deponentes de vna, vel altera amotione alicuius beneficiati (prout erat quid facti) concludebant, reſpectu iuris amouendi à patronis, nec prætenſi, neque articulati, cùm iſte, vel ille potuerit amoueri * iuſſu Epiſcopi, aut per Epiſcopum, ad inſtantiam patronorum, propter cauſas iuſtas, & rationabiles, & ſic non fuit neceſſarium tractare illam difficultatem, an & quando Patronus in limine fundationis, de licentia Ordinarij poſſit ſibi reſeruare facultatem amouendi à ſe præſentatos, prout in dictis deciſionibus in cauſa Toletan. iuris nominandi, & per Lambert. *de iurepatronatus*, *lib.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *art.* 2. *n.* 14. 15. *&* 16. 5.

* de hoc art. vide Rotam rec. p. 2. dec. 325. & inter impreſſas per Buratum deciſ. 382. n. 4.

## *Calaguritana præeminentiarum.*

### Die Lunæ 16. Nouembris 1592.

SVMMARIVM.

2.3 *Species poſt genus poſita, ſeu enumeratio ſpecierum ſequens, non reſtringit genus præcedens in ſcriptura poſitum.*
4 *Diſponentis mens ſemper debet expectari.*
5 *Verborum nuda ſignificatio, non tam expectatur, quàm mens diſponentis.*
6 *Verba generalia eo modo intelligi debent, quo à diſponente fuerunt prolata.*
7 *Statuti particularis caſus expreſſio facit exceptionem generalium caſuum.*
8 *Obſeruantia ſubſecuta, eſt dubiorum diſpoſitionum fidelis interpres.*
9 *Statutum dubium aliquod continens, conſuetudo illud declarat.*
10.11 *Rectori in ſua Eccleſia debet cedere maior.*
12 *Verba ſynonyme poſita in ſcriptura, quæ ſignificant eandem rem, non inducunt maiorem effectum.*

## DECISIO CCLXI.

SOlent in vigiliis, & diebus inuocationum Eccleſiarum Parochialium de victoria SS. Petri, Michaëlis, Vincentij, & Ildefonſi, Rectores, & beneficiati earum, item Cantor, dignitates, & Canonici Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ, accedere ad eam Eccleſiam, cuius feſtum inuocationis peragitur, vt pluribus miniſtris conuenientibus, honorificentiùs diuina Officia celebrentur. 1.

Cùm



Cùm verò ann. 1498. in erectione Eccleſiæ Parochialis Beatæ Mariæ in Collegiatam, ordinatum fuiſſet, vt in proceſſionibus generalibus, quæ fiunt extra Eccleſias Parochiales, præcedentia ei deberetur, ac in quadam ſententia arbitrali, lata ann. 1500. conſtitutum, vt idem ordo ſeruaretur, in cæteris omnibus congregationibus, Capitulis, funeribus, ſiue exequiis mortuorum, ex his verbis generalibus cœpit Eccleſia Collegiata prætendere etiam in vigiliis, & diebus prædictarum inuocationum, intra eaſdem Eccleſias ſibi præcedentiam deferendam, cuius contrarium, cùm Eccleſiæ Parochiales in ſuum fauorem prætenderent, ex deductis in deciſione ſub die 13. Nouembris ann. 1591. coram R.P.D. Seraphino * Rotæ Decano, propter obnixam Procuratoris Eccleſiæ Collegiatæ petitionem, dedi dubium in tertia inſtantia, an illa verba ſtatuti de ann. 1500. *& idem ordo ſeruetur in cæteris omnibus congregationibus, Capitulis, funeribus, ſiue exequijs mortuorum*, comprehendant aduocationes, quæ fiunt in Parochialibus de victoria ad effectum, vt tunc etiam Collegiatæ præcedentia debeatur.

* habetur in impreſſis. Seraph. dec. 964.

2. Et Domini concorditer tenuerunt, non comprehendere, quia licèt regula ſit, quòd ſpecies expreſſæ poſt genus, ſeu enumeratio ſpecierum ſequens, non reſtringunt genus præcedens. *l. legata ſupellectili, ff. de ſupellect. legata*, *l. quæſitum* §. *ſi quis fundum ff. de fundo inſtruct.* cum aliis adductis per Crauettam *conſil.* 227. incip. *Iaffredus Regis ceſſit*, *num.* 8. *& ſeq.* & præſertim, quando non adeſt dictio taxatiua, ſeu limitatiua: nam tunc genus præcedens non reſtringitur propter ſpecies enumeratas, & ſequentes. Bartolus, & Doctores *in l. ſed & ſi quis.* §. *quæſitum. ff. ſi quis cautio.* Corneus *conſil.* 4. *num.* 6. *lib* 2. Decius *conſil.* 12. *num.* 2. *& ſeq & conſil.* 69. *num* 2. Crauetta

3. *dicto conſil.* 227. *num.* 8. nihilominus, iſta regula non procedit, ex præſumpta * mente diſponentis. Bartolus *in l. ſed & ſi adyciatur*, *in fine*, pro ſocio, qui loquitur, etiam quando ſpecies additiuè fuerunt expreſſæ. Decius *conſil.* 69. *num.* 3. Gabriel *conſil.* 90. *num.* 2. *lib.* 1. etiamſi generi eſſent adiecta verba vniuerſalia. *l. ſi cùm fundum, ff. de verbor. ſignific.* Cephalus *conſil.* 149. *num.* 9.

* vide ſuprà deciſ. 19. & Coc. dec. 48. & 444. Ludouiſ. deciſ. 257. n. 9.

4. *verſ. qua concluſio*, *lib.* 1. mentem enim diſponentis * in primis ſpectari oportere, explorati iuris eſt, cùm nunquam tantum verborum interpretatio valeat, vt melior, aut pòtior mente exiſtat. *l.* 3. *C. de liberis præterit.* & ſemper mens ipſa magis, * quàm nuda verborum ſignificatio conſiderari debeat. *l. ſcire leges, ff. de legib.* quo fit, vt verba generalia, ſiue vniuerſalia, eo modo intelligi debeant, quo à diſponente fuerunt prolata, Decius *conſil.* 273. *num.* 2. *& ſeq.* Alciatus *conſil.* 3. *num.* 23. Crauetta *conſil.* 33. *num.* 26. Vnde cùm verba ſtatuti, (de quo erat quæſtio) forent prolata, reſpectu præcedentiæ obſeruandæ in Collegiata, vel extrà, in proceſſionibus, congregationibus, Capitulis, & funeribus, non autem reſpectu illius Eccleſiæ Parochialis, in qua conuocatio fieri ſolet, quamuis generalia illa præceſſiſſent, nempe, *in cæteris omnibus congregationibus*, intelligenda fuerunt, reſpectu eorum actuum, & locorum tantùm, quorum intuitu fuerunt prolata; * vt ſcilicet locum habere intelligerentur in omnibus congregationibus, proceſſionibus, Capitulis, funeribus, quæ

* Rota rec. p. 1. dec. 130. n. 3.

* adde Coc. 48. n. 10. Mãticam deciſ. 296. num. 3. quod etiam locum habet in conſtitutionibus, vt potius mens quàm verba debeat attẽdi. Rota rec. p. 1. dec. 537. n. 10.

5.

6.

* Seraph. dec. 559. n. 2. & 3.



vbique locorum fierent extra prædictas Parochiales, non autem in vigiliis, & diebus inuocationum, quibus in Parochialibus dictis, illorum Sanctorum dies feſti Collegiata conuocata, & conueniente ſolemni ritu, celebrari conſueuerunt, quam interpretationem ſatis ſuadebat ſeparata prouiſio alterius ſtatuti, etiam in materia præcedentiæ Eccleſiæ Collegiatæ deferendæ, in die benedictionis Ramorum, ſeu Palmarum: nam cùm ibi cautum fuerit, vt quando Cantor, & Canonici acceſſerint ad Eccleſiam Sancti Michaëlis ad actum benedictionis Ramorum celebrandum, cæteri Clerici, & Rectores, tam illius Eccleſiæ Sancti Michaëlis, quàm aliorum, illis loco cedant, & honorabiliores Sedes deferant, iſta ſeparata ſanctio non obſcurè oſtendere videbatur, aduocationes non fuiſſe ſub præfato ſtatuto comprehenſas: cùm ſi generaliter omnes præcedentiæ modos, in quibuſcumque locis, & temporibus, comprehendere ſtatuentes voluiſſent, ſuperflua ſatisfuiſſet iſta particularis prouiſio, *cap. quia circa*, *de priuileg.* 7.

Hanc præterea interpretationem ſtatuentium menti fuiſſe conformem, * obſeruantia ſubſecuta demonſtrabat, quæ omnium dubiarum diſpoſitionum, ſolet eſſe fidelis interpres. † *l. ſi de interpretatione. ff. de legib.* Crauetta *conſil.* 101. *num.* 3. *& conſil.* 201. *num.* 11. Siluanus *conſil.* 63. *num.* 18. *& conſil.* 65. *num.* 17. Bartholomæus Socinus *conſil.* 145. *num.* 2. *lib.* 1. nam ſi ſtatutum dubitationem aliquam haberet, iſta conſuetudo interpretatiua, (cui ſtare oportet) * eam ſuſtuliſſet. Crauetta *dicto conſil.* 101. *num.* 4. præſertim in iſta materia præcedentiæ, in qua conſuetudo eſt potiſſimum attendenda, † quæ præbet loca ſedendi, vt dixit Baldus *in cap. cùm olim*, *de conſuetud.* quem refert, & ſequitur Natta *conſ.* 577. incip. *Extante conſuetudine*, *num.* 3.

* Cocc. dec. 483. n. 1. Caual. dec. 199. n. 6. & 7. & dec. 117. n. 6.

8.

† obſeruantia enim declarat verba dubia etiam ſi illa ſit ſimplex & contra ius, vt per Caualer. dec. 80. n. 3. vſque in finẽ. Rota rec. p. 2. dec. 365. n. 1. & vide ſuprà deciſ. 228. n. 7. & infrà deciſ. 281. n. 10.

Quod eo etiam nomine videbatur dicendum, quoniam iſta interpretatio, & conſuetudo, vt Rectores in Eccleſiis ſuis, præſertim in vigiliis, & diebus inuocationum, hoc eſt, in actibus ad ſuas Eccleſias propriè ſpectantibus, cæteris anteferrentur, conformis eſt iuri communi: nam maior debet cedere minori, dum eſt in domo minori. Lucas de Penna, & Ioannes de Platea *in l. nihil. C. de palatijs*, *lib.* 12. Decianus *conſil.* 67. incip. *Dico ergo*, *num.* 12. *& ſeq. lib.* 2. Caſſanæus (qui loquitur de Rectoribus Eccleſiarum Parochialium) *in Catalogo gloriæ mundi, parte* 4. *conſideratione* 81.

9.

10.

* etiamſi de iure verior eſſet intellectus contrarius, vt latè per annot. ad dec. 184. Ludouiſ. n. 8. & omnino eſt videnda dec. 608. p. 2. rec. n. 5. & 6.

Nec refragatur illa conſideratio, deſumpta ex verbis ſtatuti geminatis, videlicet, *cæteris*, & *omnibus*, quaſi iſta vniuerſaliter omnes, & quoſcumque Conuentus comprehendere debuiſſent, ad tradita per Decium *conſil.* 29. *n.* 3. Crauettam *conſil.* 294. *num.* 1.

11.

† adde Ludouiſ. deciſ. 124. n. 2. vbi latè annotat. n. 4. & Seraphin. in dict. deciſ. 964. & 716. n. 18.

Quia dicebatur, quòd cùm iſta verba eſſent ſynonyma, & idem prorſus ſignificantia, licèt cumularentur, non propterea inducebant maiorem, ſeu diuerſum effectum, Bartolus, quem communiter Doctores ſequuntur, *in l. ſi idem. C. de codicil.* Pariſius *conſ.* 110. incip. *Promiſſio & obligatio*, *num.* 45. *lib.* 1. 12.

## *Comen. Capellaniæ.*

### Die Veneris 20. Nouembris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Inſtrumenta exemplata, ex ſuis protocollis per Notarium ab ordinario iudice deputatum, ad leuandum in forma publica, inſtrumenta, & abbreuiaturas, faciunt fidem.*

3 *Citatio non eſt neceſſaria, ad videndum extrahere ſcripturas, quando ſunt mortuorum, & exemplantur per Notarium, ad id munus per iudicem deputatum.*

4 *Inſtrumenta originalia, licèt ſint extracta, ſine compulſorialibus, & citatione, faciunt fidem.*

5 *Inſtrumenta quæ non habent nomen Imperatoris, vel Regis, & Papæ, nihilominus probant.*

### DECISIO CCLXII.

1. DIe 29. Maij proximè præteriti, * Domini pronunciauerant, conſtare de iurepatronatus illorum de Caſſanoriis, cum præſuppoſito, quòd iura quibus nitebantur, eſſent in forma probante in hac poſitione, dato deſuper particulari dubio, vtraque parte informante, fuit concluſum iura eſſe authentica: nam primum, quantum ad inſtrumentum ſententiæ latæ ann. 1488. & teſtium in proceſſu illius litis examinatorum, de quibus erat rogatus quondam Paulus de Orcho, & inſtrumentum præſentationis ann. 1465. rogatum per Aldobertum de Frumento, ſatis videbantur authentica, ex quo apparebant exemplata * ex ſuis protocollis, per Aloyſium Salam, Notarium anno 1563. ab Ordinario Comen. deputatum ad leuandum in publicam formam inſtrumenta, & imbreuiaturas præfatorum Notariorum.
2. Decius *in Authent. ſi quis in aliquo, n.* 26. & *ibi* Purpuratus *num.* 19. *C. de eden.* Verallus *dec.* 351. *n.* 2. *part.* 2. Felinus *in cap. cùm P. Tabellio, n.* 4. *de fide inſtrument.*

* ſuprà dec. 228.

* adde Rotã rec. p. 1. dec. 581. n. 3. & infrà deciſ. 266. n. 2.

3. Nec propterea deſierant eſſe authentica, quòd non apparerent parte citatâ extracta, quia, quando inſtrumenta mortuorum Notariorum exemplantur, & publicantur per Notarios ad id munus ab habente poteſtatem deputatos, non requiritur citatio, * Baldus *in dicta Authent. ſi quis in aliquo, n.* 15. & Purpuratus *n.* 19. & Verallus *dicta deciſ.* 351. *n.* 4. & quando non apparet de Notarij deputatione, aliter quàm per ipſius aſſertionem, de ſtylo Rotæ, & ſic atteſtanti ſolet adhiberi fides. Verallus *deciſ.* 24. incip. *Notario atteſtante, part.* 2. vbi loquitur de deputatione facta extra Curiam, & ita fuit ſeruatum in proceſſu Canonizationis B. Hyacinthi Poloni ſub fel. record. Sixto V. Gregorio XIV. & S. D. N. Clemente Papa VIII. licèt autem inſtrumentum Aldeberti non haberet illius ſignum, aut ſubſcriptionem, potuit nihilominus in publicam formam leuari. Alexand. *conſ.* 14. *num.* 17. *lib.* 6. Curtius iunior *conſil.* 162. *num.* 5. Chiſanen. *deciſ.* 71. incip. *Inſtrumentum in quo eſt omiſſum.*

* nec aliæ ſolemnitates ſunt neceſſariæ. Ludouiſ. deciſ. 3. n. 1. Rota rec. p. 1. dec. 217. n. 1. & 603. & p. 2. deciſ. 649. n. 7. & deciſ. 706. n. 6. Seraphin. dec. 1236. n. 3.

4. De inſtrumento præſentationis ann. 1515. rogato, & ſubſcripto per Franciſcum Mariam de Valpis, & de alio confecto per Benedictum de Zobiis ann. 1541. idem fuit iudicatum, ex quo originalia erant producta, & ſubſcripta ab ipſiſmet Notariis actuariis, iſta enim proculdubio fidem faciebant, * licèt forent extracta ſine compulſorialibus, & partis citatione. Rota *deciſ.* 1. *num.* 1. *de fide inſtrument. in nouis.* Verallus *deciſ.* 170. *parte* 1. 5. quamuis non haberent nomen Imperatoris, vel Papæ, nam quidquid ſit de ſtricta iuris ratione, contrarium ſeruat recepta conſuetudo, Couarruuias *in pract. quæſtionib. cap.* 20. *num.* 1. Pariſius *conſil.* 68. *num.* 20. *lib.* 3. quibus non obſtabat defectus recognitionis, quia ſtante lapſu tot annorum, quælibet leuis recognitio * ſufficiebat. Verallus *dec.* 5. *parte* 3. quæ in hoc caſu ex multis adminiculis ſatis adeſſe videbatur.

* Cocc. dec. 450. n. 1. & vide ſuprà dec. 202. n. 2.

* Caual. dec. 518. n. 3. & 4.

Poſtremò inſtrumentum præſentationis ann. 1531. rogatum per Franciſcum Mariam de Valpis, & exemplatum de anno 1587. per Ioannem Andream de Olgiate, Notarium generaliter deputatum per Conſules Iuſtitiæ Comi, & Abbates Collegij Notariorum ciuitatis Comenſis ann. 1566. ad authenticandas Notulas inſtrumentorum, per dictum Franciſcum rogatorum, authenticum etiam fuit putatum, Rota *deciſ.* 1. *num.* 4. *de fide inſtrument. in nouis*, & fuit dictum in illa Nouarien. * bonorum coram me, die 2. Martij ann. 1592. 6.

* ſuprà dec. 202. n. 3.

## *Nouarien. bonorum.*

### Die Veneris 27. Nouembris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Emphyteoſi data de bonis in territorio eodem exiſtentibus, comprehendit omne territorium, & num.* 4.

3 *Bonorum identitas probatur quoad emphyteoſim, ſi vnica demonſtratione probari poteſt.*

5 *Identitas bonorum, quoad emphyteoſim probatur, ſi vnica demonſtratione fiat.*

### DECISIO CCLXIII.

QVidam Procurator Abbatis S. Laurentij extra muros ciuitatis Nouarien. ante ann. 1536. locauerat Ioanni Mariæ Clapæ bona Abbatiæ exiſtentia in territorio Serdobiatæ, pro annuo affectu quinquaginta librarum imperialium anno 1538. Idem Ioannes eadem bona retenta ſibi vna poſſeſſione, ad rationem minarum quatuor pro quolibet modio, pro meditate ſigalis, & frumenti ſublocauit ad tres annos, cum aſſertione, quòd bona dictæ Abbatiæ exiſtentia in territorio Terdobiatæ, excepta poſſeſſione retenta, erant modiorum ſeptuaginta, quæ ſublocatio ann. 1539. fuit ad tres alios annos ſubrogata, quo tempore Ioannes Maria, ad octo alios annos, ab eodem Procuratore pro quadraginta libris, tantùm bona præfata ſibi relocari obtinuit, quorum præterea conceſſionem in emphyteoſim ad tertiam generationem ann. 1542. pro 30. libris tantùm annuis, ab illomet Procuratore impetrauit, & cùm ann. 1588. Rota cenſuiſſet, conceſſiones fuiſſe Eccleſiæ damnoſas, & pro parte iſtorum de Clapis prætenderetur, non fuiſſe eadem bona; propterea dubitaui, an de bonorum identitate conſtaret? & Domini conſtare cenſuerunt, tum, quia primæ conceſſiones ſimplices loquebantur de bonis Abbatiæ, exiſtentibus in territorio Terdobiatæ, non de parte illorum, & ſic de eiſdem bonis, iuxta notata per Nattam *conſil.* 2. *part.* 5. *num.* 13. *& ſequent. verſ. & aduertendum eſt lib.* 2. tum præterea, quoniam conceſſio in emphyteoſim * bona in eodem territorio exiſtentia videbatur comprehendere, ſub illis verbis: *dictus autem Procurator, nomine quo ſuprà dixit, quòd ipſa Abbatia tenet & poſſidet in terra, & territorio Terdobiatæ*, &c. nam cùm inſtrumenta conceſſionum in hoc concordarent, inde cenſebatur probata identitas bonorum, quæ vnica etiam certa demonſtratione, (qualis hîc reperiri videbatur,) probari poteſt. Bartolus *in l. demonſtratio falſa, num.* 16. *ff. de conditio. & demonſtrat.* Natta *conſil.* 235. *num.* 13. *lib.* 2. Siluanus, *conſ.* 57. incip. *In cauſa num.* 13. *verſ. ſecundo loco principaliter.*

1.

2.

* Rota rec. p. 2. dec. 407. n. 3.

3. His accedebat alia ſatis veriſimilis coniectura, quia cùm bona ab anno 1542. in emphyteoſim conceſſa, priùs poſſiderentur titulo ſimplicis locationis per eundem Ioann. Mariam de Clapis, vt conſtabat ex inſtrumento locationis anni 1539. ad octo annos, iuncto præfato inſtrumento emphyteoſis de ann. 1542. & ſic per quinque annos, antequam anterior locatio ſimplex finita fuiſſet, ſatis videbatur veriſimile, eadem bona titulo ſimplicis locationis priùs poſſeſſa in emphyteoſim, deinde data fuiſſe, præſertim cùm & eiuſdem Abbatiæ fuiſſe enunciarentur, & in eodem territorio Terdobiatæ exiſtere.

Neque obſtabat difficultas orta ex diuerſitate quantitatis, ex quo in vltima locatione non aderant illa verba, *omnia & ſingula bona*, ſicut in primis locationibus, quaſi in vltima locatione non fuerint comprehenſa omnia bona, quæ in primis continebantur: nam cùm in locatione iſtorum bonorum facta ann. 1538. Ioannes Maria fateretur omnia, & ſingula bona Abbatiæ in territorio Terdobiatæ exiſtētia, fuiſſe 70. modiorum terræ, & inſuper quandam poſſeſſionem, ſeu petiam terræ, quam pro ſe retinebat, & in vltima locatione ſpecificaretur quantitas ſingularum terrarum, aſcenden. ad modios 92. conſequens videbatur, illam petiam retentam fuiſſe modiorum 22. cum qua conſurgeret præfata ſumma 92. modiorum; cùm itaque hîc adeſſet identitas loci, * ſeu territorij, & in vltima conceſſione ad emphyteoſim, contrahentes referentes ad primam locationem, illam extinguerent, &
4. annullarent, tum ex tunc ex ſupradictis coniecturis † viſum fuit Dominis, ſatis conſtare de identitate terrarum, * Siluan. *dicto conſ.* 57. *n.* 13. Natta *conſ.* 235. Afflictus *deciſ.* 23.

* Seraphin. dec. 462. n. 3. & 4.

† identitas coniecturis probari poteſt. Ludouiſ. dec. 572. n. 6. & 575. n. 7. Caual. deciſ. 146. n. 2. Seraphin. in d. dec. 462. n. 8.

* vide infrà deciſ. 516. & Coccin dec. 218. n. 3.

## *Foroliuien. penſionis.*

### Mercurij 2. Decembris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Infans eſt incapax penſionis.*

3 *Illegitimus eſt incapax penſionis.*

4 *Diſpenſatio ad Clericatum fortior eſt, quàm ad penſionem.*

5 *Diſpenſatio data à Principe, intelligente non potuiſſe eam dare, niſi iure extraordinario, intelligitur diſpenſaſſe in eo.*

6.7 *Gratia corruit, ſi non exprimatur Clericatus.*

8 *Beneficia non conceduntur non Clericis.*

9 *Gratia dicitur nulla, ſi verum non ſit narratum.*

10.11 *Verba de futuro non poſſunt verificari in actu præterito.*

12 *Conditio habens tractum ſucceſſiuum, non debet conſiderari, an fuerit de præterito.*

13 *Characterem nemo bis poteſt ſuſcipere.*

14 *Conditio impoſſibilis, habita pro poſſibili, vitiat diſpoſitionem.*

15 *Gratia quæ ſi expreſſa qualitate, meliùs concederetur non dicitur nulla, ob non expreſſionem.*

### DECISIO CCLXIV.

PEnſio fuerat reſeruata Camillo Alcotto, ſcholari in ſexto ſuæ ætatis anno conſtituto, 1.
cum clauſula, poſtquam clericali charactere ritè foret inſignitus, & Camillus, ante reſeruationem dictæ penſionis, fuerat ex diſpenſatione effectus Clericus, & cùm dubitaſſem, an penſio ſuſtineretur, Domini ſuſtineri pronunciarunt: nam cùm infans propterea ſit penſionis Eccleſiaſticæ in- 2.
capax, * quia non poteſt eſſe Clericus, vt fuit deciſum in vna Veneten. penſionis coram D. Oriolen. 10. Decembr. 1572. & 10. Aprilis 1575. & coram D. Gyptio in vna Catanien. penſionis 4. Maij ann. 1583. ſicut illegitimum ob eandem cauſam penſionis incapacem Rota iudicauit, vt teſtatur Sarnenſis *in regula de annali*, q. 21. & D. Cardinalis Paleothus *in libro de nothis, & ſpurijs, c.* 58. & hîc conſtaret de Clericatu valido, non fuit neceſſarium, quòd Camillus efficeretur ſeptennio maior, ad penſionem obtinendam, cùm per Clericatum ſibi ritè collatum ſublatum eſ- 3.
ſet incapacitatis impedimentum. * Vnde ſuperuacaneum videbatur inquirere, an per illa diſpenſationis verba, Papa intellexerit de Clericatu obtinendo, de iure extraordinario, & per diſpenſationem, vel potiùs tantùm de iure ordinario, poſtquam infantilis ætatis impedimentum, ob Clericatum ritè ſuſceptum remoueretur, minus enim fuerat diſpenſari ad penſionem, 4.
quàm ad Clericatum, † quod eſt longè maius. Calderinus *conſil.* 1. *n.* 1. *tit. qui filij ſint legit.*

* de hoc art. vide Rotam rec. p. 2. dec. 549. & habetur inter impreſſas penes March. de commiſſ. p. 2. pag. 528.

* adde Durã. dec. 117. per totam. Cocc. dec. 31. n. 8. Seraph. dec. 1264. n. 2. & vide infrà dec. 569.

† adde Rotã rec. p. 2. dec. 549. n. 2. & vide infrà deciſ. 569. & Loterium de re benef. lib. 1. q. 40. num. 146. vbi ad propoſitum allegat præſentem dec.

Quæ in contrarium adducebantur, vnico verbo diluebantur per Dominos, dicentes, ea procedere, quando Princeps ex narratis non poterat intelligere, illum de quo agebatur eſſe inhabilem, nec in eo potuiſſe adimpleri illas conditiones, niſi iure extraordinario, ſed quando Princeps ex narratis intelligit illum eſſe inhabilem, tunc Princeps nedum intelligit de iure extraordinario, ſed ſtatim etiam cenſet diſpen- 5.
ſaſſe, * & habitaſſe, Imola *in l. quidam conſulebat.* vbi Alexander *num.* 7. *ff. de re iudicat.* Geminianus *in cap. ſi eo tempore, num.* 5. *de reſcript. lib.* 6. Gabriel *de præſumpt. concluſ.* 8. *num.* 1. & 2. Felinus *in cap poſtulaſti, ante num.* 10. *verſ. limita tertiò, de reſcript.* non obſtabat deciſio Guidoboni 139. nam in eo caſu non fuerat facta mentio infantilis ætatis, & ideo Papa non cenſebatur cum illo diſpenſaſſe.

* adde Seraphin. deciſ. 625. n. 8.

Quòd Clericatus Camillo non ſuffragaretur, 6.
quo in reſeruatione non fuerat expreſſus, ſed ſuppreſſus, dicendo ſolùm, quòd eſſet ſcholaris, cùm Clericatus ſaltem de ſtylo exprimi debuiſſet, aliàs gratia corruit. Imola *in cap. cùm adeò, num.* 1. *circa principium, de ſcript.* vbi Abbas *num.* 2. Decius *num.* 3. propterea non vrgebat in contrarium; quia hoc tantùm Doctores illi, & alij,

(ſi qui erant,) ita loquentes, ſentiebant de ſtylo Curiæ non ſolere expediri litteras pro Clericis, niſi mentionem facerent de Clericatu, cùm
8. non Clericis beneficia non conferantur, at non dicunt gratiam eſſe nullam, ſi de Clericatu non fiat mentio, niſi tacens Clericatum obtineret aliquod beneficium, tunc enim gratia redderetur nulla, ob non expreſſum Clericatum, & ita declarant Canoniſtæ *in dicto cap. cùm adeò*, vbi Antonius de Butrio *num. 9. verſ. quod credo, quando aliàs eſt beneficiatus.* Ioannes de Anania *n. 4. verſ. dicit hic tamen,* & Imola *num. 1. verſ. quod credit Dominus Antonius,* qui non dicit contrarium
9. *num. 3.* cùm loquatur in caſu diuerſo, quando quis narrauit ſe eſſe ſcholarem, & poſtea apparuit narraſſe falſum, ex quo non erat ſcholaris: nam licèt fuiſſet Clericus, gratia fuerat nulla, quia fuerat falſum narratum, quod hîc Camillus non fecerat, qui licèt tacuerit Clericatum, verumtamen narrauerat, dicendo ſe ſcholarem.

10. Ad aliam difficultatem, quòd cùm Papa conceſſerit gratiam ſub conditione de futuro, non poſſit Camillo ſuffragari, propter qualitatem priùs purificatam, quaſi deficiat conditio, & forma; quia verba de futuro non poſſunt verificari in actu præterito, * Francus *in cap. non poteſt. §. illud, n. 4. verſ. ſecundò limita, de præbend. lib. 6.* Oldradus *conſ. 110. n. 1.* Afflictus *dec. 355. n. 7.* quidam ex Dominis reſpondebant, talem gratiam non eſſe conditionalem, ſed puram, dilatam tamen in tempus, vt aliàs Rota dixerat coram bon. mem.
11. D. Bubalo *in vna Salamantina penſionis*; alij verò Domini dicebant iura, & doctrinas ad hoc probandum adducta procedere, quando diſponens non conſiderauit certum aliquem effectum, ſecus autem eſſe, quando conſiderauit certum, & præfinitum finem, vt in caſu propoſito, in quo Papa conſiderauit, quòd Camillus eſſet Clericus ad effectum obtinendi penſionem: nam tunc ille ſolus finis, & effectus attenditur, non conſiderato, qualiter fuerit eum quis aſſecutus, Bart. *in l. 1.*
12. *n. 5. ff. de condit. inſt.* præſertim, cùm ſufficiat qualitatem adeſſe, & durare, & habere tractum ſucceſſiuum, non habita conſideratione, an fuerit de præterito, Zabarella *in c. perpendimus, num. 7. verſ. ſed redeundo ad contrarium, de ſent. excom.* Felinus *in cap. examinata, num. 7. verſ. quam legem declara, de iudicijs.*

* Ludouiſ. dec. 338. n. 5. & 371. n. 1.

13. Atque ex his etiam tollebatur illa difficultas, quòd conditio Clericatus ſuſcipiẽdi, de iure eſſet impoſſibilis, cùm iam foret ſuſceptus, cùm nemo bis poſſit ſuſcipere characterem, *cap. Presbyteri. §. quid ergo, 68. diſt.* nam ex quo certus finis, & effectus propoſitus fuerat conſequendus, non habito reſpectu ad conditionem, an foret poſſibilis, vel impoſſibilis, ſatis fuit, qualitatem affuiſſe, quæ tolleret impedimentum obſiſtens, ne quis finem illum, & effectum conſequi poſſet.

Neque propoſito themati applicabatur diſpoſitio textus *in l. ſeruo manumiſſo. ff. de condict. indeb.* cum ſimilibus, quibus cautum extat, condi-
14. tionem impoſſibilem, habitam pro poſſibili, vitiare diſpoſitionem; quia inibi teſtator non ſolùm conſiderauit manumiſſionem, ſed etiam, quòd fieret ex teſtamento, quæ propterea & fieri poterat, & non fieri: vnde, cùm ille ſeruus per ſententiam deinde pronunciatus fuiſſet ingenuus, meritò diſpoſitio euanuit, vt declarat Socinus *in l. multa, in fine. ff. de condit. & demonſtrat.* & in hoc caſu Papa ſolùm conſiderauit Clericatum, propter penſionem, qui cùm iam adeſſet in perſona Camilli, ſi fuiſſet expreſſus, * multo magis eam conceſſiſſet, & conſequenter non poterat dici nulla, Rota *dec. 73. de reſcript. in antiq.* Felinus *in cap. ſuper literis, n. 2. de reſcript.*

15. * Durand. dec. 434. n. 5.

## Burgen. Abbatiæ de Sobarzo.

## Die Veneris 4. Decembris 1592.

### SVMMARIVM.

2 *Dictio tantùm, vel ſolummodo, eſt taxatiua.*
3 *Negatiua probari poſſunt per publicam vocem, & famam.*
4 *Negatiua ſufficienter probari poteſt per illos, per quos affirmatiua ex conſuetudine, vel communiter contingentibus, probari conſueuit.*
5 *Probatio conſuetudinis interpretatiuæ fit, ſi probetur, aliquando fuiſſe ita ſeruatum.*
6 *Conſuetudo probatur per binos actus.*
7 *Conſuetudo interpretatiua probatur, ſolo tacito conſenſu vtentium.*
8 *Conſuetudo interpretatiua definitur, vt ſit obſeruantia quædam, ex ſimplici vſu, & nudo quodam facto collecta.*
9 *Compatronis præſeruatur ius per alios patronos.*

## DECISIO CCLXV.

Die 16. Iunij 1589. * vtraque parte informante, propter difficultates tunc per dominos excitatas, fuit ordinatum, quòd videretur, quis modus fuiſſet obſeruatus, occurrente vacatione iſtius Abbatiæ in aliis præſentationibus, ad effectum, vt ex obſeruantia poſſet ſtabiliri, an in ſtirpes, vel in capita Patronorum ſuffragia forent computanda; datóque ita deſuper dubio, & Procuratori Petri Velez ſæpe citato, eo tamen non informante, Domini in hac poſitione cenſuerunt pro parte Lucæ de S. Petro, hanc obſeruantiam legitimè probari, vt occurrente vacatione iſtius Abbatiæ, præſentarent tantùm viri vxorati, non autem mulieres, nec pueri, nec ſpurij, ſeu baſtardi: nam quatuor teſtes, Ioannes de Luſa, Ioann. de Souolante, Foribius Sayz, & Petrus Sanctius de Quintanilla, quorum ſummarium datum fuit, & multi præterea alij, ob euitandum prolixitatis tædium omiſſi, conformiter teſtificabantur, nec mulieres, nec pueros, nec ſpurios, ſiue baſtardos, ſed viros tantùm vxoratos præſentaſſe, qui cùm deponerent, per dictionem, *tantùm*, ſiue *ſolummodo*, ſatis dicebantur loqui taxatiuè, * & negatiuam concludenter probaſſe, quamuis non adderent, quòd aliter fieri non potuiſſet, quin ipſi ſciuiſſent, vel vidiſſent, cùm enim aſſererent, ſe vidiſſe præſentationem Ferdinandi de Obregon, qui per 40. annos præfuit iſti Abbatiæ, per cuius obitum contigerat vltima vacatio, de qua agebatur, ac referret certum factum, quod tunc ipſi viderant, videlicet congregatos fuiſſe, pro nominatione, ſeu præſentatione facienda ſolos vxoratos, & non alios, perinde erat, ac ſi dixiſſent, non potuiſſe aliter fieri quin ipſi vidiſſent, & ſciuiſſent, † & propterea concludenter probabant negatiuam, vt poſt Baldum, Aretinum, Felinum, & alios *in cap. tertio loco,*

1. * ſuprà dec. 32.

2. * dictio enim hæc eſt taxatiua, vt per Rotã rec. p. 2. dec. 600. n. 7. & 740. n. 4. & alibi ſæpiùs.

3. † & negatiua non probatur ſi teſtes non ita deponãt; vt per Ludouiſ. dec. 42. num. 5. & 510. n. 1. & ſæpe aliàs.



*loco, de probationib.* Pariſium *conſ. 162. n. 14. lib. 4.* tradit Herculanus *tract. de negatiua proban. n. 320. verſ. planè aduertendum eſt,* præſertim cùm adderent, id fuiſſe publicum, & notorium, & publicam vocem, & famam, nam per publicam etiam vocem, & famam, negatiua * probari poteſt. Alexand. *conſil. 66. num. 9. lib. 3. & conſil. 54. num. 2. lib. 1.* Decius *conſil. 652. num. 2.* & Herculanus *d. tract. de negatiua proban. num. 309. verſ. quinquageſimus ſecundus modus eſt.*

* hoc intellige ſi aliter probari non poteſt, vt per Ludou. deciſ. 325. n. 15.

Quibus accedebat teſtium qualitas, nam cùm eſſent ætate grandæui, & incolæ oppidi de Sobarzo, qui plenam notitiam de ea re habere poterunt, vt eos habuiſſe certum erat, ex quo nonnulli vltimæ præſentationi factæ de perſona Ferdinandi de Obregon ante 40. ann. interfuerunt, per eos probata quoque videbatur negati-
4. ua, cùm ſufficienter per illos teſtes probari poſſit, per quos affirmatiua ex conſuetudine, vel communiter contingentibus, probari conſueuit, Barthol. *conſil. 81. num. 2.* Aretinus *in dicto cap. tertiò loco num. 9.* vbi Felinus *num. 5.* & Decius *num. 44.* Herculanus *d. tract. num. 248. verſ. vigeſimus quintus modus.*

5. Et cùm tractaretur de probanda conſuetudine interpretatiua, in qua non requiritur probatio alicuius continuatæ ſucceſſionis, vel aliqua præſcriptio, ſed ſufficit aliquando ita fuiſſe ſeruatum, teſtes deponentes de actu de quo deponere poterant, ſatis ſufficienter dicebantur illam probare, Antonius de Butrio *in cap. fin. num. 47.* vbi Rochus de Curte *num. 249. de conſuetud.* Aymo *conſil. 118. num. 2. & conſil. 101. num. 4.* & tenuit Rota in vna Valentina beneficij die 6. Octobris 1576. coram Domino Roboſterio.

Nec ideo minus legitimè probaſſe conſuetudinem videbantur, quòd non dixerint ita obtentum fuiſſe in contradictorio iudicio; nam omiſ-
6. ſa illa quæſtione, an neceſſarium ſit, ad probandam conſuetudinem, vt per binos actus ita fuerit iudicatum, licèt enim is ſit vnus modus probandi, non facit, quin aliis quoque modis probari poſſit, ſecundùm veriorem, & communem opinionem. Decianus *conſil. 51. incip. Reuocatur in dubium, num. 111. & 112. lib. 2.* omiſſa, in-
7. quam, illa quæſtione, Domini dixerunt, ad probandam conſuetudinem interpretatiuam, non requiri ſententiam, neque contradictorium iudicium, neque aliquam ſcripturam, ſed ſolo tacito conſenſu vtentium induci, Corn. *conſil. 293. lib. 1.* Baldus *conſil. 210. num. 1. lib. 1.* Aymo *conſil. 55. num. 6.* Decianus, qui latè explicat *d. conſ. 51.*
8. *num. 55. verſ. tertia eſt ſpecies conſuetudinis.* nam conſuetudo interpretatiua, obſeruantia quædam eſt, ex ſimplici vſu, & nudo quodam facto collecta, quæ eo nomine in propoſito themate negari non poterat, quia Ferdinandus ille de Obregon, per ſolos vxoratos (vt prolatum fuit,) præſentatos, pacificè poſſedit iſtam Abbatiam, ſpatio 40. annorum.

Neque obſtat, quòd per præſentationes factas à viris vxoratis, videretur præſeruatum ius aliis compatronis, vt videbatur indicare Ioannes de Luſa teſtis inductus, quia id procedit, quando apparet alios eſſe compatronos, & tanquam tales poſſe præſentare: aut eſſe in quaſi poſſeſſione præſentandi, tunc enim, per vnius, vel alterius præſentationem tantum abeſt, vt cæteris præiudicetur, quinimo illorum ius præſeruatur, ſed in propoſita facti ſpecie, non conſtabat, alios præter vxoratos de familiis, in aliis deciſionibus * declaratis, habuiſſe ius præſentandi. Ideoque per vxoratos tantùm præſentantes, non poterat dici ius illis præſeruatum. Calderinus *conſil. 15. de iure patronat.* Abbas *conſil. 54. n. 3. verſ. nam vbicumque lib. 1.* Puteus *dec. 298. n. 3. lib. 1. & deciſ. 27. de iure patron.* Imò cùm teſtes deponerent per dictiones taxatiuas, *tantùm*, & *ſolummodo*, indubitanter excludebat mulieres, pueros, & baſtardos.

* ſuprà dec. 4. & 12. & 69. & 119. & 206.

Nomine autem cæterorum præſentare, vt ille teſtis dicebat, iuxta vulgarem loquendi modum, eundem negatiuum ſenſum referebat, id eſt, ſolos iſtos vxoratos admitti, & præſentari, cæteros vetante antiqua conſuetudine, non ſe intromittere, quaſi ad illos minimè id negotium ſpectaret.

Poſtremò, non poterat videri probatus ſolùm vnus actus, ex quo teſtes addebant, ſe à ſuis audiuiſſe maioribus, ita obſeruatum fuiſſe, nec vidiſſe, vel audiuiſſe aliter vnquam fuiſſe factum, atque ita eſſe publicum, & notorium, quia ex iſta aſſertione implicabantur omnes actus præſentationum præcedentium fuiſſe ſimiles ei, per quam fuit præſentatus Ferdinandus de Obregon, excluſis fœminis, pueris, & baſtardis, per ſolos viros vxoratos.

## Nucerina bonorum.

## Die Veneris 4. Decembris 1592.

### SVMMARIVM.

3 *Inſtrumentum approbatum apertè, facit fidem contra ſe.*
4 *Fides, ſeu exemplar inſtrumenti, non facit fidem regulariter.*

## DECISIO CCLXVI.

Qvoniam in deciſione in iſta cauſa facta die 17. Octobr. 1586. concluſum fuerat, locum eſſe deuolutioni bonorum, de quibus agebatur, ad fauorem monaſterij S. Mariæ de Sitria Nucerinæ diœceſis, cum præſuppoſito, quòd inſtrumenta tranſactionis initæ an. 1526. inter D. Cardinalem Paulum de Ceſſis, tunc Commendatarium, & D. Hieronymum Odaſium tunc inueſtitum, & ratificationis ſubſecutæ, eſſent in forma probante, de quo nunquam fuerat actum, nunc inſtantibus agentibus D. Cardinalis Ruſticucij, moderni Commendatarij, decreto proceſſu per audientiam contradictarum, dubitaui an dicta iura eſſent in forma probanti, & fidem facerent, & cùm ſæpe propoſuiſſem dubium, nempè die 6. & 20. Nouembr. & non potuiſſet capi reſolutio, propter multas difficultates per Dominos excitatas, denique die 4. Decembr. affirmatiuè reſoluerunt, ex coniecturis, * & adminiculis ſequentibus, nam inſtrumentum dictæ ratificationis productum in Regeſto, erat exemplatum à publico Notario, atteſtante, ſe illud reperiſſe in protocollis quondam Federici Pauli, Notarij publici Vrbinaten. de illo rogati, & extraxiſſe de licentia, & auctoritate ſibi conceſſa à ciuitate Vrbinaten. † ad inſtantiam Comitis Cæſaris Odaſij,

1.

* Rota ſæpe ſolet adhibere fidẽ, ſcripturis minus legitimè extractis, propter veriſimilitudinẽ, & coniecturas, vt per Seraphin. dec. 856. n. 6. Rotam recen. p. 2. dec. 139. num. 6.

2. † vide ſuprà deciſ. 262. & Lud. deciſ. 3. num. 1.

Odaſij, filij præfati quondam Hieronymi, iurantis, ſe in illo habere intereſſe, quod exemplum habebat legalitatem, tam Notarij exemplantis, quàm defuncti. *

* quod adeò verum eſt, vt etiam ſi non adeſſet ſignũ defuncti fidem faceret, vt per Seraphin. deciſ. 902. n. 5. & 909. n. 3. & 6. † inſtrumentum bene compulſatũ in vna cauſa, probat in alia, vt per Coccin. dec. 128. n. 1. & ideo hic probabat, quod ſeruat ſtylus Rotæ, & ita declarauit in recen. part. 2. dec. 18. n. 7.

Idem ratificationis inſtrumentum erat in quodam proceſſu compulſoriali † extractum vigore compulſorialium Rotalium, ad inſtantiam D. Cardinalis Vaſtauilani, tunc Commendatarij, & iudex compulſor teſtificabatur, Valerium nepotem ex filio prædicti Federici Notarij rogati monitum, exhibuiſſe quendam librum, ſiue filzam inſtrumentorum extenſorum, chartarum 400. in quo reperiebatur præfatum inſtrumentum, ſubſcriptum nomine Federici de ann. 1526. & ſimiliter quædam alia inſtrumenta in membranis deſcripta, & publicata per eundem Federicum, cum ſimili ſubſcriptione, & ſigno.

Et licèt teſtes propter temporis antiquitatem, non potuerint recognoſcere manum illius Federici, ex quo depoſuerunt, illud habere faciem publici inſtrumenti, & dixerunt, ſubſcriptionem, & ſignum eſſe ſimilia aliis inſtrumentis, quæ per Federicum rogata credebantur, aliqualem coniecturam faciebant.

Sed illa videbatur ſatis vrgens, quia illud quod erat in Regeſto, dicebatur factum ad inſtantiam Cæſaris, filij quondam Hieronymi iurantis, ſe habere intereſſe in illo, cùm Cæſar poſt obitum Hieronymi iunioris, eius patris, ſucceſſerit in bonis (de quibus erat controuerſia,) nam

3. facto ſuo ſic videbatur illud inſtrumentum ratificationis approbaſſe, * vt fidem faceret contra ipſum. † Bellamera *deciſ.* 442. *&* 446.

*adde Caualer. dec. 641. num. 10. † ſcriptura enim priuata probat contra ſcribentem, & hæredem, etiamſi careat teſtibus, vt per Ludou. dec. 328. n. 1. & 2.

Cæterùm, quia in prioribus poſitionibus, aliquibus ex Dominis primis reſponſalibus, iſta non videbantur ſuffi cientia, fuit pro parte eiuſdem D. Cardinalis Ruſticucij, productum quoddam publicum, & authenticum inſtrumentum, ſubſignatum, & ſubſcriptum manu propria Notarij de illo rogati, cum ſua legalitate, in quo continebatur, qualiter idem inueſtitus de iſtis bonis, ad verificandam inueſtituram, ceſſiſſe in euidentem vtilitatem Monaſterij, produxerat teſtes, deſignantes eadem bona, quæ reperiebantur deſcripta, in ipſa inueſtitura: vnde cùm * teſtes referrent bona, & pacta, & qualitates inueſtituræ, quæ habebantur in dicto inſtrumento ratificationis, (de cuius fide agebatur) concluſerunt, videri ſufficienter adminiculatum; quia licèt regulariter fides, ſeu exemplum inſtrumenti non faciat fidem, tamen quando aliunde conſtat † vera eſſe in eo contenta, & effectum habuiſſe, tunc & fidem facit, & probat Cinus inter conſilia Baldi *conſ.* 400. *n.* 5. *lib.* 4. Aymo *conſil.* 65. *num.* 11. *& conſil.* 101. *num.* 4. Et fuit reſolutum in illa Sabinen. caſtrorum ann. 1587. coram bon. mem. D. Marcello de Bubalis.

* ſcriptura enim priuata licèt alias non probet, ſi tamen adſint teſtes, bene probat. Caual. dec. 114. n. 4. & 142. n. 4. & habetur in recen. p. 1. dec. 310. n. 3. Rota diuer. p. 1. deciſ. 1813.

4.

† & non ſolùm vera, ſed veriſimilia. Ludou. dec. 273. num. 7. & 12.

## *Compoſtellana Parochialis de Bayon.*

### Die Mercurij 9. Decembris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio capta appellatione pendente, non eſt manutenibilis, & num.* 10.

3.4 *Attentata eſt poſſeſſio capta, appellatione pendente, etiam accedente auctoritate Ordinarij inſtrumentis.*

5 *Poſſeſſio capta infra terminum ad appellandum, eſt attentata, licèt tunc non ſint interpoſitæ.*

6 *Appellatio admittitur à mala electione, & grauamine.*

7 *Appellatio ob inualiditatem præſentationis, ex defectu poteſtatis præſentantium, non ſuſpendit, nec retardat poſſeſſionem.*

8 *Appellatio iudicialis ſuſpendit, ſed non extraiudicialis.*

1.

* adde Duran. dec. 414. & 437. n. 1. 3. & 160. Mantic. dec. 33. num. 1. & Cocc. deciſ. 265. n. 1. & 407. n. 3. & deciſ. 1087. num. 2.

## DECISIO CCLXVII.

2.

3.

DVbitaui, an mandatum de manutenendo, aliàs Alphonſo Laſſo conceſſum, eſſet reuocandum, vel confirmandum, licèt cauſa ſæpè propoſita, propter multas obſcuritates inſertas per informantes, non potuerit capi reſolutio, in iſta poſitione, fuit concluſum, mandatum fuiſſe reuocandum, & poſſeſſionem ſequeſtrandam: nam cùm poſſeſſio Alphonſi eſſet capta appellatione * pendente, non erat manutenibilis, *cap. non ſolùm, de appellat. lib.* 6. cum *ibi* notatis, quod procedit, quamuis eſſet capta auctoritate Ordinarij inſtituentis, ad latè tradita per modernos *de attentatis part.* 2. *cap.* 4. *num.* 627.

† & hæc conſuetudo ſeruatur in hoc Tribunali Eccleſiaſtico Cæſarauguſtan. & eſt praxis incõcuſſa, vt non obſtante appellatione interpoſita à ſentẽtia Ordinarij, capiatur poſſeſſio, & ſic pluries practicaui in vim conſuetudinis.

Nec refragabatur deciſio 19. Antonij Auguſtini *lib.* 1. nam eo caſu conſtabat de conſuetudine † exequendi ſententias, quæ in caſu propoſito, ex deductis pro parte Alphonſi, non videbatur Dominis probata, qua ceſſante, licèt ordinarius procedat iudicialiter, pendente tamen * appellatione, abſque vitio attentatorum, non poteſt capi poſſeſſio. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. vt lite pendente, num.* 12. quod habet etiam locum, licèt ordinarius non ſit in lite, ſed tantùm ea controuerteretur inter præſentatos à diuerſis patronis, vt per eundem modernum, Lancellotum *de attentatis part.* 2. *cap.* 4. *num.* 618. *& ſeqq.* & quamuis etiam poſſeſſio foret vacans, Puteus *deciſ.* 35. incip. *Proceſſus, tit. de iudic.* ſatis enim eſt, ad cauſandum attentata, ſi poſſeſſio capiatur infra terminum ad appellandum, † licèt nulla adhuc appellatio ſit interpoſita, vt fuit deciſum coram me in vna Nolan. Capellaniæ die 3. Martij 1589. *

4.

* quod extende etiam in executore, vt per Ludou. dec. 513.

5.

† de hoc art. vide ſuprà dec. 99. n. 2. & quæ ibi addidi, & infrà dec. 1075. num. 2.

* ſuprà dec. 10. n. 6.

6.

7.

Nec obſtabat, quòd in propoſita facti ſpecie non erat appellatum à mala electione, & grauamine, quo caſu à Concilio Tridentino & conſtitutione † Pij V. admittitur appellatio, ſed erat appellatum ab inualiditate præſentationis ex defectu poteſtatis Gregorij, vnius ex præſentantibus, vnde appellatio non poterat ſuſpendere, nec retardare poſſeſſionem. * Decius *in cap. conſtitutis el* 2. *num.* 12. *de appellatio.* Lambertinus *de iure patronatus, lib.* 2. *part.* 2. *art.* 5. *quæſt.* 11. *principali num.* 2. quia, licèt in facto id potuiſſet admitti, adhuc quidam ex Dominis referebat, in eiſdem terminis fuiſſe contrarium in Rota deciſum die 10. Iunij 1575. in vna Zamoren. beneficij coram Catta, vbi fuerat facta diſtinctio inter appellationem † iudicialem, quæ ſuſpendit, & extraiudicialem, quæ non operatur ſuſpenſionem; in quibus terminis procedunt ſupradictæ doctrinæ: vnde cùm hîc adeſſet iudicialis appellatio, proceſſum ſuſpendens, poſſeſſio fuit attentata. Guidobonus *deciſ.* 104. & fuit reſolutum in

† habetur hæc conſtitutio in Bulla. Cherubini in conſt. Pij V. tom. 2. conſt. 33. §. 7. fol. 220. & vide Ludou. deciſ. 615. & annotat.

* adde dictam conſtitut. 33. Pij V. §. hæc tamen appellatio, & Ludou. deciſ. 538. n. 5. & 6.

8.

9.

† de hoc art. vide latè annotationem ad Lud. in d. deciſ. 251. n. 14. vbi alias allegat.



in vna Calaguritana beneficij die 7. Maij 1574. coram D. Blanchetto, & ideo non potuit eſſe manutenibilis; * ſed ſequeſtranda, & videndum de bono iure in negotio principali.

* adde Lud. dec. 549. n. 5.

## *Conchen. Archipreſbyteratus.*

### Die Veneris 11. Decembris 1592.

SVMMARIVM.

2 *Beneficij valor debet probari de tempore prouiſionis.*

3 *Beneficij valor debet probari in portatis, ſiue in redditibus, in loco vbi exiſtit.*

4 *Teſtis non percutiens particulariter tempus requiſitum, non probat.*

## DECISIO CCLXVIII.

1. PRopoſui dubium, an gratia *ſi neutri*, Petri de Amoraga, ſub dat. Calend. Octobr. proximi præteriti, eſſet iuſtificata, & intraret ad effectum, de quo agebatur.

Et quantum ad primam partem dubij concluſum fuit, non eſſe iuſtificatam, reſpectu valo-

2. ris in gratia expreſſi, quem non probabant teſtes examinati de anno 1588. quia valor * probari debet de tempore prouiſionis. Oldradus *conſ.* 58. *num.* 1. Caſſadorus *deciſ.* 19. *num.* 6. *in fine ſuper regulis*, Felinus *in cap. ad aures num.* 17. *de reſcript.*

* adde Lud. dec. 13. n. 1. vbi ad propoſitum præſens deciſio allegatur, Caual. deciſ. 383. num. 4. Coc. dec. 82. n. 3. Rotam recen. part. 2. dec. 169. n. 8.

Nec teſtes duo nouiſſimè examinati concludebant valorem, non primus, quia licèt deponeret de non exceſſu, ſubdebat tamen parum plus, vel minus, nec deponebat de auditu publico, ſed à quibuſdam compatriotis, demum, quia deponebant de valore, deductis cambiis, & expenſis

3. pro tranſmiſſione ad Curiam, quæ ſunt onera voluntaria, & valor debet probari, * in portatis, ſiue in redditibus in loco beneficij, in quo Archipreſbyter reſidere tenebatur, & non in Curia: non ſecundus, quia præterquam quòd videbatur ſe referre ad auditum de ann. 1582. erat vnicus.

* adde Rot. recen. part. 2. dec. 444. n. 5.

4. Confeſſio Palomaris non probabat valorem, quia non percutiebat tempus requiſitum. * Verallus *deciſ.* 330. *num.* 4. *part.* 3. Felinus *in cap. ad aures, num.* 4. *de reſcript.*

* ſcilicet tempus gratiæ & deductis oneribus, vt per Ludou. dec. 357. n. 4. & 419. n. 1. Rot. apud March. de commiſſ. p. 1. pag. 545. in oppiden. penſionis num. 3.

Quantum ad ſecundam partem dubij, quoniam informantes pro Hieronymo Vadillo in Hiſpania commorante, petebant dilationem, vt poſſent illum certiorare, & habere reſponſum, & Domini ſuper hoc non ſatis erant conformes, fuit ordinatum, quòd particulariter videretur, an dilatio foret concedenda.

## *Auerina ſucceſſionis.*

### Veneris 11. Decembris 1592.

SVMMARIVM.

*Scripturæ extractio ſi fiat virtute compulſorialium, & parte citata, eſt legitima.*

## DECISIO CCLXIX.

FVit dictum, compulſationem ſtatuti, ſiue ſcripturæ, de qua agebatur, fuiſſe legitimè factam, ex quo vigore compulſorialium Rotalium, & parte citata, fuerat facta extractio. An autem eſſet talis ſcriptura, cui fides foret adhibenda, Domini particulariter videre voluerunt.

## *Calaguritana Confidentiæ.*

### Die Lunæ 14. Decembris 1592.

SVMMARIVM.

1 *Confidentia vt probetur, debet probari, pactum præceſſiſſe.*

2 *Interpretatio ea debet capi, quæ delictum excludat.*

3 *Reſignationis actus gratuitus, & ſponte factus, non eſt ſimoniacus.*

4 *Beneficium accipiens, lege naturali eſt adſtrictus ad antidora.*

5 *Triennali poſſeſſione ſuffulti, non poſſunt redargui de confidentia.*

6 *Correſpondentia, & confidentia præſumitur ex celeritate mandatorum conceſſorum, ad reſignanda beneficia.*

7 *Scriptura, vel mandatum non dicitur correſpectiuum, ſi in eodem die non conceduntur.*

8 *Contrahentes, ſi diuertantur ad alios actus, non dicuntur duo primi actus facti per contrahentes, ſi diuertantur ad alios actus.*

9 *Reſignationes, & retroceſſiones cum reſeruatione regreſſus, per Bullas Pij IV. & V. propter mandata infra paucos dies data, non annullantur tanquam ſimoniacæ, ſed tanquam confidentiariæ.*

10 *Reſignationi mandata duo data, intra paucos dies, non inducunt ſuſpicionem confidentiæ, ex mente Rotæ.*

11.12 *Mandata duo data ad reſignandum eodem die, coram eodem Notario, & teſtibus, inducunt ſuſpicionem confidentiæ.*

13 *Procuratoris ex delicto, non poteſt dominus pœnam habere.*

14 *Confeſſio cadit ſupra materiam principalem eius, ſed non ſupra enuntiatum minus principaliter.*

15 *Teſtes, in depoſitione enuntiata non probant.*

16 *Depoſitio per verbum,* vt aſſeritur, *non probat.*

17 *Famæ nihil eſt tribuendum in cauſis maximi præiudicij.*

18 *Famam inducit, quod eſt auditum à perſonis honeſtis, & probis, non à malignis, & maleuolis.*

19 *Fama ſola, ſine indicijs, non probat.*

20 *Mandata correſpectiua ad reſignanda beneficia, inducunt ſuſpicionem confidentiæ, & ſimoniæ.*

21 *Confidentia, duplex eſt.*

22 *Conſtitutio Pij IV. & V. circa confidentias, ſolùm loquitur de confidentijs illicitis.*

## DECISIO CCLXX.

FRanciſcus Ximenez, * quondam Canonicus Calaguritanus, die prima Nouemb. an. 1561. Didacum 1.

*de hac cauſa ſuprà dec. 231. & 246.

Habetur hæc deciſio impreſſa apud Garciam de benef. vndecima parte cap.3.n.169. qui latè diſſerit de materia huius deciſ. & penes Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag.127.

Didacum Vaſquez, in Romana Curia reſiden-
tem, Procuratorem conſtituit ad conſentien-
dum coadiutoriæ ſui Canonicatus, cum futura
ſucceſſione, ad fauorem Iuſtini Santorij, filij
Ioannis Santorij, etiam Canonici Calaguritani,
& die 3. eiuſdem menſis, idem Ioannes eundem
Didacum Procuratorem fecit, ad conſentien-
dum coadiutoriæ ſui Canonicatus, cum futura
ſucceſſione ad fauorem Didaci Ximenez, filij
Franciſci Ximenez: quarum coadiutoriarum
ſupplicationes 3. Idus Decembr. eiuſdem anni
fel. record. Pius Papa IV. ſignauit, & Procura-
tor litteras Apoſtolicas expediuit, quarum vi-
gore Didacus die 17. Iulij, quo tempore Ioannes
obierat, & Iuſtinus die 23. eiuſdem menſis, &
ann. 1563. poſſeſſionem dictorum Canonica-
tuum apprehendentes, in eadem pacificè per 25.
annos, & ampliùs, vſque ad ann. 1589. perman-
ſerunt, quo anno, cùm quidam Andreas Marti-
nez coram iudice Confidentiarum in Romana
Curia Iuſtinum, & Dominicum accuſaſſet, &
ſententiam fauorabilem à prædicto iudice re-
portaſſet, & cum voto Rotæ, deinde procedere
iuſſus eſſet, dubitaui, an conſtaret de tali confi-
dentia, quæ præiudicaret Iuſtino, & Dominico.
Et Domini re maturè diſcuſſa pronuntiauerunt,
non conſtare de tali confidentia, ſiue ſimoniaca
pactione, quæ prædictis Iuſtino, & Dominico
præiudicaret. Rationes viuas, & expirantes, qui-
bus hæc ſententia roboraretur, has eſſe cenſue-
runt primam; quia nuſquam apparebat, Fran-
ciſcum primum reſignantem, dediſſe mandatum
ſub confidentia, vel præcedente pactione, vt
2. Ioannes poſtea ſimile mandatum daret, ad re-
3. ſignandum ſuum Canonicatum filio dicti Fran-
ciſci: vnde cùm fieri potuerit, vt Franciſcus pri-
mo loco ſponte, & nulla præcedente pactione,
confidentiaria, mandatum ad reſignandum de-
derit, & poſtea Ioannes idem quoque ſponte
præſtiterit, in dubio eam interpretationem acci-
pere oportuit, quæ delictum excluderet. *l. meritò.
ff. pro ſocio, cap. eſtote, de regul. iur.* S. Thomas 2.2.
*quæſt.* 60. *art.* 4. Bartol. *in l. non ſolùm. §. ſed vt pro-
bari, num.* 2. *verſ. dico quòd in delictis. ff. de noui ope-
ris nunt.* primus enim actus reſignationis, ſecluſa
pactione, non erat illicitus, neque ſecundus gra-
tuitus; & ſponte factus fuerat ſimoniacus. * Fe-
linus *in princ.* (& *ibi* communiter Canoniſtæ) *in
cap tua nos, de ſimon.* & cùm à gratitudinis fonte
manare potuerit, & qui accipit beneficium, lege
naturali obligatus ſit ad antidora, & ad haben-
dam, agendam, & opportuno tempore gratiam
referendam, *l. ſi non ſortem. §. libertus.* vbi gloſſ.
*in verb. natura. ff. de condict. indeb. l. ſed etſi. §. conſu-
luit ff. de petit. hæred. cap. cùm in officijs, de teſtament.*
4. S. Thomas 2.2. *quæſt.* 106. *art.* 3. Nauarrus *in con-
ſtitutione de datis, & promiſſ. notabili* 11. itaque pa-
ctione, modo, & conditione, deficiente, non po-
terat ob prædictos reſignationis actus ſimonia
iudicari.

* ad probandam confidentiam pactionũ procedere oportere latè fuit deductum in cauſa Vaſionen. Prioratus die 17. Martij ann. 1600. coram Domino Seraphino Rotæ Decano vbi allegantur multa deciſiones in impreſſis deciſ. 1359 Ludouiſ. deciſ. 283. n. 8. & ſequent.

† & confidentia non conſiſtit vt gratificetur tertius in impetratione, ſed in dimiſſione & diſpoſitione beneficij impetrati, vt per Ludouiſ. dec. 238. n. 3. & 4 quæ etiã habetur in recen. part. 1. dec. 108. n. 2.

Altera ratio fuit, quia cùm in propoſita facti
ſpecie ageretur de prætenſa confidentia com-
miſſa inter Franciſcum, & Ioannem, & ſic inter
tertios † iam defunctos, non autem de perpe-
trata inter Iuſtinum, & Didacum longo tempo-
re bonæ fidei poſſeſſores, licèt inter primos re-
ſignantes, ſimoniaca confidentia probaretur,
adhuc iſtis non præiudicaſſet, cum beneficio re-
gulæ de triennali tuti redderentur, Sarnenſis *in
dicta regula de triennali, quæſt.* 12. & fuit deciſum
in vna Hiſpalen. beneficij de Eçiſa die 16. No-
uembr. 1579. coram S.D.N. Clemente Octauo,
tunc Rotæ Auditore.

Nec prædictis refragabantur mandata infra 6.
modicum trium dierum interuallum, ad reſig-
nandum data, quaſi ex eorum vicinitate, corre-
ſpectiua præſumenda forent, Ancharanus *con-
ſil.* 434. *num.* 3. Aymo *conſ.* 153. *num.* 8. & 9.

Quoniam, cùm non eſſent eodem die rogata,
non poterant omnino correſpectiua cenſeri, Ve- 7.
rallus *deciſ.* 197. *part.* 2. incip. *Mandatum, num.* 1.
Peregrinus *deciſ.* 289. incip. *In cauſa lib.* 3. quando 8.
enim inter duos actus contrahentes digreſſi fue-
runt ad alios extraneos actus, tunc illi duo actus
non cenſentur correſpectiui, Verallus *d. dec.* 197.
*num.* 3. Deciſio in illa Oſcen. Prioratus * coram
Reuerendiſſimo Oriolen. die 20. Iunij 1582. non
oppugnabat præcedentem reſolutionem, quia
præterquam quòd loquebatur ad alium effe-
ctum, in fine etiam addebatur, quòd prædi-
cta fortaſſis non ſufficerent ad inducendam ſi-
moniam.

* habetur in impreſſis diuer. p. 2. deciſ. 234.

Similiter non intrabant deciſiones nuper edi- 9.
tæ, in illa Gerunden. Præcentoriæ coram RR.
PP. Dominis Decano, * & Gyptio, neque enim
ibi deciſum extitit, actus fuiſſe correſpectiuos
propter mandata facta infra paucos dies, ſed
quoniam locus erat conſtitutionibus Pij IV. &
Pij V. quibus expreſsè tanquam ſimoniacæ, &
confidentiariæ annullabantur reſignationes, &
retroceſſiones, cum reſeruatione regreſſus, cir-
cunſcriptis enim præfatis conſtitutionibus, nun- 10.
quam Rota voluit declarare, præfatas reſigna-
tiones confidentiarias, aut ſimoniacas, licèt mo-
dicum tempus inter data ad reſignandum inter-
ceſſiſſet.

* in impreſſis Seraph. dec. 1001. & ibid. in margine annotatur altera coram Gyptio.

Ad deciſionem in cauſa Reatina penſionis
coram R.P. D. Pamphilio reſpondebatur multa
in ea affuiſſe indicia, & præſumptiones confi-
dentiam probantia, quæ in caſu propoſito deſi-
derabantur.

Quòd à Franciſco, & Ioanne aſſignantibus, 11.
idem Didacus Vaſquez fuerit conſtitutus Pro-
curator, non concludebat ſimoniam, aut confi-
tiam, neque releuabant allegatæ deciſiones Pal-
leothi 150. & Peregrini 81. *lib.* 1. cùm expreſsè
loquerentur, quando mandata erant facta eo-
dem die, & coram eodem Notario, & teſti-
bus; ſecus verò dicendum, ſi diuerſis diebus
conceſſa reperirentur. Verallus *dicta deciſ.* 397.
*parte* 2.

Neque, quòd eodem die, & hora, & coram eo-
dem Notario, per eundem Procuratorem, in Cu-
ria fuerit, præſtitus conſenſus, inducebat ſimo-
niacam correſpectiuitatem, nam, ſi principales
eum conſtituerunt, omni ſimoniæ, & confiden-
tiæ vitio ceſſante, non poterat Procurator, per
aliquem actum, vel delictum Dominis præiudi-
care, ita, vt ex facto Procuratoris in aliquam pœ-
nam inciderent. *l.* 1. *§. ſi procurator. ff. ſi quis ius di-
cent. non obtemper.* Bartolus *in l. ſi Procurator, n.* 8.
vbi Iaſon *num.* 5. *ff. de condict. indeb.* Alexander
*conſ.* 17. *num.* 2. *lib.* 6.

Deciſiones Achillis 4. *de renunt.* & illa in cau-
ſa Bononien. * tranſlationis penſionis die 23.
Ianuarij ann. 1579. coram S.D.N. Clemente
Octauo, non applicabantur ad propoſitam facti
ſpeciem, cùm non loquerentur de præſtatione
conſenſus

* habetur in impreſſis diuer. p. 1. dec. 446. n. 4.



conſenſus Procuratoris, à diuerſis, & in diuerſis
diebus conſtituti, imò in illa Bononien. conſen-
ſus fuerat præſtitus ab ipſis principalibus, in
Curia præſentibus.

14. Ex confeſſione Iuſtini, ad interrogationem
iudicis quærentis, an permutationes Canonica-
tuum inter Franciſcum, & Ioann. fuerint factæ,
ſub beneplacito Sedis Apoſtolicæ, reſpondentis,
ſub dicto beneplacito fuiſſe factas; nulla certa
aſſertio, ſuper permutatione colligi poterat, cùm
reſponſio, principaliter interuentum beneplaciti
Sedis Apoſtolicæ, enuntiatiuè autem, dictam
permutationem reſpicere videretur; vnde, cùm
non dubitaretur de eo, ſuper quo confeſſio prin-
cipaliter emanauerat, enuntiatum minus princi-
paliter, non probat Alexander *conſil.* 136. *num.* 11.
*lib.* 1. Decius *in Authent. ſi quis in aliquo, num.* 37.
15. *C. de edendo*, quòd ipſum, in depoſitionibus te-
ſtium, vt enuntiata in eorum depoſitionibus,
non probent, voluit Bartholom. *conſil.* 113. incip.
*Proceſſum eſt, num.* 5. quam interpretationem
apertè ſuadebat altera Iuſtini depoſitio, cùm in-
terrogatus, an ſciret cauſam, ob quam Franci-
ſcus ſibi reſignauerit Canonicatum, ſe nihil ſci-
re reſponderit, itaque in altera depoſitione, no-
luit aliquid dicere de ipſis permutationibus.

16. Minus etiam obſtare videbatur alia confeſſio
Didaci, ex litteris eius collecta, nam præterquam
quòd ſolùm referebat prætenſionem contra ip-
ſum motam, ex qua nulla certa confeſſio pote-
rat deprehendi, non loquebatur affirmatiuè, cùm
dixerit, *vt aſſeritur.* * Caſſador. *deciſ.* 4. *num.* 8. *de
probat.* & licèt præfatæ Didaci litteræ, legitimè
recognitæ, ipſi ſcribenti præiudicare potuiſſent,
non tamen potuerunt nocere Iuſtino.

* & hęc clauſula operatur vt non dicatur loquutio affirmatiua, & ideo liberat impetrantẽ à ſurreptione, vt infra dec. 317. n. 3. & quæ ibi annotaui.

Quantum attinet ad famam, ſuper probatio-
ne prætenſi tractatus, ſeu præcedentis conuen-
tionis inter Franciſcum, & Ioannem reſignan-
tes, fuit dictum, in cauſis maximi præiudicij non
eſſe multum famæ tribuendum, cùm ſit indicium
inconſtans, vagum, & à delicto longè remotum,
17. & cùm totum probationis pondus, à fama pro-
18. ueniens, in eo conſiſtat, vt à fide dignis, probis,
honeſtiſque perſonis ortum habeat, non autem
à maleuolis, † & malignis, *cap. qualiter lo* 2. *de ac-
cuſat. cap licet Heli. §. fin. in fine, de ſimon.* Gandin.
*tract. de maleficijs, tit. quomodo cognoſcat. de malefic.
per inquiſit. num.* 6. *verſ. quintò, quòd non prouenerit
à maleuolis*, Achilles *deciſ.* 321. incip. *Alia tamen
vice*, aliàs eſt 8. *tit. de iurepatron. in impreſſis.* ne-
que hîc doceretur de legitimo famæ initio, non
videbatur huic generi leuis probationis, ad pri-
uandum, & condemnandum, aliquid deferen-
dum, præſertim cùm non concurrerent alia in-
dicia, * quæ ſimul cum fama aliquem legitimæ
probationis gradum conſtituerent. Gratus *con-
ſil.* 57. *num.* 8. *lib.* 2. Iulius Clarus *in pract. crimin.
quæſt.* 21. *verſ. fama ſola.*

† adde Rot. coram Pamphil. 24. Febr. 1591. in vna Imolen. confiden. impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. p 1. pag 125. n. 4.

* & ad probandam cõfidentiam requiruntur vehementia indicia, latè Ludou. dec. 238. & 517. Caual. deciſ. 352. n. 3.

19. Neque deciſio Veralli 199. incip. *Ad proban-
dam famam*, firmat contrarium, dum indicat, non
20. eſſe neceſſarium, vt teſtes dicant, à quibus fama
ortum habuerit; quia ex fine deciſionis apparet,
nil fuiſſe ſtabilitum, cùm fuerit dictum, quòd vi-
deretur iterum diligenter.

Ex eo quòd reſignatarij forent filij reſignan-
tium, non concludebatur ſimonia, vel confiden-
tia, præſertim cùm mandata non fuiſſent corre-
ſpectiua.

Poſtremò in Bullis † Pij IV. & Pij V. non po-
terat fieri aliquod fundamentum, nam confi-
dentia, in caſu propoſito, quam fiſcalis affuiſſe
contendebat, non erat talis, qualis damnatur in
præfatis conſtitutionibus, cùm enim duplex ſit 21.
confidentia beneficialis, vna ſimoniaca, qua quis
confidit aliquem collaturum, aliquod benefi-
cium mediante præuio pacto, vel conditione ex-
preſſa, vel tacita, digno, vel indigno, altera, qua
quis confidit, aliquem collaturum aliquod be-
neficium, ob cognationem, vel amicitiam indi-
gno, ſine tamen pacti, modi, vel conditionis in-
teruentu, prout contigit in hoc caſu, in quo non 22.
apparebat inter reſignantes præceſſiſſe pactum
aliquod, conditionem, vel modum, talis confi-
dentia non damnatur per illas conſtitutiones,
cùm non fuerint editæ contra omnem confiden-
tiam beneficialem, nec contra quamlibet con-
fidentiam illicitam, ſed tantùm contra illicitam
ſimoniacam. Nauarrus *verſ. ad duodecimum.*

† habentur in Bullario Cherubini tomo 2. illa Pij IV. inter ſuas, conſtit. 85. pag. 121. altera in illis Pij V. conſt. 85. pag. 283.

Ex prædictis autem patebat, talem confiden-
tiam illicitam, præcedenti videlicet pactione,
conditione, vel modo initum pro parte Fiſci, &
Andreæ ei adhærentis, non fuiſſe probatam; &
propterea, Iuſtinum, & Dominicum fore ab-
ſoluendos, & in ſtatum priſtinum plenariè re-
ſtituendos.

---

## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 14. Decembris 1592.

SVMMARIVM.

*Sententias in alijs Tribunalibus latas non ſolet Rota exequi, niſi conſtito de illarum iuſtitia.*

## DECISIO CCLXXI.

QVia D. Franciſcus Narus, ſæpe monitus, non curauerat informare, ideo ſolo D. Ioanne Antonio informante, propoſui dubium, an mandatum executiuum, aliàs decretum in vim ſententiarum latarum per A. C. & eius locum tenentem, contra Franciſcum de Naris, pro ſumma ſcutorum 578. eſſet exequendum: ſed quia Rota non ſolet exequi ſententias in alio tribunali latas de illarum iuſtitia * non conſtito; ideo fuit ordinatum, quòd videretur, an præfatæ ſententiæ eſſent iuſtæ, ad effectum, vt executioni demandari poſſent.

* Duran. dec. 424. n. 1. Ludouiſ. deciſ. 208. n. 5. vbi annot. n. 10. allegat alias deciſ. quod ſemper ſeruat Rot.

---

## *Camerina ſucceſſionis.*

### Die Veneris 15. Ianuarij 1593.

SVMMARIVM.

1.2.3 *Statutorum valor probatur ex fide officialium atteſtantium de obſeruantia, & de iuramento ſuper eis præſtari ſolito.*

4 *Scriptura informis, perinde probat ſi obſeruata reperiatur, ac ſi eſſet in forma probante.*

5 *Statuti ad validitatem, non requiritur, vt conſeruetur in publico archiuio.*

8 *Scriptura continens aliquid inciſum, deletum, aut deturpatum, nihil probat.*

DECI

## DECISIO CCLXXII.

De hac cauſa infrà deciſ. 305. 456. & 615.
VIgore compulſorialium Rotalium, ex libro ſtatutorum ciuitatis Amerinæ, ad inſtantiam Dominorum de Cenſacchis, fuerat extractum quoddam ſtatutum, ſub rubrica de ſucceſſionibus ab inteſtato, & quia pro parte D. Ludouicæ Corradæ prætendebatur inualidum, quaſi deſumptum, ex libro nullam fidem merente, nec vera ciuitatis ſtatuta continente, ideo dubitaui, an eſſet in forma probante, & fides ei eſſet adhibenda? Domini verò facere cenſuerunt; nam præterquam quòd is liber præ ſe ferebat formam voluminis ſtatutorum, ex quo in principio erat ſcriptum: In Dei nomine, Amen. & rurſus incipit proœmium ſtatutorum; & in fine, Laus Deo, Amen. & erat etiam in chartis membranaceis ſcriptus, & ligneis tabellis coopertus, prout ſimilia ſtatutorum volumina ſcri-
1. bi, & cooperi ſolent, ex aſſertione teſtium conſtabat de obſeruantia ſtatutorum, in prædicto libro contentorum, ex quo producebantur in iudicio, ad cauſas iudicandas, & lites dirimendas; præterea primus, & ſecundus teſtes dicebant, eis adhibitam fidem, & ſecundùm illa iudicatum, quibus accedebat dictum primi, & quarti teſtis ſuper tertio articulo, affirmantium, poteſtatem, Vicarium, ancianos, & alios officiales ciuitatis, initio ſui regiminis, ſuper dicto vo-
2. lumine ſtatutorum, præſtare ſolitos iuramentum, de illis fideliter obſeruandis, quod non poterat intelligi, relatum ad obſeruantiam aliorum ſtatutorum, in aliquo alio volumine contentorum, vt ſecundus teſtis ſuper articulo apertè profitebatur, iuramentum præſtari ſolitum ſuper dicto libro, & ſuper obſeruantia ſtatutorum, in eo contentorum; dicto autem quarti teſtis eo nomine multum credendum videbatur, quia deponebat de facto proprio, dicens: *ſi come io aneo li hogiurato, quando ſon ſtato delli Vicarij o delli Antianni.* Dictis teſtium adiungebatur fides officialium, atteſtantium de obſeruantia, & productione præfatorum ſtatutorum in iudicio, & de iuramento ſuper eis præſtari ſolito.

3. * vide infrà dec. 1169.
Qua obſeruantia ſtante, *licèt aliàs ſtatutum non probaret, & debitis careret ſolemnitatibus, fidem faceret. Paleothus *deciſ.* 29. incip. *Propoſui*
4. * adde Seraphin. deciſ. 1334. n. 5. & 928. n. 2.
*dubium, an ſtatuta*; * ſcriptura enim informis, ſi obſeruata reperiatur, perinde probat, ac ſi eſſet in forma probanti. Bald. *conſil.* 400. *lib.* 4. *num.* 5. Aymo *conſil.* 101. *num.* 4. quod ſæpe Rota cenſuit, & in terminis de ſtatutis communitatum, carentibus ſubſcriptione Notariorum, & aliis ſolemnitatibus, voluerunt Baldus *in l. exemplo, num.* 2. *verſ. in legibus municipalibus. C. de probatio.* & Geminianus *conſil.* 15. *num.* 18. *verſic. quo ad ſecundum.*

Non obſtat oppoſitio ex aduerſo facta, quòd iſti ſtatuto non eſſet fides adhibenda, ex quo erat copia alterius ſtatuti, quia nuſquam id apparebat probatum.

5. Nec præfato ſtatutorum libro auferebat fidem, quòd non conſeruaretur in publico Archiuo, quoniam id non requiritur ad ſtatuti validitatem, præſertim, cùm in caſu propoſito, & ſimilibus id facto impoſſibile videretur: nam cùm eſſet vnicum volumen, quo frequenter in iudiciis vti oportebat, neceſſe erat extra Archiuum in manibus officialium verſari.

Quòd autem in multis locis illud volumen 6.
videretur inciſum, deletum, aut deturpatum, non minuebat fidem libro, vel ſtatutis, in illo contentis, id enim ob antiquitatem, & aſſiduum vſum contigiſſe, teſtes deponebant, quod potiùs augere, quàm minuere auctoritatem libro, videbatur.

Et licèt inciſio, litura, aut deturpatio, inducat ſcripturæ nullitatem, ad textum, cum *ibi* notatis, *in cap. inter dilectos, de fide inſtrument.* id procedit, 7. * ſuſpicio falſitis in inſtrumento quando non ſit attendenda, vide penes apnot ad deciſ. Ludou. 546. n. 17.
* quod vitium eſt in loco de quo agitur, ſecus ſi ſit in alio loco ſeparato, & diſtincto, vt in fortioribus terminis de inſtrumento tradunt Imola, & alij *in cap. ex literis,* vbi Felinus *num.* 15. *in fine, de fide inſtrument.* Doctores *in l. finali. C. de edict. diui Hadrian. tollen.* in particulari autem ſtatuto, quod extractum fuerat, nullum tale vitium reperiri probabatur, vnde concluſum pro illius validitate.

### *Tuden. præſtimonij del Roſal.*

### Die Veneris 15. Ianuarij ann. 1593.

SVMMARIVM.

1.2 *Citatione facta legitimè poſſidenti beneficium, tollitur priuilegium regulæ de triennali.*

3 *Citatio in beneficialibus, vt ſit legitima, debet fieri, ſeruata forma Clementinæ,* cauſam, de electio.

4 *Citatio, vt ſit legitima, requiritur, vt detur copia citationis in publica forma.*

5 *Interruptio poſſeſſionis triennalis, de iure fit per litis conteſtationem, licèt de ſtylo Rotæ, per ſolam citationem.*

Domini hac poſitione nil firmarunt, & quantum ad validitatem citationis die 8. Nouemb. huius anni fuit cõcluſum, citationem fuiſſe bene executam & validam.

## DECISIO CCLXXIII.

BIs propoſui iſtam cauſam, ſuper eo, an regula de triennali ſuffragaretur Aphonſo de Samaniego, videlicet die 4. Maij 1592. *& die 15. * ſuprà deciſ. 218. vbi n. 2. & 3.
Ianuarij 1593. in qua poſitione Domini agnouerunt maiorem difficultatem contra Apparitium de Sitien, eo potiſſimum fundamento, quia 1.
licèt per citationem factam poſſidenti benefi- 2.
cium infra triennium, tollatur priuilegium regulæ de triennali, id intelligitur procedere, † infrà dec. 328. fuit declaratum, legitimam eſſe citationem ibi num. 6. & ſequent.
quando citatio † fuit legitimè facta, ſecus ſi non extitit legitimè executa, quia tunc non impedit effectum, ſiue curſum regulæ, * Sarnen. *in regula de triennali quæſt.* 34. Felin. *in cap. ex tenore, num.* 5. *de reſcript.* Verallus *deciſ.* 109. *part.* 1. in caſu autem propoſito non videbatur legitimè facta citatio; quia cùm eſſemus in beneficialibus, †& Alphonſus foret abſens, debuit citari, ſeruata forma *Clement. cauſam, de elect.* Achilles *deciſ.* 147. incip. *Citationem,* aliàs eſt 17. *tit. de dolo & contum.* *nam poſſeſſor ad effectum triennalis debet eſſe pacificus Mantic. dec. 50. n. 10.
in impreſſis, & per conſequens, relinquenda erat 3. † vide infrà dec. 380.
copia citationis in publica forma, prout requirit ille textus, iuncta *ibidem* gloſſa *in verb. modò præmiſſo*; quod hîc nuſquam apparebat * ſeruatam, 4. * vide de hoc articulo infrà deciſ. 380. & 357.
maximè cùm illa concluſio, quòd curſus regulæ de triennali interrumpatur, per ſolam citationem, procedit potius de ſtylo Rotæ, quàm de communi, ſecundùm quod eſſet neceſſarium li- 5.
tem



tem introducere, per litis conteſtationem. Mohedanus *deciſ.* 1. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Vnde talis ſtylus debet ſtrictè intelligi, quatenus ſcilicet citatio ſit ritè, & rectè executa.

Quia tamen alij ex Dominis aliter ſentiebant, & pro parte Apparitij in hac poſitione fuit producta quædam prorogatio, per ipſum contenta, ad regulam de triennali, ex qua videbatur ceſſare difficultas mota ſuper validitate præfatæ citationis; ideo Domini ordinarunt, reſtringi difficultatem, ad validitatem prorogationis.

### *Beneuentan. tranſactionis.*

### Die Sabbati 23. Ianuarij 1593. quæ fuit Rota Martiniana.

SVMMARIVM.

2 *Pactum reſolutiuum in tranſactione appoſitum efficit, vt ſi deficiat vna pars, tranſactio reſcindatur.*

3 *Pactum reſolutiuum in fauorem vnius partis appoſitũ, in tranſactione, ſolùm ei poteſt proficere.*

4.5 *Tranſactionis effectus,* l. ſi quis non maior, C. de tranſact. *non habet locum in vniuerſitatibus.*

6 *Dolum præſumitur habere, qui non obſeruat concordiam, quam obſeruare poteſt*

## DECISIO CCLXXIV.

1. * ſuprà deciſ. 112.
QVoniam in iſta cauſa, die 1. Iunij 1590. Iunij 1590. * me proponente, fuerat reſolutum, vniuerſitatem, & homines montis Fuſculi contraueniſſe tranſactioni & concordiæ initæ cum Domino Cardinali Aſcanio Columna de anno 1574. qui propterea obtinuerat commiſſionem mihi directam, vt conſtito de contrauentione procederem ad vlteriorem executionem, & pro parte vniuerſitatis, Procurator, qui tunc comparuerat, petiuiſſet, dari dubium, an conſtaret de tali contrauentione, ex qua reſcinderetur tranſactio, vel potiùs deberetur ſolùm intereſſe, quod poſt tranſactionem paſſus dicebatur D. Cardinalis, propter moleſtationes, & damna ſibi ab vniuerſitate, vel illius hominibus illata, ideo vna tantùm parte informante, quia Procurator vniuerſitatis ſæpiùs citatus non curauerauerat informare, prædicto dubio propoſito, Domini reſponderũt, locum fuiſſe factum reſciſſioni tranſ-
* vide Lud. deciſ. 461. & Seraph. dec. 225. & infrà dec. 564. n. 2.
actionis, * & ſic intrare diſpoſitionem *l. ſi quis maior. C. de tranſactio.* Verall. *dec.* 316. *& ſeq. n.* 3. ſtante præſertim pacto reſolutiuo, in tranſactione appoſito, cuius natura eſt, diſſoluere contra-
2. ctum, perinde ac ſi celebratus non fuiſſet. Tiraq. *de retract. conuentional.* §. 1. *gloſſ.* 7. *n.* 3. Bald. *in l. ca lege n.* 13. *verſ. ego dico, C. de condict. ob cauſam,* Iaſ. *conſ.* 211. *n.* 28. *lib.* 2. & in terminis in tranſactione tradit Iaſon *in l. quamuis, in fin. n.* 4. *C. de tranſact.* Aymo *conſ.* 145. *n.* 19. Verall. *dec.* 315. *n.* 2. *part.* 3.
3. quod maximè procedere videbatur in hoc caſu, in quo factum fuerat appoſitum fauore Commendatarij, ſiue Monaſterij læſi, non autem ipſius vniuerſitatis, quæ propterea non poterat dici, tranſactionem non fore reſoluendam, niſi ipſa volente, iuxta text. *in l.* 2. *ff. de lege commiſſor.*

4. Et licèt diſpoſitio *l. ſi quis maior,* non habeat locum in vniuerſitatibus, * id procedit, quo ad * de hoc art. latè agit Farin. in frag. crim. p. 2. litter. I. n. 1147. & ſeq.
pœnam periurij, & infamiæ, ſed non quantum adhoc, ne cadant à commodo contractus, vt inibi voluerunt Iaſon *n.* 8. *& ſeq.* Curtius iunior *num.* 22. Cagnol. *n.* 17. & fuerat aliàs in Rota deciſum die 10. Octobris 1587. in vna Mediolanen. frumenti coram R. P. D. Orano. 5.

Dolum verò, * quem requirit diſpoſitio *dictæ l. ſi quis maior,* ſatis in caſu propoſito arguere videbatur † factum contrauentionis ipſius vniuerſitatis, vel hominum particularium contrauenientium, qui ex quo potuerunt, & debuerunt ſeruare concordiam promiſſam, & iuratam, illam non ſeruando, * præſumuntur fuiſſe in dolo. Cephalus *conſ.* 265. *num.* 8. *&* 13. Riminal. iunior *conſil.* 121. *num.* 4. *& ſeq.* & fuit reſolutum in illa Mediolanen. frumenti. *de hoc art. & materia legis ſi quis maior, vide Rotam diu. p. 1. dec. 583. 6. † diſpoſitio legis ſi quis maior quomodo poſſit intelligi, vide Seraphin. dec. 1136. * adde Seraphin. deciſ. 577. n. 1. & 6. & dec. 1059. n. 5. & 6.

Ex quibus fuit concluſum, poſſe procedi ad vlteriorem executionem, iuxta formam commiſſionis.

### *Comen. Capellaniæ.*

### Die Mercurij 27. Ianuarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Filiatio non probatur per inſtrumentum, in quo filius nominatur quis.*

3 *Inſtrumentum, quod enuntiat aliquem pro filio, cum alijs probat filiationem, dummodo adiungatur aliquis actus, filio proportionabilis, & n.* 5.

4 *Filij denominatio in antiquis probat filiationem.*

6 *Filiatio vt probetur in antiquis de ſtylo Rotæ requiritur, vt in duobus inſtrumentis duæ diuerſæ enuntiatiuæ numerentur.*

7 *Præſentationis continuatæ, cum qualitate deſcendentis ab inſtituente, inducunt enuntiationem parentelæ.*

8 *Teſtis, qui de facto antiquo vltra 60. annos deponit de publica voce, & fama, probat.*

## DECISIO CCLXXV.

AGebatur de probanda deſcendentia, & ſuc- 1.
ceſſione à Gabriele de Lauizariis, qui de anno 1468. per diffinitiuam ſententiam fuerat ab Ordinario declaratus vnicus Patronus huius Capellaniæ, vnde cùm eſſet materia * antiqua, & * vide ſuprà dec. 165. n. 9.
difficilis probationis ſufficiebant adminicula, & probationes leuiores, vt ſæpe Rota cenſuit, tum coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, in vna Romana Capellaniæ die 18. Maij 1582. tum paulo antea, coram Cotta in vna Romanæ Capellaniæ S. Pauli die 20. Nouemb. 1570. 2.
In caſu propoſito, Domini dixerunt probari deſcendentiam cum ſucceſſione, nam Chriſtophorum fuiſſe filium Gabrielis, arguebat inſtrumentum anni 1487. vbi Gabriel eum vti filium * nominabat, bona ſua inter filios ſuos diuidendo, qui actus filiationi eſt valde proportionatus: quamuis enim ſola nominatio † non probet filiationem; ad notata per ſcribentes *in cap. per tuas, de probat.* id tamen non procedit, quando nominationi eſt * adiunctus aliquis actus filio proportionabilis, & quaſi debitus, tunc enim nominatio filiationem probat. Antonius de Butrio *in cap. tranſmiſſæ num.* 10. *verſ. aut nominat.* * adde Caual. dec. 46. quæ conducit ad propoſitum præſentis. † adde Seraphin. deciſ. 1331. n. 2. 3. * vide infrà dec 285. n. 5. & deciſ. 630. n. 4. & 833. n. 4. & Caual. dec. 575. num. 5.



 *ipſum*

*ipſum filium.* & *ibidem* Præpoſitus *n.9.in fine verſ.*
*aut nominat ipſum in actu proportionabili,qui filij ſint*
*legit.* Aretinus *in d.cap.per tuas num.*23. vbi Felin.
*n.*17.Gozadinus *conſ.*13.*n.*7.Ruin.*conſ.*53.*num.*6.
*&* 7.*lib.*5. Pariſius *conſ.*29.*n.*10.*lib.*2.& ita fuerat
reſolutum in illa Romana Capellaniæ, coram
Sanctiſſimo, præſertim cùm in antiquis etiam
4. ſola denominatio ſufficeret.Crauetta *de antiquit.*
*parte* 1. §.*ampliatur nunc, num.*13. Rebuffus *tract.*
*nominationum, quæſt.*1.*num.*4. & notant Doctores
*in cap.cùm cauſam, de probationib.* ex quibus ceſſa-
bat difficultas,quæ oriri poterat ex illa commu-
ni ſententia, quam frequenter ſequitur Rota,
5. quòd etiam in antiquis, ad probandam filiatio-
nem, exiguntur ſaltem duæ enuntiatiuæ,* duo-
rum diuerſorum inſtrumentorum, quoniam id
intelligebatur habere locum, quando probatio
nititur ſolis,& meris enuntiatiuis,ſecus hîc, vbi
6. enuntiatiuæ filiationis erat coniunctus actus
poſitiuus filio proportionatus, & quaſi iure na-
turæ debitus; vltra quod aderat etiam altera
enuntiatio, in inſtrumento anni 1515.vbi Chri-
ſtophorus etiam enuntiabatur filius Gabrielis.

*adde Cocc. dec.105.n.6.

Circa * deſcendentiam Marthæ, & Catheri-
næ à Chriſtophoro, licèt aliqua difficultas oriri
videretur, ex quo enuntiatiuæ plurium inſtru-
mentorum non erant antiquæ,& præterea vide-
bantur prolatæ à perſonis intereſſatis, & vnicus
tantùm teſtis deponebat de auditu, & de publica
voce, & fama; alij verò de auditu ab ipſamet
Martha,& Catherina,illam tamen tollebat præ-
ſentatio per ipſas facta de an.1515.in qua enun-
tiabantur neptes Gabrielis ex Chriſtophoro, &
hæredes vniuerſales, hinc enim cognoſcebatur
7. eas fuiſſe filias,vel ſaltem hæredes,vel ſucceſſo-
res Gabrielis, & Chriſtophori, cùm aliàs, niſi
iſtis perſonis mediantibus, præſentare non po-
tuiſſet. Abbas *in cap.*1.*n.*2.*de iure patronat.* Areti-
nus *in cap. ſignificanit num.* 3. *de teſtib.* Zabarella
*in Clement.*2. *quæſt.*7. *de iurepatron.* Couarruuias
*lib.*2.*variar.reſolut.cap.*18.*num.*7.quam præſenta-
tionem coadiuuabant aliæ præſentationes de
ann.1531. & 1541. effectum ſortitæ,* & vnicus
ille teſtis de publica voce, & fama, qui de facto
antiquo vltra 60.annos (quod dicitur antiquum
in teſte)probat Chiſanen.*deciſ.*59.incip.*Filiatio.*

*deſcendentia quomodo probetur vide apud Ludouiſ. deciſ. 349. n.6. vbi allegat hanc deciſ. & videbis additionem ibi lit.A.& Coc. in d.dec.105. & dec.64.

* de hoc art. vide Ludou. dec.439.n.6. vbi annotat. n.14.alias allegat.

8. Succeſſionem dominorum de Caſſanoriis ex
Martha, ſatis euidenter probant teſtes, quam
nec informantes pro Septimio in dubio reuo-
cabant.

---

## *Narnienſis dotis.*

### Die Veneris 29. Ianuarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Apocha ſi non ſit ſubſcripta à parte, vel teſtium fide roborata, non probat.*

3 *Apocha non dicitur probare,ſi non ſit ſubſcripta à parte, licèt ſcribens aſſerat, ſe illam de ambarum partium voluntate ſcripſiſſe.*

*quod extenditur, etiam ſi Notarius idem aſſerat, num.*4.

5 *Contractus cenſetur imperfectus, ex animo contrahentium.*

6 *Contractus reciprocus poteſt annullari ab vna parte, ſi altera non obſeruauerit promiſſa.*

## DECISIO CCLXXVI.

QVoniam ad euitandam executionem ſen- 1.
tentiæ Rotalis latæ ad fauorem D. Cle-
mentis Archæ, Gregorius Herulus coram me
opponebat de noua conuentione,per quam præ-
tendebat, fuiſſe receſſum à prioribus pactis ap-
poſitis in inſtrumento dotali D.Tarquiniæ,cùm
de an.1567.Clementi Archæ nuptui traderetur,
ideo dubitaui, an conſtaret de noua conuentio-
ne,quæ effectum habuerit, & releuaret, ad effe-
ctum de quo agebatur; Domini verò,Clemente
ſolùm informante, cenſuerunt non conſtare de
aliqua noua conuentione,licèt enim producere-
tur apocha nouæ conuentionis, cùm non appa-
reret à partibus ſubſcripta, vel fide teſtium ro- 2.
borata, * non probabat. *l.inſtrumenta,& l.exem-*
*plo.C.de probat.l.ſcripturas. C.qui potiores in pignor.*
*habean.* Aretinus *conſ.*64.*n.*5. *verſ.nec poteſt dicere,*
Socin.*conſil.*15.*n.*48. *verſ.ad quintum argument.de*
*ſubſcriptione lib.*1.Tobias Non.*conſ.*79.*n.*1.Marſil.
*in rub.C.de probat.n.*289. Vnde, cùm apocha non
apparet ſcripta, vel ſubſcripta à contrahentibus,
* ex ea non poterat probari noua conuentio.

* adde Seraphin. deciſ. 1231.n.1.

* adde Rot. recen.part.2. dec.671.n.4.

Neque ex eo videri poterat valida, quòd qui
ſubſcripſerat apochã, aſſerebat ſe illam ſcripſiſſe
de voluntate ambarum partium, nam in hoc ei 3.
non creditur. Imola *conſ.*91. *n.*1. *verſ. licet ille qui*
*ſcripſerit.*Dec.*conſ.*510.*n.*2.quo caſu neque Nota-
rio dicenti ſe ſcripſiſſe apochã de conſenſu par-
tium,adhibetur fides,* Iaſon *conſ.*155.*n.*11.*verſ.*
*ſed in caſu noſtro lib.*4.dicebatur etiam,prædictam
apocham fuiſſe imperfectam, ex eo quòd cùm
contrahentes in fine dixiſſent, *quale ſera,ſotoſcri-*
*pta di loco propria mano,* non reperiebatur ab ipſis
ſubſcripta,quod ſatis indicabat,eos noluiſſe per-
ficere inceptam conuentionem, & remanſiſſe
imperfectam, Paulus de Caſtro *in l.cùm res, n.*3.
*&* 4.*C.de prob.*Imol.*d.conſ.*91.*n.*2.*verſ.& hoc etiam* 4.
*confirmari videtur,*Gabriel *tit.de teſtam.concl.*9.*n.*4.

*quia attestatio Notarij ſi ſit vt priuata perſona nõ probat. Mantic. dec.62. n. 3. Coc. dec.24. n.7.& 8. dec. 645.n.5.& 6.

Supradictis denique addebatur,præfatam con-
uentionem,etiamſi ſolemniter fuiſſet celebrata, 5.
non releuare, ex quo non habuerat * effectum,
cùm Gregorius ſemper manſerit in poſſeſſione
bonorum Clementi promiſſorum, vt apparebat
ex dictis teſtium.Vnde Clemens,contra Grego-
rium Herulum allegantem nouam conuentio-
nem, iure poterat excipere,opponendo non ad-
implementum, † Riminald.*in l.cùm proponas la* 2.
*n.*3.*verſ.item limita.C.de pact.* Alciat.*conſ.*108.*n.*5. 6.
nam ſtante inobſeruantia ex parte Gregorij,
Clemens poterat etiam pro parte ſua dicere, ſe
nolle ad obſeruantiam teneri.*Decius *conſ.*380.
*n.*3.*verſ.& iſta concluſio,* Roland.*conſ.*53. *num.*25.
*&* 28. *& ſeq.lib.*1. Aymo *conſ.*246.*num.*3.

*& vt ſecundus contractus reuocet primum, debet ille perfectionem habere. Rota recen.part.2. dec.69.n.2.

† adde infrà dec.798.n.3.
* adde ſuprà dec.247.n.3. & Cocc.dec. 198. n. 1. & 294.n.1.

---

## *Palentina, & Ozomen. beneficiorum.*

### Die Veneris 19. Ianuarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Scripturæ extractæ per Notarium à iudice deputatum ad tranſumptandas imbreuiaturas, & inſtrumenta Notarij mortui, faciunt fidem.*

3 *Notario atteſtanti de ſua deputatione ad extrahendas ſcripturas Notarij mortui, per iudicem facta, creditur.*





4.5.6 *Scripturarum extractio,vt legitimè fiat, debet præcedere citatio.*

7 *Iudex ordinarius poteſt delegare ſuam iuriſdictionem,& poteſt delegatus idem,quod ordinarius, exercere circa delegata.*

8 *Rector, quod per ſe facere poteſt, poteſt etiam eius locum tenens.*

## DECISIO CCLXXVII.

1. COntra mandatum, cuius vigore Procura-
tor Ludouici Ronquillo cœperat poſſeſ-
ſionem beneficiorum, de quibus agebatur, &
Ludouicus petebat ſe in ea manuteneri,oppone-
bat Didacus de Monteroſo, quòd non eſſet in
forma probante, ex eo potiſſimum, quia fuerat
exemplatum lite pendente, parte non citata, &
ſine compulſorialibus.

Sed Domini contrarium cenſuerunt, ex quo
fuerat extractum à Notario per iudicem depu-
tato, ad tranſumptandas omnes imbreuiaturas,
& inſtrumenta Notarij mortui. nam tunc, cùm
perinde eſſet authenticum, ac ſi foret extractum
à Notario,de eo rogato, in extractione non re-
quirebatur aliqua partis citatio. Felin.*in c. Albe-*
*ricus,n.*2.*de teſt.& in c.fin.n.*5.*&* 9. *de fide inſtrum.*
Riminald.*in Authent.ſi quis in aliquo num.*5.*C.de*
*eden.* Verallus *deciſ.*351.*n.*2.*part.*2. & fuit reſolu-
tum coram me, in vna Nouarien. bonorum die
* 2.Martij ann.1592.

* ſuprà deciſ. 202. n.1. & adde ſuprà dec.235.

De deputatione Notarij ad extrahendum,
conſtabat,tum quia erat inſerta in eodem inſtru-
2. mento extracto, tum quia idem Notarius, (cui
de ſua deputatione atteſtanti * creditur. Veral-
3. rallus *deciſ.*245.*part.*2.) ita teſtificabatur.

† adde Lud. deciſ. 3. n.1. & 4.

Neque prædictis obſtabat Couarruuias *in*
*practicis queſtionib,c.*21.*n.*3. vbi affirmat, neceſſa-
4. riam eſſe citationem,quia nec loquitur in Nota-
rio ſucceſſore * in officio, neque in generaliter
deputato, ad exemplanda omnia inſtrumenta
Notarij demortui, imò verò *ſub eodem n.* 3. *verſ.*
*hoc ipſum plerunque,* idem declarat, tali caſu non
eſſe neceſſarias aliquas ſolemnitates.

* regula eſt certa quòd notarius ſucceſſor poteſt extrahere ſcripturas etiam ſine ſolemnitatibus. Caualer. dec.635.n.1. & 641. n. 2. Ludouiſ. vbi proximè.

Minus corruebat prædictum inſtrumentum,
ex eo quòd nullus in eo apparebat teſtis ſubſcri-
ptus,ex illis teſtibus, qui fuerant ſcripti in pro-
tocollo Notarij prædefuncti, iuxta requiſita per
Regiam legem *partita* 3.*tit.*18.*l.*55. quam recen-
ſuit Couarruuias *d.c.*21.*n.*3.*verſ.tertio,etiam ſi iu-*
5. *re communi,* quia præterquam quòd prædicta lex
6. Regia à §.*mas quando algun eſcriuano, vſque ad fi-*
*nem,*expreſsè loquitur in Notario publico dece-
dente ſine ſucceſſore in officio,quo caſu requiri-
tur illa tam diligens,& exquiſita ſolemnitas, ad
omnem fraudis ſuſpicionem vitandam:nos au-
tem verſabamur in Notario publico mortuo,
qui dum viueret,officium Tabellionatus renun-
tiauerat,illa ſolemnitas à Regia conſtitutione,in
fine requiſita,in illis verbis, *e aun dezimos, que ſi*
*fueren viuos los teſtigos,*&c. vt ſcilicet,ſi duo teſtes
ex ſcriptis in protocollo viuant, debeant etiam
ſubſcribere inſtrumento, inde extracto, non eſt
in vſu,vt teſtatur Gregorius Lopez *ibidem, circa*
*finem legis,in verb.eſcriuir, y ſus nombres.*

Præterea, cùm Regia conſtitutio eam ſolem-
nitatem ſeruari iubeat, ſi teſtes ſuperuiuant,ve-
riſimile eſt, eos hîc vel mortuos, vel abſentes
fuiſſe, cùm ſubſcripti non reperirentur in hoc
inſtrumento,ne Notarius legis tranſgreſſor præ-
ſumeretur.

Eidem denique inſtrumento vt authenticum 7.
crederetur,ſuffragabantur multa adminicula ad-
ducta per informantes pro Ludouico, quam-
quam Domini ex prædictis fidem facere cenſue-
runt, illud etiam addentes, non ideo minus au-
thenticum fore putandum inſtrumentum, quod
iudex, qui dederat facultatem tranſumptandi,
non erat ordinarius, ſed ab Ordinario de-
putatus, ſiue Ordinarij iudicis locumtenens:
quoniam locumtenens poteſt facere illud,quod
poteſt Rector principalis, *l.*1. *&* 2. *C.de offic.eius* 8.
*qui vic.alter.gerit.*Corneus *conſ.*11.*n.*3.*verſ.nec ob-*
*ſtat. lib.*4. & in terminis quòd deputatus ab Or-
dinario poſſit dare facultatem authenticandi in-
ſtrumenta.probat textus *in cap.fin.de fide inſtrum.*

---

## *Panormitana Archidiaconatus.*

### Die Lunæ 8. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis in genere ſi deponat, non probat.*

2 *Teſtis vnicus non ſufficit ad probationem.*

3 *Teſtis contra inimicum non probat.*

4 *Teſtis deponens extraiudicialiter non probat, & dicitur ſimplex fides, priuati hominis.*

5 *Liquidatio fructuum debet fieri de tempore quo poſſeſſa fuit res, de qua petitur liquidatio.*

## DECISIO CCLXXVIII.

QVoniam Petrus Limbrunetta non poterat
ad vlteriora in iſta cauſa procedere,niſi re-
ſtitutis Pellicano fructibus perceptis,de tempo-
re,quo detinuit iſtum Archidiaconatum; dubi-
taui, ad quam ſummam conſtaret aſcendere di-
ctos fructus:& Domini diſcurrendo per ſingulas
ſpecies probationum,concluſerunt,non conſtare
de aliqua certa quantitate; primum enim ex tri-
bus teſtibus in Curia examinatis,duo nil conclu- 1.
debant,cùm in genere tantùm deponerent de ſo-
la fructuum perceptione,tertius verò teſtis,præ-
terquam quòd erat vnicus, & ideo non proba- 2.
bat,* patiebatur multas exceptiones contrarie-
tatis litis, & inimicitiæ † cum Limbrunetta, &
amicitiæ cum Pellicano, quibus meritò, vel re-
pellebatur à teſtificando,vel multum de fide eius
minuebatur. *cap.repellantur.* vbi Abbas & Felin.
*de accuſationib.*

* adde Lud. dec.178.n.1. & 2. & 215. n. 4. & 238. n. 11. Mant. dec.211.n.7. & 285.n.6.& aliàs ſæpe; quando autem præbet, vide Duran. dec. 195. n... & Ludouiſ. dec.245.n.1. & 247.n.6.& 273.n.1.& 9.

Neque liquidatio fructuum poterat dici pro-
bata ex fide cuiuſdam Ioſephi Baleſterij, qui die
prima Aprilis an.1591.dixerat: *io ſo di parere,che*
*tuto il tempo che Limbrunetta ha poſſeduto, habbia*
*potuto hauere la ſumma di* 800. *eſcuti.*nam iſta erat
ſimplex fides priuati hominis, extraiudicialiter,
& ſine citatione * partis deponentis.*l.ſi quando,*
*C.de teſt.c.*2. *extrà eod.tit.* & ſimilem prorſus de- 3.
fectum patiebatur alia fides ſubſcripta per tres
homines priuatos, idem teſtificantes ſine iura-
mento,ſiue partis citatione,& lite pendente per
Pellicanum procurata.

† adde Lud. dec.517.n.11. & Mant.in d. dec.211.n.10.

Denique, nec videri poterat probata quan- 4.
titas fructuum, ex confeſſione Limbrunettæ in 5.
gratia,quando obtinuit ſibi prouideri de Archi-
diaconatu,quia illa non percutiebat tempus, de
quo facienda erat liquidatio, & ſic non obſta-
bat deciſio in cauſa Mediolanen. Canonicatus

* Rot.recen. p.1.dec.259. n. 2. & 120. num.1.

die 17.Iunij 1591.coram R.P.D.Blanchetto.

Et ex his concluſerunt Domini, procedendum eſſe in cauſa ad vlteriorem diſcuſſionem; nam prætenſa impedimenta per Pellicanum declamata, quibus dicebat, ſe à Limbrunetta impeditum, non potuiſſe facere legitimas probationes ſuper liquidatione; non probabantur.

---

## *Tiraſonen. iuris præſentandi.*

### Die 8. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Cauſæ duæ ſi in vno proceſſu actitentur, duæ ſunt neceſſariæ citationes.*

## DECISIO CCLXXIX.

1. De hac cauſa infrà deciſ. 300.

R. P.D. Laurentius Blanchettus tenuit terminum ad ſententiam die 4. Nouembris ann. 1592. & quia Notarius actuarius non erat præſens, alius accepit citationem ad referendum, quam dedit Notario actuario die 6.eiuſdem, qui notauit illam in Regeſto ſub dicta die 6. Procurator Capituli de Borgia oppoſuit de nullitate ſententiæ poſtea latæ, quam deducebat, tum ex præfato defectu, tum quia, cùm Dominus Blanchettus pronuntiaſſet, ſuper duabus
2. cauſis, nempe annexionis ad Canonicatum, & annexionis ad Capellanias, & cùm oportuiſſet facere duas citationes, non erat facta niſi tãtùm vna. Et quoniam Domini dubitarũt de nullitate ex primo capite, ordinarunt, quòd interrogarem Notarium, qui accepit terminum, ſiue citationem ad referendum, & Notarium, qui accepit, vt intelligeretur, quomodo res ſe habuerat: cùm verò Notarius, qui acceperat ad referendum, diceret ſe neſcire, an fuerit prima, vel ſecunda Rota Nouembr. die 26. Febuar. 1593. habito verbo Rota, Domini cenſuerunt, ex iſto capite ſententiam fuiſſe nullam: quia non conſtabat, quòd per errorem ſic ſcriptum fuerit in Regeſto, quamquam ex alio capite de vnica citatione, ad duas cauſas die 8. Februar. inclinarent etiam pro nullitate. Vnde Procurator Capituli Tiraſonenſis, poſtea ceſſit nullitati ſententiæ, & proceſſum fuit coram me, prout in prima.

---

## *Dertuſen. Parochialis de Tiuiſa.*

### Die Veneris 12. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Regula 8. Cancellariæ reſeruat omnia beneficia.*
2 *Litteræ approbatoriæ concurſus facti de Parochiali, debent mitti ad Sanctiſſ. ex Bulla Pij V. agente de prouiſione Parochialium.*
3 *Reſeruatio Papalis obſtat, nequis poſſit obtinere Parochialem, ab Ordinario datam.*
4 *Decretum irritans ligat etiam ignorantes.*
5 *Decretum irritans operatur nullitatem actus, contra tale decretum geſti.*
6.7 *Parochialis prouiſio debet fieri iuxta diſpoſitionem Tridentini* ſeſſ.24. cap.18.
8 *Ex concurſu, approbatione, & electione Ordinarij de Parochiali facta, acquiritur ius conſiderabile electo.*
9 *Poſſeſſio capta de Parochiali, ex ſola collatione ab Epiſcopo facta, non eſt legitima.*
10 *Menſis Decemb. ſemper eſt vnus ordinariorum.*
11 *Ius conſiderabile ex oppoſitione Parochialis, acquiritur oppoſitori.*
12 *De quo debet fieri mentio in impetratione, ab altero facta.*

## DECISIO CCLXXX.

Reſeruauerat fel.recor. Gregorius XIV. die 5. Decembris anno 1590. omnia beneficia cum cura, & ſine cura poſt dictum 5. diem, & per totum dictum annum 1590. vacantia, *vt apparet ex regula 8. Cancellariæ eiuſdem Pontificis: & cùm die 27. eiuſdem menſis Decemb. vacaſſet iſta Parochialis oppidi de Tiuiſa, Epiſcopus Dertuſenſis, appoſitis edictis, & facto concurſu, (ad quem, inter cæteros comparuerant Franciſcus Virgilius Tarraconen. & Raymundus Iorda Dertuſen. ambo decretorum Doctores,) die 12. Ianuarij 1591. declarando Parochialem Franciſco fore conferendam, eodem tempore penè, & ſimpliciter etiam, per Biretti impoſitionem, eidem Franciſco eam contulit: qui, die proximè ſequenti, vigore collationis ſibi factæ, tanquam Rector, in manibus Epiſcopi fidei profeſſionem faciens, & die 15. in veram, & realem eiuſdem Parochialis poſſeſſionem immiſſus, ſaltem vſque ad 24. diem Ianuarij, actus Rectorales exercuit, interim Ordinarius, habita forſan notitia prædictæ reſeruationis, ſub die 12. Ianuatij 1591. litteris quibuſdam certificatoris ad Papam directis, aſſerens ideo ſe Parochialem Virgilio contuliſſe, quòd reſeruationem ignoraſſet, paratum ſe obtũlit ſuæ S. mandatis obedire, & Virgilius, litteras ſuæ approbationis infra quatuor menſes iuxta conſtitutionem * Pij V. de prouiſione Parochialium, in Dataria die 17. Aprilis 1591. præſentando, de præfata Parochiali ſibi prouideri petierit. Cæterùm, quia paulo antea Raymundus die 13. Martij 1591. eandem Parochialem, tanquam reſeruatam à Sede Apoſtolica impetrauerat, dubitaui, an Franciſco competeret ius, ita vt Parochialis ſibi foret adiudicanda? & Domini non competere, reſponderunt.

1. * in menſe reſeruato Duran. dec. 204.n.2.
2. * hæc conſtitutio habetur in Bullario Cherubini tom. 2. inter conſt. Pij V. conſt. 32. pag. mihi 218.
3. † adde Caualer. dec. 363. n. 1. & 359. num. 5.
4. * adde Rot. in impreſſis penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 238. in vna Papien. coram Pamph. n.4. quod intellige quoad nullitatẽ actus, ſecus quoad pœnam. Rot. diuer. p. 1. dec. 578. num. 3. Mantic. dec. 76.n.4.& 5.
5. † nam inficit titulum & poſſeſſionẽ. Caual. deciſ. 8.n.1.& 126. n. 3. & 278. n. 5. & 522. Rota recen. p.2.dec.142. n. 4. & p. 1. deciſ.41.n.9. in fine & 613.n.7. etiã ab initio. Rot.diu.p.2. dec.149.n.2. *de hoc art. latè agit Garc. de ben. 4. p. c.3. vbi n.9. tradit ad literam hanc dec. & aliam coram Lita in eadem cauſa & aliã coram Corduba de anno 1595.

Primum non ex collatione Ordinarij, quia ei obſtabat Papalis reſeruatio, † cum decreto irritante. *c.2.& c.dudum, de præbend. lib.6.* Rota *dec.1. n.4. de rerum permut. in nouis*, Simonetta *tract. de reſeruat. q.48. n.1. & q.79. n.4.* quo Papali decreto ligantur etiam ignorantes.* *c.1. de conceſſ. præben. lib.6. cap. quoddam. §. fin. verſ. prima enim collatio*, vbi id annotat Ioannes Andr. *de præben. lib.6. & Clement.1.* vbi gloſſ. *in verb. attentari, de conceſſ. præben.* Caſſad. *dec.12. n.5. ſuper regulis*, Simonetta *de reſeru. q.96.* Accorambonus *dec.19. lib.1.* Couarru. *in c. Alma mater. de ſent. excomm. part.1. §.10. n.8. & ſeq.* & operatur præterea † nullitatem actus, contra tale decretum geſti. Caſſad. *dec.1. n.1. de præb.* Couarruuias *in pract. quæſt. cap.9. n.7.* Felinus *in c.2. n.7. verſ. quartò limita, de conſtit.* cum ſimilibus congeſtis per Gabrielium *tit. de clauſulis, concl.3.*

Neque ex concurſu, * cum ſubſecuta examinatorum approbatione, & Epiſcopi electione dicebatur, competere aliquod ius Franciſco, vt competere videbatur ex diſpoſitione Concilij Tridentini



6. Tridentini *ſeſſ.24. c.28. §. peracto deinde examine*; nam cùm inibi Concilium vlteriùs procedendo conſtituat, vt perfecto examine ei qui fuerit approbatus, & magis idoneus iudicatus, fiat collatio ab illo, ad quem ſpectauit eam conferre, & in caſu propoſito, propter reſeruationem, collatio ſpectaret ad Papam, approbatio, & collatio Ordinarij, nullum ius tribuere potuit, ſtante decreto irritante, approbationem, & collationem Ordinarij inficiente, Rota *d. deciſ.1. num.4. de rerum permut. in nouis*, Pariſius *conſ.29. num.22. lib.4.*

Vide infrà dec.155. vbi aliquæ adducuntur limitationes n.5. & ſeq.

7.

8. * adde Seraphin. deciſ. 1060.n.4. in fine & 1011. num.6.

Et tametſi, ex concurſu, & approbatione, atque electione * Ordinarij, aliquod inconſiderabile Franciſco competere potuiſſet, illud amiſerat, ex quo cœperat poſſeſſionem, vigore collationis ab Ordinario ſibi factæ, *cap. ſi beneficia, de præbend. lib.6.* cuius textus diſpoſitio, quamuis
9. ſcientes tantùm afficeret, eo nomine Franciſcum comprehendere videbatur, qui non ante dimiſerat Parochialem, quàm ſibi fuiſſet intimatum Breue de capienda poſſeſſione nomine Cameræ obtentum per Raymundum, poſt multos menſes elapſos, à tempore reſeruationis Papalis, cùm non eſſet veriſimile, eum tunc reſeruationem ignoraſſe. Quod vel ex ipſius Ordinarij litteris ad Papam directis, non obſcurè colligi videbatur, qui propterea ſe Parochialem contuliſſe fa-
10. tebatur; quia reſeruationem ignorauerat: nam cùm menſis Decembris ſemper ſit vnus de quatuor menſibus Ordinariorum, non fuerat neceſſarium, talem præmunire excuſationem: & tamen, cùm hæc agerentur die 13. Ianuarij, nilominus Franciſcus vigore collationis Ordinarij die 15. eiuſdem, poſſeſſionem Parochialis voluit adipiſci.

Ad deciſionem in cauſa Gerunden. Sacriſtiæ, die 26. Maij 1567. coram Cotta, quam Domini vix pro genuina Rotæ deciſione agnoſcere dignabantur, reſpondebatur, eam non omnino applicari huic themati, vbi non fuerat ſeruata Concilij Tridentini forma, deputando œconomum cum congrua fructuum aſſignatione, donec à Papa foret de Parochiali prouiſum, ad quem, tanquam de beneficio reſeruato, pertinebat collatio.

Eodem modo dicebant Domini, reſpondendum ad deciſionem Putei 253. incip. *Dubitauit*
11. *Dominus, lib.3.* nam propterea ibi ex oppoſitione fuerat ius conſiderabile acquiſitum oppoſitori, de quo mentionem fieri oportebat, quoniam concurſus factus fuerat ad eum effectum, apud eos, qui conferre poterant; ſed in hac cauſa concurſus, & examen Franciſci (vt euentus demonſtrauit) non poterant dici facta ad effectum vt Papa deinde conferret, cùm Ordinarius contulerit, & ideo ex illis, tanquam ex præambulis ad collationem à Papa faciendam, non fuerat Franciſco quæſitum aliquod ius conſiderabile, imò verò, ſi quod acquiſiuerat, extinctum fuerat per collationem Ordinarij, ad quem actus præcedentes videbantur ordinati.

12. * & non ſolùm in tali caſu debet fieri mentio ſed iuſtificãda eſt gratia Duran. dec.137.n.2.

Præterea cùm deciſio Putei loqueretur ſolùm ad effectum, vt dicti iuris * mentio fieri deberet, ex eo non poterat huic facto applicari, quòd ex ſerie & narratione totius cauſæ expoſitæ fuerant Papæ omnes illius circunſtantiæ.

Illa quæ obiiciebantur contra prouiſionem Raimundi, tanquam aliena à præſenti diſputatione, in qua ſolùm quærebatur de iure à Franciſco prætenſo, non indigere prætenſione, Domini cenſuerunt, & ita fuit concluſum, nullum competere ius Franciſco, nec ei Parochialem adiudicandam.

---

## *Farfenſis villæ Caprolæ.*

### Die Veneris 12. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Inueſtitura bonorum Eccleſiaſticorum debet regulari ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ, vel loci, vbi huiuſmodi contractus celebrantur.*
3 *Oſeruantia interpretatiua vt ſeruetur, non indiget vt ſit per præſcriptionem ſed per aliquos actus.*
4 *Iuri expreſſo, quod repugnat, dicitur contra ius, non verò, quod Doctorum placitis contradicitur.*
5 *Generatio prima in filio finitur, & tertia in nepote.*
6 *Teſtibus ſi oſtendantur articuli, non ex eo derogatur eorum fides.*
7 *Vaſallus pro domino probat.*
8 *Teſtes communitatis probant pro ea, ſi non agatur de eorum intereſſe principaliter.*
9 *Conſuetudo per actus coactiuos non probatur.*
10 *Obſeruantia ſubſecuta, eſt certa ſtatutorum interpres.*

## DECISIO CCLXXXI.

1. * ſuprà dec. 223. & hæc deciſio fuit confirmata infrà deciſ. 335.

Qvando die 20. Maij præteriti, Dominis Vrſinis * ſolùm informantibus fuit iſta cauſa propoſita, & concluſum, pronepotes primorum recipientium in inueſtitura facta ann. 1445. fuiſſe comprehenſos, res acta eſt, inſpectis tantùm verbis inſtrumenti præfatæ inueſtituræ, & propterea illa deciſio ex rationibus in ea deductis, ſecundùm terminos tunc propoſitos, modò non reuocabatur in dubium.

2. * adde Duran. dec. 295. num.6.

Sed, quia magnifica communitas Montopolitana, quæ in hac poſitione pro ſuo intereſſe informatura comparuerat, intendebat probare talem obſeruantiam, vt primi inueſtiti conſtituerent primam generationem, & inueſtitura finiretur in tertia, videlicet in nepotibus, & per conſequens, pronepotes remanerent excluſi, cùm in his ceſſionibus conſuetudo Eccleſiæ, ſeu loci, vbi huiuſmodi contractus celebrantur, obſeruari * ſoleat, Baldus *in Authent quas ruinas num. 4. C. de ſacroſan. Eccleſ.* Imola *in l. quod dicitur n.8. ad finem, ff. de verb. oblig.* Socin. *conſ.25. n.8. lib.1.* Alexand. *conſ.125. n.6. lib.5.* Gabriel *conſ.68. n.7. lib.2.* Simon de Prætis *conſil.20. n.2. & ſeq.* Ideo præſuppoſitis ſtatutis Abbatiæ Farfen. & dictis teſtium.

Domini cenſuerunt, probari talem obſeruantiam, qualem communitas prætendebat, ex illis, quæ præ cæteris deponebant, ſecundus teſtis iuxta 15. tertius ſuper primo, & iuxta 15. & 16. quintus iuxta 11. & ſextus iuxta 15. qui conformiter teſtificabantur formulam conceſſionum factarum in emphyteuſim ab Abbatibus Farfenſibus, vſitatam, & informem eſſe pro ſe, & filiis, & nepotibus vſque in tertiam generationem legitimam finitam, & bene completam, addebantque, ſub tali formula non comprehendi, niſi tertiam generationem à primo locatore, ſeu inueſtito; ſecundam à filiis, tertiam autem finiendam in

in nepotibus: cùm enim teſtes deponerent de multis actibus,& aliquot inſtrumentis à ſe viſis, ac etiam de auditu ab aliis, & de ſententiis latis contra aliud prætendentes, legitimè dicebantur
3. probare hanc obſeruationem interpretatiuam, ad quam introducendam, non eſt * neceſſaria præſcriptio,nec certum,ac præfinitum temporis ſpatium,ſed ſufficit aliquoties ita fuiſſe obſeruatum, Paulus de Caſtro *conſil.* 347. *num.*4.*lib.* 1. Aymo *conſil.*118.*num.*2.*&* *conſil.*201.*num.*12.latè Decianus *conſil.*51.*num.*58. *& ſequent.& num.*84. *lib.*2. Anton.de Butrio *in cap.fin. in ſecunda lectura num.*47.*de conſuetud.* Aretinus *conſil.*11.*num.*5. *verſ.ſed tamen,* Alexand.*conſ.*8.*num.*7. *verſ.nec requiritur, lib.*6. Puteus *deciſ.*283. incip. *Voluerunt Domini, lib.*1.

* adde Caual. dec. 80. n. 5. & 427. n. 2. & aliàs ſæpe,Seraph. dec 248.n.6. & 1401.n.17. Rotam rec. p.1.dec.419. n. 6. & 448. n.3.

Nec erat verum, iſtam obſeruantiam interpretatiuam eſſe contra ius,propter illa verba inueſtituræ, *vſque ad tertiam generationem finitam, & bene completam*;& ideo ad illam inducendam, requiri ſpatium quadraginta annorum. Puteus *deciſ.*15.incip.*In vna Burgen. num.*4. *lib.* 3. quia nuſquam apparebat, prædicta verba id propriè
4. ſignificare,nec hanc interpretationem eſſe contra ius, cùm id contra ius eſſe dicatur, quod expreſſo iuri repugnat, † non quod doctorum placitis aliquando contradicit, *l. contra legem,* vbi gloſſ. *ff.de legib. l. non dubium*, vbi Doctores, *C. de legib.* præſertim cùm in caſu propoſito non deſint Doctores aſſerentes, etiam in inueſtituris habentibus illa verba, *finitam, & bene completam*, primos acquirentes conſtituere primam generationem, * & tertiam in nepotibus terminari. Gabriel *d.conſ.*68.*n.*1.*& ſeq.*& Simon de Prætis *conſil.*20.*num.*10. *verſ.abſque dicta conſuetudine.*

† adde Caual.dec.497. num.4.

* adde ſuprà dec.223.n.3. quando autem primus acquirens poſſit præiudicare comprehenſis in inueſtitura vide latè in annot.ad deciſ.529.Lud. num.25.

Quòd nonnullis † teſtibus eſſent oſtenſi ar-
5. ticuli, non derogabat eorum fidei, cùm propter-
6. ea,reprobari non debeant. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de teſtibus, num.* 19. præſertim cùm alij adeſſent, quibus oſtenſi non fuerunt.

†ab hoc verſiculo vſque ad verſiculũ non obſtabat habetur impreſſum per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.141.

Nec ideo minus probabant, quòd dicerentur eſſe vaſalli bon.mem. Cardinalis Farneſij, tunc Abbatiæ Farfenſis Commendatarij, * quia & vaſallus pro domino probat, Afflictus *dec.*304. *num.*14. Gabriel *tit.de teſtib.concluſ.*10.*num.*21. & teſtes communitatis probant, etiam pro com-
7. munitate, quando non agitur principaliter de teſtium intereſſe.† Gratus *conſil.*41.*num.*17.*lib.*2. Puteus *deciſ.*15. incip. *In vna Burgen.lib.*3. Iaſon *in l.ſi quis nec cauſam, num.*13.*ff.ſi cert.petat.* & ita fuit reſolutum,me proponente,in vna Spoletana bonorum 18. Maij 1590. * in hac cauſa, potius conſtabat de incommodo, & damno teſtium,
8. quàm de illorum intereſſe, cùm vtilius foret Montopoletanis, tales inueſtituras extendi vſque ad pronepotes, quàm in nepotibus terminari.

* adde Rot. recen.part.1. dec.702.n.6. Seraph. dec. 1489. n.3. & infrà deciſ. 521.n. 9. & ſequent.

† de hoc art. latè Ludou. dec.340.n.1. & 8. & 14. Caual. deciſ. 632. num. 9. Cocc. deciſ. 324. n. 1. & ſeq.

* ſuprà deciſ.107.n.10.

Non obſtabat, quòd deponebat vnus, aut alter teſtis, videlicet, quòd quotieſcunque iudices commiſſarij locationum emphyteuticarum bonorum Abbatiæ Farfenſis, reperiebant pronepotes primorum acquirentium poſſidere, eos compellebant petere renouationem, ſeu nouam
9. inueſtituram, vnde ſequebatur, vt per actus coactiuos non poſſet aliqua legitima†conſuetudo probari; quoniam reſpondebant Domini,quòd teſtes non loquebantur de coactione iudiciali, & legitima, à qua licebat appellare, & alia iuris remedia implorare; vnde tanto magis videbatur introducta legitima conſuetudo, præſertim interpretatiua.

† de hoc art. Ludou. dec. 162.à n.8. & ſeq.

Per ſtatuta quoque Abbatiæ Farfenſis, quibus reguntur oppida, & ſubiecta, idem probari videbatur: nam titulo *de locationibus,cap.*2. cautum extat, quòd quando locatio eſt facienda in perſona vnius locatarij, qui decedat vno, vel pluribus filiis relictis,& ex illis plures,vel quotquot deſcendant nepotes, quorum filiorum, vel nepotum aliqui, poſt mortem primi locatarij moriantur ſine prole durante ſecunda, & tertia generatione,etiamſi de pluribus, & in quocumque numero fuerint deſcendentes, ad vnum ſuperſtitem veniat generatio, dictus ſuperſtes non poſſit quomodocunque per monaſterium, ſeu eius Dominum Abbatem cogi, ad reuocandum portiones morientium, ſeu deficientium, ſed de vno in alium deueniant, dicta ſecunda, & tertia generatione durante. Ex his enim ſtatuti verbis colligebatur, filios vocari in ſecunda generatione, dum iubet portionem vnius filij alteri accreſcere,& ſimiliter de nepotibus, ſecunda, & tertia generatione durante: aliàs enim non poſſet verificari diſpoſitio dicti ſtatuti, ſi filij eſſent in prima generatione: vnde,cùm illa verba, *ſecunda, & tertia generatione durante*, referantur ad filios, & nepotes primi recipientis, neceſſariò concludebatur,primos inueſtitos, conſtituere primam generationem.

His accedebat tertium,& quartum ſtatutum ſub eodem titulo de locationibus,quibus eadem ſententia expreſſius contineri videbatur: nam cùm in tertio ſtatuto præcipiatur, vt bona locatitia, ob generationem finitam ad monaſterium deuoluta, deſcendentibus locatariorum, ſi extent, reuocentur, continenter in quarto ſtatuto diſponitur, quòd ſi contingat,per excedentiam, & finitam generationem,bona locatitia deuolui ad Monaſterium, ita quòd nulli deſcendentes ipſius locatarij,vel ſuorum filiorum,& nepotum extent,tunc Monaſterium,& Abbas teneatur, & debeat dicta bona proximiori vaſallo ipſius defuncti, vni vel pluribus relocare; ex his enim videbatur conſtare, primum locatarium facere primam generationem,in ſecunda verò filios,& in tertia contineri nepotes, & eo præſertim nomine, quia nuſquam apparebat facta mentio de pronepotibus; & licèt prædicta ſtatuta non eſſent adeò potentia, ſatis tamen clara reddebantur ex obſeruantia ſubſecuta, quam teſtes bene probabant; obſeruantia enim ſubſecuta,eſt certa legum, & ſtatutorum * dubiorum interpres. 10.
Aymo *conſil.*101.*num.*3.*& conſil.*201.*num.*11.Siluanus *conſil.*63.*num.*18.*& conſil.*65.*num.*17. Socinus *conſil.*145.*n.*2.*lib.*1. Becius *conſ.*101. incip.*In propoſita facti ſpecie, num.*47. *verſ. denique quando in verbis,lib.*1.

* adde ſuprà dec.228.n.7. & 261. n. 8. vbi annotaui alias deciſ.

---

## *Romana domus, ſiue reſciſſionis contractus.*

### Die Lunæ 15.Februarij ann. 1593.

SVMMARIVM.

2 *Venditio reſcinditur per læſionem enormiſſimam, quæ fit deceptione dimidij pretij facta.*

3.4 *Tranſactio ſemper reſpiciens vtilitatem vnius ex tranſigentibus,& damnum alterius,non ſuſtinetur propter læſionem enormem.*



## DECISIO CCLXXXII.

1. SVper hæreditate Marij de Benefacere,cui ab inteſtato mortuo de anno 1527. ſuccedebat Euangeliſta Torquatus, & conſequenter D. Fabius Petrotius eius hæres, tanquam proximior conſanguineus; quia Brigida de Normandis, & Imperia de Tyrannis, ius ſibi competere prætendebant,eandem hæreditatem in præiudicium Euangeliſtæ adiuerunt; vnde,pro parte Euangeliſtæ, cauſa in Rota commiſſa, & conſtito de eius proximioritate, & bono iure Petrotij hæredis Euangeliſtæ, contra Brigidam, & Imperiam fuit pronunciatum ad illius fauorem; ſed cùm de anno 1572. D. Iacobus Querrus domum de qua agebatur,exiſtentem in hæreditate, quondam Marij, pro ſcutis ſexcentis emiſſet ab Imperia, tunc, & per multos antea annos, domum poſſidente, & ſucceſſiuè de anno 1575. Querrus ſuper dicta domo à Normandis moleſtaretur, tranſactione inita cum Petrotio,Euangeliſtæ hærede,eidem promiſit ſoluere ſcuta cc. ſemper, & quandocumque ſententias fauorabiles, & rem iudicatam contra alios, prætendentes hæreditatem Marij Petrotius reportaret,ita, quòd amplius nec Querrus, nec hæredes ſuper dicta domo moleſtari poſſent; hæredes verò Querri de anno 1578. ſcuta cc. ſoluentes pactum appoſuerunt, vt in euentum ſuccumbentiæ,hæredes Euangeliſtæ,& ſcuta cc. reſtituere, & damna quoque reficere tenerentur.

Cùm autem Petrotius, cognito valore domus,aſcendente ad ſcuta mille (de quo non erat controuerſia,quia tantus fuit præſuppoſitus) ex capite enormiſſimæ læſionis ageret ad reſciſſionem tranſactionis,& ſæpe cauſa in Rota propoſita, fauorabiles reſolutiones, & tandem à R. P. D. Seraphino Rotæ Decano, ſententiam propitiam reportaſſet, in gradu appellationis mihi cauſa commiſſa, vt ſatisfacerem D. Annibali Querro, qui de nouo ſuper eiſdem audiri petebat, præſuppoſitis reſolutionibus factis ſub die 10. Martij, & 16. Octobr. & 13. Nouembris ann.1589. & valore domus aſcendente ad ſcuta mille, propoſui dubium aliàs ſæpe propoſitum, & reſolutum, an tranſactio etiam reſpectu iurium Imperiæ, fuiſſet læſiua attento etiam tempore concordiæ de anno 1575. Domini autem,
2. vno ſolùm excepto, qui tunc primùm cauſam viderat, concorditer tenuerunt, tranſactionem fuiſſe læſiuam; nam cùm domus eſſet valoris mille, & fuiſſet à Petrotio hærede Euangeliſtæ ceſſa Querro, pro ſcutis cc. læſio nedum tertiam, ſed dimidiam etiam iuſti pretij excedebat, & conſequenter veniebat de iure reſcindenda, *gloſſ.& Doctores *in l.ſi quis cùm aliter ff de verbor. obligat.* Socinus iunior *conſ.*129. *n.*48. *&* 49. *lib.*7. quod ſæpe in Rota fuit reſolutum, tam in hac,quàm in aliis cauſis.

* ex quo colligitur, quod ad effectũ reſcindendi tranſactionem, requiritur læſio enormiſſima, vt per Rotam rec.p.1.dec. 461. n. 7. & aliàs ſæpe.

† de hoc art. vide Seraph. deciſ.861. & Caual. deciſ. 407. n. 3. & 644.n.1.

Dubius litis euentus, & tempus tranſactionis,† in dubio præſuppoſitum, de quo tempore iura Petrotij dubia eſſe videbantur, non faciebant ceſſare enormiſſimam læſionem, ſemper enim ex tenore tranſactionis, & ceſſionis conſtabat de enormiſſima eius leſione; quia ipſe,pro iuribus ſuis nil certi recepit: primùm namque conuenit, vt Querrus non teneretur ei ſoluere ſcuta cc. niſi poſtquam ipſe, cum iuribus ab eo ceſſis obtinuiſſet,vel obtinere potuiſſet ſententias fauorabiles,& rem iudicatam,quas non potuit obtinere, niſi vinceret Imperiam, prout vicit, quòd ſi fuiſſet ab Imperia victus, tunc non tenebatur ſoluere Petrotio ſcuta cc. & inſuper ann. 1578. hæredes Querri, adhuc magis ſibi cauentes, dum ſoluerent Petrotio ſcuta cc. appoſuerunt pactum, quòd in euentum ſuccumbentiæ in huiuſmodi cauſa, hæredes Euangeliſtæ, in quibus erat Petrotius, nedum dicta ſcuta cc.reſtituere,ſed etiam damna reficere tenerentur:vnde apparebat enormiſſima læſio Petrotij, etiam inſpecto dubio litis euentu, & tempore tranſactionis & iuribus Imperiæ; hæc enim conuentio nullum ei afferebat commodum, ſed potiùs damnum certum: quia ſi Querrus perdebat litem,Petrotius tenebatur ei reſtituere ſcuta cc. & damna reficere: ſi autem vincebat Querrus, non poterat Petrotius petere aliquid vltra cc. pro ipſa domo, valoris mille ſcutorum. Vnde non poterat vllo pacto tranſactio * ſuſtineri. 3.
*l.tranſactio, C.de tranſact.*

* adde Caual.dec.644. n. 1. Rotam rec.p.1. dec. 539.n.2.

Nec ideo minus dicebatur tranſactio, enormiſſimè Petrotio fuiſſe læſiua, quòd Querrus vltra ſcuta cc.ſoluerat Imperiæ, pro domo ſcuta DC. quibus ſi adderentur ſcuta cc. Petrotio ſoluta, conſurgebat ſumma ſcutorum DCCC. quæ habito reſpectu, ad valorem domus ſcutorum mille, ſatis videbantur omnem læſionem excludere.

Quia reſpondebatur, iſta ſcuta DC. non fuiſſe ſoluta Petrotio legitimo domus domino, ſed Imperiæ illegitimæ domus occupatrici, vnde non ſequebatur Petrotium non fuiſſe enormiſſimè læſum: neque enim ſpectandum erat,quid Querrus impendiſſet, ſed quid Petrotius accepiſſet, iſta enim non fuerunt correſpectiua, ſed diuerſa, & ſeparata, & ſeparatorum diuerſa eſt ratio,& natura. *l. Papinianus exuli, ff. de minorib.* 4.
Quòd ſi Querrus Imperiæ DC. perſolueret, ſibi erat imputandum, cùm Imperiæ iura nullius momenti forent, nec in Petrotij vtilitatem, & commodum redundare potuiſſent. Ex quibus Domini ſine difficultate concluſerunt, conſtare de enormiſſima Petrotij læſione, de tempore tranſactionis etiam reſpectu iurium Imperiæ, & ita ſtandum in deciſis.

---

## *Burgen. beneficij de VZieda.*

### Die Lunæ 15. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Iuris patronatus vſurpatio præſumitur in Dominis,& Baronibus temporalibus locorum.*

4.5 *Teſtis deponens de auditu,nil probat,nec ille, qui dedit mandatum in cauſa.*

## DECISIO CCLXXXIII.

1. QVia procedebatur * per contradictas, non obſtante, quòd Domini ordinauerant cauſam expediri, volui per me videre proceſſum, & excitaui aliquot difficultates, quas propoſui

* habetur hæc dec. inter impreſſas per Marcheſ. de commiſſio p. 1. pag. 624.

Procuratori Ioannis Henriquez de Teran diluendas: & quia placuerunt mihi reſponſiones in cæteris, exceptis tamen duabus, quas volui Dominis communicare; propoſita cauſa extra ordinem, fuit reſolutum ex deductis pro parte Ioannis ſufficienter fuiſſe ſublatam difficultatem per me excitatam, circa vxurpationem * iurispatronatus, quia licèt primus, & octauus teſtes, pro parte Cardinalis de Mendoza examinati, iuxta duodecimum interrogatorium dicerent, Ioannem de Mur, & eius auum, & anteceſſores fuiſſe potentes, adeò quòd in valle de Capuernica, non fiebat, niſi quod ipſi volebant, nihilominus, quia nec erant Domini temporales, † nec Baronus de Vzieda, ceſſabat in eis præſumptio vſurpationis, ſicut etiam videbatur ceſſare, ex pacificis præſentationibus abſque contradictione, *de quibus deponebant teſtes vtriuſque partis; nec erat veriſimile, incolas de Vzieda, permiſſuros iſtos de domo de Teran præſentare; ſi ab initio iſtud beneficium fuiſſet patrimoniale, cùm id apertè redundaret in præiudicium filiorum patrimonialium.

* quando præſumatur vſurpatio iuriſpatronatus latè tradit. Ludou. & ibi annotat. deciſ. 211. & Coc. dec. 25.

2.

† adde Caual. dec. 89. n. 1. vbi aliæ dec. allegantur.

* adde Seraphin. dec. 1411. num. 9. aliàs ſæpe.

Neque ex perceptione decimarum augebatur præſumptio vſurpationis, ex quo dicebatur, duas tertias partes decimarum, quæ erant Eccleſiæ Sanctæ Martini de Helines, fuiſſe datas in feudum iſtis de Teran, quarum nomine, prædictam Eccleſiam recognoſcentes, ſoluerunt & ſoluunt ei 20200. marapetinos. Vnde conſtabat, de legitimo titulo percipiendi decimas, abſque vſurpatione.

3. Quantum ad alteram difficultatem, per me excitatam, ex dictis teſtium examinatorum pro parte Michaëlis de Valuas, deponentium ad quartum interrogatorium, Eccleſiam Sancti Iuliani de Vzieda eſſe liberam, & non de iurepatronatus, Domini ordinarunt, quòd ego viderem, quomodo loquerentur teſtes ſuper libertate, vel iurepatronatus iſtius beneficij, & ſi eorum dicta mihi non viderentur releuantia, cauſam expedirem.

Die Veneris 27. ſupradicti menſis Februarij, reuoluto proceſſu, & lectis dictis teſtium pro parte Michaëlis de Valuas examinatorum, videbatur, non eſſe releuantia; primum, quia octo ex illis erant incolæ oppidi de Vzieda, qui in ſpecie dederant mandatum * ad hanc litem die 19. Iunij 1590. ſimul cum aliis oppidanis. Præterea omnes ferè dicebant, ideo ſe habere beneficium pro libero, & patrimoniali, quia vti tale fuerat collatum Ferdinando de Campuzano, vigore cuiuſdam ſententiæ, in qua tamen non poterat fieri fundamentum, ex quo videbatur detecta eius iniuſtitia ex teſtibus Ioannis Henriquez de Teran, deponentibus de iurepatronatus ante litem motam ab immemorabili, vnde ſublato dictæ ſententiæ fundamento, parum videbant releuare teſtes ad ſententiam * ſe referentes.

* pars formabis non poteſt eſſe teſtis in cauſa. Caualer. dec. 378. n. 5.

* teſtis referens ſe ad inſtrumentum deponere intelligitur, quod in inſtrumento ſcriptum eſt cum eiſdem qualitatibus. Mant. dec. 6. n. 7. Seraph. dec. 836. n. 4. & 970. n. 1.

Illi autem teſtes, qui ad tertium, & quartum interrogatorium reſpondentes dicebant, Didacum Perez, tanquam filium patrimonialem poſſediſſe iſtud beneficium, propterea non videbantur releuare, quia non addebant, illum fuiſſe inſtitutum, & poſſediſſe abſque præſentatione Ioannis de Miez, deponebant etiam, de ſimplici tantùm auditu à duobus, vel tribus, non autem de publica voce, & fama. Teſtes verò Ioannis Henriquez de Teran probabant immemorabilem, vt fuit in hac eadem cauſa reſolutum, * ex quibus putabam, cauſam poſſe expediri ad fauorem Domini Ioannis, iuxta ordinem Dominorum.

* ſuprà dec. 252.

---

## *Camerinen. bonorum.*

### Die Lunæ 15. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Simulatio non præſumitur in venditione facta, ſi non conſtat de fraude facta, ab intereſſe habentibus in re.*

## DECISIO CCLXXXIV.

1. Occaſione dubij, quod de ordine Rotæ dederam in hac cauſa, videlicet an conſtaret de cauſa ſimulationis, * item propter conſilium Alexandri 57. incip. *Viſa breuis caſus narratione, lib. 5.* quo potiſſimum vtebantur informantes pro D. Achille Cibo, Domini excitauerunt plures difficultates, & diſtinxerunt aliquot caſus, ita vt non potuerit ſimpliciter concludi conſtare, vel non conſtare de cauſa ſimulationis, * omnes tamen concorditer cenſuerunt non ſubeſſe cauſam ſimulationis, niſi conſtaret venditionem per D. Theodorinam factam Duciſſæ de Camerino de iſta Rochetta fuiſſe, in fraudem legitimæ filiorum D. Theodorinæ, quia ſi per talem venditionem, vel omnis legitima filiis debita in bonis Theodorinæ fuit eis ablata, vel cum effectu diminuta, tunc venditio, vel donatio, vel in toto, vel in parte, ſecundùm quantitatem defraudatæ legitimæ poſſet reuocari, quod ex quantitate bonorum Theodorinæ erat iudicandum. Neque ex præfato conſilio Alexandri plures caſus diſtinguentis, poterat abſolutè concludi nullitas contractus, ob ſimulatam venditionem.

* per hanc deciſioẽ fuit receſſum ab alia facta 4. Nouembris 1592. ſuprà dec. 258.

* vt concluſum fuit ſuprà in d. dec. 258. n. 4.

---

## *Mediolanen. de Caſate.*

### Die Veneris 19. Februarij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Teſtes conſanguinei non habentes intereſſe, melius probant, quàm extranei conſanguinitatem.*

3 *Conſanguinitatis gradus notior eſt conſanguineis, quàm extraneis.*

4.5 *Fraternitas probatur ex tractatu, & nominatione facta ab aliquibus pro fratribus.*

## DECISIO CCLXXXV.

1. De ordine Rotæ reſtrinxeram punctum in hac cauſa, ad hoc dubium, an conſtaret, Franciſchinam, & Catherinam fuiſſe ſorores, & retentas in concubinatu, ſeu illicito contubernio ab Antonio de Caſate, ex hoc enim poſtea erat videndum, an ſubreptitia foret diſpenſatio, in qua non fuerat expreſſum, mulieres conſanguineas Margaritæ vxoris Antonij, quas ille carna



carnaliter, cognouiſſe fatebatur, fuiſſe ſorores carnales, & multo tempore ab illo in illicito contubernio retentas. Et quantum ad ſecundam partem dubij, non conſenſerunt Dominorum ſuffragia; quantum ad primam, concorditer tenuerunt, conſtare Franciſchinam, & Catherinam fuiſſe ſorores, id enim probabant plures teſtes, primus nempe, & ſecundus ſuper 18. & 19. & quintus ſuper 18. qui cùm eſſent conſanguinei * iſtarum mulierum, nec haberent aliquod intereſſe in cauſa, longè perfectius, quàm extranei, conſanguinitatem probare dicebantur. Antonius de Butrio *in cap. quoties, num. 9.* vbi etiam Abbas *num. 2.* & Felinus *num. 2. de teſtib.* quia coniunctionis, † ſiue conſanguinitatis gradus, magis noti præſumuntur eſſe conſanguinei, quàm extranei, * *c. videtur nobis, qui matri accuſar. poſſ.* iſti verò, teſtes nedum aſſerebant Franciſchinam, & Catherinam fuiſſe ex eiſdem parentibus natos, ſed deponebant etiam de tractatu, & nominatione, tanquam de ſororibus, & quòd ab aliis pro talibus quoque reputabantur, ex quo tractatu, & reputatione, ſatis etiam videbatur probata fraternitas. * Paulus de Caſtro *conſ. 151.* incip. *Viſo puncto, num. 1. lib. 1.* Baldus *in l. 1. in fine, C. quorum bonorum.*

*Rota rec. p. 1. dec. 384. n. 6. & diu. p. 2. dec. 220. n. 1. & 2.

2.

† adde Rotã rec. p. 1. dec. 176. n. 6.

3.

* vide infrà dec. 833. n 3.

4.

* adde Caual. dec. 268. n. 4. & 5. Rotam rec. p. 2. dec. 17. n. 2.

5.

Hanc probationem coadiuuabat inſtrumentum tutelæ, in quo Franciſchina, & Catherina nominabantur ſorores: nam licèt ſola nominatio non eſſet ſufficiens, * tunc tamen ſufficit, quando nominationi adiungitur actus filiis proportionatus, & quaſi debitus, Antonius de Butrio *in cap. tranſmiſſæ, num. 10. verſ. aut nominat ipſum filium,* & *ibidem* Præpoſitus *num. 9. qui filij ſint legit.* Aretinus *in cap. per tuas, num. 23.* vbi Felinus *num. 17. de probationib.* Gozadinus *conſ. 13. num. 7.* & fuit reſolutum me proponente, in vna Comen. Capellaniæ die 27. Ianuarij proximè præteriti.*

* dixi ſuprà ad dec. 275. n. 3. & infrà dec. 630.

* ſuprà dec. 275. n. 2.

---

## *Placentina penſionis.*

### Die Lunæ 8. Martij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Exceptiones quæ competunt principali, competunt etiam fideiuſſori.*

3 *Fideiuſſor eſt obligatus eiſdem qualitatibus ac principalis.*

4 *Fideiuſſor cum clauſula,* ſublata, *ex obligatione Camerali habet eaſdem contra ſe ac principales.*

5 *Clauſula,* ſublata, *appoſita in obligatione Camerali operatur, vt non poſſit dici de nullitate, niſi aperto ore per Papam.*

6 *Clauſula,* ſublata, *ſi addatur, vt non poſſit dari de ſubreptione, non poteſt dari de nullitate.*

7 *Clauſulæ, quæ inducunt aliquam diſpoſitionem, non intereſt, vt ſimul collocentur, ſed ſufficit, vt dentur in ea de ſupplicatione.*

8 *Clauſula,* ſublata, *Bulla appoſita in fine, & ſeparata oratione, non debet referri ad proximam, ſed ad totam gratiam.*

9 *Clauſula appoſita in ſcriptura, quæ concernit finem, & validitatem ipſius, debet ad omnem ſcripturam referri.*

## DECISIO CCLXXXVI.

1. Occaſione dubij in hac cauſa * dati, an Ioannes de Monte-maior fideiuſſor poſſet dare de nullitate penſionis ad effectum, vt ſe à fideiuſſione † liberaret, duæ fuerunt conſideratæ difficultates, prima, hæc ipſa quæ proponebatur, altera, an ei obſtaret clauſula, *ſublata,* in litteris reſeruationis appoſita, circa primam, aliqui ex Dominis tenebant partem affirmatiuam ex eo, quòd omnes exceptiones, * quæ competunt principali, competunt etiam fideiuſſori, etiam inuito principali, cùm ſua intereſt à fideiuſſione liberari. *l. omnes exceptiones ff. de exceptio. l. fin. ff. de pactis.* Iaſon *in l. debitori, num. 4.* vbi etiam Alciatus *num. 13. C. eod.* Decius *conſil. 2. num. 2.* quod in caſu propoſito eo minus dubitabile videbatur, quia informantes contra Montemaior pro Miranda penſionario, fatebantur, fideiuſſorem cenſeri ſe obligaſſe, eodem modo, quo principalis fuerat obligatus, & qualitates omnes videri repetitas, in obligatione fideiuſſoria, *l. ſicut proponitur ff. de fideiuſſorib.*

* ſuprà dec. 224. 240.

† de hac cauſa latè diſſerit Garcia de benefic. 6. p. c. 3. à n. 91. vbi præſens deciſio allegatur.

2.

* Caual. dec. 127. n. 3. & 393. n. 1. Rota recen. p. 2. dec. 392. n. 4.

3.

4.

* quia obligatur fideiuſſor cum eiſdem qualitatibus; quod habet locum etiam ſi principalis obligatio ſit nulla, vt per Caual. dec. 301.

Sed quantum ad ſecundam difficultatem, de clauſula, *ſublata,* conformiter cenſuerunt illam obſtare. Cùm enim omnes qualitates expreſſæ in obligatione principalis, cenſerentur repetitæ in fideiuſſore; * clauſula, *ſublata,* quæ obſtabat principali, obſtabat quoque fideiuſſori. Æmilianus *conſil. 100. num. 8.* vnde allegans nullitatem, non aperto ſibi ore per Papam audiri † non poterat. Cotta *deciſ. 18. & 103.*

5.

6.

† Seraphin. dec. 351. n. 1. & ſuprà dec. 246. n. 2.

Præter clauſulam, *ſublata,* aderat etiam clauſula, quòd non poſſet dari de ſubreptione, * & ſic intrabat deciſio in illa Caleguritana iuriſdictionis coram D. de Rubeis die 30. Maij 1580. vt nec etiam poſſet dari de nullitate, Puteus *dec. 377.* incip. *In vna Hiſpalen. lib. 3.*

7.

Nec erat neceſſarium iſtas clauſulas ſimul vnà verborum ſtructura collocare, cùm ſatis foret, in eadem ſupplicatione, & litteris contineri, vt ſuum operarentur effectum. Iaſon *in l. ſin. numer. 3 ff. quod quiſque iuris,* Socinus iunior *conſ. 78. num. 38. lib. 3.*

8.

* vide Seraphinum dec. 761. n. 3. & 351. n. 31. & fuit dictum in Pamphilo. Archidiaconatus 19. Martij 1593. coram Pamphilio, & infrà dec. 313. & in Hiſpalen. beneficij de Xerez impreſſæ penes Marcheſ. de commiſſ. p. 2. pag. 424. & 432.

Poſtremò cùm clauſula, *ſublata,* eſſet appoſita in fine, & in oratione ſeparata, dixerunt Domini, non eſſe referendam ad proxima tantùm, videlicet ad decretum quòd penſiones cenſerentur conſtitutæ ad fauorem penſionarij, ſed potiùs ad totam gratiam procedentem, *l. talis ſcriptura. §. fin. ff. de legat. 1. l. licèt,* vbi Bartol. Alexand. & Iaſon, *ff. eod. tit.* Abbas, & Decius *in cap. ſecundò requiris, num. 10. de appell.* Romanus *conſil. 480. num. 7.* Gabriel *tit. de clauſulis, concluſ. 9.* & fuit reſolutum, in eiſdem terminis de clauſula, *ſublata,* in vna Aretina commendæ coram R. P. D. Seraphino die 30. Ianuarij 1587. † & cùm omnia illa decreta tenderent ad corroborandam, & firmius ſtabiliendam reſeruationem penſionis, non poterat aſſignari rationabilis cauſa, cur potiùs ad illud decretum proximè poſitum in caſu reſignationis, & ceſſionis, quàm ad cætera alia, quæ concernebant validitatem reſeruationis penſionis, foret referenda: nam cùm omnia eundem finem reſpicerent, clauſula fortificans, & ſtabiliens illum finem intentum, ad omnia * erat referenda. Decius *in dicto cap. ſecundò requiris, de appell. numer. 5.* vbi Abbas *num. 11.*

† in impreſſis Seraphin. dec 766.

9.

* vt in alio caſu dixit Rotadiu. p. 2. dec. 253 n. 8. & Caual. dec. 148. n. 7. quæ etiam habetur in impreſſis penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag 559.

Allegata

Allegata in contrarium habent locum, quando clauſula eſt poſita in eadem oratione, cum aliquo articulo, cui additur, nec ſtat de per ſe, vel quando poteſt reddi ratio diuerſitatis.

Cæterùm, ſi Ioannes ſuper præmiſſis, aut aliquo ipſorum vult in Rota contra aduerſarios iudicio contendere, adeundo ſignaturam Sanctiſſimi pro aperitione oris, procuret tolli impedimentum de clauſula, *ſublata.*

## *Nouarien. bonorum.*

### Die Lunæ 8. Martij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Læſio Eccleſiæ conſideratur ex alienatione, ſi ex ea Eccleſia lucrum, & vtilitatem non acquirat.*
3 *Læſio Eccleſiæ vt probetur ſufficit, ſi tempore noui contractus plus poſſet percipere.*
4 *Valor bonorum locatorum non probatur per inſtrumenta locationum.*

## DECISIO CCLXXXVII.

1. * ſuprà dec. 202. 235. & 263.

STantibus reſolutionibus * coram me factis in iſta cauſa, ſuper identitate bonorum, de quibus agebatur, & quòd iura erant in forma probante, antequam expedirem cauſam contra Dominos de Clapis, vt ipſis ſatisfacerem, dubitaui, an eſſet recedendum à reſolutione aliàs facta coram Domino Reboſterio, tunc Rotæ Auditore die 17. Ianuarij 1588. & Domini conformiter cenſuerunt, ſtandum eſſe in deciſis, videlicet non conſtare de Eccleſiæ vtilitate; cùm enim de anno M.D.XXXIX. Ioannes Maria de Clapis obtinuerit ſibi locari iſta bona pro libris 40. & de anno M.D.XLII. durante adhuc locatione facta pro libris 40. fecerit ſibi concedi eadem bona ad tertiam generationem pro libris 30. manifeſtum erat, conſtare de Eccleſiæ læſione:

* hæc deciſio fuit confirmat infrà dec. 302.

* & cùm locatio diceretur facta, ex cauſa euidentis vtilitatis, non ſufficiebat ad eius validitatem, vt Eccleſia non fuerit damnificata, ſed

2. † adde Rotã rec. p. 2. dec. 430. n. 6. & diu. p. 2. dec. 65. n. 4. & 17.

requirebatur præterea, quòd lucrum, & vtilitatem percepiſſet; † *c. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. vbi Bellamera *num.* 1. & Geminianus *num.* 2. *verſ. in hac quæſtione*, Imola *in cap. ad aures, num.* 1. *de rebus Eccleſiæ non alienan.* & fuit reſolutum in cauſa Anconitana de Feredinis coram D. Bubalo die 2. Maij 1584. in caſu propoſito, ex prædictis apparebat, Eccleſiam nedum non reportaſſe vtilitatem, ſed potiùs ſenſiſſe damnum, quod maximè concludebatur ex eo, quòd durante locatione ad octo annos pro libris 40. facta fuerat alia lo-

3. catio pro libris 30. quoniam ad probandam læſionem ſufficit, quòd ex locationibus durantibus, tempore nouæ alienationis, Eccleſia plus perciperet, Iaſon *conſ.* 54. *n.* 16. *&* 17. *lib.* 1. Decius *conſ.* 142. *n.* 6. & ita quoque apparebat deciſum in illa Anconitana.

4. Neque prædictis obſtabat vulgaris illa oppoſitio, quòd cùm per inſtrumenta locationum, non probetur verus valor bonorum, non poſſit ex illis argui, ad concludendum Eccleſiæ damnum, quia reſpondebatur, inſtrumenta ſufficere ad probandam non vtilitatem Eccleſiæ, eo præſertim caſu, quando ex præcedentibus inſtrumentis apparebat, bona pro maiori pretio fuiſſe locata, vt contigerat in hac cauſa, ſicut fuerat etiam deciſum in illa Romana Caſalis Turricellæ coram D. Cantuccio die 10. Martij an. 1578. *circa finem verſ. quia reſpondetur.* & ex his ceſſabat quoque obiectio de pacto de non petenda remiſſione, ſeu reductione canonis, nam tali pacto non obſtante, poterat conſiderari læſio, præſertim, vbi conſtaret de tali exceſſu, qualis hîc apparebat, cùm bona ſolita locari pro 40. locata fuerint pro libris 30.

## *Tuden. beneficij del Roſal.*

### Die Lunæ 15. Martij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Annus Pontificis incipit à die coronationis eius, non à die aſſumptionis.*
3 *Fidem facit ſumptum extractum, ex regeſto ſupplicationum Palatij.*
4 *Expeditio litterarum non eſt neceſſaria, quando producuntur litteræ, ad effectum qualificandi primam gratiam.*

## DECISIO CCLXXXVIII.

CVm die 4. Maij 1592. & die 15. * Ianuarij proximè præteriti, non potuiſſem capere reſolutionem ſuper dubio tunc propoſito, an regula de triennali ſuffragaretur D. Alphonſo de Samaniego, & propterea viſum fuiſſet Dominis reſtringere difficultatem, ad prorogationem præfatæ regulæ de triennali in actis productæ, ſuffragaretur apparitio de Sitien. & Domini cenſuerunt, ſuffragari; quia verò tota difficultas pendebat à tempore quo inceperat triennium Alphonſi, ea ſatis tollebatur ex ſerie facti: nam cùm tempore datæ prorogationis, Alphonſus eſſet in poſſeſſione, quam eius Procurator ceperat die 2. Aprilis ann. 1587. & prorogatio apparitij eſſet ſub data 4. Calend. Maij ann. 1585. 1. * ſuprà dec. 218. & 273.

cùm annus incipiat in Dataria, à die coronationis, non à die aſſumptionis, ſatis conſtabat, quòd illa data ſub 4. Calendas Maij ann. 2. inciderat in diem 28. Aprilis ann. 1587. & conſequenter, prorogationem potuiſſe ſeruire, reſpectu triennij iam tuncinchoati, quibus accedebat, quoniam verba prorogationis non erant reſtricta ad triennium Auguſtini, ſed generaliter concepta, comprehendebant quoſcumque intruſos, vel intrudendos, nec reſpiciebant magis vnum, quàm alterum poſſeſſorem. 2.

Prorogatio autem ſatis dicebatur eſſe in forma probante, ex quo in actis fuerat productum exemplum authenticum, extractum ex Regeſto ſupplicationum Palatij Apoſtolici, huiuſmodi enim ſumptis authenticis, hodie de ſtylo plena fides adhiberi * ſolet. 3. * adde Duran. dec. 265. n. 2. quod intellige, & limita, vt n. 14. & ſeqq. Rotam rec. p. 1. dec. 407. n. 3.

Neque obſtabat, quòd non forent expeditæ litteræ ſuper iſta prorogatione, quia cùm produceretur ad effectum qualificandi primam gratiam, non requirebatur expeditio † litterarum Sarnenſis in regula de non iudican. iuxta formam ſupplicationis *quæſt.* 7. 4. † expeditio enim litterarum tunc eſt neceſſaria, quando agitur de Canonicatione gratię, vt per Ludou. dec. 540. n. 6. vbi plures deciſ. allegantur n. 8.

*Romana*



## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 22. Martij 1593.

SVMMARIVM.

2.3 *Creditum cum quantitate illiquida non poteſt compenſari.*

## DECISIO CCLXXXIX.

1. * hæc deciſio fuit confirmata infrà dec. 399.

COncluſum fuit primò, * partitam ſcutorum 732. poſitam per calculatorem, ad creditum D. Ioannis Antonij de Naris, eſſe delendam ex dicto calculo, cùm ea non proueniſſet occaſione fructuum Caſalis montis melioris, pro rata ſpectante ad D. Ioannem Stat. ſed pro rata ſpectante ad quondam D. Hieronymum, occaſione crediti, quod D. Franciſcus Narus habebat cum D. Hieronymo prædicto, communi eorum fratre, præterea fuit pronunciatum, pro illa conſequenda, dandam eſſe Franciſco executionem, contra Ioannem Antonium, non obſtantibus deductis pro parte eiuſdem

2. * adde Duran. dec. 235. n. 5. & 282. n. 1. Ludouiſ. dec. 552. n. 5. Mantic. dec. 221. n. 8. & 233. n. 2. & aliàs ſæpe.

Ioannis, quæ cùm eſſent illiquida, & venirent liquidanda, non poterant compenſari * cum credito Franciſci, quod erat liquidum, *l. fin. C de compenſat.* Bartol. *in l. aufertur. §. qui compenſatiònem ff. de iure fiſci.*

Nec obſtabat, quòd Franciſcus eam ſummam à locum tenente A.C. recepiſſet, cum obligatione de reſtituendo omne mandatum Domini: quia hactenus non conſtitit, eum teneri ad illam reſtituendam, nec iudicem iuſſiſſe, vt illam reſtitueret.

Sententiam latam de anno 1580. quam Franciſcus admiſerat, dicebant Domini, ei non præiudicare ad effectum, vt ſummæ in ea contentæ, cum præfata partita ſcutorum 732. compenſarentur; nam cùm illa ſententia nihil certi contineret, liquidationem expectabat, quam ſibi iudex in fine ſententiæ expreſsè etiam reſeruauerat, quæ propterea creditum liquidum Franciſci morari non poterat.

3. Decretum interpoſitum ab A. C. die 7. Aprilis ann. 1581. ſuper quadam liquidatione ſcutorum 1157. b. 40. ſuper quo fuerat obtentum relaxari mandatum contra Franciſcum, fuit etiam dictum, ei non præiudicare, quominus dictam ſummam liquidam ſcut. 632. conſequi deberet, nam vltra quòd diuerſas prætenſiones continebat, Franciſcus dixerat, illud nullum, & iniuſtum, & per appellationem ſuper eo interpoſitam illius effectum ſuſpenderat; concluſum itaque iſta omnia tanquam incerta, & illiquida non eſſe habenda in conſideratione, ad morandum ſupradictum creditum Franciſci liquidum.

## *Peruſina executionis.*

### Die Veneris 26. Martij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Sententia nulla, quæ tranſiuit in rem iudicatam, non reuocatur per ſecundam, ſi à parte non ſit oppoſitum de nullitate.*
3 *Sententia quæ eſt indiuiſibilis, non poteſt pro parte ſuſtineri, & pro parte non ſuſtineri.*
4.5 *Sententia nulla pro parte ſi iuſta ſit, pro alia poteſt per iudicem ad quem confirmari, pro ea iuſta.*

## DECISIO CCXC.

MAndatum executiuum, quod pro reſiduo doris ſcutorum 1775. ad fauorem D. Marchionis à Cornea, contra D. Alphonſum Mareſcotum A.C. relaxauerat, & R.P.D. Seraphinus, Rotæ Decanus confirmauerat, & executionem conceſſerat, R. P. D. Blanchettus ad ſummam ſcutorum 1441. reduxerat executionem, aliàs pro parte D. Marchionis factam, in ſumma ſcutorum 334. moderando; ſed quia pro parte D. Alphonſi, hæc vltima ſententia prætendebatur nulla, dato deſuper particulari dubio, Domini cenſuerunt, eam fuiſſe validam, & excutioni demandandam, ex eo potiſſimum capite, quia pro parte Alphonſi non fuit oppoſitum * ſententiæ D. Seraphini, quam vltima Rotalis ſententia confirmauerat; quod enim dicitur, ſententiam eſſe nullam, quando reuocat primam, quæ tranſiuit in rem iudicatam, procedere dixerunt, quando fuit à parte oppoſitum, * ſecus ſi non fuit oppoſitum, & iudex habuit iuriſdictionem, vt hîc, cùm ei fuerit commiſſa cauſa, cum toto negotio principali, tunc enim valet ſecunda ſententia, Aretinus *conſil.* 73. *num.* 4. *verſ. veruntamen omnibus rectè penſatis*, Felinus *in cap. cùm contingat, num.* 7. *de offic. deleg. & in cap. inter monaſterium, num.* 16. *de re iudic.* & ita procedit *l.* 1. *C. quando prouoc. non eſt neceſſ.* quæ non habet locum, quando non fuit oppoſitum, vt notat *ibidem* Paulus de Caſtro *num.* 2. 1. * adde infrà dec. 589. n. 8. * de hoc art. latè annot. (plura congerens) ad Ludouiſ. dec. 176. n. 14. & ſeqq. Caual. dec. 203. n. 7. & 563. n. 3. & Rota rec. p. 1. dec. 161. n. 2. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, & vide infrà dec. 320.

His accedebat, quia non erat verum, hanc vltimam ſententiam confirmaſſe id quod priùs annullauerat; licèt enim reuocaſſet decretum A.C. & ſententiam D. Seraphini, reſpectu ſummæ ſcut. 334. tamen reſpectu ſummæ ſcut. 1441. erat confirmatoria, * in qua ſumma, cùm conſentirent, conformes cenſebantur. 2. * Durand. deciſ. 198. n. 10.

Dicebatur etiam, quòd licèt ſententia D. Seraphini eſſet nulla, tanquam quæ eſſet indiuiſibilis, & ideo non poſſet pro parte ſuſtineri, * & pro alia parte non ſuſtineri, iuxta deciſionem Purei 323. incip. *Ad inſtantiam Archiepiſcopi*, nihilominus quia quoad dictam ſummam ſcut. 1441. in qua confirmabatur, foret iuſta, (vt patebat ex multis deciſionibus, in hac cauſa factis) bene potuit pro ea parte, in qua erat iuſta, confirmari: * *cùm ſententia nulla, ſi iuſta ſit, confirmari poſſit.* Innocentius *in cap.* 1. *num.* 2. *de confirmat. vtili, vel inutil.* vbi Decius *n.* 65. Rota *dec.* 7. *de re iudic. in antiq.* Alexander (qui teſtatur de communi) *conſ.* 79. *n.* 1. *&* 5. *& conſ.* 122. *n.* 15. *lib.* 2. Felin. *in cap. ea quæ. n.* 1. *de re iudic.* Aymo *conſ.* 270. *n.* 7. Achilles *dec.* 4. *tit. de ſentent.* Put. *dec.* 60. incip. *In cauſa Meſſanen. lib.* 3. 3. * adde Caual. dec. 484. n. 2. & 3. & Seraph. dec. 180. n. 4. 4. * de hoc art. vide Duran. dec. 143. n. 4. vſque ad 7. & 133. n. 3. & 5. & annotat. ad Ludouiſ. dec. 552 n. 6.

Cùm ergo vltima ſententia non videretur nulla, vel iniuſta; & in ſumma ſcut. 1441. eſſet alteris conformis, * executioni erat demandanda. Cardinalis *in Clem.* 1. *n.* 2. *de re iudic.* Alexander *conſ.* 77. *n.* 1. *lib.* 2. Decius *conſ.* 385. *n.* 1. Crauetta *conſ.* 183. *n.* 2. Curtius iunior *conſ.* 30. *n.* 1. *lib.* 1. Couarruu. *in pract. quæſtionib. c.* 25. *n.* 5. 5. * Cocc. dec. 108. n. 1. & 416. n. 3.

*Romana*

## *Romana reſponſionum, ſiue receſſionis Canonum.*

### Die Veneris 26. Martij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Reſcriptum obtentum ad examinandos teſtes, continet in ſe, ad examinandos peritos, cùm ſint ad inſtar teſtium.*

3 *Reſcriptum ambiguum debet interpretari in fauorem impetrantis.*

4 *Peritorum deputatio tunc habet locum, quando per artis peritiam poſſunt iudicari pretia rerum, reſpectu temporis præteriti.*

5 *Probationes per peritos, tunc habent locum, quando aliàs non poſſint haberi aliæ probationes.*

### DECISIO CCXCI.

1. DOmina Fauſtina de Statis, quia per ſtatutum vrbis erat præcluſa via examinandi nouos teſtes, vigore reſcripti Apoſtolici, quo ſibi progabantur dilationes, ad faciendas probationes, & alios teſtes examinandos, prætendebat etiam eligere peritos, ſed Domini cenſuerunt, non fuiſſe locum electioni peritorum, non ex eo cap. quòd reſcriptum obtentum eſſet re-
2. ſtrictum ad teſtes tantùm examinandos, nam tunc res fuiſſet indubitabilis, præſertim, cùm iura loquentia de teſtibus, non habeant locum in peritis, Decius *in cap. propoſuiſti, num.*53. *de probatio.* Riminaldus iunior *conſ.*212. *num.*16. Purpurat. *in l.* 1. *num.* 72. *ff. ſi cert. petat.* nam in eo aderant clauſulæ ſatis amplæ, quibus poterant etiam periti contineri, præſertim cùm ſint inſtar teſtium. Bald. *in l. fin. quæſt.* 3. *C. de contrahen. empt.* Gabriel *conſil.* 168. *num.* 104. *lib.* 1. & ſi
3. reſcriptum fuiſſet ambiguum, veniret interpretandum ad fauorem impetrantis. * Caſſadorus *deciſ.*6. *num.*4. *de reſcript.* Verallus *deciſ.*121. *n.*3. *parte* 3.

*adde Caual. dec. 67. n. 4.

Sed ex eo, quòd in hac cauſa duo veniebant probanda, nempe valor vini, ſeu muſti, & valor reſponſionum, habita ratione ad ſtatum vinearum, quorum vtrumque erat de annis 1575. & 1576. & 1577. & 1578. nam quantum ad valorem vini, non videbatur eſſe locus æſtimationi peritorum, ſi illius peritiam de eo tempore non habuerunt; ſicut erat veriſimile eos non ha-
4. buiſſe, cùm deputationi peritorum tunc potiſſimum locus ſit, quando ex inſpectione rei, per artis peritiam poſſunt iudicare, & æſtimare pretia rerum, & alias qualitates, etiam reſpectu temporis, Alexander *in l. pretia rerum, num.*6. *ff. ad legem falcidiam,* Cagnolus *in l.*2. *num.* 264. *verſ. voluit Alexander.* & inibi Arias Pinellus *cap. fin. num.*2. *C. de reſcinden. vend.* quòd ſi tales erant periti, qui fortaſſis & de vino, & illius qualitate, & valore notitiam habuerunt, tunc examinari poterant, tanquam teſtes, & non inducenda eorum probatio, & iudicium, tanquam peritorum,
5. maximè cùm ad iſtam deputationem non ſoleat deueniri, niſi in ſubſidium, & quando non poſſunt haberi aliæ probationes. * Verallus *dec.*65. incip. *Cùm ad electionem, lib.* 1. *in manuſcript.*

*valor rei ſecundùm communem æſtimationẽ melius probatur per peritos, quàm per teſtes, vt per Seraph. dec. 665. n. 7. Rotam rec. p. 1. dec. 623. n. 7.

Quantum ad valorem reſponſionum, reſpectu ſtatus vinearum, electio quoque videbatur inanis, ſi ſtatus erat mutatus, cùm maioris valoris ſit reſponſio vineæ, nunc magni pretij effectæ, quàm eſſet olim, quando erat modici pretij.

## *Romana de Rambaglietis.*

### Die Veneris 2. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

1.2 *Sententia eſt nulla, perempta inſtantia, ſi feratur fatalibus non prorogatis.*

3 *Fatalia non currunt Sede vacante.*

4 *Res iudicata non dicitur, ſi pars fecerit nouas probationes, & examen teſtium.*

5 *Sententia iniuſta, numquam tranſit in rem iudicatam.*

6 *Sententiæ nullæ, & iniuſtæ, eodem iure qualificantur.*

7 *Citandus non eſt in cauſa, qui intereſſe non habet.*

### DECISIO CCXCII.

SEntentiam Rotalem ad fauorem DD. Chriſtophori, & Claudij, die 11. Maij ann. 1592. latam, Domini de Ramboglietis prætendebant eſſe nullam, quaſi latam poſt peremptam inſtantiam, fatalibus non prorogatis, * fiſco non citato; ſed Rota cenſuit, eam fuiſſe validam, nam licèt foret lata, poſt biennium, cùm inde eſſet deducendum tempus, quod pars habuit ad probandum, Caſſadorus *deciſ.* 9. *num.* 1. & 5. *de appellat.* item tempus Sedis vacantis, † quo non currunt fatalia, intra biennium lata videri poterat. 1.

*fatalia enim ſi non prorogẽtur, ſentẽtia trãſit in iudicatum. Caual. dec. 588. n. 1. & 333. n. 4. & 6 Durand. dec. 71. n. 1. Seraph. dec. 457. n. 1. Rota recen. p. 1. dec. 156. n. 4. quas refert Durand. dec. 209. n. 1.

Rurſus, quamuis poſt peremptam inſtantiam lata fuiſſet, adhuc iſtis de Ramboglietis non prodeſſet appoſitio nullitatis ex eo, quòd ſententia Rotalis reuocaſſet primam ſententiam A. C. quæ tranſiuerat in rem iudicatam, cùm enim ipſi, videntes Rotam cenſuiſſe præfatam A. C. ſententiam ad ſuum fauorem datam, fuiſſe iniuſtam, ceperint nouas facere probationes, & tales examinare, cùm per iſtos actus rei iudicatæ renunciaſſe * viderentur, non poterant allegare rem iudicatam, Felinus *in cap. quoniam contra, num.*29. vbi Decius *num.*164. *de probat.* idem Felinus *in cap. inter cæteras, num.*4. *verſ. puto etiam, de re iudic.* Mohedanus *deciſ.*39. incip. *Dubitarunt Domini,* Puteus *deciſ.* 202. incip. *Fuit reſolutum, lib.* 2. 2. 3. 4.

† adde Seraphin. dec. 362. n. 2.

* adde Coc. dec. 234. n. 4.

Quibus accedebat vera, & communis regula, ſæpe in Rota canonizata, quòd ſententia iniuſta, qualis fuit detecta illa A. C. nunquam tranſit in rem iudicatam, * cùm iniuſtæ & nullæ ſententiæ, eodem iure cenſeantur. † Felinus *in cap. inter monaſterium, num.*21. *in fine, & num.*23. *de re iudicata.* Imola *in l. ſi expreſſim, num.*14. *verſ. puto etiam, de appell.* Bertrandus *conſil.*149. incip. *Dubia multa eliciuntur, num.*20. *lib.*6. & fuit reſolutum in vna Taruiſina penſionis coram bon. mem. Oradino ann. 1569. quod tanto magis procedebat hîc, vbi fuerat etiam commiſſa cauſa nullitatis. 5. 6.

* Ludouiſ. dec. 317. n. 1. Mant. dec. 7. n. 5. Seraph. deciſ. 381. n. 13. & 1123. n. 6 & 641. n. 1.

† Seraphin. dec. 988. n. 6. & 1469. n. 3.

Defectus



Defectus citationis non cauſabat nullitatem ſententiæ Rotalis, reſpectu fiſci, vel illorum de Ramboglietis, cùm enim ſententia A. C. haberet duas partes, vnam quoad intereſſe fiſci, alteram quoad intereſſe ciuile illorum de Ramboglietis, primæ parti reſpicienti intereſſe fiſci, paritum fuit ſufficienter, per ſolutionem compoſitionis; vnde, cùm ampliùs non haberet intereſſe, * non erat citandus, *l. de vnoquoque ff. de re iudic.* neque reſpectu illorum de Ramboglietis, cum quibus citatis, & auditis, cauſa fuit in Rota tractata.

* adde Duran. dec. 254. n. 4. & 6. Coc. dec. 249. n. 2.

## *Lancianen. beneficiorum.*

### Die Lunæ 5. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopi poſſunt vnire beneficia ad ſuam collationem ſpectantia.*

3 *Non tamen, ſpectantia ad collationem inferiorum, etiamſi in ſuis diœceſibus conſiſtant.*

4 *Beneficia iuris patronatus, non poteſt Epiſcopus vnire, ſine conſenſu Patroni.*

### DECISIO CCXCIII.

1. FVit concluſum ſine difficultate, beneficia ſimplicia S. Mariæ de Rota, & S. Thomæ Caſtri noui, (de quibus agebatur,) vacantia per obitum Ioannis Thomæ, ſpectantia ad collationem Abbatis S. Ioannis in Venere, cuius Abbatia anno 1585. auctoritate Apoſtolica vnita fuerat venerabili congregationi Oratorij S. Mariæ in Vallicella, non comprehendi ſub generali vnione ſimplicium beneficiorum, quam de ann. 1576. Archiepiſcopus Lancianen. fecerat menſæ Capitulari ſuæ Eccleſiæ; quia licèt Epiſcopi poſſint vnire beneficia ad ſuam collationem ſpectantia,
2. non tamen poſſunt vnire pertinentia ad collationem aliorum etiam inferiorum, * quamuis in ſuis diœceſibus conſiſtant, gloſſ. *in Clement.* 2. *in verb. Rector, de rebus Eccleſ. non alienan.* per textum *in Clem.* 1. *§. ad hæc, de ſtatu Monachorum,* Bellamera *dec.* 513. incip. *Concluſio, quia,* Caccialupus *tract. de vnionib. art.*6. *n.*4. Pariſius *conſ.*41. *num.*6. *lib.*4. & cùm per vnionem præiudicaretur inferiori collatori, eo non vocato, neque conſen-
3. tiente, † fieri non potuit, vt de vnione Eccleſiæ Collegialis ſcribit idem Caccialupus *dicto art.* 6. *n.*5. & de vnione Eccleſiæ iuriſpatronatus, vt ea fieri poſſit ſine conſenſu * patroni, dicit Couarruu. atteſtans de communi, *in practicis quæſtionib, c.*36. *n.*11. Verallus *dec.*350. *parte* 3. *n.*4.

* fuit dictũ in Faruiſina Plebis 2. Iunij 1593. impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 2. pag. 479. n. 1. & p. 1. pag. 683.

† Caual. dec. 411. n. 2. Rota recen. p. 2. dec. 455. n. 5. & 6. March. dec. 87. n. 6.

* adde cap. ſuggeſtũ 20. de iurepatr. & Boër. dec. 345, n. 4. Rotam rec. p. 1. dec. 688. bene tamẽ poterit Epiſcopus beneficiũ liberum vnire beneficio iuris patronatus, vt per Rotam rec. p. 2. dec. 222. n. 3.

## *Romana deuolutionis domus.*

### Die Lunæ 5. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

2.3.4 *Clauſula in fine poſita, refertur ad omnia præcedentia.*

5 *Hæredis vniuerſalis inſtitutio habet vim nominationis ad emphyteoſim.*

6 *Clauſula in fine poſita, non refertur ad caſum diſſimilem præcedentem.*

7 *Nec ad omnia præcedentia, quando verſamur in odioſis.*

8.9 *Dictio,* vt ſuprà, *comprehendit antecedentia.*

10 *Verba præcedentia ſcripturæ, quæ ſunt dubia, tunc clauſula declaratiua refertur ad omnia.*

11.12 *Clauſula,* ita tamen, *determinat non ſolùm caſum ſecundum, & immediatum cui adhæret, ſed etiam primum magis remotum.*

13 *Relatio verborum in ſcriptura debet fieri, ita vt minus corrigatur.*

### DECISIO CCXCIV.

LItem inter Capitulum Baſilicæ S. Petri Principis Apoſtolorum, & quondam Ioann. Baptiſtam Altouitum, ſuper quadam domo, in Regione Pontis ſita, ad domnium, & proprietatem dictæ Baſilicæ pertinente, per mutuam tranſactionem partes terminarunt ſub his ferè verbis; præfatam enim domum, antea in emphyteoſim perpetuam conceſſam, reduxerunt ad tertiam generationem maſculinam, ab ipſo Ioanne Baptiſta inchoandam, videlicet pro ſe, eiuſque filius, & nepotibus maſculis legitimis, & naturalibus, ex eo per directam, & maſculinam lineam tantùm deſcendentibus; & in defectum dictorum filiorum, ad tertiam ipſius Ioannis Baptiſtæ nominationẽ, nempe ad vitam ipſius, & ad vitam vnius perſonæ, per dictum Ioannem Baptiſtam nominandæ, & ad vitam alterius perſonæ, per perſonam nominatam nominandæ; adeò, quòd dicta nominatio, duas alias vitas, vltra vitam ipſius Ioannis Baptiſtæ, non excederet; ita tamen, & taliter, quòd ſi Ioannes Baptiſta decederet ſine filiis, poſſet aliam perſonam nominare; & illa perſona nominata, licèt haberet generationem, tamen ad ſucceſſionem præfatæ domus locum non haberet, ſed tantùm liceret prædictæ perſonæ, vt ſuprà nominatæ, aliam perſonã nominare: ita tamen, & taliter, quòd ſub vniuerſali hæredum inſtitutione non intelligeretur comprehenſa domus, niſi ad illius ſucceſſionem expreſſè, & in ſpecie aliqua perſona nominata foret. Quatenus verò Ioannes Baptiſta decederet cum generatione, relictis videlicet filiis maſculis, ſi illi generationem maſculinam non haberent, tunc liceret ipſis, vel eorum alteri, vnam perſonam ad ſucceſſionem prædictæ domus nominare. 1.

Cùm verò anno 1590. idem Ioannes Baptiſta vltimo ſuo condito teſtamento, hæredem vniuerſalem alterum Ioannem Altonitam inſtituiſſet, & nullis poſt ſe relictis filiis maſculis ab humanis eſſet ereptus, venerabile Capitulum Baſilicæ S. Petri prætendens locum factum deuolutioni domus, ex eo, quòd ad illius ſucceſſionem, iuxta formulam tranſactionis, expreſsè, & in ſpecie aliquam perſonam non nominauerat, vigore alterius pacti in tranſactione appoſiti, eius domus poſſeſſionem apprehendit.

Cæterùm, quia Ioannes Altouitus hæres prætendebat, inſtitutionem in teſtamento Ioannis Baptiſtæ de ſe factam vim validæ nominationis habere, & ipſe ante ſuum obitum expreſsè aliam perſonam ad ſucceſſionem præfatæ domus nominaſſet, & totius controuerſiæ articulus, in illa potiſſimum clauſula tranſactionis, quòd ſub vniuerſali hæredum inſtitutione non intelligeretur comprehenſa domus, niſi ad illius ſucceſſionem

expreſsè aliqua perſona foret nominata conſi-
ſteret,ideo dubitaui,an prædicta clauſula nedum
eſſet referenda ad hæredes Ioannis Baptiſtæ,ſed
etiam ad ipſummet Ioannem Baptiſtam teſtato-
rem, ita, vt ipſe quoque nominare perſonam ad
ſucceſſionem domus,expreſsè teneretur,nec ſuf-
ficeret generalis inſtitutio de Ioanne Altouito,
in præfato teſtamento facta.

Et Domini pro maiori parte cenſuerunt, eam
clauſulam non referri ad Ioan.Baptiſtam primò
recipientem; conſiderabant enim in ipſa tranſa-
ctionis ſerie, tria præcipuè Capitula ſeparata,&
perfectam orationem habentia contineri; pri-
mum,quòd reſpiciebat penſionam Ioann.Bapti-
ſtæ, primi inueſtiti, & recipientis pro ſe, & ſuis
filiis, & nepotibus, & in defectum filiorum, ad
tertiam eius nominationem. Alterum erat, de
nominato ab ipſo Ioanne Baptiſta,in quo oppo-
nebatur prædicta clauſula, quòd non ſufficeret
generalis hæredum inſtitutio. Tertium verò de
filiis Ioannis Baptiſtæ, in quo non repetebatur
præfata clauſula; vnde dicebant, quòd licèt re-
2. gula eſſet pro venerabili Capitulo S. Petri, vt
clauſula * in fine poſita, ad omnia præcedentia
referri debeat,*l.*1.vbi latè Iaſon poſt alios, *C.de*
*liberis præterit.* † Abbas,Decius, & alij, *in cap. ſe-*
*cundò requiris, de appell.* Bartolus *in l.talis ſcriptu-*
*ra.§.fin.ff.de legat.*1. Romanus *conſ.*480.*n.*7. De-
cius *conſ.*11.*n.*13. Capycius *deciſ.*108.*n.*9. nihilo-
minus eadem regula recipit aliquot limitatio-
nes, quas caſui propoſito conuenire cenſebant,
in quibus illa erat potiſſima,vt ad omnia * præ-
cedentia referantur, quando articuli præceden-
tes licèt idem negotium reſpiciant,ſunt ſeparati,
& perfectam orationem habentes, tunc enim
clauſula poſita in fine talis articuli, ad eum ſo-
3. lum refertur, illumque tantùm dicitur qualifi-
care,Bartol. *in l.fin. num.*1. *verſ.ſi enim ff. de rebus*
*dub.* Alexand. *conſ.*48.*n.*8. *lib.*1. *&* *conſ.*226. *n.*9.
*lib.*6.Afflictus *dec.*248.*n.*11.*&* 12.Socinus iunior
*conſ.* 160. *n.*59.*lib.*2. & hoc in ſpecie conſidera-
uit Abbas *in dicto cap.*2.*requiris,num.*11.& *ibidem*
Decius *num.*13.*verſ.ſecundò exemplum ponitur, &*
*verſ.tertiò quando aliquis articulus.*

*adde Caual.dec.148. n.7.& habetur penes Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag. 559. & Rotam rec. p.1. dec. 73. n.2.

† de hac regula tradit multas limitationes Iaſon n. 10. in d.l. 1.

* vide infrà dec.308.n.2. & ſeq. & hîc n. 7. & Rotā rec.p.2. dec. 767. n. 5. & p.1.dec.670. n.1.

4. Altera limitatio aſſignabatur, vt clauſula in
fine poſita, non cenſeatur ad omnia præceden-
tia referri, quando inter caſus præcedentes, &
illum cui apponitur clauſula, poteſt conſide-
rari diuerſa ratio, ſeu qualitas, tunc enim ad
proximè præcedentem intelligitur relata. *Clem.*
1.*§.ad hoc,de præben. l.hæres meus.§. vxori. ff. de le-*
*gat.*3. Baldus *conſil.*357.incip. *Clauſulæ abſolutè,*
*lib.*4. Alexander *conſil.*66. *num.*3. *lib.*2. Aretinus
*conſil.*116.*num.*3. latè Crauetta *conſil.*612.*num.*5.
*&* 6. *lib.* 4. & ita fuit deciſum coram me in illa
Romana fidei commiſſi vineæ de Alexiis die 20.
Octobr.anno 1589.*

* ſuprà dec. 51. n. 15. & ſequent.

In themate propoſito, inter primum, & ſe-
cundum caſum, cui adhærebat præfata clauſula,
diuerſa ratio, & qualitas apparebat ex eo, quòd
plus fuerat in tranſactione Ioanni Baptiſtæ con-
ceſſum, quàm perſonæ ab eo nominatæ, cùm
Ioannes Baptiſta haberet generationem, & no-
minationem;perſona verò ab ipſo nominata,ſo-
lùm haberet nominationem, tranſigentes enim,
quaſi ad tollendum dubium, an hæredes perſo-
næ nominatæ poſſent ſuccedere, ſi non vigore
generationis, ſaltem vigore hæredis inſtitutio-
nis,expreſsè declarauerunt, ſucceſſionem ad do-
mum non ſuſtineri vigore nominationis per
viam inſtitutionis hæredis, ſed neceſſarium fuiſ-
ſe expreſſam,& in ſpecie nominationem,in quo
articulo, reſpectu perſonæ nominatæ à Ioanne
Baptiſta à iure communi fuerat receſſum; cùm 5.
inſtitutio * hæredis vniuerſalis habeat vim no-
minationis ad emphyteoſim. Bartolus *in l.vnum*
*ex familia §. ſi duos ,n.*2. vbi Baldus *notab.*3. Cu-
manus *n.*1. & *inibi* Paulus de Caſtro, & alij,*ff.de*
*legat.*2. Bald.*conſ.*193.*n.*1. *verſ.modò lex, lib.*1. &
fuit deciſum in vna Romana domus in monte
Iordano die 29. Maij an.1579.coram bon.mem.
Brauo, & in alia Romana domus coram R.P.D.
meo Blanchetto die 15. Iunij 1589. vnde cùm
plus fuerit Ioanni Baptiſtæ primo recipienti tri-
butum in primo caſu, quàm perſonæ ab eo no-
minatæ in ſecundo, tum propter diuerſam qua-
litatem, tum ob maiorem affectionem, quàm
erga primum recipientem Capitulum geſſiſſe
videbatur, clauſula poſita in ſecundo caſu, non 6.
erat ad primum diſſimilem referenda. *Bartho-
lomæus *conſil.* 54. *num.*4. *lib.* 1. Alexander *dicto*
*conſil.*226. *num.*2. *&* 4.*lib.*6. Crauetta *conſil.*805.
*num.*8.*lib.*5.

* de hoc art. Rota rec.p.1. dec.642.n.9. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

* Durand. dec.126.n.9.

In tertia limitatione, vt clauſula in fine po- 7.
ſita * non referatur ad omnia præcedentia,
quando verſamur in odioſis, vt per Capicium
*deciſ.* 108. *num.* 14. præſertim ob expreſſam no-
minationem non factam,(qualis eſt caſus deuo-
lutionis) Domini non inſtiterunt, cenſentes li-
mitationes ſupradictas firmiùs ſubſiſtere.

* adde Manticam deciſ. 52.n.3. & 4. & 7.

Quibus non obſtabat alia tranſactionis clau-
ſula, illa videlicet, ſi contingeret nominatio-
nes, vt ſuprà fieri, illæ fieri deberent in Capi-
tulo; vt ſicut iſta clauſula comprehendebat no-
minationem à Ioanne Baptiſta faciendam,quod 8.
indicat dictio,*vt ſuprà*,quæ repetit * omnia.De-
cius *conſ.* 227. *num.*3. Pariſius *conſil.*48. *num.*14.
*lib.*2. ſic quoque & illa clauſula, *ita tamen, quòd*
*ſub vniuerſali hæredum inſtitutione, ad Ioannem*
*Baptiſtam referri deberet*, quaſi per iſta, modus,
& forma nominandi, præſcripta à contrahenti-
bus viderentur,& propterea in omni caſu tranſ-
actionis forent obſeruanda.

* adde Rotā rec.1.p. dec. 125. n. 5. & 319.n.6.& 2. dec.461.n.9.

Quia reſpondebatur, iſtam clauſulam intel-
ligendam referendo ſingula ſingulis, eo modo, 9.
quo ſingulæ nominationes * fieri poterant,cùm
talis ſit natura relationis. *gloſſ.fin.in l.qui in futu-*
*rum, ff.de pact.* Socinus iunior *conſil.*125.*num.*15.
*lib.* 1.

* adde Rotam rec. p.1. dec.709.n.7.

Neque rurſus obſtabat illa propoſitio, quòd 10.
quando verba præcedentia ſunt dubia, tunc
clauſula declaratiua referatur ad omnia, Aretin.
*in l.*3.*§.filius ff.de liber.& poſthum.* dicebant enim
Domini, reſpectu Ioannis Baptiſtæ primi reci-
pientis ceſſare dubitationem,cùm eius inſtitutio
hæredis vniuerſalis haberet vim nominationis,
vt in illa Romana domus coram Domino Bra-
uo, & coram R.P.D. meo Blanchetto Rota de-
finiuit.

Et ex his tollebatur alia obiectio de intima-
tione facienda Capitulo,infra duos menſes à die
factæ nominationis inchoandos; hoc enim non
auferebat poteſtatem faciendi nominationes in
teſtamento,vt in præfatis cauſis fuerat deciſum;
præterea cùm iſta clauſula principaliter foret 11.
appoſita, ad effectum vt Capitulum ſciret qua-
litates perſonæ nominatæ,& ad tollendam frau-
dem,quæ in nominatione contingere poſſit,non
poterat



poterat alterare præcedentem diſpoſitionem, ad
quam potiùs accedebat illatiuè, & acceſſoriè ad
effectum per dictam clauſulam ſignificatum.
Ruinus *conſ.*153.*n.*5. *lib.*2. *&* *conſ.*136. *n.*8. *lib.*3.
Alciatus *reſponſ.*44. *n.*30. *tomo* 3.*lib.*9. *&* *reſponſo*
127.*num.*10.*eod.lib.*

12. Poſtremò *ad l.ita tamen,ff.ad Trebell.& ad l.vbi*
*adhuc,C.de iure dotium,& ad l.manifeſtiſſimè.§.ta-*
*les. C. de furt.* ex quibus ſubtiliter, & prudenter
conſideratis per R.P.D. Boccapadulium infere-
batur,clauſulam, *ita tamen*, determinare non ſo-
lùm caſum ſecundum immediatum,cui adhæret,
ſed etiam * primum magis remotum; reſpon-
derunt Domini, quòd licèt regulariter vtrum-
que,aut plures etiam caſus reſpiciat, non tamen
eos omnes indiſtinctè † comprehendit, quando
vel diuerſa eſt ratio,vel diſpar qualitas, vel cùm
apponitur ad vnum caſum qualificandum,vt pa-
tet ex prædictis, quod cenſuerat quoque Capi-
cius *dicta deciſione* 108.

* Rota rec. p.1.dec.225. n. 1. & 526. n.3.

† de hoc art. vide Rotam rec.p.1. dec. 709.vbi preſens dec. allegatur & infrà dec. 308.

Et eo etiam nomine,huic interpretationi ſtan-
13. dum videbatur, quia minus recedebatur à iure
communi, iuxta quod vniuerſalis hæredis inſti-
tutio vim nominationis habet, vt paulo antea
dictum eſt, nam vt minus corrigatur * ius com-
mune,relatio non ad omnia præcedentia ſed ad
proxima tantùm fit. Ruin. *conſ.*127. *n.*6. *verſ. &*
*hoc vltimum,lib.*2. *&* *conſ.*149.*n.*9. *lib.*1. Crauetta
*conſ.*412.*num.*5.*lib.*3.

*verba enim in quacumque diſpoſitione intelligendæ ſunt in ea ſignificatione, quæ minus lædūt ius commune.Seraphin. dec.853.n.4. Caual. deciſ. 60.num 5.& aliàs ſæpe.

---

## *Verdunen. prætenſi Matrimonij.*

### Die Mercurij 7. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

2 *Sponſalia de futuro, per copulam ſubſecutam tranſeunt in matrimonium de præſenti, ex diſpoſitione iuris. & n.*5.

3 *Teſtes examinati parte non citata,non probant.*

4 *Sententia lata ſine probationibus, eſt nulla, & iniuſta.*

## DECISIO CCXCV.

1. QVidam Ioannes Gerardi ad effectum impe-
diendi litteras executoriales Rotales con-
tra ipſum relaxatas, vigore trium conformium
ſuper dimiſſione Canonicatus in Eccleſia Ver-
dunen. non citato, neque vocato Ioanne Trin-
cart aduerſario, ad cuius fauorem fuerat in Ro-
ta pronunciatum,tam in Verdunen.quàm Muſſi-
pontana ciuitatibus Ducatus Lotharingiæ,infor-
mationes recipi,& quoſdam teſtes ad perpetuam
rei memoriam examinari, curauit ad proban-
dum, præfatum Ioannem Trincart ſuum aduer-
ſarium, dum eſſet ſcholaris in vniuerſitate Muſ-
ſipontana, facta promiſſione de ducenda vxore
2. quadam puella nomine Ioanna, eam carnaliter
cognouiſſe,& ſic per copulam ſubſecutam ſpon-
ſalia, ſub promiſſione de futuro contracta, in
matrimonium de præſenti tranſiuiſſe, *c.is qui fi-*
*dem,de ſponſalib.* & ob id Trincart non poſſe Ca-
nonicatum obtinere. Procurator Fiſcalis Curiæ
Epiſcopalis Verdunen. Gerardo inſtigante, viſis
præfatis informationibus,contra Ioannem Trin-
cart pronunciauit, præmiſſa ante omnia, moni-
tione,ne Trincart ad alia vota auderet conuola-
re;commiſſa cauſa in Rota decreto proceſſu per
contradictas,& dato in Rota memoriali pro par-
te Ioannis Trincart, pro reuocatione præfatæ
ſententiæ Vicarij Verdun.Domini ordinarunt,vt
illam reuocarem ex eiſdem; nam cùm teſtes eſ-
ſent examinati parte non citata,non probabant, 3.
*c.2.& c.ſignificauit,de teſtib.l.ſi quando.C.de teſt.*
*l.iudices C.de fide inſtrum.*Bertazzol.*conſ.crim.*95.
*n.fin.lib.*1.quia ſententia lata ſine probationibus
erat nulla,& iniuſta.

* adde Rotā rec.p.1. dec. 120. n. 1. & 259. n. 2. & Durand.dec. 189. n. 3. & 363.n.5.& 6.

Et licèt teſtes forent legitimè examinati,non
tamen concludebant promiſſionem Ioan. Trin-
cart de ducenda in vxorem Ioannam,quinimo in 4.
ſua depoſitione,quamuis fateretur copulam car-
nalem inter ipſos adfuiſſe cum prole ſubſecuta,
præcedentibus multis blanditiis ipſius Ioannis,
vt puellam in ſuam ſententiam alliceret, nihil
tamen dicebat de promiſſine ſibi facta, de ea in
vxorem ducenda.

Et omnem difficultatem tollebat diſpoſitio 5.
Concilij Tridentini, quia licèt præceſſiſſet pro-
miſſio formalis de ducenda puella, & copula
fuiſſet ſubſecuta,non poterat dici matrimonium
* per verba de præſenti contractum, quia Con-
cilij forma non fuit ſeruata, *ſeſſione* 24.*c.*1.*de re-*
*formatione matrimonij*, per quod videntur ceſſare
iura diſponentia, ſponſalia de futuro tranſire in
matrimonium per carnalem copulam ſubſecu-
tam, *cap.veniens & cap.is qui fidem,de ſponſalib.*

*de hoc art. Sanchez de matrim lib. 3. diſput 40. vbi plures refert.

---

## *Romana de Ramboglietis.*

### Die Mercurij 7. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

3 *Teſtis vnicus & ſingularis non probat.*

## DECISIO CCXCVI.

FActa deciſione * ſub die 2. Aprilis, ad fauo- 1.
rem D. Chriſtophori de Rantegni, & Clau-
dij Lupi, in qua fuerat concluſum, ſententiam
latam per R. P. D. meum Manticam fuiſſe vali-
dam, ipſi petebant cauſæ expeditionem, quam
Procuratores Dominorum de Ramboglietis,
ex eo impedire conabantur, quòd nondum eſſet
viſum de iuſtitia præfatæ ſententiæ,& quia fue-
rat repetitus Valerius tertius teſtis, qui iunctus
cum duobus probabat,bonæ mem. Cardinalem
Ramboglietum feciſſe ſibi tranſmitti minutam
codicillorum, ad effectum mutandi teſtamen-
tum,& diſponendi de bonis, quæ in eo reliquе-
rat Chriſtophoro, & Claudio: quibus tamen
non obſtantibus, in Rota memorialium habi-
ta die Mercurij 7. Aprilis, Domini ordinarunt,
quòd expedirent cauſam ad fauorem præfato-
rum Chriſtophori, & Claudij; ego verò ante-
quam ſubſcriberem ſententiæ, volui videre de-
poſitionem Valerij, qui licèt iuxta 27. depone-
ret, Cardinalem iuſſiſſe curaret fieri minutam
codicillorum generalium, quam compoſuit Ti-
motheus Pighinella, & poſtea de ordine eiuſ-
dem Cardinalis reuidit Ioannes Baptiſta ab Ec-
cleſia, nihilominus idem Valerius, iuxta 32.
dicit,ſe neſcire,an Cardinalis legerit dictam mi-
nutam,vnde potuit dicta minuta,vel non perue-
niſſe ad Cardinalem Corneti exiſtentem, vel
ampliùs

* ſuprà dec. 292.

ampliùs Cardinalem de illa non curaſſe,nec aliter ſuam voluntatem mutaſſe, præſertim cùm iuxta 39. idem teſtis deponit, Cardinalem circa vltimum tempus vitæ ſuæ bene fuiſſe affectum erga Claud.licèt aliquando ſecum iraſceretur.

2. Neque dictus teſtis probat, codicillos fuiſſe combuſtos, cùm iuxta 44.apertè teſtificaretur,ſe neſcire, quæ ſcripturæ fuiſſent laceratæ, vel combuſtæ.

3. Et dato, quòd diſertè deponeret, vel de codicillorum confectione, vel de illorum laceratione,& combuſtione,cùm teſtis eſſet vnicus, * & ſingularis, nulla inde poterat deſumi concludens, & releuans probatio, & ita expediui cauſam, iuxta ordinem Dominorum.

*adde Ludouiſ. deciſ. 178.n.1.& 2. & 215. n. 4. & 238.n.11. quod extende etiãſi deponat in facto proprio idem Ludou. dec.439.n.6. & latè annot. n.14.quando autem teſtis vnicus in ciuilibus probet vide Duran.dec.195. n.1.Coc.dec. 297.n.2. Ludouiſ. deciſ. 171.n.5. vbi latè annot. n.9. & deciſ. 247.n.6.

## *Neapolitana cenſus.*

### Die Veneris 30. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

1.2 *Nouatione contractus liberantur fideiuſſores.*

### DECISIO CCXCVII.

† DOmini cenſuerunt, ex eiſdem non fuiſſe recedendum à reſolutis coram R. P. D. Gyptio die Lunæ 9.Martij, & 20.April.an.1592. niſi conſtaret de expreſſa ceſſione Iuliæ Staibanæ,cui de anno 1578.Camillus Portius conceſ-

1. ſerat ius redimendi cenſum à Lucretia Boccaplanula: nam cùm perſonæ fuiſſent mutatæ, & quantitates etiam cenſus alteratæ, priores fideiuſſores * ad fauorem D.Abbatis Paulutij,quaſi facta eſſet nouatio,fuerant liberati.

Sed quoniam Paulutius prætendebat, ſufficere tacitam ceſſionem, ſeu ſubrogationem, licèt de expreſſa in actis non conſtaret, ideo ſuper hoc volui ipſum audire.†

† hæc deciſ. habetur impreſſa per Cenci. poſt tract. de cẽſi.dec.208.
* adde Durand.dec.11. n.4. Seraph. deciſ. 1063. n.1. Coccin. dec. 84. n.2. & habetur in rec.p.2. dec. 70. num.7.& aliàs ſæpe.
† de quo infrà dec. 326. & 452.

## *Mediolanen. de Caſate.*

### Die Veneris 30. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

1 *Diſpoſitio eſt ſubreptitia, ſi qualitas neceſſaria taceatur.*
2 *Filiorum ſuſceptio, ſine carnali copula non poteſt contingere, & n.4.*
3 *Copula carnalis vt probetur, ſufficit ſi aliquid fuerit relictum filio concubinæ, & n.5.*
6 *Coniecturæ ex quibus apparet de adulterio, excludunt præſumptiones, quæ faciunt pro legitimitate.*
7 *Præſumptio affinitatis oritur ex actibus indicantibus carnalem copulam, ad prolis ſuſceptionem.*

### DECISIO CCXCVIII.

1. QVia contra * diſpenſationem productam pro Matthæo,& fratribus deCaſate,in primis opponebat Fabricius, quòd mulieres conſanguineæ,quas ſe carnaliter Antonius narrauerat cognouiſſe, fuerant ſorores carnales, quæ qualitas cùm fuiſſet tacita, diſpenſationem redderat ſubreptitiam,Abbas *in c. cùm dilecta,n.5. de reſcript.*Berous *in c.ſuper litteras,in prima,& ſecunda lectura,n.1.eod.tit.*latè Menoch. *lib.2.de arbitr.* 201.*n.9.& ſeq.* & die 19. Febr. foret concluſum, * conſtare,iſtas mulieres fuiſſe ſorores, reſtabat videndum, an conſtaret de copula Antonij cum eiſdem,ſuper quo cauſa ſæpe propoſita; tandem in hac poſitione fuit per Dominos reſolutum, conſtare de copula Antonij cũ Catherina,quam in primis probabat confeſſio propria eorundem Antonij, & Catherinæ, de qua deponebant ſecundus teſtis ſuper 20. & 21.& tertius ſuper 23. & 25.& ſeptimus ſuper 21.

* habetur hæc dec.impreſſa per Fari. poſt tõ.2. conſ.dec.72.
* ſuprà dec. 285.

Item publica vox & fama, de qua teſtificabantur primus teſtis ſuper 20.& 35. & ſecundus ſuper 20.

His accedebat,quia Antonius nonnullos filios ſuſceperat ex Catherina,quos tractauit, reputauit,& nominauit tanquam filios ſuos,quod probabant primus,& ſecundus teſtis ſuper 25.& 26. & tertius ſuper 25. & quintus ſuper 35. & octauus ſuper 25 & decimus ſuper 24. & vndecimus ſuper 25. iſta enim filiorum ſuſceptio, naturaliter ſine carnali copula non poterat contingere, 2.
vt dixit Socin.iunior *conſ.32.n.20. lib.2.* quinimo ad probandam copulam carnalem, ſufficit quòd aliquid fuerit relictum filio concubinæ, Pariſius 3.
*conſ.57.num.33.lib.4.*

Neque prædictis obſtabat, quòd Catherina dicebatur habere maritum; vnde intrabat regula, quòd filij potius præſumerentur proprij viri, 4.
quàm adulteri; nam præterquam quòd non videbatur ſufficienter probatum matrimonium, cùm hîc non diſputaretur cuius reuera filij forent,& conſtaret illos per Antonium, tanquam proprios filios fuiſſe tractatos,habitos & nominatos, inde conſequebatur, eum carnaliter cognouiſſe eorum matrem Catherinam, & ideo eius putari filios,quamquam fortaſſis filij mariti eſſe putaſſent,& talis de iure præſumendi forent. *l.miles. §. defuncto ff. ad legem Iuliam de adult.* iſta 5.
enim præſumptio non habet locum,quãdo concurrit nominatio,tractatus,& reputatio.Ancharanus *conſ.225.*incip.*Videtur prima facie,n.6.*Iaſon *conſ.125.num.8.lib.4.* cum aliis congeſtis per Gabrielium *tit.de præſumpt. concl.14.n.15.* quoniam 6.
ex iſtis coniecturis,ex quibus apparet de adulterio, excluditur illa præſumptio, quæ facit pro legitimitate. Corn. *conſ.1.n.22.lib.3.* Verall. *dec.* 110.inc. *Licèt ex coniugata natus,lib.2.in manuſcr.*

Confeſſio Fabritij ſuper legitimitate Matthæi & fratrum de Caſate, ei non præiudicabat, tum quia oſtenſo errore poterat reuocari, * tum etiam, quia iuris potius, quàm facti confeſſio cenſenda putabatur.

* confeſſio erronea non nocet & poteſt reuocari. Durand.dec. 314.num.12. Cocin.deciſ. 305.n. 3. & vtrobiq; alij dec.allegantur,quod extende etiam. ſi error ſit facti, vel iuris. Ludouiſ. deciſ.125.n. 10. & 522. n.15.

Remiſſio banni, facta de ann. 1538. per bon. mem. Carolum V. Imperatorem, non probabat concludenter, Antonium annis præcedentibus, de quibus teſtes deponebant,de illius conſuetudine carnali cum Catherina, non fuiſſe commoratum in oppido Fabricæ, cùm circa hæc multa interdum licenter, & permiſſiuè, multa quoque clàm fieri ſoleant:potuit enim eſſe bannitus, & non ſeruaſſe bannum, præſertim in loco montano diſtante à Mediolano per 25.miliaria,& tempore quo Ducatus Mediolanenſis bello infeſtabatur.

7. Quod dicebatur de ſeminis emiſſione probanda,ſine qua non contrahitur affinitas,eo nomine videbatur



videbatur ſatis leue, quia ex actibus indicantibus carnalem copulam ad prolis ſuſceptionem, oritur talis præſumptio affinitatis, quæ non facilè recipit probationem in contrarium, niſi in foro conſcientiæ. Petrus de Palude *lib.4.ſentent. diſt.41.q.1.art.3.concl.1.*

De copula cum Franciſca, altera Catherinæ ſorore, & de exceptionibus oppoſitis contra teſtes,Domini particulariter videre voluerunt.

## *Romana de Naris.*

### Die Mercurij 5. Maij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Rota non exequitur ſententias in alijs Tribunalibus latas, niſi guſtato priùs de bono iure earum.*

### DECISIO CCXCIX.

1. PRæpoſui iterum hanc cauſam, vt ſatisfacerem D.Ioanni Antonio;&Domini ex eiſdem rationibus ſteterunt in deciſis, ſub die 22. Martij præteriti; * neque erat facienda compenſatio ſcutorum 732. cum ſcutis 578. de quibus in decreto A.C. nam præterquam quòd ab illo de-

2. creto D. Franciſcus Narus appellauerat, cùm Rota non ſoleat exequi * ſententias in aliis Tribunalibus latas, niſi guſtato priùs de bono iure,& iuſtitia illarum,illius vigore eius meritis non diſcuſſis,non poterat concedi compenſatio ad alia, placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes pro Franciſco.

* ſuprà dec. 289.
* Durand. dec.424.n.1. Ludouiſ.dec. 208.n.5. Caual. dec. 22. n.6. & deciſ. 62.num.1. & 270. n. 7. & ita ſemper ſeruatur de ipſius ſtylo, & ſuprà dec. 7. n.5. & infrà 536. n 2. & deciſ.650. n.4.

## *Tiraſonen. iuris præſentandi.*

### Die Mercurij 5. Maij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus vt probetur, licèt debeat fieri ex dotatione, vel fundatione, tamen admittitur probatio, ſi fiat ſecundùm iuris regulas.*
2 *Ius patronatus probatur ex longæua quaſi poſſeſſione præſentandi, & cum fama, & voce publica.*
3 *Decimæ pertinent Rectori.*
4 *Rectori competit ius præſentandi ad vicariam vnitam, cui confert ſuſtentationem.*

### DECISIO CCC.

1. FVit concluſum, ius præſentandi ad portiones, competens Capitulo Eccleſiæ Tiraſonen. non fuiſſe reuocatum per Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. c.9.* nam licèt Concilium præſeruet ius competens ex fundatione, vel dotatione,non refutat illud,quod aliter poteſt competere,*& probari ſecundùm regulas iuris communis,vt patet ex illis verbis, *aliaque, ſecundùm iuris diſpoſitionem*, quod ſæpe Rota cenſuit, & tradunt Gabriel *conſ.198.lib.2.*& Menochius *conſil.241.num.1.& ſeqq.lib.3.*

* vide Cocc. dec. 25. n.5. & 6.vbi præſens deciſio allegatur.
† adde Rotã rec.p.1. dec. 195.n.1. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

Cùm autem hîc conſtaret de longæua quaſi poſſeſſione †Capituli Tiraſonen.præſentandi ad



vicarias Eccleſiarum Beatæ Mariæ, Sancti Michaëlis, & Sancti Bartholomæi, vnà cùm portionibus annexis, probata per teſtes de publica voce, & fama, ſatis ſufficienter dicebatur probatum ius præſentandi, * ſecundùm iuris diſpoſitionem, ita vt non cenſeretur reuocatum per Concilium, cùm prædicto modo etiam ius patronatus probetur. Caſſador. *dec.2.num.4. de probat.* Baldus *in l. cùm ſuper, num. 2. C. de rei vind.* Achilles *deciſ.6.*incip.*Fama quæ probat.tit.de iur.patron. in impreſſ.* Decius *conſ.117.num.3.verſ. & iſta concluſio.*

* adde Duran.dec.413. n. 2. & 293. n.4.Caualer. dec.560.n.2. Coccin. dec. 174. n. 2. & 209. n. 3. & aliàs ſæpe.

Neque Capitulo Tiraſonen.obſtabat laudum 2.
de ann.1529.cap.17.quod de iure non tribuebat ius præſentandi, quoniam Capitulum non prætendebat iſtud ius vigore laudi, licèt laudum illud præſeruaret, prout hactenus fuerat conſuetum, & coram R.P.D. Blanchetto patuit, ante laudum quoque præſentatos ad Vicarios ſimul habuiſſe portiones,vnde conſtabat de ſtatu præſentandi.

Dicebant item Domini,ſatis poſſe dici, id ius 3.
præſentandi competere Capitulo Tiraſonenſi ex dotatione: nam cùm Capitulum eſſet Rector præfatarum Eccleſiarum,& ad ipſum propterea pertinerent omnes decimæ, * *cap.cùm contingat, & cap. cùm in tua, de decimis*, & certam portionem earum, videlicet quinque partes de duodecim, Eccleſiis iſtis aſſignauerit, ſatis dotaſſe dicebatur,& ius præſentandi legitimè acquiſiuiſſe, cùm iſto quoque modo ſecundùm iuris diſpoſitionem ius præſentandi competat, Hoſtienſis *in ſumma tit. de iurepatronatus. §. ex quibus, verſ. idem videtur, ſi Eccleſiam dotauit.* Zabarella *in rubrica de iurepatronatus, lib. 1. art. 14. & 15. num. 2. & art. 18. num. 9. parte 1. quintæ quæſtionis principalis.* Rochus *eodem tractat. in verb. dotauit, num.4.* vbi teſtatur de communi, quod etiam fuit deciſum in hac cauſa tam coram bon. mem. * Cantuccio die 18.Iunij 1584.quàm coram Bubalo die 10. Februarij 1586.

* Rectori de iure debētur decimæ.Mãtic. dec.355. n.1.Rota rec. p.1.dec.465. n. 1. & 512. n.2. Rota in Taurin. decimarum coram Mançanedo impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ p.1. pag.677.
* habetur in impreſſis diuerſ.p.1.dec. 798. n. 1. & 2. cui adde Durand.dec. 2.n.2.Caual. dec.419.n.2, & 3.

Portiones antea fuiſſe dotatas, non faciebat ceſſare ius præſentandi, acquiſitum ex augmento dotis,quod non tollitur per Concilium, præſertim quando apparet augmentum factum in euidentem Eccleſiæ vtilitatem. 4.

## *Camerinen. bonorum.*

### Die Lunæ 10. Maij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Hæreditatis bona non exiſtere qui allegat, ei incumbit onus probandi.*
3 *Hæreditatis bona non exiſtere ſi neget is, cui petuntur,habet fundatam intentionem in ſola negatione, licèt aliter alij ſentiant.*
4 *Negatiua, ſiue ſit actor, vel reus, probanda eſt ab eo,qui eam allegat.*
*Quod intellige ſi non concurrat alia iuris præſumptio contra negatiuam.n.5.*

### DECISIO CCCI.

QVoniam ad excludendam intentionem D. 1.
Achillis Cibo, agentis interdicto, *Quorum bonorum*, ad vendicandum prædium, vulgo dictum,

ctum, *la Rochetta de Pierpol*, ſub prætextu, quòd tempore obitus Theoderinæ Cibo auiæ Achillis, remanſerunt in eius hæreditate; Comites Baldus, & Mauritius, produxerant inſtrumentum venditionis dictæ Rochettæ, ex quo apparebat, Theoderinam an. 1528. illam vendiſſe Martiæ Cibo, Duciſſæ Camerinæ, & Achilles replicauerat, venditionem fuiſſe ſimulatam, * in fraudem filiorum, & ſuper hoc Rota diffinierat, non ſubeſſe cauſam ſimulationis, niſi doceretur, venditionem factam fuiſſe in fraudem legitimæ filiis de iure debitæ, quod pendebat ab eo, an tempore obitus Theoderinæ, in eius hæreditate remanſerint alia bona, quæ ſuffecerint pro legitima, propterea dubitaui, cui incumberet id onus probandi. Circa quem articulum, licèt variæ fuerint Doctorum ſententiæ, quibuſdam tenentibus, ei qui prætendit extare alia bona,
2. incumbere onus probandi, & negatiuam ſatis habere intentionem fundatam in ſola negatione, gloſſ. *in l. cum de lege, ff. de probat.* Alexand. Socin. Decius, & alij, quos refert Gabriel *tit de probat. concl. 7. n. 1.* & Marzarius *in epitome de fideicommiſſ. quæſt. 48. verſ. & quia diſpoſitio, non omitto tamen.* & Menochius *tract. de præſumptio. 189. num. 174.*
3. Aliis verò contrarium affirmantibus, neganti videlicet, non extare alia bona, probandi onus incumbere, quos refert Marzarius *prædicta q. 48. verſ. ſed quod imò.* & Menochius *dicta præſumptione 189. num. 174. verſ. verùm ab his diſſentiunt.* Domini tamen cenſuerant, Achilli incumbere onus probandi, in bonis Theoderinæ non affuiſſe alia bona, præter Rochettam, per communem regulam, quæ habet, ſemper negatiuam
4. probandam eſſe ab illo, qui in ea ſe fundat, * ſiue ſit actor, ſiue reus. Innocent. *in cap. ſuper his, num. 10. de accuſat.* cum relatis per Gabrielem *tit. de probatio. concl. 6. num. 1.* Natta *conſ. 238. incip. Præſens quæſtio, num. 6. & 7. lib. 2.* Couarruuias *lib. 2. variar. reſolut. cap. 6. n. 4. verſ. ego ſanè aliter quæſtionem, deciſ. Pedemontan. 174. n. 5.* Crauetta *conſil. 77. n. 4. & 5.*

* ſuprà dec. 258.

* addè Caual. dec. 246. per totã Rota recen. p. 2. dec. 19. n. 2. & 323. n. 1.

5. Cui regulæ non obſtat gloſſ. communiter recepta *in d. l. cùm de lege, ff. de probation.* loquitur enim iuxta terminos *dictæ l. cùm de lege, & l. final. §. licentia, C. de iure deliberan.* vbi pro negatiua concurrebat alia iuris præſumptio, * nempe inuentarium omnium bonorum, ſolemniter confectum, tunc enim neganti non extare alia bona, non incumbit onus probandi, vt declarat Iaſon *in l. ſi conſtanter, num. 130. ff. ſoluto matrimonio, & in dicta l. finali. §. licentia, num. 1. verſ. ego omiſſa diſputatione. C. de iure deliberand.* Couarruuias *lib. 2. variar. reſolut. cap. 6. num. 4.* Gabriel *conſ. 118. num. 7. lib. 1. & conſ. 138. num. 18. & ſeq. lib. 2.* niſi enim ſaltem pro negante concurrat aliqua iuris præſumptio, indiſtinctè procedit regula, quòd fundanti ſe in negatiua, incumbit onus probandi.

* addè Caual. in d. dec. 246. n. 3.

6. In caſu propoſito, contra Achillem fortiores aderant præſumptiones, quàm pro ipſo, in quibus illa erat potiſſima, quòd Theodorina mater, quæ filias diligere præſumebatur, non credebat in fraudem ipſarum Rochettam pacificè poſſediſſe.

7. Coniecturæ verò pro Achille leues erant: nam prima illa, quòd numquam fuiſſet auditum, Theodorinę filios aliquid aliud habuiſſe, non releuabat, nam hoc ipſum erat de quo quærebatur.

Similiter illa erat leuis, quòd diuiſerint bona paterna, non tamen apparebat diuiſiſſe materna, nam præterquam quòd hoc ipſum de bonis maternis erat in controuerſia, potuit alio diuerſo tempore contigiſſe diuiſio.

Tertia deſumpta ex facto auctorum Achillis, qui ſolùm intentarunt interdictum, *quorum bonorum*, ſuper dicta iſta Rochetta, contra Arianum, & Martiam, minus concludebat, non enim inde conſequebatur, Theodorinam, non reliquiſſe bona, ideo autem ſuper Rochetta tantùm fuit motum iudicium, contra Arianum, & Martiam; quia ipſi fortaſſis de bonis Theodorinæ nil aliud poſſidebant, & fieri poterat, cætera eiuſdem bona extaſſe, vel penes actores, vel penes alios poſſeſſores. 8.

Quarta coniectura de ſimulatione, leuiſſima videbatur, quia de ſimulatione an adeſſet, nec ne, diſputabatur.

Conſilium Alexandri 55. *lib. 1.* non fauebat Achilli, nam ex inſtrumento donationis, de quo ibi, conſtabat penes donantem, ex qua donauerat omnia bona, nulla alia remanſiſſe, hìc non conſtabat, Theodorinam omnia bona alienaſſe.

---

## *Nouarien. bonorum.*

### Die Lunæ 17. Maij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Probatio deſtructionis domus, vel alterius ædificij, vt concludat, debet fieri de tempore antecedente contractui.*

3 *Vtilitas Eccleſiæ, vt probetur in alienatione, debet fieri concludenter, de tempore quo damnum aliquod poterat, experiri.*

### DECISIO CCCII.

DOmini ſteterunt in deciſis die Lunæ 8. Martij proximè præteriti, * videlicet non conſtare de Eccleſiæ vtilitate, cùm bona locata de ann. 1539. pro lib. 40. de ann. 1542. prima locatione durante, fuerint relocata pro lib. 30. 1.

* ſuprà dec. 287.

Quòd euidens damnum, non excludebat exceptio propoſita per Clapos, de mutatione ſtatus terrarum in emphyteoſim conceſſarum, ex eo quòd concidiſſet ſedimen, id eſt, ruſticum tugurium, in quo agricolæ, cum ſuis animalibus, & iumentis, habitabant, ſine quo, cùm inibi ad prædia colenda morari non poſſent, & Clapi, ſuis impenſis, quas Eccleſia fuiſſet impenſura, reficiendum ſuſcepiſſent, ſatis relocationem pro lib. 30. ceſſiſſe in Eccleſiæ vtilitatem.

Quia reſpondebatur, quòd licèt dirutum eſſet ſedimen tempore relocationis, vt contrahentes in inſtrumento alienationis ad tertiam generationem confitebantur, & teſtes etiam examinanti in proceſſu facto ſuper euidenti vtilitate deponebant; ex his tamen non concludebatur ſedimen cecidiſſe, durante tempore locationis factæ de ann. 1339. potuit enim longè ante ann. 1539. cecidiſſe; & cùm in hoc conſiſteret potiſſimum fundamentum Dominorum de



de Clapis concludenter * probare debebant, dirutum fuiſſe ſedimen poſt annum 1539. aliàs eorum probatio prodeſſe eis non poterat. *l. non hoc ff. vnde cognati,* cum notatis *in cap. in præſentia, de probat.* & ſic ceſſabat confeſſio contenta in inſtrumento permutationis, & dictum teſtis deponentis, ſedimen fuiſſe dirutum, nam cùm ex his non appareret, an ruina ſediminis contigerit, ante, vel poſt annum 1539. tam confeſſio, quàm dictum teſtis poterant verificari, etiam ante ann. 1539.

* actor enim probare tenetur fundamentum ſuæ intentionis vt obtinere poſſit. Caual. dec. 235. n. 1. Mantic. dec. 86. n. 12. Seraphin. dec. 1189. n. 1.

2. Itaque, cùm Domini de Clapis, qui veniebant excipiendo de exiſtentia ſediminis, & eius ruina, contra Eccleſiam habentem ſuam intentionem fundatam in inſtrumento locationis pro lib. 40. iſta duo de tempore certo concludenter
3. * probare tenerentur. Ægidius *deciſ. 563. num. 2. & deciſ. 617. num. 1.* nec tamen probarent; meritò fuit concluſum, ſtandum eſſe in deciſis.

* addè Rot. recen. part. 2. dec. 17. n. 5. & diuer. p. 1. dec. 628. n. 3. Seraph. dec. 1497. num. 3. & 4.

---

## *Conchen. Archipreſbyteratus.*

### Die Lunæ 17. Maij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium curatum per aſſecutionem ſecundi, vacat. & num. 4.*

2 *Confeſſio contra confitentem probat.*

5 *Beneficium primum litigioſum vacat per aſſecutionem ſecundi non litigioſi.*

6 *Curatum beneficium dicitur, ſi habeat iuriſdictionem ſuſpendendi, & excommunicandi; & dicitur incompatibile, ſi tendat ad morum correctionem, num. 7. & 8.*

### DECISIO CCCIII.

1. COncluſum fuit affirmatiuè, per aſſecutionem dimidiæ portionis D. Hieronymo Badillo collatæ, vacaſſe Archipreſbyteratum, quem idem obtinebat ex eo, quia Archipreſbyteratus haberet curam iuriſdictionalem incompatibilem, cum dimidia portione Extrauagan. *Execrabilis, §. fin. verſ. nec non etiam, de præb. c. dudum lo. 2. §. ſed cum in iure,* vbi Abbas, *num. 7. de elect. & in cap. de multa, num. 21. & ſeq de præbend.* Capra *regula 90. incip. Acceptatione beneficij, num. 12.* Andreas Gambara *tract. de poteſtate legat. lib. 5. tit. an legatus poſſit beneficia vni conferre, num. 5. & 6.* Alphonſus Hojeda *tract. de incompatibil. benef. part. 1. cap. 13. num. 4.* quem probabat confeſſio eiuſdem Hieronymi in litteris prouiſionis, cuiuſdam vicariæ, in quibus narrabat, Archipreſbyteratum de
2. Huete curam, non animarum, ſed iuriſdictionalem imminere; notum autem eſt confeſſionem plenè probare contra confitentem, non obſtante, * quòd obiiceretur illam tanquam factam à Procuratore Hieronymi ei non potuiſſe præiudicare, † præſertim ante acceptationem, nam cùm in expeditione litterarum fuiſſet facta ſatis notabilis impenſa, omnia præſumebantur geſta de mandato Hieronymi. Innocentius *in cap.*
3. *nonnulli, in verb. mandato, num. 7. de reſcript.* Decius
4. *conſ. 36. verſ. ſecus in actu, & conſil. 42. num. 11. verſ. tertiò reſpondetur,* Gozadinus *conſil. 11. num. 14.*

* & talis cõfeſſio præualet mille teſtibus contrarium eſſerentibus, vt per Duran. dec. 90. n. 8. & 214. n. 4. vbi aliæ dec. allegantur.

† vide infrà dec. 351. n. 2. vbi plura allegaui.

Incompatibilitas dimidiæ portionis cum Archipreſbyteratu, colligebatur ex eo, quòd requireret reſidentiam, vnde per illius pacificam poſſeſſionem, * inducta fuerat ipſo iure vacatio primi incompatibilis, iuxta diſpoſitionem *cap. de multa, de præbend.* & Concilij Trident. *ſeſſione 7. cap. 4. & ſeſſione 24. cap. 17.* quod fuerat etiam reſolutum in ſacra Congregatione Concilij, in vna Salamantina * dimidiæ portionis.

* vide ſuprà dec. 61. n. 5. & 6.

* relata per Garciam de ben. 11 p. c. 5. n. 84. qui latè de hoc artic. diſſerit, & n. 89. ad propoſitum allegat præſentem deciſ. & latè agit de eius materia.

De pacifica poſſeſſione dimidiæ portionis conſtabat per inſtrumentum adeptæ poſſeſſionis, in actis productum.

Neque prædictis obſtabat quòd Archipreſbyteratus eſſet litigioſus; quia ad † inducendam vacationem primi, ſatis eſt ſecundum incompatibile non eſſe litigioſum, gloſſ. *in Clement. gratiæ, in verb. renuntiare, de reſcript.* vbi Bonifacius, & alij, & fuit ſæpe dictum in illa Toletana Capellaniæ de Varajas. 5.

Difficultatem per vnum ex Dominis excitatam, quòd tunc cura iuriſdictionalis fori contentioſi, * conſiſtens in ſuſpendendo, excommunicando, abſoluendo, & aliis, de quibus *in dicto c. dudum, de elect. & in Extrauagan. Execrabilis. §. fin. verſ. nec non etiam, de præbend.* cauſat incompatibilitatem, ſi tendant ad morum correctionem, vt loquuntur Sarnenſis *in regula de idiomate quæſt. 11. verſic. & ideo pro vero intellectu.* Staphilæus *tract. de litteris gratiæ, tit. de qualit. beneficiorum, num. 1.* Hojeda *de incompatibilit. beneficiorum part. 1. cap. 13. num. 4.* quæ in caſu propoſito non videbatur probata, huic Archipreſbyteratui competere, per citata iura *in cap. dudum, & in Extrauagan. Execrabilis,* tollere videbantur, quæ indiſtinctè conſtituunt ea beneficia dici curata, quibus eiuſmodi iuriſdictio viſitandi, inquirendi, procurationes recipiendi, ſuſpendendi, excommunicandi, ſeu ab excommunicatione, & ſuſpenſione abſoluendi, de conſuetudine competit, vel de iure, neque Doctores præcitati aſſerunt, ad effectum inducendi * incompatibilitatem, neceſſarium eſſe, vt iſta tendere ſemper debeant ad morum correctionem, quæ vel ipſorum aliquod ſi dubitaretur, iſti Archipreſbyteratui competere; D. Petrus Amoraga ſe probaturum profitebatur.

6. † vide ſuprà dec. 204 n. 8. & Seraphin. dec. 953.

* de hoc art. vide Rotam diuer. part. 2. dec. 52. præcipuè à n. 6. cum ſeq.

7.

8.

* beneficium cui imminet cura habitu tãtum, exercitium verò penes alium non inducit incompatibilitatem, vt per Rot. recen. p. 2. dec. 179. n. 2. & 3.

---

## *Romana hæreditatis.*

### Die Veneris 21. Maij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Exceptio requirens altiorem indaginem, non poteſt opponi ad impediendam poſſeſſionem hæreditatis, pertinentem matri, ex edicto diui Adriani.*

3 *Verba, ſuper præmiſſis, in commiſſione Apoſtolica poſita, reſtringuntur ad litem motam.*

4 *Verba, rebuſque aliis, in commiſſione Apoſtolica poſita, comprehendunt omnes prætenſiones partium.*

### DECISIO CCCIV.

SVper dubio dato de ordine Rotæ, an D. Lucida de Viſis reddidiſſet ſufficientem rationem tutelæ, Europæ filiæ ſuæ, quam vno amplius anno adminiſtrauerat, ſæpe propoſito non potui capere reſolutionem, quibuſdam ex Dominis 1.

minis dicentibus, Lucidæ agenti remedio *l. fin. C. de edict. diui Adrian.* vt immitteretur in poſ-
2. ſeſſionem hæreditatis Lucretiæ filiæ, non poſſe opponi iſtam exceptionem requirentem altiorem indaginem; aliis verò exiſtimantibus, de tali exceptione poſſe opponi, vigore commiſſionis in ſignatura Sanctiſſimi expeditæ, in qua fuerant omnes cauſæ ſimul vnitæ, & attento, quòd agebatur inter matrem, & filiam pupillam, quam non expediebat variis litibus onerare, Papa etiam reſcripſerat, vt tam in poſſeſſorio, quàm in petitorio reſtituta quoque in integrum pupilla aduersùs quemcunque temporis lapſum, vnica ſententia terminarentur, & hanc fuiſſe S. D. N. mentem, aſſeuerabat R.P.D. Rotæ Decanus, qui ei ſignaturæ interfuerat.

3. Quibus non obſtabant illa verba commiſſionis, *ſuper præmiſſis*, quaſi commiſſio eſſet reſtricta ad litem motam ſuper hæreditate Lucretiæ inter Europam, illius ſororem ſuperſtitem, &
4. Lucidam matrem, quoniam in eadem commiſſione ſubſequebantur ſtatim illa alia, *rebuſque alijs*, quibus, comprehendebatur omnis prætenſio* inter matrem, & filiam; vnde relicta hac diſputatione (pupillæ præſertim diſpendioſæ) Domini conſiderantes, quòd de inuentario bonorum in hæreditate Lucretiæ relictorum conſtabat, & quod ſolùm erat differentia, ſuper quibuſdam partitis, an eſſent matri tutrici acceptæ ferendæ, nec ne, ordinauerunt, quòd per virum peritum, quem etiam nominauerunt ſummariè expenderentur, differentiæ partitarum, in redditione rationum, per Lucidam exhibita, qua intellecta, poſtea Rota cauſam terminaret.

* de hoc art. Marcheſ. de commiſ. p. 1. pagin. 201. n. 70. & 71.

## *Camerina ſucceſſionis.*

### Die Lunæ 24. Maij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Statuta, eo ipſo quòd ſint in volumine ſtatutorum, præſumuntur eſſe in vſu.*
3 *Statutum qui impugnat non eſſe in vſu, tenetur id probare.*
4 *Statuta ciuitatis, vel loci, facta ſine confirmatione Domini non valent.*
5 *Teſtes examinati coram iudice compulſore, extra caſum commiſſionis, non probant.*

### DECISIO CCCV.

1.
2.
COntra ſtatutum Amerinæ, quòd deficiente filia, quæ fuit hæres patris abſque filiis, in bonis patris ſui, ſuccedebat patruus, vel eius filij, ſalua legitima matri defunctæ, opponebatur pro parte D. Ludouicæ Corradæ, non eſſe in vſu, & quoniam illi de Conſocchis prætendebant contrarium, dubitaui, cui incumberet onus probandi illius vſum, vel non vſum? & Domini cenſuerunt onus probandi non viſum incumbere Ludouicæ: cùm enim ſtatuta eo ipſo præſumentur eſſe in vſu,* quòd redacta ſunt in volumine ſtatutorum. Rolandus *conſil. 99. num. 39. lib. 2.* Gozadinus *conſil. 16. n. 16.* Dec. *conſ. 649. n. 9.* Berous *conſil. 173. num. 54. & ſeq. lib. 1.* Thanis *deciſione 25.* Regula erat contra Ludouicam impugnantem ſtatutum, quòd teneretur probare non vſum. * Verallus *deciſione 188. in volumine miſcellan.*

* & ſtatuta præſumuntur vſu recepta, ex quo conſtat de publicatione, vt per Rot. diuer. part. 1. dec. 97. n. 2. & 536. quandò autē non liget ſtatutum repertum in volumine, vide eandem Rotam diuer. p. 2. dec. 127. num. 1.

* adde Seraphin. decif. 153. n. 2. & Rotam rec. p. 2. dec. 15. n. 4. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, & dec. 398. n. 3.

3.
4.
Clauſula, *quatenus ſint in vſu*, appoſita in confirmatione Pontificia, non obſtabat, quia vel referenda erat ad priuilegia, tanquam ad proximiora, vel dicendum, eam ſolere apponi de Hylo referendariorum; vt fuerat conſideratum in prædicta deciſione Veralli, quod in hac facti ſpecie, eo nomine aſſerendum videbatur, nam cùm ſtatuta ciuitatis Amerinæ, ante Pontificiam confirmationem eſſent inualida, ex quo ciuitas Amerina Sedi Apoſtolicæ ſubiecta, non poterat validè illa condere abſque Papæ confirmatione. *Ioannes Baptiſta Sanctoſeuerinus *in l omnes populi num. 8. verſ. ſi autem voluerit. ff. de iuſtitia & iure*, Corneus *conſil. 163. num. 4. verſ. ad primum autem reſpondetur, lib. 1.* quando Papa illa confirmauit, appoſita clauſula, *quatenus ſint in vſu*, non potuit ſtatuta alioquin inualida reſpicere.

* adde Seraphin. decif. 1004. n. 8. & fuit dictum in Ferentana bonorum coram Burato impreſſa penes. March. de commiſſ. p. 2. pag. 552.

5.
In teſtibus probantibus non vſum, † cùm eſſent examinati coram iudice compulſore, extra caſum recognitionis voluminis ſtatutorum, non poterat fieri fundamentum, vt aliàs Rota cenſuerat, in cauſa Hiſpalen. portionis, & cauſa Legionen. portionis de Saldagna.

† teſtes deponentes de non vſu ſtatuti quomodo deponere debeant vide Ludou. dec. 269.

De alia clauſulas in eadem confirmatione appoſita, videlicet, *dummodo ſint licita, & honeſta*, quæ validitatem ſtatuti reſpiciebant, Domini particulariter videre voluerunt; ex hac enim inſpectione patebat, qualia ſtatuta, an à iure communi diuerſa, vel ab eo exorbitantia, ſeu etiam ei contraria, Papa voluerit confirmari, & an hoc de qua agebatur eſſet tale.

## *Mediolanen. de Caſate.*

### Die Lunæ 31. Maij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Impedimentum affinitatis ex illicita copula, non probatur per confeſſionem vnius partis.*
3 *Confeſſio vnius partis coëuntis, cum fama probat affinitatem ex illicita copula.*
4 *Suſceptio filiorum, ſine carnali copula non poteſt naturaliter contingere.*
5 *Filio concubinæ, ſi aliquid fuerit relictum, ſufficit ad probandam copulam.*

### DECISIO CCCVI.

SVper reſeruatione per Dominos facta die 30. Aprilis præteriti: † an conſtaret de copula Antonij cum Franciſchina, reſolutum fuit affirmatiuè: *nam præter confeſſionem Antonij, de qua deponebant ſecundus teſtis ſuper 21. & tertius ſuper 25. ad interrogatorium, & ſeptimus ſuper 21. ad interrogatorium, concurrebat etiam fama, quam probabant primus teſtis ſuper 24. articulo, octauus iuxta ſeptimum interrogatorium ad 25. articulum, & duodecimus ſuper 20. & 24. ad probandum clandeſtinum impedimentum affinitatis, vel aliud ſimile ex illicita copula, contractum, licèt non ſufficiat confeſſio alterius coëuntis, † ſufficit tamen, ſi præter confeſſionem, fama concurrat, & colluſionis ſuſpicio abſit. Abbas *in cap. ſuper eo, num. 6. & 7.* & Præpoſitus *num. 7. verſ. ſed vbi ageretur, de eo qui cognouit*

1.
† ſuprà decif. 298. *concubinatus præcedēs matrimonio ad iſtud probandum requirit vrgentiores probationes, vt latè annotat. ad Ludouiſ. decif. 247. num. 24.
2.
3.
† de hoc art. latè Seraph. dec. 893. per totam & præcipuè n. 1. 6. & 28. & Rot. recen. part. 1. dec. 444. n. 4.



*cognouit conſanguineam vxoris ſuæ.* Couarr. *in epitome lib. 4. Decret. part. 1. cap. 4. §. 1. n. 4. & 6.* Ferretus *conſil. 389. num. 15.*

His accedebat, quia ex teſtium dictis apparebat, Antonium ex Franciſchina filios ſuſcepiſſe, in primis verò filiam nomine Annam, quam ſemper tractauit, & nominauit tanquam filiam,
4. & deinde nuptui tradidit: liberorum enim ſuſceptio * naturaliter ſine carnali copula non contingit. Socinus iunior *conſil. 32. num. 20. lib. 2.*
5. imò ſufficere ad probandam copulam, ſi aliquid relinquatur filio concubinæ, cenſuit Pariſius *conſil. 57. num. 33. lib. 4.* & ex his concluſum, ſatis ſufficienter conſtare de copula Antonij cum Franciſchina.

* adde ſuprà dec. 298 n. 4.

## *Romana alimentorum.*

### Die Veneris 4. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

2 *In contractibus non tam cauſa, quàm forma ſpectari ſolet.*
3 *Vſusfructus debet conſtitui ſuper certo corpore, quo perempta, extinguitur vſusfructus.*
4 *Mutui ex contractu non poteſt intereſſe annuum præſtari.*
5 *Pecunia non poteſt pecuniam parere.*
6 *Contractus iniuſtitia, vel iuſtitia, cognoſcenda eſt ex cauſa primaria, & originali.*
7.8 *Cenſus, ſiue redditus annuus vel vitalitius, iuxta conſtitutionem Pij V. licitus eſt.*

### DECISIO CCCVII.

1. IN quodam inſtrumento de ann. 1578. initus fuerat contractus inter Antoninam Taurinettam ex vna, & Petrum Antonium, & Lucidam de Viſis coniuges ex alia, ſuper ſcutis quadringentis, quorum proprietas pertinebat ad Lucidam, & vſusfructus ad Antonium, pro quibus præfati coniuges ſe obligauerant, ſoluere Antoninæ ſcuta quadraginta annua pro alimentis, ſeu vſufructu, quæ tam Petrus Antonius dum viueret, vſque ad annum 1582. quàm eius hæredes, vſque ad annum 1585. Antoninæ perſoluerunt, donec facto tunc reali depoſito ſortis principalis, coram A.C. controuerti cœpit, tam ſuper liberatione annuæ præſtationis ſcutorum 40. quàm ſuper inualiditate prædicti contractus, demum cauſa introducta in Rota, dubitaui, an ille contractus fuiſſet licitus? & Domini illicitum fuiſſe cenſuerunt, dicebant enim, quòd cùm in contractibus, non tam cauſa, quàm forma ſpe-
2. ctari ſoleat, & Antonina eſſet creditrix in alimentis, illa debuerat reſeruare, non transfigere ſuper certa ſumma quadraginta annorum ſibi perſoluenda, quamquam enim affirmatè dici non poſſet contractus vſurarius, eius tamen cri-
3. minis vitio ſuſpectus videbatur, tum ex eo, quòd non fuerat conſtitutus ſuper certo bonorum corpore, quo perempto,* redditus periret. *l. 1. C. de periculo, & commodo rei vend.* Ioannes de Lignano *in cap. in ciuitate, de vſur.* Aretinus *conſil. 151. incip. Viſo themate*, & alij, quos refert
4. Couarruuias *lib. 3. variar. reſolut. cap. 7. num. 5.* tum etiam, quia cùm ſors principalis, ſiue eius proprietas, non ad Antoninam, ſed ad Lucidam pertineret, quam per obitum Antoninæ hæredes Petri Antonij acquirere non poterant, contractus videbatur per ſe ferre naturam cuiuſdam mutui ficti, Berous *conſil. 168. num. 16. lib. 1.* & eo nomine hæredibus Petri Antonij valde præiudicantis, quòd nullum commodum ſorent percepturi, ob alicuius vitæ periculum; ſenſuri autem damnum manifeſtum.

*Duran. decif. 279. n. 1. & 2. Rota recen. p. 2. dec. 175. & diuer. p. 1. dec. 757. num. 2.

Denique, cùm inter contrahentes actum fuerit, vt pro quadringentis ſcutis, quadraginta annua præſtarentur, licèt pro alimentis forent conſtituta, contractus quodammodo videbatur referre quandam vſuariæ prauitatis imaginem, 5.
* cùm pecunia non ſoleat pecuniam parere. S. Thomas *2. 2. quæſt. 87. art. 1.*

*Seraph. dec. 1006.

Cæterùm, Antoninam iterum audire decreui, quia contrariam ſententiam, ſequentia ſuadere videbantur; primum, quoniam cùm non doceretur, in quo præciſè conſiſteret iniuſtitia, & prauitas huius contractus, & de originali eius cauſa 6.
apertè conſtaret, reuera enim Antoninæ debebatur, nedum vſusfructus quadringentorum, ſed longè maioris ſummæ ſcutorum 1500. quæ ipſa ad Lucidæ fauorem ceſſerat, ex hoc in primis ceſſabat omnis imago vſurariæ prauitatis, & ficti mutui, nam ad iudicandam iuſtitiam, vel iniuſtitiam contractum, cauſa primaria,* & originalis potiſſimum præſtanda eſt.

*adde Mant. dec. 70. n. 1. & 78. n. 2.

Rurſus, cùm non verſaremur in terminis cenſus realis, (de quo extat conſtitutio † fel. recor. Pij V.) iuſtitia, vel iniuſtitia contractus non poterat regulari iuxta illius conſtitutionis diſpoſitionem; ideoque ceſſabant allegata per informantes, contra Antoninam, ex eo quòd non fuerat ſuper certo corpore redditus conſtitutus.

7.
† habetur in Bullario Cherubini tom. 2. in conſt. Pij V. conſtitutione 79. pag. 276.

Præterea, quia ſi erat aſſignatio certi annui 8.
redditus Antoninæ conſtituti, pro ceſſione, & quaſi pretio illarum pecuniarum Lucidæ debitarum, poſt obitum Antoninæ, non poterat cenſeri vſurarius, neque illicitus, ſiue eſſet redditus perpetuus, ſiue vitalitius. Conradus *de contractib. quæſt. 74. & 75.* Sotus *lib. 6. de iuſtitia, & iure q. 5. art. 1.* Ioannes Medina *tom. 2. de reſtitutione, tit. de rebus per vſuram acquiſitis, quæſt. 12. & 14.* Couarruuias *lib. 3. variar. reſolut. cap. 7. num. 5. verſ. ego ſanè, & num. 6.*

Poſtremò, quoniam non poterat dici illicitus contractus, antequam cognoſceretur, cuius eſſet naturæ, ex hoc enim potiſſimum pendebat notitia iuſtitiæ, vel iniuſtitiæ illius.

## *Romana deuolutionis domus.*

### Die 4. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1.2.3 *Clauſula in fine poſita, refertur ad omnem ſcripturam præcedentem.*
4 *Decretum irritans, appoſitum in regulis reſeruatorijs, licèt apponatur in vltima, cenſetur repetitum in præcedentibus.*
5 *Clauſula, vt ſuprà, appoſita in ſcriptura, referri debet ſingula ſingulis, eo ſcilicet modo, quo relationes fieri queunt.*
6 *Teſtamenti clauſula limitata ad certum tempus, tunc*

*tunc incipit currere, quando teſtatòr decedit.*

7 *Clauſula*, ita tamen, *poſita in ſcriptura, reſtringit vltimum articulum, licèt ad omnes quandoque extendatur.*

## DECISIO CCCVIII.

1. VT ſatisfacerem Venerabili Capitulo Baſilicæ S. Petri, propoſui iterum cauſam ſuper eiſdem,& Domini ſteterunt in deciſis ſub die 5. Aprilis præteriti, * ac primùm libenter concedebatur informantibus pro Capitulo, regulam 2. affirmatiuam ſtare pro ipſo,quòd clauſula in fine poſita, referri debeat ad omnia præcedentia, ſed 3. reſpondebatur, illam non procedere, quando articuli præcedentes habent perfectam orationem, tunc enim ſolùm ad proximum fieri relationem, Alexand. *conſil.*48.*num.*8.*lib.*7. cum aliis allegatis in deciſione. *

* ſuprà deciſ.294.

* in d.deciſ. 294.n.3.& 4. vbi annotaui circa articulos præſentis deciſ.

Nec releuare ſimilitudinem de decreto irritante oppoſito in regulis reſeruatorij,quòd licèt apponatur in vltima regula,cenſentur tamen in omnibus præcedentibus repetitum,& inſertum, 4. id enim procedit ex eo, quòd ipſamet Cancellaria ita declarauit, vt explicat Mandoſius in proximo regularum *quæſt.*2. *num.*3.

Illam conſiderationem, quòd quando concurrit eadem ratio, tunc clauſula in fine poſita referri debeat ad omnes articulos præcedentes, etiam habentes ſuas ſpeciales determinationes, adducta in deciſione, ſatis apertè excludebant, ex quibus apparebat, diuerſa ratio inter Ioannem Baptiſtam, & perſonam ab eo nominatam, cùm Ioannes Baptiſta haberet generationem,& nominationem; perſona verò ab eo nominanda, haberet ſolam nominationem.

5. Ad clauſulam, *item cum hoc*, quòd ſi contingat nominationes vt ſuprà fieri,illæ fieri debeant in Capitulo, & per acta Notarij dicti Capituli, vt eis legitimè intimari debeat infra duos menſes,à die factæ nominationis inchoandos, quaſi quòd per iſta verba, *vt ſuprà*, contrahentes intellexerint de nominationibus,in quibus fuit data certa forma nominandi,reſpondebatur relationem *vt ſuprà* faciendam, intelligendam eſſe ſingula ſingulis referendo, eo ſcilicet modo quo ſingulæ relationes fieri poterant. Decius *conſil.* 186. *num.*4.*verſ.quartò conſiderandum.* Socinus iunior *conſil.*125. *num.*15. *lib.* 1. Menochius *conſil.* 87. *num.*26. *lib.*2.

Quod opponebatur de eadem clauſula,nempe,quòd cùm nominatio,ſeu illius intimatio eſſet facienda in Capitulo infra duos menſes à die factæ nominationis inchoandos, illa non poterat verificari in teſtamento Ioannis Baptiſtæ, ſi inſtitutio in ea facta vim nominationis haberet, ex rationibus ſubtiliter conſideratis per R. P. D. Antonium Boccapadulium, ex eo tollebatur,quia prædicta verba, de intimatione, ſeu nominatione Capitulo facienda,non excludebant nominationem in teſtamento faciendam 6. infra duos menſes, qui non incipiebant currere, niſi à die obitus teſtatoris, quo tempore teſtamentum ſumit vires, vt fuit reſolutum in illa cauſa Romana hoſpitij coram bon.mem.Brauo, die 26.Nouemb.1579.& iterum anno 1589. coram R.P.D.Decano in cauſa Romana domus.

7. Dicebant etiam Domini,quòd licèt concederetur illa verba, *ita tamen*, ſtare reſtrictiuè, ſeu limitatiuè,non tamen neceſſariò inferri æqualiter limitare & reſtringere omnes articulos,referatur nec ne, pendit ab illa inſpectione, an & quando clauſula in fine poſita referatur,vel non referatur, ad omnia præcedentia.

Sed in themate propoſito difficultas ceſſare videbatur, quia cùm reſpectu Ioannis Baptiſtæ poneretur ſua declaratio,ibi: *ita tamen,& taliter, quòd caſu quo prædictus Ioannes Baptiſta decederet ſine filijs,poſſit*,&c.ſi eiuſdem quoque Ioannis reſpectu voluiſſent contrahentes intelligere quod ſub vniuerſali hæredum inſtitutione non cenſeretur comprehenſa domus,facilè potuiſſent id declarare.

Obſeruantia prætenſa pro Capitulo non releuat, quia nec erat probata, nec proxima caſui propoſito.

## *Ruben. Primiceriatus.*

### Die Mercurij 9. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Commiſſione data conditionaliter, ſi exequatur iudex, non purificata conditione, ſententia eſt nulla.*

2 *Scripturæ extracta ſine litteris compulſorialibus, non probant.*

3 *Notarij atteſtatio de ſcriptura non probat, ſi ille non fuerit rogatus.*

## DECISIO CCCIX.

IN cauſa Ruben. primiceriatus, inter Vincentium de Iactis,& Claudiam Albinantem, licèt Domini dixerint ſententiam A. C. fuiſſe nullam ex defectu iuriſdictionis, quia cauſa ſibi fuerat commiſſa ſub conditione, * conſtito de lapſu biennij, & de diligentiis factis coram Vicario Ruben. quibus non verificatis, proceſſerat ad ſententiam, † item iniuſtam,quoniam alienatio bonorum Eccleſiaſticorum, (de quibus agebatur) fundabatur in quibuſdam inſtrumentis productis, non in forma probante extractis,videlicet ſine litteris compulſorialibus * contra deciſionem Rotæ 36. de probat. in antiquis, quibus non ſuffragabatur atteſtatio Notarij,cùm de illis non fuiſſet rogatus. † *§.nos autem, in Authent. de Tabellionib.*Innocent.*in cap.*1.*num.*5.*de fide inſtrument.* Baldus *in rubrica C. eodem num.* 12. tamen quia Claudius conquerebatur de modo procedendi, & dicebat ſe non fuiſſe citatum, nec informare potuiſſe, ideo volui ipſum iterum audire. 1.

* commiſſio data ſub cõditione ante eius purificationem nõ tribuit iuriſdictionem. Ludou.deciſ. 378. num.1. Mantic. dec. 343. n.1. Seraph. deciſ. 945.n.5.

† hæc deciſio fuit confirmata infrà dec.365.

2.

*adde Mant. dec.182.n.6. Rot. recen. p.2.dec.679. num.5.

†adde Mant. dec.62. n. 3. & 206. n. 7. Cocc. deciſ. 450.n.1. Rotam recen. p.2.dec.545. n. 5. & 641. num.4.

## *Placentina Decanatus.*

### Die Mercurij 9. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

*Gratia*, ſi neutri, *tunc habet locum, quando adeſt lis.*

DECI



## DECISIO CCCX.

IN cauſa Placentina Decanatus, inter Decanatum Placentinum, & Balthaſarem de Miranda, Domini non fuerunt concordes, & quia erat grauis,& exemplaris, placuit diſtinctè in ea procedere, & propterea ad effectum intelligendi, an intraret gratia, *ſi neutri*, per Balthaſarem obtenta,fuit ordinatum, quòd reſtringeretur, & videretur, * an conſtaret de lite.

* quia gratia, ſi neutri non valet ſi de tempore datæ illius non aderat lis, Duran. deciſ.244. n. 13. Mantic. dec. 50. n.1. & infrà dec. 330.n.2.

## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 14. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

3 *Solutio facienda teſtatori pro fructibus perceptis, licèt dies ſolutionis ceſſerit poſt eius obitum, debetur hæredi.*

4 *Fructuum,qui dietim ſoluuntur poſt mortem teſtatoris,facienda eſt ratio cum hærede.*

## DECISIO CCCXI.

1. CVm quibuſdam præſuppoſitis, primum inter partes concordatis, dubitaui, An D. Franciſcus Natus teneretur reſtituere D. Ioanni Antonio, eius fratri, ſummam à 732. & fuit reſolutum pro negatiua, nam cùm ex ſeptimo præſuppoſito conſtaret Franciſcum fuiſſe creditorem Hieronymi in ſumma excedente à 1000. & ſolùm conſecutus fuiſſet à 732. nedum non tenebatur aliquid reſtituere, ſed potiùs debebat recuperare reſiduum ſui crediti, ex hæreditate Hieronymi.

Neque obſtabat prætenſio Ioannis Antonij, dicentis,partem dictarum pecuniarum ad ipſum pertinere, vigore cuiuſdam fidei commiſſi pro rata temporis decurſi, poſt obitum Hieronymi, à die 8.Februarij 1587.vſque ad diem Paſchatis, reſurrectionis eiuſdem anni, qui tunc incidit in diem 29. Martij: quia præterquam quòd de illo fideicommiſſo nondum conſtabat, (vt aliàs fuerat in hac cauſa dictum) cùm Ioannes Antonius fuiſſet hæres à Hieronymo inſtitutus,qui partem caſalis pro indiuiſo, cum Hieronymo poſſidebat, licèt de prætenſo fideicommiſſo plenè conſtaret, adhuc tenebatur,ſoluere debita Hieronymi, cuius bonorum poſſeſſionem adeptus fuerat.

2. Præterea, cùm hîc eſſet controuerſia de duobus terminis tantùm, videlicet de termino Natalis ann.1586.& Paſchatis ann.1587.de primo pro ſumma 366. quæ eſt medietas ducatorum 732. nulla erat difficultas, quin illa pertineret ad Hieronymum, cùm tunc, quando dies ſolutionis ceſſerat,adhuc viueret, & per conſequen illæ pecuniæ ſpectarent etiam ad Franciſcum, eius in maiori ſumma creditorem.

3. De ſecundo,pro alia ſumma 366. ſoluenda in die Paſchatis, ſi illa erat facienda pro fructibus perceptis, tempore obitus Hieronymi, in eius hæreditate dicebatur eſſe, licèt dies ſolutionis ceſſerit,poſt illius obitum, *leg.defuncta, ff.de vſufruct.* Alexand. *conſil.*15. *lib.*2. *num* 3. Vincentius 4. de Franchis *deciſ.*79.*num.*1.*& ſeq.*Si verò affictus ſoluebatur ratione fructuum, quæ dietim perciperentur, & ita pro rata temporis,ſolùm remanſerit in hæreditate Hieronymi,Salicetus *in l.Iulianus.§.ſi fructibus ff.de actionib. empt.* Vincentius de Franchis *dicta deciſ.*79. cùm à die obitus Hieronymi,die 8.Februar.ann.1587. vſque ad diem 29. Martij eiuſdem anni, modicum tempus interceſſerit, licèt illa portio pertineret ad Ioannem Antonium, tanquam fideicommiſſarium, non teneretur Franciſcus, niſi ad ſummam ſatis modicam.

## *Aquilana Capellaniæ.*

### Die Lunæ 14. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Executor vnus litterarum Apoſtolicarum, ſi electus fuerit ex alijs nominatis in litteris, ex eo ceſſat iuriſdictio aliorum.*

3 *Mandatum A. C. præſumitur obtentum, propter impenſam factam.*

4 *Iuriſdictio A. C. ſi fuerit præuenta, poteſt pars ad eam redire.*

5 *Poſſeſſio capta virtute monitorij A. C. eodem die quo fuit intimatum, præſumitur intimationem præceſſiſſe.*

## DECISIO CCCXII.

AD dubium propoſitum, an ex quo Franciſcus adiuerat ordinarium ſuum,litterarum Apoſtolicarū executorem,deinde potuerit adire A.C. Domini reſponderunt,eum potuiſſe adire. 1.

Videatur deciſ. in cauſa Vigellen. Canonicatus coram Blanchetto die 28.Octobr.

Ratio deciſionis fuit, quia cum A.C. vti executor litterarum Apoſtolicarum, primo loco per Franciſcum, cum literis Apoſtolicis de menſe Maij 1591. fuerit aditus, qui pro earundem litterarum executione relaxauerat monitorium intimatum Vicario Aquilano,die 5.Iunij protinus ceſſauit iuriſdictio cæterorum iudicum, * in litteris deputatorum, *cap.cùm plures,*ibi: *vel executores, à Sede Apoſtolica, de offic. de legat. lib.*6. vbi Geminianus *num.*11. *verſ.ſed an iſte textus*, quod aliàs coram Reboſterio in vna Bergomen. Parochialis, conſtabat fuiſſe reſolutum. 2.

*adde Lud. dec.46. n. 8. & 10. vbi aliæ deciſ. allegantur, & Rotam in vna Placentina præſtimoniorum impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag.365.

Mandatum verò obtinentis monitorium ab A.C.præſumebatur,tum propter impenſam,Verallus *deciſ.*20. *lib.* 1. *in manuſcript.* tum ob productionem litterarum, coram eodem Auditore Paleothus *deciſ.* 71. aliàs 48. incip. *Agitanien. Parochialis*, idque reddebatur multum veriſimile,ex facto ſubſecuto,cùm paulo pòſt,Franciſcus 3. eodem monitorio fuerit vſus, illud die 5. Iunij Vicario Aquilano intimando, & eadem die poſſeſſionem capiendo,ex his enim apparebat, omnia fuiſſe geſta cum Franciſci conſenſu, & de eius mandato; vnde cùm iuriſdictio A.C.fuerit præuenta, potuit deinde Franciſcus ad eundem 4. redire.

Licèt autem vterque actus intimationis monitorij, & captæ poſſeſſionis, eodem die fuerit 5. geſtus, nec de prioritate alterius appareret, vt ſuſtineretur captæ poſſeſſionis actus, intimatio monitorij præſumebatur anteceſſiſſe. Biſnietus *deciſ.*1. *de præſumpt.*

Neque ſupradictis refragabatur,quòd in inſtrumento captæ poſſeſſionis enuntiaretur, Vi-

carium

carium Aquilanum, tanquam executorem litterarum Apoſtolicarum Franciſco tradidiſſe poſſeſſionem, quaſi inde ſequeretur, noluiſſe eum parere monitorio, nec eius vigore poſſeſſionem tradidiſſe, quoniam cùm in monitorio omnibus, ad quos traditio poſſeſſionis pertinebat, mandaretur, eam tradere, & in caſu propoſito traditio ſpectaret ad Vicarium in literis nominatum, & executorem deputatum, tradendo poſſeſſionem, & monitorio parendo, verè dici poterat, litteras Apoſtolicas exequi: quam interpretationem faciendam ſuadebat actus validitas, quia ſi fuiſſet geſtus à Vicario, vti executore in litteris ſimpliciter dato, ſtante præuentione A.C. non poſſet ſuſtineri.

An autem Auditor Cameræ bene, vel malè proceſſerit, Domini particulariter videre voluerunt.

---

## *Placentina penſionis.*

### Die Lunæ 21. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula*, dummodo accedat conſenſus, *operatur, vt non obſtante clauſula*, ſublata, *ſi non adſit conſenſus, poſſit agi de nullitate.*

2 *Clauſulæ*, ſublata, *& quod non poſſit apponi de ſubreptione, &c. non operantur, niſi verificatis narratis, & num. 5.*

3 *Obreptio contingit, ſi in ſupplicatione narratur falſum.*

6.7 *Clauſulæ gratiæ, recipiunt eaſdem conditiones, quas inducit diſpoſitio principalis.*

8 *Pars petens reformationem commiſſionis, ſibi non præiudicat, nam qui reformat idem eſt, ac ſi exciperet.*

9 *Exceptio operatur excluſionem intentionis actoris.*

## DECISIO CCCXIII.

VT agenti pro Ioanne de Montemayor, inſtanter petenti iterum audiri, ſuper iſta cauſa ſatisfacerem, propoſui * dubium petitum, an eidem Ioanni volenti excipere de nullitate reſeruationis penſionis ex eo dumtaxat, quòd nullus Garciæ conſenſus interuenerat, obſtaret clauſula, *ſublata*; & Domini reſponderunt, eam ſibi obſtare, diſtinguebant enim duos caſus, ex quorum diſpari conſideratione tollebatur omnis ambiguitas; primus erat, ſi Papa ſimpliciter dixiſſet, *dummodo Garciæ accederet conſenſus*, nam
1. tunc, non obſtante clauſula, *ſublata*, & clauſula,
2. quòd non poſſet opponi de obreptione, & ſubreptione, potuiſſet agens dare de nullitate † gratiæ; clauſula enim hoc caſu non operaretur, niſi verificatis, & adimpletis * narratis expreſſis, gloſſ. Albericus, & Alexander *in l. non erit. §. dato ff. de iureiurando*, Pariſius *conſil.* 80. *num.* 12. *lib.* 1. Decius *conſil.* 185. *num.* 9. Verallus *deciſ.* 284. incip. *Clauſula, lib.* 1. *in manuſcr.* cum aliis adductis per Sarnenſem in regula *de iure quæſito non tollen. quæſt.* 1. *circa finem*, & in hunc ſenſum erat accipienda deciſio bonæ mem. Cottæ 295. vt apparebat ex illius ſerie. Sed iſte non erat caſus propoſitæ dubitationis, cùm ex ſupplicationis verbis conſtaret ea non fuiſſe conditionalia, (vt

*de hac cauſa Garcia de benef. 6. part. c. 3. à n. 91. & habetur præſens deciſio impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 468.

† adde ſuprà dec. 286.

* adde Rot. in Hiſpalen. beneficij coram Lita impreſſam per Marcheſ. de commiſ. p. 2. pag. 432. Caual. dec. 404. num. 3.

prætendebant informantes pro Ioanne, nec futuri temporis, ſed præſentis, videlicet, *cuius ad id, & infraſcripta omnia expreſſus accedit aſſenſus.*

Alter caſus erat, quando Papa nil diceret, ſed 3.
pars impetrans narraret, quòd erat falſum, vel non verificabatur narratum, (prout in hoc caſu prætendebatur,) quia tunc, clauſula, *ſublata*, cum
alia clauſula quòd non poſſit opponi de ſubreptione, vel obreptione, obſtabit * impugnanti gratiam. 4.

Nam cùm narrando falſum, contingat obreptio. Baldus *conſil.* 252. incip. *Querulæ preces, n.* 1. *lib.* 1. Geminianus *conſil.* 128. *in fine*, Alexander *conſil.* 60. *num.* 15. *lib.* 2. Abbas *in cap. cùm dilecta num.* 5. *de reſcript.* Berous *in cap. ſuper litteris in vtraque lectura, n.* 1. *de reſcript.* & Papa hîc conceſſiſſet, ne talis gratia propter obreptionem impugnari poſſet, clarum erat, clauſulam *ſublata*, iunctam cum iſta alia Ioanni obſtare. Nam illa re-
gula, quòd clauſula, *ſublata*, † debeat intelligi veris exiſtentibus narratis, ex quo clauſulæ recipiunt eaſdem conditiones, * quas inducit diſpoſitio principalis, procedit, quando clauſula, *ſublata*, reperitur ſola, ſecus autem eſt, ſi cum aliis iungatur, † Puteus *dec.* 377. incip. *In vna Hiſpalen. lib.* 3. quod Rota ſæpe diffiniuit. 5.

Nec miranda ſibi præiudicauit, petendo & obtinendo commiſſionis reformationem, quaſi quod petendo reformationem in quibuſdam, in cæteris conſenſiſſe videretur: quia qui reformat, ſicut qui excipit, non cenſetur in aliquo conſentire, * vel fateri intentionem aduerſarij, cùm potiùs veniat impugnatiuè. *cap. cùm venerabilis,*
*de exceptionib.* vbi Felinus *num.* 12. & Decius *n.* 75. 6.
excipiens enim ad excludendam intentionem
actoris tendit, *l.* 2. *ff. de exceptionibus*, maximè, cùm 7.
ex præfata reformatione non poſſet colligi, Mi- 8.
randam in aliquo conſenſiſſe, quod ad nullitatem penſionis trahi poſſit. 9.

* Caual. dec. 92. n. 3. & habetur in recen. p. 1. dec. 1285. Rota in Vlixbonen. præeminẽtiarum coram Iuſto impreſſa penes Marcheſ. vbi ſuprà p. 1. pag. 286. n. 2.

† adde Rot. in Aquinaten. ſeu nullius coram Marquemõtio; & in Pacen. penſionis coram eodem impreſſæ penes Marcheſ. de commiſ. p. 2. pag. 436. & 437. & coram Rubeo pag. 429. n. 2. & 3.

* adde Rot. in Nouarien. Canonincatus impreſſam per Marcheſ. part. 1. pag. 451. n. 2.

† adde Rot. in Vrgellen. Canonicatus coram Blanchet. impreſſam penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 238. & in eadem coram eodem pag. 277. n. 3.

* excipiens nõ intelligitur confiteri, vt per Mantic. dec. 192. n. 4. Surdum dec. 24. n. 5. Genuenſem dec. 38. n. 8. & 91. n. 1.

---

## *Salamantina Coadiutoriæ.*

### Die Veneris 25. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Coadiutor Canonici non debet ſedere in eadem ſella chori, in qua ſedet principalis.*

3.4 *Subrogatus frui debet eiſdem prærogatiuis, quibus gaudet ille, in cuius locum ſubrogatur.*

5 *Coadiutor Canonici non debet præcedere alios Canonicos proprietarios, & num.* 12.

6 *Prælationem non debet dare, qui propria fulget dignitate ei, qui aliena.*

7 *Coadiutor, viuente coadiuto, datur in gratiam ipſius coadiuti.*

8 *Coadiutor dicitur Canonicus fictus, & vt talis non eſt præferendus alijs Canonicis proprietarijs.*

9 *Reſcripti forma inſpicienda eſt in gratia coadiutoriæ, ad eius obſeruantiam.*

10 *Reſcripti verba generalia, per ſubſequentia reſtringi poſſunt.*

11 *Coadiutoriæ perpetuæ ſunt odioſæ, & à iure exorbitantes.*

13 *Coadiutor poteſt conſumere dies gratiæ, qui per ſtatutum Eccleſiæ, vel per Tridentinum pertinent coadiuto.*

DECI



## DECISIO CCCXIV.

1. FElicis recordationis Sixtus Papa V. ann. Domini 1589. D. Antonio de Oquendo, Canonico Eccleſiæ Salamantinæ, Coadiutorem perpetuum, & irreuocabilem cum futura ſucceſſione, in Canonicatu dedit Ioannem Baptiſtam Polanco, hoc tenore verborum: *nec non omnes, & ſingulas prærogatiuas, præeminentias, & honores, in eiſdem Choro, Altari, Capitulo, & proceſſionibus, nec non actibus Capitularibus, tam intra quàm extra ipſam Eccleſiam Salamantinam, quos præfatus Antonius, ratione Canonicatus, & prebendæ habet, & ſi præſens adeſſet, haberet, ipſe Ioannes habeat,* &c. cum vigore Apoſtolici reſcripti, ſuper dicta coadiutoriæ gratia expedita, & præſentata; venerabile Capitulum Eccleſiæ Salamantinæ, præfatum Ioannem Baptiſtam, in poſſeſſionem officij coadiutoris legitimè immiſiſſet, & dum abſente D. Antonio, Ioannes in Eccleſia reſediſſet, inter ipſum & Capitulum ortæ fuerunt ſequentes dubitationes, ſuper quibus Rotæ Tribunal conſulentes, eius decreto, & ſententiæ parere promiſerunt.

Prima, * an Ioanni coadiutori aſſignanda foret ſedes D. Antonij, cum antiquitate præfati Antonij Canonici: nam cùm hanc ſedem prætenderet ſibi aſſignandam Ioannes, Capitulum exiſtimabat, ei deberi vltimam ſedem inter omnes Canonicos, & magis antiquam inter omnes patronarios.

* vide infrà deciſ. 790. & 856.

Altera dubitatio erat, vtrùm Ioannes coadiutor, poſſet dies gratiæ patere, & conſumere: nam cùm Concilium Tridentinum, & Eccleſiæ Salamantinæ conſtitutiones, quolibet anno indulgeant Canonicis tres menſes recreationis, quibus ab onere reſidendi liberantur prætendebat coadiutor, ſe iſto beneficio poſſe frui, contrà verò Capitulum ſentiebat.

Tertia, nunquid coadiutore ægrotante, carcerato, vel aliquo alio legitimo impedimento detento, haberi deberet pro præſente, & perinde foret computandus, vt lucraretur Eccleſiæ emolumenta, ſicut computaretur, & lucraretur Antonius Canonicus proprietarius, & verus.

Quarta erat, an exiſtente Antonio Canonico proprietario, & vero excommunicato, poſſet tunc inſeruire, & lucrari Ioannes coadiutor. *

*de quo dubio vide infrà dec. 392.

Quinta & vltima erat, an Ioannes coadiutor poſſet habere vocem actiuam, † & paſſiuam in Capitulo, tam in rebus ordinariis, quàm in officiis, ſede Epiſcopali vacante, & in iuriſdictione de la Baldobla, quam Capitulum Salamantinum exercet, & in ferendis ſuffragiis in prouiſionibus Canonicatuum ad Capitulum pertinentium.

† de quo infrà dec. 398.

Cauſa ita per me poſitæ, die 10. Martij Dominis diſſentientibus, non potuit capi reſolutio, ſed ordinauerunt, quòd in ſingulis poſitionibus
2. diſcuterentur duo tantùm dubia: vnde oppoſita iterum cauſa ſub die 25. Iunij ſuper duobus primis dubiis, quantum ad primum cenſuerunt, Ioanni coadiutori non eſſe aſſignandam ſedem Antonij cui datus fuerat coadiutor, ſed eum ſedere debere vltimo loco poſt omnes Canonicos tempore ſuæ receptionis, * & ingreſſus in Eccleſia; quoniam licèt coadiutor repræſentet per-
3. ſonam illius, cui datur coadiutor, & ſubrogatus

* adde Rot. recen. part. 1. dec. 657. n. 3. & deciſ. 453. n. 3. & vtrobique ad propoſitum hæc deciſ. allegatur.

frui debeat eiſdem prærogatiuis, quibus fruitur ille in cuius locum ſubrogatur, * *l. ſi eum. §. qui iniuriarum ff. ſi quis cautionib. l. filiæ ſuæ. §. Titia. ff. de condit. & demonſtr. l. in duobus. §.* 1. *ff. de iureiur.* id intelligitur, reſpectu aliorum inferiorum, qui-
bus præferri quidem debet, non autem reſpectu 4.
aliorum Canonicorum parium ipſi coadiuto, 5.
quos præcedere † non poteſt, cùm illi propria 6.
dignitate & prærogatiua, coadiutor autem aliena tantum præfulgeat, nec dubium ſit, eos qui propriæ auctoritatis lumine fulgent; illis præferri, qui aliena luce coruſcant, aut vices aliorum gerunt; Purpuratus *in l.* 1. *de officio eius cui mand. eſt iuriſdict. num.* 632. *verſ. & quo ad cæteros*, Decius *in cap. ſanè il* 2. *num.* 12. *de officio delegat. verſ. ſed habito reſpectu, & verſ. & reſoluendo omnia ſupradicta.* Iacobus de Nigris *in repetitione l.* 1. *ff. de offic. eius, num.* 14. Alciatus *reſponſo* 199. *n.* 36. Menochius *conſil.* 51. *num.* 24. *lib.* 1.

* limita hanc regulam in pœnalibus, vt per Seraph. dec. 537. n. 4.

† in hac N.S. Metropolitana Eccleſia Cæſarauguſtana adeſt ſtatutum p. 1. c. 3. (de quo meminit noſter Canonicus Sarabia in ſuo tract. de iuriſdict. adiunct.) q. 29. n. 19. contrarium ſuadens; & cùm hæc quæſtio ageretur per D. Caluo, coadiutorem Canonici Ramillore; propoſita cauſa in Sacra Rituũ congregatione, fuit declaratum die 26. Septemb. 1620. Canonicos proprietarios debere præcedere coadiutoribus, non obſtante quacunque conſuetudine, vel ſtatuto; quam declarationẽ cum aliis pluribus ad hunc articulũ pertinentibus, adducit Barboſ. de vniu. iure Eccleſ. lib. 3. cap. 10. & latè diſſerit de materia huius deciſ. de qua videndus eſt Manrique in tract. de præceden. q. 15. vbi allegat. præſentẽ dec.

Supradictis addebatur, quoniam coadiutor, viuente coadiuto, dicitur datus in gratiam ipſius coadiuti. Puteus *deciſione* 98. incip. *In vna Toletana lib.* 2. *& deciſ.* 226. incip. *In vna germana, lib.* 3. & ideo coadiutor vocatur etiam Canonicus fictus, * & conſequenter non debet præferri veris Canonicis, cùm verum ficto præferri debeat. *cap. fraternitatis, de frigid. cap. cùm venerabilis, de religioſ. dom.* vnde prudenter Geminianus conſuluit, Canonicos veros fictis eſſe præferendos, *conſil.* 138. *num.* 1. *in fine, & num.* 2. *& ſeq.* Rebuffus *in praxi beneficial. tit. de reſcript. etiam perinde valere, num.* 30. quamquam enim in hac materia regula tradi ſoleat, inſpiciendam eſſe formam reſcripti conceſſionis coadiutoriæ, Ioannes Andr. *in cap. conſultationib. de clerico ægrotant. num.* 8. *&* 9. & in coadiutoria diceretur, quòd Ioannes haberet omnes prærogatiuas Antonio competentes, quæ verba ſua latitudine indicare videbantur, coadiutori deberi, quæcunque Antonio iure proprio debebantur; nihilominus Domini conſiderabant, illa reſtringi per alia verba in reſcripto apposita, videlicet, *ratione Canonicatus*; ex his enim apparebat, in gratia fieri diſtinctionem inter illa, quæ competebant ratione Canonicatus, & ratione antiquitatis, vnde cùm ſedes non competat ratione Canonicatus, ſed ratione antiquitatis, ratione antiquitatis non poſſet competere Ioanni coadiutori ſedes illa, quam prætendebat, ideo meritò ei erat deneganda, & eo magis ita erat dicendum; quia iſtæ coadiutoriæ ſunt odioſæ, & exorbitantes à iure communi. Mohedanus *deciſ.* 338. aliàs eſt 10. *de priuileg.*

Neque huic reſolutioni obſtabant illa verba, quæ paulo pòſt ſequebantur, *iuxta ipſius Antonij iurium, & receptionis antiquitatem.* quia proximè antecedentia demonſtrabant, illa referri ad ius
optandi, quando eueniente caſu vacationis ali- 7.
cuius præbendæ, locus fieret optionis alterius 8.
maioris, & pinguioris. Et ex his dicebant Domi-
ni, non eſſe ſatis tutum conſilium 2. venerabilis 9.
Doctoris Martini Nauarri *num.* 5. *de clerico ægro-* 10.
*gante*; nam ex diſpoſitione iuris communis, co- 11.
adiutor non debet præcedere Canonicos antiquiores. *cap. ſtatuimus, de maiorit obedient.* gloſſ. *in cap. fin. in verb. antiquiores, de conſuetudine, lib.* 6. Mohedanus *deciſ.* 262.

* adde Rot. rec. p. 1. dec. 456. vbi latè de materia huius deciſ. vbi n. 8. præſẽs allegat. & in deciſ. 657. n. 3. in fine.

Et licèt præcedentia inclinaret Ioanni vltimum ſemper locum, poſt omnes Canonicos aſ-



V ſignandum,

ſignandum, viſum fuit, ea optare ad præfatum ſuæ receptionis tempus, vt dictum eſt.

13. Ad ſecundam dubitationem Domini conformiter reſponderunt, Ioannem poſſe conſumere * dies gratiæ, quia reſpectu temporis conceſſi à Concilio, & Eccleſiæ Salamantinæ conſtitutionibus, cenſuerunt habere locum argumentum deſumptum à ſubrogatione, ſeu æquiparatione, non obſtante inconueniente, per Capitulum commemorato, quòd ſi coadiutor haberet tres menſes, poſſet etiam Antonius coadiutus alios tres ſibi aſſumere, & ſic cultus diuinus, & ſeruitium Eccleſiæ eluderetur: quia hoc ceſſabat ex eo, quòd quando vnus ipſorum vſus eſſet beneficio dicti temporis, tunc alter non poterat eodem beneficio perfrui, nec ſibi aliud trimeſtre applicare. *

*adde Gonzalez ad regul.8. gloſ.5. §.9. vbi n.13. ad propoſitum allegat hanc deciſ.

*de aliis dubiis conducentibus ad materiam huius deciſ. vide infrà deciſ.392. & 398. & 790. & 856.

## *Conchenſis Archipreſbyteratus.*

### Die Veneris 25. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Probationem legitimam debet habere, qui venit ad cauſam per viam obiectus.*
2 *Probationes concludentes requiruntur in materia obiectus.*

### DECISIO CCCXV.

PEtrus Amoraga, qui impetrauerat iſtum Archipreſbyteratum, ex eo quòd erat incompatibilis cum dimidia portione, propter curam iuriſdictionalem, veniebat per viam obiectus, &
1. propterea erat neceſſaria legitima * probatio, Ægidius *deciſ.*561. Mohedanus *deciſ.*160. Puteus *deciſione* 6. *de probationib.* nam in materia obiectiua concludentes probationes requiruntur, *l.fin.C. de probationib.* Innocentius, & alij *in cap. ſuper his*, vbi Felinus *num.*17. *de accuſat.*

*de hoc articulo vide infrà deciſ. 351. n.2. vbi annot. duas deciſ.

Et quoniam probationes hactenus per Petrum ex confeſſione Procuratoris, & acceptatione gratiæ, per principalem acceptata, in qua Procurator narrauerat, Archipreſbyteratui imminere curam iuriſdictionalem, Dominis videbatur inſufficientes, ideo dixerunt, quòd meliùs coadiuuaret ſuam probationem.

## *Nouarien. bonorum.*

### Die Lunæ 28. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia vtilitas non ſolùm inſpici debet ex modica læſione, ſed requiritur euidens eius commodum, aliàs dicitur læſa.*
3 *Teſtis vnicus nec iuſtificat, nec damnat.*
4 *Teſtis dictum, interpretandum eſt in dubio, contra eum, qui in eo ſe fundat.*

### DECISIO CCCXVI.

1. VOlui audire iſtos de Clapis, ſuper quibuſdam, quæ ſibi ſuffragari putabant, & in primis ſuper eo, quòd deducta parte Canonis, Eccleſia poterat in modico videri læſa, nempe in tribus, vel quatuor libris, & propterea locationem non fore reſcindendam, ſed ad hoc, in aliis deciſionibus fuerat reſponſum, quòd cùm locatio eſſet facta non ob neceſſitatem, ſed ob euidentem Eccleſiæ vtilitatem, non ſufficiebat, Eccleſiam non fuiſſe læſam, vel in modico extitiſſe læſam, ſed oportebat conſtare de vtilitate, & euidente eius commodo. * *cap. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2. vbi Archidiaconus *num.* 5. Bellamera *num.* 7. & Henricus Boich *in cap. tua, in fine, de his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli.*

*ſuprà deciſ. 287.n.2. vbi annotaui.

Item ſuper eo, quod prætendebant, ſupradicta poſſe habere locum, ſi bona tempore ſecundæ locationis permanſiſſent in eo ſtatu, in quo erant tempore locationis ann. 1539. de quo, vſque ad tempus locationis (de qua agebatur) ceciderat ſedimen, ſiue ruſticum tugurium,* propter quam mutationem potuerat ſine Eccleſiæ damno, pro minori pretio, ſecunda locatio fieri. 2.

* de quo ſuprà dec.302

Hæc tamen prætenſio, quæ prodeſſe fortaſſis Clapis potuiſſet ex deductis pro parte ipſorum, non apparebat ex teſtibus concludenter probata, nam vltra quòd primus teſtis poterat dici, non loqui de ſedimine, ſed potiùs *de vno Paſone di Paglia*, erat etiam vnicus; & ideo non probabat, * *cap. licet, & cap. veniens, de teſtib.* nam teſtimonium vnius, nec iuſtificat, nec condemnat. *cap. admonere* 33. *quæſt.*2. 3.

* adde Lud. dec.178.n.1. & 215.n.4.& 238.n. 11.& aliàs ſæpe, quod amplia vt nec contra inducentem probet dec.215.n.4. & 5. vbi annot.n.9. reddit rationem; quando autem probet, vide Duran.dec.195. n. 1. & 2. & Seraph. dec. 677.n.1. 2.& 1163.n.6.

Secundus teſtis, dum dicebat, item *le appelato, io che eſtaua nel propio alogiamento di Sancto Lorenco*, &c. non concludebat, præfatum Io inibi ſemper, & continuò fuiſſe commoratum, vſque ad finem locationis, nam eius depoſitio verificari poterat reſpectu certi temporis, ita quòd prope finem locationis ipſius Io ſedimen ceciderit, præſertim, cùm in dubio dictum teſtis ſemper interpretandum ſit contra eum, qui in eo ſe fundat. † Rota *deciſione* 6. *de teſtib. in antiq.* Bartolus *in l. inter ſtipulantem.* §.1. *de verbor. obligat.* & ita dixerunt Domini, cauſam tandem expediendam, ad fauorem D. Abbatis S. Laurentij Nouarien.

4. † de hoc art. vide Caual. dec.154.n.3. & 366. n. 5. Seraph. dec. 1249.n.4.

## *Iacen. Vicariæ.*

### Die Lunæ 28. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Res iudicata ſuffragatur parti, qui eam obtinuit, ad iuſtificandam cauſam.*
2 *Reſtitutio in integrum danda eſt ei, qui pro ſe habet rem iudicatam, maximè ſi non ſit lapſum quadriennium.*
3 *Verba, vt aſſeritur, poſita in commiſſione, excludunt vitium ſubreptionis, & liberant impetrantem ab onere probandi.*
4 *Commiſſione obtenta, ex varijs cauſis, vna exiſtente vera, non datur ſubreptio.*
5 *In beneficialibus licet titulos multiplicare, & per impetrationem vnius, non cenſetur alteri renuntiatum, & habet locum non ſolùm in reo, & poſſeſſore, ſed etiam in actore, & num.6.*
7 *Titulis ex pluribus ad diuerſum effectum concernentibus ad beneficium, agi non licet.*

Titulorum



8 *Titulorum multiplicatio non admittitur in materia electionis.*
9 *Gratia Papalis beneficij admittit multiplicationem titulorum.*
10 *Litem pendere dicitur in termino ad appellandum dato à iure.*
11 *Sede vacante non currit tempus appellationis.*

### DECISIO CCCXVII.

QVas reſtitutiones, vnam aduersùs quamcunque rem iudicatam, & lapſum fatalium, alteram aduersùs conſtitutionem fel. record. Gregorij XIII. de publicandis reſignationibus, Domini cenſuerunt Antonio ſuffragari, nam quantum ad rem iudicatam, cùm ex deciſis coram Domino Cardinale Platto, tunc Rotæ Auditore, die vltima Ianuarij 1590. conſtaret
1. de bono iure Antonij, * ex quo reſignatio ad eius fauorem facta, fuerat iudicata valida, & iuſtificata, & ſuffragabatur Rota *deciſ.* 5. *de reſtit. in integrum, in nouis.* Peregrinus *deciſ.*18. incip. *In cauſa Calagurritana lib.* 1. maximè cùm nondum
2. videretur lapſum quadriennium. † *Clem. vnica de reſtit. in integrum.*

*conſtito de bono iure datur reſtitutio. Duran. dec.237.n.2. Ludou.deciſ. 459. n.1. vbi latè annota num.11.

† in quo durat hæc inſtantia, Seraphin. deciſ. 945.n.4.

Neque tenebatur Antonium probare negligentiam Procuratorum, ob quam narrauerat, in commiſſione lapſa fuiſſe fatalia, nec ei nocuit talis narratiua; quia erat concepta per illa verba, *vt aſſeritur*,* quæ propterea excludebant vitium ſubreptionis, & liberabat impetrantem ab onere probandi. Rota *deciſ.*77. *de reſcript. in antiq.* Caſſadorus *deciſ.*4. *num.* 8. *de probationib. & deciſ.*7. *num.*6. *de iurepatronat.*

3. *adde Cæſarem de Graſ. dec.2. n.4.de prob. Rotam diuer.part.1. dec 412.n.3. Caual. deciſ. 533.n.5. Seraph. deciſ. 388.n.3.

Præterea, cùm aliæ cauſæ narratæ etiam forent in commiſſione, ſatis erat, vnam ex illis extitiſſe veram. Ægid. *deciſ.* 280. Puteus *deciſ.* 69. incip. *Item in eadem, lib.*2.

4. Suffragabatur etiam Antonio reſtitutio aduersùs conſtitutionem de publicandis reſignationibus, nam licèt tempore obtentæ commiſſionis, lapſum fuiſſet quadriennium, ex quo in reſtitutione fuerat narratum, & Papa ſciens, & prudens voluit concedere, non erat vlteriùs quærendum.

5. Factum, quòd poſt reſignationem in ſuum fauorem factam, obtinuerit de eadem Vicaria ſibi prouideri, tanquam de vacante per aſſecutionem, quaſi propterea præſumeretur renuntiaſſe priori prouiſioni, per reſignationem ei non præiudicabat, tum quia cùm primo loco produxerit litteras reſignationis, & eis vſus fuerit, potius videbatur renuntiaſſe vacationi, per aſſecutionem, quàm renuntiationi, tum etiam, quoniam cùm in beneficialibus liceat titulos multiplicare,* per impetrationem vnius non cenſetur alteri renuntiatum. Caſſadorus *deciſ.* 150. Romanus *conſil.* 433. *num.* 6. *& ſequenti.*

* adde Duran.deciſ.14. n.16. & 237. n.22. & 350. n.9. Coccin. dec.47.n.20. & 317. n. 4. Mantic.359. n. 8. & aliàs ſæpe.

6. Quod habet locum, nedum in reo, & poſſeſſore, ſed etiam in actore, cùm tituli ad eundem effectum, & finem tendunt. Lapus *allegatione vltima*, Felinus *in cap. in noſtra*, *num.* 2. *verſ. cum iſtis concordat. de reſcript.* Selua *tract. de benefic. part.*3. *quæſt.*19. *num.*2. Romanus *dicto conſ.* 433. *num.* 6. *& ſeq.* vbi Paraphraſtes docet, quomodo intelligenda ſit contraria, quibus ſuaderi vi-
7. detur, non poſſe agi ad beneficium ex pluribus titulis, cùm ſcilicet ad diuerſum effectum ageretur. Felinus *in dicto cap. in noſtra*, *num.* 2. *verſ. ſecundo intellige*, Romanus *conſil.* 350. *num.*13. *in ſecundo dubio.*

Et quidquid ſit in materia electionis, in qua propter decretum in confirmatione apponi ſolitum, non admittitur multiplicatio titulorum, *cap. vt quis duas, de elect. lib.* 6. In prouiſionibus 8.
Papalibus explorati iuris eſt, etiam in actore multiplicem admitti titulum, vt is qua gratia voluerit & vti, & experiri poteſt. Calderinus *conſil.* 7. *de elect.* Lapus *allegatione vltima*, *num.*2. Romanus *dicto conſil* 433. *num.*5. *& ſeq.* Caſſadorus *deciſ.*3. *de cauſa poſſeſſ. & propriet. in fine*, Verallus *deciſ.* 305. *part.* 3. vbi ita Rotam ſeruare teſtatur. 9.

Item narratam ab Antonio in commiſſione reſtitutoria, aduersùs conſtitutionem de publicandis, ſatis iuſtificatam fuiſſe, conſtabat, ex quo pendebat cauſa appellationis, quæ durabat 10.
per biennium datum, ad proſequendam appellationem, & in primo anno aliquid factum fuerat. Caſſadorus *deciſ.*6. *num.* 8. *de appell.* deducto tamen tempore ſedis vacantis, in quo non elabuntur fatalia, ſicut deduci oportet. Rota *dec.*2. *de dilatio. in nouis*, Verallus *deciſ.*85. *lib.* 1. *in manuſcript.* 11.

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Lunæ 28. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

2 *Gratia ſubreptitia dicitur, ſi narrata non ſint vera.*

### DECISIO CCCXVIII.

IN hac cauſa, quæ agebatur inter duos ſatis pauperes clericos, Franciſcum Platonium, & Ioannem Antonium Rugalium, ſuper dubio propoſito, an ſententia de partibus lata, ad fauorem Franciſci Platonij, eſſet confirmanda, vel infirmanda, multæ ſe obtulerunt difficultates, nempe, vtrùm Franciſcus fuiſſet præſentatus à maiori parte Patronorum, ſicut ipſe narrauerat in prouiſione à Sanctiſſimo obtenta; item, an hoc ius patronatus requireret, quòd præſentandus actu foret Sacerdos, & num Franciſcus talis fuiſſet tempore præſentationis de ipſo factæ. Item an eſſet de proſapia, & progenie patronorum: nam ſi iſta narrata non eſſent vera, gratia ipſius redderetur ſubreptitia. * 1.

2. *Duran.dec. 100. num. 6. & 199. n. 6. Seraph. dec. 734. n. 7. & 443. n. 1. & 1403. n.3 & ſæpiſſimè declarauit Rot.

Reſpectu quoque Ioannis Antonij, erat dubium, an eſſet actu Sacerdos de tempore præſentationis, & de proſapia, & progenie Patronorum: & cùm tam circa præmiſſa, quàm circa alia inde conſequentia, particulares inſpectiones in Rota de more habendæ magnas requirerent impenſas, quas pauperes litigantes facere non poterant, commodius mihi videbatur, poſtquam redditus Capellaniæ ad ducat. ferè 100. aſcendebant, vt alter remaneret cum titulo, & ad fauorem alterius, reſeruationi honeſtæ penſionis conſentiret.

## *Aquinaten. beneficiorum.*

Die Lunæ 5. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſori anteriori dandum eſt mandatum de manutenendo.*
2 *Beneficia vacantia in menſe Sedi Apoſtolicæ reſeruato, non poteſt Ordinarius vnire.*
3 *Epiſcopus, iuxta diſpoſitionem Tridentini, poteſt vnire beneficia reſeruata.*

### DECISIO CCCXIX.

1. FVit per Dominos concluſum, ſeminario Aquinatenſi, de cuius anteriori poſſeſſione conſtabat, vigore vnionis factæ ab Ordinario, fuiſſe dandum mandatum * de manutenendo, *cap. licet cauſam*, vbi Felin. *num.* 8. *& 9. de probat.* non autem D. Antonio Rodulpho, cuius poſſeſſio cùm eſſet poſterior, & capta ſeminario poſſidenti, tanquam merè inſtrumentalis, non erat manutenibilis.

* adde Duran. deciſ. 4. n. 3. & 114. n. 2. & 118. n. 1. & 257. n. 2. Ludouiſ. dec. 9. n. 5. & 549. n. 1. & deciſ. 40. vbi plures ampliationes refert, & aliàs ſæpiſſimè.

Neque obſtabat ſeminario, reſpectu huius iudicij poſſeſſorij, exceptio nullitatis vnionis oppoſita per Antonium, dicentem, vnionem fuiſſe nullam, tanquam factam ab Ordinario, de beneficiis vacantibus in menſe Sedi Apoſtolicæ reſeruato: nam præterquam quòd † Epiſcopus iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 21. *cap.* 5. poterat vnire beneficia generaliter, vel ſpecialiter reſeruata, aut qualitercunque affecta, quatenus oppoſitio ſubſiſteret, cùm reſpiceret petitorium, non poterat poſſeſſioni ſeminarij præiudicare.

2. † & etiam Epiſcopus poteſt vigore Concilij, vnire beneficium, cuius collatio vigore concordiæ ſpectat ad Capitulum, vt per Seraph. dec. 1011. n. 1.

## *Aquilana Capellaniæ.*

Die Lunæ 5. Iunij 1593.

SVMMARIVM.

1 *Intruſus in beneficio dicitur, qui non dimittit poſſeſſionem, virtute mandati.*
2 *Iuriſdictio A. C. vel alterius iudicis durat, donec res plenarium ſuum effectum fuerit ſortita.*
3 *Sententia à prima nulla ſi fuerit lata, & contra illam nihil ſit oppoſitum, poteſt ſecunda valida proferri, quod procedit, etiamſi prima non fuerit reuocata, num. 4.*
5 *Executor non poteſt pronuntiare ſuper validitate tituli.*
6 *Quod limita niſi adſit contradictor.*

### DECISIO CCCXX.

1. DIfficultas fuit reſtricta ad hoc, an A. C. benè, vel malè proceſſerit, & Domini reſponderunt, eum benè proceſſiſſe: nam ex tenore ſententiæ A. C. apparebat, eum proceſſiſſe inhærendo executioni, factæ vigore monitorij, per ipſum relaxati.

Quem actum non vitiabat factum præcedens Franciſci Quatrarij, qui cùm eſſet immiſſus in poſſeſſionem, non videbatur ampliùs poſſe immitti: cùm enim illa poſſeſſio fuiſſet ſolùm inſtrumentalis, capta vigore monitorij, cui Pompeius noluit obedire, nec poſſeſſionem dimittere, & ita ſemper remaneret intruſus, * propterea iure deinde potuit A. C. declarare Pompeium intruſum, & Franciſcum immittendum, ſicut in ſententia A. C. continebatur.

* intruſus enim dicitur qui ſine legitimo titulo cepit poſſeſſionem, vt per Mantic. dec. 107. n. 3. Cocc. deciſ. 413. n. 6. & 447. n. 1.

Neque prædictis obſtabat, quòd per primam immiſſionem, vigore monitorij, videretur A. C. functus officio ſuo, quia cùm illa immiſſio non habuiſſet effectum, non ceſſauit in A. C. litterarum Apoſtolicarum executore iuriſdictio, quæ durat, donec res non eſt finita, † nec ſuum plenarium effectum ſortita. Felinus *in cap. fin. n.* 38. *in fine, de præſumpt.* 2.

† Rot. recen. p. 2. dec. 201. n. 3. Coccin. dec. 323. n. 1. & ſiue bene, ſiue malè. Caual. deciſ. 347. n. 2.

Eodem modo dicebatur, non expiraſſe officium A. C. ex eo, quòd paulo antea relaxauerat mandatum de manutenendo, ad fauorem Pompeij: nam tunc non proceſſerat tanquam executor litterarum Apoſtolicarum.

Sicuti etiam non obſtabat, quòd Pompeius iam obtinuiſſet ſententiam ab A. C. quaſi propterea non potuerit ad fauorem Franciſci in illa reuocata, aliam ſententiam proferre: quoniam cùm de illa prima ſententia oppoſitum non fuerit, * ſecunda valida fieri potuit. Felinus *in cap. inter monaſterium, num.* 16. *de ſent. & re iudic.* 3.

* Caual. dec. 31. num. 2. Rota recen. p. 1. dec. 611. n. 2. & vide ſuprà deciſ. 290. n. 2.

Præterea, cùm illa prima ſententia fuerit nulla, valuit ſecunda ſententia † contra illam lata, etiam ſi non fuerit reuocata, nec pronuntiatum ſuper illius nullitate *l. fin.* vbi Baldus & Angelus, *C. de ſentent. quæ ſine certa quant.* Salicet. *in l.* 1. *num.* 5. *verſ. nunc circa prædicta, C. quando prouocare non eſt neceſſ.* Felin. *in d. c. inter monaſterium, n.* 21. 4.

† adde Lud. dec. 176. n. 11. vbi latè annot. n. 14. & ſeq. quod intellige ſi de ſecunda ſententia nihil fuit oppoſitum, & tranſiuit in rem iudicatam, vt per Mantic. dec. 301. n. 2. Seraph. dec. 493. n. 5.

Poſtremò non obſtabat, quòd A. C. tanquam executor non poterat pronuntiare ſuper validitate tituli: nam Domini reſpondebant, quòd quando adeſt contradictor, executor nedum poteſt, ſed debet etiam ſuper titulo * beneficij pronuntiare; Doctores *in dicto cap. fin. de præſumpt.* vbi Antonius de Butrio *num.* 7. Felinus *num.* 17. 24. *&* 33. & ita fuit reſolutum in vna † Priſcien. Capellaniæ coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, 21. Februar. 1578. quod ipſum multo antea deciſum extiterat, in vna Neapolitana coram bon. mem. Fineto de ann. 1569. 5. 6.

* adde annotat. ad Lud. dec 413 n. 4. Rot. recen. p. 2. dec. 52. n. 2. & 225. n. 3. p. 1.

† habetur in impreſſis diuer. p. 1. deciſ. 202.

## *Palentina & Oxomen. præſtimoniorum.*

Die Lunæ 5. Iulij 1593.

### DECISIO CCCXXI.

1. DOmini dixerunt, gratiam *ſi neutri*, Didaci de Monteroſo fuiſſe iuſtificatam, præterquam quoad valorem præſtimoniorum, de quibus agebatur, cuius probationem Didacus tenebatur coadiuuare, nam valor beneficiorum obtentorum, iuſtificabatur per teſtes, de quibus in ſummario *num.* 4. *&* 5. primum enim quòd valor Capellaniæ de Aruas deductis oneribus non excederet ſummam 24. ducat. teſtificabantur duo teſtes iuxta nonum interrogatorium.

Similiter, quòd valor beneficij de Padilla non excederet 40. ducat. auri de Camera probabant duo teſtes, deponentes de publica voce, & fama ſuper 2. articulo.

Eadem autem beneficia non requirere perſonalem



nalem reſidentiam, probabant idem teſtes in ſummario *num.* 4. *&* 5.

Quantum ad caput publicationis reſignationis præſtimoniorum, (de quibus agebatur) factæ ad fauorem Don Ludouici de Ronquillo, quam Didacus prætendebat non fuiſſe factam in tempore, & Ludouicus dicebat ſe habere prorogationem, fuit ordinatum, quòd illam formiter poneret in actis.

## *Comen. Capellaniæ.*

Die 5. Iulij 1593.

SVMMARIVM.

1. 2 *Ius patronatus amittitur per vſurpationem bonorum probatam.*
3 *Patronus ſi habeat bona in loco, vbi habet ſua bona Capellania, in qua habet ius patronatus, nec poſſit probari identitas bonorum, ſi hæc diminuantur, non ex eo concluditur, vt priuetur, propter ſuſpicionem vſurpationis.*
4 *Epiſcopi auctoritas requiritur in alienatione rei Eccleſiaſticæ.*
5 *Extrauagans* ambitioſè, de rebus Eccleſiæ, *&c. non obligat, vbi non eſt vſu recepta, & fundans ſe in ea, tenetur probare eius communem obſeruantiam, num.* 6.
7 *Decreta ſuperioris tunc obligant, quando ſunt vſu recepta, & ignorantes non ligant, ſi non ſit publicata.*
8 *Decreta ordinarij contra diſpoſitionem iuriſpatronatus, ex fundatione acquiſiti propter vſurpationem non ligant, cum iam ſit prouiſum, quid ſit faciendum per Tridentinum.*

### DECISIO CCCXXII.

1. QVoniam ſeptimus de Ciceris prætendebat, patronos huius Capellaniæ, propter vſurpata illius bona, amiſiſſe ius patronatus, ideo dubitaui, an conſtaret de tali vſurpatione, vt patroni amiſerint ius patronatus, vel eius obſtarent decreta viſitatoris, & ordinarij Comenſis, quibus cauebatur, ne quis præſentaret, niſi de iure ſibi competente infra ſex menſes coram Ordinario, ſub pœna nullitatis dicti iuris, fidem faceret; &

2. Domini negatiuè reſpondentes, pronuntiauerunt, non conſtare de tali vſurpatione: nam quamuis ex diuerſis inſtrumentis de ann. 1465. & 1515. & ex dictis teſtium appareret iſtam Capellaniam habuiſſe, & poſſediſſe bona in territorio de Barazola, & patronos quoque bona in

3. eodem territorio exiſtentia poſſediſſe, & poſſidere, cùm contingens foret, vt tam patroni, quàm Capellania diuerſa bona poſſederint, nec concludenter probaretur bonorum identitas, vt requirebatur ad effectum inducendæ priuationis, Mohedanus *deciſ.* 160. Puteus *deciſ.* 6. *de probationib.* Cardinalis *in cap. cùm Ioannes, de fide inſtrument.* Felinus *in cap. auditis, num.* 24. *verſ. limita, de præſcript.* præſumenda erat bonorum pluralitas, Ioannes Andreas, & alij * *in d. cap. auditis.* Iaſon *in l.* 2. *in fine, C. de bonor. poſſeſſ. ſecundum tabul.* Alexand. *conſ.* 134. *n.* 3. *lib.* 2. Crauetta *conſ.* 112. *num.* 3. Pariſius *conſ.* 104. *num.* 11. *lib.* 1.

* vt per Maſcardum de prob. 633. & 1174. n. 17. Seraphin. de priu. iur. priuilegio 27. à n. 15. Menoch. de præſumpt. lib. 6. præſum. 15. num. 17.

4. Neque aliquam vſurpationem probabat conſenſus præſtitus per patronos in locatione perpetua, facta de anno 1519. nam præterquam quòd locatio fuit facta in caſu permiſſo, & accedente Epiſcopi auctoritate, cùm tractaretur etiam de intereſſe patronorum, legitimè conſenſum præſtare potuerunt, & ſimiliter nullam probationem vſurpationis operari dicebatur defectus * beneplaciti Sedis Apoſtolicæ, nam ex eo potius inducebatur nullitas contractus, quàm probatio vſurpationis, præterea non conſtabat, Extrauagantem † *Ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienan.* in illis partibus fuiſſe vſu receptam, * & fundans ſe in ea, debet probare eius vſum, & communem obſeruantiam, Mohedanus *deciſ.* 6. & ita fuit reſolutum in vna Lauden. bonorum die 8 Iunij 1588. coram R. P. D. meo Gyptio. 5.

* quod requiritur in alienatione rei Eccleſiæ, vt per Lud. dec. 52. n. 1. Duran. deciſ. 250. n. 13. & alibi ſæpe.

† de hoc art. vide Garc. de ben. 2. p. c. 1. vbi n. 43. allegat hanc deciſ.

* de hoc art. vide infrà dec. 414. vbi contrarium fuit deciſum, & de materia vide quæ ibi annotabo.

Ex ſublocatione facta eodem anno 1519. poſt 23. dies, poſt præfatam conceſſionem in emphyteuſim in maiori affectu 16. modiorum, quam ipſi emphyteutæ præſtarent Capellæ, pro emphyteuſi, non concludebatur aliqua læſio Eccleſiæ, quia aderant plura melioramenta iam facta, quorum pretium erat per Eccleſiam reſtituendum, ſi non alienaſſet, vt apparebat ex inſtrumento locationis, quibus melioramentis detractis, nulla propterea conſiderari læſio poterat. 6.

Quantum ad decreta, ſeu edicta Ordinarij, & Viſitatoris, dicebat Domini, ea non obſtare, cùm neque conſtaret, quòd fuiſſent vſu recepta, nec poſſent ligare ignorantes, ex quo non conſtabat de illorum publicatione, nec ante publicationem obligarent, Gabriel *tit. de legib. & conſtit. concluſ.* 4. *num.* 11. Theſaurus *dec.* 249. *num.* 6. Henriq. Bottæus *tract. de Synodo part.* 2. *art.* 2. *num.* 62. 7.

Poſtremò aliqui ex Dominis ſentiebant, talia decreta intelligi poſſe, reſpectu iuriſpatronatus competentis ex præſcriptione, priuilegio, vel diſpenſatione, non reſpectu illius, quod competit ex fundatione, * & dotatione, ad notata per Felinum *in cap. licet Heli n.* 17. *verſ. quinta concluſio, de ſimonia*, nam durum nimis, & odioſum videbatur, eſſe in poteſtate Ordinariorum, per huiuſmodi decreta inducere priuationem talis iuriſpatronatus ex cauſa onerosa acquiſiti, cùm alia via poſſet ſufficienter de remedio prouideri ad euitandas iuriſpatronatus vſurpationes, imò verò iam eſſet per Concilium Tridentinum abundè prouiſum *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. 8.

* quæ vſurpationis præſumptio ceſſat ſi conſtat de fundatione, vt per Rotam rec. p. 1. dec. 211. num. 3.

## *Romana pecuniaria de Grandis.*

Die Lunæ 11. Octobris 1593.

SVMMARIVM.

1 *Coniectura in cauſa ſimulationis non releuant, ſi non conſtant de cauſa ſimulandi, & num.* 8.
2 *Teſtis habens intereſſe in cauſa, non probat.*
3 *Depoſitio teſtis non concludentis, certum propoſitum producentis, non probat.*
4 *Teſtis deponens de alio tempore, quòd non litigatur, vel quòd aliunde potuit exiſtere, non probat.*
5. 6 *Simulatio ex vicinitate contractuum conie-cturatur.*
7 *Donatio facta in fraudem creditorum, reuocatur, non ſolùm in fauorem creditorum extantium tempore donationis, ſed etiam futurorum.*

9 *Donanti licet ſuper re donata contrahere, cùm poſſit fieri donatio initio donatario, & poteſt pœnitere.*

10 *Donatio facta ante æs alienum, excludit ſimulationem.*

## DECISIO CCCXXIII.

1\. Licèt in vltimis* Audientiis ex ordine Rotæ potuiſſem expedire cauſam, tamen vt ſatiſfacerem creditoribus D. Alexandri de Grandis, volui ipſos audire ſuper eiſdem, & in hac poſitione, vtraque parte informante, & cauſa plenè diſcuſſa, Domini ſteterunt in deciſis ſub die 27. Aprilis 1592.* videlicet, donationem factam per Alexandrum D. Læliæ eius vxori, fuiſſe validam, non ſimulatam, aut in fraudem creditorum factam; quamquam enim pro parte illorum multæ coniecturæ adducerentur ad ſimulationem probandam; quia tamen non conſtabat de cauſa ſimulandi,* coniecturæ non releuabant, Bartolus, & alij *in l. poſt contractum. ff. de donationib.* & Barthol. *conſil. 65. num.* 4. & fuit deciſum in cauſa Mediolanen. iuriſpatronat. coram R. P. D. meo Blanchetto die 11. Decembr. ann. 1577.

* hæc deciſ. habetur impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſil. deciſ. 75.

* ſuprà deciſ. 215.

* de hoc art. annotaui ſuprà ad d. deciſ. 215. n. 2.

2\. Primum enim cauſa ſimulandi non probabatur ex teſtibus, quia tertius, & quartus nihil dicebant circa prætenſam fraudem, ſecundo tanquam intereſſato* non credebatur. *l. omnibus. C. de teſtib. l. nullus. ff. de teſtib.* Baldus *conſil. 10. num. 5. lib. 5.* Crauetta *conſil. 99. num. 2.*

* adde Duran. dec. 462. n. 8. Caualer. dec. 140. n. 4. & 174. n. 4. Cocc. deciſ. 324. n. 2. & aliàs ſæpe, & ratio eſt quia teſtis intereſſatus dicitur teſtis in cauſa propria, vt per Lud. dec. 42. n. 1. ex quibus autem colligatur intereſſe, vide Duran. deciſ. 128. n. 10. & ſeq. quę conducit ad materiam huius dec.

Quintus, nempe Illuſtr. Dominus Comes Hercules Taſſonus, dum referebat ſe ad quandam teſtificationem, aliàs per ipſum factam, in qua aſſerebat, Alexandrum ſibi dixiſſe ſequentia verba: *biſogna, chi io proueda, che il Cardinale, non dia faſtidio, ogni dide fare, queſta ſegurtà.* non probabat aliquam ſimulationem, vel fraudem: nam ex prædictis Alexandri verbis, non concluditur, quòd ipſe voluerit ſibi prouideri ſimulatè, aut fraudulenter, donando omnia bona ſua, cùm multis aliis modis ſibi præcauere potuiſſet, vel per recuſationem, nolendo ampliùs fideiubere, vel faciendo ſibi dari ſufficientem aſſecurationem, & plenariam cautionem, vel per receſſum ab vrbe, vel alio quopiam modo licito, & honeſto. Guilelmus de Cuneo *in l. 1. C. de his quibus vt indignis, & ibidem* Iacobinus de S. Georgio *num. 7.*

3\. vnde, cùm depoſitio teſtis non concluderet certum propoſitum producentis, non poterat dici aliquid probare, ad eius fauorem, quinimo cùm eſſet dubia, & æquiuoca contra producentem veniebat interpretanda: Bartolus *in l. inter ſtipulantem. §. 1. num. 6. ff. de verbor. obligat.* Rota *deciſ. 6. de teſtib. in antiquis.*

Remanebat itaque ſolus primus teſtis, qui, & quia vnicus,* & quia non videbatur Dominis omnino integer, & omni exceptione maior, non probabat intentionem creditorum.

* teſtis vnicus quantumuis dignus & cuiuſcunque auctoritatis nõ facit plenam probationem, vt per Ludouiſ. dec. 178. n. 2.

Præterea dicebatur quòd cùm nullus ex teſtibus deponeret de tempore factæ donationis, de quo ſimulationem, vel Alexandri confeſſionem probare oportebat, ſed longè poſt donationem, non poterant donatariæ, in quam fuerat tranſlatum iam dominium, & ipſam donationem acceptauerat, præiudicare

4\. Antonius de Alexandro inter conſilia Leofredi *conſil. 52. num. 46. verſ. vltimò,* ad probandum ſimulationem, Alciatus *in dicta l. poſt contractum num. 33. ff. de donat.* Rolandus *conſ. 38. incip. Quoniam veritas, num. 10. lib. 2.*

Nec dicebat contrarium Socinus *conſil. 264. num. 2. verſ. ſextò arguitur lib. 3.* cùm inibi loqueretur de confeſſione facta antequam contraheretur.

Rurſus neque ex facto ſubſecuto, probata videri poterat aliqua ſimulatio nam reſpectu fideiuſſionis factæ ad fauorem D. Cardinalis Eſtenſis, paulo poſt donationem,* ſimulatio excludebatur ex eo, quòd penes Alexandrum remanſerant bona longè maioris valoris, quàm importaret fideiuſſio. 5.

* ſimulatio arguitur ex vicinitate actuum, vt per Caualer. dec. 406. n. 4. & tamen aliis coniecturis, excluditur Ludou. dec. 195. n. 2. & 15.

Reſpectu autem aliorum fideiuſſionum, minus poterat deprehendi aliqua ſimulatio, cùm fuerint factæ longè poſt ipſam donationem, de quibus propterea, tempore donationis cogitatum non fuerat, vnde ad concludendam ſimulationem, non intrabant tradita per Bartolum & Doctores *in d. l. poſt contractum. ff. de donationib.* qui ad eum effectum conſiderant vicinitatem actuum. 6.

Doctrina Baldi *in rubrica C. de reuocan. his quæ in fraud. creditorum, num. 4.* non obſtabat huic deciſioni, quia licèt verum ſit, ſecundùm magis* communem opinionem, illud edictum reuocatorium nedum habere locum fauore creditorum extantium tempore alienationis, ſed etiam reſpectu futurorum, quod etiam voluit gloſſ. *in Authent. ſed iam. C. de donationib. ante nupt.* & Bartolus *in l. ait prætor. §. ita demum. ff. de his, quæ in fraudem credit.* dicendum tamen eſt, alienationem fuiſſe factam in fraudem creditorum futurorum; aliàs enim in dubio non præſumeretur. *l. 1. C. de iure fiſci, lib. 10.* Bartolus *in dicta l. ait prætor. §. ita demum. num. 2. verſ. ſed ſi nihil apparet.* 7.

* adde infrà dec. 567. n. 7.

Cùm igitur nulla ſimulationis cauſa ſufficiens probaretur, non poterat eſſe locus coniecturis* adductis pro parte creditorum. 8.

* nam coniecturæ ad probandum ſimul debent eſſe efficaces & dilucidæ, vt per Lud. dec. 195. n. 4. & ibi annot. num. 17.

Quòd Alexander poſtea, tanquam dominus impoſuerit cenſum, ſuper vno caſali in donatione comprehenſo, non fuit iudicata ſufficiens præſumptio ſimulationis, cùm potuerit verè & validè, & ſine fraude donare, & poſtea † mutata voluntate, vel inſcia, vel contradicente vxore, ſuper re donata contrahere. Ægidius *deciſ. 715.* incip. *Non per hoc,* Rota *deciſ. 1. de donationib. in nouiſſ. num. 2.* 9.

† donatio enim ante acceptationē reuocari poteſt, Seraph. dec. 427. n. 2. & 724. n. 1. Caual. deciſ. 354. n. 2.

Præſumptio illa ſimulationis, de donatione facta omnium, vel ſaltem maioris partis bonorum, tollebatur ex eo, quòd fuit facta longè ante contractum æs alienum. Bart. *in d. l. poſt contractum num. 2.* 10.

Poſtremò, illam præſumptionem de contractu clàm celebrato, ex quo creditores nitebantur deducere ſimulationem, excludebat inſinuatio in actis Capitolinis iuxta formam ſtatutorum vrbis, Alciatus *in dicta l. poſt contractum, num. 50.*

Ad alias coniecturas placuerunt Dominis reſponſiones datæ in alia deciſione,* & hîc per informantes pro Domino Alexandro.

* ſuprà in d. dec. 215.

*Nullius*



### *Nullius, ſeu Auellina Vnionis.*

### Die Lunæ 11. Octobris 1593.

## DECISIO CCCXXIV.

Ex deductis in hac poſitione, videbatur Dominis ſatis honeſta petitio Monachorum congregationis Montiſuirginis, & ideo fuit dictum, quòd ipſi deducerent ſuam intentionem, & indicarent redditus monaſteriorum, vnà cum oneribus, vt ſi de congrua foret agendum, intelligerent Domini, quid eſſet arbitrandum.

### *Ciuitatis Caſtelli ſpolij.*

### Die Veneris, 18. Octobris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio acquiritur per bonorum apprehenſionem.*

3 *Executorialibus conceſſis, reſultat ex his, quod infra certum tempus aſſignatum, poſſeſſio tradatur, quam conſentiente condemnato, virtute executorialium exigere licet.*

4 *Mandatum generale conceſſum, ad faciendum quiquid faceret principalis, &c. ſufficit ad capiendam poſſeſſionem.*
*Quod fallit in beneficialibus, & n. 5.*

6.7 *Mandatum generale ſufficit ad capiendam poſſeſſionem in profanis.*

## DECISIO CCCXXV.

1\. Fvit per Dominos concluſum, Bartholomæum Procuratorem Buffalinorum, habuiſſe ſufficiens mandatum ad capiendam poſſeſſionem bonorum, de quibus agebatur: nam in eo erant clauſulæ valde prægnantes ad recuperandum, & exigendum quaſcumque ſummas pecuniarum, & bonorum, ex quauis cauſa, & occaſione: verbum enim, *ad exigendum,* cùm refertur etiam ad bona, ſatis indicabat fuiſſe datam facultatem apprehendendi bonorum

2\. poſſeſſionem; ad notata *in l. 1. ff. de acquirend. poſſeſſione.*

Item, aderat clauſula generalis ad exequendum quaſcumque executoriales, quæ non erat reſtricta ad cauſas beneficiales, vt prætendeba-

3\. tur pro parte Dominorum de Vitellis; in executorialibus verò nil aliud continetur, quàm quòd infra certum tempus in eis aſſignatum, poſſeſſio tradatur, quam conſentiente condemnato, vigore executorialium exigere licet, Gambara *deciſione 39.* incip. *Litij expectantis.*

4\. His etiam accedebat illa clauſula, *Omnia & ſingula faciendi,* quæ ipſimet Domini de Buffalinis facere potuiſſent, ſi pręſentes fuiſſent, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent ſpeciale. *cap. qui ad agendum, de procuratorib. lib. 6.*

Quod ſatis quoque apertè declarabatur ex literis ſubſecutis, ſcriptis ad Bartholomæum per Dominos de Buffalinis.

5\. Quibus non obſtabat Rota *deciſ. 21. de procuratorib. in nouis,* quæ loquitur de acquirenda poſſeſſione* iuris canonicalis, & præbendæ; nam in beneficialibus, licèt ad capiendam poſſeſſionem requiratur mandatum ſpeciale. Crauetta *conſ. 104. num. 15.*

* adde Rotam in Auerſana beneficij 1. Iulij 1620. coram Vbaldo, & extende ad acceptanda beneficia, nã ad id requiritur ſpeciale mãdatum, Rota diuerſ. p. 2. dec. 14. n. 4.

Ferretus *conſil. 220.* incip. *Mandatum procuræ, num. 12. verſ. non obſtat deciſio,* & fuit dictum coram me in vna Caſalen. beneficiorum 24. Maij & 5. Iunij 1589. † in profanis tamen ſufficit generale mandatum. *l. 1. §. item acquirimus, & §. per procuratorem,* vbi Alexander *num. 5.* & Iaſon *num. 2. verſ. iſta tamen concluſio.* Aretinus *num. 82.* Herculanus *num. 13. & 14. ff. de procuratorib.* Couarruuias *lib. 3. variar. reſolut. cap. 16. n. 9. verſ. poſſeſſio autem.*

† ſuprà dec. 28. & 64. & 218. n. 5. vbi alias deciſ. annotaui, & vide infrà dec. 1212. n. 12. & Rotam rec. p. 2. dec. 639. n. 2.

Vnde dicebant Domini nutare deciſionem coram Illuſtriſſimo Domino Lancelloto die 26. Iunij 1568. fortaſſis, quia copia, quæ dabatur, erat deprauata, quatenus indiſtinctè dicebat, ad acquirendam poſſeſſionem requiri ſpeciale mandatum; cùm in ea allegarentur ad illud probandum, Alexander, & Iaſon, qui contrarium tenent *in dicto §. per procuratorem;* quamquam enim in acquiſitione beneficiorum, & iurium canonicalium, & ſimilium habentium onus annexum, propter præiudicium onerum, non poſſit obligari dominus, ſine ſpeciali mandato, ſecus tamen eſt de ſimplici acquiſitione, quæ ſine dubio acquiritur etiam per Procuratorem generalem, Aretinus *in dicto §. per procuratorem, numer. 82. verſ. in ea gloſſa, & verſ. ad dicta Innocentij.*

### *Neapolitana cenſus.*

### Die 25. Octobris 1593.

SVMMARIVM.

1 *Creditori ſecundo vt ſoluatur legitimè, requiritur conſenſus prioris creditoris.*

2 *Fideiuſſor primæ obligationis, ſi ſoluat ſecundo creditori, cui non erat obligatus, vt liberetur requiritur conſenſus creditoris primæ obligationis.*

4 *Ceſſio prioris creditoris, tacita, vel expreſſa requiritur, vt eius fideiuſſor ſoluat ſecundo creditori, aliàs non liberabitur à fideiuſſione.*

5 *Præiudicium non poteſt inferre tertius, ſi non ſit Procurator.*

## DECISIO CCCXXVI.

Conclusum fuit,* non conſtare D. Epiſcopum Monopolitanum eſſe debitorem D. Abbatis Paulutij, quia ad effectum, vt aliquis, de cuius pecunia ſoluitur priori creditori, ſuccedat in eius locum, inter alia requiritur pactum expreſſum, ſeu conuentio cum debitoribus, qui liberantur à primo, vt ſecundus in locum primi ſuccedat. gloſſ. *in l. 1. in verbo, non accepiſſe. verſ. primum quod hic conueniat, C. de his qui in prior. credit. locum ſucced.* vbi Salicetus *num. 2. verſ. primum vt per pactum.* gloſſ. *in l. Ariſto, in verbo pignus, verſ. item, vt in locum primi.* vbi Bartol. *num. 4. verſ. & quod ſit actum,* & Salicetus *num. 2. verſ. ſecundum vt conueniat. ff. quæ res pignor. oblig. non poſſunt.* 1.

* ſuprà dec. 297. & hæc deciſio fuit confirmata infrà deciſ. 343.

Vnde, cùm in hac cauſa non fuerit actum cum Epiſcopo fideiuſſore Camilli, vt Abbas ſuccederet

cederet in ius prioris creditoris, ceſſabat vnum ex requiſitis, ad effectum iſtius ſucceſſionis.

3. Secundò etiam requiritur ceſſio prioris creditoris, & licèt ſufficiat ceſſio tacita, quia lex fingit, creditorem hoc velle quando ſibi ſoluitur. Bartol. *in dicta l. Ariſto, num.* 7. vbi gloſſ. *hîc ſoluit. ff. quæ res pignor. oblig. non poſſ.* Neguſantius *tract. de pignorib. membro* 3. *parte* 5. *num.* 45. Vincentius de Franchis *deciſione* 97. *num.* 2. nihilominus id procedit, quando primo creditori fuit

4. notificatum, * quòd pecunia ſecundi creditoris fuit hoc pacto tradita, & ſub eodem pacto ei numeratur, aliàs enim, ſi nihil ei dicatur, non cenſetur conſentire pacto, nec ſecundus ſuccedit in locum primi, vt bene declarat Salicetus *in dicta l. Ariſto, num.* 3. *verſ. quod ſatis puto*; quare cùm in hac cauſa non appareret Iuliam habuiſſe ſcientiam, quòd ſub hoc pacto ei ſolueretur pecunia, & conſequenter non poſſet dici adeſſe ceſſionem tacitam; Abbas non dicebatur ſuccedere in eius locum.

* adde ſuprà deciſ. 297. & infrà 452. n. 5. & 478. n. 2.

5. Neque prædictis obſtabat confeſſio contenta in quadam ſupplicatione porrecta Viceregi, nomine Epiſcopi, in qua dicebatur, Epiſcopum ſimul cum Camillo eius fratre fuiſſe Abbati obligatum; quoniam cùm non conſtaret, illum qui porrexerat ſupplicationem, fuiſſe Procuratorem Epiſcopi, * non poterat Epiſcopo præiudicare.

* confeſſio procuratoris nocet principali in volũtariis, ſed nõ in neceſſariis. Durand. deciſ. 314. n. 10. & 11. & 311. n. 4. & 5. & 387. n. 11. vbi aliæ dec. allegantur.

## *Romana de pecuniaria de Grandis.*

### Die Veneris 29. Octobris 1593.

SVMMARIVM.

1 *Donatio remuneratoria non infirmatur ex defectu inſinuationis.*

2 *Statuti forma requiſita obſeruanda eſt in donatione.*

3.4 *Statutorum ſolemnitates in redonationibus eorundem bonorum, non debent obſeruari, vt valeant.*

5 *Filiumfamilias donare, nec redonare patri prohibitum eſt.*

6 *Statuta ciuitatis non debent extendi de vno caſu ad alium.*

## DECISIO CCCXXVII.

1. CReditoribus D. Alexandri de Grandis ſæpe citatis, & non comparentibus, tandem vna tantùm parte informante propoſui cauſam ſuper eiſdem, an retrodonatio facta Alexandro per D. Læliam Maſſam eius vxorem, eſſet valida, vel nulla? & fuit concluſum ſtandum in deciſis, ſub die 22. Iunij ann. 1592.* licèt enim iſta retrodonatio facta de eiſdem bonis videretur remuneratoria, quæ non infirmatur ex defectu inſinuationis. Bartol. *in l. Aquilius Regulus, n.* 3. *ff. de donat.* Iaſon *in l. ex hoc iure, n.* 53. *ff. de iuſtitia, & iure*, Tiraquellus *in l. ſi vnquam, in verb. donatione largitus, n.* 47. *C. de reuocand. donat.* Rom. *conſ.* 26. *n.* 3. Curtius iun. *conſ.* 67. *n.* 6. *lib.* 1. Ruinus *conſ.* 2. *n.* 7. *lib.* 1. Laurentius de Pinu *conſ.* 65. *n.* 14. & 15. Gabriel *concl.* 1. *n.* 59. *tit. de donationib.*

* ſuprà dec. 239.

Nihilominus in hoc caſu non poterat ſuſtineri, ex quo non fuerat obſeruata ſolemnitas requiſita à ſtatuto vrbis * *lib.* 1. *cap.* 151. cùm duo † propinqui non fuerint adhibiti, *l.* 2. *C. ſi aduerſùs donationem*, vbi Salicetus & alij *in l. ſi ad reſoluendam C. de prædijs minor.* 2.

* quia ſolẽnitas requiſita à ſtatuto in donatione eadẽ requiritur in retrodonatione ſicut dicitur in dote, vel in augmento dotis. Rota rec. p. 2. dec. 246.

Quibus dicebatur non refragari Paulum de Caſtro *conſil.* 171. *num.* 1. *verſ. niſi dicamus, lib.* 2. dicentem, in retrodonatione eorumdem bonorum non requiri ſolemnitates ſtatutarias, nec Tiraquellum *in legib. connubialibus, lib.* 16. *gloſſ.* 5. quoniam Paulus Caſtrenſis cum dubitatiuè loquatur, nil affirmat, & contra ipſum expreſsè tenuit, Iaſon *in l. cùm filiofamilias, num.* 169. & 170. *ff. de legat.* 1. quem refert, & ſequitur Arias Pinnellus *in l.* 1. *part.* 3. *num.* 60. *verſ. probatur ſexta, C. de bonis mater.* 3.

† hæc ſolẽnitas ſuppletur ex decreto iudicis ſi duo proximiores noluerint interuenire, vel fuerint impediti, vt per Coccin. dec. 433. n. 4. & vide infrà dec. 1049.

Tiraquellus autem, licèt *in dicta gloſſ.* 5. *n.* 54. & 55. recenſeat aliquot auctoritates ad confirmandam ſententiam Pauli Caſtrenſis, & ſub *num.* 56. relinquat cogitandum, poſtea tamen ſubdit, ſe non videre quid reſponderi poſſit ad dictam *l.* 2. *C. ſi aduerſùs donationem.*

Et quantum Corneus *in d. l.* 2. *paulo ante finem verſ. ſed reſponde*, dixerit, eam procedere, quando filiusfamilias minor retrodonauit patri volenti donare tertio, quo caſu, cùm filiusfamilias magis lædatur, lex requirit eaſdem ſolemnitates adhiberi in donatione, eius tamen interpretatio non putabatur ſatis ſubſiſtere, nam præterquam quòd non congruit *l. ſi ad reſoluendam. C. de prædijs minorum*, cuius non meminit Corneus; negari non poteſt, quin filiusfamilias lædatur * retrodonando patri, † etiamſi illo tertio donare nolit. 4.

* & ideo quoties datur læſio minori, non ſuſtinetur donatio, etiamſi cum iuramẽto ſit vallata, ſi deficiant in ea aliæ ſolemnitates à ſtatuto requiſitę, vt per Caual. dec. 257. n. 1. & 2. & 9. & vide infrà dec. 888.

Neque obſtabat, quòd in caſu propoſito ageretur de interpretatione ſtatuti vrbis, *lib.* 1. *c.* 151. quod requirit conſenſum duorum propinquorum in contractibus minorum, & mulierum, & quatenus attinet ad mulieres maiores, illud eſſe contra ius commune, nec propterea debere extendi de vno caſu ad alium; vt hîc ad retrodonationem *l. ſi verò. §. de viro ff. ſolut. matrim.* 5. 6.

† & quoties datur læſio minori, habet locũ ſtatutum vrbis lib. 1. c. 151. etiãſi in directè ſit, vt per Ludouiſ. dec. 164. n. 4. & 11. & 333. n. 1. & 9. & 473. n. 5. Rotam rec. p. 2. dec. 114. n. 2. * quia quando militat eadem ratio nõ expreſſa, ac expreſſa in ſtatuto nõ dicitur extẽſio, ſed comprehenſio, vt per Durand. dec. 36. n. 6. & dec. 18. n. 6. & ideo ſolẽnitas requiſita in donatione requiritur in retrodonatione.

Quoniam cùm expreſsè loqueretur de pactis de non petendo, & de refutationibus, & de donationibus, & ideo retrodonatio ſub propria ſignificatione dicebatur in eo contineri, nec poterat aliqua extenſio * conſiderari.

Placuit etiam Dominis aliud fundamentum deciſionis, nam cùm donatio facta vxori per D. Alexandrum, fuiſſet etiam facta ad fauorem communium filiorum, pro quibus Notarius ſtipulatus fuerat, in illorum præiudicium reuocari non poterat.

## *Tuden. præſtimonij del Roſal.*

### Die Lunæ 8. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Confeſſio partis, adminiculata cum alijs circunſtantijs probat.*

3 *Litem conſtare dicitur, ex probatione citationis.*

4 *Citatione conſtat inductam eſſe litem, ſeruata forma Clementinæ* cauſam, de electio.

5 *Citatio*



5 *Citatio facta in domo ſolitæ habitationis, & in loco beneficij, ſufficit ad litem mouendam.*

6 *Citationis affixio tunc eſt neceſſaria, quando proceditur per edictum, ob non tutum acceſſum, ſecus quando eſt tutus acceſſus, & proceditur contra abſentem.*

7 *Citationis copia non eſt neceſſaria, quando fit citatio in domo habitationis, & in loco beneficij, eſt abſens citandus.*

8 *Citatio prima in materia præiudiciali debet fieri perſonaliter.*

*quod intellige, vt n.* 9.

10 *Citatio, quæ dicitur facienda in domo ſolitæ habitationis alicuius, intelligitur de domo, quam inhabitat citandus, tempore citationis.*

11 *Citationem fuiſſe factam creditur ex relatione Notarij, ſeu Nuntij.*

12 *Gratiæ*, ſi neutri, *licèt opponatur titulus anterior, non eſt reuocanda, donec conſtet talem eſſe titulum validum, & iuſtificatum.*

13 *Citatio executa non tamen reproducta non inducit litis pendentiam, vt beneficium dicatur litigioſum.*

## DECISIO CCCXXVIII.

1. GRatiam *ſi neutri*, obtentam ab Apparitio, dixerunt Domini fuiſſe iuſtificatam, etiam quoad vacationem, & litem, nam in cæteris, ex inſtrumentis, & ſcripturis productis, & dictis teſtium, ſufficienter videbatur iuſtificata.

Vacatio enim per obitum Bernardini de Auellaneda, de menſe Aprilis anno 1584. probabatur

2. ex confeſſione Auguſtini qui obtinuerat ſibi prouideri de hoc beneficio, vti vacante per obitum Bernardini in dicto menſe, quæ confeſſio probabat etiam contra Alphonſum reſignatarium Auguſtini, cùm foret facta ante reſignationem. Verallus *deciſione* 93. *parte* 1. *num.* 4. maximè cùm eſſet adminiculata ex dictis teſtium deponentium de poſſeſſione Bernardini, quorum vnus deponebat de obitu in menſe Aprilis ann. 1584.

3. De lite etiam, reſpectu Alphonſi, dicebatur conſtare ad effectum iuſtificationis dictæ gratiæ, nam cùm vt dicatur inducta * lis per citationem, ſufficiat ſeruare formam *Clement. cauſam, de elect.* Caſſadorus *deciſione* 1. *num.* 3. & 4. *de appellat* Rota *deciſione* 22. *de reſcript. in nouis*, Puteus *deciſ.* 32. *lib.* 3. in caſu propoſito fuiſſe ſeruatam, ex eo apparebat, quòd abſente Alphonſo executa fuit citatio in duobus locis, nempe in domo ſolitæ habitationis, & in loco beneficij, licèt non fuerit executa in Cathedrali, *dicta Clement. cauſam, de elect.* Caſſadorus *dicta deciſione* 1. *num.* 3.

* adde Coc. dec. 337. n. 2. Seraph. dec. 1046.

4.

5.

6. Nec requirebatur affixio citationis, * quæ tunc eſt neceſſaria, quando proceditur per edictum ob non tutum acceſſum; ſecus verò eſt, quando eſt tutus acceſſus, & proceditur contra abſentem, tunc enim ſufficit in prædictis duobus locis citationem exequi. Caſſadorus *dicta deciſione* 1. Vantius *tit. de nullitatibus ex defectu*

7. *citationis, num.* 121. quo caſu non eſt neceſſarium relinquere copiam citationis, niſi petita fuerit. Vantius *ibidem num.* 122. Guidobonus *deciſione* 152. vnde cùm in caſu propoſito non fuerit petita, ideo non fuit data.

* de hoc art. ſuprà deciſ. 273. & infrà dec. 380.

Atque ex his præterea tollebatur altera difficultas de prima citatione perſonaliter facienda, * in materia præiudiciali, qualem hanc eſſe prætendebant informantes pro Alphonſo, hoc enim tunc locum habet, quando citandus eſt præſens, & reperibilis, nam ſi vel in loco iudicij, vel in ciuitate, vbi habitare ſolebat citandus, non reperiatur, tunc ſatis eſt, etiam in præiudicialibus, prædictis modis exequi citationem. * Marianus Socinus *tract. de citationib. art.* 17. *num.* 23. & 24. facit textus *in Clement.* 1. *de foro compet.* ibi; *dummodo perſonaliter, vel ad domum citati fuerint*, & *ibi* Zabarella *num.* 6. Bonifacius Vitalinius *num.* 10. & in terminis, quòd taliter citare ſufficiat, quando lis agitur ſuper beneficio, tenuit Vantius *dicto tract. de nullit. tit. de nullitate ex defectu citationis, num.* 118. & 119 & Papazonus *in additione ad deciſionem* 22. *de reſcript. in nouis, num.* 2. & *ſeq.* 8. 9.

* adde infrà dec. 435. n. 3. & deciſ. 716. n. 5.

* adde Coc. deciſ. 216. n. 23. & 24 Mãtic. dec. 232. n. 6.

Deciſionem Verali 117. incip. *Citatio domi*; *num.* 2. *part.* 1. dicentis appellatione domus, ſolitæ habitationis, intelligi domum, quam citandus inhabitat tempore citationis. Romanus *conſil.* 454. *num.* 7. & 8. Corneus *conſil.* 52. *num.* 7. *lib.* 4. intelligebant Domini procedere, quando certò conſtaret de mutatione habitationis citandi in alio loco; quia ſi vel citandus eſſet vagabundus, vel certò neſciretur, vbi Sedem poſuiſſet, tunc ſufficeret citationem facere prædictis modis; vnde cùm hîc non appareret, in quo loco eſſet Alphonſus citandus, quem interdum dicebant profectum Romam, aliquando Bononiam, & tandem compertum fuerit, eum iuiſſe ad Vniuerſitatem Salamantinam, potuit validè citari in loco vltimæ habitationis apud Matritum, licèt ibi tunc reuera non habitant, poſtquam neſciebatur tempore citationis faciendæ, quò ſe tranſtulerat. Imola *in dicta Clement. cauſam, de elect. num.* 64. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de dolo, & contum. n.* 10. 10.

Quòd autem Alphonſus conſueuerit habitare Matritum, in domo executæ citationis aduerſùs ipſum, & eo tempore eſſet abſens, apparebat ex depoſitionibus teſtium, & relatione Notarij, ſeu Nuntij cui creditur. * Creſcent. *deciſ.* 4. *de fide inſtrument. num.* 2. Puteus *deciſ.* 5. *lib.* 3. 11.

* adde ſuprà deciſ. 84. & Coccin. dec. 475. n. 7. & Ludouiſ. dec. 426. n. 5. & 6. & 453. n. 4. Seraph. dec. 290. n. 5.

Poſtremò, non obſtabat deciſio Gambari 40. incip. *Citatio circumducta*, dicentis, citationem executam, † non tamen reproductam, non inducere litis pendentiam, ad effectum vt beneficium dicatur litigioſum, quia in caſu propoſito, ex actis conſtabat, citationem fuiſſe etiam reproductam. *

† adde Ludou. dec 94. n. 2. & deciſ. 27. num. 2. & Coc. dec. 89. n. 12. & 431. n. 7. & fuit dictũ in Caſalen. Canonicatus coram Marquemontio impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 3. pag. 76. n. 3.

Satis etiam dicebatur iuſtificata gratia, *ſi neutri*, licèt conditionalis, dummodo nemini ius competeret: quoniam cùm iſta negatiua non iuris coarctetur loco, eo ipſo dicebatur iuſtificata, quod ex inſpectione actorum gratia Alphonſi, vel alterius, non apparebat iuſtificata, nec conſtabat de titulo valido, & iuſtificato: licèt enim opponatur titulus anterior, niſi ille doceatur validus, & iuſtificatus, non facit ceſſare gratiam, *ſi neutri*, vt fuit reſolutum in illa Fiſulana præceptoriæ 27. Ianuarij 1563. coram D. Reboſterio & in alia Cluſina prioratus, coram R.P.D. Orano. 12. 13.

* vide infrà dec. 577. n. 3. & 4.

† adde Rotam rec. p. 2. dec. 10. n. 6. vbi ad propoſitum pręſens deciſio allegatur.

*Comenſis*

## *Comenſis Capellaniæ.*

### Die Lunæ 8. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

3 *Fundatores beneficij poſſunt in conſtitutione eius, reſeruare ius patronatus ad fauorem certarum perſonarum, quibus deficientibus beneficium remanet liberum.*

4 *Beneficij in fundatione, ſi nihil exceptum ſit, vel reſeruatum, ius patronatus eſt tranſitorium ad quoſcunque ſucceſſores, etiam fœminas.*

5.6 *Fœminarum excluſio iuris patronatus tunc habet locum, quando adſunt maſculi, ſi expreſſis verbis non ſit declaratum à fundatore.*

7 *Excluſio fœminarum ad ius patronatus non præſumitur, imò ex mente fundatoris arguitur eas eſſe vocatas, deficientibus maſculis.*

8 *Pactum dubium per obſeruantiam declaratur.*

9 *Deſcendentium appellatione fœminæ etiam continentur.*

## DECISIO CCCXXIX.

1. GAbriel de Lauizariis ad quem, & eius deſcendentes per Ordinarium Comenſem
pronunciatum fuerat, pertinere ius patronatus
(de quo agebatur) anno 1487. condito teſtamento, inita cum filiis concordia de communi conſenſu ordinauit, vt nullus ex ipſis poſſet, aut valeret alicui alteri perſonæ communitatis, collegio, Capitulo, vel Vniuerſitati, præterquam inter ſeſe renunciare, ſeu remittere, aut donare, vel aliàs transferre iuſpatronatus, quod habebant in Capellis Sanctorum Eraſmi, & Martini, ſitis, & fundatis in territorio de Bernate plebis fini; quod ius patronatus voluit, & iuſſit remanere & pertranſire debere in dictorum filiorum Gabrielis liberos maſculos, non autem in aliquos naturales, neque in adoptiuos, nec in mulieres aliquas.

2. Cumque multis deciſionibus hactenus in hac
cauſa firmatis, concluſum fuiſſet conſtare de
iure patronatus * familiæ de Lauizariis à quibus deſcendebant Caſſanorij, & ad ipſos propterea pertinere, ex aduerſo Septimius de Ciceris, cui de anno 1587. per Ordinarium Comenſem hæc Capellania, tanquam liberum beneficium, collata fuerat, opponebat Caſſanorios tanquam deſcendentes per lineam fœmininam ab antiqua familia de Lauizariis, non eſſe patronos, ſed Capellaniam acquiſiuiſſe libertatem, vnde dato dubio, an pactum excluſiuum fœminarum, appoſitum in teſtamento Gabrielis releuaret ad effectum, vt Caſſanorij à mulieribus deſcendentes patroni eſſe deſierint.

* ſuprà dec. 165. 228. & 275.

3. Domini cenſuerunt pactum non releuare,
quamuis enim vera concluſio ſit, poſſe fundatores * in iure patronatus conſtituendo illud reſeruare ad fauorem certarum perſonarum, quibus non exiſtentibus, vel deficientibus, beneficium remaneat liberum. Lambertinus *art.* 2. *&* 4. *ſecundæ quæſtionis principalis, partis primæ lib.* 1. & fuit latè firmatum in illa Cremonen. iuriſpatronatus coram R.P.D. Seraphino die 6. * Iunij & 21. Nouembr. ann. 1578. ac vera quoque eſſet concluſio affirmans, quòd quando, nil
fuit in fundatione exceptum, vel reſeruatum, 4.
vel prohibitum, tunc iuſpatronatus ſit tranſitorium ad quoſcumque hæredes, & ſucceſſores etiam fœminas; talis enim eſt natura iuriſpatronatus. gloſſ. *in cap. quoniam inueſtituras* 16. *quæſt.* 4. Abbas *in cap.* 1. *num.* 3. *de iurepatron.* Calderinus *conſil.* 4. *eodem tit:* Ancharranus *conſil.* 81. *num.* 2.
Ferretus *conſil.* 131. *circa finem*, & in caſu propo- 5.
ſito, non appareret in fundatione huius iuriſpatronatus fœminas fuiſſe excluſas, conſequebatur, vt eis etiam fuerit acquiſitum. Ioann. Andreas & alij *in cap. nobis, de iurepatronat.* Caſſa-
dorus *deciſione* 1. *num.* 3. *eod. tit.* & propterea pa- 6.
ctum, quo excludebantur per teſtamentum Gabrielis, eis non præiudicabat, ad effectum, vt perpetuò cenſerentur excluſæ: pactum enim ne fœminæ ſuccederent, intelligebatur extantibus maſculis de familia paciſcentium, eis tamen deficientibus, mulieres non cenſebantur excluſæ. Ancharranus *dicto conſil.* 81. *num.* 3. Caſſadorus *dicta deciſ.* 1. *num.* 3. Ferretus *dicto conſ.* 131. *n.* 15. quæ interpretatio eo magis videbatur retinenda, quia apparebat conformis voluntati Gabrielis teſtatoris, & fœminas excludentis, vt id ſcilicet fecerit fauore maſculorum, non autem, vt
maſculis deficientibus mulieres de ſuo genere, 7.
& familia perpetuò excludere voluerit, maximè cùm in hac materia, etiam à præſumpta mente teſtantis arguere liceat. Calderinus *dicta conſil.* 4. *circa remedium*, *verſ. confirmatur hoc ex voluntate.*

* habentur in impreſſis Seraph. dec. 364. & 378.

Obſeruantia quoque ſubſecuta voluntatem 8.
Gabrielis ſatis declarauit; nam ſpatio 70. annorum, & ampliùs fœminæ maſculis deficientibus præſentarunt, & Ordinarij pro tempore exiſtentes earum præſentationes, velut legitimas admiſerunt: nec dubium, quin illa obſcuritas pacti appoſiti in teſtamento Gabrielis per hanc obſeruantiam declararetur *l. minimè ff. de legibus*, Crauetta *conſ.* 101. *n.* 3. *cum ſimilibus.*

Quam etiam declarationem indicare videba- 9.
tur tenor antiquæ ſententiæ obtentæ per eundem Gabrielem de ann. 1488. imò ſcilicet poſt conditum à ſe teſtamentum, in qua abſolutè fuit pronunciatum illum, & ſucceſſiuè poſt eum, eius filios, & deſcendentes legitimos, quorum appellatione, & fœminæ continentur. Simoneta * *dec.* 27. fuiſſe Patronum; quaſi per hanc ſententiam à prædicto pacto receſſiſſe videretur.

Atque ex his concluſerunt Domini, non releuare ſupradictum pactum, neque eſſe neceſſarium diſcutere difficultates excitatas per informantes pro Septimio, videlicet quòd Gabriel ſucceſſor in iurepatronatus, licèt non eſſet primus fundator, fauore Eccleſiæ & libertatis beneficij potuerat præiudicare ſucceſſoribus.

* etiãſi diſpoſitio loqueretur de deſcendentibus per lineã maſculinam, vel per virilem ſexum, vt per Ludouiſ. dec. 293. n. 5. & annot. n. 20.

## *Placentina Decanatus.*

### Die Veneris 12. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Gratia,* ſi neutri, *non habet locum, niſi de tempore datæ eius beneficium ſit litigioſum.*

3 *Lis reſpectu vnius, non dicitur reſpectu alterius.*





4 *Lis ceſſione vnius partis extinguitur.*

5 *Mandatum qui non dedit ad aliquid faciendum, non dicitur contrauenire.*

6 *Commiſſio præſentata non expeditis litteris, non inducit litem vt gratia,* ſi neutri, *operari non valeat.*

7 *Litem non eſſe motam dicendum eſt, ſi citatio non ſit reproducta.*

8 *Gratia,* ſi neutri, *locum habet, ſi de facto ſit lis.*

9 *Quod limita, ſi adſit defectus iuriſdictionis.*

10 *Iuriſdictionem non habere iudicem dicendum eſt, litteris non expeditis.*

11 *Iuriſdictionis defectus facit ceſſare litem.*

12 *Iudicium ſine iuriſdictione extare non poteſt.*

## DECISIO CCCXXX.

1. IMpetrauerat Dominus Balthaſar de Miranda
hunc Decanatum anno 1587. ex cap. confidentiæ commiſſæ per Garciam de Loayſa, & cauſa fuerat introducta coram iudice confidentiarum ad fiſcalis inſtantiam: inita tamen concordia inter Mirandam, & Garciam, de anno 1589. Miranda liti, & cauſæ ceſſerat. Deinde fideiuſſores Mirandæ, vt ſe à moleſtiis liberarent, ſuper nullitate penſionis eidem Mirandæ ſuper eodem Decanatu reſeruatæ cauſam in Rota, etiam nomine Petri contra Mirandam committi obtinuerunt, quos tamen obſtante clauſula in litteris reſeruationis penſionis poſita, non poſſe audiri pronunciauit. Poſtea idem Miranda de menſe Ianuarij præſentis anni 1593. cauſam ſuper Decanatu in Rota commiſit, in qua narrauit litem ſuper nullitate penſionis in eadem Rota pendere; cæterùm non citauit Petrum principalem modernum Placentinum Decanum, in Hiſpania commorantem, ſed eius tantùm Procuratorem, habentem ſimplex, & generale ſolùm mandatum ad lites, quod aliàs putabatur non fuiſſe ſufficiens, nam ad agendum pro nullitate penſionis, in qua fuerat penſionario regreſſus reſeruatus, requirebatur ob præfatum regreſſum ſpeciale mandatum: hunc Procuratorem ad dicendum contrà die 29. Ianuarij Mirandæ citauerat, cùm ipſe die 30. gratiam, *ſi neutri,* impetraſſet, & die prima Februarij citationem reproduxiſſet; in gratia verò, *ſi neutri,* coram me ſuper Decanatu inter ipſum, & Petrum litem pendere narrauit, cùm autem aliàs ſuper dubio dato, an gratia, *ſi neutri,* eſſet iuſtificata, non potuiſſem capere reſolutionem, & de Ordine Rotæ reſtitutum fuiſſet dubium ad articulum litis, dubitaui in hac poſitione, an præfata gratia, *ſi neutri,* eſſet iuſtificata, quoad litem in ea narratum? & pronunciatum fuit, non eſſe iuſtificatam.

2. Gratia enim, *ſi neutri,* non habet locum, niſi
de tempore datæ eius, beneficium ſit litigioſum, * Rota *deciſ.* 24. *de reſtit. in nouis*, Sarnenſis *in regula de annali, q.* 28. *verſ. præterea,* Verallus *dec.* 34. *num.* 8. *lib.* 2.

* dixi ſuprà deciſ. 310. & adde Rotam rec. p. 2. dec. 726. n. 1. & 3. & de hoc articulo vide Garciam de ben. 6. p. c. 2. n. 213. vbi n. 213. ad propoſitum allegat præſentem dec.

In hac facti ſpecie Decanatus nuſquam apparebat effectus litigioſus: non enim erat reſpectu cauſæ confidentialis, tum quia Miranda in gratia, *ſi neutri,* ſpecialiter narrauerat litem in Rota coram me pendentem, inter ipſum, & Petrum; illa verò non pendebat in Rota, ſed coram iudice confidentiarum, & erat etiam inter Mirandam Fiſcali adhærentem, & Garciam, & lis reſpectu vnius, non dicitur reſpectu alterius,
Rota *deciſione* 12. *de reſcript. in nouis*; tum quo- 3.
niam illa lis per concordiam, & ceſſionem * ad fauorem poſſeſſoris extincta fuerat, Achilles *dec.* 1. *vt lite penden.*

* lis per ceſſionem vnius extinguitur, & an tacita ceſſio ſufficiat, vide Rotam rec p. 1. dec. 109. n. 4. & ſequent.

Similiter non videbatur adeſſe lis per commiſſionem præſentatam in Rota per fideiuſſores, etiam nomine Petri; nam præterquam quòd commiſſio erat, non ſuper decanatu, ſed ſuper nullitate penſionis, fuerit quoque præſentata
per Procuratorem non habentem ſufficiens 4.
mandatum, ad faciendum Dominum incidere 5.
in pœnam, & ei præiudicandum, qua etiam ratione dicebatur, non fuiſſe iterum excitatam litem coram iudice confidentiarum, propter inobſeruantiam paſtorum, quaſi Petrus Decanus noluerit obſeruare concordiam, cùm litem mouerit Mirandæ ſuper nullitate penſionis: non enim poterat dici, contraueniſſe Petrus, qui ad præmiſſa non dederat ſufficiens mandatum. Præterea (vt paulo antea dictum fuit) lis illa erat inter Mirandam fiſcali adhærentem, & Garciam, cùm tamen in gratia, *ſi neutri*, fuerit narrata lis inter Petrum, & Mirandam.

Poſtremò, non iuſtificabatur gratia, *ſi neutri,* 6.
ex eo, quòd lis videretur introducta per commiſſionem vltimo loco per Mirandam præſentatam, tum quia commiſſio præſentata non expeditis litteris, non inducit litem propter regulam 31. vbi Mandoſius *quæſt.* 15. & Verallum *deciſ.* 162. *num.* 2. *parte* 2. Rebuffum *in praxi beneficial. tit. de reſcripto, ſi neutri, num.* 12. tum etiam,
quoniam cùm de tempore datæ gratiæ, *ſi neutri,* 7.
non fuiſſet reproducta citatio, * non fuit introducta aliqua lis, Felinus *in cap. illud, num.* 11. *verſ. ſecunda concluſ. de præſcript.* Zabarella *in Clementina* 2. *num.* 19. *vt lite pendent.* Gambara *deciſione* 40. incip. *Citatio circumducta*; ex facto autem patebat, Mirandam die 30. Ianuarij impetraſſe gratiam, *ſi neutri*, & die 1. Februarij reproduxiſſe citationem, & propterea non fuit effectus Decanatus litigioſus, Gambara *dicta deciſ.* 40.

* adde Rotã in vna Legionen. Parochialis 16. Maij 1603. coram Ortembergo, & Ludouiſ. dec. 94. n. 2 & habetur in rec. p. 2. dec. 81. & deciſ. 455. n. 1. in eadẽ p. 2. recen.

Neque ad hunc effectum ſuffragabatur lis præcedens inter Garciam, & Mirandam, fiſcali adhærentem, nam hæc gratia, *ſi neutri*, (vt dictum fuit) reſtricta erat ad litem cum Petro; quæ tamen non probatur adeſſe.

Ad illius verò vulgatum axioma, & deciſio- 8.
nes Rotales dicentes quòd ad effectum gratiæ *ſi neutri*, ſufficiat ad eſſe litem de facto, * Domini reſpondebant, non procedere, quando dabatur defectus iuriſdictionis, quia tunc, nullo modo etiam de facto † dicitur lis, Sarnienſis *in regula de annali q.* 45. Lanzellotus *de attentatis*, *part.* 3. *cap.* 24. *q.* 11. *n.* 7. *& ſeq.*

* adde Manticam deciſ. 99. n. 4. & 5. & Rotam recen. p. 2. dec. 99. n. 3. Ludouiſ. deciſ. 84. n. 1.

Præterea, neque lis de facto aderat propter 9.
regulam Cancellariæ 31. quæ annullat omnia, 10.
& aufert iuriſdictionem litteris non expeditis, Sarnen. *dicta regula de annali*, *quæſt.* 45. Verallus *dicta deciſ.* 162. *num.* 4. *parte* 2. & conſequenter facit ceſſare litem, propter defectum iuriſdictionis, ſine qua iudicium eſſe non poteſt. *l.* 1. §. *iudicium. ff. de iudicijs, cap. forus.* §. *iudex, de verborum ſignific.*

† adde latè annot. ad Ludou. dec. 94. n. 10. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

Deciſio Mohedani 110. qua cauetur introdu- 11.
ci litem, quando de regula non opponitur, ideo 12.
non obſtabat; quia non loquitur in terminis gratiæ, *ſi neutri,* ſed ad alium effectum.

Poſtremò, ad deciſionem Putei 24. aliàs 16. *tit. de iudicijs*, incip. *Gratia, ſi neutri*, reſpondebatur, non obſtare, quia in eo caſu gratia, *ſi neutri*, erat expedita. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de gratia, ſi neutri, num. 5.* aliquibus etiam Dominis ea deciſio videbatur ſatis inconſtans, & incerta, vtpote tanquam nulla ſatis firma ratione fundata.

## *Beneuentana decimarum.*

### Die Veneris 12. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Sequeſtro appoſito, & poſtea reuocato, tenetur depoſitarius reſtituere fructus poſſeſſori.*

3 *Sequeſtrum iudicis auctoritate appoſitum, non priuat poſſeſſorem commodo poſſeſſionis.*

## DECISIO CCCXXXI.

1. PRo aſſecuratione D. Cardinalis Aſcanij Columnæ, moderni Commendatarij Abbatiæ Sanctæ Sophiæ de Beneuento, fuit appoſitum ſequeſtrum ſuper decimis, quas ad ſe D. Cardinalis pertinere prætendebat, & deputatus Antonius Monachus ſequeſtrarius, ſed cùm poſtea dato particulari dubio, ſequeſtrum fuiſſet reuocatum, ad fauorem Canonicorum Montisfuſculi, & depoſitarius recuſaret fructus decimales reſtituere, fuit excommunicatus, & quoniam agentes D. Cardinalis prætendebant eum eſſe

2. abſoluendum, ex quo non conſtabat decimas ad Canonicos pertinere, dubio propoſito in Rota, concluſum fuit depoſitarium legitimè fuiſſe excommunicatum, nec abſoluendum donec decimas Canonicis reſtitueret, quia licèt decretum, quod ego feceram, vigore deciſionis ſolùm eſſet ſuper reuocatione ſequeſtri, nec aliquid diceret de conſignatione decimarum, nihilominus ſequeſtro reuocato, neceſſariò ſequebatur eas debuiſſe conſignari, quibus antea ſoluebantur,

3. cùm ſequeſtrum iudicis auctoritate appoſitum, non priuet poſſeſſorem commodo * poſſeſſionis. Doctores communiter *in l. intereſſe, & ibi* Bartolus *num. 4. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Abbas *in cap. 1. num. 19. de ſequeſtr. poſſeſſ.* Cardin. *in Clement. 1. num. 25. eodem tit.* Caſſadorus *deciſ. 14. num. 11. verſ. ſed ex aduerſo reſpondebatur ſuper regulis.*

* adde latè annotationẽ Ludouiſ. ad deciſ. 9. n. 11. vbi n. 12. reddit rationẽ, Caual. deciſ. 86. num. 6. & 305. n. 2. & aliàs ſæpe.

Quòd autem Dominus Cardinalis non eſſet in quaſi poſſeſſione exigendi has decimas, ſatis oſtendebat factum, cùm ad illius inſtantiam fuerit procuratum, & appoſitum ſequeſtrum, nec eſſet veriſimile, ſeipſum voluiſſe ſua poſſeſſione per appoſitionem ſequeſtri priuare.

## *Bononien. bonorum emphyteoticorum.*

### Die Lunæ 15. Nouembris 1593.

## DECISIO CCCXXXII.

QVoniam ſæpe propoſita cauſa ſuper dubio, an poſſeſſio Dominorum de Campegiis, eſſet iure familiaritatis, vel potiùs iure proprio, ad effectum vt ipſis bona de quibus agebatur, reſtituerentur, nunquam potuit capi reſolutio, ſuffragiis videlicet Dominorum æqualiter ferè diuiſis, propterea in hac poſitione viſum fuit, reſtringere dubium ad hoc, an conſtaret de poſſeſſione Eccleſiæ poſt inueſtituram.

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Lunæ 15. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Præſumptiones, & indicia ex teſtium depoſitione ſufficiunt ad probandum, quem eſſe de genere, & proſapia.*

3.4 *Parentela, ſiue deſcendentia debet probari per gradus.*

5 *Deſcendentes, & tranſuerſales comprehenduntur appellatione proſapiæ, & progeniei.*

6 *Probatio per teſtes per publicam vocem, & famam ſufficit ad probandam progeniem.*

7 Proſapiæ *verbum comprehendit quemcumque de familia.*

8 *Filium eſſe legitimum probatur per communem reputationem patris.*

9 *Indicia leuia faciunt pro reo, & poſſeſſore ad præſumendum pro eo, vt excludatur quod contra eum opponitur.*

## DECISIO CCCXXXIII.

FAtius de Platono anno 1422. teſtamento cauerat, quòd ſi Ioannes nepos ex filio, hæres inſtitutus, ſine filiis decederet, de bonis ſuis erigeretur Capellania ſub titulo Sancti Laurentij, in Eccleſia Sancti Antonij de Burgo Vallis Tari, cuius inſtitutores, & Patronos reliquit Guidonem de Platono, Euſtachium de Acerbis, & Bertonum de Bugalo, qui anno 1447. Ioanne ſine filiis vita functo, ex Ordinarij decreto Capellaniam his conditionibus fundarunt, & dotarunt, vt eligeretur vnus Presbyter Sacerdos, qui Miſſam celebraret, quíque eſſet legitimus, & de proſapia, & progenie illorum de Platono, ſiue de progenie dictorum Patronorum, quòd ſi non eſſet aliquis de dicta progenie dictorum patronorum, tunc dicti Patroni, & hæredes ipſorum, poſſent eligere vnum Presbyterum viſum ſufficientem. 1.

Cumque hac Capellania vacante de anno 1591. inter Franciſcum Platonum, & Ioannem Antonium Rugalum ad eam præſentatos, orta eſſet controuerſia, præmiſſis quibuſdam præſuppoſitis, dubitaui, an probaretur, Franciſcum Platonum fuiſſe de Proſapia, & progenie illorum de Platono, ſiue Patronorum dictæ Capellaniæ, iuxta formam fundationis.

Et Domini cenſuerunt, * id ſatis ſufficienter probari ex teſtibus deponentibus de communi reputatione, quòd eius Pater erat de Patronis, cùm ad effectum probandi, quem eſſe de genere progenie, vel proſapia, indicia, & præſumptiones ſufficiant, gloſſ. *in l. 1. in verb. quotiens, ff. de probationib. & ibidem* Salicetus *num. 2. verſ. ſed probatur.* Aretinus *conſ. 37. num. 2. verſ. venio igitur ad ſecundum.* 2.

* hæc deciſio fuit confirmata infr. dec. 346.





3. Quibus non refragabatur, quod teſtes dicerent, neſcire quòd Franciſcus deſcenderet à primis fundatoribus, nec probabatur deſcendentia diſtincta per gradus, * ſicut requiri videbatur *cap. licèt ex quadam, de teſtibus*, vbi Hoſtienſis *num. 11.* & Abbas *num. 12.* cum ſimilibus.

* adde Rotã diu. p. 2. dec. 288. n. 2. Caual. dec. 47. n. 4. in fine.

4. Quia reſpondebatur, quòd licèt ad probandum, verbi gratia, conſanguinitatem, in cauſa matrimoniali, vel cùm agitur de ſucceſſione, vigore fideicommiſſi, aut aliis quibuſcumque modis, vbi conſiderantur certi gradus, neceſſarium ſit, tunc probare diſtinctos deſcendentiæ gradus, vt *in dicto cap. licèt ex quadam*; ſecus tamen eſt, quando ex diſpoſitione legis, vel hominis non requiritur talis graduum diſtinctio, tunc enim ſufficit probatio in genere, quamuis diſtinctio graduum * ſpecifica non probetur. Ancharanus *conſil. 52.* incip. *Pro deciſione,* Alexander *conſil. 82. lib. 1.* Decius *conſ. 311.* incip. *In cauſa*; vnde in propoſita facti ſpecie, in qua iuxta formam fundationis non erat neceſſe probare talem qualitatem deſcendentiæ diſtinctæ per gradus, ſed ſufficeret oſtendere, Franciſcũ fuiſſe de proſapia, & progenie * illorũ de Platonis, quibus verbis, nedum deſcendentes per rectam lineam, ſed etiam tranſuerſales comprehenduntur. *l. pronunciatio. §. communi iure. ff. de verbor. ſignif. c. progeniem 35. q. 3.* Caſſad. *deciſ. 1. de iure patronat.* Pariſius *conſil. 93.*

* adde Mantic. dec. 154. n. 8.

* adde Caual. dec 382. n. 1. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

5. *num. 33. lib. 2.* Gabriel *conſil. 132. num. 58. & ſeq. lib. 1.* Menochius *tract. de præſumpt. lib. 4. præſumpt.*

6. *88. num. 2. & ſeq.* Baldus *conſil. 334. num. 7. & ſeq. lib. 3.* ſufficiens erat probatio per teſtes, de publica voce, & fama.

7. Rurſus quoniam, *proſapiæ*, verbum quemcumque de familia Platonorum aptum erat comprehendere, gloſſ. *in l. ſi quis ex corpore, in verb. proſapiam. C. de murilegul. lib. 11.* Francus *in cap. ſi pater, num. 110. verſ. quintò quòd ſi fiat. de teſtam. lib. 6.* & R. P. D. meus Mantica *de coniectur. vltimarum volunt. lib. 8. tit. 12. n. 12.*

8. Eundem verò Franciſcum fuiſſe Sacerdotem, probabant teſtes, qui eum viderant Miſſas celebrare, & fuiſſe legitimum; deponebant tres teſtes ſuper primo de communi reputatione * patris, & matris. Decianus *reſponſo 1. n. 85. lib. 3.*

* quæ ſufficit ad probãdam legitimitatem. Ludouiſ. dec. 247. n. 19.

9. Ex alio etiam capite Domini ſentiebant pro Franciſco; nam cùm eſſet reus, & poſſeſſor, & ordinarius admiſerit præſentationem de ipſo factam, niſi Ioannes ad eum excludendum probaſſet illum non eſſe de genere, vel proſapia præſentantium, ſufficiebant aliqua etiam leuia indicia concurrentia pro poſſeſſore, Puteus *deciſ. 2.* incip. *Dicens præſentantes, tit. de iure patronatus.*

## *Romana Saluiani interdicti.*

### Veneris 19. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Sententiæ duæ dicuntur conformes, ſi in effectu conueniant, licèt in aliquo accidente diſſentiant.*

3 *Sententias conformes non alterat, nec diuerſificat cauſa.*

4 *Appellatio vt valeat, exprimenda eſt cauſa grauaminis.*

5 *Quod fallit in iudicio ſummariiſſimo, in quo proceditur ſine ſtrepitu iudicij.*

6 *Melioramenta domus probantur per eum, qui partem eius fecit, & per eum, qui deponit, ſe vidiſſe illa facere.*

7 *Melioramentorum pro recuperatione, non competit actio, ſed tantùm retentio.*

8 *Appellatio admittitur in poſſeſſorio, propter præiudicium irreparabile.*

9 *Exceptio retentionis ob melioramenta in executione opponi poteſt, & ſi non admittitur datur appellatio.*

10 *Et etiam datur remedium ſpolij, & via nullitatis.*

11 *Saluianum iudicium efficit, vt res pignorata, ſatisfacto creditore, reddatur debitori.*

12 *Argumentum de toto ad partem valet, etiam reſpectu temporis.*

13 *Melioramenta non ſunt reficienda, quando non eſt probatum, rem fuiſſe melioratam.*

14 *Creditor poſterior non debet immitti in poſſeſſionem bonorum, in præiudicium anteriorum, ſi non ſit facta oblatio debiti.*

## DECISIO CCCXXXIV.

IN vna Romana * Saluiani interdicti, extra Rotam, præſuppoſitis ſententiis in hac cauſa latis, & ſtatuto vrbis *cap. 174. lib. 1.* & cautione data per D. Mercurium Amodæum, iuxta formam dicti ſtatuti, & aliis vtrinque deductis, dubitaui, an eſſet locus reſtitutioni ſummæ exactæ à Mercurio, vnà cum expenſis. 1.

* habetur hæc dec. impreſſa per Paci. poſt tract. de Saluian. inter. dec. 74.

Et cauſa propoſita die 25. Nouembr. 1593. diſſentientibus Dominorum ſuffragiis, non potuit capi reſolutio, in hac verò poſitione, dubio iterum diſcuſſo, affirmatiuè * pronunciatum fuit, eſſe locum reſtitutioni dictæ ſummæ; nam cùm Mercurius præſtitiſſet cautionem de reſtituendo omnia, quæ acceperat in executione, ſub conditione, ſi per duas conformes iudicaretur, appellationem interpoſitam, per D. Carolum Gabrielem à ſententia primi collateralis, non fuiſſe reiiciendam, iuxta formam præfati ſtatuti, illa conditio ſatis videbatur purificata ex ipſo, quòd fuerat pronunciatum, appellationem non fuiſſe reiiciendam, tunc enim, & ſtatim commiſſa fuerat ſtipulatio, & locus factus reſtitutioni ſummæ, per Mercurium exactæ.

* hæc reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 360.

Nec propterea deſierant eſſe conformes, quòd in vna diceretur, appellationem non fuiſſe reiiciendam quoad melioramenta per D. Carolum in actis deducta, & in altera, ſimpliciter pronuntiaretur, appellationem non fuiſſe reiiciendam; ſatis enim erat, quod conuenirent in effectu * principali, quòd appellatio non erat reiicienda, cùm quantum ad conformitatem, potiſſimum attendatur effectus, Ruinus *conſ. 114. n. 14. lib. 5.* Gabriel *tit. de executione rei iudic. concluſione 1. num. 33. & 34.* 2.

* nam duæ ſentẽtiæ poſſunt approbari, & exequi in parte in qua fuerunt conformes licèt in aliquo differant, vt per Durand. dec. 198. n. 10.

Maximè, quia illa verba conſultoris, *quoad melioramenta*, in caſu propoſito non videbantur importare aliquam diſtinctionem, vt ſcilicet, quantum ad melioramenta ſuſpenderetur, & quantum ad alia daretur executio, nam cùm Carolus prætenderet omnes domos melioratas, ſuper quo non fuerat cognitum, & aliquæ ex illis apparerent melioratæ, & ſententia primi collateralis, nulla facta mentione melioramentorum pronunciaſſet, Mercurium in omnium poſſeſſionem fuiſſe immittendum, non

poterat admitti appellatio quoad melioramenta, quin executio in toto ſuſpenderetur, ex quibus ſatis apertè conſtabat, præfata verba, *quoad melioramenta*,& ſecundùm rationem,& ſecundùm iuris diſpoſitionem, neceſſariò importaſſe cauſam, nempè non fuiſſe reiiciendam appellationem: cauſa autem nec alterat, nec diuerſificat ſententias conformes. Ruinus *dicto conſ.*114.
3. *num.*14.*lib.*5. Gabriel *dicta concluſione* 1.*de executione rei iudic.num.*34.

Minus etiam dicebatur obſtare, quòd vna ex dictis ſententiis loqueretur de primo collaterale, altera verò de Senatore: nam quamuis Rota reprobaret ſententiam præcedentem, à Senatore latam,tamen, quatenus ad articulum appellationis non reiiciendæ ſpectabat virtualiter, ambæ loquebantur de appellatione interpoſita à ſententia primi collateralis, cùm nulla alia appellatio fuiſſet reiecta, & de illa ſolùm dubitaretur,an fuiſſet reiicienda.

4. Ad oppoſitionem factam contra D.Carolum, eo quòd in appellatione non expreſſerat cauſam, dicebatur primùm ſatis de illa conſtare ex proteſtationibus in actis factis,& ex formula appellationis inſinuata capitaneo appellationis, qui grauauerat,appellationem reiiciendo.

Præterea reſpondebatur, quòd cùm poſſeſſoria in Curia Capitolina, vigore ſtatuti *cap.* 91. *lib.*1. non regulentur ſecundùm naturam merorum poſſeſſoriorum, ſed ſecundùm iudicia ſum-
5. maria,in quibus proceditur ſine ſtrepitu,& figura iudicij, vt in ſtatuto vrbis *lib.*1.*cap.*88. appellatio ſuſtinebatur, non expreſſa cauſa grauaminis, Angelus *conſil.* 267. *num.*1. *verſ. nec obſtat ſi dicatur.* Maranta *de ordine iudiciorum p.* 6. *verſ. & notes perpetuò,num.*154.

6. De melioramentis verò conſtabat ſaltem in genere ex dictis teſtium, ex quibus vnus erat ille, qui partem eorum in domibus fecerat, alter autem deponebat ſe vidiſſe, cùm illa fierent, pro quibus dabatur retentio, *l. ſi in area.ff.*
7. *de condict.indebiti*, Aretinus *in* §. *ex diuerſo*, *Inſtit. de rerum diuiſione.* Neguſantius *tract. de pignorib. membro* 4.*parte* 5. *num.*8. Peregrinus *deciſione* 16.*lib.*2.quia enim pro recuperandis melioramentis non competit actio, ſed tantùm retentio, * *d.l. ſi in area. ff. de condict. indeb.* Bartol. *in l.*2.*num.*3. *verſ. & ideo,de appell.recipiend.* Decius *conſil.* 28. *num.* 2. propterea etiam in poſſeſſorio, propter præiudicium irreparabile, admittitur appellatio, † & ſuſpenditur executio, ex-
8. ceptio enim retentionis ob melioramenta, etiam in executione opponi * poteſt, & niſi admittatur, poteſt legitimè appellari. Alexander *conſil.* 85. *num.* 6. *verſ. præterea etiam lib.* 5.
9. quinimo, niſi per retentionem, vel ſaltem per
10. cautionem tertio melioramenta prætendenti ſuccurratur, poteſt ille, nedum remedium appellationis, ſed etiam actionem ſpolij, † & viam nullitatis intentare, Contardus *in l. vnica, C. ſi de moment. poſſeſſ. quæſt.* 24. *num.* 32. & ita in foro Capitulino ſeruari teſtatur Lucas Petus *in pract. Capitolina tit. de cauſ. nullitat.*
11. *num.*27.*verſ. & ex rationibus.*

* & eſt vera hæc concluſio etiãſi in genere ſint probata melioramenta, vt per Durã. dec.385.n.4. Rotam rec. p.2.dec.151. n.1.

† adde Coc. dec.417.n.1. & infrà dec. 1336.

* & talis exceptio impedit executionem ſententiæ. Durand. dec.88.n.7.

† Caual.dec. 52.n 3.

* adde Lud. dec.254.n.1. & 6. Caual. dec.653.n.2. & 3.

Neque ſupradictum præiudicium ceſſabat ex eo, quòd verſabamur in iudicio Saluiano, in quo ſatisfacto creditore, domus cum melioramentis, reuerſuræ * erant ad primos poſſeſſores: nam licèt iſta ratio ſuaderet, non eſſe perpetuum præiudicium, medio tamen tempore non tollebatur præiudicium, ex quo creditor iure ſibi competente priuabatur,quod ſatis erat, cùm valeat argumentum de toto ad partem 12.
* etiam reſpectu temporis. Baldus *in l. ſi cui ff. de legat.*1. Iaſon *in l. diuortio.* §. *quod in anno, notabil.* 2. *ff. ſolut. matrim.* Gomezius *in regula de triennal.quæſt.*8.*num.*3.

* adde Rotã rec.p.1. dec. 174.n.5.

Non obſtabat, quòd melioramenta non ſunt reficienda, quando non probatur * rem fuiſſe 13.
melioratam; quia vltra quod de hoc conſtabat ex teſtibus, dicebatur etiam, quòd cùm de hoc eſſet videndum in liquidatione melioramentorum, interim non poterat concedi immiſſio; & ceſſabat difficultas ex quo ſaltem probabantur expenſæ in quibuſdam domibus factæ, quæ veniebant reficiendæ,tanquam factæ à Domino in ſolo proprio.*l.quod ſi ſeruus.*§.*ſed etſi,* & §.*necnon, ff. de in rem verſo.*

* adde Rotã rec.p.1. dec. 610.n.3.

Competebat etiam Carolo retentio, ob iura 14.
ſibi ab anterioribus creditoribus ceſſa, cui propterea non poterant præferri poſteriores creditores,eos immittendo in poſſeſſionem, non facta * ſaltem oblatione. *l. cùm prior ff. de diſtract. pignor.* Neguſantius *de pignorib.parte* 5.*membro* 3. *num.*3.

* quia creditor poſterior non facta oblatione priori, nõ poteſt immitti,ex Saluiano, vt per Durand.dec. 445.n.3.& 4. Caual. deciſ. 653.n.2.& 3.

Ad plures alias difficultates excitatas per informantes pro D.Mercurio, tam ſuper eius bono iure in negotio principali, quàm ſuper aliis articulis, ſuperuacaneum erat, ſingulatim reſpondere, cùm ad propoſiti dubij deciſionem ſufficeret,adeſſe duas conformes, ex quibus, purificata conditione, teneretur Mercurius pecunias exactas Carolo reſtituere.

---

## *Farfenſis villæ Caprolæ.*

### Die Veneris 19. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudo contra ius, vt ſit legitima, debet eſſe quadragenaria.*
2 *Conſuetudo, & obſeruantia, vbi bona ſunt ſita, debet probari,vt inducatur præſcriptio.*
3 *Conſuetudo contra ius ſolùm dicitur, quæ repugnat expreſsè alicui legi, non verò quæ contradicit communi opinioni Doctorum.*
4 *Vaſſallagium non repellit teſtem ad deponendum pro domino.*
*quod limita vt n.5.*
6 *Mendacium teſtis ſi non ſit in ſubſtantialibus, non nocet eius dicto.*
7 *Teſtis melius informatus, quàm alius, licèt aliqua exceptione poſſit expelli, meretur fidem, ſi aliqua releuans exceptio non opponitur.*

## DECISIO CCCXXXV.

PRopoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini ſteterunt in deciſis, * oppoſitiones referebantur ad duo potiſſimum capita,primum quòd 1.
cùm hîc ageretur de probanda conſuetudine contra ius, neceſſarium erat probare quadragenariam. † Alterum reſpiciebat exceptiones datas contra teſtes.

* ſuprà dec. 223.& 281. † Caual.dec. 419. n. 5. & 650.n.4 Mãtic.deciſ.51. n.3. & 56.n. 9. & 284. n. 9. & aliàs ſæpe.

Ad primum reſpondebatur in hoc articulo, an primi inueſtiti cenſerentur comprehenſi in



in prima generatione, non ſatis poſſe conſtitui, quænam eſſet communis opinio, cùm potiſſimum ſpectetur conſuetudo, & obſeruantia illius Eccleſiæ, vel loci, vbi bona ſunt ſita. Baldus *in Authent. quas ruinas, num.* 4. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Socinus *conſil.* 25. *num.* 8. *lib.*1. Alexander *conſil.*125. *num.* 6. *lib.*5. Gabriel *conſil.* 68. *numer.*1. & 7. *lib.*2. Verallus *deciſione* 18. *parte* 2. & ideo, non obſtare deciſionem Putei 233. *lib.*3.

3. Præterea dicebatur, quòd licèt concederetur, hîc agi de interpretatione contra communem opinionem Doctorum, non propterea poterat dici, eſſe contra ius, * ita vt probanda foret quadragenaria, cùm ad hunc effectum, oporteret eſſe contra expreſſam legis diſpoſitionem, vel expreſſam rationem ipſius legis, vt fuit reſolutum in cauſa Valentina emolumentorum ſigilli 16. Octobris 1585. coram D. Lauretano, & tenuit Rota in vna Hiſpalen. iuris nominandi coram R.P.D. Seraphino, nunc Rotæ Decano die 10. Octobris 1583. * & in alia Salamantina portionis die 11. Februarij 1583. coram Vicecomite, ex quibus deciſionibus ſatis apparebat, Rotam receſſiſſe ab illa opinione, quam aliàs tenuerat apud Puteum *dicta deciſione* 233. *lib.* 3. dicebatur etiam, quòd in caſu Putei, illa communis opinio, quòd ſtatutum laicorum non caperet donationem Clericorum, ſatis videbatur continere ius clarum.*

* adde ſuprà dec.281.n.4. Caual. deciſ. 497.n.4. Seraphin. dec. 645.n.3.

* in impreſſis Seraphini dec.639.n.1.

* & talis conſuetudo non dicitur interpretatiua, ſed iuris correctoria, vt per Ludouiſ. dec.162. n.3.

Ad ſecundum, de exceptionibus datis contra teſtes, reſpondebatur eas non releuare, nam quamuis vnus teſtis eſſet vaſallus Abbatis Farfenſis, nihilominus pro eo poterat deponere, † ex quo vaſallagium non repellit teſtem. Gabriel *de teſtibus, concluſione* 10. *num.* 21. & fuit nuper reſolutum in illa Parmen. ſtatus coram
4. R. P. D. Decano die 8. Nouembris * proximè præteriti, & cùm ageretur de probanda conſuetudine certi loci, non poterat melius probari per alios, quàm per vaſallos. Quanquam verò teſtis vaſallus tunc repelli poſſit, quando ſimul cum vaſallagio concurrunt aliæ releuan-
5. tes & conſiderabiles, quales in hac facti ſpecie non apparebant.

† adde Seraphin. deciſ. 1489. n. 3. Rotam rec. p.1.dec.702. n.6.

* in impreſſis Seraphini deciſ. 1049. n.1.

Neque teſtem repellebat prætenſum mendacium; quaſi depoſuiſſet falſum, ex quo dixerat caſtrum Sancti Petri non ſubeſſe Abbatiæ, nam quamuis dixerat, non ſubeſſe Abbatiæ Farfen. non negauerat ſubeſſe Abbatiæ Sancti Saluatoris: & cùm iſta varietas, ſiue mendacium non eſſet in ſubſtantialibus, * non repellebat teſtem. Gabriel *lib.*7. *tit. de crimin. concluſ.*4. *num.*12.

* adde Ludou.dec.351. n.29.& 547. n.9.& 10.

6. Exceptio blaſphemiæ, tertio teſti oppoſita, non apparebat probata, quintum teſtem non repellebat qualitas officij, quòd ſcilicet eſſet agens bon. mem. Cardinalis Farneſij Abbatis:
7. nam cùm deponeret de illis, de quibus ipſe erat melius informatus, quàm alij,fidem merebatur, niſi aliis conſiderabilibus exceptionibus repelleretur.*cap.ſuper prudentia,el primero* 14.*q.*2. Crotus *tract.de teſtibus parte* 4.*n.*136.

His addebant Domini quartum teſtem, qui iuxta 15. interrogatorium, & ſuper 2. articulo ſatis probabat primum acquirentem conſtituere primam generationem, in cæteris placuerunt deducta in alia deciſione.



## *Nullius, ſiue Piſcien. iuriſdictionis.*

### Die Mercurij 24. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Iuriſdictionem tribuit Tridentinum Ordinarijs, viſitandi perſonas exercentes curam animarum, in monaſterijs tam virorum, quàm mulierum.*
3 *Viſitare poſſunt Ordinarij perſonas exercentes curam animarum in monaſterijs, tam virorum, quàm mulierum, cumulatiuè cum ſuperiore.*

## DECISIO CCCXXXVI.

VTraque parte informante fuit concluſum, 1.
quòd expediretur cauſa ad fauorem Præpoſiti Piſcien. cum declaratione expreſſa, quòd iuriſdictio quoad Capellam S.Ioannis Baptiſtæ, ſitam in Eccleſia Beatæ Mariæ Caſtri Bugiani, cui cura imminet animarum,in his quæ concernunt adminiſtrationem Sacramentorum,& quo ad perſonam,ſeu perſonas exercentes prædictam curam, ſpectaret ad propoſitum, cumulatiuè cum ea iuriſdictione, quæ competebat Abbati Monaſterij, cui dicta Eccleſia reperiebatur vni- 2.
ta; nam cùm Concilium Tridentinum * *ſeſſ.*25. *de regularib. cap.* 11. concedat Ordinariis iuriſdictionem viſitandi perſonas exercentes curam animarum in monaſteriis virorum, aut mulierum,ea in dubio cumulatiuè,non priuatiuè cenſetur conceſſa, ita vt ſuperiores procedere poſſint, ſicut poterant antequam iuriſdictio aliis iudicibus delegaretur. Bartolus *in l.* 1. *C. de officio præfecti vrb. & in l.* 1. §. *hoc autem edictum, num.*7. *ff. de noui operis nunt. & in l. ſanctio legum, ff. de pœnis*, Baldus *in l. vnica* §. *vbi autem,num.*6. *& 7. C. de caducis tollen.* Aretinus *conſil.* 102. incip. *Spectabilis Domine, num.*1. Ancharanus *conſil.* 164. *num.* 5. *verſ. nec ex eo quòd populus*, Decius *conſil.* 3. *num.* 3. Iaſon *in l. quod in rerum.* §. 3.
*ſi quis poſt, num.* 7. *& ſeq. ff. de legat.* 1. vbi latè Aretinus, Abbas *in cap. cæterùm num.* 9. & Felinus *num.* 4. & *ibidem* communiter Canoniſtæ *de iudicijs*, Cardinalis *in Clement.* 1. §. 1. *num.*4. & 5. *de hæreticis*, Ancharanus, Geminianus, Franchus, & cæteri communiter *in cap. per hoc, de hæret. lib.* 6. plenè Angelus *in l. teſtamenta. C. de teſtamentis*, quem ſolum dicit Aretinus bene fuiſſe locutum de hac materia; & fuerat reſolutum in hac coram Illuſtriſſimo Prælato tunc Rotæ Auditore 15.Iunij 1590.

* adde Seraphin. dec. 1067. n.1. & 4.vbi præsẽs deciſ.allegatur, licèt inſcribatur 20. Octobr.& de hac materia adẽſt conſtitut. SS. Gregorij 15.impreſſa in declarationibus Barboſæ ad d. cap.11. ſeſſ.25.

Præterea,vt omnis ambiguitas tolleretur,placuit Dominis, vlteriùs declarare in ſententia, quòd ſi hac in materia contingeret Præpoſitum facere conſtitutiones,ſeu decreta diſcrepantia à decretis ſuperiorum Regularium,tunc Præpoſiti decreta præualere,& obſeruari deberent.

Examen verò, & approbatio Capellani, qui pro tempore eſſet curam animarum adminiſtraturus,ad Præpoſitum duntaxat pertineret.

## Caputaquen. Vnionis.

### Die Veneris 27. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Vnio beneficij probatur per immemorabilem præſcriptionem, vel quadragenariam cum titulo.*
3 *Immemorabilis tunc ceſſat, quando probantur actus contrarij.*
4 *Teſtes deponentes de viſu per ſpatium 40. annorum, ſi concludant in alijs requiſitis, non probant immemorabilem.*
5 *Enunciatiua turbida inſtrumenti non probat.*
6 *Enunciatiua inſtrumenti, ſi ſint à parte enunciata, vel non ſint antiquæ, non probant vnionem.*
7 *Verbum,* grangia, *videtur ſignificare vnionem.*
8 *Licèt ſit æquiuocum, & ex eo non ſumatur efficax argumentum ad inducendam vnionem.*

### DECISIO CCCXXXVII.

1. CVm præſuppoſito, quòd iura producta pro parte Capituli Amalfitani eſſent in forma probante, dubitaui, an conſtaret, Capellaniam Sanctæ Mariæ de Torricellis, eſſe vnitam Abbatiæ S. Mariæ de Veſtellis, & licèt ſolum informaretur pro parte Capituli Amalfitani, prætendentis adeſſe vnionem, nihilominus deciſum fuit, de illa non conſtare, primò enim licèt vnio probari poſſit, per immemorabilem * præſcriptionem, vel quadragenariam, cum titulo, apto ad præſcribendum, Rota *dec. 9. & 10. de reb. Eccl. non alienand. in antiq.* Felin. *conſ. 2. num. 2.* Put. *deciſ. 238. num. 2. lib. 1.* & pluries tenuit Rota, in caſu tamen propoſito, immemorabilis non probabatur per teſtes, vt reſolutum etiam fuerat in hac cauſa coram bon. mem. Bubalo die 27. Nouembris 1581. quinimo per teſtes probabatur, quòd Abbas Gentilis fuerat prouiſus de Eccleſia S. Mariæ de Turricellis, vti de libera, & quòd illam poſſederat anno 1518. vſque ad eius obitum de anno 1546. vnde non intrabat immemorabilis, † quæ tunc ceſſat, quando probabantur actus contrarij. Socin ſenior *conſ. 7. num. 11. lib. 1.* Puteus *deciſ. 436. lib. 2.* & licèt aliqui teſtes viderentur deponere de viſa à 40. & 50. annis, tamen non deponebant, de aliis requiſitis * ad probandam immemorabilem, iuxta gloſſ. *in c. 1. de præſcript. lib. 6. & deciſ. Veral. 344. lib. 3. in impreſſis num. 1.*

* vide infrà deciſ. 704. & de hoc art. & materia huius dec. vide Ludouiſ. dec. 196. vbi latè annota.

3. † & fuit dictū infr. dec. 366. n. 2. & adde Rotam rec. p. 2. dec. 246. n. 8. vbi ad propoſitum allegatur hæc dec. licèt annotetur de anno 1591. & idem penes Ludouiſ dec. 435. n. 10.

4. * quod requiritur ad probandam immemorabilē. Caual. dec. 56. n. 1. & 174. n. 1. & paſſim Rota declarauit.

Quadragenaria licèt fuiſſet probata, non ſuffragabatur, quia non conſtabat de titulo vnionis.

Minus etiam conſtabat de vnione, ex enunciatiuis plurium inſtrumentorum † de antiquo, nam prima continebat remiſſionem iuriſpatronatus huius Eccleſiæ, factam Abbati Sanctæ Mariæ de Mercato ibi, *quam olim ab Epiſcopo Caputaquen. accepiſtis*, ex qua, ſi aliqua vnio probaretur, potius eſſet probata ad fauorem S. Mariæ de Mercato, quàm ad fauorem Abbatis Sanctæ Mariæ de Veſtellis, quibus accedebat, quòd cùm iſta enunciatiua eſſet turbida, cùm poſſet intelligi per prouiſionem factam ab Epiſcopo Caputaquen. non poterat Capitulo Amalfitano ſuffragari, * Aymon *conſ. 157. n. 10. & 12.*

† quæ probant vnionē, vt per Caualer. dec. 599. n. 6. præcipuè ſi enunciatiuæ ſint illius qui habuit facultatem vniendi, vt per Mantic. dec. 355. n. 6. & 359. n. 7.

5. Altera enunciatiua facta in actu viſitationis, in qua ſolet Abbas interuenire, viſa fuit Dominis ſuſpecta, cùm veriſimile fuerit ab eo originem habuiſſe.

* adde Lud. dec. 372. n. 2.

Præterea, cùm iſta enunciatiua eſſet de anno 1467. & de anno 1518. Abbas Gentilis hanc Eccleſiam poſſediſſet, tanquam liberam per iſtam poſſeſſionem, fuerat interruptus præcedens ſtatus.

Reliquæ enunciatiuæ, cùm eſſent Abbatis, habentis intereſſe, nec de tempore antiquo, non probabant vnionem Aretin. *in cap. cùm cauſam, num. 26. & ibi* Felin. *num. 4. de probat.* Puteus *deciſ. 231. num. 4. lib. 2.* ſicuti non probari dixerunt Domini ex eo, quòd in inſtrumento viſitationis Archiepiſcopi Amalphitani de anno 1467. enunciaretur, Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Forricello eſſe Grangiam Monaſterij Sanctæ Mariæ de Vitellis; quia licèt hoc verbum *Grangia*, videatur ſignificare vnionem, *cap. fin. de cenſib.* Anton. de Butrio *in cap. de Monachis, num. 10. de præbend.* & fuit reſolutum in cauſa Aquilan. monaſterij coram Domino Rubteſterio de menſe Aprilis ann. 1577. in eadem tamen cauſa de menſe Ianuarij 1579. fuit dictum, illud verbum *Grangia*, ex communi vſu loquendi, eſſe æquiuocum, & propterea inde non poſſe ſumi efficax argumentum ad probandam vnionem. 6. 7. 8.

7. vide infrà deciſ. 823. n. 14.

## Romana pecuniariæ.

### Die Lunæ 29. Nouembris 1593.

SVMMARIVM.

2.3 *Creditor primus non poteſt auocare pecuniam à ſecundo creditore exactam.*
4 *Creditor bancharia non poteſt conueniri ab alijs creditoribus alterius obligationis, ratione eius, quod accepit ratione bancharia.*
5 *Societas videtur obligata credito, ſi vnus ex ſocijs acceſſerit obligationi conſocij, cum expreſſa mentione talis obligationis.*
6 *Intentio ſeſe obligantium declaratur ex facto ſubſecuto.*
7 *Vigilantibus, & non dormientibus iura ſubueniunt.*
*A qua regula quandoque ex cauſa receditur. num. 8.*

### DECISIO CCCXXXVIII.

SVper officio Militis Sancti Petri, quod Cæſar Baſill obtinebat, idem acceperat à Matthæo Boſcolo ad ſocietatem ſcuta mille, cui Ioannes Mangi Socius Cæſaris, in ratione bancharia, quam de anno 1588. ambo in vrbe exercebant ad fauorem Matthæi acceſſerat, & pecuniæ eadem die 8. Ianuarij eiuſdem anni deſcriptæ fuerant in libro vocato, *il quaderno di caſa*, eorumdem Cæſaris, & Ioannis ſociorum, qui cùm paulo pòſt decoxiſſent, & bonis ceſſiſſent, diuerſi creditores, & nominatim Matthæus Boſcolus in vnum congregati per viros deputatos bonorum poſſeſſionem apprehenderunt. Sed quoniam poſtmodum Ioannes Guell creditor ſolius Ioannis Mangi à Ioanne Ferrer, & Alphonſo Ramos debitoribus rationis banchariæ ducatos ccc. xxvii. exegerat, ideo Matthæus Boſcolus coram A. C. contra eum actionem 1.



actionem reuocatoriam intentauit, & ſententiam fauorabilem reportauit, quam Domini in hac poſitione confirmandam cenſuerunt: licèt enim regula ſit, anteriorem creditorem non poſſe auocare pecuniam exactam à ſecundo creditore, ne ciuile commercium vel tollatur, vel impediatur. Afflictus *deciſ. 190.* Capicius *dec. 78.* Alexander *conſil. 17. lib. 1.* Paleothus *deciſione 195.* ea tamen non procedit, quando vel non adeſt omnino bona fides in ſecundo creditore, vel fuit circumuentus primus; in hac verò facti ſpecie non habebat locum, tum quia iſta ſumma non fuerat bona fide exacta à debitoribus rationis banchariæ, cùm fuiſſet exacta poſt decoctionem. * Afflict. *dicta deciſione 190. n. 6.* tum etiam, quoniam cùm Ioannes Guell ſolùm creditor Ioannis Mangi, non autem rationis banchariæ, non poterat aliquid exigere à debitoribus rationis banchariæ. *l. procuratori. § ſi plures. ff. de tribut. actione.* Straccha *tract. de mercatura, tit. de decoctoribus, parte vltima, num. 25. & ſeq.* Couarruuias *in pract. quæſt. cap 29.*

2. 3. * adde Seraphin. deciſ. 1074. n. 4. vbi ad propoſitū præſens deciſio allegatur, & infrà dec. 636. n. 2.

4. 5. Quibus non aduerſabatur, quòd cùm neque Matthæus videretur creditor rationis banchariæ, in dubio Cæſar, & Ioannes cenſebantur obligari nomine * proprio, & ob id Ioannem Guell legitimè exegiſſe, nec cogendum ad reſtituendam pecuniam exactam, nam cùm Ioannes Mangi obligationi acceſſerit, mentione rationis banchariæ, ſatis videbatur obligata ſocietas, Romanus *in l. poſt dotem ff. ſoluto matrimonio*, Menoch. *tract. de præſumpt. lib. 3. præſumptione 49. num. 25.* Siluanus *conſil. 8. num. 3. & ſeq.* Nicomerſus *allegatione 11. num. 50. part. 1.* Rota Ianuenſis *deciſ. 7.* & in hoc caſu ex eo etiam res videbatur ſatis clara, quoniam ſcuta mille in ſocietatem accepta, ſeruierant in cauſa rationis banchariæ, & propterea ceſſabat etiam altera difficultas orta ex eo quòd ſimpliciter Cæſar contraxerat ſocietatem; 6. factum enim ſubſecutum declarauit, illum ea intentione accepiſſe mille in ſocietatem, & pro ratione banchariæ deſeruirent. Bart. Albericus, Paulus, & alij *in l. ciuitas. ff. ſi cert. petat.* Pariſius *conſil. 78. num. 18. lib. 1.* & fuit deciſum in illa Cluſina grani 26. Maij 1578. coram D. Oriolen.

* & ſocius non tenetur ad debita cōtracta per ſocium, quādo non ſunt intuitu ſocietatis, Rota recen. p. 1. dec. 205. n. 3. cùm ſocietatem nō tangat quod quis nomine proprio geſſit. Caualer. dec. 38. n. 4. & 5.

7. Poſtremò non obſtabat vulgaris regula, vigilantibus iura ſubuenire, * & ob id Ioannem Guell rectè exegiſſe ad Afflictum *dicta deciſ. 190.* quoniam reſpondebatur ex cauſa à regula quandoque recedi, vt fuit dictum in illa Romana pecuniaria 13. Nouembris 1573. coram Sanctiſſimo Domino noſtro, tunc Rotæ Auditore, & in alia Romana pecuniaria, ſeu officiorum 13. Nouembris 1592. coram R. P. D. meo Blanchetto.

* de hoc art. & materia huius deciſ. videndus eſt erudiſſimus noſter Regens Seſſe tomo 2. dec. 206. n. 19. & 44. & infrà dec. 636. n. 2.

## Burgenſis Reſidentiæ.

### Die Veneris 3. Decembris 1593.

### DECISIO CCCXXXIX.

IN hac cauſa, quæ videbatur valde exemplaris, ex his quæ pro vtraque parte proponebantur, Domini excitauerunt varias difficultates, iuxta multiplicem occurrentem inſpectionem; quarum prima erat circa diſpoſitionem iuris communis: altera circa diſpoſitionem, & intellectum Concilij Tridentini *ſeſſione 21. cap. 3. & ſeſſ. 22. cap. 3. & ſeſſ. 24. cap. 12. §. propterea obtinentibus.* Tertia verſabatur circa reſcripta Apoſtolica, & concordiam Alexandrinam, & ſtatuta dictæ Eccleſiæ Burgen. an ſcilicet Abbas de Fonçea, & ſimiles dignitates habentes, vigore concordiæ, vel ſtatutorum tenerentur reſidere in Eccleſia Burgen. Quarta, & vltima erat, circa particularem eiuſdem Eccleſiæ conſuetudinem: & quia viſum fuit, curſum cauſæ ex eo poſſe faciliùs dirigi, ſi noſceretur in qua Eccleſia forent iſtæ dignitates intitulatæ, propterea ordinarunt Domini, vt de hoc primum ageretur.

Infrà deciſ. 371. 411. & 428. actū eſt de articulis huius dec.



## Peruſina executionis.

### Veneris 3. Decembris 1593.

### DECISIO CCCXL.

QVia Domini non fuerunt concordes circa dubium datum ſuper nullitate ſententiæ latæ ſub die 5. Iulij 1591. neque enim ſatis videbatur conſtare de prætenſa nullitate, * ideo viſum fuit reſtringere dubium ad ſolutionem factam per D. Marchionem, poſt latam ſententiam, an ſcilicet D. Marchio à Cornea cenſeretur approbaſſe ſententiam, & conſequenter ſibi præiudicaſſe per ſolutionem illius vigore factam.

* de qua ſuprà dec. 190.

## Romana donationis de Anguillaria extra Rotam.

### Die Veneris 10. Decembris 1593.

SVMMARIVM.

1 *Metus reuerentialis reſcindit donationem propter eum factam.*

### DECISIO CCCXLI.

PRæſuppoſitis proteſtationibus D. Virginij de Anguillaria, vna ſub die 4. Martij 1584. 1. vno videlicet die, antequam faceret donationem, & altera ſub die 5. Martij facta eodem die, quo donauit ſuis fratribus bona materna, & auita, & alia quæcumque ſua propria, paternis tamen exceptis, & teſtibus examinatis, ad inſtantiam ſuorum fratrum, dubitaui, an dicta donatio eſſet nulla, & inualida, vel annullanda, & reſcindenda: cùm octo ex Dominis, qui cauſam viderant, eſſent diuiſi, & cauſa eſſet grauis, placuit Rotæ reſtringere punctum, & videre, an probaretur metus reuerentialis, * qui ſufficeret ad effectum de quo agebatur.

De motu reuerentiali multa diſſerit Rodericus Suarez allegatione 24.

* de quo infrà dec. 481. & 580.

## *Corduben. redecimarum.*

### Die Veneris 10. Decembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Auditores Rotæ ſunt Ordinarij, in cauſis ſibi commiſſis.*

3 *Monitoria generalia ſub pœna excommunicationis, ſoli Epiſcopi poſſunt concedere.*

### DECISIO CCCXLII.

1. PRo parte Capituli Cordubenſis petebatur
coram D. Decano, in vno memoriali tunc
porrecto, vt ad effectum habendi quædam in-
ſtrumenta arrendamentorum à cc. annis facto-
rum, & alias ſcripturas, quæ ignorabat penes
quas perſonas eſſent, concederetur ſibi moni-
torium vulgo dictum, *ſignificauit*, * & R. P. D.
Pamphilius animaduertit, quòd licèt Rota olim
poſſet concedere hæc monitoria generalia, ſub
pœna excommunicationis, quia Auditores ſunt
Ordinarij in cauſis ſibi commiſſis, & ideo illa
concedere poterant, *cap. conſtitutus, de teſtib.*
Abbas *in cap. ad noſtram, el 2. de iureiurando*,
2. Probus ad Ioannem Monachum *in cap. vt animarum, num.*54. *de conſtit. lib.*6. vbi *num.*41. vult
hanc facultatem competere etiam delegatis.
Neuizanus *in Sylua nuptiali, lib.*3. *n.*33.

* & hoc monitoriũ impetrari ſolet ab auditore contradictarum, vt per Seraph. dec. 90.n.2.

3. Nihilominus, poſt Concilium non videbatur
competere hæc facultas: nam *ſeſſ.*25. *cap.*3. *de reform.* cautum eſt, vt huiuſmodi monitoria à ſo-
lis Epiſcopis decernantur, & tunc non aliàs,
quàm ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac
magna maturitate per Epiſcopum examinata, &
ideo Capitulum nil obtinuit.

## *Neapolitana cenſus.*

### Die Veneris 10. Decembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Debitor vt ſit obligatus, requiritur habere ſcientiam obligationis.*

3.4 *Creditor recipiendo pecunias ſibi debitas, videtur conſentire, & approbare, quod actum fuit cum debitore.*

5.6 *Conceſſus ſine ſcientia non datur.*

### DECISIO CCCXLIII.

1. PRopoſita cauſa ſuper eiſdem, Domini ſtete-
runt in deciſis die 25. Octobris proximè præ-
teriti; * quia licèt Camillus debitor redemerit
cenſum à Iulia Staybana de pecuniis D. Abbatis
2. Paulutij, cum pacto expreſſo, quòd Abbas eſſet
ſubrogatus in locum Iuliæ, cùm tamen Iulia de
iſta conuentione nullam habuerit notitiam,
Epiſcopus non remanſit obligatus ad fauorem
Abbatis, ſicut antea erat ad fauorem Iulij cre-
ditricis, cuius ſcientia * erat neceſſaria, ad ef-
fectum vt Epiſcopus remaneret obligatus, licet
aliàs ſufficeret, fuiſſe pactum initum, cum debi-
tore tantùm, vt bene declarat Salicetus *in l. Ari-*
3. *ſto, ante num.*4. *verſ. quod ſatis puto ſi ei dicatur*
*ff. quæ res pignor. oblig. poſſ.* cùm enim debitor te-
neatur ſoluere creditori, ideo recipiendo pecu-
nias ſibi debitas videtur conſentire, & idem
velle, ſeu approbare, quod actum fuit cum de-
bitore, vnde ſapienter dicebat Salicetus, dum-
modo creditor, quando ſibi ſoluitur, ſciat huiuſ-
modi conuentionem, aliàs enim non poſſumus
dicere creditorem idem voluiſſe quod igno-
rabat.

* ſuprà dec. 326.

* & hæc debet eſſe indubitata in præiudicialibus, vt per Rotam recẽ. p.1. dec.625. n.1. & 507. n.7. & 8.

Doctrinam autem Saliceti eſſe communem, ſa- 4.
tis indicant conformes Doctorum traditiones,
de hac materia agentium, & Vincentius de Fran-
chis *dec.*97. *n.*3. quibus non repugnat dictum Ri-
pæ *in l. ſi ventri. §. fin. de priuileg. creditor.* quia lo-
quitur in caſu longè diuerſo, quando ſecundus
creditor offert priori, nullo etiam facto pacto,
quinimo neque ibi tractatur de ſcientia, vel
ignorantia creditoris, ſed de obligatione facta
ipſimet priori creditori, per ſecundum credito-
rem, & quæritur, an ſecundus creditor acquiſi-
uerit actionem perſonalem, competentem prio-
ri creditori.

At in propoſita facti ſpecie, in qua tractaba- 5.
tur de pacto facto cum ipſo debitore, de ſucce-
dendo in locum prioris creditoris, Salicetus non
diſcordat ab opinione quam profitentur Barto-
lus, Ripa, & alij, nempe ſufficere conuentionem
fuiſſe factam cum debitore, rationem paulo an-
tea explicabant; quia debitor poſtea ſoluendo
priori creditori, prior creditor videtur conſenti-
re; vt poſſit autem videri conſenſiſſe, requiritur
ſcientia. *

Aſſertio Iuliæ affirmantis ſibi fuiſſe ſolutum
ex pecuniis Abbatis Paulutij, non ſufficiebat,
quoniam ad effectum vt creditor diceretur con-
ſentire requirebatur, quòd ſciuiſſet † pecunias
Paulutij ſolutas, fuiſſe uumeratas ſub illo pacto
de ſuccedendo, atque ita expreſsè tenet Salice-
tus; non enim eſt bona conſequentia, Iulia ha-
buit notitiam, quod pecuniæ ſolutæ erant Pau-
lutij; ergo habuit notitiam, quòd fuerunt ſibi
numeratæ ſub illo pacto de ſuccedendo.

* quę requiritur, vt ſit certa in præiudicialibus ad conſtituẽdum in mora Seraph. dec. 991.n.2. Rota rec.p.2. & ſcientia, dec. 593.n.4. requiritur, vt adſit conſenſus, Rota recen.p.2. dec. 225.n.4.

6.

† vide infrà dec.353.n.6.

## *Comenſis Capellaniæ.*

### Die Veneris 17. Decembris 1593.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria vt concedatur, requirit fumum ſufficientem.*

2 *Remiſſoria vt concedatur ad probandum delictum, requirit ſaltem ſemiplenam probationem.*

3 *Iuris patronatus cauſa dicitur profana.*

4 *Eccleſiaſtica cauſa dicitur, ſi agatur de ſuſtinenda prouiſione facta beneficij, licèt alàs iuris patronatus cauſa ſit profana.*

5 *Remiſſoria non datur, niſi facta obligatione de ſtando vnicè, & conſentiendo ſequeſtro.*

### DECISIO CCCXLIV.

DOmini noluerunt concedere Remiſſoriam, 1.
quia non conſtabat de ſufficienti fumo
* requiſito ad remiſſoriam concedendam. Ve-
rallus *deciſione* 408. *lib.*1. *in manuſcript.* idem *deci-*
*ſione* 32. *parte* 2. *in impreſſis*, & præſertim; quia
petebatur ad probandum delictum, nam Septi-
mius de Ciceris nitebatur probare vſurpationem
bonorum, ad effectum priuandi patronos, quo
caſu requirebatur magnus fumus, * & ſaltem
ſemiplena probatio, Paleothus *deciſ.*334. incip.
*Vacauerat Archidiaconatus.* †

* Caual. deciſ.512. n.2. Coccin. dec. 165. n.6. Seraphin. dec. 555.n.4. Rota recen.p.2. dec.491.n.3.



* Rot.recen. p.2. dec.503. num.3.

† in Carthagin. Archidiaconatus 3. Martij 1562. eſt deciſ.687. p.3. diuerſ.lib.3.

Cùm in hac facti ſpecie non ſubminiſtra-
bant quædam inſtrumenta, & teſtes, probantes
Eccleſiam poſſediſſe quædam bona in loco de
Barazola, quia non conſtabat de bonorum iden-
titate, vt aliàs fuerat deciſum * in hac cauſa.

* ſuprà dec. 322.n.3.

Reſpectu publicationis conſtitutionum Sy-
nodalium, & vſus illarum, ſimiliter non produ-
cebatur ſufficiens fumus, quem non probabant
quædam fides, ad hunc effectum exhibitæ, quæ
nullam faciebant fidem, præſertim cùm ex ad-
uerſo, etiam exhiberentur aliæ fides, ex quibus
apparebat fuiſſe iudicatum in curia Epiſcopali
Comenſi ad fauorem Patronorum, licèt de iſtis
conſtitutionibus eſſet oppoſitum. Placebat etiam
Dominis aliud motiuum, aliàs deductum in de-
ciſione † huius cauſæ, nam cùm eiuſmodi Epi-
ſcopalia edicta, ſeu conſtitutiones Synodales
non comprehenderent beneficia iuriſpatrona-
tus, ex dotatione, & fundatione, quamuis pro-
baretur publicatio, & vſus non releuaret, ſatis
autem conſtat remiſſoriam non releuantem,
non concedi, Caſſadorus *deciſ.*2. *de dilationib.* Ve-
rallus *deciſ.*66. *part.*3.

† ſuprà in d. dec.322.n.7.

3. Nec placuit, quod dicebatur, cauſam eſſe pro-
fanam, iuxta deciſionem Achillis 324. aliàs 11.
*de iure patronat.* aſſerentis cauſam * iuriſpatrona-
tus eſſe profanam; quia cùm remiſſoria petere-
tur, ad effectum, vt ſuſtineretur prouiſio facta
Septimio, tanquam de beneficio libero, vt ei tan-
dem iudicio Rotæ adiudicaretur, cauſa reputa-
batur beneficialis; vt aliàs in cauſa Lucana De-
4. canatus coram S. D. N. Clemente VIII. tunc
Rotæ Auditore, diffinitum fuerat, deciſio autem
Achillis non loquebatur in his terminis, vnde
ſequebatur in prima inſtantia non potuiſſe dari
5. remiſſoriam, niſi facta obligatione † de ſtando
vnicæ, & conſentiendo ſequeſtro. Antonius Au-
guſtinus *in epitome tit. de remiſſorijs num.*4.

* de hoc art. vide annot. ad Ludouiſ. dec.174.n.7. & deciſ.403. n.2. & Caual. dec.472.n.4.

† adde infrà dec. 1558. & Caualer. dec. 271. n. 1. & Cocc. deciſ. 165. num. 5. & 246.n.3.

## *Spoletana beneficiorum.*

### Die Veneris 17. Decembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Citatio eſt neceſſaria ad priuandum aliquem poſſeſſione.*

3 *Iudicis auctoritas ſine citatione non ſufficit, ad priuandum aliquem ſua poſſeſſione.*

### DECISIO CCCLXV.

1. DOmini, cum præſuppoſito, quòd Carolus
Potenza non fuiſſet legitimè citatus, dixe-
runt, mandatum de manutenendo ei conceſſum
non fore reuocandum. * quia licèt, ſi Clemens
Catena ingreſſus fuiſſet poſſeſſionem, iuſtifica-
tis iuſtificandis, Carolum ſua poſſeſſione priuaſ-
ſet. Angelus, & alij *in l. qui vniuerſas. §. item cùm*
*prætor. ff. de acquir. poſſeſſ.* nihilominus vlteriùs
requiritur legitima citatio; Zucchardus *in l. fin.*
*num.*166. *C. de edicto diui Adrian. tollen.* & fuit de-
ciſum, in vna Pennen. † & Adrien. beneficio-
rum die 4. Iulij 1584. nec ſufficit ſola iudicis au-
ctoritas; an autem in hoc caſu ſufficeret cita-
tio per affixionem, neque enim de alia cita-
tione perſonali conſtabat, particulariter volui
videre.

* hæc deciſio fuit confirmata infrà dec.368.

† habetur in impreſſis diuer.p.1. dec. 802. n. 2. & fuit dictum in Bracharen. Archid. 31. Martij 1628. coram Coccino & Lud. dec.46. n. 6. & 7. & infrà in d. deciſ.368.n.1.

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Lunæ 10. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Teſtator ſi dicat, vt admittantur aliqui de proſapia, ac progenie, idem eſt, ac ſi dixiſſet de familia.*

2 *Tranſuerſalis dicitur de progenie, & familia contentiua.*

3 *Verbum,* familia, *ſeu* progenies, *ſi ſit reſtrictum ad aliquam perſonam, ſolùm intelligitur familia reſtricta.*

4 *Familiæ nomen, in genere prolatum, comprehendit omnes de proſapia.*

5 *Verbum,* de proſapia, *in diſpoſitione poſitum, agnationem ſignificat.*

6 *Dictio,* ſeu, *quandoque accipitur pro, id eſt, & ſtat copulatiuè, num.*7.

8 *Probatio in genere, ad probandum gradus, non ſufficit, ſed requiritur ſpecifica.*

9 *Probatio generica pro gradibus probandis, non concludit.*

10 *Graduum probatio, non eſt neceſſaria, ſi ſint vocati tantùm conſanguinei.*

11 *Conſanguinitas probatur per reputationem, & famam.*

12 *Probatio conſanguinitatis eſt difficilis probationis.*

### DECISIO CCCLXVI.

PRopoſita cauſa ſuper eiſdem, Domini ſtete- 1.
runt in deciſis; die 15. Nouembris an. 1593.
* cùm enim teſtator diſpoſuiſſet quòd Preſby-
ter admittendus ad hanc Capellaniam eſſet de
proſapia, & progenie illorum de Platono, ideo-
que perinde eſſet, ac ſi dixiſſet de familia, Fran-
cus *in cap. ſi pater, num.*110. *verſ. quintò, quid ſi fiat,*
*de teſtament. lib.* 6. Pariſius *conſil.*51. *num.* 11. &
*conſil.*93. *num.*33. *lib.*2. conſequebatur, vt vigore
prædictorum verborum, nedum contineretur fa-
milia, & progenies effectiua, & generatiua, ſed 2.
etiam contentiua, * quales ſunt tranſuerſales.
Gabriel *conſil.*132. *num.*58. *lib.*1. & R.P.D. meus
Mantica *lib.*8. *vltimar. volunt. tit.*12. *num.* 12. &
*ſequent.*

* ſuprà deciſ.333.

* adde Seraphin. deciſ. 1438.num.4. Rotam rec. p.2.dec.707. num.2.

Quibus non refragabantur Corneus *conſ.*317.
*num.*3. *lib.*3. & Socinus iunior *conſil.* 97. *num.*68. 3.
*lib.* 2. quia loquuntur quando verbum, *familia,*
vel *progenies*, eſt reſtrictum ad aliquam perſo-
nam; in caſu autem propoſito non erat reſtri-
ctum ad certam aliquam perſonam, ita vt fun- 4.
datoris tantùm deſcendentes comprehenſi vi-
derentur, ſed in genere vocabantur, qui forent
de proſapia, & progenie illorum de Platono, &
propterea dicebatur comprehenſus iſte Franci-
ſcus Platonus, quamuis eſſet de tranſuerſalibus,
vt præter citatos, in illa deciſione, tradit etiam
Berous *conſ.*6. *num.*10. *lib.*2.

His præterea accedebat, quoniam illa verba, 5.

de progenie illorum de Platono, agnatos & domum de Platono ſignificant, Rolandus *conſ.* 70. *num.* 26. *& ſeq. lib.* 3.

Dicebant quoque Domini, ſuperiora reddi magis præſpicua, ex eo quòd poſt illa verba, *de proſapia, & progenie illorum de Platono*, ſubſequebantur illa, *ſiue dictorum patronorum.* quibus (ne eſſent otioſa) indicabatur, quòd in præcedentibus, nempe *illorum de Platono*, erant comprehenſi omnes de familia; cæterùm quia poterat dubitari, an appellatione illorum de Platono, veniunt illi de propria progenie Patronorum; ideo augmentatiuè, & disiunctiuè fuerunt addita illa verba, *ſiue de progenie dictorum patronorum*, iuxta tradita per Socinum *conſil.* 64. *num.* 12. *lib.* 1.

6. Neque obſtabat, quòd dictio *ſeu*, quandoque
7. accipiatur pro dictione, *ideſt*, & ſtet copulatiuè, quia id procedit,* quando ponitur inter res, ſecus ſi ponatur inter perſonas, Apoſtilla *ad Abbatem in cap. inter cæteras, de reſcript.*

* de hoc art. vide Couarr. lib. 2. variar. c. 5. n. 10. circa medium.

Qualis autem probatio requireretur in propoſita facti ſpecie, difficultas tollebatur, diſtin-
8. guendo duos caſus, primus eſt quando à lege, vel ſtatuto, vel ab homine poſtulatur probatio conſanguinitatis, aut alterius qualitatis inter certos gradus, & tunc, non ſufficit probatio in genere, ſed in quacumque materia, requiritur probatio ſpecifica per certos gradus. Ancharanus *conſ.* 52. incip. *Pro clariori deciſione, num.* 7. *&* 8. Alexander *conſ.* 82. *in fine lib.* 1. Natta *conſ.* 388. *num.* 3. *lib.* 2. Alciatus *de præſumpt. regula* 1. *præſumpt.* 28. *num.* 9.
9. probatio enim generica ſine computatione certorum graduum non concludit, cùm contingere poſſit, aliquem eſſe conſanguineum, ſed extra illum gradum, ſeu gradus requiſitos. Tiraquell. *de retractu lignagier.* §. 1. *gloſſ.* 16. *num.* 4.

10. Alter caſus eſt, quando non habetur ratio certi alicuius gradus, vel deſcendentiæ, ſed ſufficit, quem eſſe conſanguineum, ſine gradus præfinitione, & tunc ſatis eſt probare ſe ſimpliciter conſanguineum, quamuis nullus gradus diſtinctè probetur, Ancharanus *dicto conſil.* 52. Alexander *conſil.* 81. *lib.* 1. Fulgoſius *conſil.* 184. *num.* 1.

11. In hoc articulo, in quo nulla certi alicuius gradus probatio requirebatur, teſtes pro Franciſco Platono inducti, in genere ſatis probabant, per reputationem, & famam eum eſſe de familia
12. Platonorum, quam probationem ſufficientem cenſuit Rota, in materia conſanguinitatis,* quæ cùm ſit difficilis probationis, ſufficiunt in eas probanda indicia, coniecturæ, & præſumptiones. Alexander *conſil.* 90. incip *In cauſa, num.* 12. *lib.* 6. Decius *conſil.* 595. *num.* 1. Iaſon *conſil.* 114. *num.* 20. *lib.* 1. Aretinus *conſil.* 37. *num.* 2. *verſ. venio igitur.* Albenſis *conſil.* 6. *in fine lib.* 1. *& conſil.* 83. *num.* 7. *lib.* 1.

* vt per Seraph. deciſ. 578. Rot. rec. p. 2. dec. 17. num. 2.

## *Balneoregien. bonorum.*

### Die Lunæ 10. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Probatio intentionis eſt neceſſaria in actis, vt exequi poſſit, quod petitur.*

## DECISIO CCCXLVII.

Dixerunt Domini, cedulam cccxx. ſcutorum, non fuiſſe conſignandam D. Octauiæ 1.
Vrſinæ de Mareſcottis, ſi conſtabat Vecinum Vrſinum, & Iuliam Farneſiam coniuges, habuiſſe quinque filios, videlicet Corradinum, Horatium, Martium, Fauſtinam, & Octauiam: nam cùm reſpectu ſcutorum octo millium, inter fratres diuidendorum, portio D. Octauiæ eſſet ſcutorum 1600. quæ ſibi iam fuerant perſoluta, non erat aliquid amplius ei conſignandum. Cæterùm, licèt notum eſſet, præfatos quinque filios extitiſſe, quia tamen non conſtabat id ex actis, fuit dictum, quòd D. Corradinus id in actis conſtare faceret, cùm ille ad euitandam cedulæ con- 2.
ſignationem eo fundamento niteretur. Iaſon *in l.* 15. *poteſt, num.* 85. *ff. de acquirend. hæredit.* Ruinus *conſil.* 154. *num.* 4. *lib.* 3. Tiraquellus *de retractu lignagier.* §. 11. *gloſſ.* 1. *num.* 9.

## *Auellina, ſeu nullius reſciſſionis concordiæ.*

### Die Mercurij 19. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Concordia correſpectiua partium, ſi non habuit effectum reſpectu vnius, non ſubſiſtit.*
3 *Correſpectiuus contractus ſi deficit in vno, corruit.*
4.5 *Colonus impeditus facto tertij, vti re locata, locator, licèt non teneatur ad damna, tamen non poterit conſequi mercedem locationis.*

## DECISIO CCCXLVIII.

Cum occaſione vnionis factæ, per fel. record. Leonem X. de congregatione Mon- 1.
tis Virginis, Hoſpitali Annuntiatæ Neapolitanæ, inter Monachos, & hoſpitale Annuntiatæ lites ortæ fuiſſent, tandem anno 1567. ad hanc concordiam deuenerunt, vt monaſteria congregationis *num.* 53. *ad* 18. reducerentur, & monaſteriorum ſupprimendorum, ſeu profanandorum bona, eidem congregationi in eius vſus conuertenda, applicarentur, & penes Hoſpitale remanerent quædam bona notabilis valoris dictæ congregationis, quæ vigore concordiæ, hodie retinet hoſpitale.

Cæterùm, quia profanatione non ſecuta, Monachi prætendebant, ſe grauiter læſos ab adminiſtratoribus Hoſpitalis, qui cauſam in Rota commiſerant, ſæpe citatis, & non comparentibus decreto proceſſu per Audientiam contradictarum, dubitaui, an dictæ concordiæ foret ſtandum, vel ab illa potiùs recedi poſſet. Et Domini præſuppoſito, quòd Monachi vetantibus Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII. Monaſteria prophanare non potuerint, cenſuerunt à concordia recedere potuiſſe, cùm enim iſta capitula concordiæ, quo bona Monaſteriorum, & Prioratuum prophanandorum, deberent eſſe libera, aliorum 18. Monaſteriorum, remanentium in congregatione, & quòd penes Hoſpitale remanerent etiam libera alia bona inſignis quantitatis, &
valoris, fuerint adinuicem correſpectiua, facta 2.
videlicet



2. videlicet in continenti, * & in eadem ſcriptura, ſiue concordia. Baldus *in l. petens num.* 54. vbi etiam Decius *C. de pact.* idem Decius *conſil.* 245. *num.* 5. *& conſil.* 279. *num.* 7. Natta *conſ.* 115. *num.* 2. *lib.* 1. ſi concordia non habuit effectum, reſpectu bonorum monaſteriis remanentibus applicandorum, ex quo alia monaſteria non fuerunt ſuppreſſa, & profanata, neque locum dicebatur habitura, reſpectu illorum, quæ Hoſpitali fuerunt conſignata, in correſpectiuis enim, † deficiente vno, alterum quoque, vt corruat eſt neceſſe, & conſequenter tota diſpoſitio, in correſpectiui-
3. tate fundata, euaneſcit. Alexander *conſil.* 111. *num.* 3. *lib.* 3. Crauetta *conſil.* 230. *num.* 2. Mohedanus *deciſ.* 313. incip. *In cauſa, & deciſ.* 332. incip. *Concordia fuit facta.*

* correſpectiuitas præſumitur ex vicinitate, & quod vnus factus fuit propter aliũ. Duran. deciſ. 11. n. 12. Caual. dec. 612. n. 24. Rota diuer. p. 1. deciſ. 491. n. 2.

† adde Caualer. deciſ. 64. n. 3. Rotam diuer. part. 1. dec. 677. n. 2. & infrà deciſ. 798. n. 3. & 812. n. 2. & 1379.

Nec refert, quòd non Hoſpitale, ſed Romani Pontifices, præſtiterunt impedimentum, ne monaſteria profanarentur, & ideo Hoſpitale, abſque culpa ſua non debere cadere à commodo concordiæ, quia reſpondebatur, quòd ſi Mona-
4. chi egiſſent ad aliquam pœnam, vel intereſſe, factum Pontificum abſque Hoſpitalis culpa proueniens, ſufficientem excuſationis cauſam potuiſſe Hoſpitali tribuere, ſed cùm Monachi non agerent ad hunc finem, ſed ſolùm prætenderent, concordiam euaneſcentem, pro parte ipſorum, non debere remanere firmam, ad fauorem Hoſpitalis in contractu correſpectiuo, bene poterat, abſque culpa Hoſpitalis, reſpectu eius euaneſcere. Antonius de Butrio *in cap. ſicut, l. finali, num.* 10. vbi Abbas *num.* 6. *de iureiuran.* Decius *in l. cùm proponas la* 2. *num.* 4. *C. de pact.* Purpuratus *in l. quod te num.* 56. *ff. ſi cert. pet.* Natta *conſil.* 50. *num.* 7. *lib.* 2. pro quibus faciebat Doctrina Bartoli *in l. ſi vno.* §. *item cum quidam num.* 3. *ff. locati.* vbi Baldus *num.* 1. *verſ. ſi factum tertij*, & Paulus de Caſtro
5. *num.* 3. nam ſi colonus fuit impeditus facto tertij, vti re locata, licèt locator non teneatur ad damna, & intereſſe, tamen poterit conſequi mercedem in locatione conuentam, atque ita Domini cenſuerunt.

Vellem tamen videre, an huic reſolutioni obſtet confirmatio concordiæ facta per fel. record. Pium V. iuxta deciſionem Creſcentij 186. incip. *Confirmatio Papæ*, aliàs eſt prima, *tit. de pact.* in impreſſis, quam vnus ex Dominis in contrarium allegauit.

## *Camerina ſucceſſionis.*

### Die Mercurij 19. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Statutum habens motiuum rationis, eſt æquum.*
3 *Statutum admittens maſculos excluſis fœminis, eſt æquum.*
4 *Statuta excludentia fœminas ad ſucceſſionem, licèt videantur odioſa, ſi ſint facta fauore agnationis, ſunt fauorabilia.*
5 *Statuta contra ius commune, ſunt illicita, & num.* 11. *&* 12.
6 *Statuta, quæ Dei, vel proximi offenſionem continent, aut peccatum nutriunt, ſunt illicita.*
7 *Agnationis paterna conſeruatio, reſpicit vtilitatem publicam.*
8 *Succeſſio non ita debetur collateralibus, ſicut deſcendentibus.*
9 *Filia patris dicitur agnata.*
10 *Statutum rationabile dicitur licitum, & honeſtum.*
13 *Statuta iuri communi contraria poſſunt condi, ſi non ſint contra ius diuinum naturale, vel bonos mores.*
14.15 *Confirmatio generalis non comprehendit ſtatuta contra ius.*

## DECISIO CCCXLIX.

Statuto Amerino, ſub titulo de ſucceſſoribus 1.
ab inteſtato cauebatur, vt deficiente filia, quæ fuit hæres patris, abſque filiis, in bonis patris ſuccedat patruus, vel eius filij, ſalua legitima hæredibus defunctæ debita. Dubitaui, an foret licitum, & honeſtum, ita vt comprehenderetur ſub Papali confirmatione, in qua aderat clauſula, *Dummodo ſint licita, & honeſta*, & cum cauſa propoſita die 15. Decembr. 1593. non potuiſſet capi reſolutio, & propterea Rota ordinaſſet, vt omnes Domini eam viderent, in hac propoſitione ſub die 19. Ianuarij 1594. Conformiter cenſuerunt, prædictum ſtatutum * eſſe licitum, & honeſtum, & conſequenter, intelligi confirmatum, regula enim conſtitui ſolet, quòd omne ſtatutum habens motiuum rationis, dicatur æquum, & rationabile. Iaſon *in l. ex facto num.* 9.
*verſ. confirmatur iſta pars ff. de vulgari & pupil.* Tiraquellus *tract. de vtroque retractu, in præfatione num.* 75. *verſ. ad id autem*, & conſequenter, hoc ſtatutum excludens fœminas propter maſculos, 2.
cùm dicatur conditum ex cauſa rationabili, fauore agnationis conſeruandæ, & validum, & licitum, & honeſtum videbatur, & ſic ſæpe Rota cenſuit, tum in cauſa Romana dotis de Marganis die 8. Iunij 1561. coram D. Reboſterio, tùm in illa Aſculana legitimæ die 19. ann. 1579. coram R.P.D. meo Blanchetto. 3.

* adde Caualer. dec. 583. n. 1. & 8. & Rotam rec. p. 2. dec. 461. n. 7. & 8.

Quamuis enim ſimilia ſtatuta ex capite excluſiuo fœminarum cenſeantur odioſa, nihilominus * quatenus reſpiciunt fauorem agnationis, quæ conſeruatur per maſculos, fauorabilia dicuntur, & publicam continere vtilitatem, Bartolus *in l. quemadmodum, num.* 4. *de agricolis, & cenſit. lib.* 11. *& in l.* 2. §. *exercitium, num.* 2. *ff. de his qui notan. infamia*, Decius *conſil.* 661. *num.* 2. *& ſeq.* Myinſingerus *in ſingularib. obſeruat. centuria* 6. *obſeruatione* 41. quinimo, quòd huiuſmodi ſtatutum ſit etiam fauorabile, & ex capite excluſiuo fœminarum contineat odium rationabile, defendit Curtius iunior *conſil.* 153.

* adde Rot. recen. part. 2. dec. 644. n. 2.

Neque hæc ſtatuta cenſentur illicita, ex eo 5.
quòd ſint contra ius commune, cùm omnes populi habeant poteſtatem talia ſtatuta condendi. *l. omnes populi, ff. de iuſtitia, & iure, l. in bello.* §. *manumittendo ff. de captiuis, & poſtl. reuers*, Lapus *allegat.* 100. *num.* 1. latiſſimè Albericus *tract. de ſtatutis part.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 10.

Illicitum verò foret, ſi Dei, vel proximi offen- 6.
ſionem contineret, aut peccatum nutriret, *Clement.* 1. *in principio*, vbi Ancharan. *notab.* 1. & Imola *notab.* 12. *de vſuris*, vel ſi eſſet contra bonos mores, & materiam tribueret delinquendi. Angelus *conſil.* 234. *num.* 5. *& conſil.* 323. *num.* 3. Signorolus *conſil.* 56. *num.* 4. *& ſeq.* Grauetta *conſil.* 229. *num.* 4.

In

In hac autem ſpecie ex multis videbatur licitum, primum enim diſponebat, quòd deficiente filia, quæ fuerat hæres patris abſque filiis, patruus, vel eius filij ſuccederent bonis patris, ſalua legitima hæredibus defunctæ, ex quibus apparebat, fuiſſe conditum, fauore agnationis
7. paternæ conſeruandæ, quod reſpicit publicam vtilitatem. * *l.1.§.penult. ff.de ventre inſpicien.* vt fuit reſolutum, & deciſum in illa Aſculana legitimæ; quam rationem, vt in familiis honor, & nobilitas per diuitias conſeruetur, latè deduxit Angelus *conſil.221.num.2.& conſil.389.num.1.* Corneus *conſil.* 224. *num.* 6. *& ſequent. lib.* 2. *& conſil.*271. *num.*6. *lib.*4. Alexand.*conſil.*52.*num.*4. *lib.* 4.

* de hoc art. vide Rotam recen part. 1. dec. 104. Ludou. dec. 63. n. 14. Rotam diuer. part. 2. dec. 110. n. 12.

8. Item, quia hoc ſtatutum loquebatur limitatè, quando filia decedebat ſine filiis, quo caſu, non agebatur de aliquo præiudicio deſcendentium, ſed collateralium; quibus non ita debetur ſucceſſio. *l.2. & 3. ff.de inoffic.teſtam.*

9. Reſtringebatur præterea ad ſucceſſionem in bonis, quæ fuerant patris, atque ita reſpicit ad conſeruandam agnationem patris, * cuius filia, dicitur agnata fratri ipſius patris, qui dicitur patruus; vnde eſt ei coniuncta, per virilem ſexum. *§.cæteri, Inſtit. de legitima agnat. ſucceſſio. verſ. & hec quidem lex 12.tabular.* Socinus ſenior *conſ.*191. *num.*6. *& conſil.*227. *num.*4. *&* 5. *lib.*2.

*de hoc art. vide Ludou. dec.464.n.9. & ſeq.& Duran.dec.36.

10. Poſtremò, idem ſtatutum præſeruabat hæredibus filiæ legitimam, ſibi debitam in bonis patris, vnde non poterat cenſeri irrationabile, & conſequenter neque illicitum, aut inhoneſtum.

11. Nec prædictis obſtabat auctoritas Baldi *conſil.*83. incip. *Præmitten. eſt, lib.*5. quia Baldus loquebatur in caſu longè diuerſo, videlicet in ſtatuto excludente matrem à legitima, ſeu quando mater in totum excluditur à ſucceſſione * filij, vel filiæ, propter collaterales, ſicuti etiam non obſtare dixerunt Domini, quòd hoc ſtatutum eſſet correctorium iuris † communis, aut ei contrarium. *l.maximum vitium, C. de liber. præterit. l. lege 12.tabularum.C.de leg hæred.* aut ei deroget, n ordinem ſuccedendi, cùm excludat ſorores propter patruos, & agnatos tranſuerſales, qui ſunt remotiores, quia præterquam quòd non eſt iure
12. prohibitum condere ſtatutum iuri communi contrarium, (vt paulo antea dictum fuit, & docet
13. latè Albericus *tract.de ſtatut. part.* 1. *quæſt.*7.) & hoc ſtatutum fuerit factum à populo ſubiecto, cùm Principis auctoritate non eſſet contra ius diuinum, vel naturale, vel bonos mores, nec nutritiuum peccati, nec aliquam delinquendi occaſionem præberet, quinimo reſpiceret publicam vtilitatem, neque illicitum, neque inhoneſtum cenſeri poterat, maximè cùm ſtent iſta ſimul, quòd diſponat contra ius commune, & nihilominus ſit rationabile, & honeſtum. Gabriel *in cap. vltimo. §.licet, num.*18. *verſ. alleganti ergo, de conſuetud.* Marcus Salon *ad leges Tauri in relectione l.prima num.*331. *&* 332.

* de hoc art. vide Ludou. dec.495.

† ſtatutum enim infra diſpoſitioné legis fieri poteſt. Rota recen part.2. dec.121.n.3.

Deciſio in cauſa Vrbeuentan.caſtrorum, non poterat huic caſui applicari, nam ibi tractabatur de excluſione filiarum legitimarum, & vocabantur ſpurij, quod propterea videri poterat illicitum, quia præbebat occaſionem delinquendi, & eodem modo, reſpondebatur ad dicißionem in cauſa Montis Falaſci hæreditatis, quæ tota fundabatur in deciſione Vrbeuentan. caſtrorum.

14. Denique dicebatur, quod licèt generalis confirmatio non comprehendat ſtatuta contra ius, id poterat procedere, quando confirmatio eſſet ſimplex; ſecus verò ſi haberet aliquam clauſu-
15. lam ſpecificatiuam, qualis erat in hac confirmatione, illa videlicet, *quatenus ſint licita, & honeſta,* quia tunc ad effectum, vt ſtatutum intelligeretur confirmatum, ſufficiebat quòd eſſet licitum, & honeſtum, licèt eſſet contra ius.

---

## *Vlyſbonen. bonorum.*

### Die Veneris 28. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Actore nihil probante, reus eſt abſoluendus.*
3 *Lis calumnioſa dicitur, ſi intentatur de eo, qui non contraxit.*
4 *Læſio non conſideratur in eo, qui profitetur paupertatem.*
5 *Diſponere poteſt ingreſſurus religionem, de bonis ad ſe pertinentibus.*
6 *Religionem ingreſſus poteſt diſponere de bonis ad ſe pertinentibus.*
7 *Reſcriptum conditionale efficit, vt ſi procedatur in cauſa, non verificata conditione, ſit nullum, quidquid fit.*
8 *Expenſæ de iure regulariter non ſunt ſubminiſtrandæ actori per reum.*
9 *Rotæ arbitrium intelligitur pro vt de iure.*

## DECISIO CCCL.

DVæ filiæ Ægidij Coſtæ competenter dotatæ anno 1542. ingreſſæ Monaſterium de 1.
Almoſter, oppidi de Santaren. menſe Ianuarij eiuſdem anni, habita conſideratione ad multa bona opera, quæ Ægidius monaſterio fecerat, & quod partem dotis filiabus aſſignatæ eidem donabat, quamuis contigiſſet, filios ante poſſeſſionem emiſſam intra annum mori, conuentualiter congregatæ renuntiauerunt omni iuri ſuccedendi in bonis eiuſdem Ægidij patris, licèt legitima excederet dotem datam. Hunc contractum eodem anno cum inſertione tenoris in forma gratioſa, ſummus Pœnitentiarius, cum clauſula, *ſublata,* confirmauit, & iterum Abbatiſſa, & Conuentus ratificauit, & anno mox ſequenti 1543. de partium conſenſu, executa fuit ſententia pro illius obſeruatione, per executorem in litteris deputatum, & iterum ann.1551. eædem filiæ, expleto probationis anno, in actu proceſſionis emittendæ, item Abbatiſſa, & Moniales, totuſque Conuentus aſſerentes eſſe in euidentem Monaſterij vtilitatem, eundem contractum ratificarunt, & vſque ad annum 1588. nihil oppoſuerunt, donec tunc mortuo præfato Ægidio, moderna Abbatiſſa, & Moniales, donatione irreuocabili inter viuos, ceſſerunt, & donarunt omne ius eis competens ſuper legitima iſtarum filiarum, in bonis relictis per Ægidium, earum patrem, Ioanni Acoſtæ, qui promiſit propriis impenſis litem proſequi, cum pactione de certa quantitate conſequenda, ſi victoriam in iudicio reportaret, cauſa primùm in partibus tractata, & deinde in Rota introducta, bon.mem. Bubalus contra Moniales, & ad fauorem



rem Ioannis Maſcareñas, & Mariæ Acoſtæ coniugum, ex eo quòd non probaretur aliqua læſio, pronuntiauit; in altera inſtantia coram me, ad probandam enormiſſimam læſionem, Moniales die 7. Ianuarij ann. 1591. * Remiſſoriam obtinuerunt, ſed obtentis pluribus prorogationibus, durantibus vſque ad menſem Iunij 1592. deinde non curarunt vlteriùs prorogari,
2. nec in actis docuerunt, ſe feciſſe aliquam diligentiam ſuper illius executione, vnde quia cùm vellem ſententiam primæ confirmatoriam ferre, agentes pro Monialibus oppoſuerunt de nullitate primæ, ideo dubitaui, an ſententia Rotalis eſſet confirmanda, vel infirmanda? & Domini dixerunt fuiſſe validam, & confirmandam; nam cùm Moniales agerent ad reſciſſionem contractus, prætextu enormiſſimæ læſionis, &
3. hactenus nil probauerint, Ioannes Maſcareña, & Maria Acoſta rei † conuenti, & poſſeſſores meritò erant abſoluendi. *l.qui accuſare.C.de eden.* Caſſad. *deciſ.*5.*num.*4.*de reſtit.ſpoliat.* Rota *deciſ.*4.*num.*2. *de re iudic. in nou.* & eo magis, quia ex quo lis fuerat mota, non per Moniales, ſed per Ioannem, cum quo pactum fuerat de quota litis, ea calumnioſa videbatur, *l.per diuerſas, & l.ab Anaſtaſio, C.mandat.* maximè cum conſideratis circunſtantiis contractus, & conditionibus, quibus viuente patre fuerat paternæ hæreditati renuntia-
4. tum, * nulla talis læſio, quæ annullaret contra-
5. ctum, probari poſſe videretur, cùm verſaremur in his, quæ religionem erant profeſſæ, quarum reſpectu, quia paupertatem profitentur, non poterat læſio conſiderari. Couarr. *in cap. quamuis pactum, part.*3.*§.*2.*num.*5.*de pactis, lib.*6. Dec.*conſil.*31.*n.*5.*verſ.vltimò non obſtat.* Aymon *conſ.*160.
6. *num.* 1. Molina *de primogenijs Hiſpanorum, lib.*2.
7. *cap.* 3. *num.* 27. Ceſſabat etiam læſio reſpectu Monaſterij ex quo licitum eſt ingredienti, ante ingreſſum de rebus ſuis, ad ſe pertinentibus diſponere, † *Authentica de Monachis. §.illud, cap. ſi qua mulier* 19.*quæſt.fin.* Lapus *alleg.*25. *num.*3.

* ſuprà deciſ.133.

† addę Caualer.deciſ. 98. n.2. & 523. n. 1. Rotam recen.part.2. dec.461.n.6. & aliàs ſæpè infrà deciſ. 648.n.2.

* renuntiatio enim facta intuitu ingreſſus in religionem non reſcinditur prętextu cuiuſque enormiſſimæ læſionis, vt per Duran. dec.121.n.14.

† de hoc art. latè diſſerit Sanch. in prę cepta Decalog. lib.7. cap.3.

*& ſi reſcriptum ſit conditionale ante ratificationem non poteſt procedi in cauſa Ludou.deciſ. 1.n.2.& 3.

Nullitas quæ opponebatur ſententiæ latæ per D. Bubalum, ex eo quòd fuerat commiſſa, cum clauſula, *ſubminiſtratis expenſis,* arbitrio Ro-
8. tæ; quaſi ille ablatiuus abſolutus faceret conditionem, * & ideo non ſubminiſtratis expenſis, careret iuriſdictione, ex quo in illa inſtantia nullæ fuerant ſubminiſtratæ, tollebatur ex eo, quòd reſcriptum de decernendis expenſis, non fuerat præciſum, ſed cum clauſula, *arbitrio Rotæ,* cui tunc non fuit viſum expenſas ſubminiſtrare, cùm de iure † actori per reum ſubminiſtrari regulariter non debeant, & præſertim receptori litis, maximè cùm arbitrium Rotæ, intelligatur
9. pro vt de * iure, Cæſar de Graſſis *deciſ.* 101.*n.*2. Pariſ.*conſil.*56. *num.*5. *lib.*1.

† adde Duran.dec.163. n.2.& de hoc art. vide Ludou.dec.189. n. 3. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, & infrà deciſ. 1055.

* adde Duran. deciſ. 5. n.3. & 60. n. 1. & 78. n.2. & 98. n... & ita paſſim declarauit Rota, vt per Ludou.deciſ. 189. n.3. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Quòd verò coram me aliquot expenſæ fuerant aliquando ſubminiſtratæ, id potius fuit ex benignitate, quàm de rigore.

---

## *Conchen. Archipresbyteratus.*

### Die Veneris 28. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Actor intentans aliquam qualitatem exiſtere in beneficio, tenetur illam probare.*
3 *Confeſſio ſolicitatoris non præiudicat principali abſenti.*
4 *Cura iuriſdictionalis facit beneficium curatum ad effectum inducendi incompatibilitatem.*
5 *Beneficium curatum dici non poteſt, quòd non habet reſidentia.*
6 *Confeſſio vt præiudicet confitenti, debet eſſe certa, & concludens.*
7 *Cura iuriſdictionalis poteſt eſſe talis, quæ non inducat incompatibilitatem.*
8 *Notarij aſſertio non meretur fidem, niſi ſit facta præcedente iuramento, & parte citata, & à partis rogatione.*

## DECISIO CCCLI.

QVæſiui, an probaretur, hunc Archipreſbyteratum habere curam iuriſdictionalem, ad effectum, vt per aſſecutionem dimidiæ portionis in Eccleſia Conchen. inducta fuiſſet illius vacatio, & quamuis die 10. Maij † præteriti fuiſſet tentum pro vacatione, ex confeſſione facta in precibus, pro obtinenda gratia portionis, nihilominus die 25. Iunij, * cauſa iterum diſcuſſa, fuit dictum, quòd Amoraga meliùs id probaret; in hac ergo propoſitione, vtraque parte informante, Domini cenſuerunt, ex deductis non probari, Archipreſbyteratui imminere talem curam iuriſdictionalem, quæ faceret incompatibilitatem, primum enim dicebatur, Amoragam debuiſſe plenè, & concludenter probare hanc qualitatem incompatibilitatis, cùm ageret * opponendo obiectum Hieronymo aduerſario, & niteretur illum priuare. Mohed. *deciſ.* 160. Puteus *dec.*6.*de probat.* Sarnen *in regul.de infirm.reſignant. quæſt.*36.

1.

† ſuprà deciſ.303.

* ſuprà deciſ.315.

2.

* adde Rot. recen.part.2. dec.179.n.3. vbi ad propoſitum pręſens dec. allegatur & Mãt. dec.307.n.3.

3.

† confeſſio enim procuratoris, principali nocere non poteſt, præcipuè ſi ſit de re, quæ non ſit in poteſtate confitentis, vt per Coc.dec. 84. n.7.& 318.n. 4. vbi ad propoſitũ præſẽs deciſio allegatur; & talis confeſſio poteſt reuocari, etiam non docto de errore. Cocc. dec.186.n.1.

* confeſſio tertij quæ aliàs non prętudicaret, quando præiudicet vide Ludou.deciſ. 506. Duran. dec.266.n.7. & ſeq.

† confeſſio facta in cõmiſſione, pręiudicat confitenti ſi illa vſus fuerit, vt in terminis vnionis tenuit Rota in vna Auellina vnionis impreſ. penes Marcheſ. de com.p.1.pag. 145. Dur.deciſ.212.n.25.

Hanc concludentem probationem dicebant Domini non poſſe deſumi, ex confeſſione † facta in precibus pro obtinenda portione, quia illa confeſſio non erat Hieronymi principalis, ſed ſolicitatoris, quæ non poterat † præiudicare principali abſenti, maximè ſi ſit reuocata. Mohed.*deciſ.*257.& præſertim, quando eſt de rebus, quæ non ſunt in poteſtate confitentis, vt de confeſſione † vnionis Eccleſiæ, dicit Achill. *deciſ.*4. *confeſſ.* & licèt impenſa faciat gratiam præſumi impetratam, ad inſtantiam principalis, nec poſſit venire contra confeſſionem ſui Procuratoris, quando principalis fuit vſus gratia, dicta tamen confeſſio, & acceptatio non facit, quòd omnes clauſulæ appoſitæ in gratia ſint tales, quales Procurator expreſſit, præſertim quando qualitas expreſſa habet dubium iuris; vt in caſu propoſito, vtrùm iſta cura iuriſdictionalis ſit talis, quæ cauſet incompatibilitatem

4.
Præterea, tametſi omnis cura iuriſdictionalis, ſiue ſtricto, ſiue largo modo ſumptæ, faciat beneficium curatum * ad effectum inducendæ incompatibilitatis. Abbas *in cap.dudum lo* 2.*num.*8. *&* 10. *de elect.* gloſſ.*in Extrauag. Execrabilis, in verb.animarum cura, & verb.viſitare el* 1.*de præben.* nihilominus talis cura iuriſdictionalis † debet facere beneficium curatum, quæ qualitas mox poterat colligi ex prædicta confeſſione, cùm in ea adderetur, quòd Archipreſbyteratus iſte reſidentiam non requireret, inde enim ſequebatur, non poſſe dici curatum, * cùm omne beneficium curatum requirat reſidentiam. Anchar. *conſil.*17. *num.*1. Canoniſtæ *in cap. fin. de cler. non reſident.*

* de materia huius art. vide Lud. dec. 387. & Rot. rec. p.2. dec. 52. vbi latè dicitur quãdo beneficiũ ſit curatũ & quid requiratur ad hũc effectum.

† adde Cau. dec.164.n.3. & 4. & infrà dec.1337.

*adde Mant. dec.250.n.2. & habetur in recen.part.2. deciſ.7.

6. *reſident*. Vt autem confeſſio pręiudicet confitenti, debet eſſe certa, & concludens, aliàs enim ad fauorem confitentis eſt interpretanda. *l. ſi quis intentione ambigua*, vbi Baldus *ff. de iudic.* Dec. *in cap. cùm venerabilis, num.* 105. *verſ. non obſtant allegata in contrarium de exceptionib.* Pariſ. *conſ.* 115. *num.* 16. *lib.* 1. & huic interpretationi fauebat deciſio ſacræ Congregationis Concilij Tridentini, qua dicebatur ſimplex eſſe beneficium Archipreſbyteratus, licèt habeat aliquam iuriſdictionem, dummodo reſidentia in eo non ſit neceſſaria.

Atque eodem modo reſpondebatur ad aliam confeſſionem, contentam in inſtrumento adeptæ poſſeſſionis, in qua licèt Procurator Hieronymi peteret, ſibi dari fidem, quod Archipreſbyteratus haberet curam iuriſdictionalem, non tamen confitebatur, illam eſſe talem, quæ induceret incompatibilitatem, (vt ſuprà dictum fuit) cùm ſimul hæc ſtare poſſint, quòd Archipreſbyteratus habeat curam iuriſdictionalem, & quòd illa non ſit talis, vt faciat illud incompatibile.

7. Quam qualitatem ſimiliter non probabat fides Notariorum aſſerentium, Archipreſbyterum de Huete habere iuriſdionem ordinariam in cauſis ciuilibus cuiuſcunque qualitatis, & in criminalibus, vſque ad capturam, & ponendi interdictum, quia præterquam quòd iſtæ atteſtationes Notariorum erant factæ ſine iuramento, 8. & parte non citata, quæ propterea non merebantur fidem; dicebatur etiam, Notario non credi, niſi de iis, de quibus fuit rogatus * à partibus, Felin. *in cap. quoniam contra, num.* 35. *de probat.*

* adde ſuprà dec 257.n.5. & ibi addidi.

Atque ex his cenſuerunt Domini, non probari talem iuriſdictionem, quæ eſſet ſufficiens, ad inducendam incompatibilitatem. Alia enim fundamenta tacta per informantes, non adeò tuta putabantur.

---

## *Sancti Marci Abbatiæ Sancti Cyriaci.*

### Die 31. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio triennalis, ad effectum iuſtificandi reſignationem, quæ ſuffragatur reſignanti, proficit ſucceſſori.*

3 *Reſignatio beneficij poſſeſſi, vt curati valet, etiamſi in ea non exprimatur talis qualitas.*

4 *Poſſeſſio beneficij habita per aliquot annos, inducit præſumptionem tituli validi.*

### DECISIO CCCLII.

1. PErſius Martoranus, die prima Iulij 1567. per reſignationem D. Cardinalis Sabelli, fuit prouiſus de hac Abbatia Sancti Cyriaci, diœceſis Sancti Marci, nulla facta mentione, quòd eſſet Eccleſia Parochialis, quam cùm poſſediſſet vſque ad annum 1576. tunc illam Perſius reſignauit, ad fauorem Ioannis Simonis, ſed quia ann. 1572. menſe Auguſto, quidam Angelus Moſcatellus eandem Abbatiam, tanquam certo modo vacantem, ob quandam prætenſam priuationem Perſij, in contumaciam propter homicidium impetrauerat, & litteris non expeditis, eodem menſe ad fauorem Ioannis Thomæ Capani, in manibus Papæ reſignauerat, lite introducta coram Ordinario, qui ad fauorem Capani pronuntiauerat, & deinde commiſſa in Rota, Perſius anno 1576. Abbatiam ceſſit Ioanni Simoni Gerardo, qui illius poſſeſſionem accepit die 23. Maij 1577. & cum Capano litigauit, & tres ſententias Rotales ad ſui fauorem contra Capanum reportauit, & cùm petita, & obtenta in integrum reſtitutione coram me repetiſſet cauſam, & diſputatis aliquot dubiis, & contra ipſum reſolutis, tandem obtinuiſſet diſputari, an conſtaret, quòd tempore impetrationis gratiæ, *ſi neutri*, videlicet ann. 1576. quam ſibi concedi Capanus obtinuerat, Abbatia vacaret, Domini negatiuè reſponderunt, 2. quia ſi haberetur reſpectus ad perſonam Cardinalis Sabelli, primi reſignantis, ſi ille fuit triennalis poſſeſſor, reſpectu ipſius intrabat allegatio * Lapi, Caſſador. *dec.* 2. *& 3. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* & tunc eadem allegatio Lapi, quæ ſuffragabatur ſucceſſori, Mohed. *deciſ.* 22. aliàs 241. incip. *Circa intellectum*, reddebat tutum Perſium, ad effectum, vt validè potuiſſet reſignare.

* adde Lud. dec.37.n.6.

Quod verò Cardinalis Sabellus in reſignatione enuntiauerit hanc Abbatiam tanquam ſimplex beneficium, & propterea non poſſe dici, eum poſſediſſe illam tanquam curatam, non impediebat effectum allegationis Lapi, quia dicebant Domini, ſimul hæc potuiſſe concurrere, quòd Cardinalis poſſederit, tanquam curatam, & quòd in reſignatione, illam qualitatem non expreſſerit; allegatio enim Lapi operatur, vt non obſtante quacunque productione, præſumi ſemper poſſit alius titulus validus, præter productum, Sarnen. *in reg. de trienn. quæſt.* 10. *num.* 24. *verſ. ſecus tamen eſt.* Ant. Auguſtinus *in epitome tit. de allegat. Lapi, num.* 3. Caſſador. *deciſ.* 3. *num.* 7. *de procurator.* 3.

Quòd ſi haberetur reſpectus ad reſignationem Perſij reſignantis, ad fauorem Ioannis Simonis, difficultas etiam tolli videbatur ex pacifica Perſij poſſeſſione per aliquot annos, ex qua etiam reſultabat præſumptio tituli validi, ex eadem allegatione Lapi, etiam ad commodum ipſius reſignatarij. Sarnen. *de triennal. d. quæſt.* 10. *num.* 24. *verſ. ſecus tamen eſt.* 4.

Vnde cùm ex nunc deductis non videretur de tempore impetrationis gratiæ, *ſi neutri*, Abbatiam vacaſſe, neque ex deductis ſub die 4. Decembr. 1591. * nam Dominis placuerunt fundamenta deciſionis tunc factæ coram me, non putauerunt recedendum à tunc deciſis.

* ſuprà dec. 192. vbi aliquas dec. annotaui.

---

## *Neapolitana cenſus.*

### Die Lunæ 31. Ianuarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Creditores duo, quibus eadem res eſt obligata, ſi ſecundus ſoluit primo ſuum debitum abſque pacto, ſuccedit in eius locum.*

3 *Solutione debiti facta ab extraneo, tunc ſuccedit iſte in locum creditoris, ſi adſit pactum, & non aliter.*

5 *Scientia creditoris primi eſt neceſſaria, vt ſecundus ſuccedat in locum eius, in ſolutione.*

6 *Scientia eſt neceſſaria, vt adſit conſenſus.*





### DECISIO CCCLIII.

1. IN hac cauſa fuerunt factæ multæ reſolutiones * contra D. Abbatem Paulutium, quibus cum ægrè vellet acquieſcere, ex benignitate fuit ſibi conceſſum diſputari dubium, quod petierat, an ſcilicet in caſu de quo agebatur, eſſet ſecundus creditor, vel ſecundus mutuans.

* ſuprà dec. 297. 386. & 346.

Caſus autem talis erat, de ann. 1576. Dominus Antonius Portius, nunc Epiſcopus Monopolitanus, tanquam Procurator Camilli ſui fratris, vendidit Lucretiæ Boccaplanulæ annuum cenſum ducatorum 90. pro ducatis mille ſuper quadam domo dicti Camilli, & pro maiori ſecuritate Lucretiæ Antonius tam pro pretio, quàm pro euictione domus in perpetuum ſe principali nomine obligauit, & de anno 1578. Camillus, ſuam conditionem meliorem efficiendo, reducendo cenſum ad rationem octo cum dimidio pro centenario, vendidit ius luendi ſibi reſeruatum pro eodem pretio ducatorum mille Iuliæ Staibanæ, cum pacto expreſſo, vt ipſa ſuccederet in iuribus, & actionibus Lucretiæ competentibus, & de anno 1579. idem Camillus reducendo prædictum cenſum ad rationem octo tantùm pro centenario, vendidite idem D. Abbati Paulucio annuum cenſum ducatorum centum, ſuper eadem domo, pro pretio ducat. 1250. eo addito pacto, vt ducati mille deberent remanere in banco, vt ſoluerentur Iuliæ Staibanæ, priori creditrici, ad effectum, vt Abbas Paulutius ſuccederet in locum, gradum, iura, & actiones dictæ Iuliæ, & de eodem anno 1579. prædictæ pecuniæ fuerunt ſolutæ Iuliæ Staibanæ, priori creditrici, quæ confitebatur in inſtrumento retrouenditionis factæ Camillo, ſibi fuiſſe ſatisfactum de pecuniis D. Abbatis Paulutij; qua facti ſerie ſtante, Domini ad propoſitum dubium reſponderunt, Abbatem Paulutium non eſſe ſecundum creditorem, ad effectum, vt debuerit, vel non debuerit interuenire pactum eius, de cuius pecunia ſoluebatur cum debitore, vt ſuccederet in locum prioris, & ſcientia creditoris, cui pecunia ſoluitur, diſtinguebant enim aliquot caſus.

2. Primus erat, quando adſunt duo creditores, quibus eadem res reperitur obligata, & tunc, ſi ſecundus creditor offert primo, & ſoluit pecuniam ei debitam, abſque pacto, ſuccedit in eius locum, & ita procedit textus *in l.* 1. *C. qui potior. in pign. habeant. & in l finali, C. de his qui in prior. credit. locum ſuccedunt*, & gloſſ. *in l.* 1. *in primo caſu, C. eodem tit. & in l. Ariſto. ff. quæ res pignor. oblig. non poſſint*, & in his terminis loquuntur etiam Odofredus, Albericus, Baldus, & Angelus *in l.* 1. *C. de his qui in locum prior. credit.* & ratio eſt, quia cùm iſta ſucceſſio prioris creditoris in locum primi, per oblationem, & ſolutionem, fuerit à lege inducta, ideo non requiritur aliquod pactum, cùm miniſterio iuris, ita diſponentis ipſo facto inducatur ſucceſſio primi creditoris, in locum ſecundi. *l.* 1. *l. prior. l. diuerſis, & l. cùm tibi. C. qui potior. in pign. habean.* Iacobus Cuiacius *in paratitlis ad tit. C. de his qui in priorum creditor. locum ſucced.* Hic tamen caſus non applicabatur huic themati, in quo Paulutius non erat ſecundus creditor, cùm ante iſtam ſolutionem non haberet aliquam actionem, neque hypothecariam, neque perſonalem, contra Camillum debitorem.

Alter caſus erat, quando extraneus ſoluit ipſimet priori creditori, & tunc neceſſarium eſt pactum, vt per gloſſ. *in d. l. Ariſto*, vbi Salicetus *num.* 2. & fuit latè dictum in aliis deciſionibus; * ſed neque iſte pertinebat ad hanc facti ſpeciem, cùm Paulutius non ſoluerit Lucretiæ, ſed Camillo debitori. 3.

* ſuprà dec. 297. 326. & 343.

Tertius caſus erat, quando debitor ſoluit de pecunia aliena, & tunc cum pecunia ſoluatur per debitorem, licèt creditor, cuius eſt pecunia, poſſit dici mutuans, quia credit pecuniam debitori, ſoluendi cauſa; & habet actionem mutui, vt per Cuiacium *præcitato loco*, & Franciſc. Connanum *lib.* 4. *commentar. Iuris ciuilis cap.* 17. *num.* 8. Cæterùm, vt ſuccedat in locum primi, vltra pactum cum debitore, requiruntur illa, de quibus gloſſ. *in d. l. Ariſto*, vbi notant omnes, & vltra 5. pactum, eſt etiam neceſſaria ſcientia huius pacti in creditore, & quamuis non ſit neceſſarium pactum expreſſum, cùm tacitum ſufficiat, quia fingitur conſentire. Bart. *in dicta l. Ariſto, num.* 3. Neguſantius *tract. de pignorib. membro* 3. *parte* 5. *num.* 75. Vincentius de Franchis *deciſione* 97. *num.* 3. tamen non poteſt dari iſte conſenſus 6. fictus, ſi non præcedat ſcientia, * vt bene deducit Salicetus *in d. l. Ariſto num.* 3. Vnde cùm Iulia non habuerit ſcientiam huius pacti, Paulutius non potuit ſuccedere in eius locum. 4.

*ſcientia requiritur etiã in conſenſu tacito, vt per Coc. dec. 12. n. 4. & vide ſuprà deciſ. 343.

---

## *Auellin. ſeu nullius reſciſsionis concordiæ.*

### Die Veneris 4. Februarij 1594.

SVMMARIVM.

1.2 *Confirmatio, quando eſt neceſſaria in aliquo actu, ſi illa adſit, non poſſunt partes ab eo recedere.*

3 *Monaſteria prophanare, prohibitum eſt ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII.*

4 *Verbis minus eſt, quàm factis aliquid præſtare.*

5 *Diuinum cultum concernens pactum, ſi non adimpleat pars, poteſt cogi ad eius implementum.*

### DECISIO CCCLIV.

DVbitaui in iſta cauſa, in qua proceditur per contradicta, an reſolutioni factæ die 3. Ianuarij proximè præteriti, * in qua fuit dictum, Monachos poſſe recedere à concordia, obſtaret, quòd concordia fuerat auctoritate Apoſtolica 1. confirmata, & licèt Domini firmauerint concluſionem, quòd quando confirmatio eſt neceſſaria, tunc partes non poſſunt recedere * ab actu confirmato per ſuperiorem. Bartol. *in l. omnes populi num.* 33. *ff. de iuſtit. & iur.* Bald. *in l. ex placito num.* 12. *C. de rerum permutat.* Decius *in cap. cùm acceſſiſſent num.* 14. *verſ.* 2. *concluſio, de conſtit.* Cre-

* ſuprà deciſ. 348.

* adde Seraphin. deciſ. 538. num. 1. & 696. n. 4.

2. ſcen. *deciſ.*1. *de pact.in impreſſ. num.* 3. Dixerunt tamen, regulam non procedere,quando confirmatio fuit adiecta fauore partium. Baldus *in d. l. explicito num.*12.Dec.*in d.cap.cùm acceſſiſſent n.*16. *verſ.& pariter*. vbi Felin. *num.* 5. *verſ. hanc declarationem*, Abbas *notab*.4.Cephal.*conſil*.38.*num*.21. *lib*.1. Ferdinand.Vaſquius *lib*.1. *controuerſ. illuſtr. cap*.35. *num*.12.& 13. Ruin. *conſil.* 130. *num.* 7. *lib*.5.In caſu propoſito, difficultas tollebatur ex
3. eo, quia idem Pius V. qui concordiam confirmauerat,dedit etiam cauſam, vt ab ea recederetur, ex quo impediuit Monaſteriorum prophanationem, quaſi per iſtud factum declarauerit, ſe nedum permiſiſſe, ſed voluiſſe, vt à concor-
4. dia recederetur, cùm plus ſit factis, quàm verbis aliquid præſtare, *l.ſi tamen.§.ei qui*, vbi gloſſ.*ff.de ædilit.edict.* & Gregorius XIII.nedum idem impedimentum confirmauit, ſed expreſsè etiam mandauit,vt Monaſteria profanata in priſtinum ſtatum reſtituerentur.

Quibus non obſtabat *deciſio* Creſcentij *prima de pactis, in impreſſ.* nam præterquam quòd ab Antonio Auguſtino *in epitome tit. de confirmat.*
5. §.4. intelligitur, procedere in pactis concernentibus cultum diuinum; quo caſu poteſt cogi pars non adimplens, ad adimplendum, in hoc caſu non poterat applicari, cùm ceſſaret facultas adimplendi ex facto, & prohibitione Pontificum.

---

## *Romana domus.*

### Die Veneris 11. Februarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Dominus vtilis excuſatur quandoque à pœna, domino directo competente, ex iuſta ignorantia.*

### DECISIO CCCLV.

1. OCcaſione dubij propoſiti, an ſententia extra Rotam lata, eſſet confirmanda, vel infirmanda, fuerunt per Dominos excitatæ plures
2. difficultates, tam circa nullitatem, quàm circa iniuſtitiam d. ſententiæ, quæ potiſſimum fuerunt reſtrictæ ad duo capita. Primum, an conſtaret de dominio directo Domini Soderini, quod pendebat ab eo; an iſta domus probaretur ſpectaſſe ad Annam Soderinam, à qua Dominus Antonius Franciſcus Soderinus,qui nunc litigabat, habebat cauſam. Alterum fuit, an ex quo D.Vincentius Rentius longo tempore poſſederat iſtam domum, tanquam liberam, licèt conſtaret de dominio directo D. Soderini, veniret excuſandus ob iuſtam ignoratiam,* ad gloſſ. *in l.2.in verb.& ſecundùm legem,de iur. emphyt.* vbi Iaſ. *num.*184. Dec.*conſ.* 58. *in fine*, Iul. Clar. *in* §. *Emphyteut.quæſt*.8. *num*.9. *verſ. proſequendo materiam.* Erat etiam videndum, an iura producta, per D.Soderinum eſſent in forma probante, & an ipſe ſuam perſonam legitimaſſet,placebat tamen Dominis, quòd primò videretur, an conſtaret de directo dominio.

* ignorantia iuſta excuſat à pœna caducitatis, vt per Caualer. dec.141.n.2. & 81.n.2. & habetur in recen.part.2. dec. 278. idē Caual. deciſ. 151.impreſſa in recen.p.2. dec. 342. & quando ſit excuſabilis vide Rotam apud March. de commiſſ. p.2.pag.148. in vna Romana Saluiani coram Iuſto.

---

## *Romana domus de Storch.*

### Die Lunæ 14. Februarij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Confeſſio partis in poſitionibus rem facit claram.*
3 *Confeſſio non reuocatur, errore non probato.*
4 *Dictio,quomodolibet, eſt valde vniuerſalis.*
5 *Hæreditas non adita per hæredem in eius vita,non tranſmittitur ad heredes eius.*
6 *Hæreditas non præſumitur adita, niſi probetur.*

### DECISIO CCCLVI.

IN gradu appellationis, cauſa mihi commiſſa, dubitaui, an ſententia Rotalis eſſet confirmanda, vel infirmanda? & Domini cenſuerunt fore confirmandam: nam quantum ad validitatem, non dubitabatur, conſtabat enim de poteſtate iudicantis de mandato Procuratoris,ad cuius inſtantiam fuit lata, & de præcedente citatione ad ſententiam. 1.

Reſpectu quoque iuſtitiæ, confirmanda fuerat ex deductis in alia inſtantia coram R. P. D. meo Pamphilio die 24. Maij 1593. contra quam deciſionem in hac poſitione, nihil releuans adducebatur.

Et quamuis donatio loqueretur de bonis,quæ ſpectabant ad Petrum filium Damianæ, & hîc ageretur de bonis Damianæ, tamen cùm in donatione diceretur illa fuiſſe deuoluta ad Damianam donantem per obitum Petri, & domus de qua agebatur, tempore obitus Petri, remanſerit in eius hæreditate, ſatis videbatur conſtare, domum etiam in donatione fuiſſe comprehenſam; quod ipſum clariùs apparebat ex confeſſione Traiani, ex cuius perſona veniebat Margarita Blanca,& ſuccedere prætendebat Damianæ; ille enim in poſitionibus,medio iuramento in actis præſentatis, confitebatur, hanc domum pertinuiſſe ad Petrum Storch, filium Damianæ; confeſſio enim in poſitionibus rem facit claram. 2.
*Alexander *conſil*.71.*num*.4.*lib*.3.Gabriel *de confeſſ.concluſ*.4. *num* 24.

Nec quicquam obſtabat reuocatio confeſſionis factæ in poſitionibus, quia errore non probato, non potuit reuocari; gloſſ. *in cap*.1. & *in cap. ſtatuimus, de confeſſis, lib*.6. Grammaticus *deciſ*.34. *num*.60. Gratus *conſil.* 54. *num*.29. *lib*.1. & præſertim cùm confeſſio fuerit à parte acceptata. 3.

* adde Duran.dec.319. num. 19. & 20. Ludouiſ. dec.92. n. 1. & 143.n.1.& 4.& dec.408. n.1.Cocc.deciſ.125.n.2.

Multum etiam ſuffragabantur, confeſſio ipſius Damianæ donatricis, contenta in inſtrumento mandati procuratorij, tranſmiſſo ad vrbem, ad capiendam poſſeſſionem bonorum, & in ſpecie domus, de qua agebatur, vacantium per obitum Petri filij ſui; & depoſitiones teſtium, probantium Petri poſſeſſionem.

Accedebant præterea verba donationis ampliſſima,quibus Damiana donabat bona exiſtentia in Italia,quomodolibet ad Petrum pertinentia: nam dictio *quomodolibet*, eſt valde vniuerſalis, & indiſtinctè comprehendebat * omnia pertinentia ad Petrum. *l. cùm verum. C. de fideicommiſſ.* Decius *conſ*.29.*num*.3. *verſ.ex quibus verbis*, Aymo *conſ*.308.*num*.4. 4.

* adde Seraphin. deciſ. 350. n. 2. & 1082.num.2. Rotam diu. p.1.dec.364. n.1. & recen. p.2.dec.602. n. 4. & 614. num.2.

Atque ex his fuit concluſum, domum de qua agebatur,



non ad Ioannem, ſed ad Petrum pertinuiſſe.

Addebant poſtremò aliqui ex Dominis, quòd licèt conſtitiſſet, domum fuiſſe Ioannis, adhuc tamen non poterat Margarita ius aliquod in ea prætendere,quia non conſtabat quòd Damiana, cui Margarita ſuccedere prætendebat, adiuerit hæreditatem Ioannis: regula autem eſt, quòd hæreditas non adita per hæredem in eius vita,
5. non tranſmittitur ad hæredes,* ſed perinde eſt, ac ſi non eſſet ſibi delata, *l.ſi ex pluribus.ff.de ſuis, & legit. hæredib. l.quoniam ſororem. C. de iure deliberan.* Antonius Gomez *tomo* 1. *variar. reſolut. cap*.9. *num.* 1. Paulus de Caſtro *conſil.* 304. *in fine lib*.1. Corn.*conſil*.1. *num*.7. *lib*.2. nec præſumitur adita, niſi probetur. Aymo *conſ*.37.*num*.4.

* adde Caual.dec.504.

---

## *Caputaquenſis vnionis.*

### Die Lunæ 14 Februarij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Examen teſtium eſt nullum, ſi non præcedat citatio.*
2 *Citatio facta in oppido non ſufficit, ſed debet fieri in Eccleſia maiori.*
3 *Procurator ſi non inueniatur ad cauſam, vt ex eo poſſit opponi exceptio, priùs conſtandum eſt de diligentijs, vt proſit.*
4 *Teſtium dictorum publicationem, ſi in iudicio vſa fuerit pars, non poteſt opponere examinis nullitatem.*

### DECISIO CCCLVII.

1. PRopoſui cauſam reſtrictè ad examen teſtium,an foret validum? & Domini concorditer cenſuerunt, fuiſſe nullum ex defectu citationis. * *l. ſi quando. C. de teſtib.* præſertim cum Capitulum Amalfitanum deputauerit Procuratores in loco examinis, & proteſtatum fuerit, non præcedi ad examen, & delationem iuramenti, niſi ipſis citatis, gloſſ. *in cap. cauſam*, vbi Abbas,*num*.2.*de dolo,& contum.* Vantius *de nullitate ex defectu citationis, num*.84.

* adde Duran.dec.458. n. 6. & 363. n. 5. & 433. n.13. Ludou. dec.268.n.2. & aliàs ſæpe.

2. Citatio facta per oppidum, non fuit ſufficiens, quia debuit fieri in Eccleſia * maiori oppidi,iuxta formam *Clem.cauſam,de elect.* Vantius *præcitato loco num*.118.

* vide infrà dec.380.

3. Excuſatio data ad ſuſtinendum examen, ex eo quòd non fuerunt reperti Procuratores, non profuit,quia non conſtabat de diligentia * facta ad reperiendum Procuratores. Vantius *de nullitate ex defectu citationis, num*.122.

* adde Seraphin. deciſ. 1123. n.1. & ſuprà deciſ. 273. n. 4. & infrà 380. num.2.

Decretum iudicis factum parte præſente, & non contradicente,vt teſtes examinarentur,non validabat examen,quia non propterea ſequebatur, Capitulum conſenſiſſe, vt examinarentur ſine citatione.

4. Cæterùm, ſi verum erat, quòd Capitulum petiuerat publicationem dictorum teſtium, & in iudicio vſum fuerat eorum atteſtationibus, concluſum fuit, non poſſe nunc opponere examinis nullitatem.Rota *deciſ*.8 *in fine,de officio delegat.in nouis.* Verallus *deciſ*.268. *part*.3. *cap.quod ſemel,de regul.iur.lib*.6. Felinus *in cap. cùm cauſam, num*.49. *de reſcript.*



---

## *Terdonen. ſeparationis.*

### Die Lunæ 28. Februarij 1594.

### DECISIO CCCLVIII.

PRo parte D. Claudiæ Valpergæ, opponebatur nullitas ſententiarum latarum in partibus,ad fauorem D.Hieronymi Adorni, eius mariti, & propoſito deſuper dubio in Rota, non potuit capi reſolutio: tandem, quia nullitates videbantur Dominis turbidæ, viſum fuit remittere D.Adornnm ad ſignaturam Sanctiſſimi,pro ſanandis prætenſis nullitatibus, vt poſſet videri ſuper bono iure, in negotio principali.

---

## *Imolen. repetitionis dotis.*

### Die Veneris 4. Martij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Solutio dotis coniecturis & præſumptionibus probatur.*
3 *Dos in primo matrimonio data, præſumitur etiam data in ſecundo, niſi contrarium probetur.*
4 *Teſtes ſingulares non probant confeſſionem partis, niſi concurrant tot coniecturæ,quæ reddant vera eorum dicta, num.*5.
6 *Vxores regulariter ſine dote non nubuntur.*
7 *Probationes faciliores in materia dotis admittuntur.*

### DECISIO CCCLIX.

LVcretia de Læliis Petro de Cantis,cui primò nupta fuerit, ſcuta mille auri in dotem dederat, ſolutoque matrimonio, per obitum Petri eidem Lucretiæ eadem ſcuta mille reſtituta fuerunt, quæ poſt aliquot annos cum Petro de Mancurtis matrimonium contraxit, & cum eodem per nouem circiter annos cohabitauit, vſque ad eiuſdem Petri obitum,& quia in iudicio, quod intentauerat contra Paulum de Mancurtis filium, & hæredem Petri ſecundi mariti, ſuper repetitione dotis diuerſæ ſententiæ in partibus latæ fuerant,cauſa introducta in Rota,dubitaui, an conſtaret de ſolutione dotis ſcutor. mille, facta per Lucretiam Petro ſecundo eius marito,ad effectum vt ab eius hærede iure repetere potuiſſet. Et Domini cenſuerunt, de ſolutione conſtare, cùm enim ſolutio dotis * præſumptionibus, & coniecturis probetur. Bero.*conſil*.40. *num.* 44. *lib.* 1. & fuit dictum in cauſa Sabineñ. ſiue Roman. dotis 14. Maij 1576. coram Domino Cardinale Lancellotto † tunc Rotæ Auditore, in caſu propoſito plures coniecturæ concurrebant. Prima erat; nam primo marito eadem dos ſcut. mille conſtituta fuerat, & per eius obitum eidem Lucretiæ reſtituta; vnde eadem in ſecundo matrimonio cenſebatur promiſſa,& repetita,niſi * contrarium doceretur,*l.dotem quæ,& l.diuus.ff. de iur. dot. Authent. ſed quamuis*, vbi Salicet. *C. de rei vxor. act.* Ruin.*conſ*.61.*num*.1.*lib*.3. Berous *d.conſ*.40. *num*.43. & 55. *lib*.1.

1. Ioſeph. Lud. dec.59.n.15. Aluar. Valazq. conſultat.5.

2. * adde Duran. dec.409. n.22. & ſeq. & 428. n. 4. & 347. n. 1. vbi ad propoſitum aliæ deciſiones allegantur, Seraph. dec. 1221.n.2. †eſt dec.316. part.2.diuer. in impreſſ.

3. * adde Lud. dec.173.n.9. & 188. n. 2. & 10. & vide infrà deciſ. 1099.

Altera coniectura erat deſumpta ex quodam inſtrumento quietantiæ,factæ præſente, & conſentiente ſecundo marito, vbi inter cætera continebatur , Lucretiam liberaſſe Virgilium de Maſſis,à ſumma ſcut.mille auri in auro,propterea , quòd Petrus eius maritus præſens , & conſentiens receperat dictam ſummam à Virgilio, ex iſta enim aſſertione facta in præſentia ſecundi mariti , oriebatur efficax coniectura ſolutionis, & receptionis dotis.

Superioribus accedebant atteſtationes trium teſtium, aſſerentium *chem Pietro mancurti, piglio per meglia mad. Lucretia con dote , di mille ſcudidi oro quali detta Lucretia doueua hauere dam. Virgi-*
4. *lio Maſſi* ; quamuis enim teſtes eſſent ſingulares , quia non erant conteſtes in loco , & tempore , & ideo non probarent confeſſionem, Ant.de Butr.*in c. licèt ex quadam, de teſtib.num.*8.
5. Cin. *in l.* 2. *C. quæ ſit long. conſuetudo.* Afflict. *deciſ.* 375. *num.* 5. concurrentibus tamen tot aliis coniecturis , probare credebatur Paulus de Caſtro *conſil.* 281. *num.* 10. *ad finem* , *lib.* 1. & fuit deciſum in vna Vrbeuentana * Legati die 13. Octobris 1581. coram Domino Cantrecio.

* habetur p. 2.dec.155.in impreſſis diuer. cui adde Lud.dec.62.

Poſtremò conſiderabatur etiam alia conie-
6. ctura , ſumpta ex generali conſuetudine , cùm regulariter ſine dote non ducantur † vxores, Aymo *conſil.* 40. *num.* 2. & dicta deciſione Vrbeuentana. * Neque in caſu propoſito erat veriſimile, Petrum ſecundum virum per nouem circiter annos non ſoluta ſibi dote cum Lucretia cohabitaſſe.

† cùm regulariter mulieres non habeāt aliud patrimoniū præter dotē. Ludou deciſ. 398.n.5.Duran.dec.111. num.13.
*in d. deciſ. 155.n.3.

Ex his enim omnibus ſimul iunctis , ſatis ſufficiens probatio ad præſumendam dotis ſolutionem inducta videbatur , præſertim cùm in materia dotis faciliores probationes admittan-
7. tur.Paul.de Caſtro *conſ.*92.*num.*2.& 3.*lib.*2. Verall.*deciſ.*288. *part.*1.

---

## *Romana Saluiani interdicti extra Rotam.*

### Die Veneris 11. Martij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Apellatio non ſubſiſtit, non expreſſa cauſa grauaminis. quod locum non habet in cauſis ſummarijs, num.*3. *&* 4.

## DECISIO CCCLX.

1. PRopter * aſſiduas preces D. Mercurij Amodei indulſit S.D.N. vt ad eiuſdem Mercurij inſtantiam , cauſam iterum proponerem , qua propoſita , Domini ſteterunt in deciſis † ſub die 19. Nouembr. proximi præteriti,quia conſtabat de duabus conformibus , quibus fuerat iudicatum , appellationem interpoſitam per D. Carolum Gabrielium à ſententia primi collateralis non fuiſſe reiiciendam,& conſequenter, factum fuiſſe locum promiſſioni Amodei obligantis ſe pecunias (de quibus agebatur ) reſtituere , ſi iudicaretur per duas conformes , locum fuiſſe appellationi.

* habetur hæc dec.impreſſ.per Pacific. poſt tract.de Saluian. interd. dec.82.
† ſuprà deciſ.334.

2. Cui reſolutioni non obſtabat,quòd in appellatione ex noua conſideratione adducta per informantes pro D. Amodeo , de diuerſis ſtatutis vrbis , quia licèt ſtatutum de forma procedendi in cauſis poſſeſſoriis, *cap.*91. *lib.*1. haberet relationem *ad cap.*89. de generali forma procedendi in ſummariis , in quo non diſponitur quòd procedatur ſine ſtrepitu & figura iudicij , ideoque non eſſe locum doctrinæ Angeli *conſil.* 667. *num.*1. dicentis appellationem ſuſtineri,non expreſſa cauſa grauaminis.

Quoniam cùm *cap.* 88. de cauſis ſummariis 3.
declaretur , omnes cauſas poſſeſſorias , & interdictorum , eſſe ſummarias , & in illis fore procedendum ſine ſtrepitu , & figura iudicij , ſola facti veritate inſpecta,& omni iuris ſolemnitate omiſſa , dicebant Domini , præcitatum conſil. Angeli huic propoſito optimè applicari , illa enim ſtatuti verba *d.cap.*88. in quibus cauſis nedum referebantur ad proximè præcedentes cauſas,ſed etiam ad poſſeſſorias,cùm non poſſet aſſignari ratio diuerſitatis cur relatio deberet fieri ſolùm ad cauſas proximè expreſſas , non autem ad omnes ; cùm tamen omnes æqualiter forent priuilegiatæ.

Rurſus , cùm cauſa grauaminis conſiſteret in 4.
mero iure, propter non conceſſam retentionem melioramentorum , quæ ſaltem in genere erant probata , ſuſtinebatur appellatio ſine expreſſione cauſæ grauaminis.Baldus *in l.minoribus n.6.C. de his quib.vt indignis.*

Ad cætera , vel quia extra propoſitum vagabantur , vel non ſubſiſtebant in facto, non fuerunt dignati Domini reſpondere.

---

## *Palentini , & Oxomen. præſtimoniorum.*

### Die Veneris 11. Martij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Actor fundans ſuam intentionem in aliquo actu, tenetur eum concludenter probare , vt obtineat.*

3 *Publicatio beneficij eſt actus reiterabilis , & ideo non ſequitur , publicationem extra tempus excludere, vt non ſit facta intra id.*

4 *Actor , qui agit ad priuandum aliquem à ſuo beneficio, debet probare concludenter ſuam intentionem, aliàs præſumitur pro reo.* 1.

5 *Notario non actuario , atteſtanti de geſtis coram ſede tempore præterito, non creditur.*

## DECISIO CCCLXI.

DVbitaui de iuſtificatione gratiæ Didaci de Monteroſo, & Domini reſponderunt, eam non fuiſſe iuſtificatam reſpectu vacationis narratæ , * ob non publicationem ; cùm enim eſſet fundata in publicatione non facta , aut non facta debito tempore,id concludenter probare tenebatur, vt fuit deciſum in cauſa Tullen. Abbatiſſatus coram Sanctiſſimo Domino Noſtro tunc Rotæ Auditore : Didacus autem licèt produceret publicationem factam per D. Ludouicum Ronquillo extra terminum nouem menſium, non habebat concludentem † probationem; nam

* hæc deciſ. habetur impreſſa penes Garciam de beneficiis 11. p.c.3.vbi latè agit de materia & n. 330. adducit ad litteram, hanc deciſ. & adde Lud. deciſ. 210. & annot.n.5. & dec.242.n.2. & vtrobiqne allegat hanc deciſ.
* adde Lud. dec.210.n.1. & 288. n. 1. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

cùm Ludouicus haberet prorogationem, & publicatio ſit actus reiterabilis,poſſibilis erat alia, atque alia publicatio, & hinc ceſſabat obiectio, quòd productio tituli infecti probaret , non adeſſe alium titulum , nam cùm productio non eſſet facta à Ludouico , ſed à Didaco , propterea non tollebatur præſumptio alterius publicationis, Caſſad. *deciſ. vltima num.*7. *de procurat.* Creſcent.*deciſ.*21.*num.*4. *tit.de probat.in impreſſ.* & in
3. hanc ſententiam eo potiſſimum nomine itum
4. eſt ; quia materia erat obiectiua,& Didacus agebat ad priuandum Ludouicum iſtis præſtimoniis impetratis,ideo ne caderet à iure ſuo,præſumenda fuit pluralitas, licèt aliàs non ſoleat præſumi. Cardinal.*in cap.cùm Ioannes,de fid.inſtrum.num.*1. *verſ.& ſi dicas*, Felin.*in cap. auditis, num.*27.*verſ. limita ex dicto, de præſumpt.*

5. Neque dicebatur probata inualiditas publicationis,ex atteſtatione Notarij, aſſerentis,ſe ad inſtantiam Ludouici eam feciſſe,quia non creditur actuario,atteſtanti de geſtis coram ſe de tempore præterio.* Crauet.*conſ.*88.*n.*1.Put.*deciſ.*17. *de fid.inſtrum.* maximè cùm atteſtatio illius Notarij eſſet ſine teſtibus, Creſcent. *deciſ.*4. *num.* 1. *de fid.inſtr.*Puteus *deciſ.*5.*num.*1. *lib.*3.

*adde Caualer. dec.609. n.4. & deciſ. 322. n. 3. & habetur in recen.part.2. dec.587.n.2. & Rotam recen. p.1. dec. 687. num. 1. verſ.non Alphonſo.

---

## *Bononien fideicommiſſi de Felicinis.*

### Die Lunæ 14. Martij 1594.

## DECISIO CCCLXII.

PRopoſito dubio, an eſſent decernenda alimenta,& ſumptus litis D.Marco Antonio,& litis conſortibus de Felicinis , placuit Dominis, vt nunc ſine præiudicio iurium vtriuſque partis darentur Felicinis per D. Martiam Felicinam, & litis conſortes ſcuta centum per modum prouiſionis.

---

## *Peruſina executionis.*

### Die Mercurij 23. Martij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Debito plus petens, debet in expenſis condemnari, & num.*4.

2 *Quod procedit,etiam ſi ſine fraude petatur.*

3 *Rotæ ſtylus eſt,exprimere quando reuocat primam ſententiam, fieri ex nouiter deductis.*

## DECISIO CCCLXIII.

1. CEnſuerunt Domini,deberi expenſas de quibus agebatur,tum quia Dominus Marchio à Cornea petierat plus debito, quo caſu de iure veniebat condemnandus in expenſis, præſertim cùm ſententia , quam reportauerat , fuiſſet executioni demandata, *cap.*1. vbi Abbas, *num.* 9. *de plus petit.* Hoſtienſis , & Azo *in ſumma eodem tit.*
2. *num.*2. quod procedit,quamuis plus petatur ſine fraude. Ioannes de Platea §. *in duplum* , *num.* 9. *verſ.ſed per temeritatem. Inſtit. de actionib.* tum etiam, quoniam cùm R.P.D. meus Blanchettus non expreſſerit in ſententia,quòd reuocabat latam ab A.C.ex nouiter deductis, ex eiſdem actis viſus fuit eam reuocaſſe , cùm Rotæ ſtylus ſit, 3.
exprimere quando reuocat ex nouiter deductis, vt fuit reſolutum in illa Gerundenſi moleſtationum, ſiue nullitatis cenſurarum 14. Octobr. 1552.coram bon.mem.Reomano,& conſequenter expenſæ debebantur. Et licèt hoc motiuum 4.
videretur aliquibus Dominis ſatis firmum , primum tamen de plus debito petito tollebat difficultatem , vt non foret neceſſarium quærere an eſſet , vel non eſſet proceſſum ex nouiter deductis.

* habetur hæc dec.impreſſa Farin. poſt tom. 2. conſ.dec.80.

---

## *Bononienſis alimentorum extra Rotam.*

### Die Lunæ 28. Martij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta debentur filijs quomodolibet illegitimis, de iure Canonico, at de ciuili nequaquam, num.*2.

3 *Filios ſpurios alendi onus tranſit ad hæredes , & ad fiſcum . quando bona defuncti patris confiſcantur, & num.*5.

4 *Spurijs tenetur ceſſionarius bonorum alimenta præſtare.*

6 *Fiſcus tenetur præſtare alimenta filijs condemnati, etiam ſi ſit ob crimen læſæ Maieſtatis , vel hæreſis, & num.*8.

7 *Hæretici bona ſunt confiſcata, ipſo iure.*

9 *Alimenta præſtare eſt naturale, & num* 14.

10.11 *Alimenta præſtare filijs clericorum prohibetur, ex conſtitutione Pij V.*

12 *Filios tenetur pater clericus alere.*

13 *Alimenta præſtare filijs etiam illegitimis , neque pacto , neque conſuetudine , neque lege tolli poteſt.*

15 *Laici de bonis patrimonialibus poſſunt diſponere in filijs illegitimis , non verò de Eccleſiaſticis, num.*16.

17 *Clerici non poſſunt diſponere de bonis in filijs ſuis.*

## DECISIO CCCLXIV.

*TEmpore fel.record. Sixti V. Camillo de la Volta Nobili Bononienſi,ob quædam delicta vltimo ſupplicio affecto Camera Apoſtolica omnia eius bona confiſcauit,& ſibi incorporauit,quæ paulo pòſt, magna pecuniarum ſumma interueniente,R.P.D.Ioannes Baptiſta Volta Camilli frater à Camera redemit , eique ceſſa fuerunt , cum omnibus honoribus , & oneribus , excepta ſolùm quadam vinea extra portam piam , Marius de la Volta Camilli ſupradicti filius illegitimus, & pauperrimus , cùm alimenta à ceſſionario Cameræ habere prætendens, multis exceptionibus repelleretur, & D. Cardinalis Mattheius , cui huius controuerſiæ componendæ cura commiſſa fuerat,Rotæ iudicium deſideraſſet,propoſito dubio,an Mario Camilli quondam filio illegitimo, à D. Volta Cameræ ceſſionario bonorum , quæ olim Camilli fuerant, alimenta deberentur ; † omnes Domini cauſa diligenter

* An vxori in hæreſim lapſæ, & Eccleſiæ reconciliatæ, maritus debeat alimenta præſtare , tradit Petrus Barboſa in l. 1. p. 4. n.85. ff.ſolut. matrim. vbi tenet partem negatiuam.
† Bonis paternis publicatis ob crimen hæreſis, filij Catholici non priuantur legitima ; latè Ioann. Rojas in epitome ſucceſſionū , cap.7. n. 22. idem ſingular.47.incip. Damnatorum bona.

genter diſcuſſa, deberi cenſuerunt, ex communibus & receptiſſimis iuris regulis.

1. Prima, quoniam filiis quomodolibet illegitimis alimenta debentur. *c. cùm haberet, in fine, de eo qui duxit in matr. quam polluit per adult.* vbi cõmuniter Canoniſtæ; licèt enim filij ſpurij, aut aliàs illegitimi cum peccato generentur, ſine peccato tamen aluntur, & licèt ius ciuile caſtitati prouidendo, filiis ſpuriis alimenta denegauerit, *Auth. ex complexu. C. de inceſtis nupt.* ius tamen Canonicum quamquam peccata maximè deteſtetur, & caſtitatem nedum commendet, ſed præcipiat, naturalem rationem ſequens pietatem, & æquitatem caſtitati prætulit, & filiis illegitimis alimenta * præſtari iuſſit. Bartol. *in l. fin. num. 7. ff. de his quib. vt indign.* Iaſon *conſil. 26. num. 13. lib. 1.* Alexand. *conſil. 74. num. 4. lib. 2.* Decius *conſil. 576. n. 1. & conſ. 311. num. 3.* Crauetta *conſ. 199. num. 1.* Calcaneus *conſil. 62. num. 16.* Roland. *conſ. 74. num. 39. lib. 1.* Boërius *deciſ. 127. num. 7.* Antonius Gomezius *l. 9. Tauri*, Antonius Corduba *in l. ſi quis à liberis. §. idem reſcripſit. n. 9. & ſeq. ff. de liber agnoſc.* Gabriel *lib. 6. commun. opinion. tit. de alimentis, concluſ. 1.*

Vide infrà dec. 978. n. 6. & 1170. n. 6.

2.

* vide infrà deciſ. 378. & 413.

3. Altera concluſio eſt veluti ſuperioris declaratiua, vt onus alendi filios ſpurios tranſeat etiam ad filium, ſicut tranſiret ad hæredes defuncti, cùm filius loco hæredis ſuccedat, & bona cum prædicto onere, & non aliter deferantur. * *l. in pari. §. hi qui*, vbi Decius, & Cagnolus *ff. de regul. iur.* Crauetta *conſil. 263. num. 7.* Socinus ſenior *conſ. 30. num. 3. lib. 1.* Ripa *in l. ex facto. num. 8. & 9. ff. ad Senatuſconſult. Trebell.* & tradit etiam nouiſſimè Peregrinus *lib. 5. de iure fiſci tit. 1. de publicatione bonorum, num. 75.*

* adde Durañ. dec. 95. n. 3. vſque ad 9. & Rotam in nouiſſimis Farinacij deciſ. 747.

4. Poſtrema concluſio per Dominos conſtituta fuit, vt idem quod de fiſco, & quolibet bonorum ſucceſſore ſtatuendum eſſet in ceſſionario, ad eadem quoque alimenta præſtanda ſpuriis teneatur. *l. 2. ff. de heredit. & actione vendit.* quam concluſionem ſuperiùs deducta probabant, bona enim ſemper tranſeunt cum eodem onere, & in hoc caſu ex eo ceſſabat omnis difficultas, quoniam ceſſio fuit per Cameram facta, & per D. Voltam acceptata cum omnibus honoribus, & oneribus dictæ hæreditatis.

Informantes pro D. Volta, vt receptas concluſiones excluderent, multa apponebant, quæ ad tria potiſſimum capita referebantur, primum dicebant, nulla ſupereſſe Camilli bona, rurſus illum fuiſſe condemnatum ex capite læſæ Maieſtatis Principis; poſtremò, quia cùm Camillus eſſet Clericus, vigore conſtitutionis Pij V. nil ipſe filio ſpurio relinquere poterat, & ideo neque fiſcum, neque ceſſionarium teneri ad illum alendum.

Ad primum dicebatur in hac poſitione non tractari, an ſupereſſent Camilli bona, nec ne, ſed cum præſuppoſito, quòd adeſſent, quod pendebat ex facto & ex inuentario bonorum, & creditorum & debitorum, an alimenta deberentur; & concluſum de iure deberi.

Ad ſecundam de condemnatione ex cap. læſe Maieſtatis Principis bifariam reſpondebatur, primò, id non apparere ex ſerie ſententiæ, ex qua conſtabat eum fuiſſe condemnatum ad pœnam amputationis capitis, propter crimina enormiſſima, & atrociſſima, non autem propter crimen læſæ Maieſtatis Principis.

Præterea dicebatur, quòd licèt fuiſſet condemnatus ad tale crimen, nihilominus tenebatur fiſcus, & eius ceſſionarius * filios ſpurios condemnati alere. Socinus *d. conſil. 30. num. 3. lib. 1.* Ripa *in dicta l. ex facto. §. ex facto, num. 9. ff. ad Trebell.* Plottus *conſil. 130. num. 83. & 84. inter conſilia criminal. lib. 1.* Becius *conſil. 8. num. 5.* quinimo in fortioribus terminis in crimine hæreſis, quod longè grauius eſt crimine læſæ Maieſtatis humanæ. *cap. vergentis, de hæret*, in quo à die commiſſi delicti, ipſo iure omnia hæretici bona ſunt confiſcata. *cap. cùm ſecundùm leges, de hæret. lib. 6.* filiis hæreticorum Catholicis deberi alimenta, tenuerunt Petrus de Auendaño *ſuper l. 4. Tauri gloſſ. 7. num. 8.* & Alphonſus Caſtrus *lib. 2. cap. de iuſta hæreticor. punit.* & Gabriel Quemada *in compendio de bonis confiſcatis in Sancto Officio Inquiſitionis, quæſt. 24.* vbi alias allegat. Socin. *d. conſil. 30.* Plottus *dicto conſil. 130. num. 84. verſ. vbi filijs*, neque in contrarium viget textus *in l. quiſquis. §. filij verò. C. ad leg. Iul. maieſtatis*; quia cùm Imperator ibi filios perpetrantium crimen læſæ Maieſtatis, viuere permittat, ex conſequenti cenſetur illis concedere alimenta, ſine quibus viuere non licet. *l. necare. ff. de liber. agnoſcen.*

5.

* adde Rot. recen. part. 1. dec. 107. n. 3. in fine, vbi ad propoſitum præſens deciſio allegatur & vide infrà deciſ. 419.

6.

7.

8.

9.

Ad tertium de conſtitutione Pij V. edicta contra filios clericorum illegitimos, * reſpondebatur primò, illam in ſpecie non tollere alimenta, quæ iure naturali, & Canonico quibuſcunque filiis debentur, neque fuiſſe veriſimile, tam Pium Pontificem id cogitare voluiſſe; vnde pietatis, & æquitatis, & rationis naturalis lex violaretur. 10.

* habetur hæc conſtitutio in Bullario Cherubini tom. 2. in conſtitut. Pij V. conſt. 117. & 118. pagin. 325. & 326.

11.

Præterea dicebatur, illam conſtitutionem procedere, quando illegitimi prætenderent ſibi aliquid debere vigore diſpoſitionis factæ virtute priuilegiorum, licentiarum, & indultorum à iure ſpeciali prouenientium, ſeu ex aliqua patris diſpoſitione doloſa, quando videlicet ſub aliquo prætextu, verbi gratia, eleemoſynæ, dotis, aut alterius ſimilis niteretur quis ad illegitimorum fauorem diſponere, ſecus autem eſſe, quando peterent alimenta, ex diſpoſitione iuris communis, & ex ſolo eius beneficio, iuxta terminos. *cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.* cuius textus diſpoſitionem non fuiſſe ſublatam per dictam conſtitutionem Pij V. 12. imò etiam, ea non obſtante, Clericos teneri alere filios ſpurios, tenuerunt Nauarrus *tractat. de ſpolijs clericorum. §. 10. n. 11.* & Burſatus *conſ. 255. num. 16. lib. 3.* & eſt deciſio ſæpe diſcuſſa in Rota, in illa Romana * bonorum de Peruſchis die 29. Februar. 1580. coram R. P. D. Reboſterio; ius enim, & obligatio alendi filios, quocunque modo illegitimos, non tam oritur ex *dicto cap. cùm haberet*, quàm ex iuris naturalis dictamine, & propenſione, qua vidimus etiam animalia rationis expertia, filiis à ſe genitis, naturæ quodam pondere ductu, non deeſſe, & legem hanc à natura ſenſibus inditam exequi. *§. 1. Inſtit. de iure natural.* quo fit, * vt nec pacto partium, nec lege aliqua, neque conſuetudine ea obligatio tolli poſſit, verum enim eſſe, & veriſſimè dici, alimenta iure naturæ deberi. *cap. ſunt quidam 29. quæſt. 1.* Abbas *in cap fui num. 22. de conſuetud.* Couarruu. *lib. 4. Decret. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 4.* Calcan. *conſ. 62. num. 16. verſ. ſed ſecundùm educationem.*

* habetur in impreſſis diuer. p. 1. dec. 505. n. 4. & ſeq. & adde D. Garc. Maſtrillo deciſ. Siciliæ 144. num. 21.

13.

* adde infrà dec. 419. n. 5.

14.

Ad



Ad deciſionem coram bon. mem. D. Rubeis, die 27. Martij, & 17. & 27. Maij & 20. Iunij 1579. ex aduerſo datam dicebant Domini ſeniores, qui tunc interfuerant, eam non fuiſſe deciſionem, ſed diſcurſum, & motiua Dominorum proponentium varias difficultates, quæ ex dicta conſtitutione oriri poterant ad effectum, vt conſtitutionis rigor temperaretur, quod ſatis etiam patebat ex ſerie eiuſdem deciſionis.

Poſtremò ad deciſionem Peruſinam * bonorum de Vbaldis coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, die 29. Octobris 1584. dicebant Domini, non facere contra petitionem Marij, imò eius fauorem potiùs reſpicere, nam cùm ille Ioannis prætenderet ſuccedere ab inteſtato; & ſibi opponeretur de conſtitutione Pij V. prohibente diſponere ad fauorem filiorum illegitimorum, Rota firmauit aliquot concluſiones, in quibus erant ſequentes.

* eſt deciſ. 214. p. 2. diuerſorum in impreſſis.

15. Prima, quòd ex dictæ conſtitutionis diſpoſitione, laici non prohibentur vigore priuilegiorum diſponere in illegitimos, de bonis merè patrimonialibus, & laicalibus nullam habentibus mixturam, cum bonis ab Eccleſia profectis.

Altera, quòd conſtitutio ſolùm comprehendebat Clericos, diſponentes de bonis nedum quæſitis de fructibus beneficiorum, ſed etiam de bonis patrimonialibus.

16. Tertia, quòd dicta conſtitutio comprehendebat etiam laicos, diſponentes de bonis ab Eccleſia profectis, qualia ſunt feuda Eccleſiaſtica, emphyteoſis, & bona ex penſionibus acquiſita, quas laici ex priuilegio aliquando obtinent.

Poſtrema verò erat, quòd conſtitutio Pij V. comprehendebat eos, quibus applicari poterat vna ex rationibus contentis in procemio Bullæ, videlicet, ſi ordini Eccleſiaſtico noxia eſſent, vel ſcandalum parerent.

Quæ omnia ceſſabant in hoc caſu, cùm Marius peteret alimenta ſolùm ex ſolo beneficio iuris communis à ceſſionario Cameræ Apoſtolicæ, neque inde aliquid noxium inferretur Ordini Eccleſiaſtico, aut ſcandalum orietur.

---

## *Ruben. primiceriatus.*

### Die Lunæ 28. Martij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Commiſſio data conditionaliter, ſi procedatur in ea abſolutè, dicitur nullum, quod factum fuerit.*

### DECISIO CCCLXV.

1. DOmini ſteterunt in deciſis ſub die 9. Iunij 1593. * ſententiam videlicet A. C. fuiſſe nullam, & iniuſtam, nullitas erat clara, quia cauſa fuit ſibi commiſſa, conſtito de lapſu biennij, * & de diligentijs factis coram Vicario, & tamen non verificatis iſtis conditionibus, eam tulit.

* ſuprà dec. 309.

* annotaui ſuprà ad d. dec. 309. n. 1.

Iniuſtitia quoque erat euidens, quoniam alienatio bonorum Eccleſiaſticorum fundabatur in quibuſdam inſtrumentis, non authenticis, neque formiter extractis.

---

## *Caputaquenſis Vnionis.*

### Die Lunæ 28. Martij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Immemorabilis non probatur, ſi datur aliquis actus contrarius.*

3 *Titulus aptus ad præſcribendum, ſi non inueniatur, non prodeſt immemorabilis.*

### DECISIO CCCLXVI.

DOmini ſteterunt in deciſis, tam coram bon. mem. Domino Bubalo, quàm coram me, ſub die 27. Nouembr. 1593. * quia immemorabilis non probatur; neque quadragenaria cum titulo, nam cùm ex dictis teſtium, quibus Capitulum vſum fuerat, conſtaret, Abbatem Gentilem fuiſſe prouiſum de Eccleſia Sanctæ Mariæ de Turricellis, tanquam de libera, illamque pacificè poſſediſſe ab anno 1513. vſque ad obitum de anno 1546. hinc ceſſabat immemorabilis, quæ non habet locum, quando dantur actus contrarij. * Socinus ſenior *conſ. 7. num. 11. lib. 1.* 1.

* ſuprà dec. 337.

Nec quadragenaria poterat habere locum; quia non conſtabat de titulo apto ad præſcribendum. Felinus *conſ. 2.* Rota *deciſione 9. & 10. de rebus Eccleſiæ non alienan. in antiq.* Puteus *deciſione 238. num. 2. lib. 1.*

2.

* de hoc art. vide infrà dec. 704. vbi annot. aliàs deciſ. & vide ſuprà deciſ. 337. & infrà 376.

3.

---

## *Vercellenſis Canonicatus.*

### Die Mercurij 27. Aprilis 1593.

SVMMARIVM.

2 *Alternatiua non habet locum, quando ius conferendi ſpectat ad inferiores collatores.*

3 *Collatio de iure debet eſſe communis, inter Epiſcopum, & Capitulum.*

4 *Prouiſio, & collatio debet eſſe communis inter Epiſcopum, & Capitulum.*

### DECISIO CCCLXVII.

DOmini * vna tantùm parte informante cenſuerunt, collationem Canonicatus, & Archipresbyteratus vacantium in menſe Aprilis, ſpectare ad Dominum Cardinalem Sarnanum, vigore indulti ſibi conceſſi, à fel. recor. Sixti V. à quo habuit facultatem conferendi omnia beneficia vacantia in menſibus Romano Pontifici reſeruatis: quoniam ſi habenda foret ratio concordiæ initæ inter Epiſcopum, & Capitulum, clarum erat, menſem Aprilis pertinere ad Papam, cùm per concordiam quatuor menſes, videlicet Martius, Iunius, September, & December, eſſent reſeruati Capitulo; & duo tantùm Februarius, & Maius Epiſcopo. Vnde per regulam octo menſium, reliqui remanebant Papæ reſeruati. 1.

* de materia huius deciſ. latè Garcia de ben. 5. p. c. 1. à n. 741. cum ſequēt. & n. 472. allegat hanc deciſ.

Idem iudicium erat, ſi attenderetur conſuetudo

2. tudo immemorabilis, quam in concordia Epiſcopus confeſſus fuerat, cuius ratione collatio ſemper pertinuerat ad Capitulũ priuatiuè, quoad Epiſcopum: neque iſto caſu Epiſcopus poterat iuuari alternatiua, quæ non habet locum quando ius conferendi * ſpectabat ad inferiores collatores, vt apparet ex verbis regulæ.

* Ludouiſ. deciſ.95.n 2. & 6. & 314. n.4.& 7.Caual. dec. 97. n. 1. & 4. & 359. n. 7. & 390. n.1. Seraphin. dec. 1296.num.7. & 8.

Denique ſi ſpreta concordia, & immemorabili conſuetudine, iure communi agendum eſſet, iuxta eam opinionem, quam Rota ſeruat, vt per Caſſadorum *deciſione 22. de præben.* quæ vult, collationem debere eſſe communem Epiſcopo, † & Capitulo, ſimiliter prouiſio, & collatio in menſe Aprilis ſpectabat ad Papam, & per conſequens, ad D. Cardinalem Sarnanum; cùm Epiſcopus non gauderet alternatiua, quam excludit regula, in illis verbis: *ad liberam ipſorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis diſpoſitionem.*

† adde Lud. deciſ. 103. n. 3. & aliàs ſæpe & plures refert Gar. de ben. 5.part.c.4.n. 14. & inter alias allegat hanc dec. & vide Mantic. dec.56.n.2.

## *Spoletana beneficiorum.*

### Die Veneris 29. Aprilis 1594.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo debet dari anteriori poſſeſſori, nec ſi iudex concedat ſecundum alteri, nocebit illi, ſi non præcedat cum legitima citatione.*

2 *Citatio prima vt ſit legitima, debet eſſe perſonalis.*

3 *Citatio ad ſententiam eſt neceſſaria.*

4 *Sententia lata ſine citatione, ad eam audiendam, eſt nulla.*

5 *Poſſeſſio capta infra tempus ad appellandum, eſt defectuoſa.*

6 *Sententia nulla, nunquam tranſit in rem iudicatam.*

7 *Gratia ante omnia & in primis debet iuſtificari, etiam parte non opponente.*

1.

* ſuprà dec. 345.

† Durand. dec.141.n.2. vt enim poſſeſſio ex decreto iudicis amittatur debet eſſe ritè & rectè factum. Caual. dec.2.n.4. & 171.n.8 Coc. dec.124.n.6. & 7. Rota in impreſſis per Poſtium poſt tract. de manu. dec. 235. n.5.& 6.

* habetur in impreſſis diuerſ.p.1.dec. 802. & annot. ſuprà ad d. deciſ.345. n.2.

## DECISIO CCCLXVIII.

PRopoſita cauſa, vna tantùm parte informante fuit dictum, ſtandum in deciſis, * & Carolo dandum mandatum de manutenendo, quia conſtabat de eius anteriori poſſeſſione, neque obſtare, Clementem poſtea iudicis auctoritate adeptam fuiſſe poſſeſſionem, non enim ob id Carolus ſuam anteriorem amiſerat, cùm iudex nulliter, † & abſque legitima citatione proceſſerit, Zuchardus *in l. finali, num.166. C. de edicto Diui Adrian. tollend.* & fuit deciſum in illa Pennen. * & Adicen. beneficiorum die 4. Iulij 1584. nam præterquam quòd Carolus non fuit prima vice perſonaliter † citatus, & aliæ citationes non fuerunt legitimæ executæ, iuxta *Clement. cauſam, de elect.* defuit etiam citatio ad ſententiam, quæ erat omnino neceſſaria, *cap.2.* vbi Geminianus *num.4. de dolo & contum. lib.6. Clement. ſæpe, §. ſententia.* vbi gloſſ. Zabarella, Imola, & alij, *de verbor. ſignif.* adeò vt ſententia ſine tali citatione lata, ipſo iure ſit nulla: † *l. 1. §. item cùm ex eo, ff. quæ ſentent. ſine appell. reſcindend.* gloſſ. *in cap. cùm contumacia, in verbo reſpondeat. de hæret. lib.6.*

2.

† quod fieri debet in præiudicialibus, vt ſuprà dec. 218. & infrà 404. n. 2. & 435.n.2.

3.

* quæ debet eſſe præciſa, Durã. dec.8. n.1. & ſpecifica, vt per annot. ad Ludo. dec.209. n.9. ſed ſi fuit lata partibus præſentibus nõ eſt neceſſaria citatio. Ludouiſ. dec. 576.n.1. vbi latè annot. n. 5. Caual. dec. 117.n.1.

4.

† adde Dur. dec.163.n.1. Caual. deciſ. 376. n. 1. & aliàs ſæpe.

Accedebat alius defectus, quia Clemens acceperat poſſeſſionem infra tempus ad appellandum. * *cap. non ſolùm, de appell. lib.6.* vbi gloſſ. *in verb. innouata.* Ioannes Andreas *num.6.* Ancharanus *notab.40.* Geminian. *num.6. verſ. nota quòd paria ſunt*, Couarruuias *in practicis quæſt. cap.23. n.2. verſ. tertia interpretatio.* Mohedanus *deciſ. 150.* † incip. *Papa contulit Canonicatum.*

5.

* adde Lud. dec.513.n.1. quod extende etiãſi non ſit appellatũ, idem Ludou. dec.339.n.4. & 6. & ſuprà dec. 99. n.3. & deciſ.267. n.5.

Quibus non obſtat, quòd ſententia lata ad fauorem Clementis dicebatur tranſiuiſſe in iudicatum, quia reſpondebant Domini, ſententiam nullam, nunquam tranſire in iudicatum, * item Carolum ab illa appellaſſe, quàm primùm ad eius notitiam peruenerat.

6.

† eſt 11. de præbend. in impreſſis.

Poſtremò addebatur, iniuſtè quoque fuiſſe proceſſum non iuſtificata gratia Clementis, quæ in primis veniebat iuſtificanda, etiam parte non opponente, Ioannes Andr. *n.2. & ſeq.* & alij communiter, *in cap.1. de litis conteſt. lib.6.*

7.

* adde Coc. dec.234.n.7. Caual. deciſ. 270.n.5. Seraphin. dec. 432. num.7. & 493.n.4.& 988. num.5. quod extende etiam ad laudum nullum, vt non tranſeat in iudicatum. Caual. deciſ. 270.n.1.& 5.

## *Perusina executioni.*

### Die Lunæ 2. Maij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumenti copia facit fidem, ſi habeat ſignum & ſubſcriptionem Notarij, auſcultationem, & collationem cum originali.*

2 *Declaratio partis ſi ſit reſtrictiua, non extenditur vltra reſtrictionem.*

## DECISIO CCCLXIX.

VNa tantùm parte informante dubitaui, an copia de qua in extractu, eſſet in forma probante, ita vt illius vigore A.C. potuerit contra D. Hortenſiam Farneſiam mandatum relaxare; & fuit dictum ex deductis non videri authenticam, * cùm non haberet requiſita ad fidem faciendam, qualia ſunt ſignum, & ſubſcriptio Notarij auſcultatio, & collationatio cum originali.

* receſſum fuit ab hac deciſio infrà dec.438.

Neque obſtare, quòd die 3. Februarij 1583. coram R. P. D. meo Blanchetto, agente pro D. Hortenſia declauerint, velle ſtare copiæ, quia declaratio fuit facta cum certa conditione, & qualitate, videlicet velle ſtare copiæ ſcriptæ, & ſubſcriptæ manu Notarij rogati, & concordatæ cum originali; quæ cùm deficeret in copia de qua agebatur, non potuit A. C. in ea ſe fundare.

## *Portuenſis reſponſionis extra Rotam.*

### Die 4. Maij 1594.

SVMMARIVM.

4 *Teſtis de negatiua deponere debet de toto tempore coarctato, vt concludant.*

5 *Teſtes de affirmatiua deponentes, præferendi ſunt deponentibus de negatiua, & n.7.*

6 *Teſti vno affirmanti magis creditur, quàm multis negantibus.*

DECI-



## DECISIO CCCLXX.

1. EXorta controuerſia inter Dominicum Giaccium de Sutrio Archipresbyterum Eccleſiæ Cerenſis, & Dominum Marium Fanum affictuarium territorij caſtri Ceræ, ſuper reſponſione LXXIII. rubiorum terræ Eccleſiæ Cerenſis, ex eo quòd Archipresbyter prætendebat, ſibi pendendam reſponſionem decem quartarum grani, pro quolibet rubio terræ, & Dominus Marius volebat tantum ſoluere reſponſionem vnius ex nouem, dicebat enim Marius, non eſſe ſolitus aliquid amplius, quàm vnum ex nouem pendere pro reſponſione de terris Eccleſiæ, & præterea, vigore conductionis ſe habere ius paſcendi in dictis terris Eccleſię, quia in inſtrumento dicti continebatur; *che delle rubia 63. di Terreno de la Chieſa, di detto caſtello, che ſtanno in pie tergi. l'affettuario, non vi habbiauia altro, che il ius paſcendi, & le reſpoſte, di dette 63. rubia di terra, ſi ſeruano per la Chieſa, come è ſolito*; præpoſito dubio extra Rotam priùs per Dominos, vtraque parte informante concordata, quæ ratio eſſet habenda iuris paſcendi dictarum terrarum Eccleſiæ Cerenſis, ad effectum vt videretur, an aliquid foret detrahendum de dicta reſponſionis quantitate, quam Archipresbyter ſibi debitam aſſe-

2. rebat, Domini reſponderunt, neque iuris paſcendi habendam fuiſſe aliquam rationem, quoniam ex conformibus teſtium depoſitionibus habebatur, boues aratorios, qui laborabant terras Eccleſiæ, ſiue eſſent incolarum caſtri Ceræ, ſiue forenſium, habuiſſe paſcua pacificè in eiſdem locis, in quibus paſcebant boues, qui laborabant terras Dominorum caſtri Ceræ, de bouis aratoriis incolarum nulla erat dubitatio, cùm in hoc conuenirent teſtes pro Eccleſia, & pro Mario examinati, vt ſextus teſtis Eccleſiæ iuxta decimum interrogatorium, & ſuper 13. articulo, & primus iuxta 16. & 27. interrogatorium, & ſecundus iuxta 16. & 28. interrogatorium, & ſuper 2.4. & 5. & tertius iuxta 28. & ſuper 2. & 4. art. item teſtes Marij, vt primus iuxta 7. interrogatorium, & ſecundus, & tertius iuxta 7. & 8. interrogat. & ſuper 4. & 5. art. & quintus iuxta 5. & ſextus iuxta 14. & ſextus iuxta 17. art.

3. Idem verò iudicium fuiſſe de bobus aratoriis forenſium eaſdem Eccleſiæ terras colentium, probabat ſecundus teſtis Eccleſiæ, iuxta 28. vbi dicebat: *quelli che laborano le terre della Chieſa, anchor che ſiano foraſtierij, ponno paſcere, doue paſcono li altri.* Item tertius teſtis Eccleſiæ iuxta 28. *quando ſi dauano à lauorare, li terreni detti o fuſero foraſtierij o homini de la terra, quelli che lauorano le terre della Chieſa, paſceuano con li loro boui, communente nelle loghi ſtille, doue paſceuano quelli de Cere.*

Idem deponebat ſextus teſtis Marij ſuper 4. art. dicens, *li baſſaneti, che veniuano à lauorare à Cere, paſceuano per li foſſi, & per le mezzagne ſenza pagare pena neſſuna, & queſto lo ſo; per che ſementauano eſſi baſſaneti le terre de la Chieſa.*

Iſtis accedebant alij teſtes generaliter, & indiſtinctè dicentes: *che li boui, che arauano le terre della Chieſa, andauano à paſcere per tutto luoghi, doue paſceuano li altre boui, che arauano le terre dil ſignore, & della communità.*

4. Teſtes D. Marij Fani dicentes, Eccleſiam non habere ius paſcendi, cenſuerunt Domini non obſtare: quia præterquam quòd videbantur ſibi ipſis contrarij, non deponebant de negatiua de toto tempore * coarctata, quinimo atteſtabantur de tempore moderni Domini Marchionis, & aliqui expreſsè dicebant, ſe nihil ſcire, an idem eſſet de tempore D. Lælij, antiqui Domini caſtri Ceræ: vnde non poterat, nec debebat conſiderari id, quod vltimo loco fuerat obſeruatum, tum propter malam fidem, tum quia non erat legitimè aliquid contra Eccleſiam præſcriptum.

* quod eſt neceſſarium. adde Caual. dec.487.n.3. Seraph. dec. 1102.num.8. Mantic. dec. 350.n 7 Rotam rec. p.2. dec.536.n.2.

Accedebat præterea, quia teſtes Eccleſiæ qui deponebant de affirmatiua, & magis etiam veriſimiliter, præferendi erant teſtibus Marij deponentibus de negatiua, * per regulam vulgarem, quòd magis ſit credendum vni teſti affirmanti, quàm multis negantibus, gloſſ. & Doct. *in l. diem proferre. § ſi plures, ff. de receptis arbitr.* Alexander *conſ.148. n.2. lib.2.* Socinus iunior *conſ.146. n.38. lib.2.* Afflictus *deciſ.324. n.9.* 5.

* de hoc art. infrà deciſ. 681. n. 4. & dec.984.n.2. & adde Rotam rec. p.2. dec.272.n.2. & aliàs ſæpe.

6. Quantum autem ad ſolitum, ſiue ad conſuetudinem ſoluendi vnum tantùm ex nouem, ſicut D. Marius prætendebat non recedendo à deciſione facta die 26. Martij ann. 1593. coram R. P. D. meo Millino, in qua fuerat deciſum, Eccleſiæ caſtri Ceræ deberi reſponſiones perceptas ex ſuis terris, ſicut percipiebatur ex aliis terris non locatis Cerenſibus; quia non probabatur ſolitum ſoluendi, ad rationem vnius pro nouem, Domini addebant in hac etiam poſſeſſione probari per teſtes, non fuiſſe ſolutum de terris Eccleſiæ vnum tantùm ex nouem, ſecundùm quod ſoluebant Cerenſes, ſed quòd Eccleſiæ ſolueretur maior reſponſio, vt probabat ſextus teſtis iuxta 10. & ſuper 3. in ſummo num.1. & ſecundus, qui deponebat de reſponſione duorum dubiorum, pro ſingulo dubio.

Quibus non obſtabant alij teſtes D. Marij deponentes, Archipresbyterum fuiſſe ſolitum exigere vnum tantùm ex nouem, & non plus; quia (vt paulo antea dictum fuit) deponebant de tempore moderni Marchionis, & magis erat ſtandum teſtibus Eccleſiæ affirmantibus, & veriſimiliora dicentibus, quàm teſtibus Marij negantibus, imò verò quintus teſtis Marij, (de quo *in ſummario n.1.*) interrogatus de cauſa ſcientiæ, reſponderat, quia viderat ita exigere quendam Blaſium nepotem Archipresbyteri, tunc Eccleſiam regentis, & tamen idem Blaſius in ſummario Archipresbyteri *n.1. & 2.* iuxta 10. interrogatorium, ſuper 3. art. aſſerebat, ſe nomine ſui patrui exegiſſe à Stephano Pagnotta, duo rubia pro ſingulo rubio: ex quibus videbatur Dominis, non ſatis integri, & fideles teſtes, pro D. Mario inducti. 7.

## *Burgen. diſtributionum, ſeu reſidentiæ.*

### Die Lunæ 9. Maij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Conſuetudo in modo applicandarum diſtributionum quotidianarum multum ſibi vendicat.*

3.4.5 *Conſuetudo, vt diſtributiones quotidianæ abſentium*

*ſentium accreſcant maſſa communi, non eſt vitioſa, & ita eſt ſeruanda.*

6 *Statutum præſumitur vſu receptum, niſi contrarium probetur.*

7 *Statum faciens mentionem de aliqua iuris diſpoſitione, ſecundùm eam debet intelligi.*

8 *Epiſcopus ſolus non poteſt facere ſtatuta ſuper re ſpectante ad Capitulum, ſine eius conſenſu.*

## DECISIO CCCLXXI.

1. QVoniam in Eccleſia Burgenſi, diſtributiones quotidianæ, quas non intereſſentes diuinis Officiis non lucrantur, reponi ſolent in maſſa communi, ſeu in menſa capitulari, & D. Archiepiſcopus, putans lædi cultum diuinum, ſi Capitulares negligerent intereſſe, ex quo videbantur alteris diebus lucraturi, quod alteris prioribus non intereſſendo amiſerant; prætendebat, tam vigore iuris communis *in cap. vnico, de Cleric. non reſident. lib. 6.* quàm Concilij Tridentini *ſeſſ. 21. cap. 3. & ſeſſ. 22. cap. 3. & ſeſſione 24. cap. 12.* prædictas diſtributiones non debere remanere in maſſa communi; ſed ſuo arbitrio poſſe fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco applicare, ideo dubitaui, an portiones diſtributionum non intereſſentium diuinis Officiis deberent remanere in maſſa capitulari, vel potiùs D. Archiepiſcopi arbitrio applicari, & bis cauſa propoſita die 2. & 9. Maij, Domini cenſuerunt, portiones non intereſſentium in maſſa communi remanere debere. Cùm enim in modo diſtributionum quotidianarum diſtribuendarum, aut
2. applicandarum, multum ſibi vendicet conſuetudo, * & ordinatio cuiuſlibet Eccleſiæ, *dicto c. vnico §. ſtatuimus, de Clericis non reſiden. lib. 6.* Cæpolla *tract. de ſeruit. ruſticor. prædior. cap. 4. n. 15.* Decius *conſ. 280. in princip.* Pariſius *conſ. 32. n. 20. lib. 4.* Zabarella *conſ. 53. num. 4.* & fuit dictum in cauſa Valentina emolumentorum die 16. Octobris 1585. coram bon. mem. Cantuccio, pro parte Domini Archiepiſcopi nihil proponebatur, quod antiquam illam, & inueteratam conſuetudinem, nedum in Eccleſia Burgenſi, ſed in pluribus aliis Hiſpaniæ, vt teſtatur Ioannes Gutierez *lib. 1. canonicar. quæſt. cap. 1. num. 107.* ſpernendam ſuaderet.

* Cocc. dec. 500. n. 3. Rota recen. p. 2. dec. 107. n. 1. in fine, & in vna Valentina emolumēti coram Seraph. impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 1335. n. 4.

3. Primum conſuetudo prædicta non eſt contraria diſpoſitioni Bonifacianæ *in dicto cap. 1. de Cler. non reſident. lib. 6.* ibi enim ſolùm improbatur conſuetudo, per quam Canonici, ſeu alij beneficiati, licèt diuinis Officiis non intereſſent, dummodo in ciuitatibus, ſeu aliis locis, in quibus Eccleſiæ ipſæ conſiſtunt, forent præſentes, perinde ac ſi continuè ipſis Eccleſiis in eiſdem Officiis deſeruirent, integras diſtributiones percipiebant; qui abuſus longè abeſt à propoſita facti ſpecie; portio enim illius, ſeu illorum, qui vno die non interfuerunt, quamuis in maſſa communi reponatur, nunquam tribuetur non intereſſenti, ad hoc enim vt de maſſa illa communi participet, vt diuinis Officiis interſit eſt neceſſe, & cùm interfuerit, non lucrabitur integram portionem, quam ſemel amiſit, ſed minimam tantùm partem reſpondentem labori, ſeu operi illius diei, quo ſeruiuit, ac neque tunc quidem lucrabitur eam portionem, quaſi diſtributionem amiſſam die illo, quo non ſeruiuit, ſed quaſi diſtributionem, & portionem propriam eius diei, quo diuinis interfuit; illa enim portio quæ per non intereſſentiam abſentis vacauit, ſic incorporata fuit maſſæ communi, vt cùm deinceps intereſſentibus datur, diſtributionum illius diei naturam indicat, & ita quoque in hac materia cenſuerunt Couarruuias *lib. 3. variar. reſolut. cap. 13. num. 7.* & Ioannes Gutierez *lib. 1. Canonicar. quæſt. cap. 1. num. 107.*

Concilium Trident. *ſeſſione 21. cap. 3.* nec tollit, nec improbat hanc conſuetudinem, cùm ibi longè diuerſi caſus proponantur, loquitur enim de Eccleſiis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita ſunt tenues, * vt veriſimiliter negligantur, in quibus propterea tertia pars fructuum pro diſtributionibus applicari iubetur, cæterùm Concilium expreſsè præſeruat conſuetudines illarum Eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſeruientes nihil, vel minus tertia parte percipiunt. Vnde cùm pro parte D. Archiepiſcopi non verificatur factum in Eccleſia Burgenſi ad Concilij præſcriptum, non habebit locum illius diſpoſitio, ſicut prætendebat Archiepiſcopus, quinimo Concilij diſpoſitio Capitulo fauere videtur, ex quo enim prætenditur, in Eccleſia Burgenſi totam præbendam conſiſtere in diſtributionibus quotidianis, conſequitur Capitulares continuè deſeruituros, & præſentes futuros fore diuinis Officiis, ne tantis commodis careant. Nauarrus *miſcellaneo 59. de oratione, num. 6.* 4.

* adde Rotam diuerſorum p. 2. dec. 325.

Et ex his patebat etiam reſponſio ad idem Concilium *ſeſſione 22. cap. 3. de reformatione,* quod ſimiliter loquitur de tertia parte fructuum, in diſtributionibus quotidianis aſſignanda.

Ad aliud eiuſdem Concilij decretum *ſeſſione 24. cap. 12. §. diſtributiones,* non oportuit aliter reſpondere, quàm paulo antea reſponſum fuit *ad cap. vnicum, de Cleric. non reſid. lib. 6.* quia in eo decreto Concilij Patres expreſsè referunt ſe ad conſtitutionem Bonifacij incip. *Conſuetudinem.* 5.

Poſtremò, non videbatur ſublata conſuetudo per ſtatutum Cardinalis Mendozzæ, Archiepiſcopi Burgenſis de anno 1566. & redactum in volumine ſtatutorum per Cardinalem Pacherum, ſimiliter Archiepiſcopum Burgen. de ann. 1574. quia licèt ſtatutum præſumatur vſu recepum, * niſi contrarium fuerit probatum. Decius *conſ. 534. num. 9.* Creſcentius *deciſ. 79. num. 2.* Antonius Auguſto *in epitome tit. de conſtit. num. 3.* nilominus in hoc caſu, cùm in eodem ſtatuto diceretur, quòd fuerat factum in executionem Concil. Trident. *ſeſſ. 21. cap. 3.* ſi illa diſpoſitio non habet locum, (vt dictum eſt) neque ſtatutum diceretur factum à ſolo Archiepiſcopo, ſine Capitulo, & Archiepiſcopus de iure non poſſit condere ſtatuta, ſuper re ſpectante ad Capitulum, ſine illius conſenſu, * Geminianus *in dicto cap. 1. §. ſtatuimus, num. 4.* & Francus *num. 2. de Cleric. non reſiden. lib. 6.* inualidum fuit. 6. 7. 8.

* adde Durand. dec 36. n. 41.

* & vt tale ſtatutum valeat requiritur conſenſus Epiſcopi & Capituli, vt per Rotā rec. p. 2. dec. 398. n. 2. & 3.

Statutum etiam ſatis videbatur non fuiſſe vſu receptum, ex eo, quia ſemper fuerat obſeruatum contrarium, & diſtributiones diuiſæ ſecundùm antiquam conſuetudinem.

Poſtremò dicebant Domini, quòd licèt diſtributiones non eſſent ponendæ in maſſa communi, non propterea ſequebatur, quòd arbitrio Archiepiſcopi forent applicandæ; cùm circa hoc variæ ſint Doctorum ſententiæ, nec diſcuſſum adhuc, aut definitum, quæ ex illis præualeat.



## *Neapolitana cenſus.*

### Die Lunæ 9. Maij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in profanis conceditur, in qualibet inſtantia.*

*etiam ſine fumo, n. 2.*

3 *Remiſſoria eſt concedenda, ſi adſit articulus releuans.*

## DECISIO CCCLXXII.

1. REmiſſoriam conceſſerunt Domini Abbati Paulutio, quia in profanis conceditur in qualibet inſtantia. Put. *dec. 101.* incip. *Fuit coram Domino, lib. 1.* * etiam ſine fumo, Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de dilationib. & remiſſoria. §. 6.* præſertim, quoniam aderat articulus † releuans de ſcientia Iuliæ Staibanæ, ſuper pacto facto inter D. Abbatem, & Camillum debitorem, quòd ipſe Abbas deberet ſuccedere in iuribus, & actionibus Iuliæ competentibus, ſuper cuius ſcientiæ, & pacti defectu, erant fundatæ omnes reſolutiones * factæ in Rota contra D. Abbatem, iuxta tradita per Salicetum *in l. Ariſto, ff. quæ res pignor. obligar. non poſſ.* 2. 3.

* adde Durand. dec. 35. n. 2. Ludouiſ. dec. 124. n. 1. & 403. n. 3. & 562. n. 3. Caual. dec. 170. n. 1. & 258. n. 1. & aliàs ſæpe.

† adde Durand. dec. 61. n. 8. & 202. n. 1. Caualer. dec. 59. n. 1. & 610. n. 1. & infrà deciſ. 488. n. 2. & 1255. n. 2.

* ſuprà dec. 297. 326. & 343.

## *Monaſterien. iuris paſcendi.*

### Die Veneris 13. Maij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Iuris paſcendi quaſi poſſeſſio ex teſtibus ſatis probatur.*

4 *Quòd ſi præſumptionibus adiuuetur, facit concludentem probationem.*

5 *Scientia, & patientia requiritur in aduerſario, ad inducendam quaſi poſſeſſionem.*

6 *Scientia, & patientia Domini non eſt neceſſaria in incorporalibus ſi neſciatur quis ſit dominus ad acquirendam poſſeſſionem.*

7 *Scientia, & patientia domini non eſt neceſſaria ad inducendam poſſeſſionem, ſi agatur de ſeruitute habente cauſam diſcontinuam.*

8 *Seruitus vt conſtituatur, eſt neceſſarius titulus verus, vel præſumptus cauſatus à poſſeſſione.*

## DECISIO CCCLXXIII.

1. IN hac cauſa, quæ agebatur inter nobiles viros Ioannem Bonderrech, & litis conſortes ex vna, & Adolphum Nagel ex parte altera, ſuper iure paſcendi in prato Muſterphelt, reperiebantur vtrinque factæ multæ probationes, & quoniam in concurſu erat videndum, quænam ex illis præferenda foret, ideo priùs de ordine Rotæ dedi dubium, an Remiſſoria D. Adolpho conceſſa releuaret.

Et Domini tenuerunt opinionem affirmatiuam, ex teſtibus enim vigore Remiſſoriæ per Adolphum obtentæ, & executæ, conſtabat de quaſi poſſeſſione ipſius, & ſuorum anteceſſorum à tempore motæ litis, reſpectu iuris paſcendi, & propterea in eo fore manutenendum: nam quòd Adrianus, & ſucceſſiuè Georgius, & deinde Adolphus pauerint in prædicto prato ſua animalia, probabant primus teſtis iuxta 5. 8. & 11. interrog. & ſuper ſecundo articulo, & deponebat de facto proprio à tempore Adriani; & ſecundus iuxta 8. & 11. & 15. & ſuper 2. articulo, teſtificabatur de poſſeſſione Georgiæ vxoris eius, & etiam Adolphi: & tertius teſtis iuxta 8. & 11. & 15. & 24. & ſuper ſecundo articulo, ſimiliter deponebat de poſſeſſione Adriani, Georgij, & Adolphi, quibus conſentiebant, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, & octauus teſtes, ex quibus ſatis ſufficienter remanebat probata, quaſi poſſeſſio iuris paſcendi. Alexand. *conſ. 88. num. 7. & ſeqq. lib. 5.* Ruinus *conſ. 68.* incip. *In cauſa, & lite, num. 5. lib. 2.* 2.

Teſtium depoſitionibus accedebant multa in facto deducta pro D. Adolpho, in quibus ſequentia videbantur præcipua, primum, quia pratum (de quo agebatur) partim erat ſitum in Parochia Herbaren. de qua erat D. Adolphus, & partim in Parochia Denſtrenuoirdt, ſicut aduerſarij D. Adolphi confeſſi fuerant in reſponſione ad tertium articulum, vnde intrabat præſumptio, quòd ab initio fuiſſet commune hominibus habitantibus in dictis Parochiis, & relictum ad communem vſum, & vtilitatem eorum, & conſequenter in eo paſcere poſſent homines caſtri Itlingen Parochiæ de Herbaren. in qua exiſtit caſtrum de Itlingen.

Alterum, quia olim prati in eo loco, vbi nunc eſſet agger, versùs caſtrum Itlingen, iter erat apertum, vulgo nuncupatum, *Kueſpeck,* Latinè, vaccarum phalanx, eo quòd vaccæ per illud duci ſolerent, vt deponebant primus, quintus, & vndecimus teſtes primo loco examinati, iuxta ſextum interrogatorium. 3.

Teſtium adminiculum deſumebatur ex ipſiuſmet prati latitudine, & prædiorum vicinitate, quia cùm tam Parochiani de Herbaren, in quibus D. Adolphus erat primarius, quàm Parochiani de Denſtrenuoirdt haberent, nedum vicina, ſed etiam contigua prædia dicto prato, veriſimile erat, illud omnibus fuiſſe compaſſiuum.

Poſtremum deſumebatur ab vſu lignandi in dicto aggere, & à cura eiuſdem aggeris, ſiue ſepis pratum, circundantis conceſſa Dominis caſtri de Itlingen. ex quibus etiam arguebatur ad vſum iuris paſcendi; hæc enim omnia valde veroſimilem reddebant teſtium depoſitionem, ad probandam quaſi poſſeſſionem iuris paſcendi, Ruinus *dicto conſil. 68. n. 5. lib. 2.* Riminaldus iunior *conſ. 237. n. 5. lib. 3.* 4.

Quibus non obſtabat præcipua oppoſitio, facta per informantes pro D. Ioanne, quòd ſcilicet non conſtaret de eius ſcientia, & patientia, quæ requiritur * ad effectum acquirendæ poſſeſſionis in incorporalibus. Innocen. *in cap. bonæ il 2. num. 1. de poſtul. prælatorum.* Bartol. *in l. 1. §. hoc interdictum, num. 9. ff. de itinere actuque priuat.* Afflictus *deciſ. 282. num. 2.* Aymo *conſil. 134. num. 14.* 5.

* adde Caual. dec. 56. n. 2.

Quia

6. Quia reſpondebatur primò, quòd cùm non conſtaret ſolos illos de Vonderrek, eſſe dominos huius prati, nec de illorum anteriori poſſeſſione, iſtis non probatis, non erat neceſſarium conſtare de illorum ſcientia, & patientia. Innocen. *in dicto cap. bona il. 2. de poſtulat. prælat.* Rainus *conſ. 55. num. 6. lib. 4.*

7. Atque hinc etiam corruebat altera obiectio, quòd cùm hic agebatur de iure paſcendi, & ſic de ſeruitute habente cauſam diſcontinuam, Cæpolla *tract. de ſeruit. ruſticor prædior. cap. 9. num. 24.* in ea conſtituenda neceſſarius erat titulus verus, vel præſumptus, cauſatus à poſſeſſione immemorabili. * *l. hoc iure. §. ductus aquæ ff de aqua quotid. & æſtiu.* Bertrandus *conſ. 135. num. 1. & ſeq. lib. 7.* Pariſius *conſ. 27. num. 70. lib. 1.* quem cum non probarent teſtes vigore remiſſoriæ examinati, ea non poterat Domino Adolpho ſuffragari.

8. [* adde Caual. dec. 632. n. 8. noſtrum Seſſetum 2. deciſ. 1339. n. 36.]

Quoniam dicebatur ſimiliter, quòd cùm non conſtaret illos de Vonderrek. fuiſſe ſolos dominos prati, nec de illorum anteriori poſſeſſione, reſpectu iuris paſcendi, eſſet aliquid probatum, ſicut non erat neceſſaria illorum ſcientia, & patientia, ſic non oportebat docere de titulo præambulo, aut immemorabili, pro parte D. Adolphi, vel ſuorum anteceſſorum.

Ad illud, quod opponebatur de contradictione facta illis de Irlingen, in dicto prato propria animalia paſcere volentium, & de ſcuticatione eorundem animalium, ex quibus D. Ioannes & litis conſortes prætendebant, nullam quaſi poſſeſſionem fuiſſe incolis de Irlingen acquiſitam in iſto iure paſcendi, reſpondebant Domini primum, quòd cùm non conſtaret de dominio ſolius D. Ioannis, neque de illius anteriori poſſeſſione, ex illa ſcuticatione, & contradictione, non potuit ſolus acquirere poſſeſſionem, nec illi de Irlingen amiſerunt poſſeſſionem, cùm ipſi nedum ſcuticationi animalium non acquieuerint, quinimo contrarias ſcuticationes fecerint, & ſua animalia (vt teſtes conformiter deponebant) recuperauerint.

Poſtremò, quamuis Adolphus in reſponſionibus ad articulos aduerſarij reſponderit, de immemorabili eius poſſeſſione, non præiudicauit ſibi, cùm non dixerit eos ab immemorabili tempore, etiam priuatiuè quoad alios poſſediſſe.

Quod ſi verum erat, Adrianum Adolphi anteceſſorem petiuiſſe licentiam per pratum tranſeundi, & promiſiſſe reſarcire damnum, ſi quod per animalia inferretur, fortaſſis res non careret difficultate, quæ in hac propoſitione non fuit habita in conſideratione, quia hoc fuiſſet dictum per informantes pro D. Ioanne, tamen non fuit probatum.

---

## *Terdonen. Prioratus.*

### Die Lunæ 16. Maij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Clericatus probatur, ex litteris patentibus Epiſcopi.*

2 *Beneficium ſimplex non poteſt eſſe curatum.*

3 *Valor beneficij probatur ex libro Cameræ, ſeu taxæ Eccleſiæ.*

4 *Probationes leuiores ſufficiunt ad effectum gratiæ verificandæ.*

5 *Beneficium regulare datum in commenda, non poteſt Epiſcopus vnire.*

6 *Status beneficij probatur ex renunciationibus, & reſignationibus.*

## DECISIO CCCLXXIV.

GRatiam Bigurræ cenſuerunt Domini iuſtificatam: nam de eius Clericatu conſtabat ex literis patentibus Epiſcopi Terdonenſis, quibus Clericatus * probari ſolet. 1.

[* adde Durand. deciſ. 263. num. 17. & 430. n. 2. Ludouiſ. dec. 78. num. 5. & 490. n. 6.]

Prioratum (de cuius gratiæ verificatione agebatur) carere cura, & conuentu, nec requirere reſidentiam perſonalem, deponebant teſtes ſuper 7. art. & teſtificabatur quoque Epiſcopus Terdonenſis in vnione, quam fecerat Seminario, nam ex eo, quod dixerat eſſe beneficium ſimplex ex communi vſu loquendi excludebat † curam, & conuentum. 2.

[† cum beneficia ſimplicia ſemper præſumãtur, & non curata Durã. dec. 433. n. 9. Ludouiſ. deciſ. 370. n. 3. & 108. n. 2. & 13 & 175. n. 3. & 387. n. 4. & aliàs ſępe.]

Bigurram fuiſſe oriundum ex ciuitate Terdonenſi, conſtabat tum ex litteris Clericatus, in quibus enuntiabatur inde oriundus, tum ex depoſitionibus duorum teſtium ſuper 6. articulo.

Quoad valorem obtentorum, viſa quoque fuit gratia iuſtificata, nam quantum ad Prioratum Sancti Pauli, (qui erat vnus de obtentis) quòd non excederet 33. florenos, oſtendebatur ex libro Cameræ, * ſeu taxæ Eccleſiarum, & Monaſteriorum, in quo reperiebatur notatum, Monaſterium Sancti Pauli extra muros Terdonen. fuiſſe valoris florenorum 33. cui erat ſtandum, † cùm per partes variari non poſſit, Sarnenſis *in regula de valore, quæſt. 3. num. 4. & 5.* Caſſadorus *deciſione 19. ſuper regulis Cancellariæ,* Antonius Auguſtinus *in epitome, in regula de valore, tit. de publicatione valoris, num. 6.* eundem verò Prioratum carere Cura, & Conuentu, probabant duo teſtes in Curia examinati. 3.

[* adde Mantic. dec. 132. n. 4.]

[† licèt liber Cameræ quoad taxam nõ probet valorem, vt per Ludou. dec. 13. n. 4.]

Valor aliorum duorum obtentorum probabatur per duos teſtes, vltimo loco examinatos, qui licet deponerent de publica fama, & voce per verbum præſentis temporis, nilominus ex quo vnus teſtis ſuper quinto articulo addebat, ſe à quampluribus Presbyteris ciuitatis Terdonenſis audiuiſſe articulatum beneficium non excedere ſummam ducatorum 24. viſum fuit id ſufficere * ad effectum verificandæ gratiæ, in quo leuiores probationes ſufficiunt. 4.

[* cum ad hunc effectũ ſufficiat qualis qualis probatio, vt per Coccin. dec. 458. n. 3. & Rotã rec. p. 1. dec. 572. n. 3. & 4. Ludou. dec. 78. n. 4. & vide infrà deciſ. 399. n. 5.]

De valore † Prioratus Sancti Martini, quem Bigurra impetrauerat, quòd non excederet ducatorum nonaginta tres, deponebant duo teſtes in Curia examinati ſuper primo articulo de publica voce, & fama de tempore gratiæ, Puteus *deciſ. 29.* incip. *In vna Colonien. lib. 1.* quam probationem coadiuuabat inſtrumentum locationis factæ à Seminario pro ſcutis 84. auri in auro ſingulis annis, & ſic pro minore ſumma quam Bigurra expreſſerat in ſua gratia.

[* adde Rotam rec. p. 1. dec. 140. n. 3. & infrà dec. 991. n. 7. vbi annotaui, & dec. 399.]

Poſtremò Prioratum iſtum eſſe regularem Ordinis Sancti Benedicti, & in Commendam dari ſolitum, qui propterea vigore Concilij *ſeſſ. 23. cap. vltimo*, per Epiſcopum auctoritate ordinaria, & ſacra congregatio Dominorum Cardinalium Concilij Interpretum cenſuit vniri * non 5.



[* Rota diu. p. 2 dec. 222. n. 3.]

* non potuerat, conſtabat ex multis, primò ex reſignatione aliàs facta per Franciſcum Malaſpinam anno 1527. ad fauorem Ludouici Turriani; vbi tanquam Regularis fuerat reſignatus, item ex alia reſignatione, quando anno 1549. fuerat idem Ludouicus ad fauorem Annibalis Turriani, in qua & Ludouicus eundem Prioratum tanquam Regularem reſignauerat, & Annibal tanquam talem receperat; quæ renunciationes, cùm effectum eſſent ſortitæ, ſatis probabant ſtatum * regularitatis ab anno 1527. vſque ad annum 1568. de quo tempore Epiſcopus Terdonenſis Prioratum vniuerat Seminario, Geminianus *in cap. cùm de beneficio, num. 8. verſ. item quia, de præbend. lib. 6.* Felinus *in cap. in noſtra num. 43. in fine, de reſcript.* Selua *tract. de benefic. p. 3. quæſt. 11. n. 39. & ſeq.*

6. [* qui eſt attendẽdus ad cognoſcendã qualitatem beneficij. Durand. in d. deciſ. 433. n. 10. & 442. n. 3. præſertim ad effectum iuſtificationis gratiæ. Ludouiſ. dec. 482. n. 7. n. 7. Seraph. deciſ. 2467. n. 3.]

Super regula de triennali an obſtaret Bigurræ, Domini particulariter videre voluerunt.

---

## *Romana Saluiani interdicti.*

### Die Lunæ 16. Maij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Relationis natura eſt, vt contineatur in referente, quidquid in relato continetur.*

3 *Nouatio non inducitur, niſi expreſsè dicatur.*

## DECISIO CCCLXXV.

1. EXtra Rotam propoſui dubium inter Carolum Gabrielium, & Mercurium Amodeum, cum quibuſdam præſuppoſitis concordatum, an Paulus Æmilius fideiuſſor, vel Mercurius principalis, tenerentur reſtituere pecunias exactas per ipſum Mercurium, ad effectum de quo agebatur, & Domini cenſuerunt Paulum teneri, licèt enim vigore alicuius promiſſionis, ſeu ſtipulationis Mercurius qui nil promiſerat, non teneret aliquid reſtituere, tenebatur tamen Paulus Æmilius, qui fideiuſſerat, & promiſerat reſtituere, non ſolùm pecunias exigendas expenſionibus domorum, ſed etiam omnia in executionem capta, vnà cum expenſis, in euentum, in quem appellationem non fuiſſe deſertam, vel non fuiſſe reiiciendam per duos conformes iudicaretur, iuxta formam ſtatuti vrbis *lib. 1. cap. 174. in fine*; quamuis enim hæc non fuerit in fideiuſſione expreſſa, ſatis erat in ea ad ſtatutum fuiſſe habitam relationem, & perinde eſſet, ac ſi contenta in ſtatuto, nominatim * in promiſſione expreſſa fuiſſent, cùm hæc ſit relationis natura, *l. aut prætor. §. ſi iudex.* vbi Bartolus & Ripa *in primo notab. ff. de re iudic. l. ſi ita ſcripſero*, vbi Bartolus, Baldus, & alij, *ff. de conditionib. & demonſtrationib.*

2. [* adde Lud. dec. 522. n. 9. & Caual. deciſ. 94. n. 6. & 7. cùm paria ſint exprimere nominatim ac per relationem, vt per Cocc. dec. 487. n. 2. Mantic. dec 336. n. 3. & Seraph. dec. 451. n. 4. & aliàs ſæpe.]

Neque prædictis obſtabat, illam promiſſionem videri nouatam per comparationem Caroli, & cedulæ exhibitionem, quoniam præterquam quòd nouatio † non inducitur niſi expreſsè dicatur. *l. fin. C. de donationib.* in hoc caſu omnis difficultas tollebatur ex eo, quòd Carolus in cedulæ exhibitione, expreſsè retulit ſe ad ſtatutum, ibi, *niſi obſeruato dicto ſtatuto in omnibus, & per omnia.*

3. [† adde Duran. dec. 266. n. 19. Caual. dec. 124. n. 4. & 338. n. 3. in fine. Cocc. deciſ. 8. n 2. Seraph. dec. 1172. n. 1. & aliàs ſæpe.]



---

## *Caputaquenſis Vnionis.*

### Die Veneris 20. Maij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria non datur, ſi pars non probauit antea partem ſuæ intentionis.*

*Vel ſi adeſt calumniæ ſuſpicio contra petentem, num. 2.*

3 *Actus contrarij interrumpunt immemorabilem.*

## DECISIO CCCLXXVI.

REmiſſoriam denegarunt Domini Capitulo Amalphitano, quia cùm in partibus fuerit lis tractata, & teſtes examinati, tunc non probauit immemorabilem, quam probare prætendebat Paulus de Caſtro *in l. de die. §. tutor. qui ſatiſdare cogan.* Afflict. *dec. 137. n. 4.* Peregrin. *dec. 128. lib. 3.* Verallus *dec. 63. n. 1. p. 3.* 1.

Item, quoniam aderat ſuſpicio calumniæ * contra petentem, cùm in partibus examinauerint plures teſtes, † & præſumerentur feciſſe meliorem probationem, quam facere potuerant. Crauetta *conſ. 143. num. 3.* 2.

[* adde Duran. dec. 453. n. 1. & 462. n. 3. vbi plures aliæ dec. allegãtur; ex quibus autẽ calumnia, & irreſeruantia probentur tradit latè idem Duran. dec 264. n. 1. & in dictis deciſ. 453. & 462.]

Poſtremò, quia non erat releuans, cùm Capitulum veller probare immemorabilem, quam actu contrarij interuperant, * tunc enim immemorabilis ceſſat. Socinus ſenior *conſ. 7. n. 11. lib. 1.* Puteus *dec. 436. lib. 2.* 3.

[† adde Lud. dec. 414. n. 1. vbi ad propoſitum cum aliis allegat, hanc deciſ. & Rotam rec. p. 2. dec. 406. n. 2.]

[* adde ſuprà deciſ. 337. & 366. n. 2.]

---

## *Romana hæreditatis de Millonijs.*

### Die Veneris 20. Maij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtrationis ratio vt ſit legitima, debet fieri cum inuentario facto, & libro rationum.*

2 *Exceptio rationis redditæ adminiſtrationis non ſuffragatur, ſi verus liber rationum non ſit exhibitus in iudicio.*

3 *Exceptiones pupillæ competentes non poteſt tutor remittere.*

## DECISIO CCCLXXVII.

DOmini cenſuerunt D. Lucidam non reddidiſſe ſufficientem rationem ſuæ adminiſtrationis, ex quo nunquam fuerat exhibitum inuentarium legitimè factum, in quo erant deſcripta bona hæreditaria, cum qualitatibus eorum, nec liber rationum, * in quo diſtinctè debuerant annotari redditus hæreditarij, & impenſæ per adminiſtratricem legitimè factæ ad pupillæ vtilitatem, *l. cùm ſeruus, ff. de condit. & demonſtrat.* Socinus ſenior *conſil. 159. num. 3. & ſeq. lib. 2.* Iaſon *conſil. 219. num. 3. & ſeq. lib. 2.* Rolandus *conſil. 49. num. 18. & ſeq. lib. 1.* & propterea ceſſabat oppoſitio de ratione ſemel reddita, quia cùm verus liber rationum in alio iudicio non fuerit productus, non ſuffragabatur exceptio oppoſita, de ratione ſemel reddita. Neuizanus *conſil. 94. in fine*, Rolandus *dicto conſil. 49. num. 61. lib. 1.* ſicut neque obſtabat pupillæ, calculatio, & acceptio rationum facta cum eius tutore, 1. 2. 3.

[* de hoc att. vide annot. ad Lud. dec. 199. n. 5. & 8. & 274. n 6. & 8. & Rotam rec. p. 2. dec. 184. n. 1. & p. 1. dec. 540. n. 4. & 690. n 5.]

tutore, qui tametſi rationibus abſolutis quietaſſet, non potuit remittere in præiudicium pupillæ, exceptiones ei competentes. Ruinus *conſ.* 214. *num.* 4. *lib.* 1.

Cæterùm, quia cauſa agebatur inter matrem & filiam pupillam domini, vtrique conſulentes ordinarunt mihi, vt per concordiam finirem negotium, ne continuis ſumptibus exhauriretur hæreditas.

---

## *Bononien. Alimentorum.*

### Die Lunæ 23. Maij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta, & ſumptus litis, ea pendente debentur filio à patre, ea petente.*
*Quod extenditur etiam in filio naturali, & num. 2.*
3 *Alimentandi ius eſt onus reale, tranſiens cum bonis, ad quemcumque peruenientibus.*
4 *Filius petens alimenta, habet fundatam intentionem paupertatis, donec contrarium probetur.*

## DECISIO CCCLXXVIII.

1. PRæſuppoſita * deciſione in hac cauſa facta
die 28. Martij proximè præteriti, † dubitaui vtrùm Mario Voltæ deberentur alimenta, & ſumptus litis, pendente lite inter ipſum, & R. P. D. Baptiſtam Voltam? & Domini reſponderunt affirmatiuè, deberi Mario alimenta, * Biſnietus *deciſione* 2. *de indic.* Afflictus *deciſione* 10. & 11. Guido Pap. *deciſione* 561. Verallus *deciſione* 18. & 20. *parte* 1. quod procedere cenſuerunt
2. etiam in filio naturali, iuxta notata *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adult.* & fuit reſolutum in vna Romana de Zambecchoriis die 4. Maij 1588. coram Reuerendiſſimo Peruſino, acetiam, quando lis penderet ſuper alimentis. gloſſ. *in l. fin. C. de alendis liberis, & in l. ſi quis à liberis. §. ſi vel parens, ff. de liberis agnoſcen.* Couarruuias *in practicis quæſtionib. cap.* 6. *num.* 8. Molina *de primogenijs Hiſpanorum, lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 30. & præſertim in hac facti ſpecie, vbi bona peruenerant à Camera Apoſtolica ad D. Baptiſtam Voltam cum ſuis oneribus, in quibus vna eſt obligatio ali-
3. mentandi, quæ eſt onus reale, tranſiens cum bonis ad quemcumque peruenientibus. * Bartol. *in l.* 2. *in principio, ff. de aliment & cibarijs legat. & in l. ſi quis à liberis, §. idem reſcripſerunt, & de liberis agnoſcen.* cum aliis deductis in propoſitione iſtius cauſæ die 28. Martij.

* hæc deciſio habetur penes Marcheſ. de cõmiſ. p. 1. pag. 1176.
† ſuprà dec. 364. & fuit cõfirmata inferà dec. 413.
* adde infrà deciſ. 1055. n. 2. vbi annotaui, & Durand. dec. 95. & Rotam rec. p. 2. dec. 224.
* adde ſuprà dictam dec. 364. n. 3. vbi annotaui.

4. Et cùm Marius eſſet filius Camilli Voltæ, in cuius bonis prætendebat alimenta, etiam non dato de paupertate (de qua tamen hîc conſtabat) pro ſe dicebatur habere fundatam intentionem, donec contrarium probaretur. Cotta *deciſione* 24. Rota in vna Colonien. alimentorum * die 5. Decembris 1558. coram bon. mem. Oradino.

* habetur p. 1. diuer. dec. 499.

---

## *Imolen. repetitionis dotis.*

### Die Veneris 27. Maij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Fideicommiſſo non præſumuntur bona ſubiecta, niſi fideicommiſſarius oſtendat fuiſſe à teſtatore poſſeſſa, vel in eius dominio.*
3 *Fideicommiſſum debet ſolui de bonis non ſubiectis hipotheca.*
4 *Bona alia quando non exiſtunt, habet locum remedium* Authent. res quæ, C. commun. de leg.

## DECISIO CCCLXXIX.

DIxerunt Domini, non fuiſſe ambigendum 1.
de fideicommiſſo; verba enim Pauli teſtatoris fideicommiſſum includentia erant clara, & partes illud confitebantur, ſed pronunciarunt, non obſtare Lucretiæ, niſi doceretur per Mancurtum, bona ſuper quibus fiebat executio, in
fideicommiſſo comprehendi: regula enim erat 2.
pro Lucretia, bona non præſumi ſubiecta fideicommiſſo, niſi fideicommiſſarius oſtendat fuiſſe in dominio, vel à teſtatore poſſeſſa. Baldus *conſ.* 84. *num.* 1. & 89. *num.* 5. *lib.* 1. Aymo *conſ.* 61. *n.* 6. Rolandus *conſ.* 46. *n.* 10. *lib.* 3.
Et cùm in caſu propoſito viderentur alia bo- 3.
na extare, quæ fuerant Petri de Mancurtis, fideicommiſſo Pauli non ſubiecta, de illis erant ſoluendæ dotes, non de comprehenſis ſub fideicommiſſo, * quoniam remedium *Authent. res quæ, C. communia de legat.* quæ in ſubſidium datur, non habet locum, niſi quando alia bona non exiſtunt; vt latè ibi per ſcribentes, & Marzarium *in epitome de fideicommiſſ. quæſt.* 48. *num.* 74. *verſ. & quia diſpoſitio dicta authentica.* 4.

* adde Lud. dec. 266. n. 10. & infrà deciſ. 1424. n. 3. vbi aliàs dec. annotaui.

---

## *Tudenſis Beneficij de Roſal.*

### Die Mercurij 1. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Citatio facta in domo propria habitationis alta voce, valet, quando non inuenitur perſona.*
3 *Citatio, & executio facta in Eccleſia, debet fieri tempore diuinorum Officiorum alta, & intelligibili voce, ſi non patet tutus acceſſus ad domum, & n.* 6. *&* 8.
4 *Citatio, vel publicatio debet fieri in loco beneficij, & in domo ſolita habitationis.*
5 *Intimatio, ſeu citatio debet fieri publicè, ſi non patet tutus acceſſus ad domum.*
7 *Notarius aſſeuerans ſe citaſſe in forma, probat eſſe executam citationem, eo modo quo de iure requiritur.*
9 *Citatio facienda in Eccleſia, eſt legitima ſi fiat quando homines ingrediuntur, vel egrediuntur in Eccleſia.*
10 *Citationis affixio non eſt neceſſaria, vt valeat.*

## DECISIO CCCLXXX.

DVbium fuit reſtrictum ad executionem 1.
citationis, an fuerit legitima, & conformis decreto



decreto iudicis mandantis perſonaliter citari Auguſtinum & Alphonſum de Camaniego, ſi haberi poſſent aliàs in domo ſolitæ eorum habitationis, dicendo familiaribus, aut notificando, & certiorando illos, aut proximos, vicinos, aut aliàs ſub modo, & forma quòd præſumeretur, ad eorum notitiam perueniſſe, ſiue in Eccleſia del Roſal vbi ſitum erat beneficium; &
2. Domini affirmatiuè reſponderunt, legitimè fuiſſe executam. Primò reſpectu intimationis domi ſolitæ habitationis factæ, forma à iudice præſcripta, ſatis ſeruata videbatur, cùm non repertis Auguſtino, & Alphonſo, Notarius teſtificaretur ſe allocutum habitatores, & familiares illius domus, quibus reſpondentibus, Alphonſum profectum Romam, vel Bononiam, ſe alta, & intelligibili voce citationem intimaſſe, quam intimationem tunc fuiſſe factam, non iterum reuerſum Notarium ad illam faciendam, cùm talis reiteratio, ſeu pluralitas non præſumatur, gloſſ. *in l. omnium. C. de teſtament.* Doctores *in cap. in præſentia, de probationib.* Aymo *conſ.* 112. *num.* 4. & eiſdem familiaribus, ſeu habitatoribus, qui ſunt pluſquam vicini, intimatam Domini cenſuerunt.

Reſpectu etiam executionis factæ in Eccleſia oppidi de Roſal, putata fuit legitimè executa, licèt nec intra Eccleſiam, nec tempore diuinorum, nec alta, & intelligibili voce facta apparuiſſet, iſta enim ſolemnitas tunc requiri-
3. tur per *Clement. cauſam, de elect.* quando ad do-
4. mum non patet tutus acceſſus; nam inibi in prima parte requiritur ſimpliciter, quòd publicatio, ſeu citatio fiat in loco beneficij, & domo ſolitæ habitationis, poſtea autem *in §. verum,* quando non patet tutus acceſſus, præcipitur, vt ſolemniter intimatio fiat, prout loquitur
5. Creſcentius *deciſione* 8. *de dolo & contumacia, in impreſſ.* quæ corrigenda eſt ex manuſcriptis, in quibus, loco verbi *omnes*, quod eſt in impreſſis,
6. habetur *tres domini*, & denique concluſum, non requiri illam ſolemnitatem, quòd fiat tempore diuinorum, vt teſtatur etiam Antonius Auguſtinus *in epitome, tit. de dolo, & contumacia, num.* 13.

Rurſus, cùm Notarius diceret ſe citaſſe in forma, executa putabatur eo modo, * quo de iure coram multitudine populi fieri debuerat. Puteus *deciſione* 75. incip. *In vna Legionen. lib.* 1.
7. Papazonus *in additione ad deciſ.* 5. *num.* 16. *de reſcript. in nouis.*

* adde Rotam rec. p. 2. dec. 261. n. 4.

Quod non foret facta intra Eccleſiam, prout fieri debere, cenſuit Ancharanus, poſt alios, *in*
8. *dicta Clement. cauſam, num.* 12. vbi Cardinalis *in §. quod ſi forſan. num.* 7. non vitiauit citationem: tum, quia decretum iudicis præcipiebat ſolùm fieri in Eccleſia del Roſal, non intra Eccleſiam: tum quia ideo Doctores requirunt fieri intra Eccleſiam, ne fiat occultè, & clandeſtinè, & vt de illa notitia habeatur. Vnde cùm auditur, & notitia perfecta de citatione haberi poteſt, ſatis eſt eam fieri in cœmeterio, ſeu ante Eccleſiæ valuas, Cardinalis *ibidem, num.* 7. *verſ. tamen præſuppoſito,* ideo citationem, quæ fieri debuit intra Eccleſiam, factam tamen quando
9. homines exibant de Eccleſia, aut quando in illam ingrediebantur, fuiſſe legitimam, cenſuit Rota apud Creſcentium *deciſ.* 69. incip. *Si exequutor,* in manuſcriptis.

Poſtremò non nocuit defectus affixionis * ad 10.
fores Eccleſiæ, quia affixio neceſſaria non eſt. Caſſadorus *deciſ.* 1. *de appellationib.*

* de hoc art. adde ſuprà dec. 328. n. 6. & Seraphin. deciſ. 1123. n. 2. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

---

## *Seguntina Præſtimonij.*

### Die Veneris 3. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Sequeſtrum non eſt apponendum, vbi eſt conſequuta ſententia fauorabilis.*
2 *Sequeſtrum non debet apponi contra poſſidentem.*

## DECISIO CCCLXXXI.

FVit concluſum, non fore apponendnm ſe- 1.
queſtrum, quia Dominicus Paſtrana obtinuerat vnam ſententiam fauorabilem, non obſtante quòd deinceps in cauſa reſtitutionis in integrum ſuccubuerit. Zabarella *in Clement. vnica, de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct.* Caſſadorus *deciſ.* 1. *num.* 1. *eodem tit.* Antonius Auguſtinus *in epitome eodem tit. num.* 4. Puteus *deciſ.* 77. *lib.* 1.
maximè, quia Paſtrana erat in poſſeſſione, 2.
* quam probabat inſtrumentum adeptæ poſſeſſionis, mandatum de manutenendo ſibi à Rota conceſſum, reuocatio cenſurarum, in quas dicebatur incurriſſe, quia noluerat dimittere poſſeſſionem, & denique confeſſio D. Hieronymi Morales, eius aduerſarij, in noua prouiſione. Decius *conſ.* 125. *num.* 1. & fuit dictum in vna Peruſina reſciſſionis die 24. Februarij 1588. coram R. P. D. meo Blanchetto.

* adde Lud. dec. 61. n. 1. Caual. deciſ. 324. n. 3. Rotam rec. p. 2. dec. 35. n. 2. & p. 1. deciſ. 293. n. 8. & 516. n. 2.

---

## *Terdonen. Prioratus.*

### Die Veneris 3. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Triennalis vt proſit, requirit titulum, & ſine eo nil valet.*

## DECISIO CCCLXXXII.

DVbitaui, an Ioanni Iacobo Biguriæ ob- 1.
ſtaret regula de triennali, quam ſibi obiicere potuiſſet Seminarium Terdonenſe, cui Epiſcopus auctoritate ordinaria vniuerat hunc Prioratum, & Seminarium vltra triennium illum poſſederat, & fuit concluſum, regulam nec Seminario prodeſſe, nec Bigurræ obſtare. Ratio autem Dominorum fuit, quia cùm Seminarium poſſederit Prioratum tanquam vnitum, conſequenter poſſederat tanquam prædium, * & non poterat allegare titulum, quem vnio extinguit, & triennalis requirat titulum, 2.
† Chiſanenſis *deciſ.* 201. *deciſio* 45. incip. *Die* 10. *Martij* 1557. *diuerſorum in manuſcriptis.* Verallus *deciſ.* 349. *parte* 3.

* quia Eccleſia vnita fit prædium illius cui vnitur Duran. dec. 303. n. 3. annota. ad Lud. dec. 112 n 5. Caual. dec. 330. n. 5.
† adde Rotam rec. p. 2. dec. 531. n. 4. in fine.

## Romana deſcriptionis bonorum.

### Die Lunæ 6. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Deſcriptio bonorum in hæreditate contentorum debet fieri, ſi adſit ſubſtitutus.*
3 *Inuentarium bonorum hæreditatis debet fieri, quando adeſt tertius habens intereſſe.*
4 *Quod procedit etiam in modico præiudicio.*
5 *Inuentarium debet fieri per eos, qui debent reſtituere hæreditatem, euitandæ fraudis cauſa.*
6 *Inuentarium qui petit fieri, non dicitur facere moleſtiam.*

## DECISIO CCCLXXXIII.

1. TArquinius, & Camilla coniuges, Equiti Antonio Pancratio Liuiam filiam nuptui tradiderunt, cum dote ſcutorum quatuor mille ſoluendorum per R. P. D. Horatium Fuſchum, & tertiæ partis bonorum ſuorum, præſentium, & futurorum, tradendorum tamen, & conſignandorum, per ſuos hæredes poſt obitum eorum, ita tamen *che in vita loco non poſſano eſſere moleſtati, ſolto qualſivoglia preteſto, ma ſolo doppo, la morte di ogni vno di loro.* Cùm verò D. Fuſchus, tempore obitus condito teſtamento Camillam vniuerſalem hæredem inſtituiſſet, & ei aliquot bona prælegaſſet, & Liuiam, & duas alias Camillæ filias eidem Camillæ ſubſtituiſſet, & ideo Antonius pro ſuo intereſſe à Tarquinio, & Camillæ Liuiæ parentibus, deſcriptionem bonorum fieri poſtulaſſet; illis enim eam facere recuſantibus, dubitaui, an tenerentur conficere inuentarium, ſeu deſcriptionem, tam bonorum ſuorum, quàm etiam relictorum in hæreditate Horatij Fuſchi.

Et Domini omiſſa illa diſputatione, an pactum valeret, cùm ſufficeret eſſe dubium, deſcri-
2. ptionem faciendam cenſuerunt, Speculator *de inſtrumentorum edit. §. dicto, num.* 14. Guido Papæ *quæſtione* 351. *num.* 3. Pinellus *in l. prima part.* 2. *num.* 23. *C. de bonis maternis*, Molina *de Hiſpanor. primogen. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 32. *& cap.* 28. *num.* 10. Plottus *in l. ſi quando, num.* 604. *C. vnde vi*, Rolandus *tractat. de confectione inuentarij, parte* 2. *quæſt.* 19. *num.* 3. *Pedemont. deciſ.* 147.
3. *num.* 221. cùm enim D. Antonius in bonis paternis, & maternis Liuiæ vxoris, vigore pacti in tertia parte, & vigore ſubſtitutionis in bonis Horatij Fuſchi haberet intereſſe conſiderabile, non poterat negari deſcriptio, ſeu inuentarium. Paulus de Caſtro *in l. cùm tale. §. Titius, de condit. & demonſtrat.* Ruinus *conſil.* 159. *num.* 25. *lib.* 3. Pariſius *conſil.* 25. *num.* 51. *lib.* 2.
4. Rolandus *conſil.* 27. *num.* 22. *& ſeq. lib.* 1. propter modicum etiam præiudicium facile, deſcriptio hæc videbatur concedenda, Riminaldus ſenior *conſil.* 442. *num.* 19. *verſ. & talis deſcriptio, lib.* 3.

Quam deſcriptionem non excludebat fiducia, quam lex præſumit in patre, * quia licèt nec Liuia, nec Antonius de parentibus dubitarent, cùm tamen reſtitutio eſſet facienda poſt illorum obitum, potuerunt dubitare de fide hære-

* an mater teneatur facere inuentariū de bonis filij, vide Boërium p. 1. dec. 61. n. 22. & 23.

5. dum per quos erat facienda, & ideo euitandæ fraudis cauſa, legitimè petebant fieri deſcriptionem. * Pinellus *in l.* 1. *part.* 2. *num.* 23. *C. de bon. mater.*

* Durand. dec. 260. n. 5. & ſequent.

6. Non obſtabant illa verba pacti, de non moleſtandis parentibus, eorum vita durante, quia intelligebantur de moleſtia circa proprietatem bonorum, ſeu illorum conſignationem in vita faciendam, vt indicabant alia verba, *ma ſolo doppo la morte, di ogni vno di loro.* Vnde non prohibebatur Antonius petere deſcriptionem, Socinus iunior *conſ.* 115. *num.* 31. *lib.* 1. præſertim cùm petens nudam, & ſimplicem deſcriptionem, (prout in hoc caſu,) non dicatur dare moleſtiam. Abbas *in cap.* 2. *num.* 27. *de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct.*

## Firmana bonorum de Piſellis.

### Die Veneris 10. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſor iudicis auctoritate eſt legitimus.*
2 *Poſſeſſor non citatus non cadit à ſua poſſeſſione, etiamſi aduerſarius obtineat mandatum contra eum.*
3 *Poſſeſſio clandeſtina non prodeſt ei, qui ſe fundat in ea.*

## DECISIO CCCLXXXIV.

TRanquillæ Piſellæ poſſidenti, decreuerunt Domini mandatum de manutenendo. §. *hodie, Inſtit. de interdict.* maximè cùm iudicis auctoritate poſſideret, & licèt Lucidaria deinde vigore Saluiani, pro ſua dote egerit contra quendam Martinum prætenſum poſſeſſorem, & obtinuerit mandatum, quod fuit executum, quia tamen Tranquilla non fuit citata, * non cecidit à ſua poſſeſſione, poſſeſſio enim clandeſtina, tanquam vitioſa non ſuffragatur ei, qui ſe fundat in ea contra legitimum poſſeſſorem. Zuchardus *in l. fin. num.* 166. *C. de edicto Dini Hadrian. tollend.* & fuit dictum in illa Pennen. † & Adrian. beneficiorum die 4. Iulij 1584. 1. 2. 3.

* adde Caual. dec. 501. n. 2. Lud. dec. 46. n. 7. Mantic. dec. 309. n. 4. & aliàs ſæpe.

† habetur in impreſſis p. 1. diu. dec. 802. incip. *Domini tenuerunt.*

## Auellina, ſeu nullius inualiditatis vnionis.

### Die Lunæ 13. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Subreptitia dicitur vnio, ſi taceatur numerus rerum vnitarum.*
3 *Subreptitia dicitur vnio, ſi non narrentur qualitates rerum vnitarum.*
4 *Subreptionem non liberat narratio generalis verborum gratiæ, ſub inuolucro facta.*
5 *Subreptitia dicitur vnio, ſi taceatur aliquos exiſtere patronatus in ea.*
6 *Subreptitia dicitur vnio, in quaſi expreſſa fuiſſet qualitas rei vnitæ, difficiliùs Papa eam conceſſiſſet.*

DECI



## DECISIO CCCLXXXV.

1. IN hac cauſa procedebatur per audientiam contradictarum, nam Hoſpitale Annunciatæ Neapolitan. (ad cuius inſtantiam fuerat commiſſa cauſa) ſæpe citatum renuerat comparere, quare in eius contumaciam, decreto proceſſu per *contradict.* & dato dubio cum quibuſdam præſuppoſitis in facto verificatis, an Bullæ diſmembrationis, & vnionis Leonis X. ſubſiſterent, & Hoſpitali aliquo modo ſuffragarentur, Domini concorditer cenſuerunt, non ſuffragari, omiſſis multis capitibus in facto, & iure relatis, ex quibus informantes pro ſacra Congre-
2. gatione Montis Virginis, Bullam Leonis ſubreptionis vitio laborare opinabantur ex ſequentibus; fuit concluſum probari ſubreptionem, primò, ex omiſſa ſpecificatione quinquaginta, & ampliùs monaſteriorum, quæ veniebant in vnione, de quibus non fuit facta mentio, quia ſi Papæ fuiſſet narratum, tot monaſteria vniri, vel non feciſſet vnionem, vel difficiliùs conceſſiſſet, * ex iſta enim omiſſione, gratiam eſſe ſubreptitiam explorati iuris eſt, *cap. ſuper litteris, & cap. poſtulaſti, de reſcript.* Lapus *allegatione* 89. *num.* 2. Romanus *conſil.* 326. *num.* 11. Geminianus *conſ.* 63. *in principio, & conſil.* 65. *num.* 24. Felinus *in dicto cap ſuper litteris, num.* 8. & fuit dictum in cauſa Calagurritana iuriſdictionis coram bon. mem. de Rubeis 27. Februarij 1585. & nouiſſimè in illa Volaterrana vnionis die 3. præſentis menſis coram R. P. D. meo Blanchetto, in qua Domini pronunciarunt ſubreptitiam vnionem * cuiuſdam Plebaniæ, ex eo quòd non fuerat facta mentio qualitatum aliquot beneficiorum annexorum Plebaniæ, quòd erant Parochiales.

* adde Rotā rec. p. 1. dec. 466. n. 3. vbi ad propoſitū præſens dec. allegatur, & ſuprà deciſ. 255. n. 6. vbi addidi.

* adde Lud. dec. 450.

3. Nec vitium ſubreptionis in hoc caſu purgabant verba illa generalia in litteris appoſita, *& alijs forſan annexis*; quia non erat veriſimile, per illa Papam intelligere potuiſſe tam copioſum
4. numerum monaſteriorum vniri. Narratio verò ita generalis * ſub inuolucro verborum, non liberat à ſubreptione, *l. quæ libertatis. § ſed etſi quis. ff. de euictionibus*, Romanus *conſ.* 327. *num.* 8. Felinus *in cap. dilectus el* 1. *num.* 10. *de reſcript.* Geminianus *conſ.* 33. *num.* 2.

* adde Seraphin. deciſ. 485. n. 4.

5. Placuit etiam alterum ſubreptionis caput, cùm enim aliquot monaſteria dicerentur eſſe de iure patronatus laicorum, non dubium quin ſi Papa id nouiſſet, longè difficiliùs conceſſiſſet. Caſſadorus *deciſ.* 4. *num.* 3. *de probationib.* Felinus *tractatu, quando litteræ Apoſtolicæ, num.* 1. Couarruuias *in pract. quæſtionib. cap.* 36. *num.* 1. *verſ. nam & hoc diſcrimen.* Rebuffus *in praxi beneficiorum, tit. de vnionib. n.* 28. & tradunt communiter Doctores *in cap.* 2. *de præbend. lib.* 6.

6. Poſtremò dicebatur etiam colligi ſubreptionem ex tacita qualitate * Abbatis Monaſterij vniti, quem ſi Papa intellexiſſet habuiſſe mitræ, & baculi paſtoralis vſum, & ſolemniter populo benedicere, & iuriſdictionis cognoſcendi inter vaſallos cauſas matrimoniales, participem fuiſſe, non dubium, quin vel negaſſet, vel difficiliùs vnionem conceſſiſſet, *dicto cap. ſuper litteris, & cap. poſtulaſti, de reſcript.* Atque ex his pronunciatum pro ſubreptione.

* qualis debeat eſſe hæc qualitas, vide Lud. dec. 150. n. 4. & ibi annota. n. 10. & 11.



## Beneuentana tranſactionis.

### Die Lunæ 13. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Territorium dicitur à terendo, & ideo pertinet domino eius, quidquid per conſequens dominij venit.*
3 *Territorium nil aliud eſt, quàm certum terræ interuallum, certis finibus ſeptum, & iuriſdictione munitum.*
4 *Actus ſucceſſiuus, & non momentaneus puniendi, & carcerandi inducit iuriſdictionem punitorum.*

## DECISIO CCCLXXXVI.

VNiuerſitate Montis Fuſculi non informante, fuerunt factæ aliquot deciſiones contra ipſam ſub die 1. Iulij 1590. * & die 23. Ianuarij 1593. & concluſum, contrauentum fuiſſe tranſactioni initæ cum D. Cardinale Aſcanio, Abbate S. Soffiæ, deinde Vniuerſitate ad cauſam veniente ſuper eiſdem, fuit audita die 13. Maij proximè præteriti, & tunc reſolutum conſtare de contrauentione, per quam fuerat reſciſſa tranſactio, & quia informantes pro ea dicebant, ſe habere nouas conſiderationes, fundatas in facto, per quas videretur recedendum à reſolutis, ideo volui iterum cauſam proponere, & vtraque parte informante, & tam in iure, quàm in facto, plenè ſuas prætenſiones deducente, Domini perſtiterunt in deciſis; nam ex teſtibus conſtabat, moleſtias fuiſſe illatas ſuper iure paſcendi, ex quo animalia capta, erant affidata in territorio del Couante per homines de Apia, qui conduxerant territorium, vt apparebat ex depoſitione quarti teſtis in ſummario Vniuerſitatis, cui primus, & tertius teſtes videbantur conſentire. 1.

* ſuprà dec. 112. & 274.

Præterea, cùm lis eſſet ſuper territorio, quod in tranſactione cum ſuis iuribus, & pertinentiis fuerat ad D. Abbatem trāſlatum, per conſequens iuris damnorum datorum competebat * Abbati, ad quem ſpectabat territorium, quod à terendo dictum ſuo iure videtur, hanc ipſam qualitatem ſecū deferre. *l. pupillus. §. territorium. ff. de verbor. ſignific.* Bald. *c.* 1. *n.* 4. *quibus modis feud. amittatur*, Berous *in cap. licèt cauſam, n.* 9. *de probat.* præſertim cùm territorium nil ſit aliud, quàm certum terræ interuallum, certis finibus, veluti cancellis quibuſdam ſeptum, & iuriſdictione * munitum, vt poſt Zabarellam, & alios tradit Felinus *in c. Rodulphus, n.* 15. *de reſcript.* quam iuriſdictionem in hoc territorio arguebat reſpectu D. Abbatis, ius exigendi gabellas. 2. 3.

* territoriū enim præ ſe fert exactionem pœnarum. Caual. dec. 161. n. 4. & 5.

* adde Lud. dec. 487. n. 5. & habetur in impreſſis diuerſ. p. 2. dec. 321. n. 3.

Singularitatem teſtium excludebat qualitas depoſitionis eorum, & rei etiam captæ; omnes enim deponebant de porcis, ſeu ſuibus illorum conductorum de Forino.

Quòd verò non poſſet communitas excuſari, patebat tum ex eo, quòd animalia fuerant capta à ſuis officialibus, tum quia ipſa promiſerat in tranſactione pro facto ſingulorum de vniuerſitate; denique quia cùm animalia poſt capturam fuiſſent conducta ad caſtrum, & homines animalia cuſtodientes, in carceribus detenta, communitas cenſebatur factum ratificaſſe, præſertim, cùm actus non eſſet momentaneus, ſed 4.



ſucceſſi

ſucceſſiuus, Afflictus *deciſ.*376.*n.*2. & 3. Ancharanus *conſ.*158.*num.*12.

Felinus *in cap. cùm omnes, num.*31.*de conſtit.* & cùm vnus tantùm de porcis captis (vt deponebant teſtes) non omnes reſtituti fuiſſent, clarius arguebat contrauentionem.

---

## *Romana, ſeu Bononien. Alimentorum.*

### Lunæ 13. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta præſtare, diuerſum eſt à litis expenſis.*
2 *Alimenta condemnatus præſtare, per conſequens tenetur dare litis expenſas.*
3 *Alimenta, & litis expenſæ præſtari debent iuxta vires patrimonij.*

## DECISIO CCCLXXXVII.

1. LIcèt ex deciſione in hac cauſa facta die 23. Maij proximè præteriti, * in qua dictum fuerat Mario deberi alimenta, conſequeretur litis expenſas, quamuis diuerſæ ſunt ab alimentis, deberi, *cap. olim, de accuſationib.* Verallus *deciſ.*20.
2. *part.*1. quia R. P. D. Baptiſta Volta offerebat ſe paratum ad alimenta Mario præſtanda, ordina-
3. tum mihi fuit, vt extraiudicialiter expenderem patrimonij vires, vt iuxta paternas facultates alimenta decernerentur, & interim darentur Mario ſcuta 20. monetæ, per modum prouiſionis.

*ſuprà dec. 378.

---

## *Abulen. & Zamoren. beneficiorum.*

### Die Veneris 17. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Reſignatio duplex eſſe poteſt, vna ſimplex, & pura, & alia conditionalis.*
3 *Reſignatio pura dicitur, quæ purè reſignatur in manibus ſuperioris.*
4 *Conditionalis reſignatio dicitur, quæ fit in fauorem certæ perſonæ, in cuius manibus ſolùm poteſt fieri cum aliqua conditione, vel modo.*
5 *Reſignatio pura à conditionali multùm differt.*
6 *Beneficium purè reſignatum, tanquam liberum conferri poteſt.*
7.8 *Secus ſi conditionaliter, nam ante implementum conditionis remanet beneficium in reſignante.*
9 *Appellatio interpoſita in tempore, efficit vt non priuetur quis poſſeſſione.*
10 *Manutenendus eſt poſſeſſor, qui in tempore interpoſuit appellationem à decreto priuationis.*
11 *Poſſeſſio turbatiua, & ſpoliatiua eſt reſtituibilis.*
12 *Executor in forma,* Dignum, *eſt mixtus, qui tenetur aſſumere partes iudicis.*
13 *Poſſeſſio capta appellatione pendente, eſt attentata.*

## DECISIO CCCLXXXVIII.

DEderat mandatum Andreas Arias ad reſignandum liberè hæc beneficia in manibus 1.
fel. recor. Sixti V. ad fauorem Petri de Gaona, cui petenti executionem, & beneficiorum poſſeſſionem, vigore litterarum in forma, *Dignum*, expeditarum, ab Ordinario Zamoren. cui litteræ erant directæ, Andreas ſe oppoſuit, reſignationis nullitatem allegando; verùm quoniam ad fauorem Petri, Ordinarius pronunciauerat, & Andreas appellatione interpoſita cauſam in Rota commiſerat, dubitaui, vt cùm Andreas eſſet manutenendus in poſſeſſione beneficiorum, & ſæpe cauſa propoſita die 27. Maij & 6. Iunij, tunc enim propter diſſidentes Dominorum ſententias, non potuit capi reſolutio, denique die Veneris 17. Iunij vtraque parte acerrimè informante, cauſa tertiò propoſita in eam ſententiam itum eſt, vt cenſuerint Domini, Andream manutenendum, diſtinguebant enim duplicem re-
ſignationem, vnam ſimplicem, & puram, per 2.
quam beneficium purè, & ſimpliciter renunciatur in manibus ſuperioris, Puteus *deciſ.*158.*n.*4. 3.
*lib.*3. Couarruuias *in pract. quæſt. cap.* 36. *num.*9. & alteram conditionalem, vt cùm reſignatur in fauorem certæ perſonæ, aut cùm ex voluntate Romani Pontificis, in cuius manibus tantùm fieri poteſt, vel ex eius permiſſione recipit
aliquam conditionem, vel modum. Pariſius *con-* 4.
*ſil.*5.*lib.*4. Ioannes Paulus *deciſ.*102. incip. *Conchen. beneficij.*

Dicebant præterea, inter vtramque reſignationem latum eſſe diſcrimen, nam in ſimplici renunciatione, reſignans omne ius, & poſſeſſio-
nem,* quæ habebat in beneficio, amittit, ita vt 5.
remaneat ſine titulo, etiam colorato, propterea poſſit beneficium, tanquam vacans, liberè conferri, aut impetrari. Antonius de Butrio, Abbas,
Imola, & cæteri communiter *in cap. ſollicitè, &* 6.
*in cap. accepta, de reſtitut. ſpoliat.* Caſſadorus *deciſ.* 4. *eodem tit. num.* 3. Puteus *dicta deciſ.* 158. *lib.*3. *num.*4. Achilles *deciſ.*10.*num.*4. *de reſtitut. ſpoliat.* Rota *deciſ.*1. *de renunciatione, in nouis, n.*8. & *deciſ.*2.*eodem tit. in antiquis, num.*1. Mohedanus *deciſ.*2.

*adde Caual.dec.104. n.2. & habetur in recen. p.1.dec 240.

Sed in reſignatione conditionali, aut facta 7.
ad fauorem actæ perſonæ, ſecus eſſe; in hac enim ius, & poſſeſſio remanent in pendente penes ipſum reſignantem,* donec conditiones purificentur. Achilles *deciſione* 10. *num.*1.& 4.*de reſtitut. ſpoliat.* Puteus *dicta deciſione* 158. *num.*3. *lib.* 3. Rota *deciſione* 4. *num.* 1. *de rerum permutat. in antiquis.* Iaſon *conſil.*86.*lib.*3.*num.*42. Pariſius *conſ.*5.*lib.*4. Mohedanus *deciſ.*183. Guidobonus *deciſ.* 59. Cotta *deciſ.* 318. & 321. Verallus *deciſ.*2.*lib.*1.*in manuſcript.* Pontanus *tract. de ſpolio, lib.*3.*num.*72.

*adde Lud. dec.138.n.5. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur ab eo, licèt annotetur ibi de ann.1598. Seraph. dec. 389.n.1.& 9. Coccin. dec. 358.n.4.&5. & Rotā rec. p.2.dec.542. n. 5. vbi etiā ad propoſitū allegatur hæc dec. & infrà dec.812.n.2.

Licèt enim nonnulli ex iſtis loquantur quando ageretur contra tertium, nihilominus idem dixerunt Domini locum habere in reſignante agente contra reſignatarium, quia in reſignatione conditionali, ſeu facta ad fauorem certæ perſonæ, † donec perfecta fuerit, & plenè ius quæſitum reſignatario, penes reſignantem remanent aliquæ reliquiæ iuris, & poſſeſſionis. Puteus *in epitome deciſione* 14. *de reſtit. ſpoliat.* & alij, quos refert & ſequitur Pontanus *dicto tract. de ſpolio, lib.*1.*num.*126.*verſ. ſed non idem futurum.*

8. † adde Rotā rec. p 2. dec. 111.n.3.

Vnde



9. Vnde cùm in propoſita facti ſpecie, Andreas renunciaſſet ad fauorem certæ perſonæ, videlicet Petri de Gaona, & antequam ille per adeptam pacificam poſſeſſionem, & legitimam acquiſitionem, perfectum, & completum ius acquiſiuiſſet, in beneficiis Andreas, penes quem remanſerat ius, & poſſeſſio, ſe oppoſuerit,* manutenendus erat, non obſtante decreto Epiſcopi, litterarum Apoſtolicarum executoris, quia ab illo in tempore fuit appellatum. Felinus *in cap. fin. num.*24. *de præſumpt.* Zabarella *conſil.* 63. *num.*1. & *conſil.*75.*num.*1.

* adde Rot. recen.p.1.deciſ.423. n.2. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

10. Ex quo etiam ceſſabat alia obiectio, oppoſita per informantes pro Petro, de illius poſſeſſione capta, auctoritate Epiſcopi, iudicis executoris deputati in litteris Apoſtolicis; nam cùm à præfato decreto daretur appellatio,* Zabarell. *dicto conſ.*75.*num.*1. Felinus *in dicto cap. fin. de præſumpt. num.* 24. & ea non obſtante iudex proceſſerit, poſſeſſio Petri poſtea ſubſecuta non potuit iudicari legitima, ſed potiùs turbatiua, & ſpolia-
11. tiua, & itidem reſtituibilis, † quòd maximè in hac ſpecie videbatur habere locum, in qua Epiſcopus erat datus executor ad prouidendum Petro in forma, *Dignum*, quo caſu non poterat dici merus executor, ſed mixtus, qui propterea tenebatur aſſumere * partes iudicis, & ordini iudiciario procedere, Canoniſtæ *in cap. fin. de præſumpt.* vbi Antonius de Butrio *num.* 7. & Felinus *n.*17. & 24. & 35. Zabarell. *conſ.*63. *in princip.* & fuit ſæpe in Rota deciſum; vt in Neapolitana coram Fineto anno 1569. & in vna Piſcien. ſeu nullius,
12. die 21. Ianuarij ann. 1578. coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore; rurſus poſſeſſio Petri capta, pendente appellatione, tanquam attentata † non erat manutenibilis, *cap. non ſolum, de appell. lib.*6.

*Coc.deciſ. 196. num. 1. & 225. n. 6. & 251.n.1.& Rota recen. p.2. dec.701. num.2.

† quia executor nulliter procedēs non priuat poſſeſſione. Lud. dec.46. n. 5. & prius debet poſſeſſorem citare, Rot.rec. p.2. dec.147.n.3.

* adde Lud. dec.69. n. 6. 7.& 91. n. 3. & 4. & latè annot. ad deciſ.413. n.4. vbi aliæ dec. allegantur & Rot.rec.p.2. dec.52.n. 2. & p.1. deciſ. 516.n.3.

13. Atque ex his concluſum, de iure non potuiſſe Andreæ denegari mandatum de manutenendo in poſſeſſione, in qua reperiebatur tempore dati mandati ad reſignandum, de qua conſtitit Dominis per legitima documenta.

† adde infrà dec 400.n.5. & 514.& deciſ.609.n.2.

---

## *Burgen. diſſolutionis Matrimonij.*

### Die Veneris 17. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2.3.4 *Matrimonium ratum, non conſummatum, de conſenſu partium, & ex iuſta cauſa poteſt Pontifex diſſoluere.*
*licèt aliter ſentiant Theologi, num.*6.
7 *Gratiæ pars, & fundamentum iuſtificari debet vt valeat.*
8 *Copulam non eſſe ſubſecutam in matrimonio non probatur per confeſſionem coniugum ad diſſoluendum matrimonium.*
9 *Probatio concludens eſt neceſſaria ad ſoluendum matrimonium.*

## DECISIO CCCLXXXIX.

1. IOannes Gil ætatis 14. annorum inductus à patre matrimonium contraxerat cum Magdalena, per verba de præſenti, matrimonio non conſummato per copulam carnalem, Ioannes à patria receſſit, & per triennium abfuit: abſentiæ tempore, Ioannis pater diabolico ſpiritu ſeductus, Magdalenam ad propriam domum conductam carnaliter cognouit, & ex eo concubitu grauida effecta filiam peperit, propter hunc exceſſum, Ioannis pater accuſatus, & in carcerem coniectus, morte naturali obiit; Ioannes filius, iſtis auditis, ad patriam reuerſus ira, & dolore concitatus, Magdalenam animo occidendi vulnerauit, credenſque mortuam aufugit, his omnibus Gregorio XIII. expoſitis, Ioannes litteras gratiæ obtinuit, in quibus Papa vtriuſque coniugis accedente conſenſu prædictum matrimonium non conſummatum diſſoluendum conceſſit: prædictæ litteræ ſub ratione, *congruit*, in Pontificatu Sixti V. fuerunt expeditæ, quibus præſentatis coram Ordinario, & verificatis verificandis, idem Ordinarius quaſi dubitans de poteſtate Papæ circa talem matrimonij diſſolutionem, noluit eas executioni mandare, ſed negotium ad Sedem Apoſtolicam remiſit.

Cauſa in Rota commiſſa, dubitauit Dominus Iuſtus, an litteræ Apoſtolicæ eſſent ſufficienter iuſtificatæ, ita vt eſſet locus diſſolutioni matri-
monij: & Domini quoad poteſtatem diſſoluendi 2.
matrimonium ratum non conſummatum, non receſſerant à communi opinione * Canoniſtarum, præſertim de conſenſu coniugum, & ex iuſta cauſa, *cap. ex publico*, vbi gloſſ. *in verb. conſummatum, de conuerſ. coniugat.* vbi communiter Canoniſtæ. Innocentius *in fine, verb. conſummatum*, Hoſtienſis *num.* 15. *verſ. vnde circa matrimonium*, Ioannes Andreas *num.*9. *in fine, verſ. ad quod deſignandum*, Ancharanus *num.*11. Antonius de Butrio *num.*16. Zabarella *num.*2. Benedictus Capra & *notab. vltimo*, Panormitanus *num.*14. & 15. *verſ. ſed fortè*, vbi verè teſtatur cum Hoſtienſi tran-
ſire communiter Doctores, ſed *num.* 16. videtur 3.
reſtringere iſtam Papæ poteſtatem, in diſpenſando ſuper matrimonio non conſummato, ad caſum expreſſum *in dicto cap. ex publico*, ſcilicet quòd Papa non poſſit illud diſſoluere, niſi per ingreſſum religionis, quia tale matrimonium ante conſummationem eſt etiam de iure diuino; ſed idem Panormitanus *in cap. ex parte, el* 2. *de conuerſ. coniugat. num.* 3. *notab.* 3. licèt in eadem opinione permanere videatur, & dicat Papam non poſſe diſſoluere tale matrimonium, niſi ex cauſa in iure expreſſa; quia tamen addit, vel omnino ſibi ſimile, cum Canoniſtis ſentire videtur, licèt requirat maximam cauſam, eandem ſententiam in multis aliis profeſſi ſunt Canoniſtæ: Archidiaconus *in cap. quaproprer*, 27. *q.*2. Præpoſitus *in cap. final. de ſponſa duorum*, Ioannes de Imola *in cap. final. num.*7. *de tranſact.* Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum num.* 20. *de conſtit.* vbi Decius *num.*48. *verſ. ſic etiam Papa*, idem Decius *conſil.*112. incip. *In præſenti conſultatione, num.* 2. & 3. vbi teſtatur de communi idem Decius *conſil.*603. incip. *Viſo puncto, num.*7.

*de hoc art. videndus eſt Garc. de benef.7.p.c.10. n. 83. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. licèt eam ſubſcribat coram D. Iuſto, & eſt coram D. Peña.

Cum Canoniſtis ſenſerunt communiter legiſtæ, Bartholomæus Socinus *conſil.*28. *num.* 6. *lib.*1. vbi de communi, licèt in caſu, in quo conſuluit, grauiſſimè errauerit, aſſerendo, quòd Papa poſſit diſpenſare etiam in matrimonio conſummato, Portius *conſil.*154. incip. *Duo nobiles, num.*7. & 8. Curtius iunior *conſil.* 170. Celſus Vgo *conſil.*105. incip. *Iuuencula quædam.* Gozadinus *conſ.*2. incip.

incip. *In cauſa propoſita*, Gratus *conſil.* 1. *lib.* 2. Ancharanus *conſil.* 239. incip. *Parum dubitationis*, idem Ancharanus *conſil.* 373. incip. *Reuocatur in dubium*, Baldus *in l. Deo nobis, num.* 9. *C. de Epiſcopis & Cler.* Felinus *conſil.* 26. incip. *Quidam magnificus, ac generoſus miles, num.* 16. vbi teſtatur de communi, Natta *conſil.* 290. incip. *Quidam nobilis, lib.* 2. Purpuratus *conſil.* 437. incip. *Conſultus, an ſummus Pontifex*, Menochius *conſil.* 15. *num.* 9. idem *conſil.* 381. incip. *Tametſi peracutè*, *lib.* 4. Ferdinandus de Loazes *tract. de matrimon. Regum Angliæ, dubitat.* 2. *in* 2. *fundamento pro affirmatiua, num.* 7. *verſ. ſic etiam ſuper matrimonio*, Tiraquellus *tract. de pœnis temperan. aut remitten. in præfatio. num.* 47. *verſ. poteſt item diſpenſare*, Nauarrus *parte* 2. *conſil. ex prima impreſſione Romæ ann.* 1590. *lib.* 4. *tit. de ſponſalibus conſil.* 49. incip. *Ac plebeius*, idem *eod. lib. conſil.* 1. *tit. de frigidis, & malefic. n.* 4. idem *in manuali confeſſ. cap.* 22. Paulus Borgaſius *tract. de irregularit. part.* 6. *tit. de ſponſalibus, & matrim. num.* 12. *& multis ſeqq.* vbi tandem *num.* 76. reſidet in opinione Canoniſtarum, Gregorius Lopez *ad leges ſeptem partitarum, partita* 4. *tit.* 10. *l.* 5. vbi teſtatur de communi Petrus Barboſa *in rubr. ff. ſol. matrim. part.* 2. *num.* 102. vbi de communi Cagnolus *in l. nuptias, num.* 5. *&* 6. *ff. de regul. iuris.*

5. Cum Canoniſtis, & Legiſtis conſenſiſſe videntur aliquot Theologi, S. Antoninus *in ſumma part.* 3. *tit.* 1. *c.* 21. §. 3. vbi teſtatur ſe vidiſſe in Bulla Martini V. & Eugenij IV. continente talem diſpenſationem, Caietanus *tom.* 1. *tract.* 28. *de matrimonio*, Angelus de Clauaſio *in ſumma Angelica part.* 2. *in verb. matrimonium* 3. *impedim.* 13. *num.* 3. *verſ. vtrùm ex diſpenſatione Papæ*, ſumma Roſella *in verb. Papa.* §. 2. *num.* 2. *verſ. an Papa poſſit diſſoluere*, Silueſter *in ſumma in verb. diuortium quæſt.* 4. *num.* 7. ſumma Armillæ *in verb. diſpenſatio, num.* 8. Alphonſus à Vera Cruce *in ſpeculo coniugiorum part.* 2. *art.* 8. *concluſ.* 6. Alphonſus Viualdus *in candelabro aureo, part.* 1. *de matrimon. tit. de miniſtro, num.* 32. *verſic.* 2. differunt in hoc, Philiarchus *tom.* 1. *de offic. ſacerd. lib.* 2. *cap.* 16. *verſ. ſed dubium eſt de matrimonio rato*, Thomas Sanchez *tom.* 1. *de Sacram. matrim. lib.* 2. *diſputat.* 14. vbi *num.* 2. affirmat, ſententiam Canoniſtarum eſſe probabiliorem, & alij quos longum eſſet recenſere.

6. Quia tamen Domini probè nouerunt, contrariam ſententiam profiteri Theologos, tenentes matrimonium etiam non conſummatum auctoritate Papæ eſſe indiſſolubile: ſic enim profitentur multi magni nominis Theologi, S. Bonauentura *lib.* 4. *ſentent. diſt.* 27. *art.* 3. *quæſt.* 2. Scot. *eodem lib.* 4. *diſtinct.* 31. *quæſt.* 1. Ricardus de Mediauilla *lib.* 4. *diſtinct.* 27. *art.* 2. *quæſt.* 8. Petrus de Palude *eadem diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 3. & rurſus *eadem diſtinct. quæſt.* 3. *art.* 3. *concl.* 1. Sotus *eodem lib.* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *verſ. his tamen non obſtantibus*, Petrus de Soto *de inſtitut. ſacerd. tit. de indiſſolubilitate matrimonij ſect.* 12. Aſteranus de Aſte *in ſumma Aſtenſi lib.* 8. *tit.* 11. *de bono Sacramenti art.* 2. Antonius de Corduba *lib.* 1. *quæſtio. Theologicar. quæſt.* 25. Petrus de Aragon apud Sanctum Thomam 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. *circa finem.* vbi hanc ſententiam vocant veriorem Petrus de Ledeſma *tract. de magno matrim. Sacram. quæſt.* 67. *art.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 2. & plures alij, quorum ſententia validiſſimis eſt munita argumentis; ideo omiſſa hac inſpectione ad propoſitum factum recurrentes, concluſerunt, litteras, (de quibus in dubio) non fuiſſe iuſtificatas, ſaltem reſpectu illius narratiuæ, quæ eſt gratiæ pars, & funda-
mentum, quòd matrimonium non fuerat carnali copula conſummatum, 7.
hoc enim plenè iuſtificandum eſt, Curtius iunior *dicto conſ.* 170. *num.* 1. Pariſius *conſ.* 51. *num.* 18. *lib.* 4. Gozadinus *conſ.* 2. *num.* 21. *&* 22. vbi dicit non ſufficere probationes præſumptiuas, neque in hoc ſufficere confeſſionem coniugum.

Nam quidquid ſit quoad ſeparationem thori, vel ad probationem matrimonij, eiuſdem matrimonij fauore, Verallus *deciſ.* 194. *part.* 1. *& deciſ.* 208. *part.* 2. * confeſſio coniugum ad diſſoluendum matrimonium non auditur, Panormitanus *in cap. ſuper eo, num.* 7. *verſ. aut confeſſio ſit contra matrimonium, de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ.* Natta *conſ.* 24. 8.

* adde Seraphin. deciſ. 687. n. 7.

Secundò teſtes non probant concludenter, cùm ſolùm deponerent ex aſpectu Ioannis, ex quadam præſumptione, & veriſimilitudine, nec in iſta negatiua remouebant actum à ſenſu Alexander *conſ.* 24. *num.* 3. *& conſ.* 108. *num.* 10. *lib.* 2. Decius *conſ.* 101. *num.* 2. Socinus iunior *conſ.* 12. *num.* 22. *lib.* 2. Rolandus *conſ.* 93. *num.* 7. *lib.* 4. Mandellus *conſ.* 299. *num.* 30. & tamen neceſſaria erat probatio concludens. Gozadinus *dicto conſil.* 2. *num.* 21. *&* 22. 9.

Nec erat verum, quòd ſtatim contracto matrimonio Ioannes diuerterit ab vxore, quia contrarium apparebat ex dictis teſtium, deponentium Ioannem poſt aliquot dies receſſiſſe.

Præterea omnia dicta teſtium confundebantur, ex confeſſione Magdalenæ affirmantis, quòd ipſa venerat in domum patris ipſius Ioannis, vbi illi inſeruiendo permanſit per ſpatium 7. annorum, & quòd in tribus vltimis annis, Ioannes iunior fuerat abſens à patria, & de aliis quatuor annis præcedentibus nihil deponebat.

Addiderunt tamen Domini, quòd ſi concludenter fuiſſet probatum, non interueniſſe copulam inter Ioannem iuniorem, & Magdalenam, cauſam diſſoluendi matrimonij, quæ proponebatur, videri iuſtam, ad vitandum ſcandalum. Purpuratus *dicto conſil.* 437. *num.* 9. Decius *dicto conſil.* 112.

---

## *Romana, ſeu nullius fructuum.*

### Die Lunæ 20. Iunij 1594.

### SVMMARIVM.

1.2 *Fructus beneficiorum non commixti & incorporati cum alijs bonis beneficiati, ſunt Eccleſiaſtici, & ſic pertinent ad ſucceſſorem beneficij.*

3 *Fructus non percepti per beneficiatum, pertinent ad ſucceſſorem beneficij ex Bulla Iulij III.*

4.5 *Beneficij fructus, licèt ſint percepti à conductore, & conſumpti, ſi tamen beneficiatus non commiſceat eos cum ſuis, pertinent ad ſucceſſorem.*

## DECISIO CCCXC.

VT ſatisfacerem Domino Laurentio de Bernardinis in hac tertia inſtantia; dedi du- 1.



bium, an affictus (de quibus agebatur) eſſent fructus præpoſituræ pendentes, & licèt Domini faterentur, præſentem articulum in terminis iuris communis non carere difficultate, per conſilium Ancharani 193. inſpecta tamen diſpoſitione conſtitutionis Iulij III. * ad cuius præſcriptum cauſa erat dirimenda, dicebant ſine difficultate ad fauorem Domini Octauiani Cautij eſſe pronuntiandum, & pecunias de quibus controuertebatur, eſſe fructus pendentes, cùm conſtitutionis verba apertè etiam affectum comprehendant, ibi, *fructus Eccleſiaſticos, ac pecunias*, & rurſus ibi, *ac pecunias, & res alias occaſione Eccleſiarum*, &c.

* habetur in Bullar. Cherub. in tom 1. in conſtitutionibus Iulij III. conſtit. 7.

2. Clara eſt enim diſpoſitio, quòd ſi fructus beneficiorum non ſunt commixti, & incorporati cum aliis bonis ipſius beneficiati, tunc iudicari debeant fructus Eccleſiaſtici, & conſequenter ad ſucceſſores * in beneficio pertinere debeant, vt in alia inſtantia fuit reſolutum coram R.P.D. meo Blanchetto. †

* Duran. deciſ. 304. n. 1. & deciſ. 448. n. 32. & 33. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, Seraph. deciſ. 592. n. 1.

Imò quamuis Bulla expreſsè non loqueretur de affictibus, & fructus naturales eſſent per conductores conſumpti, adhuc non poſſent dici incorporati, & cum bonis beneficiati, vt conſtitutio requirit.

3. Neque obſtabat quòd Bulla eſſet limitata ad loca in quibus non ſunt collectores Cameræ * Apoſtolicæ, nam cùm iſta exceptio ſpectaret ad Cameram, non poterat opponi per hæredes D. Galleoti, cùm ſatis eſſet ſucceſſori in beneficio docere nullum ius hæredibus in iſtis fructibus competere, habebat præterea Dominus Caritius ceſſionem à Cameræ.

† quæ allegatur infrà num. 5.

* adde Seraphin. deciſ. 594. n. 14.

Itaque cùm verum eſſet in facto, quod affictus (de quibus agebatur) non peruenerunt ad manus Galleoti, nec cum illius bonis fuerant commixti, & incorporati, cùm iam maturati, & quorum dies ſolutionis venerat, exacti ab ipſo non fuerint, & alij quorum dies ſolutionis nedum venerat, exigi non potuerint, iure optimo concluſum fuit, ad ſucceſſorem in beneficio, non ad hæredem defuncti, pertinuiſſe.

4. Quòd propterea opponebatur, iſtos fructus videri perceptos à Galeoto, mediante perſona ſui conductoris, qui fructus naturales, & induſtriales beneficij iam perceperat, & in ſuos vſus conuerterat, & propterea ad eius hæredes, non ad ſucceſſorem * in beneficio pertinere, apertè excludebat conſtitutio Iulij III. quæ (vt dictum fuit) præter perceptionem, requirit actualem
5. commixtionem, † & incorporationem cum bonis beneficiati, ita vt non ſufficiat fructus fuiſſe perceptos à conductore, quod patet euidenter ex eo, quòd etiamſi venerit dies ſolutionis, & beneficiatus fecerit exactiſſimam diligentiam exigendi, & percipiendi affictus, ſi tamen illos verè, & realiter non exegerit, conſtitutio cenſet, ſucceſſori in beneficio, non beneficiato eiuſve hæredibus deberi, cùm rebus ipſius commixti, & incorporati nondum fuerint.

* adde Seraphin. deciſ. 683. n. 3.

† adde Rot. in hac eadem cauſa 4. Iunij 1593. coram Blanchetto impreſſam penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 424. & aliam Mediolanen. coram Orano impreſſam per eundem March. in d. p. 1. pag. 458.

---

## *Mileuitana beneficij S. Marci.*

### Die Lunæ 20. Iunij 1594.

### SVMMARIVM.

2 *Regula reſeruatoria beneficiorum non comprehendit beneficia, quæ ex indulto pertinent, particulariter communitatibus, vel vniuerſitatibus.*

3 *Regula reſeruatoria beneficiorum reuocat indulta conceſſa fauore eligentium, ſed non eligendorum.*

## DECISIO CCCXCI.

COnceſſerat fel. record. Leo Papa X. habitatoribus, & populo inſulæ Melitenſis, Africanis Chriſtiani nominis hoſtibus finitimo, vt alacriùs, & promptiùs cum illis decertaret, Apoſtolicum indultum, vt perpetuis futuris temporibus, Eccleſiaſtica beneficia ciuitatis, & diœceſis Mileuitanæ in quibuſcunque menſibus vacantia, non niſi Clericis originariis, aut Epiſcopi pro tempore exiſtentis familiaribus, etiam conſanguineis conferrentur, non obſtante quacunque reſeruatione in genere, vel in ſpecie, ſiue per regulas Cancellariæ, ſeu alias qualibet, cum ampliſſimis clauſulis, & decreto irritante, quod cùm ab eo tempore, vſque in præſens, vſu receptum fuiſſet, & anno 1592. vacaſſet beneficium ſimplex S. Marci, Epiſcopus vigore indulti Michaëli Vicomercato contulit, & in realem illius poſſeſſionem immiſit, cæterùm quia Ioannes Dominicus Teſtaferrata prætendens fuiſſe reſeruatum, ex eo quòd vacauerat in menſe Maio, nulla facta mentione de indulto prædicto, illud à Sede Apoſtolica impetrauerat, & Michaëlem à poſſeſſione expulerat, dubitaui, cui eſſet prædictum beneficium adiudicandum, & Domini vno
conſenſu, Michaëli adudicandum cenſuerunt; 2.
non obſtante regula menſium reſeruatoria, cum clauſulis prægnantiſſimis quibuſcunque indultis, & priuilegiis derogantibus: quoniam ea regula non comprehendit indulta, quæ communitatibus, ſeu vniuerſitatibus conceduntur. Romanus *conſil.* 400. incip. *Quæritur, num.* 7. *& conſil.* 436. incip. *Quod indultum, num.* 2. Rebuffus *tit. de collationibus.* §. *ſtatuimus lo . in verb. perſonis*, & in terminis eiuſdem indulti ita reperiebatur aliàs iudicatum, & deciſum coram Groperio die 27. Octobris ann. 1561.

1. Hæc deciſio fuit reuocata 14. Nouembr. 1605. infrà deciſ. 1183. quantum ad facultatē conferendi reſeruata per Epiſcopos, ſecus, quantum ad originarios quibus vigore indulti ſunt ſemper beneficia conferēda etiam à Papa vbi annotaui n. 3. de quo vide Gonzalez ad reg. 8. gl 36. n. 41. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Placuit etiam Dominis illa ratio, quia cùm indultum eſſet conceſſum fauore eligendorum, non eligentium, non comprehendebatur ſub regula reuocatoria, per quam reuocantur indulta conceſſa fauore eligentium, * concluſum itaque beneficium prædictum Michaëli adiudicari debuiſſe. 3.

* adde Seraphin. deciſ. 1420. n. 3. & Rotam rec. p. 2. dec. 580. num. 5.

---

## *Salamantina coadiutoriæ.*

### Die Lunæ 20. Iunij 1594.

### SVMMARIVM.

2 *Coadiutus ægrotante, vel legitimè impedito coadiutore, lucratur diſtributiones.*

3.4 *Coadiutor datus cum plena, & omnimoda poteſtate, lucratur coadiuto quidquid ipſe lucraretur.*

5.6 *Coadiutor, vel coadiutus lucratur diſtributiones tempore infirmitatis eius, qui actu ante infirmitatem reſidebat.*

7 *Diſtributiones lucratur infirmus, qui à fictione reſidere dicitur.*

Fictio

8 *Fictio non habet locum, vbi non eſt æquitas.*
9 *Coadiuto excommunicato,non lucratur Coadiutor pro eo.*
10 *Excommunicatus,qui non poteſt lucrari,& exercere per ſe, nec per alium ad ſuam vtilitatem poteſt facere.*
11 *Coadiutor inſeruit nomine proprio,quando eſt impeditus coadiutus.*

## DECISIO CCCXCII.

1. Die Veneris 25. Iunij ann.1593. quando iſta * cauſa de conſenſu partium extra Rotam fuerunt deciſa duo dubia, vt apparet ex deciſione tunc facta;deinde cauſa fuit commiſſa in Rota, & in hac poſitione obtuli Dominis declarandas duas alias difficultates.

*ſuprà deciſ. 314.& habetur hæc dec. impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag.468. † vide Garc. de benefic.4. p.c.5.à n.79. circa hunc articulũ vbi n.149. habetur præſens deciſ.

An Coadiutore ægrotante,†carcerato,vel aliquo alio legitimo impedimento detento,haberi deberet pro præſente, & perinde foret computandus,& lucraretur Eccleſiæ emolumenta,ſicut computaretur, & lucraretur Antonius Canonicus proprietarius, & verus.

Et quartum, vtrùm exiſtente Antonio Canonico proprietario, & verò excommunicato, poſſet tunc inſeruire, & lucrari Ioannes Coadiutor.

Ad tertiam Domini affirmatiuè reſpondentes, pronuntiarunt, Coadiutore ægrotante, vel aliàs legitimè impedito lucrari coadiutum.Cùm
2. enim forma coadiutoriæ ſit conſideranda, Innoc.& Ioannes Andr.*in cap. fin. num.9. de Cleric. ægrotan.* vbi etiam Ancharanus *num.13.*& Imola *num.12.*& Ioannes Baptiſta Polancus eſſet datus Coadiutor Antonio,tam in ſpecialibus,quàm in temporalibus,cum plena,& libera, & omnimo-
3. da poteſtate,conſequens erat, vt poſſet Coadiutor,quæ poterat coadiutus.*cap.is cui,de elect.lib.6.* Oldradus *conſ.44. num.2.*

Sed coadiutus infirmus, vel corporaliter impeditus poterat lucrari diſtributiones quotidianas, quas ſanus lucrabatur, ſi præſens eſſet. *cap. vnico, de Cleric.non reſiden.lib.6.* vbi Geminianus *in §.qui verò,notab.1.*& Probus ad Ioannem Monachum *num.13.*& Abbas *in cap.1.num.7.de Cleric. ægrotan.* & Couarruuias *lib. 3. variar. reſolut. cap.13. num.8.*

4. Igitur idem ſtatuendum erat reſpectu Coadiutoris,qui ex forma coadiutoriæ in omnibus,& per omnia coadiutum repræſentabat, cùm in eius locum eſſet ſubrogatus. *l. ſi eum. §. qui iniuriarum.ff.ſi quis cautio.*

5. Hoc tamen dicebant Domini intelligendum, quando ſanus diuinis intereſſe ſolebat,ita vt infirmitas fuiſſet immediata cauſa non intereſſendi,Ioannes Andreas,Zabarella, & Abbas *in cap. ad audientiam, de Cleric.non reſident.* Abbas *in d. cap.1.num.6.de Clerico ægrotant.* Couarruuias *præcitato loco, verſ.6. hoc ipſum.*

6. Idemque conſtituendum eſſe in impeditis quolibet corporali impedimento, cenſuerunt *in dicto cap.vnico,de Cleric.non reſident.lib.6.* Archidiaconus, & Ioannes Andr.& Ancharanus *notab.6.*& Gemin.*in d.§.qui verò,num.5.*& Francus *num.4.*& Probus ad Monachum *num.10.*& nominatim de iniuſtè carcerato, tenuit Probus ad Monachum *in dicto cap.vnico,num.22.*& Couarruuias *præcitato loco*,& Pariſius *conſil.102.num.4. lib.4.*

Neque ſupradictis refragabatur, quòd cùm Antonius coadiutus eſſet ſanus corpore,& mente,tunc Coadiutore ægrotante,aut legitimo impedimento detento, Eccleſiæ foret deſeruiendum per Antonium, quoniam formula coadiutoriæ tollebat difficultatem: nam Papa dederat Coadiutorem Antonio,ſiue non potente,ſiue inſeruire nolente.

Quod dicebatur de fictione, quod ideo infirmus lucratur diſtributiones,quia fingitur reſidere,& propterea fictionem non habere locum vbi non eſt æquitas. Bartol. *in l. ſi quis pro emptore num.6.ff.de vſucapionib.* Verallus *deciſ.298.num.9. part.2.* Ab hac verò facti ſpecie procul æquitatem abeſſe,quæ ſuadere non poterat,vt Coadiutor infirmus,vel carceratus reputaretur præſens, ad effectum, vt coadiutus ſanus, quamuis non inſeruiret, Eccleſiæ lucraretur, reſpondebatur iſtam non eſſe iuris fictionem, ſed infirmitatis, 8.
* aut alterius legitimi impedimenti excuſationem, *cap.1.de Cleric.non reſiden.lib.6.* ibi, *exceptis illis, quos infirmitas, ſeu corporalis neceſſitas excuſaret.& cap.1.de Cleric.ægrotan.* ibi, *ægritudo ſua non debeat impedire.*

* infirmus lucratur diſtributiones, vt per Lud. dec.154.n.2. Seraph. dec. 1131.n.1.& 1140.ſed hoc intellige ſi ſit ſolitus inſeruire, vt per Coccin. dec.108.n.8.& 148.n.2.& dicitur ſuprà in hac deciſ. num.5.

Textus autem *in cap. de cætero, de Clericis non reſiden.* qui ex aduerſo ponderabatur, non loquitur de infirmo,ſed de ſano & in ſeruitio Epiſcopi exiſtente, qui propterea Eccleſiæ inſeruire cenſetur, quod à themate propoſito longè diſtabat.

Ad quartam difficultatem negatiuè fuit reſponſum, Antonio ſcilicet coadiuto excommunicato, non lucrari coadiutorem pro eo: cùm 9.
enim in litteris coadiutoriæ diceretur, quòd inſeruire deberet Coadiutor pro coadiuto, & pro ipſo coadiuto lucrari,iure conſequebatur,vt hoc priuilegium intelligeretur competere coadiuto, dummodo eſſet habilis & capax: excommunicatum autem non lucrari fructus, aut emolumenta beneficiorum * explorati iuris eſt. *cap.* 10.
*paſtoralis.§.verum,de appell.* Rota *deciſ.8. num.10. de ſentent.excomm.in antiq.* Puteus *deciſ.280.lib.1.* & qui non poteſt propter excommunicationem per ſe aliquid agere, neque poterit per alium ad ſuam vtilitatem; vt notant omnes *in cap.fin.*vbi Ioannes de Imola *num.19.de procuratorib.*& ſatis eſſet indecorum, vt alieni propter demerita à communione fidelium & ſuffragiis Eccleſiæ,per hanc viam de patrimonio Eccleſiæ,cui non obedirent, alerentur. *cap.commiſſa,de elect.lib.6.*Bald. *in cap.1. in ſecunda lectura, num.12.de indic.*

* adde Seraphin. deciſ. 1164. n.2.& Rot. in Iacen. portionis coram Ortem. impreſſam per Farin.tom.2. conſil. deciſ. 180.n.1.

Quibus non obſtabat, quòd Coadiutor non 11.
ageret, nec ſeruiret nomine excommunicati,ſed nomine proprio, aut nomine Eccleſiæ, ex traditis per Innocentium *in cap.fin. in fine, de procuratorib.* Oldradum *conſil. 44.* & Compoſtellanum *in cap. fin. num. 17. de Cleric. ægrotan.* quoniam Innocentius hoc tantùm affirmat, excommunicationem coadiuti non nocere Coadiutori,quominus vel ſuo, vel Eccleſiæ nomine agere poſſit, & non cenſet, eum quidquam poſſe lucrari ad commodum, & vtilitatem coadiuti excommunicati, quem ſua demerita ab iſtius commodi participatione meritò excluſerunt.

Rauennaten.



## *Rauennaten. Capellaniæ.*

### Die Mercurij 22. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Teſtis ſi rationem non reddit ſui dicti, non probat.*
3 *Teſtis deponens de voce, & fama publica, ſi ignorat quid ſit vox, & fama publica, nihil probat.*
4 *Licet non ſit neceſſarium vt ſciat diffinitionem famæ publicæ.*
5.6 *Teſtis deponens de fama, debet eſſe de tempore quo lis poſita fuit.*

## DECISIO CCCXCIII.

1. Habilitates Domini Ioannis Baptiſtæ Caſatelli viſæ fuerunt Dominis iuſtificatæ, & obitus Laurentij per quem impetrauerat Capellaniam,ſatis probatur; quantum ad valorem Capellaniæ Rota meliorem probationem deſiderauit, quia primus, & ſecundus teſtis non deponebant de non exceſſu, ſed tantùm de aſcenſu, * tertius præter exceptiones ſibi obiectas,licèt iuxta 5.interrogatoriùm,videretur deponere de certa ſcientia, cùm nulla dicti ſui rationem certam afferret, non probabat valorem. † Lanfranc.*in c.quoniam contrà, verſ.teſtium depoſitiones, num.94.*Arias Pinellus *in l.2.part.3.cap.fin.num.11. C.de reſcinden.vendit.*

*& tunc non probant teſtes Lud. deciſ.13.n.5.& 147. num. 1.& 353. n. 4.& 379.n.2.

2. Neque concludebat, reſpectu probationis
3. publicæ vocis, & famæ, cùm ignoraret quid eſſet publica vox, & fama. * Purpuratus *in l. 1. num.657.ff.ſi cert.petat.* Marſilius *in l.de minore.§. plurium num. 104. & ſeq. ff. de quæſt.* Ioannes de Amicis *conſ.127. num. 14.* quamuis enim non ſit neceſſarium,vt teſtes afferant exactam,& veram famæ diffinitionem, ne de publica fama depoſituri, Iuriſperiti eſſe compellantur; cognoſcere tamen debent proprietatem, & effectum famæ. Felinus *in cap.cùm contingat, num.5. de reſcript.* & ita fuit reſolutum in vna Auenionen.præpoſituræ coram R. P. D. meo Litta die 13. Maij huius anni 1594.

† adde Lud. dec.379.n.3.& 573.n.11.& tenentur reddere rationem ſciẽtiæ etiamſi non fiat interrogati. Coccin. dec. 259. n. 5.& 161.n.3. tamen valor probatur per teſtes de fama de quo infrà deciſ. 399.n.5.

4. Ex alio etiam non probabat iſte teſtis, quia non deponebat de fama, tempore † vacationis
5. Capellaniæ. Corneus *conſ.221.num.5. lib.3.* Verallus *deciſ.330. num.4. part.3.*

6. Quartus teſtis nihil dicebat de vera ſcientia, nec reddebat conuenientem rationem, nec deponebat de omnibus fructibus Capellaniæ, nec tangebat tempus vacationis. Abbas *conſil.43.n.3. lib.1.* Felinus *in cap.licet ex quadam num. 2. de teſtib.* Marſilius *conſ.1. num.67.*

* & licèt in iuſtificatione valoris ſufficiat ſemiplena probatio, debet tamen eſſe clara, vt per Seraph. dec. 261.n.1. †adde Mant. dec.182.n.2.& Caual. deciſ.383.n.5.

## *Bononienſis fideicommiſſi de Felicinis.*

### Die Mercurij 22. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Bona ſi dilapidanda eſſe timetur per poſſeſſorem, datur locus ſequeſtro.*
3 *Sequeſtrum eſt concedendum, appellatione pendente.*
4 *Sequeſtrum de iure regulariter eſt prohibitum.*
5 *Sequeſtrum non habet locum, ſi bona non ſunt liquidata.*
6 *Bonorum non liquidatorum non poteſt timeri dilapidatio.*
7 *Sequeſtro non eſt locus,ſi poſſeſſor bonorum ſit ſoluendo, etiam ſi ea dilapidet.*

## DECISIO CCCXCIV.

Domini de Felicinis obtinuerant duas ſententias conformes,& ad tertiam de ordine 1.
Rotæ fuerat terminus ſeruatus, ita vt nihil remaneret faciendum, niſi illam ſubſcribere, & quia prætendebant,fructus bonorum dilapidari, & difficilem futuram eorum recuperationem,ex eo quòd mulieres eorum poſſeſſores, non haberent in bonis,aliud quàm tenues dotes,& ideo petebant de opportuno remedio, per ſequeſtrationem prouideri, dubitaui, an eis foret concedendum ſequeſtrum, & licèt pro Felicinis facere 2.
videretur textus *in l.Imperatores.§.fin.ff.de appellationib.* ibi: *tamen cùm popularentur ab aduerſario,æquum ſibi videri,fructus apud ſequeſtres * deponi.*Item illa Doctorum ſententia, quòd appellatione pendente concedendum ſit ſequeſtrum, ſi appellans diſtrahat, vel eos in ſuos vſus conuertat,cùm eo etiam caſu dicatur, eos dilapidare. 3.
* Archidiaconus *in c.quoties lo 2.2.quæſt.6.*Baldus *in l.ſi fideiuſſor.§.fin. in princ.ff.qui ſatiſdare cogan.* Innocentius,Hoſtienſis,Ioannes Andr.Baldus, Ancharanus, & alij *in cap. fin. de ſequeſtrat. poſſeſſ.& fructuum.* Angelus *in l.diuus num.7.ff.de petitione hæredit.*cum aliis allegatis in illa Romana Palatij coram bon.mem. Cantuccio, Molina *de Hiſpanor. primogenijs lib.1. cap.15.& 16.* nihilominus in propoſita facti ſpecie Domini ſequeſtrum denegarunt,tum ex communi regula,quia ſequeſtrum regulariter eſt de iure prohibitum. 4.
* *l.1.C.de prohibit.ſequeſtr.* tum potiſſimum,quia cùm nondum eſſet liquidatum,quæ bona eſſent in fideicommiſſo comprehenſa, propter incertitudinem, non poterat dici plenè conſtare de bono iure petentis ſequeſtrum, *l.fin. C. de edicto diui Hadriani tollen.* Bald. *conſil. 84. num.1. lib. 1.* Paulus de Caſtro *conſ.94. lib.2.* Aymo *conſil. 61. num.6.* Natta *conſil.400.lib.2.* prætendebatur detrahendas quartas, & melioramenta in eis facta per poſſeſſores.

* adde infrà dec.748.n.2. Caual. deciſ. 324.n.4.

* adde Seraphin. deciſ. 1126. n.1.& 1403.n.1.& 5.& Rotam recen.part.2. dec.727.

* adde Caual.dec.324. n.1. Coc.deciſ.311. n.3. Rot. coram Iuſto penes Marcheſ. de commiſ.p.3. pag.127.n.2.& coram Bubalo penes eundem d.3. p.pagin.285. num.1.

Et ex his tollebatur propoſita difficultas de timore dilapidationis, quæ non poterat habere 6.
locum reſpectu bonorum non liquidatorum,Pariſius *conſil.41.num.45.lib.1.* Capella Tholoſana *deciſ.478.* præſertim cùm domina Martia de Felicinis, quæ bona poſſidebat, non poſſet dici dilapidare,ex quo non probabatur quòd aliter vel bonis,vel eorum fructibus vteretur, ac vtebatur ante litem motam,vel quòd non eſſet ſoluendo, 7.
† Zabarella *in cap.fin. in fin. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.*vbi Abbas *num.8.& 9.* iſtis enim non probatis, non erat commodo poſſeſſionis priuanda. Innocentius *in cap.in præſentia num.2.de probationib.* Pariſius *d.conſ.41.num.35.lib.1.* Baldus *in l.1. num.1. C.de prohibit.ſequeſtr.*

† quoties enim recuperatio fructuum eſt difficilis datur locus ſequeſtro, vt per Rot. rec. p.2.dec.136. num.4.

Sententiæ latæ ad fauorem dominorum de Felicinis, non ſuadebant apponendum ſequeſtrum,ex quo in eis ſolùm in genere pronuntiabatur,

batur, bona relicta in hæreditate Ioannis, & Laurentij, ſubiecta quidem fuiſſe fideicommiſſo, ſed non declarabatur cum certitudine, & limitibus deſignatis, quænam eſſent ea bona, & ex prædictis fuit concluſum non fore locum ſequeſtro.

## *Camerinen. Legati.*

Die Lunæ 27. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Calumnioſa præſumitur exceptio, ſi in vltima audientia proponatur.*

3 *Termino præfixo ad probandum, ſi pars non probauerit, non eſt audienda.*

### DECISIO CCCXCV.

1. Domini dixerunt procedendum eſſe ad vlteriorem executionem contra fratres S. Franciſci de Sarnano; quia commiſſio de ſoluendis expenſis in fine litis, * erat ſignata cum conditione ſi de paupertate conſtaret, & ex deciſione coram R. P. D. meo Orano die Lunæ 14. Martij apparebat, non conſtare de tali paupertate, quæ ſuaderet abſtinendum ab executione pro expenſis ſtatim recuperandis, quinimo ex deductis in dicta deciſione potiùs conſtabat de non paupertate, ad quem probandam Domini cenſuerunt, non fuiſſe admittendos articulos pro parte Fratrum datos, tum quia ex traditis in deciſione non videbantur releuantes, tum quoniam cùm darentur in vltimis audientiis, vi-
2. debantur calumnioſè proponi ad protrahendam cauſam, * maximè quia cùm aliàs eſſet fra-
3. tribus præfixus terminus ad probandum, nihil probare curarunt.

* vide infrà dec. 680. n. 4.

* adde Caualer. dec. 421. num. 9.

## *Vercellen. membrorum, ſiue optionis.*

Die 27. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Indultum Cardinalis continens verba generalia, & prægnantia, extenditur ad omnia.*

3 *Conſuetudines etiam immemorabiles optandi præbendas, etiam in menſibus reſeruatis, ſublatæ ſunt per recentes regulas Cancellariæ.*

### DECISIO CCCXCVI.

1. In deciſione facta in hac cauſa die 27. Aprilis proximè præteriti * fuit concluſum, collationem Archipreſbyteratus, & Canonicatus, quæ in menſe Aprilis vacarunt, pertinuiſſe ad D. Cardinalem Sarnanum, in hac propoſitione, omiſſo capite reſpiciente iuſtificationem gratiæ D. Nicolai Ombroſij, (de qua ſuo loco, & tempore erit loquendum, & agendum) dubitaui, an præbendæ, & membra, & domus Canonicales per quondam Ioannem Baptiſtam de Nobilibus Archipreſbyterum, & Canonicum Eccleſiæ Vercellenſis, ratione dignitatis, vel Canonicatus optata, quæ per eiuſdem Ioannis obitum extra Curiam de menſe Apr. 1593. vacarunt ſub indulto D. Cardinalis comprehenderentur; & Domi- 2.
ni affirmatiuè reſpondentes dixerunt, ſub indulto comprehendi, quia indulti verba erant admodum generalia, & prægnantia, complectentia quæcunque beneficia Canonicatus, præbendas, & dignitates, ex quibus videbatur omnis dubitatio * ceſſare. *l. ille, aut ille. §. cùm in verbis, ff. de legat.* 2.

* ſuprà deciſ. 367.

* vltra quod indulta de ſui natura ſint fauorabilia, & ideo comprehendunt omnia apta verbis ipſius, vt per Ludou. deciſ. 191. n. 6.

Quibus non refragabatur immemorabilis poſſeſſio optandi, quam Capitulum prætendebat, etiam in menſibus reſeruatis, iuxta *conſil.* 3. Calderini, *tit. de conſuetud.* quia præterquam quòd de prædicta conſuetudine non conſtabat, dicebant Domini, hodie illam (quamuis adeſſet,) 3.
non ſuffragari, cùm per recentes Cancellariæ regulas, ſublatæ ſint quælibet conſuetudines optandi præbendas, etiam in menſibus * reſeruatis.

* vide infrà circa hanc materiam dec. 676. n. 11. & 597. n. 5.

## *Romana bonorum de Ceulis.*

Die Lunæ 27. Iunij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Donatio vniuerſalis amplectitur, quidquid in vniuerſalitate eſt comprehenſibile.*

2 *Bancharia ex natura ſua eſt apta comprehendere futuras acceſſiones, & incrementa, & n. 4.*

3 *Donationi vniuerſali cedit commodum, & emolumentum proueniens ei, ad vtilitatem donatariorum.*

### DECISIO CCCXCVII.

Pro deciſione propoſitæ difficultatis, an domina Clarice Ceula de Nobilibus deberet eſſe particeps vtilium rationis banchariæ, à tempore donationis vſque ad præſens Domini non recedentes à reſolutione in hac cauſa facta coram R.P.D. meo Orano die Veneris 10. Decemb. 1593. dixerunt duo, primò donationem fuiſſe 1.
vniuerſalem, & ideo ſub ea fuiſſe etiam comprehenſam rationem banchariam, tanquam quid vniuerſale complectens, debita, & credita, & negotia, Paulus de Caſtro *conſil.* 285. incip. *Viſis & ponderatis omnibus, num. 3. lib. 1.*

Secundum, ſub eadem ratione bancharia 2.
comprehendi nedum emolumenta quæ extabant tempore donitionis, ſed etiam futura; quia ratio bancharia ex natura ſua eſt apta comprehendere futuras acceſſiones, & incrementa. *l. grege legato ff. de legatis 1. §. ſi grex. verſ. grege autem legato. Inſtit. de legatis*, & propterea emolumenta, & commoda inde prouenientia donationi cedere, * & ad vtilitatem donatariorum ſpectare. *l. item veniunt. §. ſenatus, l. ſi lege. §. fin. cum leg. ſeq. ff. de petitione hæredit.* Ioannes Copus *tract. de fructibus lib. 2. tit. 2. cap. 1. num. 2. & quæſt. 6. num.* 1. quod 3.
ideo etiam in hac facti ſpecie videbatur aſſerendum, quia Dominus Hieronymus donator, donatariorum nomine conſtituerat ſe poſſidere. Baldus *in l. ſi traditio, num. 17. quæſt. 9. C. de act. empt.* Andreas Tiraquellus *tract. de iure conſtit. poſſeſſor. part. 1. num. 73.*

* adde Duran. dec. 147. n. 34. & deciſ. 51. n. 6.

Neque



4. Neque his obſtabat oppoſitio ex veriſimili mente donantis, quaſi voluerit illa tantùm quæ tempore donationis extabant, donare, & conſequenter in donatione non fuiſſe comprehenſos fructus, ſeu futuras acceſſiones; dicebatur enim, quòd licèt ille præſentem tunc rationem banchariam reſpexiſſe, & donaſſe putaretur; nihilominus adhuc illa extendebatur ad futura emolumenta, cùm ſubſequens ratio bancharia eadem cenſeretur cum illa, quæ tempore donationis extabat. *l. proponebatur. ff. de iudic.* Iaſon *in d. grege legato, num. 1. ff. de legat.* 1. & ex ſua natura eſſet apta comprehendere futuras acceſſiones, vt proximè dictum eſt.

Rurſus illa inueriſimilitudo conſiderata per informantes pro D. Tiberio Ceulo, nempe non eſſe credendum, donatorem voluiſſe donare labores ſuos, & induſtriam in futurum, tollebatur ex eo, quòd donator nomine filiorum donatariorum adminiſtrauit, nam cùm potuiſſet per alium adminiſtrare, ſibi videbatur imputandum, ſi per ſe ipſum id oneris ſubire voluit.

An autem ex coniecturis, * & aliis pro vtraque parte deducendis, ratio bancharia fuerit continuata vel interrupta, & futuras acceſſiones vſque in præſentem diem, ad fauorem donatariorum comprehendit, aut comprehendere deſierit, Domini particulariter videre voluerunt; circa hæc enim multæ difficultates occurebant, quæ matura indigebant diſcuſſione.

* de qua infrà dec. 446.

## *Salamantina Coadiutoriæ.*

Die Veneris 1. Iulij 1594.

SVMMARIVM.

1 *Coadiutor habet vocem in Capitulo actiuam, & paſſiuam, tam in rebus ordinarijs, quàm in iuriſdictione, &c.*

2 *Coadiutori competunt omnia, & ſingula quæ competunt coadiuto, niſi aliter in coadiutoria reſtringatur.*

3.4 *Priuilegium, vel gratia generaliter conceſſa, comprehendit omnia quæ ſunt comprehenſibilia in ea.*

5.6 *Coadiutoriæ verba recipiunt interpretationem à iure.*

### DECISIO CCCXCVIII.

1. Ad vltimam difficultatem, & in ordine quintam in hac cauſa * decidendam, an Ioannes Coadiutor poſſet habere vocem actiuam, & paſſiuam in Capitulo, tam in rebus ordinariis, quàm in officiis Sede Epiſcopali vacante, & in iuriſdictione de la Valdobla, quam Capitulum Salamantinum exercet, & in ferendis ſuffragiis, in prouiſionibus Canonicatuum, ad Capitulum pertinentium, Domini affirmatiuè reſponderunt, inſpecta potiſſimum formula Coadiutoriæ, in qua D. Ioann. Baptiſta Polancus fuerat datus Coadiutor Antonio, cum plena, & libera, & omnimoda facultate, & poteſtate, & vt haberet ſtallum in choro, & vocem in Capitulo, & omnes & ſingulas prærogatiuas, & honores intra, & extra Eccleſiam Salamantinam, tanquam ipſius Eccleſiæ Canonicus, cùm enim, vt dictum fuit in deciſione facta die 20. Iunij proximè præteriti, * forma & verba Coadiutoriæ ſint attendenda, ſupradicta erant adeò latè 2.
patentia, vt cenſendum foret, Coadiutori ea omnia fuiſſe conceſſa quæ coadiuto competebant, *cap. is cui, de elect. lib. 6.* Oldradus *conſil.* 44. 3.
*num.* 2. de voce actiua, & paſſiua dubitari non poterat; cùm Coadiutoria ſtallum in choro, & vocem in Capitulo indiſtinctè concederet. *l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſtan.*

* de qua ſuprà dec. 313.

* ſuprà deciſ. 392.

4. Denique clauſula, *omnia & ſingula*, in Coadiutoria poſita operabatur, vt Coadiutor datus poſſet ea omnia agere, & exercere, quæ poterat coadiutus. gloſſ. *in cap. 1. in verb. officium, de cleric. ægrotan. lib. 6.*

Id verò quod dicebatur, verba Coadiutoriæ recipere interpretationem à iure communi, quo inſpecto, non poteſt Coadiutor, quæcunque competunt coadiuto. Oldradus *conſil. 44. num. 3.* Ancharan. & Imola *in cap fin. de cleric. ægrotan.* Domini dixerunt procedere, quando verba eſſent dubia, & ambigua, ſecus autem eſſe cùm ex verbis claris (vt in caſu propoſito) appareret, Coadiutori ea omnia fuiſſe conceſſa, quæ aliis Canonicis competerent.

## *Rauennaten. Capellaniæ.*

Die Veneris 1. Iulij 1594.

SVMMARIVM.

2 *Probationes, ad iuſtificandam gratiam, non requiruntur admodum exactæ, & concludentes.*

3 *Teſtes quamuis non reddant rationem ſui dicti, concludunt ſi deponant de his, quæ ſenſu corporeo percipiuntur.*

4 *Teſtes deponentes aſſertiuè de vera præſentia, concludunt, etiam ſi non reddant rationem ſui dicti.*

5 *Valor beneficij probatur per publicam vocem, & famam.*

6 *Narratiua gratiæ ſunt iuſtificanda.*

### DECISIO CCCXCIX.

Cum ex nouiter deductis, * in hac poſitione multum coadiuuarentur probationes aliàs propoſitæ pro parte D. Ioannis Baptiſtæ Saſatelli, Domini dixerunt, eius gratiam fuiſſe iuſtificatam, etiam quoad valorem. 1.

* ad dec. 393. ſuprà.

De obitu Laurentij Frigolij deponebat primus teſtis, dicens, quòd hæc Capellania vacauerat de menſe Decembri 1592. per obitum Laurentij, cuius teſtificationem coadiuuabat ſecundus teſtis examinatus de anno 1593. qui dicebat obiiſſe Laurentium in peruigilio Natalis Domini de anno 1592.

Et cùm ageretur de iuſtitia, & iure, & de iuſtificanda gratia in qua non requiruntur admodum exactæ, & concludentes probationes, * iſti teſtes licèt non aſſignata cauſa ſcientiæ ſimpliciter deponerent; probare tamen viſi fuerunt, quia quando agitur de his, quæ ſenſu aliquo corporeo percipiuntur, probant teſtes, quamuis non reddant rationem. gloſſ. & Baldus *in l. ſolam num. 1. C. de teſtib.* gloſſ. & Doctores *in cap. cùm cauſam,*

* adde Lud. dec. 84. n. 2. vbi latè annot. n. 6. & aliàs ſæpè.

ego non acceſſi ad Rotam morbo oculorum impeditus) tenuerunt, penſiones Gondiſaluo non deberi, & conſequenter Dominum Cordubam à ſolutione penſionum liberandum.

---

## *Conchenſis penſionis.*

### Die Lunæ 24 Octobris 1594.

SVMMARIVM.

7.8.9.10.11 *Beneficiorum ſunt inhabiles filij hæreticorum vſque ad ſecundam generationem, & num.*16.

12 *Condemnati filius de crimine læſæ Maieſtatis à indice ſeculari non admittit beneficium Eccleſiaſticum, & num.*23.

13 *Clerici à iure diuino ſunt exempti à iuriſdictione iudicis ſecularis.*

25 *Inhabilis qui efficitur ad obtinendum beneficium, non priuatur obtentis, & num.*28.

26 *Pœnale non eſt extendendum.*

27 *Pœna priuationis non debet imponi, niſi exprimatur quòd veniant imponenda.*

29 *Appellatione beneficiorum in materia priuationis, non veniunt penſiones, num* 40. *&* 41.

30 *Condemnatus ob alterius delictum, tunc non tenetur, quando contra principalem ob contumaciam fertur ſententia.*

31 *Condemnatus ob alterius culpam, non ſufficit culpa præſumpta. ſed requiritur verum & certum delictum.*

35 *Crimina minora varijs cauſis maioribus pœnis coërcere ſolent legiſlatores.*

39 *Extrauagantes omnes in materia inquiſitionis contra hæreticos ſunt validæ, & conſeruandæ, quamuis non ſint in corpore iuris poſitæ.*

40.41 *Penſiones appellatione beneficiorum in materia odioſa non veniunt.*

## DECISIO CCCCIII.

1. *de hac cauſa in antecedente dec. & habetur præſens deciſ. penes Farin. poſt tom. 2. conſ.dec.87.*

* VAcantibus Archidiaconatu, & Canonicatu in Eccleſia Conchenſi fel. record. Gregorius XIII. illos contulerat Don Ferdinando de Eſcobar, reſeruatis tamen fructibus Gonzalo Perez, filio Antonij Perez tunc Catholicæ Maieſtatis Philippi Hiſpaniarum Regis Secretarij, exceptis dumtaxat mille ducatis monetæ illarum partium Ferdinando, & eius ſucceſſoribus perſoluendis.

2. *hæc annotatio eſt R. P.D. Alexandri Iuſti quã extendit R. P.D. Peña vt ex eius Codice originali colligitur.*

Hanc *penſionem Antonius pater, poſtquam Gonzalus filius charactere clericali extitit inſignitus, pacificè nomine filij multis annis percepit, filiuſque deinde in poſſeſſione exactionis continuauit.

Cæterùm, quia ſuperioribus annis, per Inquiſitores hæreticæ prauitatis Cæſarauguſtanos, è quorum carceribus Antonius pater aufugerat, tanquam conuictus de hæreſi fugitiuus, & per-
3. tinax fautor, & occultator hæreticorum, per ſententiam fuerat condemnatus, & filij per eandem ſententiam iuxta receptum ſtylum Sancti Officij inhabiles, & incapaces ad habendum, tenendum, & poſſidendum dignitates, beneficia, & officia tam Eccleſiaſtica, quàm ſecularia fuerant declarati, ideo prætendens prædictus D. Ferdinandus, Gonzalum ipſo iure priuatum, aut priuandum perceptione dictorum fructuum, ſeu penſionis, per textum *in cap. quicunque. §. hæretici, & in cap. ſtatutum lo 2. de hæretic. lib.*6. quibus iuribus licèt filij hæreticorum non videantur priuati beneficiis, & officiis habitis, ſed ſolùm reddi inhabiles ad habenda, ex pluribus tamen putabat eam prohibitionem à iure inductam, nedum reſpicere inhabilitatem reſpectu obtinendorum, ſed etiam priuationem reſpectu obtentorum. Vnde introducta cauſa in Rota coram R. P. D. Alexandro Iuſto, obtinuit dari dubium, an in prædicto caſu Ferdinandus eſſet liberatus, aut foret liberandus à ſolutione penſionis & fructuum, aliàs ad fauorem Gonzali reſeruatorum.

4. Et vna tantùm parte Ferdinandi ſcilicet informante (procedebatur enim per Audientiam contradictarum) cauſa propoſita, quoniam viſa fuit Dominis grauis & exemplaris, cenſuerunt, S.D.N. Clement. VIII. conſulendum; cùm verò de ordine Rotæ Dominus Iuſtus Auditor, eum conſuluiſſet, duo Sanctiſſimus poſtulauit ab eo, primum quid ego ſenſiſſem; alterum vt ſibi daret notam continentem Doctores de hoc articulo differentes; vtrunque Auditor præſtitit, nam me ſentire affirmauit, ſicut ſcripſeram in Directorio Inquiſitorum *p.3. quæſt.*114. notatam verò paulo pòſt ad ſuam Sanctitatem detulit, quibus maturè diſcuſſis, die Iouis 3. Nouembr. Sanctiſſ. in generali Congregatione S. Inquiſitionis propoſito articulo, conſultiſque Cardinalibus, & reliquis Prælatis Conſultoribus, qui præſentes aderant, poſtquam dixiſſet vidiſſe ſe, quæ ego ſcripſeram de propoſita difficultate; auditiſque Cardinalibus Inquiſitoribus ſenioribus, affirmantibus non eſſe vſu S. Inquiſitionis receptam opinionem Doctorum aſſerentium, filios hæreticorum propter parentum hæreſim priuari beneficiis habitis, * cenſuit hanc opinionem tanquam mitiorem fore amplectendam, ob rationes quæ paulo pòſt recenſebuntur.

* de hoc art. & materia huius deciſ. latè agit Garc. de benef. p.11. cap. 10. §.1. n.59. cum pluribus ſeqq.

† & an idem ſit in bonis maioratui ſubiectis vide latè apud Mol. de Hiſpal. primo. lib. 4. c. 10. ferè per totum & præcipuè à n.25. & ſeq.

Affirmatiuam † verò ſententiam, (quæ communis eſt) inſignes Doctores ſequuntur, & Romani quoque Pontifices diffiniuiſſe videntur. inter Doctores occurrebant ſequentes.

Ioannes Andreas *in cap. vt commiſſi, de hæret. lib.*6. *num.*4. *verſ. priuandi.*

Geminianus *ibidem in §. priuandi, num.*4. Henricus Boich *in cap. vergentis num.*12. *verſ. aut quæris, de hæret.* vbi expreſsè dicit, filios hæreticorum ipſo iure priuari beneficiis ſuis Eccleſiaſticis iam obtentis, & inhabiles reddi ad habenda vſque ad ſecundam generationem per lineam maſculinam, per text. *in cap. quicunque. §. hæretici, & in cap. ſtatutum lo 2. de hæretic. lib.*6.

Ioannes de Anania *ibidem n.*12. *verſ. de crimine autem hæreſis*, vbi concludit in crimine hæreſis filium alicuius hæretici Clericum, beneficio Eccleſiaſtico obtento ipſo iure priuatum.

Præpoſitus *in cap. ſatis peruerſum, num.*4. *verſic. ſimile eſt in crimine hæreſis,* 56. *diſt.*

Ioannes de Imola *in l. in inſulam num.*2. *verſ. & adde quod notat gloſſ. ff. ſolut. matrim.* vbi tamen loquitur dubitatiuè per aduerbium *fortè.*

Romanus *ſingular.*693. incip. *Scis quòd ex condemnatione.*

Hieronymus Gigas *tract. de crim. læſæ Maieſtatis, lib.3. tit. de pœnis, quæ filij incurrunt, quæſt.*11.

Palacius Rubeus *tract. de regno Nauarræ part.*5. *§.*7. *&* 8.





Tiberius Decianus *lib.5. tract. crimin. cap.*45. *num.*4. *verſ. item perdunt filij.*

Et alij hos ſecuti, quorum ſententiam confirmare etiam videtur auctoritas Cymerici *in Directorio Inquiſitor. quæſt.*114. dum enim reſpondet propoſitæ difficultati, an filij hæreticorum priuandi ſint omni beneficio Eccleſiaſtico, & officiis publicis, ait, *reſpondemus quòd ſunt priuati.*

8. Eandem affirmatiuam ſententiam proximiùs accedere ad veritatem, quàm negatiuam, de qua paulo pòſt dicetur, multorum Romanorum Pontificum conſtitutiones videntur oſtendere, primum enim Innocentius IV. conſtitutioni incip. *Nouerit vniuerſitas. § hæretici autem*, ita habet: *Hæretici autem, & receptatores, defenſores & fautores eorum, ipſorumque filij vſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium admittentur, quòd ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos, & quoſcunque viros Eccleſiaſticos, qui ad preces huiuſmodi peſtilentium perſonarum dignitates, perſonatus, & quæcunque alia Eccleſiaſtica beneficia ſunt adepti, ex nunc priuamus taliter acquiſitis: volentes, vt tales & habitis perpetuò careant, & ad alia, vel ſimilia, nequaquam in poſterum admittantur.* hactenus ibi.

9. Alexandri IV. conſtitutione incip. *Quod ſuper nonnullis. §. frequenter*; etiam idem videtur fuiſſe ſancitum, dum declarat illorum filios, & nepotes priuari dignitatibus, beneficiis, & officiis, qui hæretici, aut credentes, aut fautores reuera fuerunt, & in errore & fautoria deceſſerunt, non autem illorum, quos emendatos fuiſſe conſtiterit, & pro culpa ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam receperunt, quam ipſi vel iam perfecerunt, vel humiliter proſecutioni eius inſiſtunt, vel parati fuerunt, dum viuerent, ad eandem recipiendam.

Quam declarationem totidem ferè verbis Bonifacius VIII. in ſua compilatione recepit, atque recenſuit *in cap. ſtatutum, lo 2. de hæret. lib.* 6.

10. Sed apertiùs videtur eandem ſententiam comprobaſſe Nicolaus III. conſtitutione incip. *Nouerit vniuerſitas. §. hæreticorum.* vbi ita ſanciuit: *Hæretici autem receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filij vſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium admittantur. Quòd ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficijs acquiſitis, volentes, vt tales & habitis perpetuò careant, & ad alia ſimilia nequaquam in poſterum admittantur.* hæc ibi.

11. Doctores præterea qui tenuerunt hanc opinionem præter text. *in cap.2. §. hæretici autem, & in cap. ſtatutum lo 2. de hæret. lib.*6. ad eam confirmandam allegant textum *in cap. felicis. §. quòd ſi quis, de pœnis lib.*6. ex quo patet, filios percutientis Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ipſo iure priuari beneficiis, quæ tempore commiſſi criminis obtinebant: manifeſtum eſt autem, crimen illud multo minus, & leuius eſſe, quàm crimen hæreſis, cùm longè maius ſit diuinam, quàm humanam lædere Maieſtatem. *cap. vergentis, de hæretic.*

12. Ad ſententiam contrariam negantem aſtruendam, recenſetur primum à Doctoribus gloſſ. *in cap. ſatis peruerſum* 56. *diſtinct.* ſed cùm loquatur de patre condemnato ob commiſſum crimen læſæ Maieſtatis humanæ, non poteſt ad hunc caſum applicari: ideo enim filius Clericus non amittit beneficium Eccleſiaſticum priùs obtentum, quia iudex ſecularis condemnans patrem ob crimen ſeculare, non poteſt de beneficio Eccleſiaſtico cognoſcere, neque Clerico ſibi non ſubdito præiudicare: ſic enim interpretatur il-
lam gloſſ. Ioannes de Imola *in d. l. inſulam, num.*2. *verſ. & adde. ff. ſolut. matrim.* & Romanus *d. ſingulari* 693. & Ioannes de Anania *in cap. vergentis num.* 12. *de hæret.* Clericis enim à iuriſdictione iudicum ſecularium iure diuino exemptis, *cap. duo* 96. *diſt.* non poſſunt iudices laici, per ſuas ſententias præiudicium aliquod inferre. 13.

Couarruuias *lib.2. variar. reſolut. cap.*8. *num.*4. pro hac ſententia allegat Antonium de Butrio, & Panormitanum *in cap. vergentis, de hæret.* Cæterùm neque Antonius *ibi num.*9. neque Panormitanus *num.*4. *verſ ſed circa prædicta*, poſſunt videri facere pro hac parte, cùm ambo vtantur auctoritate gloſſæ *in d. cap. ſatis peruerſum* 56. *diſt.* quæ, vt proximè dictum eſt, loquitur in filio Clerico, cuius pater fuit condemnatus per iudicem ſæcularem ob crimen læſæ Maieſtatis humanæ. 14.

Gonzalus de Villadiego Hiſpanus, inſignis quondam Rotæ Auditor, *tract. de hæret. quæſt.*23. *num.*2. *verſ. ſed ſalua meliori*, dirimere hanc controuerſiam nituntur propoſita diſtinctione; quia aut beneficia fuerunt collata ante delictum parentum, & filij non ſunt illis ipſo iure priuati, aut fuerunt collata poſt delictum parentum, & tunc illis ſunt ipſo iure priuati. 15.

Autor Repertorij Inquiſitorum, qui fuit Doctor Valentin. *in verb. filij. §. ſupradictum eſt, verſ. ſed ſalua meliori deliberatione.* eandem diſtinctionem, quam facit Gonzalus Villadiegus, commemorat.

Verùm ſi conſtituamus receptiorem Doctorum ſententiam eſſe, filios hæreticorum quocunque tempore genitos, ideſt, tam ante delictum per parentes commiſſum, quàm poſt illud perpetratum, pœnis inhabitationis ad officia, & beneficia comprehendi, vt copiosè dixi *in Directorio Inquiſitorum parte 3. q.*114. *verſ. illud præterea, & verſ. ſeq.* quoniam inhabilitatio filiorum, & aliæ pœnæ, quibus propter delicta parentum afficiuntur, non tam ſunt latæ propter ipſos filios, qui non deliquerunt, quàm propter parentes, vt deterreantur à tantis criminibus perpetrandis, videntes etiam in filios, quos vt maxima bona diligunt, etiam ſeruire legiſlatores, & armari iura, ſi, inquam, hanc opinionem conſtituamus, non facile poterit ſupradicta diſtinctio habere locum, ſicut reuera non videtur amplectenda, propter rationes, quibus nititur affirmatiua ſententia Doctorum, aſſerentium indiſtinctè per delictum parentum inhabilitari eorum filios, tam genitos ante delictum, quàm poſt delictum commiſſum procreatos. 16.

Auguſtinus Ariminenſis *in addition. ad Angelum, tract. de maleficijs, in verb. & huic tradito, n.*15. *verſ. & dixit Romanus.* ſenſit filium Clericum non priuari beneficio Eccleſiaſtico propter delictum patris. Sed cùm Romani auctoritate nitatur, quam ſuprà dictum eſt, ſentire pro affirmatiua, verendum ne vela corruptus ſit iſtius Auguſtini locus, vel non ſatis ille diligenter Romanum inſpexerit *ſingul.*693. 17.

18. Alphonſus Montaluus *in l.4. partita 7. tit. 26.* confitetur, filios non priuari beneficiis obtentis ob delicta parentum; limitat tamen, niſi filius obtinuerit talia beneficia ad preces patris hæretici, tunc enim & acquiſitis priuatur, & acquirendis, cuius ſententiam optimè videntur probare duorum Pontificum Innocentij IV. & Alexandri IV. reſcripta paulo antè relata.

19. Felinus *in cap. vergentis, de hæret. num. 3. verſ. nota caſum.* filium beneficiatum non perdere beneficium obtentum, ob patris delictum cenſuit, ſed quoniam vtitur auctoritate gloſſæ *in cap. ſatis peruerſum 56. diſtinct.* Antonij de Butrio, & Panormitani, quos ſuprà adducimus, vix poteſt dici, eum ſimpliciter in hac ſententia reſidere.

20. Ludouicus Carrerius *tract. de hæret. num. 141. verſ. intelligas tamen prædicta*, licèt abſolutè cenſeat filios hæreticorum Clericos, inhabiles fieri ad beneficia obtinenda, & obtentis non priuari, vix etiam poteſt exiſtimari, tenere hanc ſententiam, cùm ſolius gloſſæ *in cap. ſatis peruerſum 56. diſt.* & Panormitani *in d. cap. vergentis, de hæret.* auctoritate nitatur.

21. Ioannes Rojas *in ſingularibus, in fidei fauorem, & hæreſis deteſtationem, ſingul. 24.* incip. *Beneficijs Eccleſiaſticis, verſ. ſed ſingulare eſt.* poſt enumeratos aliquot Doctores pro vtraque opinione, concludit, hanc quæſtionem tanquam dubiam indigere noua Romani Pontificis deciſione.

22. Petrus Rebuffus *in praxi beneficiati, tit. de modis amittendi beneficia, num. 25.* expreſsè affirmat, filios hæreticorum non eſſe priuatos illis beneficiis, quæ habebant ante delictum à patribus commiſſum, ſed eſſe inhabiles ad poſtea obtinenda. allegat Aufrerium *in Capella Toloſana quæſt. 120.* & Hippolytum *tract. de fideiuſſorib. quæſt. 12. num. 120. poſt gloſſ. in cap. ſatis prouerſum, 56. diſtinct.*

Sed Aufrerius *ibi num. 6. verſic. vnde gloſſa*, nullum verbum de crimine hæreſis, cùm citet gloſſam *in d. cap. ſatis peruerſum 56. diſtinct.* licèt *additio. ad Aufrerium, ibidem*, dicat idem eſſe in crimine hæreſis, verùm non loquitur de obtentis.

23. Hippolytus verò Marſilius *in repetitione rubricæ de fideiuſſoribus quæſt. 12. n. 143. verſ. item prædictis*, non exemplificat aliquid de crimine hæreſis; imò ſemper videtur verſari in crimine læſæ Maieſtatis humanæ, ex quo fundat ſe *in l. quiſquis. C. ad legem Iul. maieſt. & in gloſſ. dicti cap ſatis peruerſum*, & concludit, quòd patre condemnato de crimine læſæ Maieſtatis, non intelligitur † publicatum beneficium Eccleſiaſticum filij, vel ſua præbenda, quæ filio reſeruantur.

† adde Cocc. dec. 361. n. 2. & 3.

24. Iulius Clarus *in §. hæreſis, num. 16. verſ. item Clericus*, quamuis confiteatur communem ſententiam eſſe, filios hæreticorum ipſo iure priuari beneficiis obtentis tempore commiſſi criminis, ſecutus tamen Simancam liberè profitetur opinionem negatiuam.

Quam Simancas affirmauit *tract. de Catholicis inſtit. tit. 29. num. 20.* dicens, nullo modo eſſe priuandos illis beneficiis, quæ antea obtinuerant, quàm patres eorum declararentur hæretici, quia id, inquit, nullo iure cauetur, & iniquiſſimum eſſet.

25. Eadem fuit ſententia Couarruuiæ *lib. 2. variar. reſolut. cap. 8. num. 4. in fine*, ob duas rationes. Primò, quia nullibi expreſſum eſt, filios obtentis beneficiis priuari ob paternum ſcelus, tum præterea, quoniam regulariter qui inhabilis efficitur ad obtinenda, non priuatur obtentis.

Ego verò in Directorio Inquiſitor. *part. 3. quæſt. 114.* eandem ſententiam tanquam veriorem, & mitiorem ſum amplexus.

Quam nouiſſimè etiam profeſſus eſt Ignatius Lopez de Salzedo *in commentarijs practicæ criminalis Canonicæ Bernardini Diaz, cap. 114. verſ. quinimò filij hæreticorum.*

Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. hæ rationes placuerunt, prima, quia nunquam iure expreſſo reperitur cautum, vt filij hæreticorum, & fautorum, etiam beneficiis obtentis priuentur, quo tempore parentes damnantur; quod cùm pœnale ſit, non debet extendi. *cap. odia, de regul. iuris lib. 6.* 26.

Item, quia pœna priuationis * nunquam imponitur, niſi exprimatur, quòd veniat imponenda, gloſſ. finalis communiter recepta, ibi communiter Doctores *de iure patronat.* 27.

* adde Rot. diuer. part. 1. dec. 769. n. 2.

Præterea, quoniam regulariter qui inhabilis efficitur ad obtinenda beneficia, obtentis non priuatur. gloſſ. ſingularis *in Clement. 1. § ipſius, de pœnis*, quam ſequuntur *ibidem* Zabarella, Ioannes de Imola, & Bonifacius, & cæteri, quos refert, & probat Couarruuias *lib. 2. variar. reſolut. cap. 8. num. 4.* 28.

Rurſus, quia antiquorum Doctorum opinio non fuit vſu Sanctæ Inquiſitionis recepta: quamuis enim filij hæreticorum inhabiles remaneant ad obtinenda Eccleſiaſtica beneficia poſt patrum condemnationem, non priuantur obtentis antequam pater condemnaretur; qua in re plurimum referre quid tanti Tribunalis ſequatur auctoritas, explorati iuris eſt.

Poſtremò, in propoſita facti ſpecie duo potiſſimum ſuadebant non eſſe ab hac ſententia recedendum. Primum, quia Doctores & iura agentia de hoc articulo, ſemper loquuntur de beneficiis Eccleſiaſticis, non de fructibus, aut penſionibus reſeruatis ſuper prouentibus beneficiorum, cetum eſt in materia odioſa, qualis eſt cauſa priuationis, appellatione beneficiorum * non venire penſiones. Creſcent. *dec. 296.* incip. *Penſio in materia ſtricta.* aliàs eſt *deciſio 14. tit. de re iudic.* in impreſſis, vbi allegantur plures Doctores. 29.

* adde Duran dec. 181. num. 4.

Alterum erat, quia Antonius Perez, Gonzali pater, tanquam contumax & fugitiuus damnatus fuerat ab Inquiſitoribus, quo caſu ſuccedit regula, quòd quando quis ob alterius delictum punitur, tunc non tenetur, quando contra principalem ob contumaciam fertur ſententia. Bartolus *in l. cum filiusfamilias. ff. de verbor. obligat.* quia, vt quis puniatur ob alterius culpam, non ſufficit culpa præſumpta, ſed requiritur verum, & certum delictum, hoc tamen motiuum fortaſſis poſſet pati aliquam difficultatem, propter illa quæ ſcripſi in Directorio Inquiſitor. *parte 3. quæſt. 115. verſ. patre damnato.* 30. 31.

His ita poſitis, non obſtant adducta in contrarium per Doctores, & primum non obſtat text. *in cap. 2. § hæretico, de hæret. lib. 6.* quia ille textus ſolùm videtur excludere filios hæreticorum à beneficiis obtinendis, dum dicit, *ad nullum Eccleſiaſticum beneficium aſſumantur.* nam verbum, 32.



bum, *aſſumantur*, non inducit priuationem obtentorum.

33. Rurſus non obſtat text. *in cap. ſtatutum lo 2. de hæret. lib. 6.* quoniam eodem modo reſpondetur, ibi non eſſe talia verba, quæ inducant priuationem obtentorum, ſolùm enim ſancitur ita, *ipſorumque filij vſque ad ſecundam generationem ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum non admittantur*; quaſi dicat, non admittantur in futurum: ergo ſi ſint admiſſi, non priuantur.

34. Non obſtat textus *in cap. vt commiſſi, §. priuandi, eodem titulo*, præterea, quia dum ibi dicitur, *priuandi*, refertur ad hæreticorum fautores, receptatores, & defenſores; dictio verò *priuatos denunciandi*, refertur ad ipſos hæreticos, qui ſunt ipſo iure beneficiis priuati. Couarruuias *lib. 2. c. 8. n. 4.* quod ſum ſecutus *in Directorio, parte 3. quæſt. 113.* aliam expoſitionem proponit Gondiſaluus *tract. de hæret. quæſt. 23. num. 2. verſ. reſtat reſpondere.*

35. Non obſtat text. *in cap. filius. §. quod ſi quis, de pœnis lib. 6.* quia ſæpe contingit, legiſlatores minora crimina variis ex cauſis, maioribus pœnis coercere, ad refrenandam delinquendi audaciam. Couarruuias *lib. 2. reſolut. cap. 8. n. 4.* Gonzalus de Villadiego *tract. de hæret. q. 23. num. 2. verſ. præſertim, quia interdum.*

36. Non obſtant conſtitutiones Innocentij IV. * & Alexandri IV. ſuprà relatæ; quia loquuntur in filiis hæreticorum, qui ad preces hæreticorum, vel fautorum, & ſimilium obtinuerunt beneficia Eccleſiaſtica, tales enim obtentis meritò priuantur: nam ab illa regula quòd qui inhabilitatur ad obtinenda, non priuatur obtentis, detur exceptio, niſi obtenta beneficia fuerint ad preces & interuentionem, ſeu per operam hæreticorum & fautorum.

* habentur hæ conſtitutiones vbi dixi in antecedente annotatione huius cauſæ n. 1.

37. Poſtremò ad conſtitutionem Nicolai tertij, quæ magis vrget in hac cauſa, cùm expreſsè ſanciat filios hæreticorum, etiam acquiſitis beneficiis priuari, reſpondetur, vel intelligendam iuxta modum, & tenorem præcedentium Extrauagantium aliorum Romanorum Pontificum; vel non fuiſſe vſu receptam, quod videtur certius: vel in hoc non eſſe conformem diſpoſitioni iuris communis comprehenſi in Decretalibus, Sexto, & Clementinis, & ideo ei non eſſe ſtandum in hac parte: licèt enim omnes Extrauagantes
38. in materia Inquiſitionis contra hæreticos ſint validæ, & ſeruandæ, quamuis non ſint in corpore iuris poſitæ, id tamen procedit in his, in quibus non obuiant conſtitutionibus poſitis in voluminibus iuris. Ita enim conſtituit Bonifacius VIII. *cap. fin. § fin. de hæret. lib. 6.*

39. Cæterùm, quia difficile videtur iudicare, an ſit contraria nec ne, & quia facile poſſent eludi diſpoſitiones ſimilium Extrauagantium dicendo, eas eſſe contrarias diſpoſitioni in corpore iuris clauſæ: propterea magis placet ſecunda reſponſio, quòd non fuerit in hac parte vſu recepta; quod videtur etiam fuiſſe de mente Sanctiſſimi reſpondentis Domino Iuſto, ſe cum Congregatione Sanctæ Inquiſitionis ſenſiſſe negatiuam opinionem, tanquam benigniorem ſeruandam: & ratio fuit, quia præter benignitatem, & manſuetudinem huius opinionis negatiuæ, Sanctitas ſua (vt accepi à quodam Sanctæ Inquiſitionis officiali, qui eidem Congregationi interfuit,) intellexit à Cardinalibus Inquiſitoribus; & Conſultoribus ſenioribus, contrariam opinionem nuſquam fuiſſe vſu receptam.

Non obſtat gloſſ. *in dicto cap. quicumque. § hæretici autem, in verb. beneficium, de hæret. lib. 6.* vbi notat, beneficium ibi largè ſumi, & doctrina Dominici *ibidem* notantis cum gloſſ. *in verſ. nota bene*, quòd conſtitutio pœnalis extenditur de ſtricta ſignificatione vocabuli ad latam: & conſequenter, penſiones venire appellatione beneficiorum. Caccialupus *tract. de penſionibus, q. 30.* Gigas *eod. tract. quæſt. 94. num. 7. verſ. limita tamen concluſionem.* 40.

Quia poſſet reſponderi, iſtam opinionem fortaſſis poſſe habere locum in penſionibus, quæ dantur in titulum beneficij, non autem in illis, quæ dantur tanquam fructus pro ſuſtentatione, quæ non requirunt reſidentiam, vt optimè diſtinguit Caccialupus *præcitata quæſt. 30. num. 10. & ſeq.* 41.

Sed neque Gigas vrget, qui loquitur de Clerico lapſo in hæreſim, qui ſi fiat inhabilis ad beneficia, eſſet etiam inhabilis ad penſiones: ſed in filiis hæreticorum, qui non deliquerunt, fortaſſis ſecus reſpondiſſet.

---

## *Placentina Decanatus.*

## Die Mercurij 26. Octobris 1594.

### SVMMARIVM.

2 *Iudicium non debet incohari cum Procuratore generali ad lites, ſed eſt citandus principalis, cùm agitur ad priuationem beneficij.*

3 *Reconuentionis cauſa, conuentionis cauſam iure ſequitur.*

4 *Ratificatio principalis purgat nullitatem citationis Procuratoris.*

5 *Ius quem non habere in beneficio, diuerſum eſt, ac ſi petatur eſſe priuandum beneficio.*

6 *Regula de annali, non refragatur impetrationi in forma iuris.*

## DECISIO CCCCIV.

PRimam gratiam, *ſi neutri*, quam ſuper hoc Decanatu Balthaſar de Miranda impetrauerat ſuperiori anno die 12. Nouembr. * dixerunt Domini non fuiſſe iuſtificatam, ex tribus potiſſimum fundamentis, primò, quia non expediuerat literas ſuper dicta gratia: ſecundò quoniam tempore datæ, citationem executam contra Procuratorem ad dicendum contra commiſſionem non reproduxerat: tertiò, quoniam non citauerat Don Petrum de Panyagua principalem, ſed eius tantùm Procuratorem, qui non videbatur habere ſufficiens mandatum ad faciendum, incidere Dominum in pœnam priuationis. Cæterùm, quia poſtmodum Miranda litteras expediuerat, & die 5. Aprilis aliam gratiam, *ſi neutri*, impetrauerat, & citationem legitimè executus fuerat, dubitaui, an hæc vltima eius gratia quoad litem eſſet ſufficienter iuſtificata, & Rota iuſtificatam * eſſe cenſuit. 1.

* ſuprà dec. 330.

* hæc reſolutio fuit confirmata infrà dec. 418. ſed non propter hoc motiuũ, & fuit reprobatum quod deducitur infr. n. 6.

Quoniam verò informantes pro D. Petro Decano Placentino ampliùs non negabant literarum expeditionem, neque citationis reproductionem,

ductionem, ſed reſtringebant ſe potiſſimum ad
2. defectum litis, ex qua prætendebant, non potuiſſe inchoari iudicium cum Procuratore generali ad lites, aſſerentes neceſſariò debuiſſe citari Petrum principalem, cùm ageretur de magno eius præiudicio, * & beneficij priuatione, quo caſu citatio fuit nulla in perſona Procuratoris generalis. Put. *dec.* 373. incip. *Die 16. eiuſdem lib.* 1. *& deciſione* 283. incip. *Die* 4. *Octobr. lib.* 3. Verallus *deciſ.* 114. *num.* 1. *part.* 1. & fuit dictum coram me in vna Tuden. præſtimonij die 4. Maij 1592. *

* adde ſuprà dec. 218. n. 4. & 368. n. 2. & infrà 435. n. 2.

* ſuprà dec. 218. n. 2. & ſequent. vbi aliàs dec. annotaui.

Ideo Domini in facto conſiderabant, quòd cùm in concordia inita inter Garciam de Loayſa, & Mirandam ſuper Decanatu fuiſſet Mirandæ reſeruata annua penſio 500. ducatorum, cum decreto dandi fideiuſſores idoneos, & promiſſione de non impugnanda penſione, nec dandi de illius nullitate, aliàs quòd quæuis prouiſiones, & collationes ad fauorem Mirandæ factæ cenſerentur, cum decreto, *irritante*, & clauſula, *ſublata*, & poſtea Procurator Decani cum generali mandato commiſerat cauſam ſuper nullitate penſionis. Miranda verò prætendens ob iſtam commiſſionem nedum ſibi licuiſſe redire ad ius primæuum, quod poterat habere ſuper Decanatu ante concordiam, ſed etiam nouum ſibi ius fuiſſe acquiſitum vigore decreti in reſeruatione penſionis appoſiti, cauſam commiſerat ſuper Decanatu, deducendo omne ius quod ei competere potuiſſet; propterea validè dicebatur citaſſe eundem Procuratorem generalem, à quo
3. ſibi motum fuerat iudicium, ſuper nullitate penſionis, cùm reconuentionis * cauſa, conuentionis cauſam iure ſequatur. Abbas *in cap.* 1. *num.* 13. *verſ. item iuriſdictio prorogata, de mut. petit.* Maranta *in ſpeculo part.* 4. *tit. an ſit iudicium conuentionale, num.* 3. *& ſeq.*

* adde Rotã rec. p. 1. dec. 39. n. 3.

4. Id etiam iudicium eo quoque nomine legitimè inchoatum cenſebatur, quoniam Petrus principalis ex multis actibus videbatur approbaſſe * factum Procuratoris, nempe exhibendo litteras compulſoriales ſibi à Procuratore tranſmiſſas coram iudice compulſore, & inſtando pro illarum executione, † & expreſsè petendo extrahi iura, nullitatem penſionis concernentia, & proceſſum ad eundem Procuratorem tranſmittendo, & alia faciendo, ex quibus concludebatur euidens Procuratoris ratificatio, ita vt non poſſet dubitari de ſufficienti eius mandato.

* adde Lud. dec. 176. n. 8. & 13. & habetur in rec. p. 2. dec. 123. n. 3. & Caual. dec. 372. n. 4.
† adde Rotam rec. p. 2. dec. 374. n. 3.

5. Præterea cùm Miranda prætenderet ſe iuuare eius iure primæuo, quod ſibi competebat ante concordiam, quod etiam expreſſerat in hac commiſſione, reſpectu eius iuris non agebat de priuatione contra Garciam, ſed prætendebat Decanatum vacaſſe per confidentiam, non autem per obitum Garciæ; ideoque dicebant Domini, iſtam non eſſe materiam priuationis, ſed non iuris declarationem, iuxta deciſiones Achillis 4. *&* 5. *de penſionib.* quæ multum Rotæ placuerunt in hac cauſa.

Quantum ad regulam *de annali*, dicebatur ei fuiſſe ſatisfactum, * cùm Miranda infra ſex menſes citauerit Garciam perſonaliter, & formauerit proceſſum, & proſecutus fuerit iudicium vſque ad ſententiam, & ad illam terminum ſeruari fecerit intra tempus à regula præfinitum.

* adde infrà dec. 999. n. 3. & Lud. deciſ. 532. n. 1. vbi n. 6. ad propoſitum allegantur hæ dec. Seraph. dec. 983. n. 2.

Reſpectu ſecundæ partis ei fuerat derogatum, quamquam ex alio non obſtabat, quia verſabamur in impetratione in forma iuris, cui regula non refragabatur. Sarnenſis *de annali, quæſt.* 42. 6.

Quo ad regulam *de triennali*, Domini de illa particulariter videre voluerunt.

---

## *Cæſarauguſtana fructuum.*

### Die Sabbati 5. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

1 *Citatio (ſi non reperiatur perſona) debet fieri in domo, & in Eccleſia.*
2 *Iudex executor ante impoſitionem ſequeſtri, debet iuſtificare litteras.*
3 *Iudicium à ſequeſtro non eſt incohandum.*
4 *Attentatum dicitur, quidquid geſtum fuerit poſt appellationem.*
5 *Abſenti quomodo ſit agitandus proceſſus.*
6 *Procuraror ſi non ſit citatus, etiamſi compareat, non purgat nullitatem.*
7 *Ab interlocutoria, cuius appellatio iuſtificatur à iure, non poteſt ex vi illius apponi ſequeſtrum.*

## DECISIO CCCCV.

PRouiſum fuerat Doctori Hieronymo Gregorio in Curia Romana commoranti, à fel. record Innocentio Nono de dignitate Eleemoſynaria nuncupata, in Eccleſia Cæſarauguſtan. ſuper quam Matthias Pujadas prætendens, habere reſeruatam annuam penſionem cc. ducatorum, præſentatis litteris coram Vicario Capituli Cæſarauguſtan. Sede vacante (qui de abſentia Hieronymi ſummarè ſe informauerat,) obtinuit abſque alia citatione * ad domum, & Eccleſiam Cathedralem iuxta forma *Clem. cauſam, de elect.* ſequeſtrari fructus Eleemoſynariæ iam collectos, pro terminis decurſis à tempore prouiſionis Hieronymo factæ. 1.

* talis citatio erat neceſſaria probata abſentia, & nõ tuto acceſſu, vt per Seraph. deciſ. 1296. n. 3. & 1314. n. 2. & aliàs ſæpe.

Et licèt Procurator Hieronymi in partibus, coram eodem Vicario comparens inſtiterit prò reuocatione ſequeſtri, ille nilominus decreuit non eſſe reuocandum, & propterea Procurator in ſcriptis ſolemniter appellauit, qua appellatione pendente examinatis duobus teſtibus ſuper quaſi poſſeſſione exigendo penſionem per Matthiam ab anteceſſore Hieronymi, & productis litteris Clericatus Matthiæ non recognitis, nec aliquo citato, idem Vicarius recepta extraiudiciali informatione ſuper abſentia Hieronymi, non citato eius Procuratore, nec Hieronymo ad domum, & Eccleſiam, decreuit procedendum ad venditionem prædictorum fructuum ſequeſtratorum, vt de illorum pretio penſio ſolueretur; interim Hieronymus habita notitia de prædictis ab A. C. obtinuit declarari, præfatam executionem Cæſarauguſtæ factam iniuſtam, & reuocandam, Matthæumque reſtituere debere fructus indebitè habitos, ſeu illorum valorem, prout communiter valebant in dicta ciuitate, tempore quo fuerant venditi; reſeruato tamen Matthiæ iure agendi ad penſionem.

Deinde



Deinde cauſa mihi commiſſa, dubitaui an ſententia A. C. eſſet iuſta, & confirmanda.

2. Et Domini iuſtam, & confirmandam cenſuerunt, nam cùm iudex de partibus conceſſiſſet ſequeſtrum, non iuſtificatis litteris * Apoſtolicis, prout iuſtificari debebant, neque legitimè probata quaſi poſſeſſione exigendi penſionem, neque potuit decernere ſequeſtrum, neque ordinare quòd fructus venderentur, cùm de iure à ſequeſtro † inchoari non debeat. *l.* 1. *&* 2. *C. de prohibit. ſequeſtr. cap.* 2. *de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* maximè, quia petitio Procuratoris Hieronymi, continentis reuocari ſequeſtrum, erat iuſta, & debuit admitti, & appellatione pendente nihil innouari, vnde geſta deinceps fuerunt attentata, * & tanquam talia debuerunt reuocari. *cap. non ſolùm, de appellat. lib.* 6. Romanus *conſil.* 429. *num.* 3.

* adde Rotã in vna Regien. benefi. coram Dunocet. impreſſam penes March. de commiſſ. part. 1. pag. 1076. n 3.

3.
† Seraphin. deciſ. 1096. n. 1. Rota recen. p. 1. dec. 464 n. 2. & p. 2. dec. 764. num. 5 quod fallit in ſequeſtro conuentionali, vt infrà dec. 472. n. 3

Quod eo magis videbatur Dominis aſſerendum, quia proceſſus non fuit legitimè agitatus contra abſentem, iuxta formam præſcriptam *in Clem. cauſam, de elect.* Rota *deciſione* 5. *num.* 1. *de reſcript. in nouis.* Caſſador. *deciſ.* 1. *num.* 2. *de dolo, & contumacia.*

4. Quibus accedebat alius defectus, quia non fuit citatus Procurator Hieronymi, qui comparauerat † coram Vicario, Mohedanus *dec.* 312. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de dolo, & contum.* §. 3.

* adde infrà dec. 542. n. 6. Caual. deciſ. 498 n. 1. & 2. Seraph. dec. 138. n. 1.

5.
6. Neque vitium attentatorum ceſſabat ex eo, quòd appellatio eſſet interpoſita ab interlocutoria iudicis ſequeſtrum decernentis, & ordinantis fructus ſequeſtratos diſtrahi pro ſolutione penſionis; quia dicebant Domini, quòd cùm verſaremur in tali interlocutoria, * cuius appellatio iuſtificabatur à iure, à quo ſequeſtrum regulariter eſt prohibitum, vt *l.* 1. *& toto tit. C. de prohibit. ſequeſtr. cap.* 1. *de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* meritò geſta poſt appellationem interpoſitam indicabantur attentata, † & reuocanda, pro vt in ſimili caſu tenuit Rota apud Caſſadorum *deciſione* 5. *de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct.* & ſic in hoc themate Auditor Cameræ legitimè pronunciauit, executionem tanquam attentatam debuiſſe reuocari, licèt eſſemus in appellatione interpoſita ab interlocutoria. Lancellotus *tract. de attentatis part.* 2. *cap.* 12. *tit. de attentatis appellat pendent. limitatione* 1. *num* 33.

† ſed hoc videtur ſanatum per cõparitionem, nam per eam purgatur defectus citationis, vt per Lud dec. 27. n. 4. vbi latè annot. n. 9. & ſeq. Seraph. dec. 1366. n. 2. & 1441. n. 4. & aliàs ſæpe.
* adde Cau. dec. 2. n 7. & ſeq. & deciſ. 211. & 324. n. 1.
† adde Rotã in vna Cæſarauguſta penſione coram Iuſto, & in alia Hiſpalen fructuum impreſſas penes Marcheſ. de commiſ. p 3. pag. 127. n. 2. & pag. 285.

An autem reſpectu penſionis conſtaret de bono iure Matthiæ, non erat huius inſpectionis, in qua ſolùm agebatur de iudicio agitato coram Vicario Cæſarauguſtano, ex quo tanquam nullo, non poterat bonum ius Matthiæ iuſtificari.

---

## *Portuenſis reſponſionis.*

### Die 7. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Citatio partium eſt neceſſaria ad ſententiam, alias adeſt nullitas.*
3 *Sententia contra minorem lata eſt nulla, non ſeruata iuris forma.*

## DECISIO CCCCVI.

DVbium datum, an ſententia extra Rotam lata ad fauorem Archipresbyteri Cerenſis * foret confirmanda, vel infirmanda, viſum fuit Dominis nimis generale, ex quo ſententia continebat plura capita, & pro parte D. Marij Fani ſingula impugnabantur, vnde pro faciliori reſolutione fuit ordinatum, quòd diſtinguerentur tria potiſſimum capita, & in primo videretur de quantitate terrarum Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Cere, quo viſo, remanebant in poſterum ſtabilitæ terræ ad Eccleſiam pertinentes in ſingulis tertiis del Montarone Pancereſi Sanctæ Mariæ, & Sancti Martini, & in loco detto li Cretti. 1.

* ſuprà dec. 370.

In ſecundo liquidaretur quantitas grani percepti de dictis terris Eccleſiæ exiſtentibus, in ſingulis ſupradictis tertiis.

In tertio, & vltimo ageretur de pretio, quo fuit facta venditio grani ſingulis annis, ad effectum legitimæ reſtitutionis Archipresbytero faciendi.

Quantum ad Archangelum, & Tranquillum de Surdis hæredes Ioannis de Surdis dicebatur, ſententiam fuiſſe nullam, & iniuſtam, & conſequenter, reſpectu illorum de Surdis infirmandam.

Nullitas erat clara, primò ex defectu citationis ad ſententiam. * *Clem paſtoralis. §. cæterùm, de re indicat.* 2.

Secundò, quia cùm Tranquillus eſſet minor, in iudicio contra illum debuit ſeruari forma ſtatutorum vrbis *lib.* 1. *cap.* 43. *& lib.* 4. *cap.* 2. & iuris etiam communis. *l hæc autem* § *non defendi, ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eat. & in l. contra pupillum. ff. de re iudicata*, qua non ſeruata, ſententia † fuit nulla. Lapus *allegatione* 115. *num.* 2 Romanus *conſil.* 453. *num.* 2. Abbas *conſil.* 43. *num.* 2. *part.* 2. Decius *conſ.* 549. *n.* 1. *& ſeq.*

* adde Durã. dec. 8. n. 1. & 163. n. 1. Coccin. dec. 414 n 2. Mãtic. dec. 301. n. 3. & hæc debet eſſe ſpecifica, vt infrà deciſ. 596 n 5. vbi alias deciſ. annotaui.

3.
† ſententia lata contra pupillum ſi ſit nulla non valet, ſed ſi ſit in eius fauorem ſuſtinetur, vt per Ludouiſ. dec. 574. n. 2. & 3. & in omnem euentum, ſi feratur contra minorem indefenſum eſt nulla Rota recen. p. 2. dec. 53. n. 4.

Videbatur etiam iniuſta, quia condemnabat in ſcutis quatuor millibus pro reſponſionibus duorum annorum, & tamen ſolutio pro primo anno iam dicebatur facta.

---

## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 24 Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Teſtator rem hæredis legare poteſt, non habita ratione an teſtator ſciuerit, vel ignorauerit rem eſſe hæredis.*
3 *Legatum rei alienæ relictum coniunctæ perſonæ valet, non habita ratione, an ſciuerit, vel ignorauerit teſtator rem eſſe alienam.*
4 *Hæres tenetur factum defuncti approbare, nec ex propria perſona poteſt contrauenire.*
5 *Diſpoſitionem defuncti tenetur ſeruare hæres, in his quæ de eius bonis ad ipſum peruenerunt.*
6.7 *Teſtator, ſi relinquat hæredi fideicommiſſum, ab eo reſtituendum, ei videtur nihil relinquere, ſed hoc non habet locum ſi transferatur fideicommiſſum in eum, qui eſt inſtitutus hæres.*

DECI

## DECISIO CCCCVII.

1. PRæſuppoſito teſtamento quondam Hieronymi Nari,& quòd Dominus Antonius Narus poſt aditam Hieronymi hæreditatem recuſabat reſtituere D. Franciſco Nato fratri Germano medietatem caſalis Montis melioris, & aliorum bonorum in teſtamento Hieronymi contentorum, ſub prætextu antiqui fideicommiſſi inducti per alias de Naris, & præſuppoſitis etiam aliis, quæ pro vtraque parte in facto proponebantur; dubitaui, an D. Antonius teneretur reſtituere Franciſco integram partem bonorum repertorum in hæreditate Hieronymi.

Et Domini die 5. Nouembris Franciſco tantùm informante pro ipſo reſponderunt, & quia D. Antonius voluit deducere (vt par erat) iura ſua die 14. * eiuſdem, vtraque parte informante non receſſerunt à deciſis, licèt enim dictum caſale, & alia bona, de quibus agebatur, eſſent ſubiecta fideicommiſſo ad fauorem alterius, quàm Antonij, videlicet filiorum, & ſucceſſorum,& ideo prætenderet Antonius non potuiſſe per Hieronymum grauari in ſuo teſtamento, & Franciſco relinquere contra diſpoſitionem aliorum antiquorum de Naris, fideicommiſſum inducentium, & Antonium propterea potuiſſe teſtamentum Hieronymi contrauenire, & illud impugnare,& legitimè retinere medietatem hæreditatis; nihilominus per Dominos fuit concorditer pronunciatum, Antonium teneri ad prædictam medietatem reſtituendam. Quoniam

* de hoc art. vide Duran. deciſ. 10. vbi præſens dec. allegatur in hac eadem cauſa,& dec. 51. n.7. & 9. Mantic. dec. 106.n.4.

2. explorati iuris eſt, teſtatorem rem hæredis legare poſſe,non habita ratione, an teſtator ſciuerit, vel ignorauerit rem eſſe hæredis, *l. vnum ex familia. §. ſi rem*, vbi gloſſ. Bartol. & communiter Doctores, *ff de legat.2. §. non ſolùm*, vbi gloſſ. *in verb.hæredis. Inſtit. de legat.* gloſſ. & Doctores *in l. cùm alienum,C. de legat.* vbi Iaſon *num.* 10. aſſeruit,hoc caſu non minus indiſtinctè valere legatum, quàm quando res propria legatur, R.P.D. meus Mantica *de coniectur. lib 9. tit.* 1. *num.* 21. Xuarez *in l. quoniam in prioribus, ampliatione* 7. *num.*3.

3. Quod maximè procedit in legato relicto perſonæ coniunctæ, in quo nulla habetur ratio ſcientiæ, vel ignorantiæ. *l. cùm alienam, C.de legat. l. prædia. C. de fideicom.* Gregorius Lopez *in legibus ſeptipartitis,part.6.tit.9.l.10.gloſſ.2.* R.P.D. meus Mantica *de coniect.lib.9.tit.9.n.4.*

4. Vnde concludebatur,non potuiſſe Antonium hæredem à Hieronymo inſtitutum, acceptare hæreditatem, & ſub prætextu fideicommiſſi, diſpoſitioni teſtaris contraueniendo, integram retinere, Pariſius *conſ.*34.*num.*60. *lib.*2. Albenſis *conſ.*73. *lib.*1. ſed teneri factum defuncti approbare, neque ex propria perſona potuiſſe contrauenire. * *l.cùm à matre. C.de rei vendicat.* Decius *conſ.*547.*num.*4.Ruinus *conſ.*7.*num.*39.*lib.*1.Socinas iunior *conſ.*116.*n.*53.*lib.*1.

* adde Coc. dec. 29. n.8. & 37. n.1. & 76. n. 29. & 104.n.18. & 436.n.2. Seraphin. dec. 1157.num.2. Rotam rec. p.2.dec.697. n. 2. & infrà dec.974.n.5. & 981.n.3.

5. Neque Antonio ſuffragabatur inuentarium, quia illo non obſtante diſpoſitionem teſtatoris ſeruare tenebatur † in his, quæ de eius bonis ad ipſum peruenerant,gloſſ. & Doctores *in l. fin. §.in computatione. C. de iure deliberand.* Paulus de Caſtro *conſ.* 370. incip. *Quia in ſupraſcripto*, *n.*2. *lib.*2. *verſ. idem ſi cum beneficio inuentarij.* Romanus *conſ.* 18. *num.* 4. Crauetta *conſ.* 225. *num.*12. Molina *de Hiſpanor.primogen.lib.4.c.1.n.24.*

† adde Lud. dec.418.n.6. & 7.& annot. n. 15. & habetur in rec. p.2.dec.256.

Non placebat illa conſideratio, quòd Hieronymus relinquendo Franciſco medietatem caſalis fideicommiſſo ſubiecti, cenſeretur voluiſſe relinquere ius ſua morte periturum; quia dicebatur, ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur R. P. D. meus Mantica *de coniect. vltimar.volunt.lib.9.tit.1.num.21.* & Gabriel *conſ.* 129. *num.*4. *lib.*1. id non procedere, quando ius tranſit ad illum, qui fuit inſtitutus hæres.*

* cùm teneatur habere ratum factum defuncti quatenus reperitur in inuentario. Rota recen. p.2. dec. 61. n.4.

Quæ opponebantur Franciſco de incapacitate, tollebantur ex Breui Apoſtolico Pij Papæ IV. per quod Franciſcus pleniſſimè fuerat habilitatus,& reſtitutus.

## *Calagurritana præminentiarum de Victoria.*

Die Lunæ 14. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Rector poteſt aliquibus vicibus in anno per alium celebrare.*
3 *Cura ſi adeſt in Capitulo, Miſſa poteſt liberè per vnum,vel alium beneficiatum celebrari.*
4 *Parochiani tenentur frequentare ſuas Parochias, ſaltem in Dominicis diebus, & feſtis maioribus.*
5 *Rectores tenentur per ſe,& non per alios inſeruire Eccleſiis.*
*Sed fallit ſi Cura reſideat penes Capitulum, num.6.*
7 *Conſuetudo, vel præſcriptio non habet locum in facultatiuis.*

## DECISIO CCCCVIII.

PRæſuppoſitis Breui S.D.N. Clementis VIII. ſententiis Rotalibus, deciſionibus * in hac cauſa factis,ordinationibus Eccleſiarum,& concordia anni 1586. & aliis vtrinque deductis die 1. Iulij proximè præteriti, vtraque parte informante propoſui dubium, an Capitulum vniuerſitatis Eccleſiarum Parochialium poſſet celebrare officium veſperarum in Vigiliis inuocationum per Hebdomadarium, vel alium beneficiatum ab eo deputandum,vel potiùs eſſet præciſè compellendum, ad illud celebrandum per ipſoſmet Rectores? & quia cauſa fuit remiſſa ad Calendas, nunc vtraque parte etiam informante iterum propoſita, Domini negatiuè reſpondentes pronunciarunt, non teneri Capitulum in prædictis diebus celebrare per ipſos Rectores,ſed id poſſe per Hebdomadarium, vel alium beneficiatum; in iure enim non reperitur cautum, quòd Rector non poſſit aliquibus vicibus celebrare per alium, quinimo contrarium apparet fuiſſe ſancitum *in cap.officium,de officio Archipreſbyt. in principio*, ibi: *Miſſam quando voluerit cantare, vel cui de Sacerdotibus iuſſerit.* & notant Abbas, Antonius de Butrio, & alij, & Berous *conſ.*22.*num.*15.*verſ.quoniam hoc officium celebrandi Miſſas,lib.*1. 1. 2.

* de quibus ſuprà deciſ. 261.

Et eo magis ita decidendum Dominis videbatur, quia cùm præſupponeretur, Curam eſſe penes Capitulum, ideo liberè poterat * per beneficiatum deputandum facere celebrare. Lapus allega- 3.

* adde Seraphin. dec. 639.n.2.&3.



*allegatione* 5. *num* 9. *cap.* 2. *de parochijs*, & *alien. parœc.* & Concilium Tridentinum *ſeſſione* 22. *in decreto de obſeruandis,& euitandis in celebratione Miſſæ. §. moneant.* quibus cauetur, vt Rectores
4. admoneant populos, vt frequentent proprias Parochias, & diebus ſaltem Dominicis, & feſtis maioribus ad eas accedant, non diſponunt, vt tunc Rectores per ſe ipſos celebrare teneantur.

5. Sed neque textus *in cap.extirpandæ.§.qui verò, de præbend.* neque *cap.quia nonnulli, de Cleric. non reſident.* ſupradictæ deciſioni dicebantur obſtare, cùm locum tantùm habeant in non reſidentibus, qui per alios in totum inſeruire volunt, vt cenſuit Antonius de Butrio *conſ.* 51. *num.*5. *verſ.& iura quæ prohibent,& num.*6. *verſ. & §.quia*
6. *verò.* Ruſus non procedunt, quando Cura reſidet penes Capitulum. Lapus *dicta allegatione* 5.*num.*9.

Conſuetudo celebrandi officium per Rectores in contrarium allegata, præterquam quòd non probabatur, non poterat Capitulo Collegiatæ ſuffragari,cùm verſaremur in facultatiuis, in quibus non habet locum conſuetudo, * vel præſcriptio,quanquam enim quis per mille annos fecerit aliquid vno modo, non prohibetur illum alio modo facere volentem fuiſſe prohibitum, Innocentius *in cap. cùm Eccleſia; de cauſa poſſeſſ. & propriet.* vbi Ripa *num.*45.*& ſeq.& n.*68. Petrus Andreas Gambara *de officio, & poteſt. legat.lib.*2.*tit. de var.ordin. nominib. num.*133. gloſſ. *in c. conſuetudo,in verb.inſtitutum,diſt.*1.

* adde Lud. deciſ.172. n. 10. vbi latè annot. n.15.

In articulis datis pro Capitulo Vniuerſitatis non poterat fieri aliquod fundamentum,quamuis enim continerent Rectores ſemper præceſſiſſe, & inchoaſſe, & finiuiſſe veſperas, non tamen dicebatur in eiſdem, quòd Capitulum volens per Hebdomadarium, vel alium celebrare, fuerit prohibitum à Capitulo Eccleſiæ collegiatæ,vel ab aliis.

## *Dertuſen. Archipresbyteratus.*

Die Mercurij 16. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Partium præſentia habet vim legitimæ citationis, virtute decreti à iudice prouiſi coram eis.*
3 *Epiſcopi,& Vicarij idem eſt tribunal.*
4 *Vicarius Epiſcopi habet iuriſdictionem, virtute commiſſionis ab Epiſcopo ei datæ.*

## DECISIO CCCCIX.

1. IN cauſa Dertuſenſis Archipresbyteratus, in qua propoſueram dubium, an ſententia officialis Dertuſenſis lata cõtra Ioannem Andream Archipresbyterum oppidi de Morella, Doctorem in ſacra Theologia, eſſet nulla & reuocanda cum omnibus inde ſequutis, Domini cenſuerunt, ſententiam fuiſſe validam, quia ex ſerie facti apparebat, promotorem fiſcalem Eccleſiæ Dertuſenſis die 10. Martij compariuiſſe coram Vicario Dertuſenſi, & potuiſſe aſſignare terminum ad ſententiam, & Vicarium tempore huius petitionis, præſenti Procuratore Archipresbyteri,aſſignaſſe terminum ad tertiam diem proximè futuram non feriatam, cum continuatione dierum ſequentium,& die 13.Martij ſententiam fuiſſe latam; ſtante enim præſentia * partium non contradicentium,iuſſus, ſeu decretum iudicis partibus notificatum, habuit vim legitimæ citationis, præſertim cùm eadem die fuerit ſententiæ Archipresbytero intimata. Bartol. *in l.* 1. *num.*1.*ff. de in ius vocand. & in l.furioſo, num.* 6.*ff. de re iudic.* Abbas *in cap.tenor. num.* 12. *de ſentent. & re iudic.* Ruinus *conſ.*102.*num.*8 *lib.*5. Felinus *in cap.*1.*num.*18. *de iudicijs*, Capicius *deciſione* 1. *num.*13.& fuit reſolutum in vna Placentina matrimonij die 3.Aprilis ann.1591. coram R.P.D. meo Blanchetto, illa enim præſentia ſufficiebat ad excludendam nullitatem. 2.

* adde Lud. dec.576.n.1. & ſequent.& latè annot. n.15. Caual. dec.117.n.2. Durand.dec. 305.n.7. & aliàs ſæpe.

Neque ſententia reddebatur inualida ex eo, quòd eam tulerat Epiſcopi Vicarius, non ipſemet Epiſcopus; quia cùm Epiſcopi & illius Vicarij idem ſit Tribunal, * *cap.* 1. *de officio Vicar. lib.*6. Romanus *ſingulari* 266. in hoc iudicio Vicarius dicebatur iudex competens, Puteus *deciſ.* 210.*num.*3.*lib.*2. & ceſſabat omnis difficultas, ex quo Epiſcopus ſpecialiter Vicario hanc cauſam commiſerat, gloſſ. & Doctores *in cap.cùm autem, de appellat.* Puteus *deciſ.*169.*n.*4.*lib* 1. 3.

* adde cap. nõ putamus, de conſuet. in 6. c. Romana,de appell. eodem lib. Rota diuerſ p.3. lib. 3. dec.1131. & deciſ.3.de offic. Vicarij in antiquis, aliàs 350.n. 24. in nouis, Mohed. deciſ 5. de appellat. alias 133 Durand. dec.74.n.24. & dec. 415. n. 2. Seraph. deciſ. 1057. n. 5.

4.

Circa attentata dixerunt Domini, de illis non conſtare, & ideo videndum de iuſtitia ſententiæ.

## *Peruſina liquidationis.*

Die Mercurij 16. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum executiuum non dat regulariter creditori poſſeſſionem ſuper bonis debitoris.*
3.4 *Debitor vt conſequatur damna,& intereſſe, debet legitimè probare, creditorem poſt executionem habuiſſe poſſeſſionem bonorum debitoris, in quibus exequutio fuit facta, & debitorem eo tempore eſſe impeditum fructus percipere.*
5 *Valor communis fructuum deſumendus eſt ex venditionibus communibus vnius anni.*

## DECISIO CCCCX.

FVit concluſum, non conſtare de ſufficienti liquidatione damnorum, & intereſſe paſſorum per D. Mareſcotum, propter executionem factam per D. Marchionem à Cornea ſuper molendino; primum enim non erat ſufficienter probatum, quòd à die 26.Iunij anni 1579. quo facta fuerat exequutio, vſque ad diem ſextam Maij ann.1583.quo D.Mareſcoto fuerat molendinum reſtitutum,D.Marchio poſſederit,& perceperit,omnes fructus, & cùm regulariter mandatum executiuum non det creditori, ideo non ſtatim poſt factam executionem præſumebatur, D.Mareſcotus deſiiſſe poſſidere. 1. 2.

Ad effectum verò conſequendi damna, & intereſſe, debitor legitimè probare tenetur creditorem poſt executionem habuiſſe poſſeſſionem bonorum debitoris,ſuper quibus exequutio fuit decreta,& facta,& debitorem fuiſſe eo tempore impeditum 3.

impeditum fructus exigere, vel percipere, Decius conſ. 83. num. 3. Baldus *in l. 1. num. 1. C. ſi aduerſ. venditionem pignor.*

4. A die tamen 4. Auguſti ann. 1582. quo die fuit perfecta deliberatio ad fauorem Marchionis, vſque ad diem ſextam Maij anni 1583. quo fuit D. Mareſcotto molendinum reſtitutum, videbatur Marchio fructus percepiſſe ex quo fuerat in poſſeſſione, * & ideo ad illorum reſtitutionem condemnandus. Rota *deciſ. 34. incip. Cremonen. penſionis*, in miſcellaneis.

* adde ſuprà dec. 225. n. 6. & Durand. dec. 305. n. 3. & 384 n. 1. & 307. n. 2.

Sed quia probatio per inſtrumentum locationis molendini, viſa fuit Dominis inſufficiens, ex quo de præſenti locatione non arguebatur plenè, ad ſequentem, de tempore quo D. Marchio poſſederat, & valor † etiam grani non apparebat legitimè probatus ex pattitis venditionum factarum, vno vel altero die, cùm ex pluribus vnius anni eſſet communis valor * deſumendus, ideo fuit concluſum, non conſtitiſſe de ſufficiente liquidatione.

† adde Lud. dec 101. Rotam rec. p. 2. dec. 675. n. 5.
* adde Rotam rec. p. 1. dec. 170. n. 2. & infrà dec. 672. n. 2.

## *Burgen. diſtributionum.*

### Die Sabbati 26. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

1 *Diſtributionibus quotidianis poteſt Epiſcopus tertiam partem fructuum præbendarum applicare, ſeruata tamen forma Tridentini.*
2 *Teſtes in partibus examinati parte non citata, non probant.*

### DECISIO CCCCXI.

1. DVbitaui, an Dominus Archiepiſcopus Burgenſis, vigore Concilij Tridentini *ſeſſ. 21. cap. 3. de reformatione*, poſſet conuertere tertiam partem fructuum Canonicatuum, & Præbendarum Eccleſiæ Burgenſis, in diſtributiones * quotidianas, & Rota cenſuit, eum non potuiſſe vti prædicta Concilij diſpoſitione, quia pro eius parte non probabantur qualitates requiſitæ à Concilio, vt illius diſpoſitio haberet locum, ad effectum de quo agebatur.

* de hoc art. ſuprà deciſ. 371. & infrà dec. 428.

2. In teſtibus examinatis ad fundandam illius intentionem, non fecerunt Domini fundamentum, quoniam fuerant in partibus nulliter examinati parte * non citata. *cap. in nomine, de teſtibus.*

* adde Rotam rec. p. 1. dec. 259. n. 2. & 120. n. 1. & aliàs ſæpe.

## *Portuenſis releuationis indemnitatis.*

### Die Sabbati 26. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Locatio facta alicuius rei ſpecificè, eſt excluſiua omnis alterius iuris, præter ius ſpecificatum.*
3 *Ius alterius exceptum ſemper intelligitur, in omni inſtrumento.*
4 *Reſeruationis verba, poſita in inſtrumento, non tribuunt plus iuris ei, cui diriguntur, quàm aliàs reſeruator habebat.*
5 *Declaratio non poteſt operari vltra intentionem declarantis.*

### DECISIO CCCCXII.

1. PRæſuppoſito inſtrumento locationis factæ D. Mario Fano de Caſtro Cere anno 1587. per quondam D. Portiam Riani, Marchioniſſam, in quo locatione durante, promiſerat manutenere Marium, ipſumque ab omni moleſtia, & lite, & ab omni moleſtante perſona defendere, & reſeruatione facta in dicto inſtrumento, *che delle rubia 63. di terreno della Chieſa, che ſtanno in piu terzi, ſi affituario non vi abbi altro che il ius paſcendi, & che le riſpoſte de dette 63. rubia di terra ſi reſeruano per la Chieſa, como e ſolito*, & declaratione D. Portiæ in alio inſtrumento contenta, in qua affirmabat, non fuiſſe ſuam intentionem, per prædicta verba aſſerere, quòd prædicta 63. rubia * terræ eſſent propria dictæ Eccleſię, ſed tantùm fuiſſe appoſitam ad demonſtrandum quondam ius antiquum, & ſolitum ipſius Eccleſiæ exigendi vnum de nouem; *per riſpoſta, quando ſi ſeminano, & di alli ſignori ſi danno à lauorare inſieme, con le altro tereno loro ſenza, che la Chieſa, ſi poſſa intromettere in altro*, & ſententia Domini Cardinalis Iuſtiniani, per quam Marius Fanus fuerat condemnatus ſoluere Archipresbytero Eccleſiæ Cerenſis ſcuta 2500. ad rationem decem quartarum grani pro ſingulo rubio terræ Eccleſiæ; dubitaui, an Dominus Andreas Modernus Dux Cere, hæres, & ſucceſſor D. Portiæ teneretur reſtituere D. Mario omne id, & totum quod ipſe ſoluerat, aut ſoluturus erat vltra vnum ex nouem, & vtraque parte informante, Rota cenſuit non teneri Ducem ad aliquid Mario reſtituendum: quia cùm die 26. Martij 1593. coram R.P.D. Molino fuiſſet deciſum, Mario non fuiſſe locatum aliud, quàm ius paſcendi, & ea verba eſſent excluſiua * omnis alterius iuris, Decianus *conſ. 37. num. 60. lib. 3.* nec Marius fuiſſet condemnatus ad ſoluendum aliquid Archipresbytero propter ius paſcendi, quod ſolum ſibi fuerat in locatione reſeruatum, * ſed propterea, quòd contra formam inſtrumenti exegerat de terris Eccleſiæ eaſdem reſponſiones, quas perceperat de aliis terris ſibi locatis, non apparebat aliqua cauſa ob quam poſſet prætendere releuationem indemnitatis contra Ducem, præſertim cùm in omni inſtrumento ſemper intelligatur exceptum ius alterius. Bartol. *in l. reſcripto. §. ſciendum, num. 5. de munerib. & honorib.*

* de hoc articulo infrà dec. 415.
2. * adde Rotam rec. p. 1. dec. 669 n. 2. in fine.
* reſeruatio enim declarat quid in diſpoſitione contineatur. Ludouiſ. dec. 85. num. 15. & 16.
3.

Cui deciſioni non refragantur illa verba: *che le riſpoſte di dette 63. rubia de terra, ſi reſeruano per la Chieſa, come è ſolito*; quia dicebatur per illa nullum ius maius concedi Mario conductori, quàm natura rei pateretur, maximè cùm non dicerent aliud non deberi, quo caſu reſeruatio * non tribuit plus ei iuris cui diriguntur reſeruationis verba, quàm ipſe aliàs habeat. Angelus *in l. omnes, num. 2. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Iaſon *in l. ſi quis legauerit, num. 6. ff. de legat. 1.*

4. * adde Lud. deciſ. 347. n. 16. Rotam rec. p. 1. dec. 242. n. 2. & diuerſ. p. 2. & dec. 70. n. 17.

5. Sed neque declaratio D. Portiæ locatricis ius eſſe antiquum, & ſolitum Eccleſiæ exigendi, vnum ex nouem *per reſpoſta*, tribuere poterat Mario in præiudicium Eccleſiæ, pluſquam ſibi competeret vigore locationis, ne declaratio operetur vltra intentionem declarantis. *l. ſeruus plurium.*



*plurium. ff. de legat. 1. l. non omnes. C. de ſolut.* Decius *conſ. 500. num. 9. & conſ. 521. num. 14.*

Et eo etiam nomine dicebant Domini, non eſſe attendendam illam declarationem, quia non probabatur ſolitum exigendi vnum ex nouem de terris Eccleſiæ, imò expreſsè probatum, & deciſum fuerat contrarium in eadem cauſa.

## *Romana, ſeu Bononien. Alimentorum.*

### Die Veneris 2. Decembris 1594.

SVMMARIVM.

*Camera quid faciat, non eſt inſpiciendum ex ſtylo, ſed quid fieri debeat.*

### DECISIO CCCCXIII.

IN hac poſitione, in qua dubitaueram, ad quam quantitatem eſſent taxanda alimenta, multa inculcabant informãtes pro R.P.D. Volta extra propoſitum, & contra deciſiones in hac cauſa factas die 28. Martij & 23. Maij præteriti, * in quibus fuerat ſtabilitum, Mario etiam ſpurio alimenta deberi, in bonis Camilli patris, quas iterum nunc Domini confirmarunt. *

* ſuprà dec. 364. & 378.
* informantes contra Marium in hac cauſa dicebant, ei nõ deberi alimenta, quia Camera aliter interpretatur conſtitutionem Pij V. quam Rota, ſed fuit reſponſũ per l. ſed licèt, de offic. Præſidis, non deberi inſpici, quod in Camera fit; ſed quid fieri debeat.

Quia tamen dubitabatur de quantitate bonorum, quæ vigore ceſſionis de hæreditate Camilli ad manus D. Voltæ peruenerat, vt faciliori via poſſet controuerſia terminari, perſertim intuitu pauperrimi Marij, qui non habebat, vnde ſe aleret, dictum fuit, quòd videretur, an eſſet habenda ratio pecuniæ ſolutæ per R.P.D. Voltam pro habenda hæreditate Camilli à Camera Apoſtolica.

Interim autem ordinatum fuit, vt Mario ſcuta 20. numerarentur.

## *Brixien. Locationis.*

### Die 5. Decembris 1594.

SVMMARIVM.

3 *Locatio rerum Eccleſiaſticarum facta vltra tempus à iure permiſſum valet pro tempore permiſſo.*
*Licèt alij contrarium ſentiant, n. 5. & 6.*
4 *Temporis ratio eſt diuiduum.*
7 *Vitium vnius actus ſi eſt indiuiduus, inficit quidquid ei adhaeret.*
8 *Lex publicata, & lata, & paſſim impreſſa, circumlata omnibus, præſumitur recepta.*
9 *Probandi onus incumbit neganti vſum.*

### DECISIO CCCCXIV.

1. DVrantes de Durantiis, * Præpoſitus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Gambara ciuitatis Brixien. aſſerens ſe de anno 1590. Iulio, & Scipioni de Brunellis, ac Claræ illorum Matri locauiſſe bona dictæ præpoſituræ, ſita in territorio Baſſani, & ignoraſſe ſectarium, qui eius locationis confecerat inſtrumentum die vltima Maij an. 1591. bona eiuſdem Præpoſituræ eiſdem Brunellis, & Claræ matri locauit per annos ſex continuos, proximè futuros, inceptos in feſto S. Martini ann. 1590. videlicet Iulio, pro primis tribus annis, pretio librarum 4500. ad rationem anni, & Claræ, pro aliis vltimis tribus annis pretio librarum 4000.

* habetur inter impreſſas Farinacij tomo 2. deciſ. 30. & penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 108.



2. Cæterùm, quia idem Durantes an. 1593. eandem præpoſituram auctoritate Apoſtolica ad fauorem D. Rainutij Durantij reſignauerat, & Rainutius poſſeſſionem apprehenderat, Brunelli ab Ordinario Brixien. monitorium obtinuerunt, ne moleſtarentur, aut impedirentur, continuare locationem initam cum Durante Raynutij, anteceſſore; ac lite propterea orta, pronunciatum fuerat in partibus, Raynutium teneri ſtare locationi pro tertio anno, videlicet pro anno 1593. & pro aliis tribus annis ſubſequentibus, Brunellos debere dimittere dicta bona, & à locatione recedere, quam ſententiam in Curia A.C. confirmauerat, in gradu appellationis cauſa in Rota commiſſa, dubitaui, an locatio prædicta poſſet ſuſtineri.

Et die 28. Nouembris Raynutio ſolùm informante, cùm articulus videretur Dominis difficilis, non fuit capta reſolutio, ſed iterum die 5. Decembris, cauſa propoſita vtraque parte informante, Dominis qui cauſam viderant, (vno tantùm excepto) in eandem ſententiam euntibus, reſolutum fuit locationem fuiſſe nullam. *

* adde Rotã in vna Com. locationis coram Pãphilio 20. Martij 1600. impreſſam penes March. de commiſſ. parte prima pag. 107.

Licèt enim magna ſit inter Doctores ſuper iſto articulo controuerſia, & multi teneant, locationem, vel conceſſionem vltra tempus permiſſum factam, † validam eſſe pro id tempus, per quod res Eccleſiæ licitè locari, vel in emphyteoſim concedi poſſunt, eo autem tempore tranſacto vitiari, Baldus *in Auth. ſi quas ruinas, n. 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & in l. ſi pupillorum. §. ſin in fine. ff. de rebus eorum.* Paulus de Caſtro *in Auth. Qui rem, n. 7. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* vbi dixit hanc opinionem eſſe meliorem, & æquiorem, & ſubdit, quòd Bartolus eam fuiſſet amplexus ſi cogitaſſet. Imola *in c. ex parte n. 39. verſ. ſed hîc ſurgit, extrà de feudis, & conſ. 69. n. 1. in fine*, & Romanus *in l. 1. §. ſtipulanti, n. 37. & 38. ff. de verb. oblig.* vbi miratur Bartolum, tantum ſcilicet Doctorem, dixiſſe contra caſum *in §. neque illud, in Auth. de non alienan.* Alexand. *conſ. 38. n. 5. lib. 2.* Aretinus *in l. 1. §. ſed ſi mihi, n. 36. ff. de verbor. oblig.* vbi aſſeruit, eandem opinionem maiorem habere æquitatem, & communem, dixit Decius *in dicta Auth. Qui rem, n. 22. de ſacroſanct. Eccleſ.* ſequitur Curtius iunior *tract. de feudis part. 2. q. 6.* & Tiraquellus *de retract. conuentionali, in fine, n. 146.* Couarru. *lib. 2. variar. reſolut. c. 16. n. 5.* Silueſter Aldobrandinus *conſ. 79. n. 3. lib. 1.* dicens rationem temporis eſſe diuiduam, Claudius de Seiſello *in ſpeculo feudorum, tit. qui feudum dare poſſunt, limitatione 8.* Iulius Clarus *in §. emphyteuſis, q. 6.* & alij, quos refert Molina *de Hiſpanor. primogenijs, lib. 1. c. 21. n. 28. verſ. contrariam autem ſententiam.*

3. † adde Rotã in vna Romana reſciſionis cõtractus coram Aldobrãdino ſanctæ memoriæ Clemente VIII. impreſſam penes eundem March. dicta 1. part. pag. 108.
4.

5. Nihilominus Domini, Anteceſſorum noſtrorum in hoc Tribunali, & iuris auctoritatem ſecuti, talem locationem * in totum vitiari cenſuerunt, forma enim à lege præſcripta eſſe videtur, ne rerum Eccleſiæ locationes fiant vltra triennium, indiuiſibilem verò, ſeu indiuiduam eſſe formam, exploratum eſt. Decius *conſil. 532. num. 5.* atque ita tenuit Rota in vna Romana deuolu

* de hoc art. latè differit Garcia de ben. 2. p. c. 1. à num. 22. & ſeq. & n. 41. ad propoſitũ allegat præſentem dec.

deuolutionis domus, die 4. Februar. ann. 1583. coram bon.mem. de Rubeis, & in alia Placentina decimarum die 2. Iunij 1586. coram bon. mem. Bubalo, cuius iudicium aperta iuris reſcripta comprobare videntur; vt *in Authent. de non alien. aut permutant.* §. *emphyteoſim, collatione* 2. ibi, *neque quod ſit habere aliquod penitus robur, ſinimus, & in Extrauagante Ambitioſæ, tit. de reb. Eccleſ. non alienan.* ibi, *locationem aliter factam nullius eſſe roboris,* & *in Clement.* 1. *eod.tit.* ibi, *nec recipienti ius aliquod acquiri.*

6. Quibus auctoritatibus moti, hanc ſententiam tenuerunt Barthol. licèt obſcurè loquatur, *in Authent. Qui rem, num.* 7. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* vbi Iaſon *num.* 21. Idem Barthol. *conſil.* 159. *num.* 8. Lapus *allegatione* 80. incip. *Quæris cùm locatio,* Alexand. *conſil.* 17. *num.* 10. *lib.* 4. *& conſil.* 165. *num.* 1. *verſ.* 2. *adducitur, lib.* 2. Cardinal. *in Clement.* 1. §. *fin. in fin. de reb. Eccleſiæ non alien.* Matthæus de Afflictis *deciſ.* 107. *num.* 2. Probus ad Ioannem Monachum *in cap. vltimo, num.* 2. *de pœnit. & remiſſionibus, lib.* 6. Ioannez Guttierrez *in l. nemo poteſt, num.* 53. *ff. de legat.* 1. Purpuratus *conſil.* 340. *num.* 7. & alij, quos refert Molina *de Hiſpanor. primogen. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 28. *verſ. ſolet etiam.*

Quam ſententiam eo etiam nomine in propoſita facti ſpecie Domini amplectendam cenſebant, quia locatio expreſsè apparebat facta vltra triennium, cùm diceretur, *in ea per ſex annos continuos.*

Idem præterea ſuadebant pacta in locatione appoſita, erat enim facta Iulio pro tribus annis, pro libris 4500. & matri pro reliquis tribus annis pro libris 4000. ex quibus præſumebatur, Brunellos non aliter fuiſſe contracturos, quàm pro ſex annis, cenſebantur enim maiori pretio conduxiſſe in primo triennio, vt minori acciperent in ſecundo. Vnde licèt pretium eſſet conſtitutum pro ſingulis trienniis, nedum tamen ex

7. prædictis verbis, ſed ex partium quoque intentione, videbatur vnica locatio, & ſic vitium vnius inficiebat reliquam, *l. cùm eiuſdem,* §. *interdum. ff. de ædilit. edict.* Decius *conſ.* 421. *num.* 3. Signorolus *conſ.* 53. *num.* 1.

Neque verò aliquid operabatur ad ſuſtinendam locationem diuerſitas perſonarum, ex quibus potiùs arguebatur ſuppoſitio ad fundandam legem de ſolo triennio loquentem.

Satis quoque * leue viſum fuit, quòd de non vſu Extrauagantis *Ambitioſæ,* opponebatur, cùm enim eſſet lata, & publicata, & paſſim iam impreſſa circumferatur, vſu præſumitur fuiſſe recepta. † Benintend. *deciſ.* 13. *n.* 9. Redoanus *tract. de rebus Eccleſ. non alienan. tit. de locatione rerum Eccleſiarum, q.* 6. §. *item ex præmiſſis, num.* 15. Berous *conſil.* 8. *num.* 9. *lib.* 3. Ioannes Gutierrez *lib.* 1. *Canon. quæſt. cap.* 8.

* cõtrarium fuit deciſum ſuprà deciſ. 322. in vna Comen. Capellaniæ 5. Iulij 1593. n. 6. & illa deciſio conducit ad materiã huius, & videndus eſt Barboſ. in Paſtor. alleg. 95. n. 48. & 49. vbi præſens dec. allegatur ad propoſitum.

8. Rota enim non ſeruat deciſionem 6. Mohedani, dicentis probandum eſſe vſum Extrauag. *Ambitioſæ,* quinimò cùm vſu recepta præſumatur, neganti vſum incumbit onus probandi. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de conſtit. num.* 3. Decius *conſ.* 92. *num.* 1. Plotus *conſ.* 19. *n* 62. maximè cùm hodie ius commune facere dicatur. Peregrinus *deciſ.* 225. *lib.* 2.

* adde Garc. de ben. 2. p. c. 1. vbi n. 42. allegat hanc deciſ.

---

## *Portuenſis reſponſionis.*

### Die Lunæ 5. Decembris 1594.

## DECISIO CCCCXV.

IN hac cauſa, quam propoſui die 28. Nouemb. * & die 5. Decembr. ſuper quantitate rubiorum terræ ſpectantis ad Eccleſiam Cerenſem, quia in prima poſitione vna tantùm pars informauerat, & in ſecunda parte dederant teſtium ſummaria, inter ſe diſcordantia, ideo non potuit formari maior pars quantitatis rubiorum, quàm 63. pro parte enim Archipresbyteri, non apparebat concludenter probata maior quantitas; ſed ordinarunt Domini, quòd ego expenderem circa hoc depoſitiones teſtium * ad effectum ſtabiliendi, quòd rubia terræ vltra 63. Eccleſia poſſideret in ſingulis tertiis de Sancta Maria del Montaroni, & del Piancereſſe.

* ſuprà dec. 412.

* quod factum fuit infrà dec. 650.

---

## *Tuden. Beneficij del Roſal.*

### Die Lunæ 12. Decembris 1594.

### SVMMARIVM.

2 *Ordinarius executor litterarum Apoſtolicarum, non habet iuriſdictionem, niſi originaliter ei ſint præſentatæ literæ.*

3 *Executor vt procedere poſſit, certus debet eſſe de ſua iuriſdictione.*

4 *Reſcripti præſentatio potiſſimum eſt fundamentum proceſſus, & debet fieri cum inſtrumento Notarij, & teſtium, cùm iudici atteſtanti non credatur.*

5 *Copiæ ſi non ſit ex originali extracta, non datur fides.*

6 *Iudicis aſſertio, dicentis ſe eſſe iudicem electum virtute cuiuſdam commiſſionis, &c. non probat.*

7 *Copiæ Authenticæ alterius copiæ, ſi ſint diſcòrdes illius, nihil probant.*

8 *Proceſſus non valet ſine copia litterarum Apoſtolicarum, etiam ſi de illis aliter conſtet.*

9 *Penſionis tranſlatio facta coram executore, vigore proceſſus fulminati, in quo erant inſertæ litteræ Apoſtolicæ, valet.*

10.11 *Litteræ Apoſtolicæ inſertæ in proceſſu fulminato, maiorem habent vim, quàm tranſumptum factum à Notario.*

12 *Ordinarius ſi procedat vt delegatus, non poteſt ſupplere defectus delegationis, virtute ordinariæ iuriſdictionis.*

13 *Tranſumptari debent litteræ Apoſtolicæ, vt relinquatur tranſumptum in actis iudicis delegati, ex quo debet fieri aliud, vt citetur pars.*

## DECISIO CCCCXVI.

1. APparitius * de Sitien ad fundandam litem narratam in gratia, *ſi neutri,* quam impetrauerat à fel. record. Sixto Papa V. hoc beneficio vtebatur decreto quodam citationis Ordinarij Tuden. cui litteræ gratiæ, *ſi neutri,* directæ fuerant, quod cùm ad effectum excludendi litem neceſſariò verificandam, ad ſuſtinẽdam gratiam, *ſi neutri,* nullum prorſus, & inualidum fuiſſe prætenderet Alphonſus de Samañiego, vtraque parte

* hæc deciſio habetur inter impreſſas penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 649. & p. 3. pag. 86.



te ſuper dubio dicto informante, dubitaui, an coram Ordinario Tudenſi fuiſſent præſentatæ litteræ originales, vel aliàs ita authenticæ, vt decretum citationis illarum vigore factum, foret legitimum, & validum ad dictum effectum litis introducendæ.

Et Domini cenſuerunt, non conſtare coram Ordinario fuiſſe præſentatas litteras originales, vel alias authẽticas, & propterea decretum citationis illarum vigore factum, fuiſſe nullum, quia Gregorius quidam, qui die 27. Iunij an. 1587. nomine Apparitij comparuerat coram Ordinario, ad notificandam ei gratiam Apparitij, & petendum executionem eiuſdem gratiæ, ſolùm exhibuit quandam copiam prædictæ prouiſionis ſubſcriptam, per quendam Balthaſarem Rodriguez, aſſertum Notarium, qui aſſerebat, prædictas litteras Apoſtolicas ſua propria manu fideliter ex propriis originalibus tranſumpſiſſe, & rogatum ſubſcripſiſſe; hinc enim conſtabat coram Ordi-

2. nario non fuiſſe prædictas litteras originales, * ideoque iudicem nulliter citationem decreuiſſe, cùm non aliter habuiſſet iuriſdictionem, vel eius exercitium, niſi originali, † vel authẽtico reſcripto ſibi ſolemniter præſentato, Rota *dec.* 20. *de conceſſ. præb. in nouis, & dec.* 4. *de officio delegat. in antiquis.* Ægid. *dec.* 110. *verſ. circa tertium dubium,* Felin. *in c. eam te, n.* 21. *de reſcript. & in c. ſciſcitatus, n.* 12. *&* 13 *eod. tit.* Caſſador. *dec.* 8. *n.* 10. *& ſeq. de reſtit. ſpoliat. & dec.* 33. *ſuper regul.* Creſcent. *dec.* 5. *n.* 4. *de fide inſtrument.* idem *deciſ.* 2. *de officio delegat.* Romanus *conſ.* 353 *num.* 8.

* adde Rotam diu. p. 1. dec. 69. n. 1.

† vide infrà dec. 872. n. 3. & 1235. n. 2. & Rotam recen. p. 1. dec. 146. n. 11.

3. Et ratio eſt, quia executor * certus eſſe debet de ſua iuriſdictione per ſcripturam authenticam, non autem per exemplar minus ſolemniter præſentatum. Maximè cùm reſcripti præſentatio ſit de proceſſu, & illius potiſſimum fundamen-

* adde Caual. dec. 645. n. 1. & Rotam rec. p. 2. dec. 214. n. 2.

4. tum, ideoque fieri debet ſolemniter per manum publici Notarij, † cum appoſitione teſtium, cùm iudici non credatur. Speculat. *de reſcript. præſent. n.* 3. 4. *&* 5. eo verò magis defectus apparebat notus, quia neque conſtabat, quòd in actis iudicis Commiſſarij fuiſſent exhibitæ Bullæ originales, cùm in citatione per eum decreta, ſolùm repe-

† adde Rotam rec. p. 2. dec. 143. n. 2. vbi ad propoſitum præſens deciſio allegatur.

5. riretur inſerta copia copiæ * prædictarum Bullarum, nam idem ille Balthaſar Rodriguez, aſſertus Notarius aſſerebat, ſe fideliter tranſumpſiſſe illud tranſumptum, ex alio tranſumpto proceſſus † originalis, quod euidenter quoque demonſtrabat differentia inter copiam exhibitam, & copiam copiæ incertam in dicta citatione; quia in copia exhibita deerant ſubſcriptiones expeditorum Cancellariæ, quod planè oſtendebat illud non fuiſſe originale, nec copiam originali conformem; in copia verò copiæ inſerta in citatione ſubſcriptiones expeditorum legebantur.

* & hæ copiæ fidem nõ faciunt, vt Ludou. deciſ. 432. n. 1. & ſequent. & 550.

† de hoc art. vide Coccin. dec. 322. n. 1. & 2.

6. Neque iſte defectus tollebatur ex aſſertione iudicis, dicentis in principio decreti citationis, ſe fuiſſe electum iudicem vigore vnius Bullæ Apoſtolicæ Sixti Papæ V. ſcriptæ in pergameno, & lingua Latina, cum quodam ſigillo plumbeo, pendente in filis ſericis rubei croceique coloris; quia ex his non inferebatur ad realem productionem dictarum litterarum coram illo, cùm potiùs viderentur verba Notarij in ſimilibus citationis decretis de ſtylo apponi ſolita, quod colligebatur præterea ex illis verbis in citatione ſequentibus, *nempe cuius quidem Bullæ copia eſt, quæ ſequitur;* & tamen non ſequebatur ibi, *niſi tenor copiæ, alterius copiæ,* (vt ſuprà fuit oſtenſum,) pro quo faciebat conſuetudo vltra montes vigens, per quam (vt ait Creſcentius *dec.* 87. incip. *Executor gratiæ*) extra Italiam omnes litteras de Curia Romana venientes homines vocant litteras Apoſtolicas.



Sed neque authenticam litterarum copiam fuiſſe productam coram Ordinario, oſtendebant plures defectus ſolemnitatum requiſitarum in tranſumptando.

Rurſus non conſtabat, prædictum Balthaſarem Rodriguez, qui tranſumptum fecerat, fuiſſe Notarium, neque erat verũ, illum fideliter tranſumpſiſſe, cùm inter copiam exhibitam, & copiam copiæ in citatione inſertam, eſſent varitates, & differentiæ ſuprà relatæ, vnde nulla eis poterat adhiberi fides. 7.

Neque prædictis obſtabat Rota *dec.* 4. *de conceſſ. præb. in ant.* quòd etiam ſine copiæ præſentatione valeat proceſſus, dummodo poſteà quandocumque litteræ producantur, & de illis conſtet, quia 8.
reſpondebant Domini, illam deciſionem fuiſſe reprobatam. Felin. *in c ſciſcitatus n.* 14. *de reſcript.* Creſcentius *deciſ.* 198. incip. *Penſionis tranſlatio,* Romanus *conſ.* 53. *num.* 6.

Rurſus non obſtabat deciſio Achillis 2. *de officio delegat.* vbi Rota tenuit, valere tranſlationem 9.
penſionis factam coram executore, vigore proceſſus fulminati, in quo erãt incertæ litteræ Apoſtolicæ, quia reſpondebatur primò inſertum litlitterarum in proceſſu fulminato, maiorem habere vim, quàm tranſumptum factum à Notario, 10.
cùm in proceſſu fulminato iudex atteſtetur, ſe vidiſſe litteras originales, eaſque inſeruiſſe, & ſigillum ſuum appoſuiſſe, vt declarat Put. *dec.* 246. *num.* 5. *lib.* 3.

Concurrebant præterea in illo caſu multa adminicula, quibus ſuadebatur credendum fuiſſe inſerto Chiſanen. *deciſ.* 71.

Poſtremò cùm fuiſſet proceſſum extraiudicialiter ſine partis citatione, licebat peragere actum 11.
tranſlationis penſionis, Achilles *dicta dec.* 2. Put. *dicta dec.* 246. *n.* 3. *verſ non obſtat lib.* 3. in caſu autem propoſito, iudex executor non poterat exercere actum ſine legitima citatione.

Præterea neque decretum citationis poterat 12.
ſuſtineri vigore ordinariæ iuriſdictionis; quia cùm proceſſerat tanquam delegatus, * ad iuriſdictionem delegatam ſe reſtrinxit, fecit enim actum, tanquam iudex Apoſtolicus vigore litterarum, & ideo nulliter proceſſit ex prædictis. Hoſtien. Imola, Abbas, & alij, *in cap. cùm ex officij,* vbi Felin. *n.* 25. *verſ. quarta concl. de præſcript.* nam qui poteſt procedere ex poteſtate valida, & procedit ex poteſtate inualida, ad quam ſe coarctauit, nulliter procedit. Puteus *dec.* 383. *num.* 3. *lib.* 2. Romanus *conſ.* 343. *num.* 5.

* adde infrà dec. 872. n. 6.

Poſtremò, non obſtat doctrina Speculatoris *in rubrica de reſcript. præſent. lib.* 2 *& tit. de inſtrument. editio.* §. *nunc dicamus, n.* 11. tradentis modum pro- 13.
cedendi in ſimilibus actibus, vt ſcilicet litteræ originales tranſumptentur, ex quo non poſſunt in actis relinqui, & tranſumptum ponatur in actis, ex quo fiat aliud tranſumptum in decreto citationis inſerendum: quæ omnia hîc obſeruaſſe iudex videbatur.

Quia fuit reſponſum, veram eſſe doctrinam Speculatoris, eum tamen non excludere ſolemnitates requiſitas in tranſumptando, neque veram,

ram, & realem productionem litterarum originalium, quæ in propoſito caſu non fuiſſe ſeruata ſatis liquebat ex ſupradictis.

---

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Lunæ 12. Decembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Reſignatio beneficij iuris patronatus, ſpreto patrono non valet.*

3 *Reſignatione beneficij, de iure patronatus facta in fauorem certæ perſonæ, non abdicat ex eo ius raſignante, niſi accedat conſenſus patroni.*

## DECISIO CCCCXVII.

1. AD inſtantiam D. Iulij de Beccaria propoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini ſteterunt in deciſis, ſub die 21. Octobr. proximè præteriti,
* ſuprà dec. 401. * & cùm nihil releuans de nouo proponeretur pro parte Iulij, ſatis erat Auguſtino reo & poſſeſſori vincere per non ius Iulij.

2. Non obſtabant deciſiones Mohedani 8. de iure patronatus, in impreſſis, & Veralli 82. parte 3. & aliæ allegatæ per informantes pro Iulio, quibus conabantur probare, non valere reſignatio-
* adde Rotam rec. p. 2. dec. 4. n. 2. nem * beneficij de iurepatronatus, quæ fit ſpreto, & contradicente patrono, quod prætendebatur contigiſſe in caſu propoſito, in quo poſt obitum Hieronymi reſignantis ad fauorem Auguſtini, patroni præſentantes Iulium videbantur re ipſa contradixiſſe.

Quia dicebatur, ideo fortaſſis patronos poſt obitum Hieronymi præſentaſſe, quia credebant beneficium vacauiſſe per obitum, in quo tamen fallebantur, quia potiùs vacauit per reſignationem.

3. Ad Mohedanum *deciſ.* 325. Fabium *deciſ.* 37. quibus cauetur, per reſignationem beneficij de iurepatronatus factam ad fauorem, certæ perſonæ, & non aliàs, non abdicari ius à reſignante, niſi patroni conſentiant reſignationi, dicebatur intelligendas de tempore ante conſtitutionem fel.
* de qua ſuprà in d. dec. 401. n. 8. record. Gregorij XIII. * quo tempore, propter conditionem, quæ tunc in reſignationibus admittebatur, non abdicabatur ius à reſignante, niſi reſignatario acquireretur.

Denique ſatis erat Auguſtino dicere, Capellaniam non vacaſſe per obitum Hieronymi ex deductis in alia deciſione, cuius fundamenta Dominis placuerunt, ex quo Iulius non capiebat alium modum vacandi.

---

## *Placentina Decanatus.*

### Die Veneris 16. Decembris 1594.

SVMMARIVM.

1 *Regula de annali magis nititur ex cauſa iuſtitiæ, quàm gratiæ.*

2 *Regula de annali non habet locum, ſi intra annum pars non ſit citata, licèt cauſa intra eum non ſit ſequuta.*

3.4 *Impetratio beneficij facta per regulam de annali, ſi intra annum non terminetur, poteſt pars de nouo, eo elapſo, impetrare, & n 6.*

5 *Gratiæ, ſi neutri, effectus.*

7 *Priuatio beneficij debet præcedere Canonizationi gratiæ.*

## DECISIO CCCCXVIII.

QVamuis Dominis non placuerit motiuum deciſionis in hac cauſa factæ die 26. Octob. 1.
proximè præteriti, * videlicet regulam de annali non obſtare Mirandæ, eo quòd eius impetratio * ſuprà dec. 404. in fine.
foret in forma iuris propter confidentiam, quo caſu non erat locus regulæ, quæ magis nititur iuſtitiæ, quàm gratiæ.

Sarnenſis *in regula de annali q.* 42. ad hoc enim motiuum placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes pro Decano Placentino, nempe quòd licèt illud procedere poſſet, reſpectu regularum antiquarum, in quibus non erant verba capientia vacationes in forma iuris, ſicut reperiebantur in regulis ſucceſſorum Pontificum, non tamen receſſerunt à deciſis, quia reſpectu illius impetrationis, regulæ dicebatur ſatis- 2.
factum, ex quo infra ſex menſes * Miranda fuerat admiſſus ad cauſam ſuper confidentia, & citauerat poſſeſſorem, & infra annum etiam cauſa inſtructa, proſecutus fuerat iudicium vſque ad ſententiam † citato etiam ad illam aduerſario; regula enim nil aliud requirere videtur. *l. à iudice, cum Authent.* ibi poſita, *C. de iudic.* maximè, quia nulla Mirandæ culpa factum videri poterat, ſi ſententia lata non fuerit, cùm potiùs id ob impedimenta * à Decano præſtita contigerit. Sarnenſis *in dicta regula de annali, q.* 14. *n.* 7. Creſcent. *dec.* 10. *in fin. tit. de cauſa poſſ. & propr.* in impreſſis. * adde Lud. dec. 213. n. 1. & 532. vbi latè annotatio. Seraph. dec. 983. n. 2. † adde Lud. deciſ. 2. n. 2. vbi n. 7. ad propoſitum præſens dec. allegatur, & vide infrà dec. 999. n. 3. * adde infrà dec. 457.

Conſiderabant etiam Domini diſtinctionem inductam per regulam, inter impetrantem non ſeruantem requiſita à regula, verbi gratia, quia 3.
non expreſſit, quæ exprimere debuerat, vel infra ſex menſes non citauit beneficij poſſeſſorem, vel cauſa abſque impedimento poſſeſſoris non fuit infra annum per ſententiam terminata, quo caſu licèt regula annullet impetrationem, & omnia inde ſecuta, non prohibet tamen iterum impetrare beneficium, & inter impetrantem ſeruantem omnia quidem regulæ requiſita, ſed deni- 4.
que per ſententiam ad fauorem poſſeſſoris latam, repulſum, & condemnatum; quia declaratur poſſeſſorem indebitè moleſtatum, hoc enim ſecundo caſu, regula idem beneficium ab eodem iterum impetrari prohibet, tam per litteras, *ſi neutri,* quàm ſubrogationis, aut aliàs, ibi, *& ſi poſ-* 5.
*ſeſſorem ipſum iniuſtè,* nec mirum, quoniam impetrans primo modo, & regulæ requiſita non ſeruans, imprudentia, aut negligentia notatur; ſecundo verò modo impetrans, & per ſententiam repulſus, tanquam doloſè agens, * & magis propterea delinquens, grauiùs punitur. Sarnenſis *in dicta regula de annali, quæſt.* 78. *verſ. quia regula iſta, & quæſt.* 82. *verſ. tamen iſtis non obſtantibus.* Vnde cùm Miranda non peccauerit in regulam ſecundo modo, & facto Decani ſententiam non reportauerit, à regulæ priuilegio non videbatur excluſus, quomiuus non obſtante regula, potuiſſet denuo impetrare. † Mandoſius *ſuper dicta regula quæſt.* 85. *n.* 3. *verſ. ad tertium reſpondeo,* Rebuffus *ibidem gloſſ.* 14. *verſ. ſed ita,* & Sarnenſis *dicta quæſt.* 78. & 82. * adde Rotã diu. p. 3. lib. 2. deciſ. 66. n. 1. † adde Lud. dec. 369. n. 1. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur, & Rotam diu. p. 3. lib. 1. deciſ. 98. & Durand. dec 45. n. 4. & infrà dec. 457. n. 2.

Expeditio



7. Expeditio litterarum non fuerat Mirandæ neceſſaria, quia non agebatur de canonizatione gratiæ, ſed de priuatione Decani, quam oportebat præcedere. Sarnen. *in regul. de non iudicand. iuxta formam ſupplicationis, quæſt.* 4. *n.* 3. Caſſador. *deciſ.* 8. *num.* 3. & 14. *de reſtit. ſpoliat.* ſtante præſertim Mirandæ prouiſione conditionali, videlicet in euentum priuationis, vel declarationis, quæ neceſſariò ſententiam exigebat. Felinus *in cap. inquiſitionis, num.* 8. *de accuſationib.* Sarnen. *in regula de annali, quæſt.* 42.

---

## *Bononien. Alimentorum.*

### Die Lunæ 19. Decembris 1594.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta non diminuunt ſolutiones factæ fiſco.*

2 *Succeſſor in bonis patris tenetur pro modo facultatum ſoluere alimenta filijs.*

3 *Alendi liberos onus transfertur cum bonis, etiam ſi applicentur fiſco.*

4 *Fiſcus non poteſt facere deteriùs ius eius, cui alimenta debentur ex bonis confiſcatis.*

5 *Alimentorum obligatio adeò eſt præciſa, vt nec pacto partium, nec conſuetudine, nec lege aliqua tolli poſſit.*

6 *Fiſci emptor hæreditatis tenetur ad omnia onera, & obligationes paſſiuas, quibus fiſcus erat obnoxius.*

7 *Hæreditatem ſi vendat fiſcus, intelligitur vendere ita, vt emptor ſoluat onera.*

8 *Parentum bona ſunt hypothecata, pro alimentis filiorum.*

9.10.11.12 *Alendi liberos onus tranſit in emptorem hæreditatis.*

13 *Ius tertij non derogatur per priuilegium Principis.*

## DECISIO CCCCXIX.

1. * habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt tõ. 2. conſ. dec. 91. PRo redimenda * hæreditate Camilli Voltæ, quam fiſcus occupauerat, ſoluerat R. P. D. Volta ſcuta 7000. quorum quia in conſtituendis alimentis Mario Voltæ, Camilli filio habendam fuiſſe rationem prætendebat, ideo ſuper eo dubitaui. Et Rota cenſuit, illius pecuniæ ſolutæ nullam habendam fuiſſe rationem in conſtituenda minori alimentorum quantitate, quàm conſtituenda eſſet, ſi nihil foret impenſum. *l.* 1. & *ibi* gloſſ. *in verb. fiſcum.* & communiter Doctores. *C. de hæredit. vel act. vendit. l.* 2. *ff. de aliment. & cibar. legat.* Couarruu. *lib.* 4. *decretal. c.* 8. §. 6. *n.* 14. Peregrinus *lib.* 5. *de iure fiſci tit. n.* 75. Theſaurus
2. * adde Durand. dec. 95. n. 12. Cocc. dec. 390. n. 2. Manticã dec. 331. n. 7. & Rotam rec. p. 1. dec. 538. n. 2. *deciſ.* 211. *num.* 10. *& ſeq.* Antonius de Corduba *in l. ſi quis à liberis.* §. *idem reſcripſit. n.* 80. *ff. de liberis agnoſcen.* nam poſt mortem patris, ſucceſſorem in bonis teneri pro modo facultatum ad præſtanda alimenta * filiis, explorati iuris eſt. *dicta l. ſi quis à liberis.* §. *item reſcriptum, de liber. agnoſcen.* onus enim alendi liberos cum bonis transfertur, quamuis bona in fiſcum transferantur. Socinus ſenior *conſ.* 30. *lib.* 1. cum aliis latè deductis in
3. † ſuprà dec. 364. n. 3. & 5. vbi aliàs deciſ. annotaui. deciſione † in hac eadem cauſa facta, in qua cùm fuerit definitum obligari fiſcum, qui Camilli bona acceperat ad alimenta Mario præſtanda, eodem modo R. P. D. Volta Cameræ ceſſionarius, qui cum oneribus, & honoribus hæreditatem Camilli redemerat, non deducta pecuniarum ſumma, quam ſoluerat, ad alimenta præſtanda tenebatur, quia neque ex pecuniis ſolutis, neque ex perſona emptoris hæreditatis fuerat alterata, mutata, aut diminuta obligatio, quæ competebat Mario contra fiſcum, Iaſon *conſ.* 88. inc. *In præſenti conſultatione, n.* 12. *verſ. item ex perſona, lib.* 3. aliàs enim locus poſſet fieri fraudi, vt ſequeretur abſurdum, ſi fiſcus poſſet facere deterius ius eius, cui alimenta debentur, quorum 4.
obligatio adeò eſt præciſa, vt nec pacto partium, * nec conſuetudine, nec lege aliqua tolli poſſit. Abbas *in c. fin. n.* 22. *de conſuet.* Crauetta *conſ.* 116. *n.* 2. Couarr. *lib.* 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 8. §. 6. *n.* 4. ſi enim emptio vel per fraudem, aut verè iuſto pretio facta appareret, filij ab alimentis omni iure debitis, contra omne ius, & pietatem fierent alieni, ſi * adde ſuprà deciſ. 364. n. 13. Mantic. dec. 331. n. 2. & habetur in rec. p. 1. dec. 31.
prætextu cuiuſlibet pretij ſoluti pro hæreditate, 5.
ab emptoribus excluderetur. 6.

Supradictis accedebat communis, & vera ſententia de ementibus à fiſco, in quo illud eſt ſpeciale, vt ementes hæreditates ab illo, teneantur ad omnia onera, & obligationes paſſiuas, quibus fiſcus * erat obnoxius. *d. l.* 1. *C. de hæredit. & act. vendit.* vbi gloſſ. & communiter Doctores, *l. eum qui bona. ff. de iure fiſci & l. nec vllam.* § *item ſi quis, ff. de petit. hæredit.* & declarat optimè Iaſon in his terminis *dicto conſ.* 88. *n.* 13. *lib.* 3. quando enim fiſcus vendit hæreditatem, de cuius natura eſt, habere onera. *l. ſi hæreditatem. ff. mandati,* ſic intelligitur vendere, vt ad onera emptor, non fiſcus teneatur. Iaſon *dicto conſil.* 88. Peregrinus *lib.* 6. *de iure fiſci, tit.* 4. *n.* 30. & fuit deciſum in vna Romana pecuniaria die 9. Maij proximè præteriti, co- 7. * & cùm fiſcus teneatur ad onera condemnati, per Seraph. dec. 723. n. 5. & Rotam recen. p. 1. dec. 107. n. 4. conſequens eſt, vt & emptor teneatur.
ram R. P. D. meo Pamphilio, quod maximè locum habebat in propoſita facti ſpecie, in qua D. 8.
Volta emerat, cùm oneribus, & honoribus, nec poterat ignorare adeſſe Marium Camilli filium, cui de hæreditate alimenta deberentur. Alexander de Neuo *conſ.* 95. inc. *Caſus talis eſt, n.* 9. & 10. Decius *conſ.* 187. *n.* 2. & 3.

Neque huic deciſioni obſtare videbatur illa 9.
ſententia, quam Rota fuit ſecuta in cauſa Romana quinquaginta millium, coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, die 14. Ianuar. 1575. quòd bona parentum non ſint pro alimentis hypothecata, niſi ſpecialiter exprimantur; ſuper quibus bonis ſolui debeant. Bartol. *in l.* 1. *ff. de aliment. & cibar. legat.* & tenuit Couarru. *in epitome lib.* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 14. contra Durantem, qui contrarium profitetur *tract. de cautel. & arte teſtan. tit. de liber. inſtituend. cautela* 17. ideoque onus alendi liberos non tranſire in emptorem.

Quia reſpondebatur, eam ſententiam habere 10.
locum in emptoribus bonorum à parentibus viuentibus, qui liberam bonorum habent poteſtatem, & adminiſtrationem, qui propterea in præ- 11.
iudicium filiorum ea vendere poſſunt. Antonius à Corduba *in d. l. ſi quis à liberis.* § *idem reſcripſit, n.* 81. *ff. de liberis agnoſcend.* ſecus autem eſſe cùm alimenta petuntur de vniuerſis bonis à patre relictis, quæ tranſeunt ad quemcunque cum prædicto onere, * iuri totius patrimonij, & hæredi- 12. * adde ſuprà dec. 378. n. 5.
tatis intrinſecè inhærente, à quo non liberantur emptores prætextu cuiuſcumque excuſationis, vel priuilegij fiſci, quaſi, quòd fiſcus ea alimenta non ſoluiſſet, vel ad ea non teneretur, nam præterquam

13. terquam quòd iam fuerat deciſum fiſcum etiam teneri, dicebatur quoque per nullum Principis priuilegium, aut donationem, cenſeri iuri tertij derogari, cùm ſemper intelligatur abſque iniuria, *l. 2. §. merito, & §. ſi quis à Principe*, vbi Bart. *ff. ne quid in loco publico*, Iaſon *dicto conſ. 88. n. 11. lib. 3.*

## *Seguntina Præſtimonij.*

### Die Lunæ 19. Nouembris 1594.

SVMMARIVM.

2 *Parte opponente, quem non eſſe iudicem ſententia latæ, incumbit ei onus probandi, vt valeat actus.*
3 *Reſignans beneficium probare tenetur, ſe eſſe in poſſeſſione.*
4 *Titulus bonus beneficij apparet ex litteris Apoſtolicis.*

### DECISIO CCCCXX.

1. INformantes pro Doctore Dominico Paſtrana prætendebant docere, quòd non conſtabat de aliquo bono iure D. Hieronymi Morales, qui nitebatur oſtendere, gratiam ſuam fuiſſe iuſtificatam; Dominis tamen viſum fuit contrarium: nam quatenus Hieronymus narrabat, præſtimonium ſibi auctoritate ordinaria fuiſſe collatum per liberam reſignationem quondam Franciſci de Orozco Clerici, ex cauſa permutationis, pro alio, ſeu aliis beneficiis Eccleſiaſticis de anno 1580. extra Romanam Curiam, ex dicta cauſa admiſſam vacate; id non apparebat iuſtificatum, quia non conſtabat Doctorem de Lorenzana, ſub cuius nomine conceptum erat inſtrumentum permutationis fuiſſe tunc promiſſorem,
2. * ſeu Vicarium Epiſcopi Seguntini, & tamen parte opponente probandum fuerat. Rota *dec. 1. de officio Vicar. in nouis.* regulare eſt enim, vt talem ſe quis, qualem ſe facit, probare teneatur. *l. non ignorat*, vbi Bartolus, *C. de accuſationib.*

*quod adeò verum eſt, vt Epiſcopo atteſtanti de reſignatione in manibus eius facta nō credatur, vt per Durand. dec. 74. n. 20.

Neque erat probatum, Orozcum extitiſſe in poſſeſſione eius præſtimonij, quod tamen probare oportebat. † Rota *deciſ. 4. de rerum permut. in nouis.*

3. † adde Coc. dec. 82. n. 1. & dec. 475. n. 3. & 5.

Sicut defectus probationis aderat etiam, reſpectu illius narratiuæ, quòd Paſtrana percepiſſet fructus eiuſdem præſtimonij, vi & manu armata, & quòd Hieronymus non potuerat prædictam reſignationem publicare iuxta conſtitutionem Pij V. propter violentias à Paſtrana ſibi illatas: quia ſaltem non videbatur probata iſta narratiua * violentiarum illatarum, cùm teſtes de illis teſtificantes dicerentur inualidi, parte videlicet non citata examinati.

* & quoties narratiua eſt cauſa cōceſſionis probāda eſt concludenter, vt infrà deciſ. 612. n. 5. & ſeq. Rota diuerſ. p. 1. dec. 268.

Minus videbatur iuſtificata illa narratiua Hieronymi, quòd Paſtrana nullo titulo, & iuris adminiculo ſibi ſuffragante non pacificè, ſed de facto detineret præſtimonium occupatum, quia ex litteris Apoſtolicis ſuæ prouiſionis apparebat bonus titulus, † nec poterat videri litigioſa eius poſſeſſio, ex quo Paſtrana acceperat poſſeſſionem de an. 1577. & lis fuerat inchoata de an. 1581.

4. † de hoc att. vide Ludou. dec. 500. n. 4. vbi latè annot. litt. B.

Similiter non probabat Hieronymus quædam alia incumbentia, quæ in ſua gratia narrauerat, ſicut deducebant informantes pro D. Paſtrana, quæ Dominis placuerunt.

## *Romana Societatis officij.*

### Die Veneris 13. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Societas officiorum ex Bulla Pij IV. debet contrahi cum dominis eorum.*
3 *Societas iniri poteſt ſuper fructibus certæ rei.*
4 *Societas admittitur ad participationem fructuum, non verò tituli.*
5 *Societas perficitur ex conſenſu partium, & fructibus in ſocietatem deductis.*
6 *Societas contrahi poteſt etiam cum eo, qui ſolùm habet titulum.*

### DECISIO CCCCXXI.

LAurentius Quinquius, reſeruatarius officij militis Pij, ſocietatem ſcutorum centum inierat ſuper dicto officio, cum Franciſco Richetto, qui ea centum Laurentio dederat. Franciſcus verò declarauit, pecunias ſtare ſuper periculo vitæ Horatij Richetti eius filij, cum ſolita clauſula, quòd Horatio moriente morte naturali; & non violenta, & Laurentius eas pecunias lucraretur. Sed quoniam Laurentius prætendebat, per mortem Horatij in flumine Tiberino ſubmerſi, lucrifeciſſe prædicta centum; contrà verò Franciſcus ſibi deberi dicebat, ex eo potiſſimum, quòd ab initio ſocietas non potuerit validè contrahi cum Laurentio officij reſeruatorio; ſed oportebat illam contraxiſſe cum Paulo, Laurentij filio, qui de prædicto officio fuerat prouiſus iuxta * conſtitutionem fel. record. Pij IV. qua cautum erat, ſocietates contrahendas per Dominos officiorum, non autem per reſeruatarios, ideo vtraque parte informante, quia vtraque iudicio Rotæ ſtare promiſerat, dubitaui, an ſocietas prædicto modo contracta fuiſſet valida, nec ne. 1.

2. * habetur hæc conſtit. in Bullar. Cherubini tom. 2. inter conſt. Pij IV. conſtitut. 12. pag. 22.

Et Domini omiſſa illa inſpectione de morte Horatij, de qua ſi neceſſe eſſet, poterat particulariter videri, cenſuerunt, ſocietatem fuiſſe validam, cùm enim ſocietates iſtæ contrahi ſoleant ſuper fructibus officiorum, * & non ſuper nudo titulo, ac de iure ſuper fructibus certæ rei ſocietas iniri poſſit, Petrus de Vbaldis *tract. de duob. fratrib. parte 3. num. 25.* & ſocij admittantur ad participationem fructuum, non autem tituli, vt patet ex formula inſtrumenti ſocietatis, & fructus ipſi, non officia, aut tituli officiorum, ſine ſpeciali Principis licentia ſint in commercio, inſtar feudorum, & emphyteoſis. Ruinus *conſ. 176. num. 13. lib. 1.* Gratus *conſ. 22. num. 5. lib. 1.* Tiraquell. *de retract. lignagier. §. 1. gloſſ. 7. num. 47.* ſatis apparebat de validitate ſocietatis; negari enim non poterat, adeſſe ſubſtantiam, ſiue fundamentum aut materiam, ad ſocietatem contrahendam, * nempe fructus officij, & partium conſenſum, & præſertim Laurentij reſeruatorij, qui vigore reſeruationis habebat ampliſſimam facultatem diſponendi de fructibus officij, ex quibus conſequenter poterat legitimè induci ſocietas. Baldus *in l. 2. n. 3. C. de contrahend. empt.*

3. * Rota diu. p. 1. dec. 763. n. 1. & ſeqq.

4.

* quæ contrahitur ex cōſenſu partium, & re in ſocietatem deducta, vt ex Coc. dec. 70. in princ. Rota in vna Romana ſocietatis corā Bubulo impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 775. n. 3.

Quibus non obſtantibus Gabriel *conſ. 63. n. 5. lib. 2.* aut Pij IV. aliorumque Pontificum conſtitutiones, intelliguntur enim, vel quando non adeſt



adeſt officij fundamentum, * vel fructus ſuper quibus ſocietates contrahi poſſent. Secus autem eſt, vbi reuera adſunt fructus ſuper quibus poteſt aſſumi ſocius, quinimo ſi reſeruatarius vellet vendere officium, poſſet titularis propter decretum apponi ſolitum, compelli ad conſentiendum.

* tunc enim non ſubſiſtit ſocietas, vt fuit dictum in Romana ſocietatum coram Melino impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pagin. 837. n. 7. & 8.

Prædictis etiam addebatur, in aſſumptione ſocij non præiudicari officio, ſed ſolùm obligari fructus pro illa portione, pro qua ſocius admittitur, quod eſt maximè iuri conforme.

6. Atque ex his cenſebant Domini, multo minorem eſſe difficultatem in hoc caſu, qui habet ſolum officij titulum, quàm ſi ſocietas contraheretur * ab illo, & nihilominus in eo tenuerunt, ſocietatem valere in vna Romana ſocietatis coram R. P. D. meo Gyptio die nona Maij 1588.

* talis enim ſocietas conſiſtit ſolum inter officialem & dantem pecuniam, vt per Lud. dec. 167. n. 3. & 9. Rotam rec. p. 1. dec. 552. n. 3. 5. & 6.

## *Romana hæreditatis de Millonijs.*

### Die Lunæ 16. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

2. 3 *Peritorum dictis ſtandum eſt in rebus ad eos remiſſis, & ſi pars velit opponere, incumbit ei onus probandi.*

### DECISIO CCCCXXII.

1. VNa tantùm parte informante, loco cauſæ propoſui memorialia in vna Romana hæreditatis, inter D. Lucidam de Viſis, & Europam Millonem eius filiam, ſuper duabus partitis, quas vltra quartam partem hæreditatis Lucretiæ alterius filiæ prædefunctæ Lucida prætendebat, videlicet ſcutorum 215. ratione fructuum decurſorum, & medietatis mobilium relictorum tempore obitus dictæ Lucretiæ.

Et Domini conſiderata relatione qui vltimo loco fuerat electus de ordine Rotæ; dixerunt, non eſſe habendam rationem iſtarum duarum partitarum; quia peritus in relatione, nedum habuerat rationem bonorum principalium, ſed etiam iſtorum fructuum, & pretij bonorum mobilium venditorum; hæc enim recenſuit, & poſuit ad corpus hæreditatis.

2. Et quantum, vel quatenus pro parte D. Lucidæ dicebatur, duo fuiſſe relicta genera mobilium, & quorundam tantùm fuiſſe habitam rationem, aliorum verò non item, reſpondebatur, quòd ſi D. Lucida prætendebat alia genera mobilium, quorum non fuerat habita ratio, id tenebatur concludenter probare; aliàs verò ſtaretur relationi periti. *

* cui ſtandum eſt. Ludou. dec. 161. n. 7. 8. & 10. Caual. deciſ. 114. num. 1. & 484. n. 1. & 488. n. 1. & aliàs ſæpe, vt infrà deciſ. 625. n. 4.

Die Mercurij 1. Februar. in Rota memorialium fuerunt diſcuſſæ aliæ duæ partitæ, vna de fructibus exactis; & penſionibus domus ſitæ Niciæ; & quatenus ad hos fuit dictum, quòd de penſionibus ex actis daretur D. Lucidæ ſua portio, ſed quo ad non exactos, & portionem domus ſibi debitæ, fieret ceſſio iuridica D. Lucidæ per Europam.

3. Quantum ad fructus exactos de ſcutis 400. exiſtentibus penes mercatorem, fuit ſimiliter dictum, dandam Dominæ Lucidæ portionem ſibi debitam.

Quantum ad expenſas factas per tutorem poſt obitum Lucretiæ, fuit dictum, illas non diminuere portionem hæreditatis Lucretiæ.

## *Turulen. penſionis.*

### Die Veneris 16. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

1. 2 *Penſionis incapax eſt Religioſus, & qui non ſit Clericus.*

### DECISIO CCCCXXIII.

QVia Capitulum Turulen. (cui fuerat vnitus Archidiaconatus de Teruel) prætendebat, ſe non teneri ad ſolutionem penſionis, quam quondam de Artaldus de Alagon vigore Breuis à fel. record. Gregorio XIII. ſibi conceſſi coram perſona in Eccleſiaſtica dignitate conſtituta, transtulerat in D. Martinum de Alagon, dubitaui, an dicta penſio fuiſſet validè translata, & cauſa vtraque parte informante propoſita, cùm per informantes pro D. Martino non probaretur, ipſum tempore tranſlationis fuiſſe Clericum, aut militem profeſſum in militia de Calatraua, aut aliàs talem perſonam Eccleſiaſticam, cui penſio legitime conferri potuiſſet, Rota cenſuit, tranſlationem fuiſſe nullam, cum præſuppoſito tamen, quòd non haberet diſpenſationem, quam informantes credentes deducta per ipſos ſufficere pro obtinenda victoria non oſtenderant tempore propoſitionis huius dubij.

Cæterùm, quia paulo pòſt produxerunt in actis diſpenſationem, de qua erat videndum, an D. Martino ſuffragaretur, non fuit neceſſarium inſtituere prolixiorem diſputationem ſuper votis Dominorum, quibus oſtendebatur, D. Martinum non fuiſſe penſionis capacem. * *vt infra deciſ. 487.

## *Beneuentana del Couante.*

### Die Lunæ 16. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

1 *Tranſactione inita cum pacto quòd ſi per reum non ſeruetur, & ea non ſeruata remanet actori prima actio, ſi non adimpleatur.*
2 *Obligatio ſemel extincta, non poteſt reuiuiſcere, aut de cætero naſci.*

### DECISIO CCCCXXIV.

PRæſuppoſita ſolutione ſcutorum mille, quæ vniuerſitas montis Fuſculi ante tranſactionem numerauerat D. Cardinali Aſcanio Columnæ Abbati S. Sophiæ, & aliis deductis per informantes; dubitaui, an Communitas vlterius teneretur ad expenſas ante tranſactionem taxatas: & licèt pro affirmatiua facere videretur pactum in tranſactione appoſitum, quòd tranſactione per reum non ſeruata, remaneret actori 1.

prima actio, ad quam tam vigore dicti pacti, quàm ex forma iuris communis reuerti poterat. l.cùm proponas la 2. C.de pactis, & l.ſine apud, vbi Bartolus, num.3.C. de tranſact.

Nihilominus Domini contrarium cenſuerunt, cùm enim actio ad expenſas fuiſſet per ſolutionem ſublata. * §. 1. Inſtit. quib. mod. toll. oblig. quamuis vigore pacti in tranſactione appoſiti poſſet D. Cardinalis redire ad primæuam actionem non extinctam, ſed pendentem ex futuro euentu, conuentum enim fuerat inter tranſigentes, quòd ſi communitas per ſe, aut per particulares contraueniſſet, primæua iura, & actiones, & acta cenſerentur D.Cardinali integra, & inuiolabilia reſeruata, perinde ac ſi tranſactum non fuiſſet, non tamen competebat ſibi actio ad expenſas anteà ſolutas, quarum obligatio extincta ſemel per ſolutionem, non poterat reuiuiſcere,
2. * aut de cætero renaſci. l. qui res. §. aream.ff.de ſolut. l.ſi alienus. ff.de noxalib. l.cùm ex cauſa. C. de remiſſ.pignor. Bartolus in l. Meuius. §. duorum n.3. verſ.ſextò oppono.ff.de legat.3. Decius in l. debitori, in fine.C.de pact.

* Cocc. dec. 111.n.3.

*adde Mant. dec.80.n.2.

Pactum verò quòd communitati contrauenienti non daretur actio pro recuperatione pecuniarum ſolutarum, non tollebat ſatisfactionem expenſarum iam ſolutarum, vt patet ex prædictis.

## *Romana bonorum de Stoch.*

### Die Lunæ 23. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Teſtamentum nuncupatiuum requirit ſeptem teſtes, & non minus, vt valeat, & num 8.*

3 *Statuta ſi adſint in ciuitate, obſeruanda ſunt, etiam ſi contrarientur legibus Canonicis, vel ciuilibus.*

4 *Teſtamenti ſecundi inueriſimilitas oritur ex alio teſtamento contrario, ſcripto ab ipſo teſtatore.*

*Teſtis contrarius conteſtium, elidit eorum dicta.*

6 *Diſcordia teſtium in depoſitione inſtitutionis hæredis, eos facit ſuſpectos, ac per conſequens repellendos.*

7 *Teſtis Procurator partis, lite pendente deponens, nihil probat.*

9 *Teſtium varietas, fidem adimit.*

### DECISIO CCCCXXV.

1. PRætendebat Troianus, filius naturalis quondam Ioannis Stoch, fratris Damianæ donatricis patris de Camp. Petrum Stoch aliàs Prætorium, nocte præcedente diem 4. Septembris ann. 1584. qua fuerat vita functus, feciſſe teſtamentum, in quo inſtituerat hæredem Damianam matrem ſuam, & poſt eam Troianum, & quia de hoc teſtamento non apparebat aliqua ſcriptura confecta, datis articulis, & ſuper illis examinatis quinque teſtibus ad probandum dictum teſtamentum die 27. Maij ann. 1588. coram R. P. D. meo Pamphilio fuit concluſum, quòd licèt quinque illi teſtes in dicto probarent teſtamentum, ea tamen probatio non erat releuans, ex quo agebatur de probando teſtamento nuncupatiuo, in quo requiruntur ſeptem teſtes, * *l. ſi vnus, & l.hac conſultiſſima.C. de teſtam.* non obſtante *cap.cùm eſſes, de teſtament.* cuius diſpoſitio 2.
non habet locum, vbi adeſt ſtatutum, (pro vt eſt Romæ,) quòd ius ciuile ſeruetur, vnde examinatis poſtea duobus aliis teſtibus, & præſuppoſita dicta deciſione, & teſtibus pro vtraque parte examinatis, & quadam ſcriptura teſtamenti Petri Stoch, per Troianum in actis producta, & aliis pro vtraque parte deductis, dubitaui, an eſſet ſufficienter probatum teſtamentum Petri. 3.

* de hoc art. vide Caual. dec.497.

Et Rota cenſuit, non probari, primùm enim res videbatur Dominis non carere mendacij ſuſpicione, quam arguebat teſtium varietas, & contrarietas, & augebat inueriſimilitudo, quæ oriebatur ex alia ſcriptura teſtamenti, priùs ſcripta manu propria ipſius Petri, Abbas, & Felinus *in cap. quia veriſimile, de præſumpt.* Ancharanus *conſil.24.* incip. *Viſa inquiſitione, num.4.* Alexander *conſil.120. num.10. lib.5.* & Baldus *in l.1. num.16. C.de ſeruis fugit.* Iam præter varietarem (de qua paulo pòſt dicetur) diſcurrendo per ſingulorum teſtium dicta, illi non videbantur intentioni Troiani, ſeu Margaritæ, quæ ex eius iure veniebat, deſeruire, nam cùm Troiani propoſitum eſſet, probare teſtamentum in quo inſtitueretur Damiana, teſtatoris mater, dum viueret, & poſt eius mortem Troianus, hoc non concludebant teſtes: nam primus deponebat, Petrum Stoch inſtituiſſe matrem; *è in quel tempo viuena, & eſſendo morta, Troiano,* quæ depoſitio prædictam intentionem potiùs deſtruebat. Iaſon *in l. 2. §. creditum num.11.ff.ſi cert.petat.* Felinus *in cap.cùm tu, num.9. de teſtib.* & elidebat etiam aliorum teſtium depoſitionem, * tanquam illis planè contrarius. *l.qui falſò.ff.de teſtib.& l.eos, ad leg.Cornel. de falſis,* & cùm ſuper 55.interrogat.adderet, Petrum non protuliſſe alia verba, non poterat, præſumendo multiplicitatem verborum, ad concordiam cum aliis reduci. 4. 5.

*Lud. deciſ. 471.n.5.Rota recen. p.2. dec.298.n.3.

Secundus teſtis non videbatur conuenire cum cæteris, dum iuxta 54. interrogatorium diceret; *che Pietro, facendo teſtamento vſo queſte preciſe parole, in præſentia ſua, & di tutti li altri, che laſſaua herede ſua madre Damiana, ſi viuena, non eſſendo viua, laſſaua herede Troiano, & dopu la morte di Damiana, voleua che fueſſe medeſimamente herede Troiano,* apparebat enim, hunc teſtem conſtituiſſe tres particulas teſtamenti, cùm cæteri duas tantùm conſtituiſſent, expreſsè aſſerentes teſtatorem alia verba non adieciſſe, quæ diſcordia * in hac materia, inſtitutionis hæredis, aut teſtem repellit, aut eum reddit ſuſpectum, quando conſtat, illum voluiſſe formalia teſtatoris verba referre, prout teſtis nitebatur, ibi; *Vſo queſte preciſe parole.* 6.

Antonius de Butrio *in c.cùm Eccleſia, num.35. de cauſa poſſeſſ. & propriet. & in cap. nihil obſtat, de verbor. ſignif.* Alexand. *conſil. 111.num.8. lib. 3.* Ruinus *conſ.149.num.31.lib.5.* Riminaldus ſenior *conſil.145. num.14. lib.1.*

* teſtes contrarij ſunt ſuſpecti. Ludou.dec.510. n. 2. & talis contrarietas debet eſſe circa ſubſtantialia. Ludou.deciſ. 351. n.29. & 547. n. 9. & 10.vt apparet in caſu præſente.

Tertius teſtis præterquam quòd erat Procurator Troiani, examinatus lite pendente, & ideo non idoneus. † *cap. Romana, de teſtib.lib.6.* apertè etiam diſcordabat à primo: nam iſte tertius deponebat, Petrum media noctis hora noluiſſe dare principium teſtamento, & tamen primus iuxta 50.interrogatorium deponebat Petrum feciſſe teſtamentum, de die, & ſole adhuc lucente. 7.

† Procurator quando poſſit eſſe teſtis, vide Coccin. dec.403.

Neque



Neque poterat concordari cum primo, ex eo, quòd tertius loqueretur de die quo Petrus diſpoſuerat velle condere teſtamentum, quia ex ſerie ipſa teſtificationis apparebat, ipſum depoſuiſſe de eodem die, quo aſſeruit prætenſum teſtamentum.

Quartus dum conaretur recitare præciſa verba teſtatoris, iuxta 54. aſſerebat, Petrum dixiſſe: *Laſcio la facolta mia mobile, & ſtabile præſenti & futuri à mia Madre Damiana, & doppo la morte à Troiano mio fratello.* quibus verbis aperta erat diſcordia cum primo, & ſecundo deponentibus teſtatorem dixiſſe, *ſi mia madre viuena, & s'ra morta à Traiano.* idem teſtis cùm diceret, id factum fuiſſe hora 23. manifeſtiùs contradicebat tertio teſti, & Clementi Sublindio teſtatoris familiariſſimo, atteſtantibus ante duas horas noctis nihil fuiſſe actum. Satis quoque videbatur notabilis differentia inter iſtum, & alios, cùm referret verba teſtatoris de rebus nobilibus, & ſtabilibus, præſentibus, & futuris, de quibus nihil dixerant alij; vel teſtis erat mendax, vel alios reddebat de mendacio ſuſpectos.

Quintus licèt parum diſcordaret à primo, non tamen conueniebat cùm aliis.

8. Sextus, & ſeptimus teſtis lecta ſibi depoſitione primi teſtis, abſolutè negabant illam fuiſſe veram; vnde cùm repellerent primum teſtem, non poterat affirmari adhibitos fuiſſe ſeptem teſtes, & per conſequens non conſtabat de aliquo teſtamento nuncupatiuo Petri quod ſeptenario * numero teſtium muniri oportet. *§.fin. Inſtit. de teſtament. ordinan. & l. hac conſultiſſima. C. eod.*

* adde Rot. diuer.p.1.deciſ.752.n.7.

9. Ex his etiam dicebant Domini, ſatis innoteſcere varietatem, quæ fidem vel adimebat, vel diminuebat teſtibus.* Baldus *in l.cùm antiquitas, quæſt.2 num.5.& ibi* Iaſon *num. 10. C.de teſtament.* Barbatia *conſil. 47. num.4. lib.2.* Capra *conſil. 75. num.33.*

* adde Lud. dec.298. n.3. & ſequent. & aliàs ſæpè.

Accedebat præterea factum Angeli Corſetti, qui biduo poſt obitum Petri Stoch tanquam tutor Troiani comparuit in foro Capitolino, & expoſito coràm primo collaterali, quòd Petrus obierat nullo condito teſtamento, tutorio nomine Troiani, eiuſdem Petri nepotis, & proximioris adiuit hæreditatem.

Poſtremò ad excludendum prætenſum teſtamentum, faciebat dictum Clementis Sublindij, hominis recti, & antiquæ probitatis, de quo Petrus plurimum confidebat, quemque executorem in teſtamento manu propria ſcripto reliquerat, is enim Clemens atteſtatur, die præcedente obitum Petri, Petrum miſiſſe ad ipſum teſtamentum ſua manu conſcriptum, ac vocatum ſe fuiſſe, vt accederet ad Petrum, quia volebat facere ſtipulari per Notarium dictum teſtamentum, Notariumque fuiſſe vocatum, & Clementem ad 24. horam iuiſſe cum teſtamento ad Petrum, ibidemque manſiſſe vſque ad 2. noctis horam; Petrum verò non condidiſſe teſtamentum, ſed diſtuliſſe vſque in diem ſequentem, ad quem cùm morte præoccupatus, non perueniſſet, inteſtatum deceſſiſſe.

Stantibus itaque tot teſtium varietatibus, & facto Angeli Corſetti, & depoſitione Clementis, viſum fuit Dominis concludere, non fuiſſe ſufficienter probatum prætenſum teſtamentum Petri Stoch.

Quibus ita ſe habentibus non videbatur diſcutienda illa difficultas excitata * per D.Lucam Antonium Verilium, an ſufficerent quinque teſtes ex eo, quia fuit inſtituta mater, quæ ſucceſſiſſet ab inteſtato, licèt eſſet ſubſtitutus Troianus, iuxta *conſil.1.* Ruini *lib. 2.* contra quem tenuit Ferdinandus Vaſquius *de ſucceſſio. progreſſu. §. 14.* & ſequuntur alij, quos retulit Couarruu. *in cap.relatum el primero, num.2. de teſtam.*

*videatur de iſta quæſt. Cephal.conſil.512.n.26. & Emanuel à Coſta in cap. ſi pater p. 1. verſ. in ſuo teſtamento n. 12. de teſtam.

## *Romana de Naris.*

### Die Veneris 27. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum executiuum non eſt relaxandum ante liquidationem debiti.*

2 *Clauſula, ſi quid exequendum, requirit cauſæ cognitionem per iudicem ad quem.*

3 *Executionis ſi vult ſignatura mandare ſententiam, reſcribit cum clauſula, ſine præiudicio legitimæ executionis, iudici ad quem.*

### DECISIO CCCCXXVI.

AD effectum relaxandi mandatum executiuum contra Franciſcum Narum, dubitaui, an Franciſcus teneretur ſoluere Ioanni Antonio Naro fratri, medietatem ſcutorum 1157. & baioch 40.per A.C. liquidatorum die 7. Aprilis ann. 1581. & Rota cenſuit Franciſcum non teneri ſoluere, niſi liquidatis omnibus, †ex deductis enim non conſtabat, de legitima liquidatione, ad hoc vt contra Franciſcum executio dari poſſet. 1.

† quod requiritur, vt executiuè agi poſſit. Duran.deciſ. 50 n.4. Seraphin. deciſ. 1168. n. 5. Rota recen. p.1.dec 365. n. 7. & habetur penes Marcheſ. de commiſ.3.p. pag 80. n. 5. & aliàs ſæpe.

Neque obſtabat Franciſco ſententia, & decretum A.C. quia poſtea cauſa fuerat mihi commiſſa, cum clauſula, *ſi quid exequendum,* quæ requirit cauſæ cognitionem * per iudicem ad quem, quam ideo ſignatura apponere conſueuit, vt ſententia non prius executioni mandetur, quàm de illius iuſtitia cognoſcatur, nam quando ſignatura vult ſententiam executioni mandari, reſcribit cum clauſula, *ſine præiudicio legitimæ executionis,* quæ præſeruat iuriſdictionem exequendi iudici à quo. 2.

*vt per Coc. dec.218.n. 3. impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag. 233. & 734. Rota apud Cenc. poſt tract. de cenſ. dec. 79 n.2.& deciſ.87.n.1. & in Romana Vineæ coram Mellino impreſſa penes Zache. poſt tract.de obl. Cam. deciſ. 156.& deciſ. 58.n.3. Rota diuer.part.3. lib. 3. deciſ. 487.n.7. Caual. dec.165. num. 4. & 5. & 173. n. 1. & 364.n.1.& aliàs ſæpe.

Et licèt ſententia, res iudicata, & decretum oſtenderent hinc inde debitum, ſtante tamen dicta commiſſione poſt omnia iſta impetrata, non erat locus executioni, ante legitimam liquidationem.

## *Portuenſis reſponſionis.*

### Die Veneris 27. Ianuarij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Fauor Eccleſiæ ſemper debet præponderare, ne ei præiudicium fiat.*

### DECISIO CCCCXXVII.

IN hac cauſa, quam ſuper quantitate Eccleſiæ propoſui die 5. Decembris proximè præteriti, * fuit tunc dictum, non probari concludenter pro 3.

* ſuprà deciſ.415.

pro parte Archipreſbyteri Cerenſis plura rubia
terrarum Eccleſiæ, quàm 63. in hac propoſitione
cauſa iterum diſcuſſa ſuper eiſdem, non potuit
ſtabiliri certa maior quantitas, quàm 63. rubio-
rum, quia teſtes inducti non deponebant de cer-
ta, & determinata quantitate terrarum in ſingu-
lis tertiis exiſtentium, ſed cum dictione *incirca*,
vel cum alternatiua, videlicet da 33. in 35. &
da 18. in 20. ex quo loquendi modo, qui verifica-
ri poterat in minori numero rubiorum, cùm
non poſſet quantitas vltra 63. rubia per Archi-
2. preſbyterum prætenſa ſtabiliri, & ageretur de
Eccleſiæ præiudicio, cuius fauor præponderare
debet, Domini venerunt in eam ſententiam, vt
deputaretur & deſtinaretur * peritus agrimen-
ſor ad locum, qui menſuraret rubia terrarum
Eccleſiæ in quolibet tertio, & videret, an proba-
retur maior quantitas, quàm Archipreſbyter
prætendebat, conſtituta tamen tamque certa
3. prædicta quantitate rubiorum 63. de qua non
dubitatur, & agrimenſor eo tantùm conſilio ad
locum deſtinabatur, vt exploraret, an Eccleſia
in tribus tertiis de S. Maria del Montarone,
& Pianureſe poſſideret plura terrarum rubia
quàm 63.

*infrà deciſ. 650. fuit declarata & ſtabilita hæc dec. reſpectu huius art.

---

## *Burgenſis diſtributionum.*

### Die Lunæ II. Februarij 1595.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in profanis ſolet ſine fumo prouideri, & num. 4.*
2 *Fructuum tertia pars præbendarum, debet in diſtributionibus conuerti.*
3 *Remiſſoria conceditur ſecluſa calumnia, & cum releuantia materiæ.*

## DECISIO CCCCXXVIII.

1. COnceſſa fuit remiſſoria Domino Archiepi-
ſcopo Burgenſi, quia materia erat releuans,
& non apparebat de calumnia, & verſabamur in
profanis, in quibus ſolet ſine fumo * remiſſoria
concedi: Archiepiſcopus enim conabatur pro-
bare, præbendas illius Eccleſiæ eſſe valoris du-
cat. 500. & diſtributiones quotidianas ſolùm
aſcendere ad 24. ducat. ex qua exiguitate videba-
tur factus locus diſpoſitioni † Concilij Triden-
2. tini *ſeſſ. 21. cap. 3.* præcipientis, tertiam partem
fructuum præbendarum conuerti in diſtributio-
nes quotidianas, quo faciliùs incitentur præben-
dati ad cultum diuinum celebrandum, quod eſt
3. maximè Eccleſiis fauorabile, *Clement. 1. in fine, de reliq. & venerat Sanctor.* Oldradus *conſil.* 118.
*num.* 1. hæc enim, & releuantia indicabant, & ca-
lumniæ ſuſpicionem excludebant; manifeſtum
eſt autem data releuantia materiæ, & ſuſpicione
ceſſante remiſſoriam concedi,* Caſſador. *dec. 3. num. 1. de dilat.* Verallus *deciſ. 59. num. 1. part. 3.*

In prophanis quoque dari ſolet remiſſoria
ſine fumo. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de remiſſoria.* §. 4. Verallus *deciſ. 68. part. 3.*

Oppoſitio facta ex eo, quòd omnes fructus
eſſent diſtributiones, ideoque non eſſe locum
diſpoſitioni Concilij iuuentis fieri ſupradictæ
4. tertiæ partis ſeparationem, potiùs videbatur fa-
cere contra Capitulum Burgen. quando enim in
aliqua Eccleſia omnes fructus ſunt diſtributio-
nes in communi, tunc illa diuiſio non computa-
tur pro diſtributionibus quotidianis, ſed habetur
loco groſſæ, gloſſ. *in cap. licèt, in verbo, diſtributiones, de præben.* gloſſ. *in cap. 1. in verb. receperit. de cleric. non reſiden. lib. 6.* facit textus *in cap. olim, de verb. ſignif. & ibi* notant Antonius de Butrio *num. 6.*
& Abbas *num. 6.* Pariſius *conſ. 32. num* 8. *lib.* 4.

*Duran. dec. 52. n. 2. Caual. dec. 170. n. 1. & 258. n. 1. & 289. n. 2. & 472. n. 2. & 3. & aliàs paſſim.

† adde ſuprà dec. 371. n. 4. & 411.

* adde Dur. dec. 61. n. 1. & 121. n. 15. ibi aliæ dec. allegantur, & ſufficit releuantia vnius ex art. idem Duran. in d. dec. 61. n. 8. & 202. n. 1. Caual. deciſ. 59. num. 1. & 232. n. 2. & 610. n. 1.

---

## *Bononien. alimentorum.*

### Die 3. Martij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Alimenta ſunt præſtanda ſpurijs.*
3 *Filius legitimatus reſtituitur perinde, ac ſi de legitimo matrimonio fuiſſet procreatus.*
4 *Filio ſpurio non tam ſplendidè ſunt aſſignanda, quàm legitimo.*

## DECISIO CCCCXXIX.

PRæſuppoſitis deciſionibus * in hac cauſa 1.
factis, & aliis, quæ vtrinque legitimè deduci
poterant, dubitaui, ad quam quantitatem forent
alimenta Mario taxanda.

Ac primum, non erat controuerſia, an debe-
rentur, quia ſuper articulo clara erat iuris Ca-
nonici deciſio *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulter.* & fuerat etiam
in eadem cauſa reſolutum. *

Præterea alimenta eſſe ſpuriis † præſtanda 2.
iuxta facultates, & qualitatem, ac dignitatem
perſonæ, cui præſtanda ſunt, non ambigebatur,
quia veriorem hanc eſſe ſententiam voluerunt
gloſſ. & Abbas *in dicto cap. cùm haberet*, Alexan-
der *in l. ſi maritus, num. 5. ff. ſolut. matrim.* Molina
*de Hiſpanor. primogenijs lib. 2. cap. 15.* Crauetta
*conſil.* 189. quæ ſententia in hoc caſu eo magis 3.
videbatur amplectenda, quia Marius legitima-
tus, & puritati natalium fuerat reſtitutus, perin-
de, ac ſi ab initio de legitimo matrimonio Ca-
millus pater nobilis, eum nobilem procreaſ-
ſet. * Afflictus *deciſ. 195. num.* 8. Ancharanus
*conſil.* 308.

Placebat tamen prudens conſideratio Couar-
ruuiæ *in epitome lib. 4. Decretal. tit. de ſponſalib. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 7.* vt licèt alimenta ſpuriis
præſtanda ſint, attenta illorum dignitate, & qua-
litate, non tamen ita ampla, & opulenta præ-
ſtanda veniant, ac filio legitimo eiuſdem digni- 4.
tatis, & qualitatis præſtanda forent: in quo ar-
ticulo iudicantium arbitrio multum tribui ſo-
let, quod multis comprobat Tellus Fernandez
*l. 10. Tauri, num* 2. quam laudat Molina *de Hiſpanorum primog. lib. 2. cap. 15. num. 55.*

In propoſita facti ſpecie quidam ex Dominis
15. ſcuta menſtrua Mario taxanda arbitrabantur,
alij 12. cæteri vno excepto, qui minus præſtari
volebat in decem ſcutis menſtruis conſenſerunt,
in quorum ſententiam omnes deinde facilè iue-
runt; itaque concorditer concluſum fuit, taxan-
da fuiſſe Mario alimenta ad decem ſcuta mone-
tæ decem Iuliorum, ſiue Paulorum pro ſingu-
lo ſcuto, ſingulis menſibus, idque à die motæ
litis.

* ſuprà dec. 378. & 387. cum notatis infrà.

* ſuprà deciſ. 364.

† adde ſuprà deciſ. 413. & 419. n. 2. vbi aliàs dec. annotaui.

* adde Duran. dec. 95. n. 8. Ludou. dec. 461. n. 6. & 7. Seraph. dec. 1329. n. 6. & 7. Rot. recen. part. 1. dec. 635.

Voluerunt



Voluerunt tamen Domini, haberi rationem
quorundam bonorum mobilium, quæ poſt car-
cerationem Camilli patris ad Marij manus per-
ueniſſe prætendebatur; pecuniarum verò, quæ
lite durante Mario numeratæ fuerant, iuxta de-
ciſionem in hac cauſa factam die 13. Iunij 1594.
* medietatem tantùm ei condonandam cen-
ſuerunt.

* ſuprà deciſ. 386.

---

## *Romana pecuniaria.*

### Die Veneris 4. Martij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Teſtes conteſtes in omni materia, quantumuis ardua regulariter ſufficiunt ad probationem.*
3 *Probationem non facit confeſſio facta à parte abſente, extra iudicium, contra confitentem.*
4 *Confeſſio liberatoria amplè eſt interpretanda.*
5 *Confeſſio partis extraiudicialiter facta, vt probet, debent teſtes conteſtari.*
6 *Verba vrbanitatis, non inducunt obligationem.*
7 *Confeſſio partis ad vnum finem facta, regulariter non operatur ad alium.*
8 *Confeſſio extraiudicialis incidenter, aut ſine cauſa facta non probat.*
9.10 *Confeſſio geminata partis ſi plenè probetur, præiudicat ei.*
11 *Confeſſio geminata partis, ſi non ſit perfecta, non probat contra confitentem.*
12 *Confeſſio geminata perfecta, quæ dicatur.*
13 *Gratitudo benefacientibus debetur.*
14 *Debitum naturale ſi detur, non eſt locus repetitioni indebiti.*
15 *Exceptionem compenſationis ſi quis non allegauerit, cùm poſſit, præſumitur reuera creditorem eum non eſſe.*
16 *Sententia iniuſta dicitur, & ideo reuocanda, ſi non iuſtificatur ex actis probatorijs.*

## DECISIO CCCCXXX.

1. IN iudicio, quod introduxerat D. Onophrius
Nucarinus, contra hæredes Matthiæ de Blan-
chis, coram Auditore Cameræ, ſuper eo quòd
prætendebat fructus omnes, & prouentus ac di-
ſtributiones quotidianas, quas ſingulis menſi-
bus recipiebat de beneficio Sancti Petri, quod
ſibi Matthias reſignauerat, ab anno 1580. vſque
ad annum 1589. eidem Matthiæ auunculo ſuo,
in cuius domo morabatur, tanquam depoſitum
conſignaſſe, ſententiam fauorabilem reportauit,
per quam prædicti hæredes fuerunt condemnati
ad reſtituendum Onophrio ſcuta 2558. cau-
ſa commiſſa in Rota, dubitaui, an ſententia eſ-
ſet confirmanda, vel infirmanda, & quia die 20.
Decembr. 1593. placuerat Dominis cauſam con-
cordari, & litigantes, quamuis conſanguinei,
noluerunt concordiæ acquieſcere, die 3. Mar-
tij 1595. cauſa iterum propoſita, cenſuerunt ſen-
tentiam * reuocandam.

Licèt enim videretur probata Matthiæ con-
feſſio extraiudicialis, de conſignatione pecunia-
rum ſibi per Onophrium facta, ex teſtificatione
primi teſtis iuxta 28. & iuxta 34. & tertij teſtis
ad 20. interrogatorium aſſerentium, audiuiſſe
Matthiam dicentem, *che Miſſer Honofrio, gli*
*portaua ſino al. vltimo quatimo dellio frutti, & ogni* 2.
*coſa di detto beneficiato*, & quarti teſtis ad 20. in-
terrogatorium, *che Honofrio li daua tutte le meſſatte di San Pietro, ſino ad vn guilio, & che ad ogni principio di meſſe, gle li portaua à caſa in vn fazoletto.* Cùm in omni materia, quantumuis ardua,
* teſtes conteſtes regulariter ſufficiant. Rota 3.
*deciſ. 5. num. 3. de reſcript. in nouis*; ea tamen in
ſufficiens † iudicata fuit, quia quidquid ſit de
iure Canonico, * de iure tamèn ciuili, quod vi-
gore ſtatutorum vrbis ſeruatur inter Romanos,
confeſſio extra iudicium parte abſente facta, non
facit probationem contra confitentem. † *l. certum. §. ſi quis abſente. ff. de confeſſis. l. fin. ff. de interrogat. actionib.* Gabriel. *tit. de confeſſis concluſ.* 1.
*num.* 1. quod eo magis amplectendum videbatur,
ex quo non agebatur de confeſſione liberatoria,
in qua ſtrictè eſt procedendum, præſertim cùm
teſtes de confeſſione Matthiæ deponentes non
eſſent conteſtes * in probanda confeſſione ex- 4.
traiudiciali, ad effectum, vt faceret aliquam pro-
bationem. † Paulus de Caſtro *conſil.* 296. incip.
*Viſis actis, num. 3. lib. 1. & conſil. 155. num. 2. lib. 2.*
Antonius de Butrio *in cap. licèt ex quadam, num. 8. de teſtib.* Alexander *conſil. 39. num. 8. lib. 5.* Iaſon *in l. admonendi, num. 212. ff. de iureiuran.* Corneus *conſil. 78. num. 8. lib. 3.* Curtius ſenior *conſ. 55. num. 23.*
Afflictus *deciſ. 364. num. 4.* Pariſius *conſ. 60. n. 45. lib. 4.* & hanc ſententiam ſeruat Rota, vt apud
Puteum *deciſ. 476. lib. 2.*

Dicebant etiam Domini, dictum Matthiæ aſ-
ſerentis Onophrium ſibi morigerum, & gratum
in conſignatione pecuniarum, non tam fuiſſe
cenſendam veram confeſſionem, quàm com-
mendationem potiùs, & collaudationem, quæ
non ſolet inducere obligationem. * *l. quod venditor. ff. de dolo. l. ſciendum. ff. de ædilit. edict. l. ea quæ, ff de contrahen. empt.* cùm non emanauerit prin- 5.
cipaliter ad confitendum depoſitum, & receptio-
nem pecuniarum, ſed incidenter, & propter
alium, quo caſu confeſſio non inducit proba-
tionem, *cap. fin.* vbi Doctores, *de ſucceſſ. ab inteſt.*
Salicetus *in l. naturaliter num. 10. quæſt. 7. verſ. aut diſpoſitionem expreſſam non habent, C. de non numerata pecunia*, Afflictus *deciſ. 105. num. 3.* quia con-
feſſio † ad vnum finem facta, regulariter non
operatur ad alium. Baldus *in Authen. nouo iure, in fine. C. de iudice qui malè iud.* Præpoſitus *in cap. ſuper eo, notab. 3. de eo qui cognouit conſang. vxor. ſuæ.*
Decius *conſil. 310. num. 4.* Alciatus *in l. 1. §. ſi quis ita, num. 55. ff. de verbor. obligat.* Achilles *deciſ.* 4.
*num. 4. de confeſſis.*

Conſiderabatur etiam, non deeſſe qui ſen- 6.
tiant, neque de iure Canonico confeſſionem
extraiudicialem incidenter, aut ſine cauſa fa-
ctam probare. Alexand. *conſil. 155. num. 2. lib.* 5.
in caſu propoſito ſatis videri ſine cauſa factam,
ex quo nihil erat quod Matthiam obligaret ad
confitendum.

Quibus non obſtabat obiectio de generatione 7.
confeſſionis factæ per Matthiam ſuper receptio- 8.
ne pecuniarum, quaſi tunc ex quo erat gemina-
ta, * etiam ſi facta fuiſſet incidenter, plenè pro- 9.
baret. Aymo *tract. de antiquit. part. 1. §. propoſitum, num.* 31. 10.

* hæc deciſ. fuit confirmata infrà dec. 835.

* vide infrà deciſ. 1322. num. 2.

† adde Rot. rec. p. 2. dec. 700. n. 33. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

* adde Lud. dec. 408. n. 2. & 5. Coc. deciſ. 170. n. 10. & Rot. rec. p. 1. dec. 404. n. 2. & 7. n. 3. part. 2. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

† vide infrà deciſ. 1209. Caual. deciſ. 492. n. 6. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

* quod præciſè requiritur, Rota rec. p. 2. dec. 406. n. 3. & deciſ. 700. n. 33. & dec. 311. n. 3. & vtrobique ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

† & non ſufficit vnus teſtis, vt per Ludouiſ. dec. 238. num 12. & 517. n. 26. Cocc. deciſ. 297. num. 1. Mantic. dec. 179. n. 6. & fuit dictum Nicoter. donationis coram Mellino impreſſa penes March. de commiſſ. p. 3. pag. 41. n. 5. Seraph. dec. 1156. n. 2. Rota rec. p. 1. dec. 108. n. 7. & deciſ. 664. n. 6. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

* Cocc. deciſ. 239. n. 7. Seraph. dec. 136. n. 3. & 1322. n. 2. Rot. recen. p. 1. deciſ. 138. num. 3.
† adde Cocc. dec. 311. n. 2. & infrà deciſ. 835. n. 7.
* Caualer. deciſ. 105. num. 5. Ludouiſ. deciſ. 408. num. 3. & infrà deciſ. 835. num. 4.

num.31. Felinus *in cap. ſi cautio, num.39. de fide inſtrument.*

Quoniam reſpondebatur, id fortaſſis poſſe habere locum, ſi geminatio plenè eſſet probata. Gratus *conſil.2. num.59. lib.2.* in hoc autem themate de geminatione non aderat probatio per teſtes conteſtes.

11. Rurſus quamuis probata fuiſſet geminata confeſſio Matthiæ, & propterea faceret probationem, Gratus *conſil.143. num.8. lib.2.* id tamen non procedit, quando eſt imperfecta. Gratus *d. conſil.143. num.22. verſ. nec obſtant adducta in contrarium.*

12. De imperfectione verò ſatis hîc apparebat, ex quo erat confeſſio extraiudicialis, incidenter facta & ad alium finem, & parte abſente, & ſine cauſa emiſſa.

Quia tot ſpecialia confeſſio geminata ſupplere non poteſt. Neuizan. *conſil.78. n.32.* Becius *conſ.28. n.12.* Gratus *d. conſil.143. n.18.* præſertim in odioſis, & quando agitur, non de liberando, ſed de obligando, tunc enim verba geminata non probant. Riminaldus iunior *conſ. 578. num. 65. lib.5.* Gratus *d. conſ.143. num.21.*

Supradictis accedebat, quia licèt legitimè probatum eſſet, Matthiam recepiſſe ſingulis menſibus ab Onophrio nepote pecunias de beneficio prouenientes, non tamen depoſiti nomine, ſed ratione ſumptuum, & expenſarum, quas Matthias longo tempore fecerat, & vſque ad diſceſſum Onophrij ab eius domo fecit, recepiſſe cenſebatur; cùm enim Matthias Onophrium à puero educauiſſet, illius matrem, & fratrem aluiſſet, plures ſorores honeſto matrimonio cum dote competente collocauiſſet, beneficium Sancti Petri valoris ducatorum 300.
13. Onophrio renuntiauiſſet, & plura in illum beneficia contuliſſet, ideo Onophrius ob præcedentes cauſas, in ſignum gratitudinis, quam omnia iura benefactoribus exhibendam iubent, ea rependiſſe putabatur. *l. quædam mulier. ff. de re iu-*
14. *dic.* Ruinus *conſil.61. num.9. lib.1.* Vnde cùm dederit naturaliter debitum, non eſt locus indebiti repetitioni. Berous *conſ.56. num.12. lib.1.*

Poſtremò multum mouit Dominos factum Onophrij, qui viuente Matthia, nunquam petiit pecunias, quas nomine depoſiti ei tradidiſſe prætendebat, quinimò cum Matthias, poſtquam Onophrium è domo ſua exire iuſſiſſet, in iudicio illum conueniſſet ad ſolutionem penſionis, quam ſibi ſuper beneficio renunciato reſerua-
15. uerat, Onophrius non modò non oppoſuit de prætenſo depoſito, quinimo penſionem ei ſoluerat; vnde oriebatur præſumptio ſatis veriſimilis, quòd Matthias non erat debitor ſoluentis. Ancharanus *conſil.434. circa medium*, quem refert & ſequitur Crauetta *conſil.129. num.8. in fine*, nam cùm potuiſſet exceptionem compenſationis allegare, ex quo illam non allegauit, præſumeba-
16. tur id feciſſe, quia reuera creditor non erat. Ægidius *conſil.10. num.41.*

Atque ex his fuit concluſum, ſententiam A. C. tanquam iniuſtam reuocandam, quia non iuſtificabatur * ex actis probatoriis. Puteus *deciſ.401. lib.1.* Chiſanen. *deciſ.179.* Accorambonus *deciſ.37. lib.1.*

* adde Lud. deciſ. 1. n.4. vbi latè annot. & deciſ. 264. num. 4. & 330. n.3. & aliàs ſæpe.

---

## *Sabinenſis iuriſpatronatus.*

### Die 6. Martij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Iuſpatronatus in familia potente vt probetur, debet conſtare de legitimo titulo.*
3 *Iuſpatronatus familiæ potentis vt probetur, quæ requirantur.*
4 *Aſſertiones partium, quorum intereſt, non ſunt attendendæ ad effectum, vt probent.*
5 *Papa ſi non faciat mentionem, in prouiſione beneficij de iure patronatus, præſumitur indicatum eſſe pro libero.*
6 *Iuſpatronatus habetur pro dubio, ſi in omnibus prouiſionibus recurratur ad Papam.*
7 *Patronus tenetur probare ad fundandam ſuam intentionem, præſentatos ab eo poſſediſſe, & obtinuiſſe beneficium, vigore præſentationis eius.*
8 *Probationem non faciunt in vno iudicio acta facta in alio.*
9 *Acta facta in poſſeſſorio, non probant in petitorio.*
10 *Referenti aliquid non creditur, ſi de relato non conſtat.*

## DECISIO CCCCXXXI.

HOrtenſius Cathenelius in ſecunda inſtan- 1.
tia coram me, ad probandum iuſpatronatus Eccleſiæ S. Petri de Verſano pertinere ad Dominos de Sabellis, produxit duas prouiſiones Apoſtolicas, ſiue duo mandata de prouidendo de anno 1505. vnum in perſona Ioannis Andreæ de Caffarellis, alterum in perſona Alexandri de Sabellis, & quædam etiam acta facta in Rota inter prædictos Ioann. Andr. & Alexandrum de anno 1506. & 1507. coram Mariano de Bartolinis, & alia de anno 1508. & 1509. coram Mercurio Vipera, tunc Rotæ Auditoribus, ex quibus prætendebat Hortenſius recedendum à reſolutis coram R. P. D. meo Litta die 20. Octobris 1594.

Sed Domini concorditer cenſuerunt, ſtan- 2.
dum in deciſis. nam cùm ageretur de probando iure patronatus familiæ potentis Dominorum de Sabellis, & ideo vigore Concilij Tridentini *ſeſſ.25. cap.9.* poteſt timorem vſurpationis, debe-
ret probari legitimus titulus, vel immemorabi- 3.
lis ſimul cum præſentationibus continuatis ſpatio 50. annorum, * quæ & ſortitæ probarentur effectum, & de illis conſtaret per Authentica documenta, & ſæpe diffinitum fuit, tum in ſacra Congregatione dominorum Cardinalium interpretum ſacri Concilij Tridentini, à Sede Apoſtolica deputatorum, tum in hoc Rotæ Tribunali, & præſertim in vna Bononien. iuriſpatronatus coram R. P. D. meo Gyptio die 20. Martij 1589. non erat admittenda alia probatio, præter illam, quam Concilium præſcripſerat, qualem non faciebant duo prædicta mandata de prouidendo, nam primum ad fauorem Caffarelli ſolam illius aſſertionem continebat, alterum pro Alexandro, de Sabellis eiuſdem coloris erat, cùm in vtroque inſereretur petitio partis, & Papa eam referens † diceret, Eccleſiam Sancti

* adde Duran. dec.413. n.2. & 4. & dec.293. n.2. Ludou. deciſ. 222. n.1. & 2. & latè annota. n. 11. & ſeq. vbi aliæ deciſ. allegantur, & infrà dec. 505. num.1.

† & vt iuſpatronatus probetur per enũtiatiuas, debent eſſe claræ, & inconcuſſæ, vt per Caualer. dec.159. n.2.



Sancti Petri de Verſano de iurepatronatus laicorum Nobilium exiſtere, ex quibus non probabatur iuſpatronatus ex fundatione, & dotatione, cum continuatis præſentationibus, imò
4. cùm continerent ſimplices aſſertiones partium, de quorum intereſſe agebatur, † non erant attendendæ. Aretinus *in cap. cùm cauſam, num. 13. de probationib.*

Quibus addebatur, quia cùm Papa poſt factam narrationem, ſimpliciter mandaret conferri dictum beneficium, abſque derogatione iuriſpatronatus, præſumebatur non habuiſſe beneficium pro iure patronatus, ſed pro libero. * Decius *conſil.1*[illegible]*6. num.3.*

5. Rurſus iidem quoque Oratores, ſatis dubium,
6. & incertum videbantur, habuiſſe iuſpatronatus cùm quaſi de viribus præſentationum, vigore illius factarum dubitantes, prouiſiones Apoſtolicas putauerunt obtinendas. Crauetta *conſ.322.* incip. *Domina Abbatiſſa, num. 3. verſ. reſpondeo præterea.*

7. Quòd ſi Cathenelius prætendebat, præſentatos, vel quempiam ex eis obtinuiſſe, & poſſediſſe beneficium vigore præſentationis patronorum, illud tenebatur concludenter probare, tanquam ſuæ intentionis fundamentum. Ripa *in cap. cùm Eccleſia, num. 92. verſ. quintò requiritur, de cauſa poſſeſſ. & proprietat.* Achilles *deciſione 5. eodem titulo.*

8. Alia acta producta eodem vitio laborantia non probant aliquod ius patronatus, quia tanquam acta in alio iudicio, inter eoſdem Caffarellum, & Alexandrum in hoc iudicio non faciebant probationem. *cap. penult. de re iudic. l. 2. C. quibus res iud. l. 1. C. res inter alios, l. ſi vnus. § ante omnia ff. de pact.* & maximè cùm eſſent acta facta
9. in poſſeſſorio, quæ non probant in petitorio, * nec ei præiudicent. *l. ſi incerti. C. de interdictis. l. ordinarij. C. de rei vendic.* Socinus iunior *conſil.1. num.80. lib.1. & conſil.182. num.8. lib.2.*

Poſtremò non obſtabat aſſertio facta à Notario rogato de teſtamento, & donatione medietatis caſtri Verſani, cum reſeruatione iuriſpatronatus in eo facta ab Honorio Papa IV. quia præterquam quòd non creditur referenti, † niſi conſtet de relato, *Authen. ſi quis in aliquo. C. de eden.* Afflictus *deciſ. 48. num. 3.* Alexand. *conſil.6. n.6. lib.4.* non ſuffragabatur Dominis de Sabellis non probantibus iuſpatronatus ex fundatione, & dotatione, quia quod ex priuilegio competit, à Concilio Tridentino ex cauſis legitimis reuocatum extitit.

† adde infrà deciſ.823. n.17. & Seraphin. deciſ. 1336. num.4. Cocc. deciſ. 432. n.3. Ludou. dec.77. n.8. & habetur in recen. p.2. dec.71.

* quod ſemper præſumitur. Mant. dec.360. n.4. Caual. deciſ. 236. n.4.

* Ludou. dec. 357. n.2. & 6. & deciſ.535. n. 13. quod etiam ſeruatur in iudicio criminali, vt per Seraphin. dec. 377. n.6. quæ habetur penes March. de commiſſ. p.2. pag.433. Rot. rec. p.2. dec.639. n.3.

† adde Dur. deciſ. ſeu diſcurſu 285. n.118. & 147. Ludou. deciſ. 139. n. 1. & ſeq. Rot. rec. p.2. dec.568. n. 4. in fine, Caual. deciſ. 236. n.3.

---

## *Peruſina executionis.*

### Die Veneris 10. Martij 1595.

## DECISIO CCCCXXXII.

VNa tantùm parte pro D. Marchione à Cornea informante dixerunt Domini, recedendum à deciſis, * die 2. Maij, & die 8. Iulij 1594. quia multæ coniecturæ, & actus poſitiui ſuadebant, dandam fuiſſe fidem copiæ, de qua erat controuerſia, quia tamen Dominus Alphonſus Mareſcottus dicebat, ſe velle omnino informare, non fuit extenſa deciſio cum ſuis rationibus.

* ſuprà deciſ.169.



---

## *Albenſis Iuriſpatronatus.*

### Die Veneris 10. Martij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Inhibitione interpoſita, quidquid factum ſit à iudice inhibito, eſt nullum*
*quod procedit etiam ſi inhibitio ſit iniuſta, num. 3.*
4 *Conſenſus præſtitus in vna cauſa, vel articulo, non infert ad alium.*
5 *Citatio ad audiendam ſententiam eſt neceſſaria.*
6 *Citatio ad ius audiendum, aliud ſignificat, quàm ad ſententiam audiendam.*

## DECISIO CCCCXXXIII.

PEr obitum Balthaſaris Grincij menſe Se- 1.
ptembr. ann. 1587. Capellaniæ S. Mariæ de Aluareto, & S. Petri de Vlmeto diœceſ. Albenſis, à Sede Apoſtolica obtinuerat Antonius Palearius, quarum poſſeſſionem nomine Cameræ Apoſtolicæ, vigore Breuis cepit 24. Maij 1588. interim nomine Bernardi Grincij, iuſpatronatus prætendentis, exhibitum fuit Epiſcopo Albenſi Breue fel. record. Sixti V. expeditum die 10. Iunij 1588. cum inſertione commiſſionis ſignaturæ iuſtitiæ, in quo narrabatur poſſeſſionem Palearij fuiſſe ſubreptitiam, ex eo quòd in eius prouiſione non fuerat facta mentio iuriſpatronatus.

Verùm, quia hoc iudicium poſſeſſionis, ſiue executionis terminatum fuerat ab Epiſcopo Albenſi, cui die 3. Auguſti eiuſdem anni 1588. Procurator Palearij litteras ſuæ prouiſionis, eidem Epiſcopo directas præſentauerat, & Epiſcopus die 12. eiuſdem menſis, tanquam executor Apoſtolicus manutenendum Palearium pronuntiauerat.

Procurator Palearij coram eodem Ordinario, 2.
eodem die comparens in alia cauſa, primo loco per Grimerium commiſſa, ſubreptione prouiſionis, aſſerens Palearium tanquam abſentem, & intimũ Sixt. V. familiarem, in Curia Romana fuiſſe conueniendum, iuriſdictionem Epiſcopi Albenſis declinauit, & licèt nonnullos actus iudiciales interim, coram Vicario Albenſi Grincij feciſſent, nihilominus, ad inſtantiam Palearij cauſa in Rota commiſſa, cum clauſula, *quatenus pro parte Palearij non eſſet conſenſum in iuriſdictionem Ordinarij*, Rotalis inhibitio prodiuit, quæ Vicario fuit perſonaliter intimata: cúmque per quatuor ferè annos nihil in cauſa eſſet actum, de menſe Iulij ann. 1592. Ioannes Antonius hæres, & filius Bernardi, non facta mentione euocationis ad Curiam, neque Rotalis inhibitionis, eam proſecutus fuit, & multis actis præcedentibus, tandem facta monitione ſub hac forma, quòd Procurator Palearij infra tres dies præſentaret ſuas allegationes, ſi quas habebat aliàs tunc, & ſucceſſiuè ad ius audiendum, prouiſionem Palearij nullam & ſubreptitiam pronuntiauit.

Cauſa mihi in gradu appellationis commiſſa, dubitaui, an iſta ſententia ordinarij Albenſis fuiſſet nulla, & Rota nullam, & inualidam fuiſſe cenſuit, quia cum vigore commiſſionis, Rota inhibuiſſet, geſta poſt inhibitionem attentata fuerunt, * *cap. non ſolùm, de appell. lib.6.* Accoram bonus

* adde Durán. dec.104. n.2. & 4. & dec.312. n.2. Ludou. deciſ. 435 vbi annot. Caualer. dec.574 n.1. quod extende etiam ſi reſcriptum ſit ſubreptitium. Rot. in Romana Saluian. impreſ. penes Marcheſ. part.2. pagin. 36. & penes Paciſicũ poſt tract. de Salu. interdicto ſub n.72.

bonus *deciſ.*53. *lib.* 1. Decius *conſil.* 103. *num.*1.
3. quod procedit, quamuis inhibitio ſit iniuſta, * quia nihilominus timenda eſt ob reuerentiam Apoſtolici Tribunalis, vt ſæpe iudicatum extitit, & in primis, in vna Calaguritana Canonicatus die 10. Maij, & in alia Altenſis bonorum die 25. Iunij ann. 1593. coram R.P.D. meo Blanchetto.

* adde Lud. dec. 119. n. 8. Caual. deciſ. 544. n. 3. Rotam penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 478. n. 2. & aliàs ſæpe, quod extende etiam ſi adeſſet clauſula, ſublata, vt per Cocc. deciſ. 315. & habetur penes March. de commiſſ. p. 2. pag. 34.

Neque vitium attentatorum ſanabatur propter conditionem in commiſſione appoſitam, dummodo ſcilicet Palearius non conſenſiſſet in Ordinarij iuriſdictionem, quia cùm tempore obtentæ commiſſionis non eſſet conſenſum, conditione tunc non purificata, inhibitio remanſit, qua exiſtente, omnia geſta fuerunt attentata.

Præſentatio litterarum facta per Procuratorem Paleatij coram Ordinario in iudicio executionis, non induxit conſenſum in hoc alio iudicio ſuper litterarum ſubreptione coram Or-
4. dinario intentato; quoniam ex conſenſu quoad vnam cauſam, ſeu articulum, non infertur ad conſenſum quantum ad aliam cauſam, ſeu articulum ſeparatum. *l. Papinianus. ff. de minorib.*

Sed notabilior viſus fuit Dominis defectus citationis: nam Procurator Palearij non fuit citatus ad ſententiam, ſed ad dandum allegationes, aliàs ſucceſſiuè audiendum ius: quia vt ſenten-
5. tia validè proferatur, aut intimatio partibus præſentibus ad illam, *aut citatio ad eam audiendam tempore præfinito præcedere debet: *l. de vnoquoque. ff. de re iudic. Clemen. ſæpe*, vbi gloſſ. *de verb. ſignif. cap. eum qui, de dolo & contum.* aliàs ſententia tanquam ipſo iure nulla ſine appellatione, reſcinditur. *l.* 1. §. *item cùm ex eo. ff. quæ ſent. ſine appell. reſcindan.* gloſſ. & *ibi* communiter Canoniſtæ *in cap. cum contumacia, in verb. reſpondeat, de hæret. lib.* 6. Ioannes Baptiſta Ferretus *conſil.* 95. *num.* 3. *lib.* 1.

* adde Duran. deciſ. 8. n. 1. & infrà deciſ. 596. Cocc. deciſ. 414. n. 1. & aliàs ſæpe, & talis citatio debet eſſe perſonalis quando iudex, etiam ſi ſit A.C. procedit vigore commiſſ. vt fuit dictum in Romana prætenſarum merciũ coram Lita, impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 2. pag. 515. n. 2.

6.
Citatio autem † ad ius audiendum, aliud potuit ſignificare, quàm iudicem velle proferre ſententiam.

† hæc enim citatio debet eſſe ſpecifica, vt per Ludouiſ. deciſ. 209. n. 3. & 7. Caual. deciſ. 376. n. 2.

---

## *Peruſina reintegrationis.*

### Die Lunæ 13. Martij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Suitas, & ſucceſſio fœminarum non tollitur per clauſulam appoſitam, dum ſcilicet maſculi extent, ſed tantùm ſuſpenditur.*

3 *Statutum excludens fœminas donec ſuperſunt maſculi, non eſt excluſiuum, ſed ſuſpenſiuum.*

## DECISIO CCCCXXXIV.

1. RElinquerat poſt obitum ſuum Gentilis Balleonius ſex filios legitimos, & naturales, videlicet, Aſtorem, & Adrianum maſculos, & Conſtantiam, Pantham, Dianiram, & Alphonſianam fœminas, quas fratres cum certa dote nuptui dederunt.

Et quoniam Peruſiæ adeſt ſtatutum *lib.* 2. *rubrica* 45. *tit. de dotibus, & dotatis mulieribus & ſucceſſoribus ab inteſtato*, quo cauetur, excludendas fœminas dotatas, quandiu maſculi extant, eis verò defunctis iubet, eas reintegrari ad bona à quibus per exiſtentiam maſculorum fuerant excluſæ, & propterea domina Alphonſina, expedita Remiſſoria, quam acceperat, ad probandum incumbentia ex qua conſtare dicebatur, extinctam totaliter lineam maſculinam dicti Gentilis, per obitum Aſtoris iunioris illius pronepotis vltimo loco defuncti, ſuper dicto reintegrationis iudicio coram me in Rota introducto, inſtaret ſuper dicta reintegratione, præſuppoſitis atteſtationibus teſtium, quibus probabatur extinctio lineæ maſculinæ, & prædicto ſtatuto Peruſino; dubitaui, an foret factus locus illius diſpoſitioni ad fauorem Dominæ Alphonſinæ.

Et Domini vna tantùm Alphonſinæ parte informante, cenſuerunt illam fuiſſe reintegrandam pro ſua portione, ad bona exiſtentia in territorio Peruſino, & ei annexo, ſeu non diſmembrato.

Quia cùm ex deductis viderentur probatæ qualitates ab ſtatuto requiſitæ, non erat dubium,
quin factus eſſet locus illius diſpoſitioni, ſtatutum enim non tollit funditus ſuitatem, & ſucceſſionem fœminarum, ſed ſolùm ſuſpendit ad tempus, dum ſcilicet maſculi extent, * Bartol. *in l. fin.* §. 1. *ff. ad SC. Tertull.* aſſerentem, ſtatutum fœminas excludens ab hæreditate defuncti, donec ſuperſunt maſculi, eſſe ſuſpenſiuum, † non excluſiuum fœminarum, per dictum conſilium Ancharani 220. incip. *Hæc quæſtio*, & Socinus *conſil.* 64. *lib.* 1. 2.

*adde Caualer. dec. 504. num. 13.

3.
† de hoc art. latè infrà deciſ. 469.

Et hanc ipſam deciſionem locum habere Domini voluerunt quantum ad bona ſita in locis annexis territorio Peruſino, propter eandem rationem: nam quantum ad bona extra * territorium exiſtentia, an ad illa quoque, D. Alphonſina foret reintegranda, † particulariter videre voluerunt.

* de hoc artic. infrà deciſ. 493.

† Vide Put. 10. incip. ſtatutum, tit. de conſt.

---

## *Bononien. pecuniaria.*

### Die Lunæ 13. Martij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Citatio debet fieri perſonaliter in actibus præiudicialibus.*

3 *Citatio domi facta non prodeſt, niſi quando principalis, aut eius legitimus Procurator inueniri non poteſt.*

4.5 *Mandatum vt valeat, debet eſſe in forma, aliàs non prodeſt.*

## DECISIO CCCCXXXV.

DIe 13. Februarij proximè præteriti, quando vtraque parte informante propoſueram 1.
iſtam cauſam; quia informantes plus ſatis intricatæ factum narauerant, dictum fuerat, taxationem expenſarum in ſcutis 110. & decretum
pro ſcutis 50. potuiſſe tanquam valida ſuſtineri. 2.

Hodie tamen, cum quibuſdam præſuppoſitis in facto verificatis, & cum partibus concordatis, dubio iterum propoſito, Domini nulla, & inualida fuiſſe cenſuerunt, prima ex defectu legitimæ citationis, quæ fuerat executa domi, * dimiſſa copia, cùm tamen ex communi ſtylo, & obſeruantia ex quo R. P. D. Carreto per reſcriptum Apoſtolicum commiſſa fuerat cauſa, perſonaliter fieri debuiſſet. *l. de vnoquoque. ff. de re iudic.* in actibus enim præiudicialibus perſonaliter fieri debet citatio, † nec prodeſt ad domum facta, niſi in ſubſidium, quando principalis, aut eius legitimus Procurator haberi non poteſt. *cap. cauſam, de dolo, & contum.* vbi gloſſ. Decius *conſil.* 460. *num.* 30. notant Innocent. *in cap. ſignificauit. de teſt.* Baldus *in l. vt perfectius, num.* 2. *verſ. niſi in fraude. C. de annali exception.* Vantius *tract. de nullit. ex defectu citationis, num.* 90. conſtabat autem in caſu propoſito, Procuratorem Annibalis Darneſij facilè reperiri potuiſſe, vt ei intimaretur citatio.

* & hæc citatio tunc afficit, quando præceſſit prima perſonalis, vt per Seraph. dec. 426. n. 4. & Mantic. deciſ. 232.



† adde ſuprà dec. 218. n. 4. & 368. n. 2. & 404. n. 2. Mant. dec. 5. n. 2. & infrà dec. 715. n. 5.

4. Aderat etiam defectus mandati in perſona Falciani, qui pro Capellinis comparuerat coram Dom. Carretto, contra Daineſium, qui planè defectus, cùm ſit vnus de ſubſtantialibus, reddebat * proceſſum nullum.

* adde Lud. dec. 264. n. 1. vbi latè annot. n. 5. & infrà deciſ. 652. n. 4.

Quem dixerunt Domini non debuiſſe ſuſtineri vigore litterarum miſſarum ad Falcianum per D. Iulium Capellinum, quia præterquam quòd fuerant in actis productæ, lacratæ & ſatis
5. incompetenter ſcriptæ, dicebatur etiam, facilè hac via poſſe aditum patere fraudibus, vigore ſimilium litterarum poſt ſententias latas, & decreta facta in actis productarum proceſſus ſuſtinerentur, cùm antidatæ vitio facilè laborare poſſint.

6. Poſtremò, de nullitate decreti pro ſcutis 50. ex defectu iuriſdictionis conſtare dicebatur ex quo D. Carrettus contra formam ſententiarum, & rei iudicatæ, quarum executio ſibi fuerat demandata, decreuerat illud exequi contra perſonam Daineſij, cùm ſententiæ * ſuper bonis hæreditariis Thomæ, & Franciſcæ executionem fieri iuberent, in hoc enim fines mandati excedendo, inualidè proceſſerat. † *l. fin. de iuriſdict. omn. iud. l. in hoc iudicio. ff. familiæ herciſcun. l. diligenti. ff. de mandati.*

*& executio facta in re diuerſa ac eſt in ſententia eſt nulla. Ludou. deciſ. 555. n. 3. & 4. Caual. deciſ. 226. n. 2.

†adde Mant. dec. 303. & dec. 18. n. 12.

---

## *Ouetenſis Abbatiæ de Tunon.*

### Die Lunæ 3. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Ius patronatus acquiritur ex dotatione, & fundatione.*

3 *Quod fallit in monaſterialibus, ſeu conuentualibus.*

4 *Electio ſuperioris in conuentualibus pertinet ad Conuentum, non ad fundatorem.*

5 *Fundator laicus Eccleſiæ collegiatæ, aut conuentualis, non habet ius eligendi ſuperiorem, niſi in ipſa fundatione à Pontifice per ſpeciale priuilegium ei concedatur, & num.* 14.

6 *Electio ſuperioris in Eccleſia conuentuali, vel collegiata, poteſt pertinere ad Patronum ſi probetur immemorabilis cum fama priuilegij.*

7 *Ius patronatus, cùm ſit ſpecies ſeruitutis, non præſumitur, niſi probetur.*

8.9 *Ius præſentandi Rectorem poteſt præſcriptione acquiri.*

10 *Incapacem ab initio, non poteſt conſuetudo capacem efficere.*

11 *Ius patronatus vt probetur, neceſſe eſt probare Patronum conſenſiſſe in electione.*

12 *Sedes Apoſtolica poteſt præſcribere aduerſus ius patronatus Regium, libertatem benficiorum.*

13 *Beneficia ex ſua primæua ſtatus diſpoſitione ſunt reſeruata Pontifici, & Epiſcopis.*

15.16. *Reges Hiſpaniæ ex præſcriptione, & indultis Apoſtolicis habent ius præſentandi, tam in Cathedralibus, quàm in collegiatis, & num.* 20.

17 *Reges Catholici tenentur defendere libertatem, immunitatem, & bona Eccleſiarum, & beneficiorum.*

18 *Epiſcopos eligere in Eccleſiis Hiſpaniæ, pertinet ad Regem Catholicum.*

19 *Conſilium Regum in electionibus petendum eſt, non ex neceſſitate, ſed ex honeſtate.*

21 *Regaliæ iura admittuntur à Romano Pontifice, quatenus non ſunt contraria Eccleſiaſticæ libertati.*

22 *Regaliæ iura ſpatio centum annorum per non vſum amittuntur.*

## DECISIO CCCCXXXVI.

MAndauit Sanctiſſimus Dominus Noſter, vt die 3. Aprilis, videretur in Rota, an Sereniſſimo Domino Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico competeret ius præſentandi ad Abbatiam de Tunon, quæ nunc eſt dignitas inſignis in Eccleſia Ouetenſi, & re maturè diſcuſſa, & diligenter libratis rationibus, quibus pro parte Catholicæ Maieſtatis ius prætendebatur, Auditores numero decem, qui præſentes diſcuſſioni cauſæ interfuerant, nemine diſcrepante cenſuerunt, ius præſentandi ad dictam Abbatiam Regi Catholico non competere.

1.
Electionibus Epiſcoporũ, nunquam ſe immiſcuerũt Principes ſeculares, vt tradit Greg. Toletanus lib. 1. Decret. tit. de elect. c. 5. vide Anton. Auguſt. in epitome iuris Pontificij lib. 10. tit. 10. & 11.

* Garcia de ben. 7. p. c. 10. n. 14. refert Reges Hiſpaniæ ex indulgentia Adriani VI. habere ius præſentandi Abbates, & alios præfectos Eccleſiarum tam ſecularium quàm regulariũ in ſuis Regnis, teſte Nauarr. & Rodriquez, quos ipſe refert.

Quamuis enim admitterent, illam olim à Rege Alphonſo magno fundatam, * & dotatam fuiſſe, vt præ cæteris teſtabatur Ambroſius Morales *lib.* 15. *cap.* 21. *Chronicorum Hiſpaniæ*; de hoc enim non putauerunt Domini admodum ſollicitè diſquirendum, cùm informantes pro Catholica Maieſtate confiterentur, eam Abbatiam fuiſſe monaſterium Regularium; licèt regula ſit ex fundatione, & dotatione fundatorem † acquirere ius patronatus. *cap. filijs* 16. *quæſt.* 7. *cap. Abbatem* 18. *quæſt.* 2. *gloſſ.* & Doct. communiter *in cap. piæ mentis* 16. *quæſt.* 7. gloſſ. & Doctores *in cap. nobis, de iure patron.* & alibi ſæpe, ea tamen in Eccleſiis monaſterialibus, ſeu conuentualibus locum non habet, * in his enim fundatori non acquiritur ius in electione ſuperioris. † *dicto cap. nobis, de iurepatronat.* vbi gloſſ. *in verb. niſi aliter.* & *ibi* communiter Canoniſtæ, *cap. ſacroſanctæ, & cap. Maſſana, de elect.* nam quamprimum Eccleſia conuentualis fundata, & erecta eſt, electio ſuperioris, Abbatis ſcilicet, aut Prioris pertinet non ad fundatorem, ſed ad Conuentum. *cap.* 1. *de elect. cap. congregatio* 16. *quæſt.* 7. *cap. nobis.* vbi Abbas, *num.* 9. *de iure patronatus, & in cap. de hoc, num.* 10. (vbi loquitur in Rege) *de ſimon.*

2.
† Rot. recen. p. 1. dec. 53. n. 1. & part. 2. dec. 311. Seraph. deciſ. 1353. n. 5.

3.
* adde Rot. recen. part. 2. dec. 421. n. 1. & 2.

† adde Caual. dec. 265. n. 6. & 7. & dec. 321. n. 1. & deciſ. 336. num. 1.

4.
Neque fundator laicus poſſet prætendere ius eligendi, aut præſentandi ſuperiorem in Eccleſia conuentuali, aut collegiata, niſi in ipſa fundatio-
5. ne * à Romano Pontifice, per ſpeciale priuilegium id ſibi fuiſſe conceſſum, oſtenderet, gloſſ. *in dicto cap. nobis, in verb. niſi aliter. verſ. vel expone, de iurepatronat.* vbi Hoſtienſis *num.* 2. *verſic. quia non puto*, Ioannes Andr. *num.* 9. Abbas *num.* 9. Mohedanus

*adde infrà deciſ 443. n. 14. & Seraph. dec. 1305. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

hedanus *deciſ.*340.aliàs 10.*num.*2.*de iurepatronat.* Abbas *in d. cap. de hoc, num.* 10. *de ſimon.* & fuit deciſum in cauſa Regien. Pioratus coram R. P. D. Pamphilio. Aut niſi probaretur immemorabilis cum fama priuilegij, vel oſtenderentur
6. præſentationes per tantum temporis ſpatium, vnde poſſet præſumi, in ipſa fundatione à Papa fuiſſe fundatori conceſſum priuilegium, nam in primo caſu difficultas omnis ceſſaret ex oſtenſione ſpecialis priuilegij; in ſecundo verò ex immemorabili temporis decurſu, & fama priuilegij cum exiſtentibus præſentationibus, quæ effectum ſortitæ forent, orietur legitima præſumptio ad credendum in ipſo limine fundationis interueniſſe Apoſtolicum priuilegium; iſtis verò ceſſantibus locum eſſe regulæ ſupradictæ fundatæ in maxima pietate fundatoris, volentis
7. conſtruere quidem,& dotare Eccleſiam,eamque vt gratius fieret Deo obſequium, liberam relinquere voluiſſe, nec iuriſpatronatus onere grauare decreuiſſe, præſertim cùm in dubio,ius patronatus, (quod eſt quædam ſpecies ſeruitutis) non præſumatur. * Innocen.*in c.cùm venerabilis, in fine,de except.* Decius *conſil.*117. *num.*1.

*adde infrà dec.449.n.2. & Seraph.deciſ.1353.n.2.

Neque ab hac ſententia erat recedendum ex
8. illo fundamento, quòd præſcriptione poſſit acquiri ius præſentandi Rectorem,vel Abbatem in Eccleſia collegiata,Ioannes Andreas *in cap.quod alicui, num.*2. *de regul. iur. lib.*6. cuius ſententiam teſtatur eſſe communem Abbas *in cap. querelam, num.*9.*de elect.*quæ maximè locum habent,quando Eccleſia fuit à laico dotata,vel conſtructa,vt poſt alios cenſuit Gouarr. *in cap. poſſeſſor. part.*2. §.10.*num.*3. *de regul.iur.lib.*6.

9. Quoniam cùm laicis,ſaltem in hoc, ius commune Canonicum reſiſtat,ſunt enim iurium ſpiritualium incapaces. *cap. Maſſana, & cap.Sacroſancta, de elect. cap. cauſam, de præſcript.* Abbas *in dicto cap.querelam num.*9. *de elect.* & fuit deciſum in cauſa Toletana iuris nominandi die 28. Ianuarij 1583. ideo præſcriptione non poteſt tale ius acquiri. Ioannes Andreas *in cap.* 2. *num.*16. *præben.lib.*6. Zabarella *conſ.*57.*num.*2. Caſſanæus *ad conſuetud. Burgun. rubrica.*1. §. 2. *in verb. & là preuue, num.*12.notat gloſſ. *in dicto cap.Maſſana, in verb.conſuetudine, de elect.* Aluarus Pelagius *de planctu Eccleſiæ lib.*1.*cap.*56. Abbas *in cap.de hoc, num.*10.*de ſimonia,* quam ſententiam teſtatur eſſe communem Couarr.*in dicta reg. poſſeſſor, part.* 2. §.10.*num.*3. qui licèt *num.*4. contrariam opinionem profiteatur in eo,qui dotauit, vel fundauit Eccleſiam, ac idem quoque ſentiant Boërius *quæſt.*5.& Ioannes Lopez *in introduct.ad rubricam de donationib. inter virum, & vxor. num.*25. & 26. tamen nullum habent probabile fundamentum, & ratio quæ pro alia ſententia ſtat, validiſſima
10. eſt,& firmiſſimè munita: quia ſi dotans,vel fundans ab initio eſt ipſo iure incapax acquiſitionis iſtius iuris eligendi, quod eſt ſpirituale, ſola temporis antiquitas, & conſuetudo non poteſt illum capacem efficere. Præpoſitus *in cap. imperium num.*4. *verſ.infertur ſecundo,diſt.*10. Aluarus Pelagius *lib.* 1. *de planctu Eccleſiæ cap.* 56. *circa finem, verſ. ſi autem talis collatio.* & Ioann. Lopez *num.* 27.

Rurſus dicebatur, quòd tametſi in propoſita facti ſpecie admitteretur præſcriptio iuxta opinationem Doctorum proximè relatam, ea non
11. poterat applicari ad hunc articulum, cùm notum eſſet, per ſpatium centum annorum Reges Catholicos non præſentaſſe, neque in reſignationibus de iſta Abbatia factis fuiſſe adhibitum eorum conſenſum, qui tamen fuiſſet neceſſarius ſi ius patronatus habuiſſent. Puteus *deciſ.* 412. incip.*Fuit reſolutum,num.*2.*lib.*1.Rota *deciſ.*1.*n.*3. *de inſtit.in antiq.*

Illud quoque ſatis improbabile,& nimis durè 12.
dictum putabatur,Sedem videlicet Apoſtolicam aduersùs ius patronatus Regium,non poſſe præſcribere libertatem, etiam centenaria, & ducentenaria præſcriptione, id enim, & libertati beneficiorum, & Eccleſiæ fauori apertè repugnare videbatur, cùm per talem præſcriptionem beneficia ad primæuum libertatis ſtatum reuertantur, ac Epiſcoporum, & Romani in primis Pontificis diſpoſitioni reſeruentur, ad quem plena- 13.
ria illorum pertinet ordinatio. *cap.* 2. *de præben. lib.* 6. *Clement. per litteras,* & *ibi* gloſſ. *in verb. Apoſtolicis, de præben.* Zabarella *conſ.* 103. *num.* 1.

Centenaria enim præſcriptio nunquam in- 14.
telligitur excluſa, quamuis in aliqua diſpoſitione dicatur,nulla præſcriptione obſtante,*cap.*1.§. *præterea.* vbi gloſſ.*de capitul.Conradi in vſibus feudor.* gloſſ.*in verb. nulla, in Auth. vt de cætero commut.non fiant.*

Quod præterea indiſtinctè aſſerebatur,Reges 15.
Hiſpaniæ * ex capite, ſeu titulo iuris, & poſſeſſionis,ſiue præſcriptionis,& ex indultis Apoſtolicis habere ius præſentandi, tam in Eccleſiis Cathedralibus, quàm in Collegiatis. Couarr. *in dicta regula poſſeſſ.part.*2. §.10.*num.*4. & *in practicis,quæſt.cap.*36.*n.*4.diſtinctione temperandum videbatur, primum enim dicebant Domini, nedum Hiſpaniæ Regibus, ſed aliis etiam Catholicis Principibus de iure communi competere ius patronatus,quod in protectione,defenſione, honore, & ſimilibus conſiſtit, ratione ſolij, vt præter Alphonſum ſolum regularum Cancellariæ gloſſatorem *in regula* 40. *in fin.*obſeruarunt
Lambertinus *de iure patron.lib.*1.*part.*1. *quæſt.*11. 16.
*art.*2.*num.*3. & 4. quos refert, & ſequitur Didacus Perez *lib.*1.*ordinat.tit.*3.*l.*3. *verſ. quod tamen Regibus Hiſpaniæ*, hac enim ratione Reges, & Principes nedum dicuntur eſſe Patroni Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, ſed omnium præterea beneficiorum Eccleſiaſticorum, exiſtentium in dominiis, & Principibus ſuis, cùm omnium libertatem, & immunitatem, & bona protegere, & defendere teneantur; iſto enim modo dicuntur patroni, ideſt, 17.
defenſores, & protectores, non quòd de iure communi ad illa poſſint perſonas eligere, & præſentare. Abbas *in cap.de hoc num.* 10. *de ſimonia*, latè Præpoſitus *in cap. imperium, num.* 3. *diſtinct.* 10.

* de hoc iure in Noſtris Regibus Aragoniæ conſtat ex Noſtro erudititſſimo & diligentiſſimo Zurita tom. 1.ſuorum annalium lib.2. cap.51. en la vida del Rei D. Pedro el 2. in fine capituli.

* plures refert noſter ſapientiſſimus Aragonenſis Cenedo in coll. ad decr. collect.51.

Rurſus in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, tametſi Montaluus & Gregorius Lopez
*part.*1. *tit.*5.*lib.* 18. Didacus Perez *lib.*1. *ordinat.* 18.
*tit.* 3.*l.*3. cenſuerint, poteſtatem eligendi Prælatum penes Reges eſſe, * ratione iuriſpatronatus † acquiſiti ex fundatione, & dotatione, & ex eo quòd multo ſubditorum ſanguine fuſo, & maximis laboribus ex vniuerſa Hiſpania infideles Mauros expulerunt, eamque antiquam conſuetudinem defendere nitantur, tandem ad id quod certius, & tutius eſt, recurrentes, ex priuilegio, & conceſſione

† de hoc art. plura tradit Barboſ. & ab eo relati in Paſt. tit.1. c. 3. n.7. & 29. & latiſſimè de vniuerſo iure Eccleſ. lib. 1. cap. 8. num.74.cum pluribus ſeq.



Apoſtolica id Regibus competere concludunt, quod clariùs patefacit D. Garſia Loaiſa *in notis Concilij Toletani XII. c.*6. vbi ait,ſtudium,& laborem eligendi viros Epiſcopatibus præficiendos penes Reges tempore Gothorum fuiſſe, idque Romanorum Pontificum indulgentia vſque ad hæc tempora penes Hiſpaniæ Reges reſidere; omnia enim quæ circa rem hanc olim fiebant, ex conceſſione Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis fiebant, in quo ſenſu (inquit) accipienda eſt diſpoſitio *cap. cùm longè* 63. *diſtinct.* quod eſt ſumptum ex Concilio Toletano XII.*cap.*6.

Vnde cùm non oſtenderetur iſta Abbatia de Tuñon,ſub iſtis indultis comprehenſa,neque de ſpeciali priuilegio conceſſionis iuriſpatronatus in eius fundatione doceretur,libera eſſe videbatur,quod maximè libertatem demonſtrabat longiſſimi temporis diſcurſus, quo Romani Pontifices de ea tanquam libera abſque vlla iuriſpatronatus Regis derogatione diſpoſuerunt, quod aliàs in caſu ſimili fuiſſe deciſum coram Mohedano tunc Rotæ Auditore, contra præſentationem factam à glorioſæ memoriæ Carolo V.Imperatore de anno 1538. ad Prioratum de Armeliano teſtator Puteus *deciſ.*579. incip.*In vna Elnen.Priuratus, lib.*2.

Verallus deciſ.84.p.2.

Decius conſ. 126.n.3.

19. Quibus non obſtant decreta quædam Canonica,indicantia exigendum eſſe Regum conſenſum in iſtis electionibus,quoniam nunquam ille requiſitus eſt tanquam neceſſarius, ſed potiùs de honeſtate, & poſt electionem factam. *cap. cùm terra, de electione*, vbi notat Abbas & Imola *num.*2. & rurſus *in cap.nobis, de iure patronat.* Decius *in cap.nullus num.* 30. *de electionib.* & Gregorius Lopez *in l.*18. *tit.*5.*partita* 1. *in verb.antigua coſtumbre.*

20. Ad Archidiaconum & Geminianum *in cap. lectis.*63.*diſt.* & Baldum *in cap.quanto, de iudic.* & *in proœmio Decretal.* & alios Doctores aſſerentes,Reges eſſe Patronos Eccleſiarum Cathedralium,reſpondebatur,eorum dicta eſſe intelligenda largè,reſpectu protectionis, *cap.Principes,* 23. *quæſt.*5. Præpoſitus *in cap. imperium, diſt.*10. non reſpectu veri iuriſpatronatus,quo poſſunt ad Eccleſias præſentare ſecluſo Apoſtolico priuilegio, per quod nominatas perſonas Romano Pontifici offerunt eligendas, nec ſine priuilegio Apoſtolico poſſet ſuſtineri contraria conſuetudo. Ioannes Lopez *tract. de libertate Eccleſiaſt. quæſt.* 14.*num.* 4. & *ſeq.* Lambertinus *de iur. patron.*2. *art.*11. *quæſt.*1. *part.lib.*1. *num.*4.

Poſtremò iuri regaliæ non erat locus, quia licèt iſto iure legitimè Regibus competerent multa priuilegia à nonnullis commemorata, quæ quatenus in his, quæ ad res Eccleſiæ per-
21. tinent, tolerantur à Pontifice Romano, quatenus non ſunt contra Eccleſiaſticam libertatem, id ius regaliæ in caſu propoſito ſpatio annorum
22. centum euanuiſſe dicebatur, cùm vltra centum annorum metas non prætendatur, gloſſ. *in l.*1. *in verb. ſpatium. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Lancellotus, Decius *in l. nemo poteſt, circa finem, de legat.* 1. quos refert & ſequitur Arnulphus Ruzeus *in tract. de iure regaliæ, priuilegio* 42. *num.* 14. *verſic. vnum tamen non eſt omittendum.*



## *Marſicana, ſeu Sorana beneficij Sancti Eliæ.*

### Die Veneris 7. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Sententia abſolutoria rei ſecum offert executionem eius.*
3 *Actor tenetur iuſtificare titulum, virtute cuius petit contra poſſeſſorem reum, etiam ſi contra eum iam obtinuerit ſententiam.*

### DECISIO CCCCXXXVII.

PEtebat coram me Franciſcus de Vendictis 1.
prouiſus de Eccleſia Parochiali S. Ioannis executionem ſententiæ in Rota latæ anno 1579. contra Angelum Florium reum, & poſſeſſorem beneficij S. Eliæ. Vnde cùm dubitaſſem, an illa ſententia, quæ tranſiuerat in iudicatum, eſſet executioni mandanda, Rota negatiuè pronuntiauit; nam cùm Benedictus Manſius, qui ſententiam ad ſui fauorem obtinuerat, fuiſſet abſolutus, propterea quòd Angelus non iuſtificauit gratiam ſuam, ideo Benedictus cùm eſſet poſſeſſor, * obtinuit per non ius Angeli ſimplicem ſententiam abſolutoriam, quæ mox ſecum traxit ſuam executionem.

* adde Caual.dec.606. n. 11. & 13. & deciſ 630. num. 1. & 2. Cocc. deciſ. 158. n.1. Seraph. deciſ. 871.n.5.

At cùm Angelus modò eſſet reus,& poſſeſſor, † opus erat, quòd Franciſcus iuſtificaret vnionem, cuius vigore prætendebat ſibi deberi beneficium.

De vnione autem non conſtabat ex eo, quòd 2.
nec teſtes probabant immemorabilem, nec ap- 3.
parebat de aliquo titulo vnionis, vt fuerat in Rota in hac cauſa deciſum,ad Felin.*conſ.*2.*n.*14.

* qui nihil tenetur iuſtificare, Dur. dec.208.n.5. vbi alias deciſ. allegat, Cocc. deciſ. 259.n.4.

## *Peruſina executionis.*

### Die Lunæ 10. Octobris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Exemplum exempli ſcripturæ non facit fidem. quod fallit, vt num.*3.
4 *Citata parte ad contradicendum, ſi non contradixerit, videtur approbaſſe quod ei defertur.*
5 *Fides adhibetur copiæ inſtrumenti, ſi pars non opponat aliquid contra eam.*
6 *Scripturam approbare dicitur, qui obſeruat pacta in ea contenta.*
7 *Proteſtans debet perſiſtere in omnibus actibus, ne ſibi præiudicet.*
8 *Notario aſſerenti,fuiſſe appellatum prout in cedala, creditur.*
9 *Parte non opponente contra ſcripturam, ſed in ea acquieſcente,tacitè videtur eam approbare.*
10 *Inſtrumentum originale ſi producatur in proceſſu, in quo erat copia, perinde eſt,ac ſi de illa principio conſtitiſſet.*

### DECISIO CCCCXXXVIII.

IN hac propoſitione vtraque parte informan- 1.
te dubitaui,an eſſet ſtandum, vel recedendum

* ſuprà deciſ.369.

à deciſis die 2. Maij, * & 8. Iulij 1594. quando informante ſolo D. Mareſcoto concluſum fuit ad eius fauorem cedulam, de qua agebatur, non fuiſſe authenticam, nec mereri fidem: & Domini recedendum à deciſis cenſuerunt, licèt 2. enim regula ſit, * exemplum exempli, ſiue copiam copiæ non facere fidem, quamuis à multis Notariis ſit confecta. Verallus *deciſ.* 234. incip. *Copia copiæ num.* 1. *part.* 1. Decius *in Authent. ſi quis in aliquo, num.*8. *C.de edendo*; ab illa tamen receditur, quando concurrunt adminicula, & ve- 3. riſimiles †coniecturæ, quibus iudicis animus inducatur ad dandam fidem copiæ, Verallus *dicta deciſione* 234. *num.* 1. & fuit reſolutum coram R. P. D. meo Blanchetto in vna Firmana beneficij die 3. Iunij 1594.

* adde Lud. dec. 550 n. 1. & infrà deciſ 646. n. 2. Cocc. deciſ. 466. n. 1.

* adde Seraphin. deciſ. 1192. n. 2.

In caſu propoſito, pro adminiculis reperiebantur multi actus poſitiui, quibus non obſcurè ſuadebatur, copiæ illi productæ adhibendam fidem, quamuis enim pro parte Dominorum de 4. Mareſcottis eſſet proteſtatum, ſe velle ſtare copiæ non ſimpliciter, ſed cum certa conditione, & qualitate, videlicet quatenus eſſet ſcripta, & ſubſcripta manu Notarij rogati, & concordata cum originali, ex quo tamen poſtea in illius productione citata ad dicendum contrà, non contradixit, videbatur illam approbaſſe Alexander *conſil.*185.*n.*14. *lib.*6. Rota *deciſ.*2. *de fide inſtrum. in nouis.* Puteus *deciſ.*159. incip. *In vna Caſalen. n.*2. *lib.*1. idem *in epitome deciſ.*4. *de fide inſtrum.* Parte 5. autem non opponente copiam inſtrumenti probare, * & iudicantem ei poſſe adhibere fidem, receptum eſt. Crauetta *conſil.* 150. *num.* 2. *verſic. ſimile videmus in copia.* idem *conſil.* 275. *num.* 3. *verſ. & quod petens.* Puteus *dec.*246. *num.* 3. *lib.* 3. Achilles *deciſ.* 2. *num.*7. *de offic. deleg.*

* adde Duran. dec. 74. num. 31.

Quibus non obſtabant illa verba proceſſus parte præſente, & in omnibus contradicente, ex illis enim non erat contradictum productioni: cùm enim locumtenens A.C. poſtquam in loco iudicij Notario fuiſſet exhibita copia inſtrumenti, remiſiſſet terminum ad domum, in domo non fuit ampliùs actus de productione, cùm plura in citatione continerentur, ſolùm fuit actum de termini præfixione & aliis procuratore aduerſarij præſente, & in omnibus contradicente, præterquam productioni quæ iam facta fuerat. Rurſus ex eo etiam ſatis conſtabat, noluiſſe contradicere productioni, quia ſolùm oppoſuit, nolle ſtare ſimplici copiæ, niſi cum originali collatæ, & manu Notarij ſubſcriptæ, non conſtabat autem, copiam non habuiſſe iſtas qualitates.

Concurrebat præterea obſeruantia * illorum, quæ in prædicta copia continebantur, quam oſtendebant plures actus geſti à Comite Raynutio, nempe electio peritorum, interpellationes pro obſeruandis promiſſis ab Aſcanio, expreſſa ratificatio eiuſdem Comitis inſtrumenti dotalis, per quam ſeparatum obtulerat adimplere omnia in eo contenta; qui enim obſeruat pacta in aliqua ſcriptura comprehenſa, ſcriptu- 6. ram approbare cenſetur. Calcaneus *conſil.* 22. *num.*8. Decius *conſil.*463. *num.* 19. Crauetta *conſil.*159. *num.*5. *verſ. ſicut dicitur*, præſumitur enim facere, vigore ſcripturæ continentis ea pacta, & conuentiones, argument. *l. ad rem mobilem. ff. de procuratorib.* Crauetta *conſil.*174. *num.*2.

* quæ inducit ratificationẽ actus, vt per Caual. dec. 61. n. 5.

7. Præterea cùm poſt factam copiæ illius productionem, nihil fuerit oppoſitum, (vt dictum eſt,) nec repetita proteſtatio in ſingulis actibus, ideo non proteſtans meritò ſibi videbatur præiudicaſſe. * Mohedanus *deciſ.*2. *de iudicijs.* Puteus *dec.*218. *num.*2. *lib.*2.

* adde Lud. dec. 44. n. 8. Seraph. dec. 502. n. 3. & deciſ. 1057. n. 2. & deciſ. 1169. n. 7. Coc. dec. 54. n. 4. & 169. n. 11. & aliàs ſæpe.

Conſiderabant etiam Domini, quòd in copia producta tempore citationis ad dicendum contrà, aderat ſubſcriptio Notarij, quia Notarius fatebatur illam ſibi fuiſſe exhibitam, cui in hoc videbatur credendum, præſertim tot adminiculis, & actibus poſitiuis concurrentibus, ſicut creditur Notario atteſtanti, fuiſſe appellatum prout in cedula, quam facto dedit, * licèt non reperiatur. Puteus *deciſ.*15. *de fide inſtrument.* 8.

† & idem eſt de atteſtatione iiurium productorũ per Duran. dec. 15. n. 5.

Quibus accedebat, quia ſi copia tunc producta non fuiſſet talis, qualis requirebatur, nec habuiſſet qualitates neceſſarias, non erat veriſimile, partem non fuiſſe illam impugnaturam, quæ cùm acquieuerit in copia, agnouiſſe putabatur 9. qualitates requiſitas; ſicut etiam præſumere oportet pro actus validitate. *l. quotiens. ff. de rebus dub.* Crauetta *conſil.* 52. *num.* 2. *& conſil.* 278. *num.* 2.

Et licèt Notarius fuerit negligens in copia illa qualificata producta cuſtodienda, non erat nunc infirmandum iudicium ſuper copia fundatum, præſertim cùm poſtea conſtiterit de publico inſtrumento dotali, quod omnem copiæ ſuſpicionem auferebat, cùm perinde eſſet, ac ſi 10. de illo à principio conſtitiſſet. Decius *in Authen. ſi quis in aliquo, num.* 3. *C. de edendo.*

---

## *Terdonenſis matrimonij.*

### Die Lunæ 10. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Sequeſtro locus eſt, pendente lite ſuper ſeruitio mariti.*

3 *Sequeſtro locus eſt non ſolùm in bonis, ſed etiam in perſonis, iuſta cauſa ſuadente.*

4 *Sequeſtratio vt fiat, eligendus eſt locus in quo nihil timeri poſſit, & vbi ſententia ſine contradictione exequi poſſit.*

## DECISIO CCCCXXXIX.

SAnctiſſimus Dominus Noſter, ad preces D. Hieronymi Adurni, in ſignatura porrectus, 1. ita reſcripſerat, Idem Auditor conſtito de bono iure oratoris, reiectis nullitatibus allegatis pro parte Claudiæ Valpergæ, & Claudia in aliquo Monaſterio, arbitrio Rotæ collocata, procedat vt petitur, & iuſtitiam faciat; quo reſcripto ſtante, dubitaui, an eſſet locus arbitrio Rotæ, ita vt D. Claudia eſſet ſequeſtranda: & Domini altera tantùm parte pro D. ſcilicet Adurno informante ſequeſtrandam cenſuerunt; cùm enim pro ipſo eſſent duæ ſententiæ in partibus latæ, quæ nondum fuerant in Rota reuocatæ, de eius bono iure præſumptiuè conſtare dicebatur; & D. Claudia illius vxor veniebat ſequeſtranda, nedum ex forma reſcripti, ſed etiam ex diſpoſitione iuris communis, iubentis pendente lite ſuper ſæuitia viri, mulierem ſequeſtrandam apud aliquam perſonam probam, & honeſtam, * vel aliquem locum religioſum. *cap. ex tranſmiſſa, & cap. litteris, de reſtit. ſpoliatorum*, Creſcentius *deciſ.* 3. *de ſequeſtrat.* Imola *conſ.* 125. *num.* 2.

* adde infrà deciſ. 497. & Duran. deciſ. 262. n. 1.



Nam licèt textus *in cap. ex tranſmiſſa*, non dicat de Monaſterio, ſed ſolùm quòd debeat cuſtodienda dari alicui honeſtæ matronæ, tamen non excludit, quin poſſit poni in Monaſterio, vt *in eodem cap. num.* 9. *verſ. item poterit poni*, prudenter Antonius de Butrio annotauit, quia ratio principalis textus eſt, quòd mulier in loco tuto conſtituatur.

2. Lite enim pendente, & iuſta cauſa ſuadente, non modò res, ſed perſonas etiam ſequeſtro committi poſſe, explorati iuris eſt. *l. ſi hominem, & l. fin. ff. depoſiti.* Tiraquellus *in l. ſi vnquam, verſ. donatione largitus, num.* 323. *C. de reuocand. donat.*

Quoniam verò, ex iuris diſpoſitione is locus deligendus eſt, in quo nihil timeri oporteat, & ſententia executioni ſine contradictione demandari poſſit, *dicto cap. cùm locum, de ſponſalibus*, Puteus *deciſ.* 249. *lib.* 3. in caſu propoſito viſum eſt Dominis, Claudiam in aliquo Monaſterio, in ciuitate Alexandriæ, opportunè ſequeſtrari poſſe, nam ſtante reſcripto Sanctiſſimi, non erat apud honeſtas matronas deponenda.

---

## *Romana hæreditatis de Anguillaria.*

### Die Veneris 14. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Articuli vt dicantur pertinentes ad cauſam, ſufficit, ſi quomodocumque, etiam leui præſumptione adminiculentur cauſæ principali.*

3 *Articuli ſi pertinent ad cauſam, etiamſi crimen contineant, non ſunt reſecandi.*

4 *Articuli cùm non ponuntur per modum obiectus, ſed ad alium finem, debet iſte attendi, vt non deleantur.*

## DECISIO CCCCXL.

1. DVbitaui, an quidam articuli dati pro parte D. Flaminij de Anguillaria, quibus articulabatur, D. Æmiliam Vrſinam, cuidam famulæ D. Auerſi ſui ſecari vulnus intuliſſe, & publicè præterea aliquando dictum, quendam Marcum Raguſeum tormento manuario fuiſſe grauiter ictum ad inſtantiam D. Æmiliæ, tanquam impertinentes, & delictum continentes venirent in cauſa ciuili reſecandi, & Domini non reſecandos, ſed quantum ad quædam verba nimis aſperè articulata, temperandos cenſuerunt: cùm enim continerent cauſam receſſus eorundem Virginij, & Camillæ coniugum à domo Auerſi, & acceſſus eiuſdem ſolius Virginij ad domum Auerſi patris, eo quòd ſuſpicatus fuiſſet, Marcum famulum, ad Æmiliæ vxoris inſtantiam fuiſſe vulneratum, propterea putabantur pertinentes, quoniam probati excludebant intentionem D. Æmiliæ, prætendentis, propter Auerſi ſæuitiam, & aſperitatem, Virginium receſſiſſe 2. de domo Æmiliæ; vt in domo paterna, ad fauorem fratrum faceret donationem, maximè cùm ad effectum, vt articuli dicantur pertinentes, ſufficiat ſi quomodocumque leui etiam præſumptione adminiculentur cauſæ * principali, Iaſon *in l. ſi duo. §. idem Iulianus, num.* 14. *ff. de iureiurand.* Bartolus *in l.* 2. *§. quod obſeruari, n.* 25. *C. de iureiurand. propter calumn.* Decius *conſ.* 162. *n.* 2. Andreas Gail *practicar. obſeruat.* &c.

* adde Ægidiũ dec. 274. & practicabilia Rotæ n. 141. quæ reperies in impreſſis diuerſorum in fine partis ſecundæ.

Nec propterea videbantur reſecandi, quòd continerent crimen, nam præterquam quòd articuli † etiam continentes crimen ſunt admittendi, * Speculator *tit. de poſitionibus. §. octauo, n.* 2. 3. *&* 3. dicebatur in hac cauſa non articulari diſpoſitiuè crimina, vel delicta ad effectũ pœnæ propter illa imponendæ, ſed ad alium finem, nempe ad oſtendendam cauſam voluntarij diſceſſus D. Flaminij, qui nec coactus, nec inductus ab Auerſo patre receſſerit, per aliquod tempus, è domo Æmiliæ vxoris, vt apud patrem moraretur, itaque quamuis enunciarent delicta, non diceban- 4. tur articulari per modum obiectus, cùm ad alium finem, qui attendi debet, *l.* 1. *& l. quod agitur ff. de auctorit. tutor.* deſtinarentur.

† articuli criminoſi quando debeant admitti, vide practicabilia Rotæ vbi ſuprà n. 148.

* & etiam continentes iniuriam quando fit ad tuendum ius, vt per Durand. dec. 242 n. 7. & adde Rotam rec p. 2. dec. 660. n. 2.

---

## *Compoſtellana præſtimonij, in qua procedebatur per Audientiam contradictarum.*

### Die Veneris 17. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Vnio prima beneficij effectus ſortita, non poteſt reuocari per ſecundam, niſi adhibita cauſæ cognitione, & reuocata prima.*

3 *Citatio partis de cuius præiudicio agitur, eſt neceſſaria, vt procedatur legitimè in cauſa.*

4 *Vicarius generalis Epiſcopi ſine ſpeciali mandato beneficia vnire non poteſt.*

5 *Vnio beneficij non poteſt fieri à Prælatis, Epiſcopo inferioribus.*

6 *Vnio obſeruata per* 40. *annos, præſumitur legitimè facta ab eo, qui habebat poteſtatem vniendi.*

7 *Epiſcopi tolerantia in vnione inducit præſumptionem validitatis eius.*

8 *Epiſcopi munus eſt, ſingulis annis diœceſim viſitare, & titulos beneficiorum exquirere.*

## DECISIO CCCCXLI.

PRæſtimonium oppidi de Lodoño, Compoſtellan. diœceſis, quod anno 1533. à Vicario 1. Compoſtellan. fuerat vnitum Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Mariæ del Campo ob illius paupertatem, & ab ea vigore vnionis pacificè poſſeſſum, Ferdinandus Galan, Rector Eccleſiæ Sancti Petri eiuſdem oppidi, in quo id præſtimonium conſtitit, ab officiali Compoſtellan. ann. 1585. ſuæ Parochiali ob paupertatem vniri obtinuit; nam licèt Procurator Collegiatæ, antiquam vnionem allegaſſet, officialis feſtinatò proceſſu, non reuocata præcedente vnione, nec adhibita cognitione ſuper diſſolutione primæ vnionis diſſoluendæ, Parochiali vniendum pronunciauit, cauſa in Rota commiſſa, pro parte Collegiatæ, dubitaui, an ſententia Vicarij fuerit nulla, & collegiata veniret manutenenda? Et

Domini cenſuerunt, ſententiam fuiſſe inualidam,& manutenendam collegiatam. Cùm enim prima vnio effectum foret ſortita, non potuit
2. idem beneficium iterum vniri, * niſi adhibita cauſæ cognitione, diſmembratio prima vnionis præceſſiſſet, *cap. fin. de elect. lib. 6. cap. 1. in fine, ne Sede vacante*, Rebuffus *in praxi tit. de reuocat. vnion. num. 15. & 25.*

* Caual. dec. 373. n. 1. & 2.

3. Oportebat etiam citare Collegiatam * legitimè actum, ſententia Vicarij, cum omnibus inde ſecutis fuit nulla. *cap. 2.* vbi Geminianus *n. 4. de dolo, & contum. lib. 6. Clem. ſæpe. §. & quia.* vbi gloſſ. *in verb. ad id.* & *ibidem* Cardinalis *n. 9. notab. 16.* & Imola *n. 48. de verbor. ſignif.*

* vnio enim non poteſt fieri ſine cõſenſu poſſidentis beneficium, Seraphin. deciſ. 1459. n. 13. & dec. 1078. nec ſine conſenſu Capituli, Rota recen. p. 2. dec. 455. n. 5. & 6.

Non obſtabat prætenſa inualiditas primæ vnionis, ex eo quòd non conſtabat Vicarium qui fecerat vnionem, habuiſſe facultatem vniendi, cùm Vicarius generali, ſine ſpeciali mandato
4. beneficia vnire † non poſſit. Gemin. *conſ. 38.* incip. *Pro clariori, num. 10. verſ. nam Vicarius Epiſcopi.* Puteus *deciſ. 53.* incip. *In vna Calagurritana, lib. 3.* Petrus de Peruſio *tract. de vnione Eccleſiarum, cap. 4. num. 32.* quam ſententiam ſæpe Rota tenuit, vt in vna Barchinonen. Hebdomadariæ die 1. Iulij ann. 1583. coram D. de Rubeis, tunc
5. Rotæ Decano; vnio enim non fit à Prælatis Epiſcopo inferioribus. *cap. ſicut vnire, de exceſſib. Prælat.*

† adde ſuprà dec. 30. n. 3. 4. & 15.

Quia reſpondebatur, quòd cùm vnio antiqua eſſet effectum ſortita, & obſeruata * per 40. annos & ampliùs, præſumebatur legitimè facta † ab illo, qui habebat ſufficientem poteſtatem vniendi; hîc enim concurrebat titulus cum legitimo temporis decurſu, Felinus *conſ. 2.*
6. *num. 14.* Cardinalis *Clement. 1. quæſt. 20. num. 18. de ſupplen. negligent. Prælator.* Romanus *conſil. 275. num. 2.* & fuit deciſum in vna Mutinen. * Capellaniæ die 2. Maij, & 9. Iunij ann. 1589. coram me.

* vnio ex quibus probetur, Lud. dec. 196. n. 2. & latè annot. n. 3.

† adde ſuprà dec. 337. n. 2. & 704. n. 2. Seraph. dec. 1432. num. 4. Rotam rec. p. 2. dec. 698. n. 3. & 222. n. 4.

Epiſcoporum præterea tolerantia inducebat præſumptionem pro validitate vnionis, cùm non eſſet veriſimile, eos tanto tempore toleraturos † fuiſſe eam vnionem, niſi legitimè facta
7. fuiſſet, cùm ex officio eis incumbat ſingulis annis * diœceſim viſitare, & titulos beneficiorum
8. exquirere. *cap. decernimus, 10. quæſt. 1. cap. inter cætera, de officio Ordin. cap. ſi Epiſcopus, eod. tit. lib. 6.* Paulus Fuſcus *lib. 1. cap. 2. de viſitatione Eccleſiar.* Gemin. *conſ. 87.* incip. *Apparet quædam vnio, n. 2. verſ. corroboratur.*

* ſuprà in dicta dec. 30.

† adde Seraphin. dec. 1127. n. 3. & 1272. num. 3. Rotam rec. p. 2 dec. 724. n. 3. & infrà dec. 638. n. 8.

Cùm ergo prima vnio remaneret valida, neceſſariò erat Collegiata manutenenda, quæ à tempore vnionis reperiebatur in poſſeſſione. *§. retinendæ, Inſtit. de interdictis.*

* adde Seraphin. dec. 1008. n. 5.

---

## *Calagurritana iuris ſepeliendi.*

### Die Lunæ 18. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Sepulcrum eſt quid religioſum, & ideo nullius in bonis.*

3 *Religioſum dicitur ſepulcrum, & ideo extra hominum commercium nec poſſideri ab aliquo dicitur.*

4 *Sepeliendi ius eſt acquiſibile, & ideo qui illud habet, poteſt prohibere, ne alij ſepeliantur in ſuo ſepulcro, extra eos ei bene viſos.*

5 *Sepulcrum aliud eſt familiare, aliud hæreditarium, in primo poſſunt ſepeliri qui illud conſtruxerunt, in ſecundo hæredes ſolùm.*

6 *Lite pendente in iure ſepulturæ, quamuis cadauer inferatur in ea, non ex eo remouetur depoſitum in illa factum.*

## DECISIO CCCCXLII.

Martinus de Acha ann. 1504. teſtamento conſtituit, ne in Capella Sanctæ Annæ, quam in Eccleſia Beatæ Mariæ oppidi de Liqueito conſtruxerat, & ſepulturam in ea pro ſe, & Maria Ortiz ſua vxore delegerat, quiſquam ſepeliretur præter ſe, & ſuum hæredem, & vxorem, cui in eodem teſtamento conceſſit, vt ſuo arbitratu hæredes ſibi conſtitueret. Vnde Maria Ortiz anno 1511. vigore conceſſionis in teſtamento Martini ſibi factæ, tam in bonis Martini, quàm ſuis, hæredes inſtituit Martinum de Acha iuniorem, Martini ſenioris conſobrinum, & Mariam Perez conſobrinam teſtatricis, adiecta conditione, vt matrimonio copulati ſuccederent in dicta Capella, & bonis teſtantium, & domo de Guilliſtegui; quibus conditionibus adimpletis, Martinus iunior ann. 1521. ex tribus liberis quos ex prædicto matrimonio ſuſceperat, Martinum Martinez, & Mariam hæredes inſtitutos inuicem ſubſtituit, & in maioratu fundato, in quo & domus, & Capella continebantur, præterita Anna Perez, tertia filia minore, iterum legem fixit, ne alius, quàm ſucceſſor in eo ſepeliri in Capella poſſet, tunc defuncto Martino Martinez in pupillari ætate, Maria eius ſoror, vigore reciprocæ ſubſtitutionis, & in hæreditate paterna, & ſignanter in Capella ſucceſſit; initis deinceps quibuſdam tranſactionibus, & diuiſione bonorum, tandem Mariana de Artieta, filia Mariæ Iniguez in domo de Guilleſtigui, ac conſequenter in dicta Capella, quæ matri obtigerat, ſucceſſit, in qua vigore maioricatus, nemo alius quàm poſſeſſor dictæ domus ſepeliri poterat; cæterùm, quia Maria Perez, Annæ filia prætenderet, eius matrem, quæ extra dictam Capellam fuerat ſepulta, ad eandem Cappellam fuiſſe transferendam, & ordinarius Calagurritanus anno 1584. corpus Annæ in ſepultura dictæ Capellæ, ſine præiudicio tamen iurium, deponendum cenſuerat, & ab eo decreto D. Mariana appellauerat, dubitaui, an Mariana eſſet manutenenda in poſſeſſione dictæ Capellæ, & iuris ſepeliendi in ea, priuatiuè quoad Annam, & alios, & depoſitum foret reuocandum. 1.

Domini verò, Marianam priuatiuè quoad alios manutenendam, pronunciarunt, depoſitum autem non eſſe amouendum cenſuerunt.

Quamuis enim ſepulchrum ſit quid religioſum, & quia in nullius bonis eſt, extra hominum commercium eſſe dicatur, & ob id nec acquiri ab aliquo, nec poſſideri poſſit. *l. quamquam. ff. de aqua pluu. arcen. l. ſi ſepulchrum. C. de religioſis, & ſumptibus funer.* ius tamen, & vſus ſepulchrorum, ſiue ſepeliendi acquiſibilis eſt, ita vt qui acquiſiuit, in eo ſepeliri poſſit, ac cæteros, 2. 3.



4. teros, ne ibi ſepeliantur prohibere. * *l. 2. §. vſumfructum. l. familiaria, & l. ſequent. ff. de religioſ. & ſumptib. funer. l. ius ſepulcri. C. eod. tit.* Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Antonius de Butrio, & *ibi* Abbas *num. 5.* & communiter Canoniſtæ per *cap. abolendæ, de ſepult.* & fuit deciſum in vna Burgen. † Sanctæ Dorotheæ die 13. Februar. ann. 1579. coram Sanctiſſimo D. Noſtro tunc Rotæ Auditore, & in alia Pampilonen. * Sepulturæ die 4. Maij 1584.

* de hoc art. vide Ludou. deciſ. 145. & latè annot. & Coccin. dec. 291.

† habetur in impreſſis diuerſ. p. 1. dec. 492.

* habetur in impreſſis diuerſ. p. 1. dec. 787.

Hoc autem ex diſcrimine ſepulchrorum clariùs deducebatur, cùm enim quædam ſint familiaria, quædam verò hæreditaria, † in illis ſolis
5 de familia, quæ ſepulchrum conſtruxerat, ſepeliri poſſunt. *d. l. familiaria, ff. de religioſ. & ſumptib. fun.* in his autem ſoli hæredes, & ſucceſſores ius ſepeliendi priuatiuè quoad alios acquirunt, *dicta l. ius ſepulchri. C. de religioſ.* Molina *lib. 1. de Hiſpanor. primog. cap. 24. num. 4.* & latè Ioannes Baptiſta Aſinius *in d. l. familiaria. ff. de religioſ. & ſumptib. funer.*

† adde Lud. dec. 383. n. 4. & habetur in rec. p. 2. dec. 226.

Vnde, cùm in propoſito themate lis eſſet de ſepulchro hæreditario, in quo ex diſpoſitione Martini ſenioris, non alij quàm ipſe, & eius vxor, & ex inſtitutione Martini iunioris, non niſi hæres, & ſucceſſor in domo de Guilleſtigui ſepeliri poterant, in eâque domo Mariana ſucceſſerit, iure inferebatur, eam fuiſſe manutenendam priuatiuè quoad alios, etiam de eadem agnatione, aut cognatione, qui in dicta domo non ſuccederent.

6. Cæterùm, quamuis lite pendente cadauer fuiſſet in Capellam illatum; quia maiores noſtri ita olim cenſuerunt, remoueri depoſitam non placuit, Rota *deciſ. 8. vt lite pendente, in antiquis.* quam reperiuit Biſnietus *deciſ. 5. de appell.* Grammaticus *deciſ. 82.* incip. *Incidit ſermo, num. 3.* Francus *in cap. dilecti, il 3. num. 5. verſ. ſecundò limita, de appell.* & alij, quos refert Lancellotus *tract. de attentatis. part. 2. cap. 4. limitatione 13.* præſertim cùm Ordinarius Calagurritanus ſine præiudicio iurium ad Capellam pronunciauerit transferendum, neque reuocatio attentati ſimpliciter, & abſolutè ac in perpetuum cenſeatur prohibita, ſed donec conſtiterit, ſine ſcandalo in priſtinum locum reſtitui poſſe. Rota *deciſ. 1. n. 2. de cauſa poſſeſſ. & propriet. in antiq.* Lancellotus *prӕcitata limitatione 13. num. 9.*

---

## *Tudertina Prioratus.*

### Die Veneris 21. Aprilis 1592.

SVMMARIVM.

2 *Regularitas conſtat, ſi in Eccleſia Abbatiali adſint Prior, & Monachi Conuentum conſtituentes.*

3 *Prior Conuentus ſi ſit acceſſorius Abbatiæ regulari, ſequitur naturam eius.*

4 *Regularitas induci poteſt ſpatio 40. annorum.*

5 *Regularitas beneficij præſumitur, ſi Papa conceſſit illud in commendam.*

6 *Eccleſia ab initio regularis, licèt poſtea deſinat habitu regularitatem, ſemper conſeruat eam qualitatem.*

7 *In commendam datum beneficium poſt multos annos, non admittit ius regularitatis.*

8 *Status beneficij regularis non amittitur per commendam multorum annorum de eo factam.*

9 *Collationes beneficij continuatæ, & effectuatæ enunciant ius pertinere ad collatorem.*

10 *Enunciatiuæ non probant in fauorem eius, de cuius intereſſe agitur.*

*& ex eis non datur illatio, ſi ad alios caſus poteſt enunciari, num. 11.*

12 *Ius præcedens colligitur ex obſeruantia ſubſecuta actus.*

13 *Beneficio deſinente eſſe præſentabili per extinctionem iuris patronatus, deuolutio fit ad Epiſcopum de iure communi.*

15 *Regularia beneficia, per Regulares, & in Regulares, ſunt diſponenda.*

## DECISIO CCCCXLIII.

Svper eo quòd Prioratus Sancti Nicolai de Griptis eſſet Regularis, & eius collatio pertineret ad D. Cardinalem Ruſticucium, tanquam Abbatem Abbatiæ Sanctæ Crucis de Saxouiuo, Ordinis Sancti Benedicti, cuius dictus Prioratus membrum prætendebatur exiſtere; D. Cardinalis aduerſus Dominum EpiſcopumTudertinum, qui ad ſuam Eccleſiam pertinere contendebat, duas ſententias in Rota reportauerat, in tertia inſtantia cauſa mihi commiſſa, licèt, quæ pro parte D. Epiſcopi proponebantur, non viderentur multum releuantia, nihilominus, vt ei ſatisfieret, & Eccleſiæ ſuæ iuribus conſuleretur, dubitaui, an ſententiæ prædictæ eſſent confirmandæ, vel infirmandæ, & cauſa propoſita die 17. Aprilis, & dilata, quia pro parte D. Epiſcopi non fuerat informatum, in hac rurſus propoſitione, vtraque parte informante, Rota nemine diſcrepante cenſuit ſententias confirmandas. 1.

Ac primum, quod attinet ad regularitatem, de ea conſtare dicebatur ex multis antiquis Romanorum Pontificum priuilegiis, * qui cùm prædictam Abbatiam cum ſuis perſonis, & pertinentiis, ſub Sedis Apoſtolicæ protectione reciperent, inter plures alias Eccleſias, & beneficia ad Monaſterium Saxiuiui pertinentia in Epiſcopatu Tudertino, hæc ipſa Eccleſia Sancti Nicolai de Griptis recenſebatur, ſic enim Innocentius II. anno 1138. & Celeſtinus III. anno 1191. & Honorius III. anno 1216. & Innocentius IV. anno 1244. & Nicolaus IV. anno 1290. & Bonifacius VIII. anno 1302. & Paulus Papa III. anno 1536. enunciauerant.

* adde infrà deciſ. 1577. n. 18.

Ex his enim enunciatiuis antiquis diuerſorum priuilegiorum * dicebatur de regularitate conſtare, cùm in Abbatiali Eccleſia eſſent Prior, & Monachi, Conuentum conſtituentes, & negotia Abbatiæ conuentualiter tractantes, Innocentius *in cap. poſtulaſti, num. 1. de iure patronat.* gloſſ. *in Clement. & ſi principalis, in verb. conuentualem*, & *ibi* Ioannes de Imola *de reſcript.* Antonius de Butrio, & Abbas *in cap. niſi eſſent, num. 11. de præbend.* & cùm Prioratus, iſte Sancti Nicolai eſſet membrum dependens ab Eccleſia monaſteriali * Saxiuiui, tanquam acceſſorium, *de regul. iur. lib. 6.* 2. 3.

* vide Seraphinum dec. 1272. n. 1. & infrà deciſ. 1466. n. 1.

* nam beneficiũ deperdẽs ab Eccleſia regulari præſumitur regulare, Ludouiſ. deciſ. 370. n. 3. Duran. dec. 144. n. 3.

Sed antiquitatem tollebant frequentes collationes effectuatæ, ex quibus apparebat, Abbates qui ſuo tempore extiterant, Monachis profeſſis

eundem

eundem Prioratum, anno 1244. vſque ad annum
4. 1515. contuliſſe. Vnde induci etiam potuit ſta-
tus Regularis, qui etiam ſpatio 40. * annorum
de iure induci conſueuit, *cap. cùm de beneficio*, vbi
Geminianus, *num.* 8. *de præbend. lib.* 6. Rota *dec.* 22.
*num.* 1. *de probationib. in antiq.* Aretinus *conſ.* 63.
*num.* 5. maximè cùm in caſu propoſito non con-
ſtaret de anteriori ſtatu ſeculari. Baldus *in l. ex*
*perſona, num.* 2. *C. de probat.* Rebuffus *in concor-*
*datis tit. de collationib.* §. *volumus, in verb. regu-*
*laria.*

* adde Duran. dec. 144. n. 7. Mantic. dec. 68. n. 3. Coccin. dec. 235. n. 2. & 3. & deciſ. 249. n. 1.

5. Collationes præterea de iſta Eccleſia, ſeu
Prioratu per Romanos Pontifices ab anno 1515.
vſque in hunc diem in Commendam factæ, in
quibus ſemper fuerat enuntiatum eſſe Ordinis
Sancti Benedicti, eundem ſtatum Regularem ſa-
tis demonſtrabant, qui non ideo deſierat eſſe
Regularis, quòd ante multos annos deſierant
quoque Monachi eandem Eccleſiam incolere:
quoniam licèt Eccleſia deſinat actu eſſe regula-
ris, tamen cùm à principio fuerit inſtituta regu-
laris, deinde non deſiuit eſſe habitu Regularis,
quod ſufficit ad conſeruandum regularitatis ſta-
6. tum. Iaſon *conſ.* 77. *num.* 15. & 22. *verſ. per hoc non*
*obſtat, lib.* 1. Rebuffus *in concordatis tit. de regia ad*
*Prælaturas nominatione facienda, in verb. Priorati-*
*bus conuentualibus, verſ. poterit tamen.*

7. Sed neque hanc regularitatem perdidit Prio-
ratus * ex decurſu ſeptuaginta ferè annorum,
quo Romani Pontifices Clericis ſecularibus
commendare conſueuerunt: quoniam per Com-
mendam, quantumcumque longæuam, & mul-
torum annorum ſerie continuatam, non muta-
tur ſtatus. Francus *in dicto cap. cùm de beneficio,*
8. *n.* 9. *verſ. ſecundò intellige, de præbend. lib.* 6. Achil-
les *deciſione vnica, tit. de ſtatu Beneficij.* Ægidius
*deciſione* 107. & 212. & ideo non placuit dictum
Campegij *tract. de commendis beneficiorum, num.* 7.
*verſ. ſed ſicut,* dicentis, beneficia regularia com-
mendari ſolita, cenſeri ſtatum mutaſſe.

* beneficij regularis ſtatus, vt mutetur, quæ requiratur vide Rotã rec. p 1. dec. 308.

Collationem verò eiuſdem Prioratus perti-
nere ad D. Cardinalem, tanquam Abbatem, ſatis
ſuadebant multorum Romanorum Pontificum
9. priuilegia, quibus iſtius Eccleſiæ prouiſio, & diſ-
poſitio concedebatur Abbati, quemadmodum
olim cùm aderant Monachi, ad illorum Abba-
tem ſpectabat, ſicut ex enunciatiuis, * & pluri-
bus collationibus effectuatis conſtabat, quæ in
ſimilibus, (cùm ſint antiquæ) plenam probatio-
nem faciunt, Caſſad. *dec.* 1. & 2. *de probat.* Chiſa-
nenſis *deciſione* 30. & pertinentiam collationis,
ad quem pertineat, oſtendunt, Achilles *deciſ.* 6.
10. & 7. *de iure patronat.* Puteus *deciſion.* 59. & 60.
*lib.* 1.

* adde Durand dec. 87. n. 4. Manticã dec. 244. n. 4. & Rotam recen. p. 1. dec. 312. n. 6. & infrà deciſ. 1577. n. 5. & alias plures.

Neque erat verum, quod dicebant informan-
tes pro Domino Epiſcopo Tudertino, collatio-
nes ſcilicet factas per Abbates probari ſolùm
per enunciatiuas ipſorum Abbatum, quibus non
erat credendum; cùm de eorum intereſſe agere-
tur, † quoniam aderant inſtrumenta publica
ipſarum collationum effectuatarum, ex quibus
apparebat reuera, Abbates Eccleſiæ Sancti Ni-
colai Priores pro tempore præfeciſſe.*

† adde Rotã rec. p. 1. dec. 160. n. 9. & p. 2. dec. 71. n. 5. Lud. dec. 142. n. 2. & aliàs ſæpe.

* & enũciatiuæ emanatæ à perſonis ſuſpectis, cũ adminiculis probant Rota recen. p. 1. dec. 75. n. 3. & deciſ. 91. n. 2. Lud. dec. 407. n. 5. & latè annot. n. 6.

Et ex hoc etiam tollebatur alterum funda-
mentum partis aduerſæ, quòd dictæ enunciati-
uæ non exprimerent, quomodo hæc Eccleſia
Sancti Nicolai pertineret ad Monaſterium, an
tanquam Regularis, vel tanquam ſæcularis, &
quod cùm potuerit pertinere tanquam ſecula-
11. ris, ex enunciatiuis illis non poterat inferrri ad
regularitatem, ad Felinum *in cap. in noſtra, ad*
*finem, de reſcript.* dicebatur enim, quòd obſeruan-
tia ſubſecuta deſumpta ex præfectura Mona-
chorum, ſatis oſtendebat, Eccleſiam Sancti Ni-
colai, tanquam regularem ſpectaſſe ad Mona-
ſterium, maximè cùm pro parte Epiſcopi non
doceretur de aliquo ſigno, nec de minima qui-
dem vmbra anterioris ſecularitatis, iſta enim
obſeruantia demonſtrabat, qualis fuiſſet illa
pertinentia, cùm ex obſeruantia poſtea ſecuta
12. ſenior declaretur, quale fuerit ius præcedens;
Socinus ſenior *conſil.* 145. *num.* 2. *lib.* 1. Roma-
nus *conſ.* 271. incip. *Vis tota, num.* 4. Crauetta *conſ.*
211. *num.* 8.

Poſtremum fundamentum informantium pro
D. Epiſcopo pluſculum difficultatis habere vi-
debatur; dicebant enim, ex iuribus Abbatis col-
ligi, hanc Eccleſiam fuiſſe de iurepatronatus
laicorum, quod tamen omnino ex temporis la-
pſu fuerat ſubtractum, ex quo inferebant, quòd
iurepatronatus in totum ſubtracto, & ſic bene-
13. ficio deſinente eſſe præſentabili, tunc deuolutio
* non debet fieri ad habentem inſtitùere de iure
ſpeciali, & ſic ad Abbatem, ſed potiùs ad Epi-
ſcopum, qui nititur iure communi, Geminianus
*cap.* 2. *num.* 4. *de inſtit. lib.* 6. Ancharanus *in Clem.*
*ſi de beneficio, num.* 4. *de præbend.* Vnde licèt con-
cederetur, quòd Abbas deberet inſtituere, quan-
do Patroni præſentabant, hodie tamen ſublatis
Patronis, collatio pertinebit ad Epiſcopum.

* adde infrà deciſ. 1321. n. 12.

14. Cæterùm reſpondebatur, primò non conſta-
re de iurepatronatus reſpectu iſtius Eccleſiæ,
quæ cùm præſupponeretur fuiſſe & eſſe Regu-
laris, neceſſariò poſtulabat reſeruationem iuriſ-
patronatus in limine fundationis * ex Apoſto-
lico priuilegio, *cap. à nobis,* vbi gloſſ. *in verb. niſi*
*aliter,* & *ibi* communiter Canoniſtæ de iurepa-
tronatus, & fuit nuper reſolutum in vna Oue-
tenſis Abbatiæ de mandato Sanctiſſimi die 3.
præſentis coram me, * & per conſequens fru-
ſtrà excitari hanc difficultatem.

* adde Seraphin. dec. 1367. n. 2. & 1395. n. 2.

* ſuprà dec. 436. à n. 4.

Secundò dicebatur, quòd licèt Patroni fuiſ-
ſent ſublati, & ius patronatus extinctum, cùm
tamen Eccleſia non deſierit eſſe Regularis, pro-
pter talem proprietatem beneficio intrinſecè in-
hærentem, inſtitutio, & prouiſio potiùs perti-
nebat ad eundem Abbatem, quàm ad Epiſco-
pum, Prælatum ſcilicet ſecularem: hæc enim
decretis Canonum erat conformis, præcipien-
15. tibus Regularia beneficia per Regulares, & in
Regulares * eſſe diſponenda, *cap. cùm de benefi-*
*cio, de præbend. lib.* 6. Concilium Trident. *ſeſſ.* 14.
*c.* 10. & *ſeſſ.* 25. *c.* 21. *de Regularibus.*

* adde Seraphin. dec. 1165. n. 12. & 13. & 1305. n 4. & 8. Caual. dec. 80. n. 1. Mantic. dec. 67. n. 5. & aliàs ſæpe.

---

## *Dertuſen. Archipresbyteratus.*

### Die Veneris 21. Aprilis 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Rectoris illiteratura an ſit, & qua pœna ſit punienda, relinquitur arbitrio Epiſcopi.*

3 *Illiteratis Rectoribus debet Epiſcopus coadiutores cum aſſignatione fructuum conſtituere,* & *num.* 6.

4 *Doctoratus gradus facit præſumptionem, quem eſſe doctiorem.*

5 *Animarum curam exercentes debent eſſe docti, rudes & ignari ſunt incapaces.*

8 *Baptizatus dubiè, debet iterum ſub conditione baptizari.*

10 *Hoſtia conſecrata ſi in terra ceciderit, contra negligentem pœna imponitur* in cap. qui bene, de conſ. diſtinct. 2.

11 *Error cum pertinacia in intellectu inducit, quem malè de fide ſentire.*

12 *Linguæ lapſus indeliberatus ſine malitia non inducit, quem incidere in crimen, & pœnam hæreſis.*

13 *Lapſus linguæ non eſt facilè trahendus ad pœnam.*

14 *Delinquens per linguæ lapſum, leuiter & extra ordinem eſt puniendus.*

15 *Defectus Rectoris in fonte baptiſmali, & ſacrario, in viſitatione ſunt puniendi.*

## DECISIO CCCCXLIV.

1. ARchipresbyteratum oppidi de Morella,
Diœceſis Dertuſenſ. curam animarum ha-
bentem, adminiſtrauit D. Ioannes Andreæ, ſa-
cræ Theologiæ Doctor, qui de illo fuerat à Se-
de Apoſtolica prouiſus ab anno 1583. vſque ad
annum 1593. quo tempore fiſcalis Curiæ Epi-
ſcopalis, lite inſtituta contra ipſum, tanquam
illiteratum, inſipientem, & ad curam animarum
ineptum, & circa adminiſtrationem Sacramen-
torum multifariam delinquentem, die 13. Mar-
tij 1593. Vicarius illi dandum coadiutorem per
Epiſcopum nominandum cum aſſignatione
quartæ partis fructuum, & omnium emolumen-
torum pedis Altaris pronunciauit, ſed cùm Ar-
chipresbyter appellatione interpoſita ad Sedem
Apoſtolicam recurriſſet, cauſa commiſſa in Ro-
ta dubitaui, an prædicta ſententia fuiſſet iuſta,
vel iniuſta; & cùm die 3. Martij proximè præte-
riti Domini conſideraſſent, iuſtitiam, vel iniu-
ſtitiam ſententiæ ex peritia, vel imperitia Archi-
presbyteri potiſſimum fuiſſe detegendam, iuſ-
ſerunt, vt ego de ipſo in litteris, Sacramento-
rumque adminiſtratione periculum facerem, vt
cauſa iterum propoſita legitimè diffiniretur, tri-
bus itaque colloquiis, ſeu priuatis diſputationi-
bus die 1. & 8. & 15. Aprilis cum ipſo habitis,
quibus quæſiui ab illo multarum obſcurarum-
que difficultatum ad Sacramenta Eccleſiæ in
primis pertinentium ſolutiones, quamquam de-
prehenderim, illum non admodum ſolertem,
aut perſpicacem; perſpexi tamen ſatis idoneum,
& competentem eius peritiam, tum in his
quæ ad Sacramenta Eccleſiæ ſpectant, tum in
aliis quæ ad Theologiæ facultatem referuntur,
licèt enim interrogatus paululum cunctaretur,
reſpondebat tamen deinde ex ſententia Theo-
logorum, ita vt propoſitæ difficultates dilueren-
tur. Vnde cauſa iuxta præceptum Dominorum
iterum propoſita, ſententiam Ordinarij reuo-
candam cenſuerunt, quia propter imperitiam,
& illiteraturam non erat locus aſſignationi co-
2. adiutoris, ex forma Concilij Tridentini *ſeſſ.* 21.
*cap.* 6. licèt enim in hoc plurimum eſſet iudicio
Ordinarij tribuendum, cui ex munere incumbit
explorare peritiam Rectorum curam anima-
rum exercentium, quæ præter honeſtatem mo-
rum, in ipſis requiritur ſufficiens ad rectè ob-
eundum tantum munus, quod iura vocant *ar-*
*tem artium:* Concilium Lateranenſe ſub Inno-
centio III. *cap.* 27. *cap. cùm ſit, de ætate, & qualit.*
in hoc caſu aliud fuiſſe conſtituendum ſuade-
bat examen iuſſu Rotæ factum, per quod con-
ſtabat de peritia, & litteratura huius Archipreſ-
byteri, ita vt non foret locus diſpoſitioni Con-
3. cilij *dicto cap.* 6. in prima parte, quatenus diſpo-
nit poſſe Epiſcopos illiteratis, * & imperitis Ec-
cleſiarum Parochialium Rectoribus Coadiuto-
res, vel Vicarios pro tempore deputare.

* de hoc art. vide Salcedo ad Bernardũ Diaz in practic. crimin. cap. 21. lit. G.

Accedebat etiam eiuſdem Epiſcopi iudicium,
qui dum eſſet alterius Epiſcopi, ſui anteceſſoris
Vicarius generalis anno 1578. eidem Doctori
Andreæ licentiam conceſſerat, vt in tota diœ-
ceſi Dertuſenſi verbum Dei prædicare, con-
feſſiones fidelium audire, & Miſſas celebrare
poſſet.

4. Doctoratus * etiam gradus, in Academia
præſertim Valentina anno 1580. ſuſceptus,
nedum excludebat imperitiæ ſuſpicionem, ſed
ad literaturam præſumendam, magnum præ-
ſtabat argumentum, cùm in ea Vniuerſitate,
tum in omnibus ſcientiis graduandi, tum præ-
cipuè in ſacra Theologia, non niſi acri præce-
dente integri diei examinatione ſoleant docto-
rari, & exploratum ſit doctiorem † aliquem
eſſe præſumendum ob rigorem examinis, Caſ-
ſaneus *in Catalogo gloriæ mundi, parte* 10. *conſide-*
*ratione* 32. *verſ. ſed nunc in quantum.*

* ideo Doctoratus eſt qualitas magna, vt in cõcurſu præferatur Doctor, vt per Ludou. deciſ. 11. n. 4. & habetur in rec. p. 2. dec. 36. Rota in Rauenaten. Parochial. coram Arrigonio impreſſa penes Marcheſ. de cõmiſſ. p. 1. pag. 289. n. 1. & 2.

† adde Rotam diuerſ. part. 3 lib. 3. dec. 845.

Denique teſtes qui pro ipſo inducti fuerant,
teſtificabantur, ipſum habilem, & idoneum
etiam ad curam animarum regendam, ex qui-
bus omnibus, iuncto præſertim examine de ipſo
habito in Rota, non modò excludebatur im-
peritiæ præſumptio, verùm peritia, & litteratura
concludebatur.

Præſertim cùm iura ad hæc miniſteria exer-
cenda non requirant eminentes, & excellentes
5. litteratos (licèt tales forent adhibendi, ſi haberi
poſſent,) ſed idoneos præficiendos iubeant, &
rudes & ignaros repellant. *cap. cùm ſit, de ætate,*
*& qualitat. cap. inter cætera, de officio Ordinar.*

Et eo faciliùs hanc ſententiam Domini am-
plectendam cenſuerunt; quia non ſolùm ex te-
ſtibus Archipresbyteri, ſed etiam ex teſtibus
fiſcalis apparebat, illum eſſe bonæ famæ, & vitæ,
& honeſtæ conuerſationis, non ſcandaloſum,
neque rixoſum, quam vitæ honeſtatem tanti
fecit Concilium Tridentinum *ſeſſione* 21. *cap.* 6.
vt illiteratos, & imperitos non amouendos, ſed
eis Coadiutores dandos, aut pro tempore Vica-
rios deputandos conſtituerit.

6. Quantum ad alterum ſententiæ caput *de deli-*
*ctis,* per Archipresbyterum, in adminiſtratione
Sacramentorum commiſſis, ſpectabat, fuit di-
ctum, quædam non probari fuiſſe delicta; alia
ſuas pœnas habere in iure definitas, nonnulla,
vel iam fuiſſe punita, vel leuiori pœna ple-
ctenda.

Nam quòd mulierem quandam morbo de-
cumbentem abſoluerit ante confeſſionem, &
reprehenſus dixerit, ſe benè feciſſe, non proba-
batur, imò intellectis circunſtantiis rei geſtæ,
conſtabat illum rectè feciſſe, cùm enim Archi-
presbyter rogaſſet mulierem, an confiteri vel-
let, & illa indicaſſet, velle, tunc egreſſis è cubi-
culo decumbentis, qui in eo erant, Archipreſ-
byter auditis peccatis abſoluit; in quo nullum
erat delictum.

Minus

7. Minus videbatur probatum, quòd propter illius negligentiam obierint ſine Sacramentis, licèt enim quidam teſtes id aſſerere viderentur, cæteri tamen, tam pro parte Archipresbyteri, quàm etiam pro parte fiſcalis examinati inferebant, quòd ſi hoc contigiſſet, id potiùs accidiſſet culpa ruſticorum viuentium extra oppidum in prædiis ruſticis, quas *Maſadas* Valentini appellant, ex eo quòd ipſum non vocarunt, ſicut fieri ſolet, quàm quòd ipſe vocatus non acceſſerit, & propterea aliqui eius culpa, & negligentia, ita non ſuſceptis Sacramentis obierint.

8. De infante domi ab obſtetrice baptizato, & deinde iterum ab Archipresbytero baptizato, non negabatur factum, ſed facti veritas delictum penitus excludebat, cùm enim obſtetrix dubitaſſet, an aqua, qua baptizare nondum ex vtero egreſſum tentauerat, tetigiſſet infantem, tum Archipresbyter ſub conditione, * vt iura Canonica præcipiunt, infantem eundem baptizauit; *cap. de quibus de Baptiſmo & eius effectu.* S. Thomas, *art. 9.* rem verò ſic fuiſſe geſtam, parentes eiuſdem infantis confitebantur.

*de hoc art. videnda eſt dec. 127. Riccij in deciſionibus Curiæ Archipr. Neapoli. & Catechiſ. Pij V. titulo de Baptiſ. verſi. neque verò quiſquam.

9. Quòd nimis feſtinanter pœnitentium confeſſiones audiret, adeò, vt vnius horæ ſpatio tres, vel quatuor pœnitentes abſoluerit de illis, qui ſemel in anno ſolito fuerant confiteri, vt multi teſtes fiſcalis deponebant, non tam arguebat Archipresbyteri negligentiam, quàm eorundem pœnitentium factum, qui cùm plura non confiterentur, non videbantur ampliùs detinendi, cùm non ſit prætereà impoſſibile quoſdam, quia boni Chriſtiani ſunt, & Deum timentes, pauca habere peccata, quæ confiteantur, iam multi teſtes honeſti, & fide digni, qui eidem Archipresbytero fuerant ſua peccata confeſſi, teſtificabantur, illum bene egiſſe, & eo modo vſum fuiſſe, qui in audiendis confeſſionibus à peritis, & prudentibus Confeſſariis, obſeruari ſolet.

10. Factum ſibi oppoſitum de hoſtia conſecrata, quam aliquot teſtes dicebant, culpa illius cecidiſſe in terram, & irreuerenter ab eo è terra acceptam, vt rurſus reconderetur, non negabatur, ſed reſpondebatur, primum id vigilanti etiam Rectori, quandoque poſſe contingere, rurſus ei culpæ pœnitentiam eſſe in iure diffinitam, * *cap. qui benè, de conſecrat. diſt. 2.* nec propterea dari locum priuationi beneficij, aut aſſignationi Coadiutoris.

* adde Capellam Tholoſanum dec. 219. incipiēte item fuit quæſitū qua pœna.

Similiter non diffitebatur Archipresbyter ſe ann. 1585. inter concionandum dixiſſe, pœnas Purgatorij eſſe perpetuas, ſed cùm paulò pòſt legitimè admonitus, etiam in Eccleſia, & in pulpito correxerit ſe, & re cum Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis communicata, ab illis fuerit liberè dimiſſus, & deinceps per diœceſim verbum Dei prædicauerit, & ſæpe viſitatus fuerit toleratus, duorum videbatur, nunc vetera vulnera, quæ iam cutem obduxerant refricare,
11. præſertim cùm de nulla hominis pertinacia conſtaret, ſine qua, cum errore in intellectu nemo malè de fide ſentire verè iudicari poteſt. *cap. dixit Apoſtolus 24. quæſt. 3.* Sanctus Thomas *2.2. quæſt. 11. art. 2.* Alphonſus Caſtrus *lib. 1. c. 7. de iuſta hæreticor. punit.* Directorium Inquiſitor. *parte 2. quæſt. 32.* præſertim eum qui per linguæ
12. lubricum (vt dici ſolet) aut indeliberatum linguæ lapſum, ſine malitia hæreſes, aut falſas in fide propoſitiones proferunt, nec hæretici ſint, nec puniendi videantur: cùm linguæ lapſus non
ſit facilè ad pœnam trahendus. *l. famoſi, ff. ad legem Iuliam Maieſt. l. 1. C. ſi quis Imperatori maledix. cap. quod autem 22. quæſt. 2.* Zanchinus *tract. de hæret. cap. 7. num. 9.* ad ſummum verò, qui per 13.
lapſum linguæ delinquit leuiter, & extra ordinem puniendus eſt. Gondiſſaluus *tract. de hæret. quæſt. 1. num. 7.* Albertinus *tract. de agnoſcen aſſertionib. Cathol. & hæret. quæſt. 3. num. 3.* Franciſcus Squilacenſis *tract. de fide Cathol. cap. 19. num. 3.* Director. Inquiſitor. *part. 3. commentario 17. tit. de forma examinationis teſtium. §. ſeu animo indeliberato.* 14.

Quòd fontem aquæ benedictæ immundum tenuerit, & ſacrarium dereliquerit apertum, & Eccleſiam ſine cuſtode, defectus ſunt in viſitatione corrigendi. Concilium Trident. *ſeſſione 24. cap. 3.* eoſque Epiſcopos anteceſſores emendaſſe, iam præſumebatur, & Archipresbyterum correxiſſe. 15.

Quòd mozzettam deferret more Prælatorum non eſt delictum, ſed delatio habitus ſibi competentis, cùm Doctores Theologiæ, & Rectores Parochialium in regno Valentino de more intra Eccleſiam, talem habitum deferre conſueuerint.

Teſtes fiſcalis deponentes Archipresbyterum hunc inhabilem ad Sacramenta miniſtranda, elidebantur, per alios teſtes Archipresbyteri, teſtificantes eum habilem & idoneum ad regendam curam animarum.

Vnde cùm neque imperitia, aut inhabilitas, neque vitæ turpitudo probaretur, quæ vel ad coadiutorem deputandum, vel ad priuandum, à Concilio requiruntur, *dicta ſeſſione 21. c. 6.* concluſum fuit, ſententiam Vicarij Dertuſenſis, tanquam iniuſtam fuiſſe reuocandam.

---

## *Lugdunen. Pecuniaria.*

### Die Lunæ 24. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

1. 2 *Examen teſtium ſine citatione ad videndum iurare eos, eſt nullum.*

## DECISIO CCCCXLV.

1. Examen teſtium vigore Remiſſoriæ Lugduni examinatorum Domini dixerunt, fuiſſe nullum ex defectu citationis; quia licèt Ioannes ſubſtitutus per Stephanum Procuratorem Turini fuiſſet citatus, ad dicendum contra litteras Remiſſoriales, & ad omnes actus ſucceſſiuos ad effectum contentorum in litteris Remiſſoriæ, defuit tamen deinde particularis citatio ad videndum iurare teſtes, ſine qua non ſit legitimum * examen, *cap. 2. de teſtib.* vbi gloſſ. *in verb. audire, l. iuriſiurandi, & Authent. ſi quis. C. de teſtib.* Verallus *deciſ. 274. n. 3. p. 3.*

* adde Lud. dec. 168. n. 2. & 3. & dec. 518. n. 1. Durand. dec. 72. n. 3. Mantic. dec. 352. n. 9. & talis citatio debet eſſe perſonalis ſi aliàs nō fuit perſonaliter citatus, vt per Coccin. deciſ. 216. n. 22. & 23.

Sed neque citatio ſpecialis præſumebatur ex eo, quòd teſtes fuiſſent examinati adhibito, & interueniente interprete Turini; quia conſtare oportuit de expreſſa citatione ad videndum iurare teſtes, per iura allegata.

Abbas autem *in cap. bona, n. 7. de electio.* non faciebat 2.



faciebat ad propoſitum, cùm loqueretur de citatione minus legitimè facta, quæ nullo modo coarctat citatum.

Dixerunt tamen aliqui ex Dominis, quòd pars adiret ſignaturam Sanctiſſimi, ſi conſideratis præſentium temporum difficultatibus ſperabat obtinere, vt non obſtantibus iſtis nullitatibus, cum proceſſu taliter facto procederetur in cauſa.

---

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 28. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Simulatio donationis non præſumitur, niſi conſtiterit de cauſa ſimulandi.*
*Nec ſufficit proponere ſimulationem, niſi de cauſa doceatur, n. 3.*
4 *Pater de filijs multùm poteſt confidere.*
*& ideò donatio quandoque à patre filio facta, præſumitur ſimulata, n. 5*
6 *Simulata præſumitur donatio, ſi non præcedat cauſa, propter quam facta eſt.*
7 *Donatio omnium bonorum mobilium, & immobilium præſumitur ſimulata.*
8 *Donatio præſumitur ſimulata, ſi in ea apponantur clauſulæ inſolitæ.*
9 *Donatio præſumitur ſimulata, ſi donans exiſtat in poſſeſſione bonorum, n. 11.*
10 *Donatio cum clauſula* conſtituti, *excludit ſimulationem.*

## DECISIO CCCCXLVI.

1. In propoſitione huius cauſæ, quæ agebatur inter D. Tiberium Ceulum, & D. Claricem Ceulam, illius ex fratre neptem, vtraque pars fatebatur, Hieronymum quondam Ceulum, qui tempore fel. record. Pauli IV. ab vrbe Romana receſſerat, & Parmam ſe contulerat, duplicem feciſſe donationem, vnam die 19. Ianuarij ann. 1558. ad fauorem Fabij eius filij, de omnibus bonis exiſtentibus in ciuitate, & territorio Piſano, cum pacto, quòd renunciant quibuſcumque iuribus ſibi competentibus, ſuper omnibus aliis bonis paternis, & maternis, alteram die 4. Aprilis eiuſdem anni ad fauorem aliorum filiorum, nempe Antonij Franciſci Mutij, Iulij Cæſaris, & Tiberij (Rainerio alio filio Protonotario excepto) de bonis conſiſtentibus in vrbe Roma, & eius diſtrictu, addito viciſſim pacto, quòd donatarij renunciarent quibuſuis iuribus ipſis competentibus ſuper bonis Fabio
2. donatis, ſed quoniam poſt multas diſputationes, agentes pro D. Tiberio prætendebant impugnare hanc ſecundam donationem, tanquam ſimulatè factam, propoſito dubio, Domini pro maiori parte donationem fuiſſe ſimulatam cenſuerunt.

Quia verò regula erat contra Tiberium, allegantem ſimulationem, quæ non præſumitur, niſi conſtiterit de cauſa * ſimulandi, Baldus *conſil. 389. incip. Quòd dictus contractus, num. 1. verſ. in contrarium, lib. 4.* Crauett. *conſ. 145. inc. Viſo proceſſu cauſæ, n. 2.* neque enim ſufficit proponere ſimulationem niſi cauſa † etiam ſimulandi doceatur,

* vide infrà dec. 1190. & ſuprà deciſ. 215. n. 2. vbi alias dec. annotaui, & deciſ. 323. & Rotā rec. p. 2. deciſ 413. n. 1. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.
† vide infrà dec. 1290.

*l. patronus ff. de probationib.* Ancharanus *conſ. 227. num. 2.* Barthol. *conſ. 65. incip. Factum tale, num. 4.* idem *in l. poſt contractum, num. 3. verſ. ſecunda præſumptio. 6. ff. de donat.* Alexander *conſ. 111. incip. Viſo ſuperiori themate, num. 1. lib. 3. & conſil. 28. incip. In cauſa & lite, num. 12. lib. 5.* Rota *deciſ. 1. num. 2. de donationib. in nouis.* & fuit aliàs ſæpe ita deciſum, & præſertim in vna Romana donationis de Grandis die 27. Aprilis ann. 1592. * coram me, Doctores enim aſſerentes coniecturis † probari ſimulationem, cauſam ſimulandi non excludunt. 3.

* ſuprà dec. 215.
† adde Seraphin. dec. 660. n. 3. Mātic. dec. 315. n. 3. & 6. & fuit dictum in vna ciuitatis Caſtelli impreſſa penes March. de commiſſ. p. 3. pag. 227. & pag. 225. n. 2.

In hac facti ſpecie, qui tenebant donationem fuiſſe ſimulatam, cauſam ſimulandi conſtituebant in eo, quòd tempore Pauli IV. quidam Bartholomæus Beneuentus miniſter acer, & formidabilis, petierat à Hieronymo Ceulo, vt mutuaret Cameræ Apoſtolicæ magnam pecuniarum ſummam, quas cùm mutuo dare recuſaſſet, Beneuentus ira concepta, occaſionem nocendi Ceulo perquirebat, hinc Hieronymus clandeſtinè fugiens, & Parmam ſe conferens, vt deponebat quartus teſtis fugæ ſocius ſuper 3. & 4. articulis, donationem fecit, quam idem teſtis iuxta 19. & 21. & ſuper 8. & 9. articul. teſtificabatur fuiſſe factam ſimulatè, & confidentialiter, ad fugiendum impetum Beneuenti.

Huic accedebat teſtimonium Raynerij Ceuli die 19. Maij 1558. ſcribentis, ad Hieronymum patrem Parmæ commorantem, & illum hortantis, vt quamprimum tranſmitteret ad Vrbem requiſita, quæ omiſerat pro facienda donatione, quam maturare oportebat, quia *importa,* (inquit) *aſſai aſſicuranti più preſto ſi può.* idem colligebatur ex aliis litteris eiuſdem Rainerij ſub die 30. eiuſdem menſis Maij, & ex aliis Syluestri Gotardi inſtitoris.

Ad hunc modum, ſimulandi cauſa conſtituta multiplices coniecturæ cumulabantur, primò enim erat facta fauore filiorum, de
quibus pater multum poterat confidere. *l. Theopompus, ff. de dote prælegat.* nam propter hanc 4.
coniecturam, aliquando donationem putari ſimulatam cenſuit Baldus *conſil. 70. incip. Apparent quædam, num. 1. lib. 1.* Cumanus *conſil. 155. numer. 4.* Socinus ſenior *conſil. 264. numer. 2. verſ. tertiò arguitur, lib. 2.* Decius *conſil. 659. num. 2.* Afflictus *deciſione 370. num. 14.* Crauetta *conſil. 82. num. 5.* Gozadinus *conſil. 1. numer. 24.* Natta *conſil. 443. num. 10.* licèt Bartolus
*in l. poſt contractum, num. 3. verſ. ſecunda præſumptio. ff. de donationib.* addat, oportere quòd cauſa præcedat, quia aliàs ſola proximitas non ſufficeret. 5.

Tum prætereà, quia erat omnium * bonorum mobilium, & immobilium, iurium, & actionum in vrbe, & eius diſtrictu exiſtentium. Vnde nedum ſimulatio, ſed fraus quoque argui ſolet. *l. omnis. §. Lucius ff. de his quæ in fraud. credit.* Bartol. *in dicta l. poſt contractum, num. 3. verſ. & prima eſt præſumptio. ff. de donationib.* & ibidem communiter Doctores, Baldus *dicto conſil. 70. lib. 1.* Alexander *conſil. 86. lib. 3. num. 7.* Afflictus *deciſione 370. num. 13.* Socinus *conſil. 108. num. 3. lib. 1.* nedum enim ex donatione omnium bonorum, ſed ex maiori tantùm illorum parte donata, argui ſimulationem voluerunt. Decius *dicto conſil. 659. num. 3.* Pariſius *conſil. 53. num. 17. lib. 1.* 6. 7.

*Cauſal. dec. 98. n. 8. Seraphin. dec. 1219. n. 6.

*lib.* 1. nam cùm Hieronymus paulo antea bona Piſis exiſtentia Fabio donaſſet, & per ſecundam donationem cætera Romæ conſiſtentia à ſe abdicaſſet, nec conſtaret eo tempore ſibi alia bona alibi reſeruaſſe, quibus viuere potuiſſet, non videbatur vera hæc donatio, cùm non eſſet veriſimile, omnibus ſe bonis priuare voluiſſe, vnde locus videbatur vulgari dicto, inueriſimile imaginem falſitatis præſeferre. Baldus *in l.1.C. de ſeruis fugit.*

8. Rurſus clauſulæ quædam inſolitæ in donatione inſertæ, quòd ſcilicet non poſſet reuocari per vitium ingratitudinis, nec per ſuperuenientiam filiorum, promiſſio etiam de euictione quæ in donationibus non conſueuit apponi, ſimulationem arguere videbantur, Ancharanus *conſ.* 257.*in fine.* Pariſius *conſ.*55.*n.*51.*lib.*1. Natta *conſ.* 198.*num.*13.*&* 15.

9. Ponderabatur quoque ad effectum ſimulationis, factum Hieronymi donantis, qui poſt donationem remanſit vſque ad obitum in poſſeſſione * bonorum donatorum, non reſeruato ſibi vſufructu, Baldus *in l. illud, n.*16. *C.de ſacroſanct. Eccleſ.* Bartolus *in d.l.poſt contractum.ff.de donat.* Pariſius *conſ.*54.*n.*71.*lib.*1. Cæpolla *tract.de ſimu-*
10. *lat contract. præſumpt.* 24.*n.*76. Baldus *dicto conſ.* 70.*n.*3.4.*&* 5.*lib.*1. Decius *dicto conſ.*659.*n.*3.*verſ. tertia præſumptio.*

* adde Rotam diu.p.2. dec.117.n.9. & ſuprà d. dec.215.

Ad reſponſionem verò datam ad hanc ſimulationem tollendam, propter clauſulam *conſtituti,** quæ tunc excludit ſimulationem, quando donans conſtituit ſe velle nomine donatariorum poſſidere, dicebatur conſtitutum quidem tunc excludere ſimulationem, quando non conſtaret de cauſa ſimulandi; nam quando de cauſa conſtat, donatione corruente, conſtitutum, & cætera acceſſoria corruant eſt neceſſe, cùm omnia præſumantur ſimulata, Ægidius *dec.*715. *num.*7. Baldus *in dicta l.illud, n.*16.*C.de ſacroſanct. Eccleſ.*

* adde ſupra dictam dec. 215.n.8.& 9. vbi aliasdec. annotaui.

Renunciatio facta per donantem, beneficio ſimulationis, & circumuentionis, ſimulationem, etiam arguebant. Baldus *in l.* 3. *C. plus valere quod agitur.* Barbatia *conſ.* 51. *lib.*1. Rolandus *conſ.*40.*n.*39. *lib.*2. Natta *conſil.*198.*n.*15.

Ex epiſtola Raynerij, vnius ex filiis donatoris, cui nihil pater in hac donatione conceſſerat, aliqui ex Dominis deducebant ſimulationem, cùm non eſſet veriſimile, illum tam cupidè, & anxiè procuraturum fuiſſe donationem, ex qua nullum erat commodum percepturus, quinimo ſenſurus damnum, niſi ſciuiſſet, illam fictè, ſimulatè, & confidentialiter fieri.

11. Supradictis accedebat, quia donatio non videbatur ſortita effectum, cùm Hieronymus ſemper remanſerit in poſſeſſione bonorum, & arbitrio ſuo de illis diſpoſuerit. Bartolus *in d. l. poſt contractum, n.*4.*ff. de donationib.* vbi tamen diſtinguit, inter aſſignationem veram, & factam in fraudem, ſimulatam, & imaginariam. Pariſ. *conſ.* 54.*n.*71.*lib.*1. Crauetta *conſ.*156.*n.*10.

Ex iſta enim obſeruantia ſubſecuta intelligebatur, quid à principio donans agere voluerit, & qualis fuerit eius animus. Paulus de Caſtro *conſil.*314.incip. *Super eo quod quæritur,* Crauetta *conſil.*211.*num.*8. obſeruantia enim multum poteſt ad ſimulationem arguendam. Baldus, & Salicetus *in l. multum intereſt. C. ſi quis alteri, vel ſibi.*

Denique ipſi donatarij, neque in vita donantis, neque poſt eius obitum, donatione fuerant vſi, nam cùm Mutius, & Iulius Cæſar duo ex donatariis contra D. Tiberium vnicus ſaltem hæredem inſtitutum pro paternis bonis, & legitima conſequenda litigaſſent, nullum vnquam in donatione fundamentum feciſſe dicebantur.

Et ex his potiſſimum concluſum pro maiori parte, pro ſimulatione donationis.

Cæterùm, quia Domini qui tenebant pro non ſimulatione, multum dubitabant de cauſa ſimulandi, tum quia per illam non videbatur conſultum Hieronymo donanti, nec filiis donatariis, cùm tam ante donationem, quàm poſt donationem potuiſſet Beneuentus immittere manum in ea bona, quæ Hieronymus ſecum Parmam non detulerat, tum quoniam licèt fuerit motus ex illa cauſa, ſiue vera fuerit, ſiue imaginaria, potuerat tamen verè donare, ideo ſuper his, quibus non videbatur ſufficienter reſponſum, particulariter audiendam cenſebant D. Claricem, præſertim cùm Beneuenti illius terribilitas, (qui alioquin vir iuſtus, & probus fuiſſe dicebatur,) non probaretur talis, ac tanta, vt ſub bono Principe potuiſſet quaſi quandam ſpeciem tyrannidis exercere, nec coniecturæ adeò vrgerent, quin commodam reciperent interpretationem, qualem aliæ ſimiles, nec minus potentes, receperant in illa Romana donationis de Grandis die 27. Aprilis 1592. * & in alia Camerinen. bonorum 15. Februarij 1593. coram me, per quam fuerat receſſum ab alia deciſione facta in eadem cauſa die 4. Nouembr. 1592. *vbi grauiſſimę coniecturæ, & ſupradictis etiam ſimiles ſuadebant ſimulationem.

* ſuprà dec. 215.& 284.

* ſuprà dec. 258.

Dicebatur etiam particulariter videndum, an D. Tiberius ſimulationem potuiſſet opponere.

---

## *Foroliuien. Penſionis.*

### Die Veneris 28. Aprilis 1595.

SVMMARIVM.

2 *Error calculi debet concludenter probari, qui eum allegat.*

3 *Solutio penſionis poteſt fieri ante maturationem termini, & ideo non datur error calculi ſi ſoluatur.*

## DECISIO CCCCXLVII.

1. CAmilli Alleoti Procurator in receptione ſcutorum 7034. à bon. mem. Epiſcopo Foroliuienſi, pro annua penſione 200. ducat. Camillo debitorum die 16. Septembr. 1592. quietantiam fecit his verbis: *Sunt, & deſeruiunt pro ſatisfactione reſidui terminorum aſſertæ annuæ penſionis CC. ſcutorum auri, D. Camillo reſeruatorum ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis Foroliuien. huiuſque decurſorum, & non ſolutorum.*

Cæterùm, quia à die relaxationis mandati executiui, qui fuit de menſe Aprilis ann. 1592. vſque ad diem ſolutionis factæ in partibus ſub 16. Septembr. eiuſdem anni venerat terminis Sancti Ioannis de menſe Iunij, quem Camillus prætendebat



tendebat non fuiſſe ſolutum, & Epiſcopum prætereà remanſiſſe debitorem in incerta pecuniarum ſumma, pro aliis terminis non integrè ſolutis, poſt datum Camillo terminum ad probandum errorem prædictæ quietantiæ, & productum Bilancium ſui crediti, dubitaui, an Camillus probaſſet errorem, quem probare tenebatur? & fuit negatiuè reſponſum, nam cùm error calculi debeat concludenter * probari ab illo, qui allegat errorem. Decius *in l.*1.*num.*8. *C.de errore calculi,* Camillus non videbatur talem habuiſſe probationem. Licèt enim tempore relaxati mandati de menſe Aprilis, non eſſet maturatus terminus S. Ioannis de menſe Iunij; nihilominus Epiſcopus, videns ſe non poſſe vitare ſolutionem, cùm de tempore ſolutionis iam eſſet maturatus, potuit illum quoque ſoluiſſe, præſertim cùm in mandatis, contra Epiſcopum relaxatis non exprimeretur certa ſumma, ſed ſimpliciter eſſet dictum pro decurſis.

* allegans enim erroré tenetur illumprobare, vt per Seraphin. deciſ. 931.n.5. & 940.n.2.

3. Neque error calculi probabatur ex eo, quòd pecunia ſoluta non aſcenderet ad tantam ſummam, quæ poſſet comprehendere illum terminum, * quia ſolutio antea fieri potuerat. Alexander *in l.qui Romæ §.duo fratres, num.*54. *in fine, verſ.aut inſtrumento dicebatur, ff.de verbor. obligat.* Ruinus *conſ.*167.*num.*21.*lib.*2. Rolandus *conſ.*13. *num.*29.*lib.*1.

* præcipuè cùm in ſolutionibus non præſumatur error, Rota rec.p.1. dec. 400. n. 8. in fine.

Et ex his cenſuerunt Domini, reſpectu erroris non conſtare de ſufficienti probatione, an autem confeſſio facta per Procuratorem in quietantia Camillo præiudicauerit, alterius erat inſpectationis.

---

## *Pampilonen. Vicariæ de Ataun.*

### Die Veneris 12. Maij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Quaſi poſſeſſio ad præſentandum in Vicaria, ex vnico actu probatur.*

3 *Præſentatio effectuata inducit ius præſentandi, vt ſubſiſtat.*

6 *Petitorium, diuerſum eſt iudicium à poſſeſſorio.*

7 *Iuſpatronatus familiæ non poteſt præiudicari per ſucceſſorem.*

8 *Poſſeſſionis articulus quando agitur, præferendus eſt, qui reperitur in poſſeſſione.*

9 *Poſſeſſorio in iudicio duo contendentes de quaſi poſſeſſione, præferendus eſt is, qui in ea reperitur.*

## DECISIO CCCCXLVIII.

1. QVia vacante perpetua vicaria oppidi de Ataun, per obitum Bernardini de Arza, Don Philippus de Lezcano tanquam patronus dictæ Eccleſiæ, præſentauerat coram Ordinario Pamphilonen. Ioannem Bañes, & incolæ Parochiani de Ataun prætendentes Philippum non fuiſſe Patronum, nec Ioannem ab eo præſentatum habuiſſe qualitatem naturalitatis requiſitam, nec infra tempus legitimum præſentationem inſtitutam, iuxta concordiam inter D. Bernardinum de Lezcano huius Philippi anteceſſorem, & incolas initam anno 1521. præſentauerant Martinum de Gomenzoro, & Vicarius Pamphilonenſis ad fauorem Philippi pronunciauerat, eum eſſe vicariæ Patronum, mandans, vt intra menſem præſentaret, cauſa intoducta in Rota, dubitaui, pro qua parte probaretur melius ius præſentandi, ſeu illius quaſi poſſeſſio, ad effectum, vt intelligeretur, quæ præſentatio veniret præferenda; & die 5. Maij cauſa propoſita, & dilata, quia pro parte incolarum de Ataun peti-
2. tum fuerit differri propoſitionem, nunc cauſa iterum vtraque parte informante propoſita, Rota cenſuit præſentatum à Philippo fuiſſe præferendum; cùm enim non ageretur de canonizatione iuriſpatronatus, nec Ordinarius ſe opponeret, ſed hoc tantùm in hoc articulo quæreretur, quis ex præſentatis veniret inſtituendus, plura concurrebant pro Philippo, quàm pro incolis, vt dicendum foret, Ioannem Bañes præferendum, & inſtituendum: quoniam ad prædictum effectum inſtituendi ad vicariam præſentatum à Philippo, ſatis erat iſtos de Lezcano reperiri in quaſi poſſeſſione ad illam præſentandi, quæ ex vnico etiam actu acquiritur.* Oldradus *conſ.*312.*n.*2. Calderinus *conſ.*23. *de præbend.* Federicus de Senis *conſ.*240. *num.*2. maximè, cùm de effectuatione non dubitaretur; primum enim Bernardinus de Lezcano, huius Philippi proauus, per teſtes probabatur, olim præſentaſſe quendam Aldaola, qui fuerat ab Ordinario inſtitutus, & poſſederat vicariam vſque ad obitum.

* adde Lud. deciſ.452.n.20. Coc.dec.245.n.2. & fuit dictum in Romana beneficiorũ coram ſacrato impreſſa penes March. de commiſſ. p.1.pag.439. Rotã rec.p.2. dec.174.n.1. & dec.758.n.4. quãdo autẽ talis quaſi poſſeſſio ex vnico actu præſentandi non ſufficiat ad retardandam executionẽ literarum Apoſtolicarum, vide Rotã rec.p.1. dec.381.n.3.

Rurſus, per obitum Aldaolæ, Philippus Lez-
3. canus, huius Philippi auus, † ad eandem vicariam præſentauerat quendam Dominicum Barandiaran, qui ſubſecuta inſtitutione illam poſſederat, vt idem Dominicus confeſſus fuerat coram Viſitatore, & teſtificabantur teſtes examinati anno 1557. ſuper 1. articulo.

† & quaſi poſſeſſio prę-ſentandi trãſit in hęredẽ, Rotarec p.2. dec.337.n.3.

Præterea, Dominico vitâ functo, ad eiuſdem Philippi præſentationem fuerat de eadem vicaria prouiſus Bernardinus de Arza, vltimus illius poſſeſſor, prout declarabant aliquot incolæ vniuerſitatis de Ataun, qui per cenſuras hanc veritatem fuerant confeſſi; cùm enim vſque ad litem motam eſſet continuata hæc quaſi poſſeſſio * præſentandi ad iſtam vicariam, in domo, & familia de Lezcano, & pro parte incolarum non oſtenderentur aliquæ præſentationes, nec per teſtes probaretur, eos aliquando præſentaſſe, aut eorum præſentationis ſubſecutam inſtitutionem, Ordinariorum effectum fuiſſe ſortitas, meliùs videbatur probatum ius præſentandi pro parte illorum de Lezcano, vt propterea Ioannes à Philippo præſentatus veniret inſtituendus,
4. ſtatus enim vltimus, † qui pro Lezcanis oſten-
5. debatur effectuatus, erat attendendus, *cap. conſultationibus, de iure patron.* Abbas *in cap.querelam, num.*5.*de electionib.* Crauetta *conſ.*322.*num.*5. Decius *conſ.*126. *num.*2. Rota *deciſione* 14.*de iurepatron.in antiq.*

* & ius pa[illegible]natus pro[illegible] ex cõtinuatis [illegible]ſẽtationibus effectũ ſortitis, vt per Caualer.dec.30.n.2. Coc. dec.386.n.2. & ſuprà dec.300.vbi aliàs dec. annotaui, Rota rec. p.1.dec.224.n.7. & 8. & ferè per totã & alias ſæpe.

† adde Duran.dec.199.n.13.& 413.n.1.& 423. Caualer.dec.197.n.1.& ſeqq. & alias ſæpe quando autem vltimus ſtatus non ſit attendendus, vide infrà deciſ. 1494.&1630. vbi aliasdec. ad materiam concernẽtes annotaui.

Quantum ad concordiam initam anno 1521. inter Bernardinum de Lezcano, & incolas de Ataun, in qua modò incolæ fundabant ſuam præſentationem, ex eo quòd Philippus non ſeruauerat pacta contenta in concordia, cùm non præſentaſſet filium naturalem, & originarium incolarum de Ataun, cùm Ioannes eſſet extraneus, neque intra menſem præſentaſſet, ſicut vigore concordiæ facere tenebatur, vnde prætendebatur, ius præſentandi fuiſſe ad incolas deuolutum?

6\. lutum? Reſpondebatur per Dominos, hoc reſpicere petitoriũ longè à poſſeſſionis * cauſa diuerſum. *l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. poſſ.*

* adde Coc. dec. 378. n. 9. Rotam rec. p. 2. dec. 211. n. 2. in fine & ſuprà deciſ. 39. n. 8.

Item dicebatur per informantes pro Lezcanis, ideo concordiam moderno Philippo Lezcano non obſtare, quia cùm Bernardinus non fuerit primus fundator, vt ius patronatus eſſet re-

7\. ſeruatum familiæ de Lezcano, non potuit præiudicare ſucceſſoribus, mutando vel alterando iuſpatronatus. Ferretus *conſ.* 134. *num.* 12. Paulus de Caſtro *conſ.* 44. *num.* 4. *lib.* 2. Molina *de Hiſpanorum primogen. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 31. *& ſeq.* Lambertinus *tract. de iurepatron. lib.* 1. *art.* 8. *ſecundæ quaſt. principalis* 2. *part. num.* 6. addebantque ita fuiſſe deciſum coram bon. mem. de Rubeis die 28. Maij 1563. vbi concordia fuerat declarata nulla & inualida.

Sed hæc reſponſio non videbatur ſubſiſtere ex duobus, primò, quia in primis in illa deciſione cum duobus præſuppoſitis fuerat dictum, concordiam non præiudicaſſe ſucceſſoribus, primò quòd conſtaret de iure patronatus.

Secundò, quod ille Bernardinus, qui concordiam fecerat cum incolis, non fuiſſet primus fundator iuriſpatronatus; de his autem nondum nobis conſtiterit.

Tertiò reſpondebatur, concordiam non fuiſſe obſeruatam, cùm pro parte incolarum non probaretur, præſentationes factas per illos de Lezcano, non aliter fuiſſe admiſſas, quàm cum prædictis qualitatibus in concordia narratis.

8\. Sed hæc reſponſio potius videbatur facere pro incolis, quàm tueri ius familiæ de Lezcano, & illud in primis vrgebat, quia ſi Philippus acceptauerat concordiam, & ipſa in aliqua parte vtebatur, non videbatur modò illam potuiſſe impugnare, de quo erat particulariter videndum.

Quare omiſſis vltimis iſtis reſponſionibus altiorem in petitorio indaginem requirentibus, concluſum quòd cùm verſaremur in articulo poſſeſſorij, & ideo contenderent de quaſi poſſeſſione præſentandi, illius præſentatio erat præ-

9\. ferenda, qui reperiebatur in quaſi poſſeſſione * præſentandi. Abbas *in cap. cùm veniſſent, n.* 21. *de reſtit. in integr. & cap. ex litteris, num.* 6. *& ſeq. de iurepatron.* Decius *conſil.* 127. *num.* 1. Lambertinus *de iurepatron.* 4. *art.* 3. *quaſt. princip. prima part.* 2. *lib. num.* 1. *verſ. ſed poſtmodum electio*; & ſic Ioannem à Philippo præſentatum inſtituendum.

* adde Seraphin. dec. 499. n. 1. & 884. n. 2. & 3. hæc dec. fuit confirmata per Manticã dec. 86. n. 1.

---

## *Albenſis iuriſpatronatus.*

### Die Mercurij 17. Maij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Beneficium in dubio præſumitur liberum, & ideo allegantí eſſe iuris patronatus, incumbit onus probandi.*

3 *Ius patronatus probatur ex donatione, & fundatione præcedente, non ex priuilegijs.*

4 *Collatio facta beneficij liberè, & non ad præſentationem fundatoris, ex eo inducitur non eſſe iuriſpatronatus.*

5 *Relatum eſt in referente, ſi conſtet in relatione de rebus, cum ſuis qualitatibus.*

## DECISIO CCCCXLIX.

1\. PRætendebant Domini de Grinciis ius patronatus in Capella Sancti Petri oppidi de Vlmeictæ, & Sanctæ Mariæ de Albareto Alben. diœceſ. de quibus anno 1587. per Sedem Apoſtolicam fuerat prouiſus Antonius Palearius, & quia ex iſto potiſſimum capite prouiſio Apoſtolica reuocabatur in dubium; dubitaui, an conſtaret de iurepatronatus in Capella S. Petri, ad effectum annullandi Apoſtolicam prouiſionem, in qua Palearius nullam iuriſpatronatus laicorum mentionem fecerat: & Domini partem negatiuam amplexi cenſuerunt, non conſtare de iurepatronatus, cùm enim in dubio be-

2\. neficium * præſumatur liberum, Puteus *dec.* 192. *num.* 3. *lib.* 1. Grinciis aſſerentibus iuſpatronatus, incumbebat onus illud probandi, Ioannes Andr. *in cap.* 1. *num.* 2. *de litis conteſt. lib.* 6. notant Abbas, Felinus, & alij communiter *in cap. conſtitutus, de reſcript.*

* adde Mantic. dec. 360. n. 4. & ſuprà dec. 436. n. 7. & Rotam recen. p. 2. dec. 311. n. 3. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur, & infrà deciſ. 874. n. 2.

Hæc autem probatio iuriſpatronatus ex dotatione, & fundatione præcedenti deſumenda

3\. erat, non ex priuilegio, † quia iura patronatus ex priuilegiis Concilium Trident. ſuſtulit *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. illi verò de Grinciis in hoc caſu non produxerunt aliquam fundationem, vel dotationem.

† adde Lud. dec. 397. n. 1. vbi ann. n. 6. plura de hoc art. tradit.

Quam non poterant conſtituere in quodam inſtrumento conceſſionis iuriſpatronatus, factæ per Epiſcopum Albenſem Balthaſari Grincio

4\. anno 1513. quia licèt id inſtrumentum fuiſſet in forma probante, non ſuffragabatur Grinciis, cùm inde non probaretur aliqua dotatio, vel fundatio, ſolùm enim narrabat ille Epiſcopus, quòd Balthaſar ſibi expoſuerat prædictam Eccleſiam, ſeu Capellam Sancti Petri fuiſſe fundatam per quendam Presbyterum Salomonem de Grinciis, eius fratrem, ex qua aſſertione Epiſcopus conceſſerat iuſpatronatus, quod tamen non erat ſufficiens, cùm de aſſignatione dotis non conſtaret, & cùm ex prima collatione * appareret, illud fuiſſe liberè collatum, & non ad præſentationem fundatoris, aut hæredum illius, inde colligebatur, fundatorem voluiſſe illud relinquere liberum. † Felinus *in cap. ſignificauit, n.* 2. *de teſtib.* Lambertinus *de iurepatro lib.* 1. *par.* 1. *q.* 2. *art.* 4. *n.* 19. *verſ. eſt bene verum,* Abbas *conſil.* 106. *num.* 2. *lib.* 2.

* vltimus ſtatus quando attendi debeat, vide infrà deciſ. 1630. & 1494. vbi annotaui alias dec.

† adde Rotam rec. p. 2. dec. 515. n. 2.

5\. Neque ſupradictis refragabantur illa verba contenta in inſtrumento prædictæ conceſſionis, nempe, *prout ex inſtrumentis rogatis.* quia præterquam quòd illa inſtrumenta non fuerant producta, non erat ſtandum referenti, niſi conſtaret de relato, cum ſuis qualitatibus. *

* Lud deciſ. 522. num. 10. Rota recen. p. 1. dec. 187. n. 7. & 457. n. 2. Coc. dec. 50. n. 2. & 56. n. 2. & deciſ. 76. num. 7. & dec. 77. n. 14. & 488. n. 1. & aliàs ſæpe infrà dec. 501. n. 4.

Præſentationes factæ de anno 1513. & 1563. non releuabant, cùm neque plenè conſtaret de titulo præcedente, ſuper quo fundari debuerunt, neque doceretur, effectum fuiſſe ſortitas.

---

## *Calaguritana iuris ſepeliendi.*

### Die Lunæ 22. Maij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Tutor pupillæ, cuius vtilia agere tenetur, non debet ei præiudicare.*

DECI



## DECISIO CCCCL.

1\. VNa tantùm parte pro D. Mariana informante, propoſita cauſa ſuper dubio, an conſtaret de bono iure eiuſdem Marianæ, fuit deciſum, conſtare tum ex teſtamento Martini de Acha, qui Capellam conſtruxerat, & præceperat neminem in ea ſepeliri, niſi ſucceſſorem in domo de Guilleſtigui, & conſequenter in dicta Capella ſucceſſerat, ſicut ſtabilitum fuerat in deciſione in hac cauſa facta die 17. Aprilis proximè præteriti, * ex qua licèt facta fuiſſet ad effectum mandati de manutenendo, dicebant Domini, bene etiam fuiſſe probatum bonum ius Marianæ, quæ cùm ſucceſſerit in domo de Guilleſtigui, ſine difficultate ſucceſſerat etiam in Capella ſicut in dicta deciſione copioſè deductum fuerat.

† ſuprà dec. 442.

Nec Marianæ nocuerat factum tutoris, permittentis in ea Capella ſepeliri Annam, Mariæ

2\. Perez matrem, quæ non ſucceſſerat in prædicta domo; quia tutor pupillæ, cuius vtilia genere debuit, præiudicare non potuit.

---

## *Romana Conſignationis depoſiti.*

### Die Mercurij 24. Maij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Receptione ſortis principalis tollitur obligatio receptionis damni & intereſſe.*

3 *Sententia lata ſuper negotio principali, extinguitur ius petendi acceſſiones.*

4 *Actionis iure peti poteſt acceſſio dotis, vel augmentum eius, etiam poſt ſolutam ſortem principalem.*
*quod extenditur tam ad fructus naturales, quàm ciuiles, n* 5.

6 *Mulieres dotatas eſſe intereſt reipublicæ.*

7 *Mulier poteſt petere intereſſe per retardationem ſolutionis.*

## DECISIO CCCCLI.

1\. DOmini ſteterunt in deciſis ad fauorem Paſcuæ de Blanches coram R.P.D. Orano die 14. Nouembr. 1594. & quia in hac propoſitione difficultas potiſſimum fuerat relicta ad damna, & intereſſe, quæ per receptionem ſortis principalis Paſcuam remiſiſſe prætendebatur. *l. terminato, C. de fructib. & lit. expenſ. l. eos qui. C. de vſuris.* Bartol. *in l. fin. num.* 3. *verſ. circa quod ff. de eo quod cert. loco,* Iaſon *in l. ſi de certa re, num.* 4. *C. de tranſactio.* propterea hoc articulo maturè diſcuſſo fuit reſponſum, id habere locum in pœ-

2\. nis & odioſis vſuris, * quæ ſi non ſunt promiſſæ per ſtipulationem, cùm per ſe non ſubſiſtant, non debentur iure actionis, ſed officio iudicis mercenario. Baldus *in l. cùm quidam. §. præterea, num.* 3. *C. de iure dot.* ideo lata ſententia

* vide infrà deciſ. 1026. n. 7.

3\. ſuper negotio principali, vel ſorte ipſa principali ſoluta, extinguitur ius petendi tales acceſſiones. *l.* 4. & *ibi* communiter Doctores, Alexander *num.* 6. Iaſon *num.* 4 *C. depoſiti.* idem Iaſon *in §. actionum, num.* 52. & *ibidem* Gomezius *num.* 20. *Inſtitut. de actionibus,* & Matheſilanus *notab.* 90.

4\. Cæterùm in interuſurio, * & fructibus dotis † ſecus eſſe, qui æquè principaliter, & tanquam dos ipſa cùm ſint dotis acceſſiones, & ad dotis augmentum * pertineant, petuntur iure actionis, vnde poſt ſolutam ſortem principalem, ſuper fructibus non ſolutis competit actio. *l. ſi marito. §. ſi fundum dotalem.* vbi Baldus, Bartolus, Romanus, & alij, *ff. ſoluto matrim.* Campegius *tract. de dote quæſt.* 193. *parte* 2. Baldus Nouellus *de dote, parte* 2. *princip. num.* 11. Cephalus *conſ.* 485. incip. *Magnifici Domini, num.* 113. *& multis ſeqq. lib.* 4.

* adde Rotã rec. p. 2. dec. 80. n 2. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

† adde Lud. dec. 93. n. 2. & 3 vbi ad propoſitum pręsẽs dec. allegatur, & de materia latè agit annot. ibidem, & March. dec. 43. n. 5.

5\. Et quamuis textus *in d. l. ſi marito*, loquatur de fructibus naturalibus, ſaltem ex æquitate, extenditur ad fructus etiam ciuiles, in quibus locum habere voluit. Baldus *in d. l. cùm quidam. §. præterea, num.* 3. *C. de iure dot.*

* dos enim eius augmẽtum à pari procedunt, vt per Seraphin. deciſ. 666. n. 2.

6\. Quòd maximè æquum eſt fauore dotium, cùm valde Reipublicæ interſit dotatas eſſe mulieres. *l.* 1. *ff. ſolut. matrim.* vnde ſapienter Theologi, & vtriuſque iuris periti cenſuerunt, intereſſe retardatæ ſolutionis dotis ſoluto matrimo-

7\. nio, † vxorem petere poſſe, & ſibi deberi, Couarruu. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. *& ſeq. variar. reſolut.* Antonius Gomezius *l.* 50. *Tauri, num.* 48. Molina *lib.* 4. *de Hiſpanor. primogen. cap.* 5. *num.* 6. Menochius *de arbitrar. caſu* 194. *num.* 56. *lib.* 2. quod in primis procedit, quando per ſtatutum loci taxaretur intereſſe. Couarruu *præcitato loco, verſ. Octauò hinc colligitur,* Ioſephus Ludouicus *deciſione* 31. *num.* 34.

† adde Seraphin. dec. 1423. n. 1. & 2. & 1430. n. 1. Mantic. dec. 26. n. 2. & Durand. dec. 11. n. 21. qui alias deciſ. allegat.

8\. Ac ſaltem ratione moræ * competere D. Paſcuæ actionem contra collegium Notariorum, quod marito Paſcuæ ſucceſſerat; dixerunt Domini, addentes ad liquidationem fructuum ſeruire ſtatutum vrbis, *lib.* 1. *cap.* 137. quo cautum extat, dotis fructus redactos eſſe ad rationem ſeptem cum dimidio pro quolibet † centenario, & anno, & ſic taxandos pro mora non ſolutæ dotis.

* adde Seraphin. dec. 1406. n. 4. & 5 Manticam dec. 171. n. 4.

† adde Duran. dec 419. n. 1. & 441. n. 1.

Voluerunt tamen, quòd Paſcua iura ſua cederet Notariorum Collegio, loco cautionis de euictione.

Ad obiectiones ſuper defectu mandati, & ſuper ſecunda, & tertia interpellatione, per quas prætendebatur receſſum à prima, & remiſſa omnis mora, placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes pro Paſcua.

---

## *Neapolitana Cenſus.*

### Die Mercurij 24. Maij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Teſtes nulliter, & inualidè examinati, nihil probant.*

3 *Nullitas examinis teſtium conſideratur ex defectu citationis.*

4 *Citatio eſt neceſſaria ad videndum iurare teſtes, aliàs non valet examen.*

5 *Citatio vaga, & incerta eſt inualida.*

## DECISIO CCCCLII.

1\. POſt productos teſtes vigore Remiſſoriæ examinatos, pro parte D. Abbatis Paulutij, dubitaui, an probaretur ſcientia Iuliæ Staibanæ,

ita vt foret recedendum à reſolutis, & Domini cenſuerunt non conſtare de tali ſcientia Iuliæ, quam nox probabant teſtes nulliter, * & inualidè examinati. Verallus *deciſione* 207. *n.* 7. *&* 8. *part.*2. *& deciſione* 274. *num.*5. *part.* 3. nullitas erat clara, ex quo decreta ſubſtantialia iudicij, nempe deputationis Notarij, & horæ ad examinandum, fuerunt facta ſine citatione. *l.de vnoquoque.ff. de re iudic.* rurſus non præceſſit citatio ad videndum iurare teſtes, quæ tamen erat neceſſaria, ad examinis validitatem.
2\. † Rolandus *conſ.*86. *n.* 14. *lib.*1. Verallus *deciſ.*4.
3\. *n.*2. *&* 274. *n.*3. *parte* 3.

*adde Coc. dec.119.n.1. Mantic. dec. 243. n. 3 & 155.n.2.& 3. & 203. n. 2. & dec. 206. n. 1. & ſeqq. & aliàs ſæpe.

4\. Neque obſtabat quædam in proceſſu reperta, quia erat pro ſingulis diebus, & horis, & ideo tanquam vaga, & incerta, * reputabatur inualida. Verallus *dicta deciſione* 274. *num.*1. *&* 2. *parte* 3.

† adde ſuprà deciſ.193. n. 19. & 445. n.1. vbi alias deciſ. annotaui, & infrà dec.746.n.2.

Præter iſtos, & alios defectus per informantes pro D. Epiſcopo conſideratos, ex quibus
5\. non poterat examen ſuſtineri, dicebatur, quòd
6\. licèt teſtes fuiſſent validè examinati, & probarent ſcientiam Iuliæ; illa tamen non releuabat, cùm ſolùm teſtificarentur, Iuliam habuiſſe ſcientiam ceſſionis omnium rationum, anterioritatum, & obligationum factæ Abbati Paulutio, contra Camillum, non autem contra Epiſcopum, Camilli fratrem, ideo enim Epiſcopus non remanſit Paulutio obligatus, quia Iulia non ceſſerat expreſsè iura ſua Abbati contra Epiſcopum, vt fuit reſolutum die 30. Aprilis 1593. † coram me in eadem cauſa, & ſic locus erat doctrinæ Saliceti *in l.*1. *num.*2. *C. de his qui in prior.credit. locum ſucced.* & aliorum allegatorum in deciſione facta die 25. Octobris 1593. * ex quo enim Paulutius non curauit habere anterioritatem, & obligationem contra Epiſcopum, vt etiam ex eiſdem Paulutij teſtibus colligi videbatur, Epiſcopus fuit liberatus.

*adde Rotã rec.p.1 dec. 120.n.2. Lud. dec.268.n.3. Mant. dec 9. n. 2. & aliàs ſæpe; licèt talis citatio poſſit ſuſtineri pro prima die in qua teſtes examinati non erunt nulliter, Caual.dec.376. n.9. Seraph. dec.857.n.6. & 23. & fuit etiam extenſum vſque ad duos dies in vna Beneuẽtana decimarum coram Litta impreſſa penes Marcheſ. de commiſ.p.3. pag.103.n.4. & ad ſummũ vſq; ad tres. Rota rec.p 1. dec.159.n.3. & 307.n.9.

† ſuprà dec. 297.

Et ex his fuit concluſum, non fuiſſe recedendum à deciſionibus, in hac cauſa factis, ad fauorem Epiſcopi Monopolitani.

---

## *Calagurritana penſionis.*

### Die Lunæ 29. Maij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Penſio ab Epiſcopo in beneficio reſeruari non poteſt, niſi ex cauſa rationabili, in certis caſibus.*
3 *Penſio reſeruata in beneficio, ratione compromiſſi, non ſubſiſtit, niſi de ſuperioris auctoritate.*
4 *Conditionalis actus ante adimplementum conditionis, nihil ponit ineſſe.*
5 *Penſionem nulliter conſtituens, adhuc re integra poteſt pœnitere.*
6 *Conditio reciproca operatur, quòd ſi vna pars deficiat, quidquid eſt geſtum, corruat.*

## DECISIO CCCCLIII.

1\. ORta lite anno 1581. inter Ioannem Baptiſtam de Beſſabe, & Ioannem de Ayo, & Thomam Calleſſam ſuper dimidia portione vacante, in Eccleſiis Parochialibus oppidi de Victoria, ad eam dirimendam, in quoſdam arbitros compromiſerunt, qui paulo pòſt, de licentia Ordinarij, & ſub beneplacito Sedis Apoſtolicæ pronunciarunt, quòd ſi Ioanni de Ayo à prouiſore Calagurritano dicta portio adiudicaretur, ille loco annuæ penſionis, octo tritici fanecas Ioanni Baptiſtæ quolibet anno perſoluere teneretur.

Cæterùm, quia licèt prouiſor Ioanni de Ayo, portionem adiudicaſſet, ille penſionem prædictam ſoluere recuſauit, dubitaui, an fuiſſet validè reſeruata, ita vt Ioannes teneretur ad illius ſolutionem, vel conſtituere Procuratorem ad conſentiendum illius reſeruationi, vel lis, & cauſa reſtituenda foret in priſtinum ſtatum.

Et ſolo Ioanne Baptiſta Beſſaue, (qui ſibi penſionem deberi prætendebat) informante, Rota cenſuit, penſionem non fuiſſe validè reſeruatam, quia non fuit conſtituta ab Epiſcopo, * neque de eius conſenſu ex cauſa rationabili, (ſicut requiritur in caſibus, in quibus poſſent Epiſcopi penſiones validè reſeruare) vt fuit deciſum in illa Mileuitana Canonicatus † die 6. Martij proximè præteriti, coram R. P. D. meo Millino ad Felinum *in cap. ad Audientiam lo* 2. *num.* 2. *& ſeq. de reſcript.* & Gigantem *tract. de penſionib. quæſt.* 6. *num.*2. quoniam vt amicabilis compoſitio valeat, & partes à vitio ſimoniæ excuſentur, * conuentio de penſione reſeruanda, à ſuperioris auctoritate, non ab ipſis partibus, vel à compromiſſariis initium habere debet. † Ioannes de Anania *in cap. audiuimus, num.*3. *de colluſ. detegen.* 2.

* qui iuſta exiſtẽte cauſa poteſt pẽſionẽ reſeruare, Rota rec p.2. dec. 166. n. 5. & 303.n.3.

† habetur penes Marcheſ. de cõmiſſ.p.1.pag. 611.

Rurſus, cùm arbitri ſub conditione Apoſtolici beneplaciti penſionem reſeruauerint, nec fuit valida, nec Ioannes Ayo ad illius ſolutionem tenebatur, ante adimpletam conditionem; nam conditio non purificata nihil ponit * in eſſe. *l.eius qui in Prouincia, ff. ſi cert. pet. l. Thais. §.Stichus ff.de fideicomm.libert.* Ruinus *conſil.*181. *num.* 2. *lib.* 1. & ex hoc dicebant aliqui ex Dominis, ceſſare difficultatem, ita vt non foret neceſſarium diſputare, an Ordinarius ex bono pacis vni conferendo beneficium, poſſit penſionem alteri reſeruare. 3. 4.

* adde Rotam rec. p. 1. dec 437.n.2.

† vide infrà deciſ. 1220. n.2. & ſeq.

* Durand. deciſ.365.n. 18. & 339.n. 36. Caualer. dec.183.n.2. & 251.n.1.& aliàs ſæpe.

Quantum ad ſecundum, negatiuè etiam reſponſum fuit, videlicet non teneri Ioannem Ayo conſtituere Procuratorem, ad conſentiendum reſeruationi penſionis, tum quia re adhuc integra potuit pœnitere. Creſcent. *deciſione* 5. 5.
*tit.de procuratoribus, in impreſſis,* tum etiam, quoniam in compromiſſo non ſe obligauerat, ad petendam confirmationem, vel conſtituendum Procuratorem ad conſentiendum penſioni, quam Compromiſſarij excogitauerant, vnde non conſtringebatur vigore iuramenti Capella Toloſana *deciſione* 261.

Quoad tertium Rota affirmatiuè reſpondit, Ioannem de Beſſaue ad priſtinum ſtatum redire, & iuribus ſuis experiri poſſe, cùm non aliter concordiæ fuit viſus conſenſiſſe, niſi ſibi fuiſſet penſio validè reſeruata, qua deficiente defuit eius conſenſus, * & ceſſio litis non videtur aliter facta.

* Lud. dec. 117.num.10. Mantic. dec. 27.n.2. & 3. Seraph. dec. 838.n. 4. & ſequent. & aliàs ſæpe.





---

## *Peruſina executionis.*

### Die Lunæ 5. Iunij 1595.

### SVMMARIVM.

2.3 *Æſtimatione facta à partibus alicuius rei, ſi vna pars non reclamet, tacitè approbat.*
4 *Appellatio recipit declarationem ex proſecutis.*
5 *Reclamatio æſtimationis ſi non fiat à parte à pluribus annis, videtur conſenſiſſe ei.*
6 *Productio ſcripturæ facta à parte, inducit approbationem illius.*
7 *Æſtimatio ſecunda rei non debet fieri, ſi per longum tempus prima fuerit facta, & in eo pars non reclamauerit.*
8 *Difficultates ſunt obuiandæ, vt ordo ſeruari poſſit.*

## DECISIO CCCCLIV.

1\. * DOmini cenſuerunt, non fuiſſe locum nouæ æſtimationi: primam enim factam à Bernardino de Caualiero, Comes Rainutius Balleonius, à quo cauſam habuit D. Alphonſus Mareſcottus, non videbatur improbaſſe; & licèt D. Marchio à Cornea ab illa appel-
2\. lauerit, ex proſecutis tamen apparebat, eum etiam non improbaſſe æſtimationem à prædicto Bernardino factam, reſpectu medietatis domus Peruſij conſtitutæ, ex his enim dicebatur, ambas partes viſas fuiſſe acceptaſſe prædictam æſtimationem reſpectu domus, & ei ſaltem facto ipſo acquieuiſſe videbantur, nam à iudicio Clementini pro parte Raynutij non apparebat appellatum. *l.*1. *C.de re iudicata.* Alexand. *conſ.*30. *num.*18. *lib.* 5.

* habetur hæc dec. impreſſa per Pac. poſt tractat. de Salu. inter. dec.65.

3\. Neque æſtimatio Clementini cenſebatur imperfecta ex eo, quòd non comprehenderet partem domus, quia cùm illa fuiſſet æſtimata, & partes ei acquieuiſſent, non fuerat denuò æſtimanda.

4\. Neque appellatio pro parte Marchionis interpoſita ſuper dicta æſtimatione, eam infringebat, cùm ex proſecutis appareret, eam non fuiſſe reſpectu æſtimationis domus, ex proſecutis enim tam ſententia, quàm appellatio recipiebat declarationem. Alexand. *conſ.*49. *num.*9. *lib.*7. Curtius iunior *conſil.*179. *num.* 2. *lib.*2.

Quòd verò Rota ſemel die 11. Maij * 1582. coram R. P. D. meo Decano cenſuit, primam æſtimationem fuiſſe nullam, & propterea tunc placuiſſe, vt iterum fieret, quia ſecunda etiam fuerat imperfecta propter non æſtimatam domum Peruſinam, non refragabatur, cùm poſtea die 7. Februarij ann. 1586. coram eodem D. Decano * ab illa deciſione oſtenderetur receſſum.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 577. n. 9. & vide eundem Seraphin. deciſ.513.

* non inueni hanc deciſ. inter impreſſas Seraphin. tunc Decani.

Supradictis accedebant duæ potiſſimum Dominorum conſiderationes; prima, quia pluribus annis ab illis æſtimationibus non fuerat recla-
5\. matum. Socinus ſenior *conſil. vltimo num.*3. *verſ.*
6\. *poſtremò lib.*3. quinimo Raynutius æſtimationem produxerat, * & ideo approbaſſe cenſebatur *Pedemontana deciſ.*39. *num.*23. *&* 23.

*Duran. dec. 433.n.6. Ludouiſ. deciſ. 238. num. 5. & 402.n.3.& aliàs ſæpè.

Altera, quoniam ab anno 1549. quo æſtimationes prædictæ factæ fuerant, tantum tempus defluxerat, vt noua æſtimatio petita pro D. Alphonſo difficulter fieri poſſe videretur, ideoque non erat concedenda. Caſſadorus *deciſ.*2. *de dilat.* Verallus *deciſ.*66. *part.* 3. nam ob temporis antiquitatem, aut facta non releuaret, aut multis futura eſſet opplera difficultatibus, quibus eſt obuiandum. *l.ordo. C. de execut. rei iudic. l. properandum. C.de iudic.* maximè ſtantibus tot ſententiis Rotalibus deſuper fundatis.

---

## *Salamantina Coadiutoriæ.*

### Die Veneris 9. Iunij 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Coadiuti excommunicatio non poteſt nocere Coadiutori.*
3 *Coadiuto excommunicato, non impeditur Coadiutor præſtare ea, quæ ex propria perſona poteſt exercere.*
4 *Coadiutor ſi inſeruiat ad propriam vtilitatem, non ei nocent impedimenta coadiuti.*

## DECISIO CCCCLV.

De hac cauſa & circa eius articulum agit Garcia de benef.4.p. cap.5. an.83. vſque ad 87. De materia huius deciſionis ſuprà dec.314.392. & 398. Thanis dec. 26. Put. dec. 284.lib.1.

SIxtus Papa V. Antonio de Oquendo, Canonico Salamantino deputauit Coadiutorem, Ioannem Baptiſtam Palancum cum futura ſucceſſione, ita vt Coadiutoria durante, Polancus ratione ſui laboris, & ſeruitij, non poſſet lucrari, vel prætendere aliquid præter manualia, & Miſſas ad valorem 90. ducatorum auri de Camera aſcendentia; ſed quoniam contigerat dubitari, an ſi Antonius Canonicus coadiutus foret excommunicatus, Polancus lucraretur prædictam portionem, ſibi in litteris Apoſtolicis reſeruatam, & aſſignatam ratione ſui perſonalis ſerui-
tij, & laboris, ideo propoſito dubio in Rota, Domini affirmatiuè reſponderunt, quia licèt Polancus haberet cauſam ab Antonio, eius tamen facultas percipiendi prædictam portionem à poteſtate Papæ dependebat. *cap.*1. *de cleric. agrotan. lib.*6. & propterea excommunicatio coadiuti ſibi nocere non poterat, Ioannes de Imola *in cap.fin. in fine, de procuratorib.* Rurſus quoniam excommunicato Antonio coadiuto, non impediebatur Polancus Coadiutor præſtare ea ſeruitia Eccleſiæ, quæ Antonius non exiſtens excommunicatus, & volens intereſſe, præſtare tenebatur, vnde cùm Polancus ex propria perſona, & proprio iure, ratione officij Coadiutoris inſeruiret, optimo iure lucrabatur illa emolumenta, quæ ſibi Papa propterea aſſignauerat. 1.

Poſtremò difficultas ceſſabat, quia ex hoc quòd Polancus inſeruiret, & lucraretur illa emolumenta ſibi aſſignata, nullum commodum percipiebat Antonius excommunicatus, quæ ratio vitandi inconueniens, fuit conſiderata in eadem cauſa die 20. Iunij anni præteriti coram me. * 2. 3.

* ſuprà deciſ.392.

Vnde cùm Coadiutor ageret ad propriam vtilitatem, non ad commodum coadiuti excommunicati, non obſtabant tradita per Innocentium *in d. cap. fin. de procuratorib.* neque Oldradum *conſil.*44. 4.

## *Camerina ſucceſſionis.*

### Die Lunæ 12. Iunij 1595.

SVMMARIVM.

3 *Soror, excluſo patruo magis remoto, ſuccedit ſorori.*
4 *Idemque iuris eſt in filijs ſororis defunctæ.*
5 *Stricta interpretatio debet fieri in ſtatutis, vt minimus à iure communi recedatur.*
6 *Succedendi ius poſthumis ab inteſtato non impediri.*
7 *Statutum non debet tollere debitam ſucceſſionem ſororibus de bonis fratrum.*
8 *Succeſſio excludens aliquem, propter alium, ei cenſetur applicatum.*
9 *Caſus omiſſus ſtatuti regulandus eſt ſecundùm iuris communis diſpoſitionem.*
10 *Statutum loquens de hæreditate ſuccedenda filijs, intelligi debet de ea, de qua loquitur. & de qua, ſtatuentes intellexerunt, n. 11.*
12 *Statutum non intelligitur conditum fauore agnationis ad ſucceſſionem, niſi exprimatur.*
13 *Fideicommiſſum per ſtatutum poteſt induci.*

## DECISIO CCCCLVI.

1. LIb. 3. *cap.* 21. ſtatutorum Amerinæ de ſucceſſione decedentium ab inteſtato, his verbis conſtitutum extat, *Decedenti ab inteſtato, ſiue fuerit talis decedens habilis ad teſtandum, ſiue non, ſiue fuerit maſculus, ſiue fœmina, ſic ab inteſtato decedens cum liberis eius, legitimi, & naturales maſculi, hoc eſt, filius, nepos, pronepos, & alius, ſiue alij deſcendentes, maſculi tantùm ſuccedunt in tota hæreditate prædicta decendentis ab inteſtato, ſecundùm gradus prærogatiuam. Et ſi ex dicto tali decedente ab inteſtato remanſerint filiæ fœminæ, vna, vel plures ſine filijs maſculis vno, vel pluribus, vel alijs deſcendentibus ex maſculo, & ſuperſtitibus fratribus carnalibus dicti defuncti, vel eorum filijs maſculis, quod tunc dictæ fœminæ, vna, vel plures natæ ex dicto decedente ab inteſtato, non extantibus dictis maſculis, quod tunc dictæ filiæ fœminæ, vna, vel plures natæ ex dicto decedente ab inteſtato, non extantibus dictis maſculis, ſuccedant, & ſuccedere debeant in tota hæreditate ipſius defuncti, ſine maſculis deſcendentibus ex eo ex maſculina linea, dummodo quòd ſi dictæ filiæ fœminæ, vna, vel plures poſtea deceſſerint ſine filijs, quòd tunc dicta hæreditas olim ipſius patris dictæ fœminæ, ſic ab inteſtato, defuncti, & cius bona hæreditaria, præfata, deuoluantur, & conuertantur, ſpectent, & pertineant, detracta legitima debita iure naturæ, quæ debeant apud hæredes dictæ filiæ fœminæ, ſeu fœminarum defunctarum ſine filijs, ad fratres carnales, vnum, vel plures præfatos ipſius defuncti ab inteſtato, vel ad filios dictorum fratrum carnalium, ſeu fratris.*

2. Cùm verò ſuperioribus annis Anchiles Canſachus, ciuis Amerinus inteſtatus deceſſiſſet, ſuperſtitibus Ciſpia, & poſthuma filiabus, & hæredibus, & illæ ſimiliter obiiſſent, Ciſpia ſcilicet, relictis filiis maſculis, & fœminis; poſthuma autem ſine prole, quæ propterea Ludouicam Corradam matrem teſtamento vniuerſalem hæredem ſibi inſtituit, ei poſt mortem ſubſtituto filio maſculo, Ciſpiæ ſororis prædefunctæ, ſed cum Anchiles habuiſſet Sillam fratrem Germanum, & ex eo ſupereſſent Pompeius, & alij de Canſachis, iſti contra Ludouicum iudicium introduxerunt, petentes ab ea medietatem bonorum quondam Anchilis, eorum patrui, deducta legitima, prætendentes, ſe debuiſſe ſuccedere in portione poſthumæ, ſine liberis decedentis, vigore prædicti ſtatuti, diſponentis, quòd ſi fœmina vna, vel plures deceſſerint ſine filiis, tunc hæreditas defuncti ab inteſtato ad patruos, & eorum filios deuoluatur. Vnde cùm dato dubio quæſiuiſſem, an ſupradicto ſtatuto eſſet locus ſecundùm prætenſionem dominorum de Canſachis, & cauſa propoſita 10. Maij, & 5. Iunij fuiſſet dilata, quia pro parte Ludouicæ non fuerat informatum, denique die 12. præſentis, vtraque parte informante, Domini qui cauſam viderant, vno excepto, cenſuerunt ſtatuto locum non eſſe,
3. quia cùm de iure communi, ſoror excluſo patruo magis remoto ſorori ſuccedat, *Authen. ceſſante, & Authen. poſt fratres, C. de legitimis hæredib.*
4. idemque iuris ſit in filiis ſororis † prædefunctæ, qui in locum matris ſuccedunt ad hæreditatem amitæ, excluſis aliis tranſuerſalibus remotioribus, *Authen. vt fratrum filij, in principio*, & in ſtatutis ſtricta interpretatio fieri debeat, vt quantum fieri poteſt, * minus à iure communi recedatur, *Authent. quas actiones. C. de ſacroſanct. Eccleſ. cap. cùm dilectus, de conſuetud.* gloſſ. & Doctores *in l. fin. §. ſin autem, C. de iure deliberan.* ideo
5. diffinire oportuit, non fuiſſe locum ſtatuto † ad fauorem filiorum fratris Anchilis, ne & libera teſtandi facultas poſthumæ de bonis Anchilis patris, quæ ad ipſam peruenerant, tolleretur, contra iuris diſpoſitionem, §. *diſponat*, *Authent. de nupt.* & ne impediretur ius ſuccedendi eidem poſthumæ ab inteſtato, quod Ciſpiæ ſorori poſthumæ competebat. *dicta Authent. ceſſante, C. de legit. hæredib.* Statutum itaque Amerinum vocans patruos, & eorum filios ad ſucceſſionem vnius, vel plurium neptum, intelligendum erat, dummodo non remaneret, vel ſupereſſet altera ſoror, vel eius filij, qui de iure communi patruum, vel eius filios excluderent, cùm non eſſet veriſimile, ſtatutum voluiſſe tollere debitam ſucceſſionem ſororibus de iure communi. Aretinus *conſil. 37. num. 7.*
6. 

† adde Duran. dec. 36. n. 2. & ferè per totam, & dec. 111. n. 2. & 9. Rot. rec. p. 2. dec. 282. n. 3 & part. 1. deciſ. 417. & 316. n. 8.

* adde Duran. deciſ. 19. n. 9. 10. & 141. n. 9. plures refert noſter eruditiſſimus Portoles in tract. de conſor. & fideicom. legat. c. 5. n. 5. Rot. rec. p. 2. dec. 461. n. 3. & ſeq. & 620. n. 1. & part. 1. dec. 69. n. 5. & infrà deciſ. 615. n. 3. & 802. n. 6.

Præterea filiabus deſcendentibus cum filiis, ſtatutum fratrem maſculum defuncti excludebat, & apertè nepotes ipſos ex fœminis, fratri teſtatoris maſculo præferebat, vnde conſtabat, ſtatuentes voluiſſe præferre gradum deſcendentium, ipſis tranſuerſalibus, ſicut de iure communi præferendi fuerant, & regula etiam ſit, quòd excluſo aliquo propter alium, tunc illi alij cenſetur applicatum. Bartolus *in l. 2. §. videndum, num. 2. ff. ad Tertull.* Decius *conſil. 584. num. 4.* Curtius iunior *conſ. 93. num. 7.*
7. 
8. 

† quod eſt odioſum, vt per Seraph. dec. 811. n. 2. & ita debet intelligi ad litteram Rota recen. p. 2. dec. 660. n. 5. & p. 1. deciſ. 513. n. 11.

Quibus non obſtabant illa verba ſtatuti, *vna, vel plures poſtea deceſſerint.* quaſi quòd vna tantùm de pluribus decedente ſine filiis, portio hæreditatis patris illius deferretur ad fratrum patris, vel illius filios, quoniam dicebatur, prædicta verba ſingula ſingulis referenda fuiſſe, itaut vna decedente ſine filiis, quando pater vnam filiam reliquiſſet, tunc hæreditas ipſius patris, (dempta legitima ipſi filiæ debita) pertineret ad patruum, ſeu patris fratrem, & illius filios, quando autem pater plures reliquiſſet filias, tunc ſimiliter illis decedentibus ſine filiis, hæreditatis patris



tris detracta legitima, ſpectaret ad patruum, & ipſius filios, vnde cùm propoſito themate Anchiles, de cuius bonis agebatur, deceſſiſſet ab inteſtato pluribus relictis filiabus, nempe Ciſpia, & poſthuma; & ſola poſthuma deceſſerit ſine filiis, non erat locus ſtatuto, ſed potiùs hic caſus
9. tanquam omiſſus, regulandus videbatur * ſecundùm diſpoſitionem iuris communis *l. commodiſſimè ff. de liber. & poſthumis.*

* adde infrà dec. 496. n. 7. & deciſ. 639. n. 10. Rotam recen. part. 1. dec. 644. n. 4.

Cui interpretationi fauere videbantur illa ſtatuti verba, *dicta hæreditas olim ipſius patris prædictæ fœminæ*, &c. Neque enim dictum fuerat,
10. portio hæreditatis ipſius fœminæ, ſed hæreditas patris, & ſic tota, quæ fuit patris. *l. hæreditas, ff. de regul. iuris, l. nihil. ff. de verbor. ſignif.* nam ex quo dicebatur in ſtatuto hæreditatis patris, intelligebatur de tota & integra hæreditate, de qua
11. priùs locuti fuerant, ſtatuentes, ad notata per Doctores *in l. fin. de hæredib. inſtituen.* Crauetta *conſil. 98. num.* 8. & propterea neceſſariò videbatur ſtatutum loqui de deuolutione integra hæreditatis, quod contingit, quando per mortem vnius filiæ tota hæreditas poteſt deuolui ad patruum, & filios patrui, & ſic caſu quo vnam tantùm filiam relinqueret pater ab inteſtato decedens, & illa obiret poſtea ſine filiis, vel quando plures relinqueret, & omnes etiam illæ obirent, ſine filiis.

Quibus ita conſtitutis, non fuit neceſſarium videre an teſtes inducti pro Ludouica probarent conſuetudinem patriæ, conformem iuri communi, ſicut in ſuperioribus fuit deductum.

12. Hanc verò interpretationem non ſubuertebat illa ratio adducta pro Canſacchis, quòd ſtatutum eſſet conditum fauore agnationis, * quia præterquam quòd talis ratio non conſideretur in ſtatutis, quando non eſt in eis expreſſa. † Decianus *conſil. 13. num. 20. lib. 3.* ex eodem ſtatuto ſatis apparebat contrarium, ex quo filias agnatis maſculis præferebat. Crauetta *conſil. 306. num. 4.*

* de hoc art. vide Rotam rec. p. 1. dec. 463. & 548. & 563. n. 2.

† cùm non admittatur in ſtatutis excluſiuis extenſio de perſona ad perſonam ex identitate rationis. Rota recen. p. 1. dec. 104. n. 1. Seraph. dec. 497. & infrà dec. 615. n. 4.

Poſtremò non negabatur, quòd per ſtatutum poſſet induci fideicommiſſum, iuxta conſilium Pauli de Caſtro 441. *lib.* 1. ſed dicebatur, illud in quæſtionem venire, an hoc ſtatutum voluerit inducere fideicommiſſum per non obitum vnius, ex pluribus ſororibus, ad excluſionem alterius ſororis ſuperſtites, ſed per mortem vnius tantùm, & reſponſum ſicut hactenus dictum eſt.

13.

## *Placentina Decanatus.*

### Die Veneris 16. Iunij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Regulæ de annali, tempus non currit impedito, propter factum aduerſarij.*
3 *Tempus regulæ de annali, non currit impedito, propter factum aduerſarij, nec eſt neceſſaria proteſtatio partis.*
4 *Fatalia non currunt alleganti impedimentum.*
5 *Regulæ de annali, ſatis fit per diligentiam factam de expedienda cauſa in primo anno, licèt in vlterioribus non fuerit facta.*
6 *Diligentia, quæ non prodeſt licèt fiat, non eſt conſiderabilis, vt præiudicium temporis parti noceat.*
7 *Pœna legis non prodeſt ei qui renuntiauit eius fauori.*
8 *Regula de annali, annullat omnes alias gratias. quod limita, vt num. 9.*
10 *Regreſſus habet gratiam de præterito.*

## DECISIO CCCCLVII.

AGentes pro Decano Placentino voluerunt iterum audiri, ſuper regula de annali, & 1.
vtraque parte informante Rota ſtetit in deciſis,
* cenſuit enim, regulam Mirandæ non obſtare, cùm infra annum fecerit diligentias pro obtinenda cauſæ expeditione, quæ non potuit obtineri propter Remiſſoriam petitam, & obtentam à Decano, qui præſtitit impedimentum, & tempus regulæ non currit impedito propter factum 2.
aduerſarij. * Sarnen. *in regul. de annal. quæſt.* 14.

* ſuprà deciſ. 418.

Nec erat neceſſarium, quòd Miranda proteſtaretur, Anton. Auguſtinus *in epitome ſuper regula de annali. tit. intra annum cauſa eſt expedienda.* §. 3. 4. & 5. ſicut nec erat neceſſarium, quòd poſt annum faceret expedire cauſam, vt in terminis allegantis impedimentum, ne currant fatalia, habet deciſio Veralli 72. *part.* 2. quoniam regulæ 3.
de annali ſatisfit, per diligentiam factam de ex- 4.
pedienda cauſa in primo anno, † licèt in vlte- 5.
rioribus annis facta non fuerit, vt eſt apud Creſcentium *deciſ.* 238. incip. *Regulæ de annali lib.* 1. & in caſu propoſito videbatur ceſſare difficultas, ex quo impedimentum à Decano Mirandæ præſtitum durauit, vſque ad tempus concordiæ.

* adde Lud. dec. 172. n. 7. & deciſ. 532. n. 4. & 5. vbi ad propoſitum allegat præſentem dec. & ſuprà dec. 418. n. 6.

† adde Lud. dec. 532. vbi in fine ad propoſitum præſentem deciſ. allegat & ſuprà deciſ. 418. n. 2.

Neque obſtabat, quòd non dicatur ſatisfactum regulæ, niſi cauſæ ſit in tali ſtatu, vt poſſit 6.
infra annum expediri, quia quidquid ſit de hoc articulo, in hoc caſu non erat neceſſarium, quia ſtante Remiſſoria conceſſa Decano, quæ non fuit per illum in tempore expedita, & producta; ideo cauſa non poterat infra annum expediri, nec tunc requiritur diligentia, quando licèt fiat, non eſt profutura. Felinus *in cap. ex tranſmiſſa, num. 2. de præſcript.* Riminaldus ſenior *conſ. 21. num. 27. lib. 1.*

Sed ex capite noui iuris, ſiue tituli Mirandæ acquiſiti in reſeruatione penſionis, vigore concordiæ, Domini conformiter cenſuerunt, regulam ei non obſtare; cùm enim in concordia fuiſſet appoſitum pactum, quòd quotieſcunque Decanus opponeret de nullitate penſionis ad fauorem Mirandæ reſeruatæ, eſſet locus regreſſui, 7.
& omnes prouiſiones ad commodum Mirandæ factæ cenſerentur, ex quo deinde Decanus oppoſuit de nullitate penſionis, facto ſuo, omne ius quod ſibi competebat ſuper Decanatu, fuit acquiſitum Mirandæ, ſuper euentum conditionis appoſitæ in concordia; ita vt nulla annalis * poſſeſſio, aut temporis pacificus decurſus poſſet Decano ſuffragari, ipſe enim ſe ſponte ei pœnæ ſubiecit. Sarnenſis *ſuper regula de annali q. 42. in fine, & quæſt.* 53. 8.

* adde Lud. dec. 369. n. 7.

Neque huic argumento obſtabat oppoſitio ex aduerſo facta, quòd regula de annali annullat † omnes alias gratias, quia reſpondebatur, id non intelligi de illis, quibus contrahentes conſenſerunt, ad quas regula non extenditur.

† nam habet oculos retro. Ludou. deciſ. 399. n. 4. & 426. n. 2. Seraph. deciſ. 983. n. 10. Mantic. dec. 50. n. 7.

Minus etiam videbatur obſtare initium, vnde prouenie

proueniebat iſte regreſſus, quòd ſcilicet regreſſus ad fauorem Mirandæ penderet à primo iure, quod prætenderat vigore confidentiæ in alio iudicio, propter quod fuerat deuentum ad concordiam, cuius iuris occaſione, fuit Mirandæ reſeruatus regreſſus, Oldradus *conſil.* 275. quoniam dicebatur, iſtud ius nouum, fuiſſe nouam prouiſionem, quam decreuit Papa facere Mirandæ, quotiens contingeret moueri litem ſuper reſer-
10. uatione penſionis: quamuis enim regreſſus habeat cauſam de præterito, nihilominus eſt nouum ius. Puteus *deciſ.* 146. *num.* 5. *lib.* 2.

Et ex hoc ceſſabant multæ difficultates excitatæ per informantes pro Decano, quarum non paucæ fuerant iam ſublatæ, per alias deciſiones in hac cauſa factas.

---

## *Imolen. repetitionis dotis.*

### Die 28. Iunij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Fideicommiſſo eſt ſubiectum prædium, quod fuit emptum à teſtatore.*
3 *Fideicommiſſi onus poteſt imponi in prædio adſcripto in hæreditate.*
4 *Præſumptionem dominij, & poſſeſſionis inducunt Cataſta ciuitatis, in quo ſolent adſcribi bona ſita.*
5 *Confeſſio partis facta in tranſactione inducit præſumptionem contra confitentem.*
6 *Diuerſa res ab ea de qua agitur, ex diuerſo iure eſt cenſenda.*
7 *Exceptio fideicommiſſi, vt dos non reſtituatur mulieri, non habet locum in his bonis, quæ ſunt ſub inuolucro eius.*

## DECISIO CCCCLVIII.

1. DVbitaui in iſta cauſa die 22. Maij proximè præteriti, an conſtaret, quòd bona relicta, & poſſeſſa tempore obitus per Petrum Mancurtum, patrem Pauli iunioris, eſſent ſubiecta fideicommiſſo Pauli ſenioris, & pro qua parte ad effectum de quo agebatur, & quia tunc non fuerat capta reſolutio, ſed diſtincta tantùm fuerant tria genera bonorum, & ordinatum, quòd ſtrictè videretur de prædio Caſalæ Caninæ, an id eſſet ſubiectum fideicommiſſo, quia de meliorámentis non erat modò quæſtio, & de alio prædio tornaturarum 27. ſito in villa Trentolę, partes erant conformes, quòd non eſſet ſub fideicommiſſo comprehenſum, in hac propoſitione Domini affirmatiuè reſponderunt, hoc prædium Caſalæ Caninæ ſub fideicommiſſo comprehendi, primò ex depoſitionibus teſtium aſſerentium, ſuper in-
2. terrogatoriis & 4. articulo, viuente Paulo, & tempore obitus illius eum poſſediſſe quandam poſſeſſionem in villa Caſalæ Caninæ, quam ipſe emerat, quam poſt obitum Pauli poſſedit Petrus, vigore diuiſionis factæ cum fratribus, & poſt Petrum Paulus iunior, Socinus ſen. *conſil.* 89. *num.* 18. *lib.* 1. Natta *conſil.* 235. *num.* 18. *& ſeq. part.* 2.

3. Aderat præterea inuentarium bonorum hæreditatis Pauli ſenioris, confectum anno 1568. per tutores Petri, & fratrum, in quo reperiebatur deſcriptum id prædium, tanquam hæreditarium Pauli ſenioris. Pariſius *conſil.* 45. *num.* 20. *lib.* 2. Marzarius *in epitome de fideicommiſſis quæſt.* 54.

Eidem probationi adſtipulabatur Cataſtum ciuitatis Imolæ, in quo deſcribi ſolent omnia bona ſtabilia dictæ ciuitatis, vnà cum dominis ſuis; quamuis enim eiuſmodi Cataſta non probent plenè dominium, * & poſſeſſionem, inducunt tamen quandam dominij, & poſſeſſionis præſumptionem. Socin. ſen. *conſ.* 205. *lib.* 2. Natta *d. conſ.* 235. *num.* 14. 4. *adde Seraphin. deciſ. 1061. n. 5.

Poſtremò accedebat inſtrumentum diuiſionis, aliàs factæ inter Paulum ſeniorem, & Petrum Thadeum, & Ioannem illius nepotes, * & tranſactio nuper in actis producta, vbi Thadeus, & Petrus prætendebant certam partem iſtius prædij, vigore fideicommiſſi Pauli ſenioris, ex hac enim confeſſione, † non leue fideicommiſſi reſultare videbatur indicium. Ruinus *conſil.* 40. *num.* 3. *lib.* 4. Alexander *conſil.* 152. *num.* 1. *lib.* 7. Marzarius *in epitome de fideicomm. quæſt.* 58. *ex his enim ſatis probatur bona eſſe ſubiecta fideicommiſſo, vt per Cocc. deciſ. 120. n. 1. & dec. 141. n. 3. & 4.

Atque ex his coniecturis credebant Domini ſatis probari prædium prædictum cõprehendi ſub fideicommiſſo, non obſtante quodã inſtrumento vltimo loco producto, in quo dicebatur, Petrum emiſſe quandam petiam terræ, quoniam apparebat, eam petiam fuiſſe ſitam in alio loco, quàm in toto Caſale Caſulæ Caninæ, & propterea, tanquam rem diuiſam * diuerſo iure fuiſſe cenſendam. Riminaldus iunior *conſil.* 236. *num.* 56. *lib.* 3. 5. † confeſſio enim facta in inſtrumẽto diuiſionis probat factũ eſſe locum fideicommiſſo. Cocc. dec. 98. n. 4. & 152. n. 1. Seraph. dec. 553. n. 1. & 2. 6. * diuerſitas enim denominationum in confinibus arguit diuerſitatem rei, vt per Lud. dec. 555. n. 8.

Dicebat tamen vnus ex Dominis, quartam partem eiuſdem prædij tornaturarum 32. cum dimidia non fuiſſe ſubiectam fideicommiſſo, & ideo ſuper ea Lucretiam poſſe prætendere ſatisfactionem de dote ſibi debita; nam cùm Paulus ſenior inſtituiſſet ſuas hæredes fideicommittendo, Petrum Thadeum, & Ioannem fratres, ipſius teſtatoris nepotes, & mortuo Ioanne ſine filiis portio illius, quæ fuerat medietas dicti prædij deuoluta fuiſſet ad Petrum, & Thadeum, vnde cùm Thadeus vendiderit quartam partem dicti prædij, quæ ad ipſum deuoluta fuerat, ſicut Petrus ſi viueret, non poterat dicere, quòd illam quartam haberet iure fideicommiſſi, eodem modo Paulus Petri filius, & hæres non poterat ſub eodem prætextu, retinere dictam quartam prædij partem, denegando ſolutionem dotis D. Lucretiæ, cùm adhuc viueret filius Thadei venditoris, & ſic quantum ad dictam partem, non erat factus locus fideicommiſſo, ad fauorem Pauli, qui tali exceptione adhuc non nata conabatur ſe defendere. Paulus de Caſtro *conſil.* 77. *num.* 6. *lib.* 2. ſuper quo articulo ſi pars voluerit audiri, dabitur ei facultas.

---

## *Beneuentana decimarum del Couante.*

### Die Mercurij 28. Iunij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Notarij aſſertioni ſtandum eſt in his, quæ ad eius munus pertinet, donec contrarium non doceatur.*

DECI



## DECISIO CCCCLIX.

1. PRocurator Capituli, & Canonicorum Montiſfuſculi dicebat, ſe non teneri ad diſputandum dubium datum, an Domino Cardinali Aſcanio Columnæ eſſet dandum mandatum de manutenendo ſuper decimis, de quibus agebatur, niſi exhibito priùs proceſſu, quem in eadem cauſa de anno 1551. dicebatur habuiſſe Procurator anteceſſoris Commendatarij Abbbatiæ Sanctæ Sophiæ del Couante, & quia agentes Domini Cardinalis prætendebant, ſe non teneri, ideo dato dubio, fuit affirmatiuè reſponſum, quia Notarius atteſtabatur in libro Aconomatorum officij, apparere notatum qualiter anno 1551. die 23. Februarij fuerat accommodatus in cauſa Beneuentana Territorij del Couante Ioan. Thadeo, tunc Procuratori Commendatarij, nec apparebat fuiſſe reportatum.

2. Neque obſtabat, quòd opponebatur, Notarium feciſſe illam atteſtationem per errorem, aſſerendo illum Ioannem Thadeum fuiſſe Procuratorem Commendatarij, cùm nuſquam legeretur in actis illius mandatum, * nec reperiretur in cauſa comparuiſſe, nec in receptione proceſſus aſſeruerit ſe Procuratorem, quoniam donec de errore doceretur, † aſſertioni Notarij erat ſtandum, cùm in his quæ ad Notariorum munus pertinent, fides ſit eis adhibenda.

*notario aſſerenti productum eſſe mandatum in actis, ſi totum non ſit regiſtratum, non creditur. Rot. rec. p. 1. dec. 535. n. 2. † Cocc. dec. 312. n. 2. Rota diuer. p. 1. dec. 516. n. 1.

---

## *Burgen. de Latas.*

### Die Mercurij 28 Iunij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Vniuerſitas citari debet in loco, vbi negotia, & cauſæ, quæ contra ipſam aguntur, tractari ſolent.*
3 *Curator dandus eſt communitati, ad eius defenſionem.*
4 *Reſpublica, more minorum, viuanda eſt.*
5 *Innocentiana dat facultatem procedendi, etiam ſi citatio non ſit legitimè executa, ſi ad patris notitiam peruenit.*

## DECISIO CCCCLX.

I. DVbitaui, an potuerit legitimè procedi, per audientiam contradictarum, contra vniuerſitatem, & homines oppidi de Latas, & ratio dubitationis erat, quoniam cùm per Auditorem eſſet præſcripta forma citandi incolas, & Concilium de Latas, ſeu Syndicos, & Procuratores dicti Concilij in eorum propriis perſonis, ſi haberi poſſent, alioquin in loco publico, in quo pro negotiis expediendis, & agendis, congregari ſolebant, & in Parochiali Eccleſia S. Mariæ oppidi de Latas, ſin autem, in Cathedrali, & dicta Parochiali, ſub qua, vel quibus degebant: Nuntius non videbatur obſeruaſſe eam formam, cùm ad inſtantiam cuiuſdam fratris Petri de Santander, Procuratoris Monaſterij S. Catherinæ Montiſcorban, requiſiuerit incolas, & homines dicti oppidi, poſt celebrationem diuinorum Officiorum, congregato quaſi toto populo in Eccleſia de Latas, vt irent ad proſecutionem litis, & cauſæ, quam Monaſterium tractabat contra ipſos, in Curia Romana, hæc enim citatio inualida videbatur, ex quo non fuerat vniuerſitas congregata * in loco, in quo pro his actibus expediendi congregari ſolebat, & per ſonum Campanæ, vel alium ſimilem modum, quo ſolent communitates conuocari, vt ad notitiam ipſarum peruenire poſſint negotia, & cauſæ, quæ contra ipſas tractantur, gloſſ. *in cap. bona, el primo, de elect. gloſſ in cap. ſi Capitulo, in verb. factam, de conceſſ. præbend. lib.* 6. Alexander *conſil.* 219. *num.* 2. *lib.* 6. Abbas *in cap. in cauſis num.* 5. *de elect.* 2. *adde Lud. dec. 584. n. 24 & latè annota. n. 6 Caualer. dec. 408. n. 1. & 410. n. 1. Seraph. deciſ. 1028. num. 2.

I. Iſte potius eſt diſcurſus quàm deciſ.

Præterea dicebatur, quòd quamuis communitas per illam requiſitionem cenſeretur legitimè citata, adhuc tamen non poterat procedi per contradictas, ex quo non fuerat ei deputatus curator, qui eam defenderet, vt erat neceſſarium. *l.* 1. *C. de iure reip. lib.* 11. Rempublicam enim more pupillorum iuuandam * moris eſt, *l.* 3. *C. codem.* Creſcent. *deciſ.* 9. *num.* 2. *de re iudic.* quod habet locum in qualibet communitate. gloſſ. *in d. l.* 3. Romanus *conſil.* 423. *num.* 3. Creſcent. *d. deciſ.* 9. *num.* 5. 3. 4. *adde Seraphin. deciſ. 1028. n. 4.

Cæterùm, quoniam ex aduerſo dicebatur, non probari in oppido de Latas fuiſſe certum, & præfinitum locum, in quo vniuerſitas congregari ſoleret, & Notarius aſſerebat, tempore intimationis, quaſi totum populum fuiſſe congregatum, & executio citationis originalis, & ſcientia, ſiue notitia citationis videbatur peruenifſe ad vniuerſitatem, ex quo fuerat citatio, & eius executio producta in actis iudicis à quo, & Procurator incolarum reperiebatur citatus, & comparuerat in extractione iurium, ideo ſtante prædicta ſententia, licèt citatio non fuiſſet bene executa, videbatur potuiſſe procedi per contradictas, vigore Innocentianæ, * quæ dat facultatem procedendi, etiam ſi citatio non fuerit legitimè executa, ſi ad partis notitiam peruenit, perinde ac ſi legitimè fuiſſet executa, vt fuit deciſum in cauſa Neapolitana legitimitatis coram R.P.D. Augonio de anno præterito, & declarat Veſtius *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. *de executione citationis ad partes decreta*: vnde cùm ex ſupradictis viderentur iſtæ nullitates ſatis turbidæ, Rota cenſuit, videndum, de bono iure in negotio principali. 5. * quæ ſanat terminos nulliter & malè tentos, Ludou. dec. 156. n. 1. & ſupplet in Rota defectum citationis non legitimæ factæ. Rot. diu. p. 3. lib. 3 deciſ. 36. n. 2. & fuit dictum in vna Romana Saluiani interdicti coram Orano, impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pagin. 1027. num. 3.

---

## *Leodien. Canonicatus.*

### Die 3. Iunij 1595.

SVMMARIVM.

1 *Compulſatio ſcripturarum eſt in forma probante, ſi ſit in re cognita per Notarium actuarium, licèt in extractione non interuenerint ſolemnitates, quæ aliàs requiruntur.*
2 *Scripturæ copia ſi remaneat cum originali collationata penes Notarium eſt idem, ac ſi exiſteret originalis.*
3 *Proceſſus præſumitur integer eo ipſo, quòd oſtenditur extractus à Notario actuario.*

## DECISIO CCCCLXI.

DOmini dixerunt, proceſſum fuiſſe in forma probanti, & integrum ſi erat extractus à Notario 1.

Notario actuario; nam quando extrahitur per Notarium actuarium, ſufficit recognoſcere eius manum, & ſignum, licèt in extractione non interuenerint ſolemnitates, * quæ aliàs requiruntur in compulſatioue ſcripturarum. Rota *deciſ.* 1. *de fide inſtrumentor. in nouis.* Verallus *deciſ.* 244. *part.* 2. Cotta *deciſ.* 191. *&* 360.

* adde infrà dec. 679. n. 3. & 697. n. 4. & 927. n. 3. & Lud. dec. 59. num. 4.

2. Neque obſtabat, quòd fuiſſent aliqua iura producta coram Ordinario, & originalibus reſtitutis, copia collationata in actis remanente; Notarius ad oſtendendum non remanſiſſe originalia, appoſuerat hæc verba, *per copiam*; quia illa copia penes Notarium remanens cum originalibus Authenticis collationata, inſtar originalium † habenda eſt, & eadem fides ei tribuenda, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi penes Notarium actuarium remanſiſſent.

† adde Cocc. dec. 367. n. 1. Rot. rec. p. 2. dec 301. n. 1.

3. Idem quoque proceſſus præſumebatur integer, eo ipſo quòd oſtendebatur * extractus à Notario actuario. Cotta *deciſ.* 191. niſi ab impugnante proceſſum probaretur actorum defectus.

* Duran. dec. 125. n. 4. Ludou. dec. 59. n. 1. Caualer. dec. 335. n. 4. Coc. dec. 88. num. 4.

---

## *Biranen. præcedentiæ.*

### Die Lunæ 3. Iulij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Tranſportatio proceſſus de iudice à quo, ad iudicem ad quem, debet fieri de actis coram primo iudice legitimè productis.*

3 *Iura producta ſine partis citatione, non dicuntur de actu.*

4 *Fraus, & dolus non debet cuiquam patrocinari.*

5 *Teſtes examinati propter defectum alterius probationis, operatur eandem probationem.*

6 *Mandatum principalis eſt neceſſarium, vt ſententia ad eius inſtantiam exequatur.*

## DECISIO CCCCLXII.

1. REctores, & Preſbyteri Campi Baſſi obtinuerant duas, ſententias Rotales contra Canonicos S. Mariæ de Cruce, quibus fuerat diffinitum, geſta per quendam Petrum Ferrantem executorem datum, fuiſſe tanquam reuocanda, quas cùm Rectores in tertia inſtantia impugnarunt, velut inualidas ob non tranſportationem * actorum, & propterea niterentur impedire expeditionem cauſæ; dato dubio, & vtraque parte informante, Rota cenſuit, ſententias Rotales fuiſſe validas, nam reſpectu non tranſportationis actorum ab A. C. ad Rotæ Auditorem (cui appellationis cauſa commiſſa fuerat) contentorum in quodam paruo proceſſu, qui
2. non fuerat tranſportatus de officio A.C. ad Rotam, dicebatur, non adfuiſſe nullitatem, nam cùm ille paruus proceſſus fuiſſet productus coram A.C. nedum poſt ſententiam prolatam, ſed etiam poſtquam ab eo eſſet appellatum, & eidem inhibitum per Rotam, talis proceſſus non fuit effectus de actis. † ita vt obſtaret diſpoſitio Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. quod dum præcipit tranſportari acta de iudice à quo appellatur, ad iudicem ad quem appellatio interponitur, intelligitur de actis coram primo iudice, debito tempore, & legitimè productis, ſecundùm iuris communis diſpoſitionem. *cap. cordi, de appell. lib.* 6.

* quod inducit nullitatem, vt per Caual. deciſ. 314. n. 1. Coc. deciſ. 115. & 274. n. 1. & aliàs ſæpe.

† & acta alterius proceſſus ſiue cauſæ, non ſunt tranſportanda. Dur. dec. 33. n. 6. & deciſ. 70. n. 4. Lud. deciſ. 300. & adde Rotam rec. p. 1. dec. 561. n. 10.

3. Accedebat omiſſio citationis, quia in productione facta coram A. C. non fuerat pars citata, ideoque in ea ſic productæ, * non dicuntur de actis, Bartolus *in Extrauagan. Reprimendum, in verb. de plano,* Romanus *conſil.* 59. *num.* 3. *& ſeq.* Sarnenſis *in regula de annali, quæſt.* 4. *circa medium, verſ. & tunc dicuntur.*

* Duran. d. dec. 33. n. 6. Ludou. deciſ. 209. n. 5. & 8. & 508. n. 6. Mantic. dec. 32. n. 9.

4. Sed neque reſpectu non tranſportationis eiuſdem parui proceſſus ab executore dato in partibus, coram quo fuerat factus, aderat nullitas, quæ ſententias redderet inualidas, cùm Canonici præſtiterint impedimenta, quominus tranſportatio fieri potuerit, vſque adeò, vt Rectores coacti fuerint in Rota per teſtes iuſtificare, quæ in illo proceſſu continebantur, ex his enim duo conſequebantur, primò Canonicorum fraudem, & malitias, non debere nunc eis patrocinari. * *l peto. §. fratre. ff. de legat.* 2. *l. penult. ff. quod quiſque iuris*; alterum, eundem effectum
5. probationis reſultaſſe ex teſtibus examinatis per Rectores, propter denegationem proceſſus, ac reſultaſſet ex ipſo proceſſu ſi legitimè productus fuiſſet. Peregrinus *deciſ.* 49. *lib.* 1. Bartolus *in l. publicati, quæſt.* 8. *C. de teſtam.* quem refert & ſequitur Iaſon *in Authen. ſi quis in aliquo, num.* 5. *verſ. ſeptimò fallit.* vbi Decius *n.* 22. *verſ. ſed contra ipſum. C. de eden.*

* Cocc. dec. 44. num. 5. & aliàs ſæpe.

Et ex his tollebatur obiectio de nullitate ſententiarum Rotalium, quaſi latarum ſine actis, & cauſæ cognitione, quoniam præterquam quòd ex deciſionibus factis coram RR. PP. Dominis Gyptio, & Iuſto conſtabat, cauſam fuiſſe diſcuſſam, ex aliis etiam iuribus, & teſtibus iuſtificabantur, quibus cùm non conſentiret iſte paruus proceſſus, non erat locus nullitati, aut iniuſtitiæ ſententiarum.

Poſtremò non erat verum, quod opponebatur ad excludenda attentata pro parte Canonicorum ex eo, quòd executio facta fuiſſet ad inſtantiam fiſci, & quòd de illorum mandato non conſtaret. Rota *deciſ.* 7. *vt lite penden. in nouis,* quia ex eodem proceſſu paruo, nunc producto apparebat, Canonicos inſtaſſe, vt deueniretur ad executionem bonorum, ſuper quibus facta fuerat executio.

Neque obſtabat ſuſpicio falſitatis allegata, quia præterquam quòd falſitas non probabatur, ſi illa verba de inſtantia Canonicorum falſificata fuiſſent, cùm proceſſus extaſſet penes Canonicos, & eorum agentes, ab ipſis potius, quàm à Rectoribus præſumeretur teſtificatus.

---

## *Pampilonen. Vicariæ de Attaun.*

### Die Lunæ 3. Iulij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Exceptiones petitorium reſpicientes non impediunt executionem poſſeſſorij.*

3 *Beneficium præſumitur liberum, & pro tali eſt iudicandum, donec de contrario non doceatur.*

4 *Intentio fundata habetur in præſentatione beneficij ex quaſi poſſeſſione præſentandi.*

5 *Succeſſor maioratus habet ius præſentandi beneficia adhærentia ei.*

*Poſſeſſio*



6 *Poſſeſſio vnius ſpeciei, contenta ſub aliquo vniuerſali, non extenditur ad aliam ſpeciem, in qua alius poſſedit.*

7. 8 *Poſſeſſio præſentandi per reſignationis ſpeciem, non extenditur ad vacationem per obitum.*

## DECISIO CCCCLXIII.

1. INcolæ oppidi de Attaun prætendebant impedire expeditionem cauſæ ad fauorem D. Philippi de Lezcano, ex multis, ſed potiſſimum ex eo, quòd non præſentauerat naturalem dicti oppidi iuxta tenorem concordiæ, * cuius vigore dicebant incolæ, Philippum præſentaſſe, ſed quia iſta, & aliæ oppoſitiones reſpiciebant petitorium, Rota cenſuit, cauſam fuiſſe expediendam in poſſeſſorio tantùm ad fauorem Philippi:
2. nam cùm tam Philippus, quàm eius anteceſſores reperirentur in quaſi poſſeſſione præſentandi, vt in ea conſeruarentur, cauſa erat in poſſeſſorio expedienda, & Ioannes à Philippo præſentatus veniebat inſtituendus, non obſtantibus exceptionibus * petitorium reſpicientibus, nam cùm præſentatio fuiſſet facta ante litem motam, ea pendente ſuper petitorio, non poterat inſtitutio retardari. † Abbas *in c. ex litteris, num.* 7. *de iure patronat.* per textum *in cap. conſultationibus, eod. tit. & in cap. cùm veniſſent, num.* 22. *verſ. ſentit tamen, de reſtit. in integr.* Lambertinus *de iurepatron. art.* 4. *quæſt.* 3. *princip. part.* 1. *lib.* 2. *num.* 1.

* de quo ſuprà dec 448.

* exceptiones petitorium reſpicientes non admittuntur in poſſeſſorio. Rot. rec. p. 2. dec. 229. n. 1. & p. 1. dec. 559 n. 3. niſi in continenti probentur, vel ſint claræ, vt per Lud. dec. 425. n. 3 & 4. & Rot. rec. p. 1. dec. 526. n. 8. & 9. & aliàs ſæpè.

† adde Rot. rec. p. 1. dec. 224. n. 1. & p. 2. dec. 181. n. 1. & aliàs ſæpè.

Concordia dicebatur non obſtare, nam præterquam quòd de illa erat agendum in petitorio, præſentationes à Philippo factæ prætendebantur, non habuiſſe originem à concordia, ſed à iure anteceſſorum, qui liberè, quem voluerant, etiamſi non fuiſſet naturalis oppidanus, præſentauerant, in qua libertate erat Philippus manutenendus. Abbas *in cap. bonæ el* 1. *de poſtulat. prælator.* Ripa *in cap. cùm Eccleſia Sutrina, num.* 56. vbi Abbas *num.* 25. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Verallus *deciſ.* 417. *part.* 2.

3. Et cùm Philippus ex ſola quaſi poſſeſſione haberet pro ſe fundatam intentionem, * non tenebatur nunc cauſam ſuæ poſſeſſionis alle-
4. gare. Baldus *in l. in ſpeciali num.* 2. *ff. de rei vendic.* nec oportebat tam anxiè rimari, quiſnam eſſet titulus præambulus, cuius vigore ſibi competeret ius præſentandi, præſertim cùm Philippus
5. ſuccederet † in eadem domo, & familia, & per conſequens, in omni iure, ratione maioricatus ei competenti. Molina *lib.* 1. *de Hiſpanor. primog. cap.* 20. *&* 24. *num.* 29. *& ſeq.* Zabarell. *conſ.* 122. *num.* 1. *& ſeq.*

* adde ſuprà dec. 448. n. 2. & Cocc. deciſ. 287. n. 3. & infrà dec. 578. n. 5.

† Cocc. deciſ. 250. n. 1.

6. Ad aliam obiectionem, quæ plus difficultatis habere videbatur, ex eo quòd Philippus non poſſidebat in ſpecie præſentandi extraneum, maximè cùm poſſeſſio vnius ſpeciei contenta ſub aliquo vniuerſali, nunquam porrigatur ad aliam ſpeciem, * in qua alius poſſedit. Innocentius *in cap. dilectus num.* 3. *verſ. & hoc eſt verum, de Capell. Monachor.* Rota *deciſ.* 2. *num.* 3. *de præſcrip. in nouis,* Felinus *in cap. auditis num.* 19. *verſ. ſecunda declaratio, de præſcript.* Puteus *deciſ.* 310. *lib.* 2. vbi firmat, poſſeſſionem præſentandi in ſpecie va-
7. cationis per reſignationem, non extendi ad ſpeciem vacationis per obitum.

* adde Dur. dec. 159. n. 4. & infrà deciſ. 492. n. 3. & 540. n. 5.

8. Reſpondebant Domini, id poſſe habere locum ſi ageretur de acquirendo iure, vel quaſi poſſeſſione iuris, ſic enim loquitur Rota *deciſ.* 2. *de præſcript. in nouis,* & alij allegati; ſecus autem eſſe, cùm idem ſubiectum remanet, ſiue res eadem indiuidualiter perſiſtit, vt in caſu propoſito, in quo agebatur de acquirenda quaſi poſſeſſione iuris præſentandi ad idem, tunc enim poſſeſſio ſemel acquiſita, ſemper durat & continuatur, in perſonis vocatis in eadem ſpecie, quæcunque perſona præſentetur, ſicque fore intelligendam Putei *deciſ.* 310. *lib.* 2. vnde cùm in hoc themate ſemper eadem res, idemque beneficium permaneret, quaſi poſſeſſio præſentandi non diuerſificabatur ex qualitate perſonarum præſentatarum, ideoque prædicta quaſi poſſeſſio Philippo ſuffragabatur; quæ omnia Domini in hoc articulo intelligebant procedere, reſpectu poſſeſſorij tantùm, quia in petitorio aliæ inſpectiones occurrebant conſiderandæ.



---

## *Bononien. alimentorum.*

### Die Mercurij 28. Iunij 1595.

SVMMARIVM.

2 *Pater tenetur alere filium.*

3 *Alimenta tenetur præſtare filio hæres patris.*

4 *Alimenta tenetur præſtare filio ſucceſſor bonorum.*

5 *Alimenta debentur filio à lege de bonis patris; ideo non debentur, niſi à tempore petitionis, & num.* 6.

## DECISIO CCCCLXIV.

PRæſuppoſitis reſolutionibus in hac cauſa factis, die 28. Martij 1594. & die 3. * Martij 1.
præſentis anni, & aliis vtrinque deductis, dubitaui, an Mario deberentur alimenta à die carcerationis Camilli patris, ad effectum, vt per R.P. D. Voltam ſibi perſoluenda forent, vel ſaltem compenſanda eſſent, cum quibuſdam bonis mobilibus, quæ Marius poſt patris carcerationem de bonis eiuſdem Camilli patris acceperat, & diſtraxerat; & quia cauſa propoſita die 12. præſentis, Domini non ſatis intereſſe conuenerant, quo iure Marius huiuſmodi alimenta petere poſſet, quibuſdam dicentibus, non eſſe locum compenſationi, nam cùm eſſet deciſum Mario deberi alimenta, non dubium, quin tanquam debita ſibi perſoluenda forent à die carcerationis, quia
cùm viuens pater Marium alere teneretur, & eo 2.
mortuo ab hæreditate * deberentur; R. P. D. Volta, qui hæreditatem emerat à Camera, cum oneribus, in quibus hoc erat potiſſimum, ea
obligatione videbatur obſtrictus iure † actionis 3.
à die contractus initi cum Camera, Mohedanus *deciſ.* 8. *in fine, de reſtit. ſpoliat.* Romanus *conſ.* 458. *num.* 1. Surdus *tract. de alimentis tit.* 1. *quæſt.* 32. *num.* 35. *&* 39. ex quibus tenentes hanc opinionem cenſebant dilui oppoſita per informantes pro R.P.D. Volta; quia, licèt non deberentur alimenta, niſi à die petitionis, tamen ex quo
Marius non petebat alimenta præterita, neque 4.
quòd ſoluerentur debita, quæ contraxerat ratione alimentorum, ſed quòd non erat locus compenſationi, cum valore bonorum mobilium,

* ſupr. deciſ. 364. & 429.

* adde ſuprà dec 364. n. 2. & 3. & deciſ. 378. n. 3.

† & quando alimenta debentur iure actionis etiã præterita sũt ſoluenda. Rot. diu. p. 1. dec. 658. n. 1.

quæ de patris ſubſtantia, poſt illius carcerationem, ad illius manus peruenerant, ideo putabant, potuiſſe Marium ſibi ex dictis bonis alimenta miniſtrare, neque venire debere in iudicium compenſationis.

5. Aliis verò affirmantibus, quòd cùm alimenta deberentur * à lege ex diſpoſitione textus *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.* dicuntur deberi officio iudicis. Decius *in l. de alimentis, num. 5. C. de tranſact.* ſtan-

* adde ſuprà dictam dec. 364. n. 12. 13. & 419. n. 5. & 8.

6. dum erat opinioni communi affirmanti, illa non deberi, niſi à tempore petitionis, & ita in caſu propoſito non fuiſſe debita à die carcerationis. Bartolus *in l. libertis quos. §. 1. ff. de aliment. & cibarijs legat.* Doctores communiter *in l. de alimentis. C. de tranſactio.* vbi Iaſon *num.* 6. Decius *num.* 5. Claudius de Seiſello *in l. diuortio, num. 12. ff. ſolut. matrim.* Alexander *conſil. 7. num. 19. lib. 2.* & Matthæus de Afflictis *deciſ. 10. num. 4.*

Et cauſa iterum propoſita die 28. præſentis, cùm eædem difficultates reuoluerentur, quamuis plures ex Dominis in poſtremam ſententiam propenſiores eſſent, non potuit firma deciſio ſtabiliti.

Et propterea, nedum lis in longum protrahebatur, Marius fame laboraret, Rota concorditer cenſuit, vt R.P.D. Volta, teneretur præſtare Mario alimenta ad rationem iam diffinitam ſcutorum 10. monetæ ſingulis menſibus, incipiendo à menſe Maij proximè præteriti: pro reliquis autem antecedentibus, videtur de compenſatione habita ratione mobilium, & quorundam vaſorum argenteorum, quæ poſt Camilli patris carcerationem Marius acceperat, iſta enim, cùm in hæreditate reponenda fuiſſent, ad R. P. D. Voltam, qui illam emerat, iure pertinere videbantur.

Sed cùm R.P.D. Volta, ſupradictæ reſolutioni non acquieſceret, die 5. Iulij in vltima Rota memorialium, iterum facto verbo cùm Dominis fuit dictum, quòd quantum ad bona habita per Marium a die carcerationis patris, vſque ad illius condemnationem, videretur an eſſet locus compenſationi, ab illo verò tempore, vſque ad præſentem diem haberetur ratio * pecuniarum Mario ſolutarum, ad prædictam rationem decem menſtruorum, & ſic procederet ſolutio alimentorum.

* de quo in ſequent. dec. agitur.

## *Bononien. alimentorum.*

### Die 28. Iunij, & 5. Iulij 1595.

### DECISIO CCCCLXV.

DIe 28. Iunij † Domini dixerunt, quòd R.P.D. Volta præſtaret alimenta Mario ad rationem iam diffinitam ſcutorum decem monetæ ſingulis menſibus, incipiendo à menſe Maij proximè præteriti, & pro reliquis menſibus antecedentibus videretur de compenſatione, habita ratione rerum mobilium, & vaſorum argenteorum, quæ poſt Camilli patris carcerationem ad Marij manus peruenerant.

* ſuprà in antecedente deciſ.

Sed cùm informantes pro D. Volta, ſupradictæ reſolutioni acquieſcere recuſarent, die 5. Iulij vtraque informante, iterum facto verbo in Rota, Domini dixerunt, quòd quantum ad bona habita per Marium à die carcerationis patris, vſque ad illius condemnationem, videretur, an eſſet locus compenſationi, à tempore autem condemnationis vſque ad præſentem diem, haberetur ratio pecuniarum, Mario ſolutarum ad prædictam rationem ſcutorum decem & pecuniis per Marium habitis computatis procederet ſolutio alimentorum, in reliquis menſibus.

## *Romana deuolutionis domus.*

### Die Veneris 13. Octobris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Dominium debet probari ſufficienter, & non incidenter ad effectum deuolutionis.*
3 *Dominium transfertur in mulierem de bonis datis in dotem.*
4 *Dominium vt probetur, non ſufficit probare titulum habilem eius, ſed requiritur probare auctorem eſſe etiam dominum illius.*
5 *Dominium directum probatur ex inſtrumento enuntiante, pertinere ad aliquem.*
6 *Enuntiatiua verba inſtrumenti non probant, niſi inter partes enuntiantes.*
7 *Argumentum de poſſeſſione ad dominiũ non valet.*
8 *Sententia tranſacta in rem iudicatam pro veritate habetur.*
9 *Verba enuntiatiua probant in antiquis.*
10 *Dominium directum plenè probatur, ex ſolutione Canonis, vnà cum inueſtitura.*

### DECISIO CCCCLXVI.

PRætendebat Dominus Antonius Franciſcus Soderinus hæres hæredis quondam Annæ Soderinæ, dominium directum domus (de qua agebatur) ad ſe pertinere, eandemque vindicandam à D. Vincentio Rentio, tanquam deuolutam, ob non ſolutum canonem tempore conſtituto, quando die 8. Martij 1553. Anna Soderina, & Aloyſius de Adolphis coniuges eam conceſſerunt in emphyteuſim Victoriæ de Vitellis, ſub annuo canone ſcutorum 18. cum pacto deuolutiuo ad eoſdem coniuges, eorumque hæredes, & ſucceſſores ceſſante biennali ſolutione. 1.

Dubio autem propoſito, Domini pro maiori parte cenſuerunt, ex his quæ proponebantur, non probari dominium domus pertinere ad Soderinum, niſi ille probationem coadiuuaret: conſiderabant enim primum, quòd in hac facti ſpecie non agebatur de dominio incidenter, ſed principaliter ad effectum deuolutionis, & ideo debuiſſe ſufficienter probari. * Rota *deciſ. 15. de re iudicata in nouis*, Bellamera *deciſ. 739. num.* 1. Decius *conſil. 221. num. 4.* 2.

* adde Caual. dec. 269. n. 2. Seraph. deciſ. 1453. n. 1. & Rotam rec. p. 1. dec. 249. n. 1. & 2. & 150. n. 1.

Primum, informantes pro Soderino ad probandum dominium proponebant inſtrumentum dotale, in quo hæc domus vnà cum multis aliis anno 1518. fuerat Annæ Soderinæ in dotem data; fuit ergo in ipſam translatum dominium, *l. doce ancillam, C. de rei vendic. & l. in rebus C. de iure dotium.* 3.

Sed reſpondebatur primum, non probari dominium illius, qui dotem dederat, ſicut dici ſolet de eo, qui rem vendidit: * cùm ad probandum dominium non ſufficiat probare titulum habilem, 4.

*adde Mant. dec. 198. n. 2.



habilem, ad dominium transferendum, † niſi probetur, auctorem fuiſſe dominum. Rolandus, qui alios refert, *conſil. 46. num. 23. & 24. lib. 3.* Boërius *deciſ. 42. num. 25.*

† adde infrà dec. 1539. & Caual. dec. 399. n. 4.

Secundò dicebatur, ex eo inſtrumento potiùs probari dominium fuiſſe tranſlatum in Aloyſium, Annæ maritum, * quàm in ipſam Annam, *dicta l. doce ancillam*; præſertim cùm domus fuerit ei data in ſolutum æſtimata, † præcedente promiſſione dotis in pecunia, *l. quoties. C. de iure dot.* Imola *in l. ſi æſtimatis num. 3. ff. ſolut. matrim.* Iaſon *in §. actionum, num. 8. verſ. pro æſtimato. Inſtit. de actionib.* cumque ex hac ratione potiùs excluderetur probatio dominij reſpectu Annæ, ad quam non fuerat tranſlatum, ſed in Aloyſium illius maritum, dicebatur, dictum inſtrumentum non potuiſſe deſeruire pro adminiculo, niſi aliunde corroboraretur.

*nam dominium dotis conſtante matrimonio transfertur & eſt penes virum, Dur. dec. 393. n. 6. Rota diuer. p. 1. dec. 125. num. 18.

† adde Duran. deciſ. 1. n. 12. & ſeq. & infrà dec. 903. n. 7. vbi alias dec. annotaui. & Seraphin. deciſ. 1332.

5. Rurſus proponebatur aliud inſtrumentum conceſſionis in emphyteuſim, factæ anno 1553. in quo enuntiabatur domus dotalis ipſius Annæ, & ad ipſam illiuſque hæredes pertinere, per tale enim inſtrumentum cenſetur probari dominium directum, * etiam ad effectum deuolutionis. Gratus *conſ. 50. num. 49. lib. 1.* Pariſius *conſil. 104. num. 81. & ſeq. lib. 1.*

* adde Rot. in vna Sabinien. tenutæ coram Lita impreſſa penes March. de commiſſ. part. 1. pag. 1079. n. 2.

Hanc tamen probationem excludebat dotale prædictum inſtrumentum ann. 1518. ex quo apparebat, domum non fuiſſe dotalem, ſed pro dote æſtimatam, fuiſſe conſignatam Aloyſio Annæ marito.

6. Rurſus dicebatur, verba enuntiatiua † non inducere probationem, niſi inter partes enuntiantes, Alexand. *conſil. 150. num. 2. lib. 2.* neque in hoc caſu operari, cùm non verſaremur in antiquis, *gloſſ. 1.* & *ibi* Doctores, *in cap. cùm olim, de cenſib.* Tobias *conſil. 73. num. 8.*

† adde Dur. deciſ. 387. la ſegunda n. 3. 9. & 409. n. 17. & ſeq. & 416. n. 12. Seraph. deciſ. 1339. n. 1. & 1387. n. 3.

Tertiò nitebantur, probare dominium Annæ ex eo, quòd ipſa die 12. Februar. 1559. poſt obitum Aloyſij mariti, ratione ſuæ dotis acceperat poſſeſſionem cenſuum, & domorum ſitarum in burgo Sancti Petri, & ſignanter cenſus, & domus de qua agebatur, cum ſubſecuta exactione cenſus, & penſionum domus, mediante banco de Neronibus exactore deputato ab A. C. ab anno 1559. vſque ad annum 1563.

7. Sed dicebatur, ex eo non probari dominium: tum quia non valet argumentum de poſſeſſione ad dominium, † cùm iſta nihil inter ſe habeant commune. *l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquiren. poſſeſſ.* tum quia ſi tradita fuit Annæ domus poſſeſſio, ratione hypothecæ, donec, & quouſque fuiſſet ſibi ſatisfactum de ſua dote, certum erat penes maritum, non penes ipſam fuiſſe illius dominium, & conſequenter illud tranſiuiſſe non ad hæredes Annæ, ſed Aloyſij mariti. *l. cùm hæredes. ff. de acquiren. poſſeſſ.*

† & ideo teſtis deponẽs de poſſeſſione & perceptione fructuum non probat dominiũ, Cocc. dec. 69. n. 11.

8. Quartò dicebant, probari dominium ex ſententia Rotæ Florentinæ, latæ anno 1563. per quam domus & cenſus prædicti, adiudicata fuerant Annæ pro ſua dote, & iuribus dotalibus, quę ſententia, cùm tranſiuerit in rem iudicatam, pro veritate habetur. *l. ingenium, de ſtatu hom.*

Sed reſpondebatur, ſententiam hanc ſine actis, & proceſſu nihil probare, maximè cùm non verſaremur in antiquis, iuxta vulgatas deciſiones, & præſertim in materia grauis præiudicij, qualis erat pronuntiare ſuper deuolutione, ob non ſolutum canonem.



Quintò proponebatur inſtrumentum venditionis huius domus, quam emerat per ſubhaſtationem D. Vincentius Rentius ann. 1578. à Ioanne Baptiſta de Perbenedictis Equite Camerinenſi, in quo enuntiabatur, hanc domum fuiſſe ſub dominio, & proprietate Annæ, quæ enuntiatiua, ſeu confeſſio, etiam contra Rentium, videtur inducere probationem. Crauetta *de antiquit. tempor. p. 1. §. ampliatur, num. 22.* 9.

Sed reſpondebatur primò, de hoc non conſtare in actis; rurſus dicebatur, ex deductis, hanc enuntiatiuam, & confeſſionem videri erroneam.

Ad poſtremum de obſeruantia ſubſecuta, qua dicebatur, Victoriam de Vitellis, & Ioannem Baptiſtam Equitem, ſemper ſoluiſſe canonem D. Annæ, ideoque per hanc obſeruantiam, & canonis ſolutionem, vnà cum inueſtitura, * plenè probari dominium. Crauetta *conſil. 150. num. 4.* Calcaneus *conſil. 11. num. 7.*

* Caual. dec. 93. n. 3. 4. & 105. n. 3. Seraph. deciſ. 869. n. 2. & 3. & infrà dec. 1024. n. 5.

Reſpondebatur, iuxta prædicta, ſolutionem Annæ fuiſſe factam, non tanquam dominæ domus, ſed quia illam obtinebat, donec, & quouſque ſibi fuiſſet de fructibus ſatisfactum pro ſua dote.

Cæterùm, quoniam ex tota ſerie facti, prætenſio D. Soderini non videbatur à veritate multum aliena, propterea dixerunt Domini, quòd ipſe coadiuuaret ſuam probationem, & produceret ſententiam Rotæ Florentinæ, cum proceſſu, & aliis, ex quibus manifeſtiùs poſſet veritas deprehendi, fortaſſis enim fouebat bonum ius; licèt opportunis, & requiſitis probationibus deſtitueretur.

## *Vlisbonen. legitimæ.*

### Die Veneris 20. Octobris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Reuocatio Procuratori debet intimari, vt actus geſtus ab eo non valeat.*
3 *Ratum exiſtit geſtum, ſi pars procedat ad vlteriora cauſæ ſine proteſtatione.*
4 *Iudex remiſſoriæ poteſt ſubdelegare receptionem iuramenti, & examen teſtium.*
5 *Receptio iuramenti, & examen teſtium, non requirit cauſæ cognitionem.*
6 *Interrogatoriorum datio arguit, partem ſuppleuiſſe defectum citationis.*

### DECISIO CCCCLXVII.

INformantibus tantùm agentibus pro Monialibus de Almoſter, quia altera pars citata, & præmonita noluit informare, propoſui dubium; an teſtibus pro earum parte examinatis, eſſet fides adhibenda, & fuit affirmatiuè reſponſum; nam ad primam nullitatem, quæ opponi poterat ex eo, quòd terminus ad dicendum contra articulos fuerat in Rota ſeruatus per Procuratorem reuocatum, neque talis defectus erat narratus in commiſſione obtenta pro ſanandis nullitatibus; reſpondebatur, actum geſtum à Procuratore reuocato, ante intimationem * reuocationis valere. *l. ſi mandaſſem. ff. mandati. cap. mandato, de Procuratorib.* & ceſſabat etiam difficultas, ex facto ſubſe- 1.

* de hoc art. vide noſtrum doctiſſimum Martinum Monter à Cueua in deciſ. ſacræ Regiæ Audientiæ Regni Aragonum dec. 43. ferè per totam & Rotam diu. p. 1. dec. 410. an autẽ præſentatio facta vigore mandati reuocati, ſed non intimati, ſit nulla vide infrà deciſ. 1021. n. 2. & deciſiones per me annotatas, & adde Rot. in vna Romana Secretariatus coram Melino impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. p. 3. pag. 40. n. 5. in fine & vide ſuprà dec. 189. num. 11.

ſubſecuto,quia nouus Procurator in productione ſui mandati ante decretam Remiſſoriam ratificauit geſta per primum Procuratorem reuocatum,& Moniales videbantur eundem quoque actum ratificaſſe, eo ipſo quòd proceſſerunt

*adde Lud. dec.195.n.9. & 13.Seraph. dec.971.n.2. & 1057.n.1. Rot.rec.p.2. dec.123.n.3.

* ad vlteriorem Remiſſoriæ executionem. *l. Paulus.ff. rem ratam haberi.* Vantius *de nullitatib. tit.qualiter ſententiæ & proceſſus defendi,ſeu reparari poſſunt, num.*113. & 104. *cum ſeqq.*

Ad alteram nullitatem, quæ oriri videbatur ex facto iudicis Remiſſoriæ in partibus, qui deputauerat examinatorem,& Notarium,vt in loco de Santaren examinarent teſtes valetudinarios,

3.
4.
*adde Seraphin. deciſ. 800.n.1.

* ſeu aliàs impeditos, deferens ei iuramentum de fideliter examinando, qui nihilominus ſpretis proteſtationibus,& appellationibus partis aduerſæ, examinauerunt nouem teſtes non ſenes,contra formam ipſis à iudice præſcriptam, dicebatur primò iudicem Remiſſoriæ potuiſſe ſubdelegare nudum miniſterium receptionis iuramenti,& examinis teſtium,iſti enim actus non

*adde Rot. diuer.part.1. dec.630.n.2.
5.

* requirunt aliquam cauſæ cognitionem,*c.ſuper quæſtionum,verſ.nos autem,de officio deleg.*vbi Ioannes Andr.& Barbatia,gloſſ.*in Clem.vnica,in verb. vices ſuas,de offic.deleg.*Aufrerius *ad deciſionem* 12. *Capellæ Toloſanæ num.* 2. quod ſæpè Rota reſoluit.

Dicebatur præterea, alium defectum ortum ob non ſeruatam formam

*Seraph.deciſ.1010.n.1.

* præſcriptam,contra quam examinator, & Notarius deputati examinauerunt etiam teſtes non valetudinarios, aut impeditos,potuiſſe ſanari ex eo,quòd Papæ fuerat narratum,illos teſtes fuiſſe examinatos, cum interrogatoriis partis aduerſæ; hæc enim datio interrogatoriorum videbatur arguere partem receſſiſſe

6.
*adde Seraphin. deciſ. 897.n.7.

* à proteſtationibus,& ſuppleuiſſe etiam defectum citationis, ſi quis fortaſſis contigerat, vt tenuit Rota in vna Spoletana Sanctæ Crucis die 6.Februar. 1576. coram R.P.D. meo Blanchetto.

---

## *Calaguritana penſionis.*

### Die Lunæ 23. Octobris 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Lis per concordiam extinguitur.*
3 *Poſſeſſio capta lite pendente, venit ſequeſtranda.*
4.5 *Sequeſtrum in beneficialibus contra poſſidentem, non eſt apponendum.*
6 *Poſſeſſio triennalis vt proſit, requirit titulum.*

## DECISIO CCCCLXVIII.

1.
* ſuprà deciſ.453.

DIe 29.Maij proximè * præteriti Rota cenſuit, penſionem hanc non fuiſſe validè reſeruatam, nec Ioannem Ayo teneri conſtituere Procuratorem ad conſentiendum illius reſeruationi, & Ioannem Beſſaue ad priſtinum ſtatum redire poſſe: & quoniam in illius executionem decretum fuerat ſuper beneficio, de quo agebatur, & informantes pro Ioanne Ayo prætendebant,ei non fuiſſe locum, dubio ſuper hoc propoſito, & Ioanne Ayo ſolùm informante, reſponſum fuit, locum fuiſſe ſequeſtro. Ratio dominorum fuit, quoniam cùm tempore factæ concordiæ eſſet lis inter iſtos Ioannes de Beſſaue, & Ayo, & Ayo tunc non habuiſſet titulum, nec poſſeſſionem, quam fuit aſſecutus poſt concordiam, quæ per Rotam fuerat declarata inualida,per talem concordiam lis non fuit extincta, nam licèt regula ſit, quòd per tranſactionem,

2.
* adde Lud. dec.216.n.2. & 4. Seraph. deciſ. 384. num.27.

& concordiam lis extinguitur. * *l.fratris tui*, vbi communiter Doctores,*C. de tranſactionib.* ea tamen non procedit,quando tranſactio eſt inualida. Iaſon *in dicta l fratris tui, num.* 2. *verſ. limita iſtum textum.*

Et hinc conſequebatur, omnia fuiſſe reponenda in ſtatu, in quo erant ante concordiam.

3.
† adde Dur. dec.157.n.3. 6. & 313. n. 16. & 414. n. 4. Ludou. dec.10. n. 1. & deciſ. 91. n. 1. & deciſ. 251.n.1. Caual. dec.175. n. 4. Seraph. dec. 1403. n. 1.& aliàs ſæpe, & infrà dec.542.n.2. & 4.

Supradictis accedebat, quoniam cùm poſſeſſio Ioannis de Ayo fuiſſet capta lite †pendente, propterea veniebat ſequeſtranda,iuxta vulgares deciſiones Rotæ *deciſ.*5.*vt lite pendent.in antiquis, & deciſ.*10. *num.*4. *eod. tit. in nouis*, Verallus *deciſione* 157. *part.*3.

Non obſtabat regula, quòd in beneficialibus ſequeſtrum non ſit apponendum contra poſſidentem, * niſi ſaltem vnica ſententia præcedat. *Clem.*1.*de ſequeſt.poſſeſſ.& fruct.*Verallus *dec.*156. *part.*3. Oldradus *conſil.*166. *num.*1.

Quia reſpondebatur,regulam habere locum, quando poſſeſſio ab initio non fuit capta lite pendente, ſed per prouiſum de beneficio antequam eidem ſuper beneficio moueretur lis, vt *in dicta Clement.* 1. *de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct.*

4.
* adde Lud. dec.61. n. 1. Rot.rec. p.1. dec.293.n.8.

Quo caſu, non iuuabat triennalis poſſeſſio: nam data ab initio concordiæ inualiditate, omnia poſtea ſecuta fuerunt nulla, & inualida, triennalis verò poſſeſſio titulum requirit,ſaltem † coloratum; Gomezius *ad regulam de triennali quæſt.* 3.

5.
6.
† adde Rot. recen.part.2. dec.531.n.4. in fine & vide infrà deciſ.474.

Quæ vlteriùs dicebantur per informantes pro Ioanne Ayo, quòd cùm ipſe fuiſſet à maiori parte præſentatus, veniebat omnino inſtituendus, & quòd Ioannes de Beſſaue non erat capax huius beneficij, ex quo obtinebat alterum incompatibile, non pertinebant ad articulum de quo quærebatur, iſta enim non operabantur validitatem tranſactionis, nec efficiebant, quominus poſſeſſio capta per ipſum non fuiſſet lite pendente.

---

## *Peruſina reintegrationis.*

### Die Lunæ 6. Nouembris 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Fœmina poteſt reintegrari ad portionem hæreditatis, à qua fuit excluſa, natis filijs ab illis, qui illam excluſerunt, ſi ipſi poſtea obierunt ſine filijs maſculis.*
3 *Fœminarum excluſio ad hæreditatem, quo ad maſculos, temporalis & non perpetua, intelligitur tantùm, donec maſculi ſuperſint.*
4 *Dictiones,* donec, & quouſque, *ſignificant temporis ſuſpenſionem, vel limitationem, & n.*7.
5 *Statutum excludens fœminas exiſtentibus maſculis, intelligitur non excludere eas totaliter, ſed tantùm, vſque ad vltimum maſculum.*
6 *Fœmina ſemel excluſa ad ſucceſſionem,ſemper remanet excluſa.*
8 *Relationes verborum in ſtatutis, ad antecedentia referri ſolent.*

*Statutum*





9 *Statutum ſuſpenſiuum ad ſucceſſionem fœminarum intelligitur, eſſe æquius, quàm perpetuò excluſiuum.*
*& non venit iuxta ſtrictas regulas iuris, n.*5.
11 *Statutum generaliter loquens, generaliter debet intelligi.*
12 *Verbum* deſcendens, *eſt aptum comprehendere omnes in infinitum deſcendentes.*
13 *Statutum excludens fœminas in ſucceſſione reſpicit fauorem maſculorum, ſed iſtis deficientibus,ceſſat cauſa, & datur locus reintegrationi fœminarum.*
14 *Reintegrationi fœminarum eſt locus, deficientibus maſculis, quando iſti ſunt vocati excluſis illis.*
15 *Deſcendentes ex fœmina, mortuis maſculis reintegrantur, ſi erant concepti poſt mortem eius, de cuius ſucceſſione agebatur.*

## DECISIO CCCCLXIX.

1.
Eugenius conſ.39.Vincent.Hondedeus conſ. 6. & 16.

PRæſuppoſito ſtatuto Peruſino *lib.* 2. *rubrica* 45. de dotibus & dotatis mulieribus, & ſucceſſionibus ab inteſtato, dubitaui, an fœmina iuxta diſpoſitionem dicti ſtatuti ſemel excluſa, poſſet, natis filiis, ex illis, à quibus fuit excluſa, tincta totaliter linea maſculina, reintegrari.

Dubitationi cauſam dederat Illuſtr. D. Alphonſina Balleonia, quæ petebat, pro ſua portione reintegrari ad bona quondam Gentilis ſui patris, qui deceſſerat relictis ſex filiis, duobus maſculis Adriano, & Aſtore, & quatuor fœminis,Aphonſina,Pantha,Dianora, & Conſtantia; cùm enim ex Aſtore natus eſſet Guido, & ex Guidone Aſtor iunior, ac primum Guido, deinde Aſtor in pupillari ætate deceſſiſſet ſuperſtitibus matre,& auia, prætendebat D.Alphonſina vigore dicti ſtatuti, excludentis fœminas donec maſculi, & deſcendentes ab eis per lineam maſculinam extent, ſibi deberi reintegrationem, quia omnis linea, & ſucceſſio maſculina Gentilis patris, cum Aſtore iuniore extincta fuerat: cæterùm quoniam ex aduerſo dicebatur, Alphonſinam non fuiſſe reintegrandam ex eo, quòd ab hæreditate paterna fuerat excluſa ab

Vide infrà dec.870.

Aſtore,& Adriano fratribus,qui obierant ſuperſtitibus Guidone, & Aſtore iuniore, & omnes qui ad hoc iudicium venerant, nitebantur prædicto ſtatuto, ideo difficultas fuit reſtricta ad præfatum dubium, quo propoſito die 2.9.& 23. Iunij præſentis anni, non potuit capi reſolutio, nam cùm ſtatutum ſit ſatis inuolutum, & intricatum, Domini non facilè conueniebant, circa illius intelligentiam: denique partibus informantibus, iterum cauſa propoſita, & per dominos diligenter diſcuſſa in ſententiam affirmatiuam

2.
* adde Rot. recen.part.2. dec.475. vbi n.2.allegatur præſens dec. & loquitur in terminis huius ſtatuti.

* itum eſt,nempe fœminam, vigore dicti ſtatuti poſſe reintegrari ad portionem,à qua fuit excluſa, etiam natis filiis ab illis qui ipſam excluſerunt,ſi ipſi poſtea obierint ſine deſcendentibus maſculis, & conſequenter, D. Alphonſinam reintegrandam, non obſtante, quòd poſt Aſtorem, & Adrianum, qui ipſam excluſerunt Guido, & Aſtor iunior remanſiſſent.

3.
* adde ſuprà dec.434.n.3. Caual. deciſ. 504.n.13.

Ratio potiſſima fuit, quia ex tenore ſtatuti apparebat,excluſionem fœminarum ab ſtatuentibus inductam,non fuiſſe perpetuam, ſed temporalem,& ſuſpenſiuam, * maſculi ſupereſſent, nam diſcurrendo per tres caſus,† quos ſtatutum diſtinctè ponere videbatur, in ſingulis reperiebantur dictiones ſignificantes temporis ſuſpenſionem, ſiue limitationem, quales ſunt donec,

† de quibus infrà deciſ. 870. n. 4. & ſeq.
4.
* adde noſtrum doctiſſimum Seſſe dec.76. n.9.& 10.

* quouſque & ſimiles. Alexander & Paulus de Caſtro *in l.*1.*de leg.* Capra *conſil.*117. *num.*3. Tobias Nonius *conſil.* 12.*num.* 14. nam in primo,qui ponitur in principio ſtatuti, dicitur,*quouſque* ſuperuixerit maſculus deſcendens ab ipſa perſona dotante per lineam maſculinam.

In ſecundo item caſu, ibi,*& ſimiliter ſi plures*, dum ſtatutum excludit fœminas à ſucceſſione fratrum, non inducit ſimplicem, & abſolutam excluſionem, ſed ſuſpenſiuam, dicit enim ita, *non poſſit talis mulier reuerti ad hæreditatem alicuius ex fratribus, quouſque ſuperuixerit aliquis frater, vel aliquis maſculus deſcendens, per lineam maſculinam, ex dictis fratribus.*

5.
* adde Dur. dec.431.n.7. & annota. ad Lud. dec.35. num.5.

Et in iſtis caſibus nulla eſt dubitatio, quin deficientibus illis,* qui fœminas excludunt,fiat locus earum reintegrationi, nam quando non exiſtunt tales excludentes, ſtatutum permittit eas poſſe petere & ſuccedere. *l.cùm lex.ff. de leg.l. cùm prætor.ff.de iudic.* Bartolus *in l.finali.* §. *vltimo quæſt.*1.*ff.ad ſenatuſc.Tertull.*Baldus *in cap.*1.§.*quin etiam, num.*3.*verſ.ſecus ſi ſtatutum, tit.Epiſcopum, vel Abbatem, in vſibus feudor.* Ancharranus *conſil.*220.*num.*2.Aretinus *conſil.*133.*num.*1.Corneus *conſ.*160. *num.*8. *lib.*4. Socinus *conſil.* 92. *num.*13. *lib.* 1.

Tertius caſus eſt *in* §.*item ſi aliquis pater*,in quo informantes in hoc erant conformes, quòd ſub iſto §. propoſita facti ſpecies contineretur, diſponit enim,quòd quando ſoror fuit dotata à fratribus de bonis communibus patris prædefuncti, tunc remaneat excluſa, ſed in hoc diſcordabant, quia informantes D. Alphonſinam, licèt faterentur eam non fuiſſe dotatam à fratribus de bonis eorum propriis, ſed de bonis Gentilis eorum patris ab inteſtato defuncti, prætendebant tamen, illam fuiſſe per ſtatutum non temporaliter, ſed ſimpliciter excluſam, & conſequenter, locum fore regulæ contra ipſam, quòd fœmina ſemel excluſa, ſemper cenſeatur excluſa.

6.
* adde Rot. diuer.part.2. dec.198.n.3.

* Bartolus *in l. fin.* §. *quando. ff. ad Tertull.* Baldus *in dicto cap.* 1. §. *quin etiam, tit. Epiſcopum, vel Abbat.* & reliqui congeſti per Gabrielem *lib.*6. *comm. concluſ. tit. de ſtatutis, concluſ.* 4. *num.* 1.

Sed placuit Dominis contraria ſententia, defenſa per informantes pro D. Alphonſina, vt ſcilicet iſto §. foret, quoad excluſionem attinet, temporaliter & ſuſpenſiuè intelligendus, præſertim, cùm verba non repugnarent, imò verò talia adeſſent, quæ eandem temporalem excluſionem, quæ in præcedentibus caſibus fecerant ſtatuentes, ſignificare viderentur, ibi, *ex tunc excludatur à ſucceſſione prædictorum patris, & aui,& aliarum perſonarum,de quibus,& prout ſuprà dictum eſt.*

7.

Iſta enim verba,*& pro vt ſuprà dictum eſt*,non erant referenda ad §.1.dicti ſtatuti,in quo quando filiæ ſunt dotatæ à patre,vel alio aſcendente, fortaſſis poſſet dubitari, an inducatur excluſio ſimplex, quia non verſabamur in dote tradita à patre, de qua loquitur dictus §. 1. ſed in dote data à fratribus de bonis patris,de quibus loquitur §. *item ſtatuimus*, quo diſponitur, quòd fœminæ poſſint venire ad hæreditatem patris, &



aliarum

†aliarum perſonarum, ad quarum ſucceſſionem de iure vocabantur, ſi deſcendentes per lineam maſculinam non ſuperſint, dommodo remittant, vel cedant dotes habitas, vel promiſſas in hæreditate, & cùm ſtatutum non faciat diſtinctionem, de cuius bonis ſint dotatæ à fratribus, an de bonis propriis, vel de bonis paternis. *l. cùm lex. ff. de teſtam. l. 1. ff. de legat. præſtan.* & conſequenter cum §. 1. de cuius intellectu (vt ſuprà dixi) poſſet dubitari, videatur loqui in dotata à patre. & §. 1. *item ſtatuimus,* inducens excluſionem ſuſpenſiuam, loquatur in dotata à fratre de bonis paternis, iſta verba relatiua, *pro vt ſuprà*
8. *dictum eſt*, poſita in hoc §. continente excluſionem dotatæ, à fratre de bonis paternis, debent referri ad dictum §. *item ſtatuimus*; præſertim cùm regulæ, quibus relationes ad antecedentia cenſeri ſolent, non obſtarent, *l.* 1. vbi latè Iaſon poſt alios, *C. de liberis præterit.* Abbas, Decius, & alij *in cap. ſecundò requiris num.* 10. *de appell.* Bartol. *in l. talis ſcriptura. §. fin. ff. de legat.* 1. Romanus *conſil.* 480. *num.* 7. Decius *conſ.* 11. *num.* 13. ſunt enim talia verba relatiua, & repetitiua præcedentium qualitatum. Bartol. *in l.* 4. §. *hoc edictum. ff. de poſtulan.* Cephalus *conſil.* 269. *num.* 47. *& ſeq. lib.* 2. Pariſius *conſil.* 71. *num.* 7. *lib.* 3.

Quibus accedebat natura, & qualitas ſtatuti ſuſpenſiui, quod putatur æquius, & benignius,
9. quàm ſtatutum perpetuò excluſiuum, quod eſt malignæ naturæ. * Iaſon, & Decius *in l. ſi Ruffinus. C. qui teſtament. facere poſſ.* Cephalus *conſil.* 404. *num.* 28. *& ſeq. lib.* 3. & eo maximè, quia, vt dixit Puteus *deciſ.* 197. *lib.* 2. incip. *In cauſa Peruſina*, loquens in terminis huius ſtatuti *n.* 5. *verſic. & ſic non veniebat*, in hac materia excluſionis odioſa, non proceditur iuxta ſtrictas regulas.

* adde Rot. recen. part. 2. dec. 644. n. 2.

10. Et propterea non placuit Dominis alius intellectus datus per informantes contra D. Alphonſinam, videlicet quòd *in §. item ſtatuimus*, fœminæ reintegrantur, deficientibus illis maſculis, qui fœminam excluſerunt, & non aliis deſcendentibus, quia ſtatutum non facit iſtam
11. diſtinctionem, & cùm generaliter loquatur, generaliter intelligendum, præſertim cùm non daretur ratio ſufficiens differentiæ, quare ſi fœmina ſit excluſa à fratre, reintegretur illo deficiente, ſecus verò ſi poſt fratrem decedat illius filius, quinimò cùm ſtatutum loquatur per ver-
12. bum *deſcendentes*, quod eſt aptum comprehendere omnes in infinitum deſcendentes. * *l. fin. C. de ſuis, & legit. hæredib.* Alexander *conſil.* 160. *num.* 2. *lib.* 2. Pariſius *conſil.* 4. *num.* 30. *lib.* 3. non poterat reſtringi ad ſolos fratres primo loco excludentes.

* adde Caual. dec. 454. n. 11. Seraphin. deciſ. 939. n. 1.

Quòd autem dicebatur ſtatutum procedere non poſſe, quando extat perſona quæ ab inteſtato excluderet fœminam, quæ vult reintegrari, id Domini concedebant, ſed dicebant, referendum ad perſonam illam, ad cuius ſucceſſionem petitur reintegratio, non autem ad vltimò decedentem, quia de illius ſucceſſione non agitur, ſed de portione illius primi, à cuius bonis excluſa fuit per maſculos, à qua non excluderetur per perſonas ſuccedentes ab inteſtato, vltimo morienti maſculo.

13. Neque obſtabat, quòd cùm ſtatutum non diceret, quòd fœminæ ſuccederent non extantibus maſculis, ideo non poſſet ſumi argumentum à contrario ſenſu, quòd ſcilicet ſint reintegrandæ. Decius *conſ.* 364. *num.* 2.

Quia reſpondebatur, vt per Puteum *dicta deciſione* 197. cùm enim fauor maſculorum ſit cauſa excluſionis, illis deficientibus ceſſat cauſa, & ſubintrat reintegratio, * vt in terminis ſtatuti Senenſis tenuit Rota apud Put. *deciſ.* 143. incip. *In vna Senen. lib.* 2. *per conſil.* 10. Socini *lib.* 3.

* vide infrà deciſ. 605. & Caualer. deciſ. 583.

Ad conſilium Pariſij 85. *num.* 40. *& ſeq. lib.* 2. facilè occurrebat reſponſio, ex eo, quòd in illo caſu, excluſio fœminarum propter maſculos erat ſimplex, & perpetua, & abſque dictionibus ſignificantibus temporalitatem, aut ſuſpenſionem, neque ibi aderat excluſio (vt in caſu propoſito,) propter deſcendentes maſculos ex linea maſculina, ita vt illis ceſſantibus, eſſet locus reintegrationi, & ideo mirandum non erat, ſi mortuo filio, relictis filiis expirabat conditio ſub qua fœmina reintegrabatur, iuxta conſilium Oldradi 21. in hoc autem themate, non filij primi tantùm ſunt poſiti in conditione, vt ſit locus reintegrationi, ſed omnes deſcendentes, * vt meritò dicendum foret, tunc reintegrationem habere locum, quando omnes deficiunt; quia, vt ait Bald. *in dicto cap.* 1. §. *quin etiam, num.* 3. *verſ. ſecus ſi ſtatututum, tit. Epiſcopum, vel Abbatem, in vſibus feudor.* filia
fœmina ob tale ſtatutum ſuſpenſiuum non 14. ſuccedit, & ſtante maſculo eſt ſuſpenſa à ſucceſſione patris; mortuo tamen maſculo renouetur obſtaculum, & ſuccedit patri pro ſua portione.

* ſub quibus comprehenditur fœmina. Lud. dec. 292. num. 5. & 10.

Similiter dicebatur, non obſtare conſilium 15. Ruini 38. *num.* 3. *& conſilium* 46. *num.* 7. *lib.* 3. quia præterquam quòd eius opinio non videtur recepta, vt per Socinum *dicto conſil.* 10. *lib.* 3. loquebatur in alio articulo, an ſcilicet deſcendentes ex fœmina, mortuis maſculis reintegrantur, ex quo non erant concepti tempore mortis aui: quæ dubitatio ceſſabat in hac cauſa, quia ſtatutum Peruſinum *in §. item ſtatuimus quòd fœminas*, expreſsè vocat fœminas, & earum filios, & nepotes quandocunque conceptos: & in præſenti articulo non erat locus dubitationi, cùm D. Alphonſina nunc viuens, quæ petebat reintegrationem pro ſua portione ad paternam hæreditatem fuiſſet nata, & concepta viuente Gentile eius patre.

Poſtremò non obſtabat abſurdum conſideratum per informantes contra Alphonſinam, quòd ſi reintegratio prædicto modo poſt multas ſucceſſiones maſculorum foret habitura locum, dominium rerum diu remaneret in ſuſpenſo, quod iura odio habuiſſe videntur, quoniam reſpondebatur, omnem incertitudinem ceſſare, ex quo à patre transfertur in maſculos deſcendentes per lineam maſculinam, & illis deficientibus deferri ad fœminas, vigore ſtatuti vocatas.

*Placentina*



## *Placentina Decanatus.*

### Die Veneris 10. Nouembris 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Obligatus ex vi decreti ad non dicendum de nullitate penſionis, impoſitæ ſub aliqua pœna, incurrit in ea, ſi moueat litem.*

3 *Clauſula,* ſublata, *tollit facultatem aliter iudicandi, quàm ſecundùm tenorem obligationis, & num.* 5.

4 *Obligatus ad non dicendum de nullitate penſionis, intelligitur de iure, ſed non de facto.*

6 *Moram poſſe purgare partem per pœnitentiam, admittit benignitas Rotæ, & n.* 10.

7.8 *Penſionis ob non ſolutionem, non debet quis priuari beneficio.*

9 *Pœna caducitatis cenſetur remiſſa à parte, per actus contrararios, ex quibus veniat iniungenda.*

10 *Errores facti per commiſſionem, grauiores ſunt, quàm per omiſſionem.*

## DECISIO CCCCLXX.

1. QVoniam in reſeruatione penſionis ſuper iſto Decanatu ad fauorem Mirandæ fuerat dictum, quòd ſi Garcias de Loayſa, vel D. Petrus Panyagua petierant penſionem reduci, vel annullari, vel dicere illam, ex quauis cauſa fuiſſe nullam, & inualidam, ſeu reducibilem, aut malè, vel nulliter aſſignatam, liceret Mirandæ propria auctoritate capere poſſeſſionem prædicti Decanatus, illamque vigore eiuſdem decreti retinere, & deinde Procurator Don Petri, ſuper nullitate dictæ penſionis cauſam committi obtinuerat, eamque commiſſionem Petrus ratam habuerat, vt Rota cenſuit die 26. Octobr. 1594. * & propterea Miranda prætenderet propter introductionem litis ſuper nullitate penſionis factum fuiſſe locum prædicto decreto, ideo propoſito dubio ſuper hoc, vtraque parte informante concluſum fuit, locum factum fuiſſe decreto ad fauorem Mirandæ, ad effectum de quo agebatur, potuiſſe tamen decanum recedendo à lite euitare pœnam in decreto appoſitam.

* ſuprà dec. 404.

2. Nam quantum ad primam partem, clarum eſt D. Petrum propter litem motam ſuper nullitate penſionis, * & illius proſecutionem, in qua adhuc tenaciter perſeuerabat, ſeſe ſtatutæ pœnæ ſubdidiſſe ob euentum conditionis in decreto appoſitæ. Verallus *deciſ.* 247. incip. *Decretum appoſitum, parte* 1. *& deciſ.* 313. *parte* 2. Achilles *deciſ.* 311. aliàs 1. *num.* 5. *de iureiurand.* in impreſſ. & ſtante præſertim clauſula *ſublata*, quæ tollit poteſtatem aliter iudicandi. † Puteus *deciſ.* 50. *num.* 5. *lib.* 1. & declaratione facta per Mirandam, per quam dixerat ſe acceptaſſe decretum, & eo vti velle, Puteus *deciſ.* 34. *lib.* 2. Mohedanus *deciſ. vltima, tit. de renunciatione, in fin.*

* de hoc art. latè differit Garcia de ben. 4. p. c. 3. n. 47. vbi n. 52. ad litterã ponit præsẽtem deciſ. & vide ſuprà circa materiam huius dec. quæ dicta ſunt in deciſ. 786. & 313.

3. Nec placuit Dominis ille decreti intellectus
4. adductus per informantes pro Don Petro, quòd intelligeretur, vt non poſſet opponi de nullitate de facto, & non de iure. Ozadinus *dec.* 76. Cotta *deciſ.* 294. hanc autem nullitatem contra penſionem Mirandæ oppoſitam habere iuris fomentum, ex quo Garcias non conſenſit, vt fuerat præſuppoſitum, & ſemper in confirmationibus Pontificiis ſubintelligatur conditio, quatenus partes de nouo conſentiant. Abbas *in cap. ſuper eo, n.* 8. *de conditionib. appoſit.*

† de hoc art. vide ſuprà deciſ. 286. & 313.

Quoniam reſpondebatur, verba * decreti 5. fuiſſe ampliſſima, vt de nullitate ex quauis cauſa dari non poſſet, quæ propterea, tam veniebant intelligenda de facto, quàm de iure. Ruinus *conſil.* 77. *num.* 6. *&* 7. *& ſeq. lib.* 2. Galeatius Maluaſia *conſ.* 12. incip. *Duo proponuntur, num.* 24. *lib.* 1. & eo maximè, quia Don Petrus neque de iure opponere poſſe videbatur, ſtante clauſula in reſeruatione penſionis, quòd non poſſet dare de obreptione, & ſubreptione, cum clauſula *ſublata*, quo caſu Papa etiam de iure litem, & moleſtiam prohibuiſſe cenſebatur. Puteus *deciſ.* 377. *lib.* 3.

* adde infrà dec. 685. n. 4.

Secundam partem, quòd Decanus poſſet eui- 6. tare pœnam, ſi pœnitendo recederet à lite, * & ab omni moleſtia amplius Mirandæ, tam de facto, quàm de iure inferenda, Domini tenuerunt more maiorum, qui æquitatem, & benignitatem humanæ naturæ conformem ſecuti, cenſuerunt, in ſimilibus caſibus, moram * purgari poſſe. Sarnenſis *de ſubrogan. collitigant. quæſt.* 7. *num.* 8. *verſ. ſecundus caſus.* Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de priuatione ob non ſolutionem*, §. 5. idem *lib.* 3. *deciſione* 352. incip. *Peregrinus, & deciſ.* 619. incip. *Thomas in Toletana*, vbi teſtatur iniquum
fuiſſe viſum, ob non ſolutionem penſionis, pri- 7. uari quempiam beneficio.

* adde infrà dec. 550. n. 4. & dec. 582. n. 3.

* vt per Duran. dec. 270. n. 9. & 10. & Seraph. dec. 1150. & 819. n. 7. Mantic. dec. 134. n. 4.

Quam ſententiam ſæpe deinceps Rota ſecu- 8. ta fuerat, vt in vna Calagurritana Prioratus coram R. P. D. meo Blanchetto die 20. Martij 1579. & in eadem coram eodem die 15. Ianuar. 1580. & nuper anno præſenti, die 16. coram R. P. D. Litta in vna Roſſanen. regreſſus.

Et quamuis ex iſtis deciſionibus intelligeretur, tunc poſſe canonizari regreſſus, & iſtis decretis pœnalibus fieri locum, quando adeſt magna proteruia * in recuſante penſionem ſoluere, quàm informantes pro Miranda, ex eo contra Don Petrum deducere conabantur, quòd litem ſuſtineret, & plures alios actus faceret, tam in Rota, quàm in ſignatura pro penſione annullanda.

* adde Rotam in vna Cæſarauguſt. penſionis coram Pamph. impreſſam penes Marcheſ. de cõmiſſ. p. 1. pag. 567. n. 4.

Nihilominus, ex aduerſo apparebat, ſemper ſolutam fuiſſe penſionem, & nouiſſimè quoque datam à Don Petro cedulam cautionis bancariæ, ex quibus videbatur ceſſare formalis illa & culpabilis proteruia, quæ regreſſibus * viam aperit.

* adde Rotam diu. p. 3. lib. 3. deciſ. 476.

Supradictis accedebat factum Mirandæ, quo- 9. niam licèt commiſſio, & proſecutio cauſæ ſuper nullitate penſionis fuerit de anno 1592. Miranda tamen exegerat penſionem per totum annum 1593. non declarando quòd volebat vti decretis, neque proteſtando, niſi de anno 1594. per quos actus aliàs cenſetur remiſſa pœna caducitatis. * Caſſador. *dec.* 2. *&* 3. *de locat.* Gambara *de poteſtate legati, lib.* 6. *num.* 480.

* quæ excuſaturà Rota ex qualibet leui cauſa, Rota recen. p. 2. dec. 577. n. 4. & 232. n. 2.

Poſtremò non placuit Dominis illa diſtinctio, quam faciebant informantes pro Miranda de contraueniendo, in omittendo, vel in committendo, vt cùm contrauenitur in committendo, ſtatim ſecuta contrauentione fiat locus pœnæ, & ſic in caſu propoſito prouiſioni ad fauorem Mirandæ, iuxta tradita per Baldum *in Authentic. Habita, num.* 46. *C. ne filius pro patre*, &

 Aretin.

Aretin. *conſil.* 95. *num.* 7. & Decium *conſil.* 138. *num.* 4.

10. Quia licèt regulariter grauiores ſint exceſſus, & errata facta per commiſſionem, quàm per omiſſionem, * Rota tamen æquitatem canonicam ſecuta, non amplectitur illam diſtinctionem, cùm contrauenientes quantum poteſt admittat ad moræ † purgationem, præſertim ſi ius partis non ſit effectum deterius, *cap. ſuam, de pœnis.* Alexand. *in l. ſi inſulam, num.* 24. *ff. de verbor. obligat.* Iaſon *in l. ſi quis maior, num.* 26. & *ibidem* Cagnolus *n.* 152. *C. de tranſact.*

* Lud. dec. 5 n. 8. & dec. 77. n. 3.

† adde Rotam in vna Anconitana fideiuſſionis coram Lancelotto, impreſſam penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 917. n. 3.

Quamquam autem deciſum eſſet, Don Petrum potuiſſe purgare moram, etiam vſque ad tertiam ſententiam, non propterea denegabatur Mirandæ facultas proſequendi ius ſuum, ſi quod haberet ex aliis Capitibus ad eundem Decanatum, tametſi Dominis placebat, quòd lis finiretur per concordiam.

---

## *Camerinen. fideicommiſſi.*

## Die Lunæ 13. Nouembris 1595.

### SVMMARIVM.

3 *Conditio, ſi ſine filijs legitimis & naturalibus deceſſerit, deficit per exiſtentiam tam filiorum, quam filiarum.*

4 *Subſtitutus cum clauſula, ſi ſine filijs deceſſerit, remanet excluſus, tam per exiſtentiam filiorum, quàm filiarum.*

*Etiamſi vna tantùm filia ſit relicta, n.* 5.

6.7 *Voluntas teſtatoris requiritur probanda coniecturis vehementibus, ad excluſionem fœminarum per maſculos.*

8 *Neptis ex filio excludit ſubſtitutum, in ſucceſſione agnationis.*

9 *Teſtator, ſi non excludat fœminas, ſed vocet ad ſucceſſionem filios, omnes comprehenduntur.*

10 *Teſtator, ſi in ſubſtitutione non addat, ſi ſine filijs maſculis decedat primus vocatus, ſtandum eſt ſignificationi verborum.*

11 *Neptis non debet eſſe melioris conditionis, quàm filia.*

12 *Argumentum ſumptum ab excluſione perſonæ magis dilectæ, non eſt validum.*

13 *Pater aſſignans dotes filijs fœminis, per hanc aſſignationem videtur noluiſſe excludere eos à ſua ſucceſſione in qua vocanit filios.*

14 *Subſtituti ſi ſint filij teſtatoris, & non extranei per exiſtentiam neptis, non excluduntur in ſucceſſione fœminæ.*

15 *Filia grauati non cenſetur poſita in conditione, quando agnatus excluderet filiam à ſucceſſione grauati.*

16.17 *Teſtator ſi apponat conditionem, ſi deceſſerit ſine filijs, intelligitur de maſculis.*

18 *Neptis excludit ſubſtitutum à ſucceſſione, ſi teſtator conſiderauit familiam.*

19 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium, excludit ſubſtitutum, ex clauſula,* ſi ſine filiis, *&c.*

*quod non habet locum, quando legitimatus veniret ad excluſionem filij teſtatoris, num.* 20.

## DECISIO CCCCLXXI.

IOannes Franciſcus Perulus de Fabiano, anno 1583. his verbis teſtamentum condidit: *in omnibus & ſingulis alijs bonis ſuis Ludouicum Troilum, & Rugerium filios legitimos, & naturales ſibi hæredes vniuerſales inſtituit, & æquè pariter, vnà cum dictis Ludouico Troilo, & Rugerio, omnes, & ſingulos alios filios maſculos legitimos, & naturales ex ſe naſcituros ſi ad lucem peruenerint, æqualiter ſibi hæredes vniuerſales ſubſtituit, & filiæ fœminæ legitimè & naturales naſci contigerit, vna vel plures eidem, ſeu eiſdem iure inſtituendis, vel inſtituto ... is. dotes reliquit iubens, & mandans, in dictis dotibus ſtare debere tacitas, & contentas, vt plus de ſuis bonis petere, habere, & conſequi non poſſint, & ſi aliquis dictorum ſuorum filiorum natorum, & naſciturorum maſculiorum, vllo tanquam tempore in pupillari ætate, vel poſtea quandocumque ſine filijs legitimis, & naturalibus deceſſerit, eidem ſic decedenti, alteros ſuperuiuentes, vt ex eis vulgariter, & pupillariter, & per fideicommiſſum ſubſtituit & eis, vel altero eorum præmortuis, ſeu præmortuo, in ſtirpes, & non in capita ſubſtituit: & ſi omnes decederent ſine filijs, vt ſuprà, eiſdem ſic decedentibus, prædictas eius filias fœminas natas, & naſcituras æqualiter ſubſtituit; & eis, vel ipſarum aliqua præmortua, ſeu præmortuis, filios legitimos, & naturales præmortuæ, ſeu præmortuarum in ſtirpes, & non in capita*, &c. 1.

Poſt obitum teſtatoris primò deceſſit Rugerius ſine filiis: deinde Ludouicus, ſuperſtite ex eo Fuluia filia naturali legitimata, hærede vniuerſali inſtituta, & Capitaneo Troilo, qui prætendens factum fuiſſe locum fideicommiſſo ad ſuum fauorem ex eo, quòd Ludouicus filios maſculos non reliquerat, & Fuluia non erat legitima, ſed legitimata, iudicio in partibus intentato, fauorabiles ſententias obtinuit, ſed in gradu appellationis coram R. P. D. meo Decano * die 29. Maij ann. 1589. cauſa propoſita in Rota, Fuluia tantùm informante, deciſum fuit ſententias de partibus reuocandas, quia non videbatur factus locus fideicommiſſo propter ſuperexiſtentiam Fuluiæ legitimatæ, & ideo ad Fuluiæ fauorem ſententiam fuiſſe ferendam, quia conditio † illa, *ſi ſine filijs legitimis, & naturalibus decederent*, non ſolùm defecerat per ſuperexiſtentiam filiorum maſculorum, ſed etiam filiarum, * ex receptiſſima doctorum ſententia, quos latè enumerat R.P.D. meus Mantica *lib.* 11. *de coniectur. vltimar. volunt. tit.* 14. præſertim *n.* 7. *verſ. & hanc quidem ſententiam.* 2.

* habetur hæc deciſ. in impreſſis Seraphin. dec. 880.

3.

† vide infrà deciſ. 1553. num. 4.

* adde Seraphin. dec. 880. n. 1. & ſeqq. & Lud. dec. 514. n. 1. & habetur in rec. p. 2. dec. 354. & latè Durand. dec. 216. quæ cõducit latè ad materiã huius, & Caual. dec. 417. n. 5. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. licèt eã inſcribat de anno 1596.

Deinde cauſa coram me introducta, & die 29. Maij proximè præteriti vtraque parte informante, propoſita, dilata fuit propter diſcrepantes Dominorum ſententias; in hac autem propoſitione iterum diſcuſſa, pronunciatum eſt, non fuiſſe recedendum à deciſis.

Primum enim dicebatur, regulam firmandam ad fauorem Fuluiæ, ex eo, quòd conditio illa, *ſi ſine filijs decederent*, tam verificatur in fœminis, quàm in maſculis. *l. ſi quis ita. ff. de teſtament. tut. l. ſi ita ſcriptum. ff. de legat.* 2. & ſubſtitutus perinde excluderetur per fœminas, † ac per maſculos, vt per Canoniſtas *in cap. Rainaldus, de teſtament.* vbi Anton. de Butrio *num.* 11. Zabarella *num.* 1. *verſ. ſecundò nota*, Ioannes de Anania *n.* 3. Crottus *conſ.* 17. incip. *Teſtator, lib.* 1. *num.* 9. & 26. vbi

4.

† adde Rotã rec p. 1. dec. 316. n. 3. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur licèt ſit notata de ann. 1599.



vbi teſtatur, inſignia Doctorum Collegia Bononien. & Peruſinum, ita conſuluiſſe, quia ex quo grauatus onere fideicommiſſi deceſſit ſuperſtite filia fœmina, non poteſt dici deceſſiſſe ſine filiis. *l.* 1. *C. de condit. inſertis*; & hanc opinionem aſſerit eſſe veriorem, & magis communem, Cagnolus *in l.* 1. *num.* 51. *verſ. ſecundò quia. C. de pactis*; quæ locum habet, quamuis vnica filia relicta fuerit. Corneus *conſil.* 202. *num.* 8. *lib.* 3. Bologninus *conſ.* 32. *num.* 1. Berous *conſ.* 110. *num.* 26. *lib.* 1.

5.

6. Et quamuis ex coniecturis à prædicta regula recedatur; * illæ tamen legitimæ eſſe debent, & tales, quæ mentem, & voluntatem indicent teſtatoris, & per quas poſſit intelligi, eum de maſculis tantùm ſenſiſſe, ſic vt excluſis filiabus grauati, ſubſtitutum admitti videri voluerit R.P.D. Mantica *lib.* 11. *tit.* 4. *num.* 11.

* Mant. dec. 305. & 351. Rota diuerſ. p. 1. dec. 726.

7. In hoc autem themate non exiſtere tales coniecturas, * quę contra Fuluiam ſentire ſuaderent, verius videbatur: nam prima illa, quòd teſtator excluſerit filias fœminas, propter filios maſculos (quos ſolos hæredes vniuerſales inſtituit, & filiabus, quas à ſucceſſione vniuerſali excluſerat, dotes legauit,) ſola non erat ſufficiens, idem Dominus Mantica *præcitato loco num.* 14. *verſ. ſed tamen hæc ipſa.*

* de hoc articulo cõiecturarum, vide infrà dec. 1403. vbi annotaui aliquas dec.

8. Rurſus, licèt teſtator excluſerit proprias filias, nihilominus, per ſuperexiſtentiam neptis ex filio defecerat hæc conditio, *ſi ſine filijs*, & excluſerat ſubſtitutum, Ruinus *conſ.* 144. *num.* 12. *lib.* 2. Pariſius *conſ.* 41. *num.* 53. *lib.* 3. Cephalus *conſ.* 45. *n.* 21. & *conſ.* 46. *num.* 28. *lib.* 2. Rolandus *conſ.* 42. *num.* 41. *lib.* 4. quam opinionem teſtatur eſſe veriorem, & magis receptam, Simon de Prætis *de interpretatione vltimar. volunt. ſolut.* 2. *n.* 25. & 26. 27. & 33.

Præterea cùm teſtator in duabus partibus præfatæ inſtitutionis, & ſubſtitutionis feciſſet mentionem de filiis maſculis, quando vlteriùs

9. progrediendo, fecerat illam ſubſtitutionem, *etſi omnes decederent ſine filijs*, non adiecit verbum, *maſculis*, quod facilè potuiſſet, vnde præſumptio erat, quòd noluerat tunc inducere differentiam inter maſculos, & fœminas, Alexand. *conſ.* 17. *num.* 12. *lib.* 7. Corneus *conſ.* 110. *num.* 27. *lib.* 2. & hanc ſententiam ex ſententia Zuchardi te-

10. ſtatur eſſe magis communem Riminaldus *conſil.* 80. *num.* 21. *lib.* 1. ſi enim teſtator * voluiſſet, quòd filia grauati excluderet ſubſtitutum, facilè vbi potuiſſet dicere, *ſi ſine filijs maſculis*; quod cùm non expreſſerit, ſignificationi verborum, & iuris interpretationi videtur voluiſſe deſeruire. Simon de Prætis, qui multos in hanc ſententiam congerit, *dict. tract. dubio* 3. *ſolut.* 2.

* adde Lud. in d. dec. 514. n. 6. & 17. vbi ad propoſitũ allegat præſentem dec.

11. Altera coniectura, quòd non eſſet veriſimile, teſtatorem magis dilexiſſe neptem, quàm proprias filias, quas ab vniuerſali hæreditatis ſucceſſione excluſerat, non videbatur admodum vrgere; quia non cenſetur inconueniens, neptem aliquando melioris conditionis eſſe, quàm propriam filiam, Crauetta *conſ.* 98. *num* 15. & *conſ.* 161. *num.* 17. Rolandus *conſ.* 56. *num.* 25. *lib.* 3. & fuit deciſum in vna Peruſina fideicommiſſi die 4.

12. Maij 1579. coram bon. mem. Domino Brauo, & præſertim, cùm ſubſtitutio eſſet reſtricta ad euentum obitus filiorum ſine filiis. quo caſu, ſi argumentum ſumptum ab excluſione perſonæ magis dilectæ eſſet validum, illud conſequeretur abſurdum; vt quo magis deſcendentes eſſent remoti à teſtatore, magis ſemper cenſerentur grauati; ſicque grauamen deſcenderet in infinitum. Crauetta *conſ.* 161. *n.* 6. Roland. *dicto conſ.* 56. *num.* 24.

Aderat præterea hîc patens, & manifeſta ratio diuerſitatis inter filias, & neptes, quia licèt filias excluſiſſet, eis tamen dotes legauerat, neptibus verò nullas ſignificauit, nec aſſignauit dotes, ideoque non erant cenſendæ à ſucceſſione excluſæ, * Pariſius *dicto conſ.* 46. *n.* 59. Riminaldus *dicto conſ.* 80. *n.* 29. Cephalus *dicto conſ.* 46. *num.* 28. 13.

* adde Duran. dec. 126. n. 14. vbi allegat hanc dec. & Lud. in d. dec. 514. n. 14.

Conſiderabatur præterea ab vno ex Dominis, alia diuerſitatis ratio, quia filiæ excludebantur à ſucceſſione paterna propter filios maſculos, ſed non propter patruum: ideoque teſtator videbatur excluſiſſe filias proprias, non autem neptes, quaſi voluerit ſe conformare * cum diſpoſitione ſtatuti, iuxta *l. hæredes mei. §. cùm ita, ff. ad Trebellian.*

* Rota diuerſorũ p. 1. dec. 990.

Non obſtabat tertia coniectura, quòd quando ſubſtituti non ſunt extranei, ſed filij teſtatoris, tunc non excludantur per ſuperexiſtentiam * neptis, iuxta conſilium Pauli de Caſtro 409. incip. *Caſus iſte frequenter. lib.* 2. quia reſpondebatur, tunc filiam grauati non cenſeri poſitam in conditione ad excluſionem agnati ſubſtituti, quando agnatus excluderet filiam à ſucceſſione grauati, & ſic procedit prædictum conſilium Pauli de Caſtro: ſed cùm Fuluia in hac facti ſpecie non excluderetur à ſucceſſione Ludouici ſui patris, grauati propter patruum, neque de iure communi, neque vigore ſtatuti veniebat, ſub illa conditione ad excluſionem ſubſtituti, vt declarant Alexander *conſ.* 38. *num.* 7. *verſ. aut erat de agnatis, lib.* 6. Ruinus *dicto conſ.* 144. *n.* 14. Tobias Nonius *conſ.* 29. *num.* 25. 14.

* adde Seraphin. dec. 1216. n. 2. & 3.

15.

Ad quartam coniecturam deſumptam ab ſtatuto Fabriani excluſiuo fœminarum, cum quo teſtator præſumebatur, ſe in ſuo teſtamento voluiſſe conformare, & quòd propterea dicendo, *ſi deceſſerit ſine filijs*, intellexerat de maſculis, & tunc propriam ſignificationem vigore ſtatuti ſuffragari, quæ coniectura tali caſu cenſetur potentiſſima. Alexander *in l. hæredes mei, §. cùm ita n.* 9. & 10. *ff. ad Trebellian.* Socinus ſenior *conſ.* 51. *n.* 33. & *conſ.* 73. *n.* 13. *lib.* 4. 16.

Reſpondebatur, quòd cùm Troilus non excluderet Fuluiam à ſucceſſione ſui patris grauati ab inteſtato, vigore ſtatuti, & verba iſtius conditionis eſſent declaranda ſecundùm ſtatuta diſponentia de ſucceſſione eius, cui ſubſtitutio eſt facta, & non teſtatoris. Alciatus *reſponſ.* 71. *n.* 27. & 28. *tomo* 3. *lib.* 9. Gabriel *conſ.* 97. *n.* 19. conſequebatur, vt ſub iſta conditione, *ſi ſine filijs deceſſerit*, Fuluia intelligeretur comprehenſa ad excluſionem ſubſtituti, Socinus *conſ.* 35. *num.* 1. *lib.* 3. Ruinus *dicto conſ.* 46. *num.* 40. Tobias Nonius *dicto conſ.* 29. *num.* 25. Cardinalis Albanus *conſ.* 23. *num.* 10. & ita fuerat reſolutum in vna Montisfaliſci * hæreditatis die 14. Maij ann. 1584. 17.

* habetur p. 1. in dicta deciſ. 790. in impreſſis diuerſ.

Ad aliam coniecturam deſumptam ex teſtatoris diſpoſitione, volentis, quòd filiæ ſuæ in caſu, quòd perueniſſent ad viduitatem, aut aliquam neceſſitatem, poſſent redire ad domum teſtatoris, quaſi propterea, omnino indicauerit teſtator, velle conſeruare familiam in maſculis,

prohibe

prohibereque, ne fœminæ ſuccederent in bonis
18. ſuis, dicebatur, nihil inde colligi potuiſſe pro excluſione neptis, pro qua, cùm de hoc remedio non prouidiſſet, ex eo cenſebatur noluiſſe illam à ſucceſſione ſuorum bonorum excludere.

Præterea, cùm non appareret clarè ex verbis teſtatoris, quòd fecerit ſubſtitutionem; vt bona conſeruarentur in agnatione, per conditionem, *ſi ſine filijs*, neptes excludunt ſubſtitutum, Gabriel *conſ.97.num.17.& ſeq. lib.1.* quamuis Rota aliàs in ſimili caſu tenuiſſet pro ſubſtituto contra neptes, ex eo quòd teſtator conſideraſſet familiam, vt apud Tolomeum * *dec.46.*incip. *Parmenſis bonorum de Garembertis, lib.1.*

* habetur in impreſſis diuerſorũ p. 3. lib. 3. deciſ. 801.

Atque ex his tenuerunt Domini, non fuiſſe recedendum à deciſis.

19. Quoniam tamen circa illam difficultatem, an legitimatus excludat ſubſtitutum, licèt Domini concorditer tenerent opinionem affirmantem, Gabriel *de legitimat.concluſ.1. num.31.* Ce-
20. phalus *conſ.276. num.9.lib.2.* dubitabant tamen, an haberent locum, quando nepos * legitimatus veniret ad excluſionem filij teſtatoris, tunc enim ſubſtitutum non excludi per legitimatum cenſuerunt graues Doctores. Baldus *conſ.* 347. incip. *Super eo quòd,num.3. lib.3.* Menochius *conſ.* 318.*num.15.* R.P.D. meus Mantica *lib.11.de coniectur.vltimar. volunt. tit.10. num.25.* Ripa *in l. ex facto.§.ſi quis rogatus,il primo num.24.ff.ad Trebellian.* & alij, adeò libenter audirem D. Troilum ſuper iſta limitatione.

* de quo infrà dec. 546.

## *Mediolanen. pecuniaria.*

### Die Lunæ 17. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Conuentionis expreſſæ caſus æquiparatur diſpoſitioni legis, & ideo contrahentes faciunt legem.*

3 *A ſequeſtro non debet incohari iudicium.*
*quod non habet locum, in ſequeſtro conuentionali, in quo pacta, & conuentiones conſiderantur, num.4.*

5 *Contractus legem accipiunt, à qua recedere poſt actum perfectum non licet.*

### DECISIO CCCCLXXII.

1. PRæſuppoſito inſtrumento iurato, & ſtipulato, celebrato inter Reuerendiſſimum D. Alphonſum Riccium, & D. Hermetem Riccium, per quod Reuerendiſſimus D. Alphonſus promiſerat Hermeti, antequam pro ſe fideiuſſiſſet, quòd cum effectu implicauit penſiones quatuor annorum, ſeu inceptorum in anno 1594. proximè futuro incluſiuè, & finitorum anno 1598. proximè ſubſecuturo excluſiuè, id eſt, ſcuta quatuor mille in aliqua idonea proprietate, vel proprietatibus, in dominio Mediolani, dubitaui, an pecuniæ de quibus agebatur, forent ſequeſtrandæ, vt reinueſtirentur, & implicarentur in dominio Mediolani pro cautione Hermetis & intereſſe habentium, & vtraque parte informante.
2. Rota, nemine diſcrepante, cenſuit, locum fuiſſe ſequeſtro ad prædictum reinueſtitionis effectum, cùm enim verba inſtrumenti apertè continerent eam obligationem, perinde cenſenda erat, ac ſi à lege * imperaretur; quia caſus legis, & conuentionis expreſſæ æquiparantur. *l. cum precibus. C.de probatio. l.ancillæ C.de furtis.* Baldus *conſ.215.* incip. *Proponitur quòd inueſtitura, n.3. verſ.vnde non eſt quæſtio,lib.2.*

* adde Seraphin. dec. 154. n. 2. & Manticam dec.137.n.2.

3. Et hinc tollebantur difficultates oppoſitæ de prohibita ſequeſtratione, & de non inchoando à ſequeſtro, * quoniam in ſequeſtro † conuentionali, in quo principaliter conſiderantur contrahentium pacta, & conuentiones, non habent locum prædictæ regulæ; Practica Papien. *in forma ſequeſtri §. ſapiens vir, verſ. quid autem dicet.* Mynſingerus *ſingular.obſeruatio. centuria 5. obſer-*
4. *uatione 35.* Andreas Gail *practicarum obſeruat. lib. 2. obſeruatione 148. num. 7. & 8.* contractus enim legem accipiunt, ex partium conuentione, *à qua recedere poſt actum perfectum non licet. *cap. contractus, de regul. iuris lib. 6.* Pariſius *conſil.110. num.11. lib.1.* Rolandus *conſ.53.num. 14. lib.1.*

* de hoc articulo ſuprà dec.495.n.3. vbi aliàs deciſ.annotaui.

† hæc reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 519.

* adde Seraphin dec. 787 n.2. Rotam rec.p.1. dec.415.n.4. & deciſ.669. n.4.in fine & p.2.dec.137. num.1. circa medium, & dec.563.n.2.

Addebant Domini non pertinere ad propoſitum dubium, quæ dicebantur per informantes contra Hermetem, quòd ſcilicet prædicta facultas ſequeſtrandi reſpiceret fauorem Moreſinorum, pro euictione illorum, & pro fideicommiſſo Equitis Riccij, quia cùm ſtrictè quæreretur de ſequeſtro, ad inſtantiam Hermetis, ſatis erat, ex conuentione contrahentium ei non potuiſſe eam facultatem denegari.

## *Lucana Parochialis.*

### Die Lunæ 20. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumentum poſſeſſionis ſufficiens eſt ad concedendum mandatum de manutenendo, alio in poſſeſſione non exiſtente.*
*& idem eſt ſi conſtat ex partis confeſſione, num.2.*

3 *Clauſula,* Vocatis vocandis, *reddit executorem mixtum.*

4 *Index executor litterarum, licèt ſit mixtus, tenetur ſeruare formam iudicialem, & ſi aliter fecerit, eſt licitum appellare.*

### DECISIO CCCCLXXIII.

MAndatum de manutenendo cenſuit Rota dandum Antonio Vrſo; quia de illius poſſeſſione conſtabat ex inſtrumento adeptæ poſſeſſionis, * quod probat ad hunc effectum alio in poſſeſſione non exiſtente. *l. prædia ff. de acquirend. poſſeſſ.* item ex confeſſione † Theophili Carelli aduerſarij prouiſi Apoſtolici, quæ ſufficit etiam ad eundem effectum mandati de manutenendo; vt fuit reſolutum in vna Romana domus die 10. Aprilis proximè præteriti, coram R.P.D. meo Millino.

1. * adde Duran.dec.366. n. 1. & 407. n. 1. & 436. n. 1. & 437. n. 5. vbi aliæ deciſ. allegantur, quod amplia etiáſi poſſeſſio ſit capta per procuratoré, vt per eundé Durand.dec. 335. n. 2. & vide infrà dec.708.n.2.

Neque obſtiterat Antonio exiſtenti in poſſeſſione, quòd clauſis Eccleſiæ ianuis recuſauerit Theophilo tradere poſſeſſionem; quia dicebatur, quòd licèt poſſeſſio fuiſſet capta per Theophilum, adhuc Antonius erat manutenendus, niſi habuiſſet ſe pro ſpoliato: cùm enim in litteris Theophili eſſet clauſula, *Vocatis vocandis,* quæ

2. † adde Dur. dec.330.n.1. Ludouiſ.dec. 458. Caual. dec.432.n.1.



3. quæ reddit mixtum * executorem, tenebatur propterea iudex executor litterarum ſeruare formam iudicialem, † & à proceſſu aliter facto licuit appellare. Rota *deciſ.30.de reſcript.in nouis,* Achilles *deciſ.4. de ſentent. excommun.* Felinus *in cap.de cætero, num.10.de re iudic.* vnde cùm inualidè procedendo, non potuerit Antonium poſſidentem, ſua poſſeſſione priuare, mandatum de manutenendo debebatur Antonio, quod in eiſdem terminis fuerit decretum, in vna Mediolanen. Parochialis die 21.ann.1586.coram Domino Cardinale Platto.

* adde ſuprà dec.118.n.3. & Durã. dec. 254.n.1.& 2. Lud. dec.69. n.4.& annot. n. 9. vbi aduertit aliquando per Rotam aliter fuiſſe tẽtum, & vide infrà dec.507.n.7. & 614.n.2.

4. † Dur.dec. 397.n.7.Caual.dec.274. n.1. Coccin. dec.251.n.1. & 366.n.3.& quod clauſula vocatis, aliquãdo nõ faciat exequutorẽmixtũ, vide Rotã in vna Hiſpalen. præeminen. corã Sacrato impreſſam penes March. de commiſſ. p.2.pag 498. n 3.n.5.

## *Calagurritana penſionis.*

### Die Lunæ 20. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

1 *Sequeſtrum vt euitetur, ſufficit triennalis poſſeſſio.*
*etiamſi ſit vitioſa, & violenta, n.2.*

3 *Triennalis poſſeſſio pacifica ceſſat, ſi ab initio conſtituatur lis.*

4 *Sequeſtrari poteſt tanquam attentata, poſſeſſio capta lite pendente.*

5 *Spoliator non amittit titulum coloratum, quem habebat ante ſpoliationem.*

6 *Lis non dicitur extincta, ex quo fatalia non ſint prorogata.*

7 *Lis non extinguitur per taciturnitatem.*

### DECISIO CCCCLXXIV.

1. QVamuis non videretur Dominis contemnenda difficultas excitata per informantes pro Ioanne de Ayo prætendentes, quòd ad euitandum ſequeſtrum ſufficeret triennalis poſſeſſio, quæ excurrerat à die collationis ſibi factæ per Ordinarium, per doctrinam Bonifacij de Vitalinis *in Clement. ad compeſcendas, num. 42. de*
2. *ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* & Sarnenſis *in regula de triennali quæſt.11. num.6.verſ. & ideo videmus, & num.17.verſ.non obſtat dictum*; aſſerentium quòd poſſeſſio triennalis, etiam vitioſa, & violenta ſit potens impedire ſequeſtrum, non receſſerunt à deciſis in eadem cauſa, facta die Lunæ 23. Octobr. proximè præteriti, * quoniam iſtorum doctrina habet locum quando non adfuit lis à
3. principio: qua ab initio conſtituta (vt in caſu propoſito fuit deciſum) ceſſat poſſeſſio triennalis † pacifica. Puteus *deciſ.347.*incip.*In cauſa Britenorien.num.3.lib.3.*

* ſuprà dec. 468.

† adde Caſſador. dec.4. n.1.tit.de ſequeſt.poſſ. & fruct. & Caputaq. deciſ. 354.n.2.p.2. Mantic. dec. 50.n.10.

* de hoc annotaui ſuprà ad d. deciſ. 468.n.3.

† qui requiritur præciſè, Coc.dec. 312. n. 3. & 361. n. 1. in fine.

Rurſus, licèt regula de triennali, impediat ſequeſtrum, quando petitur poſt latam primam ſententiam vigore *dictæ Clement. ad compeſcendas*; non tamen operatur eundem effectum, quando ſequeſtratur poſſeſſio * tanquam attentata, quia ſcilicet fuit capta lite pen-
4. dente.
5. Præterea Bonifacius & Sarnenſis loquuntur in habente titulum † coloratum, quem non amittit ſpoliator; qualem non habebat in hac facti ſpecie Ioannes de Ayo vigore collationis ſibi factæ ab Ordinario, qui cùm inualidè contulerit dimidiam portionem, vigore ſcilicet arbitramenti iudicum Commiſſariorum, talis adiudicatio non potuit deſeruire pro titulo colorato, eo præſertim nomine, quia adiudicatio fuerat conditionalis, * dummodo Ioannes de Ayo conſentiret reſeruationi penſionis.

* & ideo poteſt petere manutentionem, vt per Ludouiſ.dec. 200. n. 4. & annota. n. 7. alias dec. allegat.

* & in gratia conditionali dixit Rota recen. p.2. dec.531. n.4.in fine.

Lis autem non cenſebatur extincta † ex eo, quòd non fuerint prorogata fatalia, nec aliquid multo tempore actum: nam cùm anno 1583. fuerit actum pro ſolutione penſionis, & ſententia tunc lata ſolùm condemnaret ad ſolutionem penſionis, & ab illa fuerit appellatum, * nec ſententia loqueretur de titulo beneficij, nec fuerat opus prorogare fatalia, nec per taciturnitatem fuerat lis extincta. Rota *deciſ.10.vt lite pendent.in nouis.*

6. † lis non dicitur extincta etiamſi poſt rem iudicatam, ante exequutionẽ, vt per Durand.dec. 430. num. 7. quod intellige, vt per Coccin. dec. 337. n. 15. Rotam rec. p.2.dec.691. n.3.in fine.

Et maximè, cùm Ioannes de Beſſaue ſiluerit, non animo ſibi præiudicandi, ſed quia putabat ſibi deberi penſionem, quam indies conſequi ſperabat. Caſſadorus *deciſ.5.vt lite pendent.*

7. * adde Cau. dec.317.n.1. & 2.& deciſ. 333.n.3.&4. & 6. Rotam rec. p.2. dec. 746 n.2.

## *Lugdunen. pecuniaria.*

### Die Lunæ 17. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Nullitas proceſſus oritur ex defectu citationis partis, vel eius Procuratoris.*

3 *Remiſſoria conceſſa ad inſtantiam Procuratoris, non habentis mandatum, eſt nulla.*

4 *Nullitas proceſſus ex defectu citationis, vel mandati, probatur ſufficienter, ſi in proceſſu de vtroque non conſtat.*

### DECISIO CCCCLXXV.

PRæſuppoſito proceſſu Remiſſoriæ, Lugduni facto, dubitaui, an eſſet inualidus ex defectu citationis, & mandati, & vna tantùm parte informante pro D.Turino reſolutum fuit pro nullitate proceſſus. 1.

Primò ex defectu citationis, quia nuſquam apparebat citatum * fuiſſe aliquem de Benuiſiis contra quam fieri oportuerat, cùm Procurator Turini, proteſtatus fuiſſet non deueniri ad examen teſtium, niſi citatis Bernardino Stephano, & Antonio Benuiſiis mercatoribus, Lugduni Commorantibus, ſiue eorum altero, quos ad hunc effectum Procuratores ſubſtituerat. † *l.de vnoquoque ff.de re iudic.* & ſtante præſertim proteſtatione. Iaſon *in l. non eo minus, num.1. C. de procuratorib.* 2. 3.

* de quo ſuprà dec.445.

† vide latè dec.115.p.1. diuer.in impreſſ.

* adde Manticam deciſ. 219.n.2.dec. 328. n. 3. & hæc nullitas poteſt quandocũque opponi, vt per Ludouiſ.dec. 264. n. 1. & eſt inſanabilis, vt per Caual. dec. 53. n. 1. & 396. n. 6. Rotam rec p.2. dec. 474. n. 2. & p.1.dec.365. n.3.

† adde Coc. dec.74.n.3.

Nullitas etiam ex defectu mandati * videbatur clara, quia non fuerat factum examen ad inſtantiam hæredum de Vertema, & Ioannis Bapiſtæ Scandulerij, ad quorum petitionem fuerat decreta Remiſſoria, ſed ad inſtantiam Ioannis Duchier, aſſerti Procuratoris ſubſtituti à Laurentio Sandulerio, de cuius mandato † non conſtabat, nec quòd haberet facultatem ſuſtituendi. Baldus *in l.licet, in principio. C.de procuratoribus.* Alexander *conſ.72.lib.4.* 4.

Iſti autem defectus citationis, & mandati, ex reuolutione proceſſus * cenſentur ſufficienter probati eo ipſo, quòd nec apparet de citatione, nec de mandato Laurentij, *l.fin.C.de rebus credit. l.in lege.C. de contrahen.empt.* Bartol. *in l.2.n.2.C. de error. Aduocator.*

* adde Lud. dec.416.n.5. vbi latè annota. n.8. & Cau. dec.35. n. 2. & Rotã rec.p.1. dec. 167. n.42. & dec.411.n.1. & 611.n.2.

*Portuenſis*

## *Portuenſis reſponſionis.*

### Die Lunæ 13. Nouembris 1595.

### DECISIO CCCCLXXVI.

QVo faciliùs huic cauſæ finis imponeretur, decreui diſtinguere tempora, & terras Eccleſiæ, vnde præſuppoſitis reſolutionibus * in hac cauſa factis, & aliis de quibus legitimè conſtaret in actis, & ſecluſo effectu, reſpectu reſeruatorum dubitaui, quænam quantitas grani recollecta, ſeu exacta fuiſſet de terris Eccleſiæ Cerenſis ſitis in tertio de Sancta Maria, quod erat rubiorum 30. de annis 1590. & 1591. & vtraque parte informante cauſa propoſita, fuit reſolutum, de prædictis annis fuiſſe ex dicto tertio exactas decem quartas pro ſingulo rubio terræ: nam primus teſtis Eccleſiæ, ſuper quinto dicebat, *Nel terço di Sancta Maria di Cere, furono ſeminate rubla 35. de la Chieſa di Cere, de Stephano Pagnotta, in Maeſi, & in colti: & ne pago doi ſemi & mezzo per rubio: & queſto lo ſo, perche ho viſto conſegnare grano dalli homini de Stephano Pagnotta, alli homini di Mario Fano tanto dal anno 1590. quanto dal anno 1591.*

* ſuprà dec. 370. & 406. & 412. & 415. & 427.

Idem deponebat ſecundus teſtis D. Marij Fani iuxta octauum, & quintus iuxta quintum, dicens, ſe ſcire, quòd Stephanus Pagnotta coluerat dictas terras in tertio de Sancta Maria, & quòd idem Pagnotta ſoluerat reſponſiones Mario Fano ad rationem decem, vel 11. quartarum pro ſingulo rubio terræ, eadem quoque probatio reſultabat ex inſtrumento locationis factæ per D. Marium Ioanni de Surdis, pro annis 1590. & 1591. & ex confeſſione eiuſdem Marij, in reſponſione ad poſitiones, & ex prædictis cenſuerunt Domini, ſatis videri iuſtificatam intentionem Eccleſiæ, vt Marius, qui reſponſiones exegerat, teneretur pro 64. rubiis terræ ad rationem decem quartarum, ſeu duorum rubiorum cum dimidio pro dictis duobus annis.

---

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Veneris 24. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus ſi in gratiæ narratiua à parte confiteatur, videtur ſatis probari ex confeſſione.*
2 *Præſentatio facta per Patronos de Capellania, ex ſola exhibitione inſtrumenti probatur.*
3 *Actus negatiuus in facto proprio conſiſtens, ex aſſertione negantis probatur.*
4 *Acta proceſſus rem clarè demonſtrant.*
5 *Teſtes de auditu probant valorem beneficij.*
6 *Clericatus probatur ex litteris patentibus ſui ordinatoris.*

### DECISIO CCCCLXXVII.

1. CIrcunſcriptis teſtium exceptionibus, gratia Iulij de Veccaria vltimo loco producta videbatur iuſtificata, quoad narratiuam iuriſpatronatus ex fundatione, vel dotatione, ex confeſſione * Auguſtini, qui in ſua gratia confeſſus fuerat Capellaniam, ad Altare Sanctæ Mariæ Angelorum in Eccleſia Sancti Petri oppidi de Claſtigo, eſſe de iure patronatus laicorum de Beccaria. Peregrinus *deciſ.* 64. incip. *Domino Puteo proponente*, *lib.* 2. Puteus *deciſione* 325. *num.* 3. *lib.* 2. *& deciſione* 36. *num.* 1. *lib.* 3. præſertim cùm eſſet adminiculata ex duabus præſentationibus de annis 1495. & 1507. nec ageretur ad canonizationem iuriſpatronatus, cùm Ordinarius non eſſet in cauſa, nec pro libertate beneficij certaret.

* adde Lud. deciſ. 451. n. 2. vbi plura tradit annot. n. 22. & Rotã rec. p. 1. dec. 697. n. 2. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

Item dicebatur iuſtificata, quoad præſentationem narratam factam à patronis, de perſona Iulij infra quatuor menſes, cum inſtitutione ſubſecuta, ex ſola exhibitione inſtrumentorum * qualiſcumque præſentatio fuiſſet, cùm ſufficeret factam fuiſſe de facto. Ægidius *deciſ.* 115. incip. *Falſa expreſſio.* Verallus *dec.* 407. incip. *Proniſio, parte* 2. 2.

* adde Cau. dec. 626. n. 2. & 655. n. 5.

Quòd verò idem Iulius nullos fructus percepiſſet ex prædicta Capellania, ex eiuſdem Iulij aſſertione cenſebatur probatum ex eo, quòd actus negatiuus in facto proprio negantis conſiſtens, per eius aſſertionem cum iuramento probari poſſit, Ripa *in l. ſi conſtante. ff. ſoluto matrim. num.* 20. *&* 21. Alciatus *de præſumpt. regula* 3. *præſumpt.* 20. *num.* 2. quod in propoſito themate ex ſatis veriſimili præſumptione verificari videbatur, quoniam Auguſtinus aduerſarius ſtatim poſt obitum vltimi poſſeſſoris aſſecutus fuerat huius Capellaniæ poſſeſſionem, in qua etiam de præſenti reperiebatur. Puteus *deciſ.* 9. *in fine lib.* 1. & fuit reſolutum in vna Compoſtellana fructuum coram R. P. D. meo Blanchetto die 28. Maij 1591. 3.

Narratiua litis inter Iulium, & Auguſtinum patenter oſtendebatur ex actis, quæ rem demonſtrant. *l.* 1. *& ſeq. ff. de fide inſtrumentor.* ex quo meritò ſequebatur, Auguſtinum iſtam Capellaniam pacificè non poſſidere. 4.

Valorem eiuſdem Capellaniæ non excedere 65. ducat. auri de Camera, probabant tres teſtes de publica voce, & fama, Ægidius *deciſione* 675. quam ſemper ſequitur Rota in hac materia probationis valoris * ad effectum iuſtificationis. 5.

* adde ſuprà dec. 374. n. 5. & 398. n. 5. vbi alias deciſ. annotaui.

Clericatus Iulij ſufficienter dicebatur probatus ex litteris patentibus † ſui ordinatoris in actis productis. 6.

† adde infrà dec. 653. n. 6. & 662. n. 2. Dur. dec. 87. n. 2. & 117. n. 3. & 204. n. 3. & 237. n. 3. vbi aliæ dec. allegantur, & aduerte non probare litteras alterius Epiſcopi, vt infrà dec. 485. n. 4.

Sed reſpectu valoris obtentorum, & obitus Hieronymi de menſe Decembris ann. 1592. & reſpectu clauſulæ, dummodo tempore datæ præſentium, non ſit alterius quæſitum, (de qua volebant Domini particulariter agi) eadem gratia, ex his, quæ proponebatur, non videbatur iuſtificata.

---

## *Neapolitana cenſus.*

### Die Lunæ 27. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

1.2 *Ceſſio tacita ſufficit ad extinctionem fideiuſſionis.*
3 *Succeſſor in locum primi creditoris miniſterio iuris, non indiget aliqua expreſſa ceſſione contra fideiuſſorem, cuius obligatio eſt acceſſoria.*
4 *Venditor cenſus poteſt cedere alteri ius reluendi eum, ſed non poteſt transferre ius, & dominium cenſus, quod eſt penes alterum, abſque eius facto.*
5 *Emptor cenſus, & iuris illius non eſt propriè creditor.*
6 *Creditor propriè non dicitur, qui agit rei vindicatione.*
7 *Reales actiones pro iuribus incorporalibus competere poſſunt.*



### DECISIO CCCCLXXVIII.

1. POſt multas reſolutiones in hac cauſa factas, contra D. Abbatem Paulutium, vt eius voluntati ſatisfacerem, tandem ipſum audire volui ſuper eo, an ad effectum de quo agebatur, fuiſſet neceſſaria ceſſio iurium expreſſa Iuliæ Stabainæ, contra D. Epiſcopum fideiuſſorem: & Domini reſponderunt, neceſſariam fuiſſe expreſſam ceſſionem, quia de ſcientia Iuliæ reſpectu Epiſcopi non conſtabat; quamuis enim ceſſio tacita ſufficiat, quoniam lex fingit, creditorem hoc velle, quando ſibi ſoluitur, Bartolus *in l. Ariſto, num.* 7. *ff. quæ res pi-*
2. *gnori oblig. non poſſ.* id tamen habet locum, quando primò creditori fuit notificatum, quòd pecunia ſecundi creditoris fuit eo pacto tradita, & ſub eodem pacto ei numerata, aliàs enim ſi nihil ei dicatur, non cenſetur conſentire pacto, nec ſecundus ſuccedit in locum primi, vt fuit reſolutum in hac cauſa die 25. Octobris 1593. * dicebatur etiam in hac propoſitione, non conſtare, quo iure vellet Abbas Paulutius ſuccedere in locum Iuliæ abſque expreſſa ceſſione, cùm Iulia non eſſet creditrix,
3. ſed domina cenſus de quo agebatur, quem potuit in alium transferre per ceſſionem, aut venditionem: ideoque Doctores allegatos per informantes pro Paulutio, nempe Citium, Baldum, Angelum, Albericum, & Salicetum *in l.* 2. *C. per quas perſonas nob. acquirit.* dicentes, quòd quando quis ſuccedit in locum primi creditoris miniſterio iuris, tunc non requiritur aliqua alia expreſſa ceſſio contra fideiuſſorem, cuius obligatio eſt acceſſoria ad contractum, non applicari ad terminos huius quæſtionis.

* ſuprà dec. 326.

4. Camillum præterea, cenſus venditorem potuiſſe alteri cedere ius releuandi cenſum, non tamen potuiſſe transferre ius, & dominium cenſus, quod erat penes Iulium abſque facto Iuliæ, *ad l. quod noſtrum ff. de regul. iur.* & multo minus acceſſoria eiuſdem iuris cenſus, qualia ſunt obligationes fideiuſſorum, * & ſimilia; & propterea neceſſariam fuiſſe ceſſionem expreſſam.

* adde Lud. dec. 190. n. 1. in fine & latè annot. n. 3. dec. 503. n. 1.

Supradictis accedebat, quia quando agitur
5. de ſuccedendo in ius creditoris, intelligitur de iure, ex quo oriuntur actiones perſonales, & hypothecariæ acceſſoriæ, quæ perſonali adhærent, non autem rei, ideoque empotor cenſus, & iuris illius, non eſt propriè creditor, ſicut nec ille, qui agit rei vendicatione. gloſſ.
6. & Iaſon *in* §. 1. *Inſtitut. de actionib.* Gabriel *conſil.* 148. *num.* 6. *lib.* 2. & propterea deficere rationem ſuadentem, quòd Paulutius poſſet tranſire ad iura realia Iuliæ, abſque expreſſa ceſſione, aut venditione Iuliæ; quia pro iſtis iuribus incorporalibus competunt reales actiones. §. *æquè. Inſtitut. de actionibus*, & conſequenter extincto priori cenſu, per Camillum, ſtatim fuiſſe extinctam omnem obligationem ortam ex contractu dicti cenſus, & Epiſcopum fideiuſſorem * fuiſſe liberatum, prout optimè deducitur in deciſione in hac cauſa facta coram R.P.D. meo Gyptio die 9. Martij, & 10. Aprilis 1592. 7.

* adde Rotam diu. p. 1. dec. 113 n. 4.

---

## *Vliſbonen. legitimæ.*

### Die Lunæ 27. Nouembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Dos mulieris ſuccedit loco legitimæ.*
3 *Mortis tempus conſideratur in legitima, ſed quo ad dotem, inſpiciendum eſt tempus dotationis eius quæ ſi congrua ſit, non eſt de futuris euentibus curandum.*
4 *Melioratio dotis non eſt facienda mulieribus, ſi eis fuerit data competens dos, & n.* 6.
5 *Pater non poteſt reuocare dotem locupletem datam filiæ, licèt poſtea deueniat ad paupertatem.*
7 *Læſio conſideranda eſt tempore contractus.*
8 *Euentus rerum, & humana negotia, propter multiplicia accidentia, variantur.*
9.10. *Læſio propter accidentia temporum non conſideratur.*
11.12 *Teſtes deponentes de valore rei, tenentur reddere rationem, vt concludant, cùm valor non percipiatur ſenſu, ſed effectu.*
13 *Valor verus bonorum dicitur, deductis oneribus, & expenſis.*
14.15 *Læſio reſpectu legitimæ, attendenda eſt à tempore mortis patris, & non contractus.*
16 *Profeſſione non ſecuta, reſtituenda eſt dos Monialis, dotanti.*
17 *Læſio excluditur, quando lucrum maioratus tendit in vtilitatem prætendentis læſionem.*
18 *Renunciatio paternæ hæreditatis facta per Monialem ingredientem religionem, præiudicat Monaſterio.*
*quod intellige, ſi ſit competenter dotata, n.* 19.
20 *Renunciatio Monialis bonorum paternorum, vt tutior ſit, ne poſſit peti amplius de legitima, debet fieri cum conſenſu Monaſterij.*

### DECISIO CCCCLXXIX.

REnunciationem factam per duas filias Ægidij Coſtæ, competenter dotatas anno 1542. quando Monaſterium de Almoſtor ingredi deſtinauerant, per quam, accedente Abbatiſſæ, & totius Conuentus conſenſu, omni & cuicumque ſucceſſioni, quam ipſæ, & Monaſterium quocumque tempore in bonis parentum, prætendere poterant, ſponte renunciarunt, vt de bonis prædictis maioratus, in familia ipſius Ægidij perpetuò manſurus conſtitueretur, ſicut de prædicto anno conſtitutus fuiſſe videbatur, Moniales ann. 1588. reſcindendam, *ex cap. grandis*, læ- 1.

ſiones prætendentes, ſub prætextu, quòd tempore obitus Annæ matris de anno 1562. & Ægidij patris de anno 1572. legitima iſtarum duarum filiarum, religionem expreſsè profeſſarum aſcenderet ad ſummam 44. m. ducatorum, litem introduxerunt; & bon. mem. Marcellus Bubalus, Rotæ Auditor, contra illos pronunciauit, in gradu appellationis die 28. Ianuarij 1594.

*ſuprà dec. 350.

* vna tantùm parte informante ſententiam Rotalem validam, & confirmandam Rota cenſuerat; modò verò poſt obtentam à Monialibus Remiſſoriam, ad læſionem, & alia incumbentia probanda, vtraque parte informante ſuper dubio dato, an conſtaret de enormi læſione, ad effectum reſcindendæ prædictæ renunciationis, Domini negatiuè reſponderunt.

Cæterùm, quia cauſa erat grauis, & exemplaris, cùm ex vna parte cauſæ fauor, & ex altera contractus renunciationis iurati, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate confirmati validitas decretaret, de tribus articulis ſingulatim fuit actum, primò, quod tempus eſſet inſpiciendum ad effectum conſiderandæ læſionis, an tempus renunciationis, vel paternæ mortis.

Secundò, an ex his quæ proponebantur, foret læſio probata.

Poſtremò, an dato quòd eſſet læſio enormis probata, releuaret, ita vt pro Monialibus eſſet pronunciandum.

2. Quantum ad primum articulum, quamuis dos ſuccedat loco legitimæ, * & in legitima conſideretur tempus mortis, † *l. cùm quæritur. C. de inoffic. teſtament.* Domini tamen veriorem cenſuerunt ſententiam affirmantem reſpiciendum tempus datæ dotis, * quæ ſi eo tempore congrua ſit, non eſſe de futuris euentibus curandum, congruitatem autem dotis, æſtimandam, inſpectis facultatibus, numero liberorum, & cæteris qualitatibus, & circunſtantiis, quæ adſunt tempore dotis datæ. Alexander *conſil.* 53. *numer.* 4. *lib.* 4. Baldus *in Authent. res quæ, num.* 17. *verſ. quæro de duobus. C. de bonis mater.* Curtius ſenior *conſil.* 27. *verſ. tum quia facultates*, Corneus *conſil.* 190. *num.* 12. *verſ. quòd attendatur congrua dos, lib.* 3. Decius *conſil.* 276. *numer.* 3. Palacius Rubius *in cap. per veſtras.* §. 23. *de donat. inter virum, & vxor.* latè Gaſpar Baëtius *tractat. de non meliorandis dotis ratione filiabus, cap.* 31.

*adde Lud. decif. 565. & quãdo intelligatur dotẽ ſuccedere loco legitimæ, Rota recen. p. 1. dec. 708. n. 3. & Rota diu. p. 1. dec. 60. num. 2. & 266. n. 3. & per totam.

3. † Dur. dec. 76. n. 62. Seraphin. dec. 815. n. 4. & 976. n. 5. & vide infrà dec. 745. n. 5.

*adde Seraphin. dec. 931. n. 3.

4. Quemadmodum enim pater non reuocat dotem locupletem filiæ ſemel datam, licèt poſtea fortunæ iniquitate,

5. deueniat ad paupertatem, vt contra Paulum de Caſtro *in l. in ratione, ff. ad legem Falcid.* & Socinum *conſil.* 100. *lib.* 3. (qui affirmatiuam ſententiam ſecuti ſunt) tenuerunt. Decius *in*

6. *dicto conſil.* 276. Boërius *deciſ.* 62. *num.* 11. ita rationi conſonum eſt, vt auctis paternis facultatibus, augmentum dotis filia petere non poſſit. Decius *dicto conſil.* 276. Alexander *conſil.* 29. *numer.* 6. *lib.* 3. Couarruuias *in cap. quamuis pactum, parte* 3. §. 4. *numer.* 7. *in fine, de pact. lib.* 6. Molina *de Hiſpanor. primogen. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 29. Gaſpar Boëtius *præcitato tractatu cap.* 31. *num.* 9. *verſ. ſed contraria ſententia.*

Poſtremò prædictam affirmatiuam ſententiam, de inſpiciendo tempore dotis conſtitutæ, reſpectu læſionis, comprobat generalis illa Doctorum traditio, quòd ad effectum redar-

7. guendi læſionem, conſiderandum ſit tempus contractus, * non aliud, in quo propter multiplicia accidentia, & rerum euentus, humana negotia, & actus variantur. † Calderinus *conſ.* 5. *de rerum permut.* Iaſon *conſ.* 54. *num.* 20. *lib.* 1. & alij relati per Cagnolum *in l.* 2. *n.* 213. *in fin. C. de reſcinden. vendit.*

*adde Lud. dec. 570. n. 5. & 604. n. 15. Caual. deciſ. 448. n. 3. Seraphin. dec. 665. n. 5. Rota recen. p. 1. dec. 87. n. 4. & 577. n. 4.

8. Iſte enim dubius, & anceps rerum euentus, quo vel filiæ ante parentes mori, vel parentes ad inopiam venire potuiſſent, adeò ius filiarum turbidum, & incertum reddit, vt non poſ-

9. ſent iuſtè læſæ cenſeri. Socinus *conſil.* 263. *num.* 4. *lib.* 2. Pariſius *conſil.* 26. *num.* 89. *lib.* 3. Grammaticus *deciſione* 101. *num.* 74. Crauetta *conſil.* 114. *num.* 13.

† vide Rotã diu. p. 1. dec. 347. an ſit augenda legitima auctis bonis, & an ſit inſpiciendum tẽpus mortis, vel petitionis.

Quemadmodum enim non potuiſſet hæc renunciatio, etiam reſpectu legitimæ, dici Monaſterio læſiua, ſi talis triſtis euentus mortis filiarum ante obitum parentum, aut eorundem pauperras, aut alius ſimilis acceſſiſſet, quinimo tunc vtilis fuiſſet exiſtimatus, ita è conuerſo, propter euentum proſperum, & fœlicem, non debuit cenſeri læſiuus, quia conſiderato principio, reuera læſiuus non fuerat. *l. ſi pater puellæ. C. de inoffic. teſtament. l. ſi ea petitione*, vbi gloſſ. *C. de vſuris*, Paulus de Caſtro *conſil.* 174. incip. *Contra ſuperiùs, verſ. nec obſtat, cap. quamuis, lib.* 1. latè Siluester Aldobrandinus *conſil.* 26. *num.* 118.

10. Quantum ad ſecundum articulum, reſpicientem probationem læſionis, negatiuè reſponſum fuit, eam non fore probatam tempore conſtitutæ dotis de anno 1542. de quo (vt proximè patuit) neceſſariò probanda fuerat ex certa bonorum quantitate, & tamen teſtes, quibus nitebatur probatio Monaſterij, non attingebant tempus ann. 1542. in quo fuerat dos conſtituta, vt patebat ex atteſtationibus ſingulorum, neque reddebant bonam cauſam ſcientiæ, quod tamen fieri oportebat: nam cùm va-

11. lor bonorum non percipiatur ſenſu, teſtes rationem * concludentem reddere tenebantur. Abbas *in cap. cùm cauſa il* 2. *num.* 3. *circa medium, verſ. vnde aduerte, de teſtib.* Alexander *in l. pretia rerum, num.* 12. *circa medium, verſ. adde etiam, ff. ad leg. falcid.* Decius *in l. quatenus, num.* 5. *ff. de regul. iuris.*

*adde Lud. deciſ. 573. n. 11. & alias ſæpe.

12. Præſertim, cùm teſtes de quantitate, & valore bonorum deponentes, etiam non interrogati, † concludentem rationem reddere debeant, vt cenſuerunt Curtius iunior *conſil.* 144. *num.* 6. *lib.* 2. Caſſadorus *deciſione* 19. *num.* 3. ſuper regulis, Felin. *in cap. cùm cauſam, num.* 3. *verſ. & per hanc fallentiam, de teſtib.*

† adde Lud. dec. 379. n. 3. & aliàs.

13. Rurſus neque teſtes aſſerebant quantitatem, aut valorem bonorum deductis grauaminibus, oneribus, & expenſis, quibus detractis dicitur remanere verus valor * ad legitimam in bonis paternis conſtituendam, ideoque dicebatur, non probare. Rota *deciſione* 60. *de conceſſ. præbend. in antiq.* Felinus *in cap. ad aures, concluſ.* 12. *num.* 13. *de reſcript.* Creſcent. *deciſione* 29. Verallus *deciſione* 119. incip. *Noluerunt Domini, lib.* 1. *in manuſcript.* †

*adde Lud. dec. 357. n. 4. & 411. n. 3. Cauaÿler. dec. 383. n. 2. & 462. n. 1. Ser. dec. 1317. n. 1. & 1297. n. 1. Mantic. dec. 178. n. 1. & ad inducendam læſionem detrahẽda ſunt onera, Rota in vna Romana reſtitutionis domuncularum impreſſa penes March. de commiſſ. p. 2. pag. 197. n. 4.

† Creſc. dec. 2. de probat.

Quintò, & aliis quibuſdam teſtibus, licèt attingerent tempus conſtitutæ dotis de anno 1542. quia erant Moniales huius Monaſterij, de cuius intereſſe agebatur, non fuit habita fides.

14. Neque ſupradictis obſtabat, quòd læſio reſpectu legitimæ, non tempore contractus, ſed tempore



tempore mortis parentum ſit conſideranda, *dicta l. cùm quæritur. C. de inofficioſ. teſtament.* quoniam reſpondebatur, id eſſe verum, quando renunciatur paternæ hæreditati poſt mortem pa-

15. tris; ſecus autem eſſe, cùm ſit patre viuente, tunc enim læſio tempore renunciationis attenditur, vt in terminis de legitima voluit Pariſius *conſil.* 26. *num.* 77. & 92. vbi atteſtatur de magis communi, *lib.* 3. Molina *de primogen. Hiſpanor. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 29. Couarruuias *in cap. quamuis pactum part.* 3. §. 4. *numer.* 2. *de pactis, lib.* 6.

Poſtremò in propoſita facti ſpecie, nedum excludebatur læſio, ſed plures etiam Moniales teſtificabantur, iſtas filias Ægidij fuiſſe competenter illo tempore dotatas, & dotem tunc illis datam fuiſſe maiorem, quæ tunc dari ſoleret: nam cùm tunc non darentur niſi 100. aut 150. mille regalia nomine dotis, iſtis fuerat aſſignata dos 200. mille regalium.

Quibus præterea accedebant multa, quæ excluſa læſione videbantur continere non obſcuram, aut ambiguam monaſterij vtilitatem, cùm de anno 1542. pactum fuiſſet, quòd ſi fortaſſis filiæ patri præmorerentur, aut nollent religionem profiteri, quod ſolutum fuerat mona-

16. ſterio, apud illud remaneret, cùm tamen profeſſione non ſecuta, dotanti reſtituendum fuiſſet. * Item de vniuerſo bonorum cumulo maioratui attributorum, extractum, ſeu exceptum fuerat quoddam caſale, & illius vſusfructus, qui dicebatur aſcendere ad annuum redditum, viginti millia regalium, durante vita dictarum filiarum, eidem Monaſterio fuerat appli-

& idem eſt ſi Monialis ſit tranſlata in alterum Monaſteriũ. Rota recen. p. 2. dec. 115. n. 2.

17. catus. Poſtremò Ægidius pater, maioratus fundator, illud quoque piè, & prouidè in vtilitatem, & commodum eiuſdem Monaſterij ordinauerat, vt quandocumque deficeret eius generatio, ad quam ordine quodam ſucceſſiuo in inſtitutione expreſſo vocabatur, tunc in eo etiam ſuccederet Monaſterium, ex quo pacto maximè Monaſterio conſultum videbatur, quòd cùm tenderet ad eius lucrum, læſionem quoque excludebat. Molina *de Hiſpanor. primogen. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 35. Tiraquellus *de primogen. q.* 40. *n.* 6.

18. Ad poſtremum articulum Domini reſponderunt, quòd licèt Corneus *conſ.* 272. *lib.* 3. Ruinus *conſil.* 204. *lib.* 1. Felinus *inter conſilia Ruini* 206. *lib.* 4. & quidam alij ſenſerint, renunciationem paternæ hæreditatis factam per Monialem ingredientem monaſterium, non præiudicare monaſterio; contraria tamen opinio affirmatiua eſt magis communis, & videtur proximiùs ac-

19. cedere ad veritatem, quando talis Monialis fuit competenter dotata, non obſtante, quòd læſio eſſet probata; quia talis filia Monialis non poteſt dici enormiter læſa, ſi accepta dote competente, Monaſterium ſit ingreſſa renunciando paternæ, & maternæ hæreditati: cùm enim ipſa religionem profiteri velit, nulloque alio, quàm dote competente indigeat, ſi dos competens eidem, ſecundùm eiuſdem, ac monaſterij qualitatem, & conſuetudinem aſſignata fuerit, in nullo læſa dici poterit, quamuis aliàs parentum bonis conſideratis, enormiter læſa videatur, quam ſententiam * multi & inſignes viri ſecuti ſunt. Bartolus *in l. fin. num.* 7. & *ſeq. C. de pactis*, & *ibidem* Baldus, & Purpuratus *num.* 188. Decius *conſil.* 31. *num.* 5. Couarruuias *in cap. quamuis pactum, parte* 3. §. 2. *num.* 3. *de pactis, lib.* 6. Alexander *conſil.* 33. *num.* 4. *lib.* 4. Curtius ſenior *conſil.* 27. & *conſil.* 80. Pariſius *conſil.* 26. *num.* 88. & 90. *lib.* 3. additio ad Alexandrum *conſil.* 29. *littera B. lib.* 3. Molina *lib.* 2. *de primogen. Hiſpan. cap.* 3. *num.* 27. Gaſpar Baëtius *dicto tractat. de non melioran. dotis ratione filiabus, cap.* 14. *num.* 30. latè Silueſter Aldobrandinus *dicto conſ.* 26. *n.* 38. & 47. & 105. & 114. & alij per iſtos relati.

*adde Rotam rec. p. 2. dec. 714. n. 9.

20. Denique, licèt Cagnolus, & Purpuratus *in dicta l. fin. num.* 194. *C. de pactis*, quos ſequitur Baëtius *dicto cap.* 14. *num.* 30. *verſ. tutius tamen eſt*, cenſeant, tutius eſſe renunciationem fieri ex conſenſu * Monaſterij, in caſu propoſito, cùm Abbatiſſa, & Moniales capitulariter congregatæ, renunciationi factæ de legitima, quamuis adfuiſſet læſio, cum iuramento conſenſerint, ita vt omnis propterea prætextus ampliùs petendi, Monaſterio fuerit ſublatus. Aldobrandinus *dicto conſil.* 26. *num.* 83. & 108.

*& tũc valet renunciatio etiam ſine conſenſu ingredientis Monaſteriũ, vt per Seraphin. deciſ. 1198. n. 1. & 2.

Ex quibus concluſerunt Domini, neque probatam fuiſſe aliquam læſionem conſiderabilem, nec probatam releuare.

---

## *Hoſcenſis Canonicatus.*

### Die Veneris 1. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

1 *Iudices laici, violantes Eccleſiaſticam libertatem, incurrunt in excommunicationem Bullæ in Cœna Domini, & n. 6. & 7.*

2 *Excommunicationem Bullæ in Cœna Domini incurrunt Clerici, recurrentes ad iudices ſeculares, & n. 4.*

5 *Iudices laici non poſſunt trahere ad iudicia ſecularia Clericos.*

8 *Bulla in Cœna Domini excommunicat impedientes Prælatos Eccleſiæ, vti ſua iuriſdictione, & Eccleſiaſticos recurrentes ad Cancellarias ſeculares.*

9 *Poſſeſſorias cauſas rei ſpiritualis, vel quaſi, poſſe tractari per iudices ſeculares, tenent aliqui Doctores.*
*Sed aliqui contrà ſentiunt, num.* 10.

11 *Recurſus ad iudices laicos facti per Eccleſiaſticas perſonas, excuſant Doctores in aliquibus caſibus.*
*Sed eſt periculoſa eorum opinio, n.* 12.

13 *Romano Pontifici tantùm pertinet Canones condere, & conditis tribuere auctoritatem.*

15 *Recurſus Clericorum ad iudices ſeculares admittunt in aliquibus caſibus ſacri Canones.*

16 *Gratiani decreta appoſita in decreto, habent vim priuatæ auctoritatis.*

17 *Decretorum liber non habet vim legis, cùm non ſit ab aliquo Romano Pontifice, vt talis approbatus.*

18 *Librum Decretorum tanquam legalem, Gregorius XIII. non authenticauit.*

19 *Recurſus Clericorum ad iudices ſeculares, pro violentijs antiqua Hiſpaniæ conſuetudo approbauit.*
*Sed hæc conſuetudo non eſt Apoſtolicis priuilegijs permiſſa, n.* 21.

20 *Clerici bonorum Eccleſiaſticorum diſſipatores poſſunt*

*poſſunt cogi à iudicibus laicis à diſſipatione deſiſtere, ſi Eccleſiaſticus iudex ſit negligens.*

22 *Iudices ſeculares nec actu, nec habitu habent iuriſdictionem in Clericos.*

23 *Iudices ſeculares ſunt inferiores Eccleſiaſticis.*

24 *Negligentiam maioris minor ſupplere non poteſt.*

25 *Clerici Aragoniæ poſſunt habere recurſum ad Curiam iuſtitiæ Aragonum, obtinendo inhibitionem contra alios.*

27 *Iudices ſeculares poſſunt Clericorum tractare negotia quando à iudice Eccleſiaſtico grauantur, & hoc ex priuilegijs Apoſtolicis.*

*Sed de his priuilegiorum conceſſionibus dubitatur, n.*28.

29 *Priuilegium quod eſt exorbitans à iure non præſumitur conceſſum, niſi tenor eius exhibeatur.*

30 *Priuilegium cum ſit quid facti, non præſumitur niſi probetur.*

32 *Reges Caſtellæ per ſuas leges trahunt Clericos, titulo violentiæ, ad tribunalia ſecularia.*

33 *Conſuetudinem immemorabilem qui habet pro ſe, allegat meliorem titulum de mundo.*

34 *Immemorabilem conſuetudinem qui allegat, tenetur eam probare iuxta requiſita gloſſæ* in cap.1.de reſcript.

35 *Principis enunciatiua verba conſuetudines immemorabilis* in l. enunciatæ, *non inducunt probationem.*

36 *Priuilegium contra caſus expreſſos in Bulla Cœnæ Domini allegari non poteſt, cùm quotannis renouetur Bulla.*

37 *Rota recurſus admittit Clericorum, ad tribunalia ſecularia, pro violentiis Eccleſiaſticorum.*

38 *Rota pro violentijs iudicum Eccleſiaſticorum, non admittit recurſus ad iudices ſeculares.*

39 *Conſenſus partis excludit attentatam poſſeſſionem eſſe, ſi conſentiat in eius acceptione.*

40 *Iudices delegati poſſunt inuocare brachium ſeculare, pro exequendis rebus ſibi commiſſis.*

41 *Epiſcopus ſi grauet Clericum, poterit iſte recurrere ad Metropolitanum.*

42 *Intellectus* cap.ſi Clericus 11.q.1.

43 *Recurſus Clericorum ad ſecularia iudicia in aliquibus caſibus ſunt permiſſi.*

44 *Cenſura ſuper doctrinas, & opiniones, præſertim Eccleſiaſticas, vt approbentur, vel reprobentur, pertinet ad Pontificem.*

## DECISIO CCCCLXXX.

1\. Habetur præſens dec. impreſſa penes March. de commiſſ. p.3.pag.128. & de materia vide quatuor ſequentes deciſiones.

Capitulum Eccleſiæ Hoſcenſis, vt haberet à Paulo Lezano Archidiacono de la Camera dictæ Eccleſiæ, quandam pecuniarum ſummam, quam ratione veſtuarij ſibi deberi prætendebat, eundem Paulum coram ſubconſeruatore vniuerſitatis ſtudij Hoſcenſis conuenit, quem iudicem Paulus tanquam incompetentem, & velut ſuſpectum ex eo, quòd habebat Aſſeſſorem quendam Canonicum eiuſdem Eccleſiæ recuſauit, verùm quia non obſtante appellatione, ab vlteriori proceſſu ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, idem iudex procedebat, Procurator Pauli die 19. Octobr. ann. 1587. adito Cæſarauguſtæ tribunali Iuſtitiæ Aragonum, quandam inhibitionem (quod iuris formam vocant) obtinuit, per quam mandabatur iudici Eccleſiaſtico, ne appellatione pendente aliquid immoueret, ſed ſuperſederet, donec cauſa recuſationis iuxta diſpoſitionem iuris terminaretur. hac inhibitione obtenta, & dicto iudici ſubconſeruatori die 22. eiuſdem menſis intimata, & die 26. eiuſdem quoque menſis eodem Paulo à Capitulo requiſito, vt abſtineret ab intimatione iuris formæ à ſuo Procuratore obtenta, ipſe die 27. mox ſequenti, eaſdem cauſas recuſationis repetendo, & quia Nuntius ſuæ Sanctitatis longè diſtabat, reſpondit ſe grauari timendo, & ſacros Canones imitando, inſpecta quoque antiquiſſima Hiſpaniæ conſuetudine, auxilio iudicum ſecularium vſum fuiſſe, ſubiiciendo tamen ſe menti, & voluntati Romani Pontificis, cui contrauenire non intendebat, præſertim cùm libertas Eccleſiaſtica non læderetur, ſed potiùs iuuaretur, & eius auctoritas conſeruaretur.

2\. Paulo pòſt idem Paulus, adeundo Nuntium Apoſtolicum cauſa ſuæ appellationis officiali Cæſarauguſtano de partium conſenſu die 27. Nouembr. eiuſdem anni committi obtinuit. Cæterùm quia ille officialis die 10. Februar. ann. 1589. ad fauorem Oſcen. Capituli contra Paulum pronunciauerat, & in actu intimationis ſibi factæ, Paulus reſponderat, ſe velle obedire mandato de manutenendo, ſuper exactione veſtuarij, ad fauorem Capituli Hoſcenſis decreto; nihilominus poſt tres dies, acceptationem reuocando, declarauit, ſe nolle ei obedire, ſed agere ad reuocationem, quia erat iniuſtum, & quoniam Cæſarauguſtanus illa declaratione, & appellatione non obſtante ad vlteriora procedebat die 27. Februar. 1589. eiuſdem Pauli Procurator iterato recurſo ad Tribunal iuſtitiæ Aragonum, aliam iuris formam, ſimilem præcedentibus impetrauit, officialique Cæſarauguſtano intimauit, inhibendo ne pendente appellatione aliquid innouaret, & rurſus Paulus Nuntium adeundo, cauſam officiali Barbaſtren. committi obtinuit.

3\. * habetur infrà in dec. ſequente.

Cùm verò ſuper alia cauſa Paulus in Rota litigaret, & ſibi fuiſſet obiectum, quod propter dictos recurſus ad iudices ſeculares inciderat in excommunicationem, eumque incidiſſe die 10. Aprilis proximè præteriti coram R. P. Domino meo Blanchetto * fuerat pronunciatum, & agentes pro Paulo coram me conquererentur, dicentes illum valde fuiſſe grauatum, quia recurſus ad iudices ſeculares, quem non negabant, fuerat in caſu licito, & à ſacris Canonibus permiſſo; ideo dato dubio, an Paulus eſſet excommunicatus, vtraque parte informante, Rota affirmatiuè † reſpondit illum incidiſſe in cenſuras à ſacris Canonibus, & à Bulla in Cœna Domini * latas contra illas, qui cauſis Eccleſiaſticis, quæ aguntur coram iudicibus Eccleſiaſticis, recurrunt ad iudices laicos, & Tribunalia & Parlamenta laicorum.

4\. † adde Rotã in hac eadẽ cauſa 10. Iunij 1602. coram Lancelotto iuniore impreſſam per Farin. poſt tom.2. conſ. dec.181. vbi allegat hanc deciſ. licèt malè annot. de die prima Februarij. * adde Cau. dec.372.n.1. vbi ad propoſitum præſens dec. allegatur.

5\. Multa Concilia ab Eccleſia approbata prohibẽt Clericis adire tribunalia laicorum.

Primum enim clarum eſt per multa Concilia ab Eccleſia Romana approbata, & perpetuo vſu recepta, prohibitum eſſe laicis Clericos trahere ad iudicia ſecularia. Concilium Carthaginem III. *cap.*9. Concilium Toletanum III. *cap.*11. vbi talis auſus vocatur indiſciplinatio, & licentiæ inolitæ præſumptio. Concilium Chalcedonenſe *c.*9. quæ refert Gratianus *in cap. inolita, & c.placuit, & cap.ſi Clericus,* 11.q.1.

Extant præterea in eandem ſententiam, multa



Idem cautum eſt multis Romanorum Pontificum decretis.

ta Romanorum Pontificum decreta *in cap. nemo, in cap. Clericum, in cap. ſi quis, in cap. Chriſtianis, in cap. nullus Clericus, in cap. peruenit, in cap. fratris, & in cap. Sacerdotibus* 11. *quæſt.*1. quibus

6\. per omnia conſentiunt recentiſſimorum Pontificum conſtitutiones Innocentij III. *in cap. qualiter, & quando, de iudic.* Honorij III. *in cap. nouerit, & in cap. grauem, de ſentent. excomm.* quibus duobus poſtremis decretis in ſententiam excommunicationis incurrunt omnes iudices violantes Eccleſiaſticam libertatem, & iuxta tenorem ſuorum ſtatutorum, & conſuetudinum introductarum Clericos iudicare præſumentes.

Idem ſingulis annis, prohibet ſub graui anathemate Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta.

Atque iſtis tandem acceſſit grauis, & meritò timenda cenſura Romanæ Eccleſiæ in proceſſu Bullæ, in Cœna Domini ſingulis annis renouata *in §.* 16. vbi Papalem excommunicatio-

7\. nis ſententiam incurrunt omnes, qui Prælatos Eccleſiæ impediunt, quominus ſua iuriſdictione vtantur, quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes, ad cancellarias, & curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, contra iudices Eccleſiaſticos obtinent, & aduersùs eoſdem exequi procurant, aut id vt fiat, dant auxilium, conſilium, patrocinium, & fauorem.

8\. Vnde cùm Paulus Lezanus recurſum habuerit ad iudicem ſecularem, & iuris formam ſiue inhibitionem contra Capitulum obtineri curauerit, eáque reuera vſus fuerit, meritò in cenſuras à ſacris Canonibus conſtitutas, incidiſſe iudicabatur, & ita bis in hac facti ſpecie Rota cenſuit, primò coram R. P. D. meo Blanchetto die decima Aprilis proximè præteriti; * & iterum in hac propoſitione coram me.

* infrà dec. ſequenti, & deciſ.484.

9\. Prima excuſatio quòd non fuerit habitus recurſus ad iudicem laicũ, vt de cauſa cognoſceret.

Cæterùm, quia vnus ex Dominis Paulum excuſare nitebatur, & informantes pro illis ex multis oſtendere conabatur, illum in caſu licito, & à iure permiſſo habuiſſe recurſum ad iudicem ſecularem, quia articulus eſt magni momenti, & in Republica Chriſtiana frequenter contingit; propterea viſum fuit Paulo diligentiùs ſingula argumenta diſcutere, & explorare quid de ſingulis ſentiendum videatur, ne Clerici fallantur, & iudices dum aliis remedium ſe offerre arbitrabantur, in diſcrimen peccati, & periculoſi anathematis labantur. Prima ergo excuſatio deducebatur ex eo quòd Paulus non adiuit iudicem ſecularem, vt de cauſa cognoſceret, ſed vt prohiberet, ne appellatione pendente iudex Eccleſiaſticus aliquid in ſuum præiudicium innouaret, & præſertim cùm ageretur de poſſeſſorio, de quo etiam iudex laicus poteſt cognoſcere: vt patet ex traditis per Crauettam *conſil.* 253. incip. *Efficaciora viſa ſunt*, & Couarruuias *in practic. quæſtionib. cap.* 31. *num.*1. & tenuit nouiſſimè Antonius Theſaurus *deciſ.* 82. incip. *Iudex laicus.* qui loquitur de iudicio poſſeſſorio beneficiorum Eccleſiaſticorum inter Dominos, & Clericos, & concludit, nedum ſuper poſſeſſorio retinendæ, ſiue reintegrandæ, aut recuperandæ poſſeſſionis, ſed etiam ſuper poſſeſſorio adipiſcendæ, poſſe cognoſcere; multo ergo magis in caſu propoſito potuit interponere partes ſuas in hoc iudicio, in quo, neque tractabatur de poſſeſſorio beneficij, neque iudex laicus volebat cognoſcere, ſed ſolùm interpoſuit ſimplicem inhibitionem ſuper poſſeſſorio non beneficiali, ſed cuiuſdam veſtuarij, quod magis ſapiebat profanitatem, idque donec ſuperior Eccleſiaſticus cognoſceret de iuſtitia cauſæ.

Iudex laicus non poteſt cognoſcere de cauſis poſſeſſoriis rerum Eccleſiaſticarum. 10.

Sed reſpondebatur, quòd tametſi multi Doctores, quos præcitato loco recenſent Crauetta & Theſaurus, tenuerunt, cauſas poſſeſſorias rei ſpiritualis, vel quaſi ſpiritualis, per iudices ſeculares cognoſci, & decidi poſſe. Romana tamen Curia, & ſupremum Rotæ Tribunal eam ſententiam velut periculoſam, ſemper reſpuit, cenſuitque, cauſas poſſeſſorias beneficiorum, & aliarum rerum Eccleſiaſticarum ad forum Eccleſiaſticum pertinere, *Clement.*1. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* & ita ſæpe Rota * iudicauit, & in vna Obeten. Sacriſtæ, coram Reuerendiſſimo Domino Neapolione Comitolo Rotæ Auditore, & nunc Epiſcopo Peruſino.

* coram Puteo dec.361. incip. Fuit dubitatum.

Et licèt multa Principum Chriſtianorum tribunalia, & Parlamenta, eandem affirmatiuam ſententiam ſecuta, vt ex præfata Theſauri deciſione patet ſuper poſſeſſoriis rerum Eccleſiaſticarum cognoſcere ſe poſſe arbitrentur, poſtquam Romani Pontifices per Bullam Cœnæ, ſub graui anathemate conſtituerunt, ne prætextu violentiæ, aut aliarum prætenſionum, iudices laici in cauſis Eccleſiaſticis ſe quomodolibet interponant, non videtur ampliùs dubitationi relictus locus, quin ſi contrafecerint, in excommunicationem incurrant.

Secunda excuſatio, quia multi Doctores tenẽt tales recurſus eſſe licitos. 11. * adde infrà diſcurſum D. Foces 483.

Præterea ad excuſationem Pauli adducebatur multorum Doctorum opinio, * & auctoritas, qui cenſent non omnem recurſum ad iudices laicos à ſacris Canonibus prohiberi. Afflictus *deciſione* 24. vbi latè Vrſillus Aufrerius *in Clement.*2. *de offic. ordinar.* Menochius *tract. de retinen. poſſeſſ. remedio* 3. *num.*356. *& ſeq.* Rebuffus *tom.*3. *tit. de appell. ab vſu*, Carolus de Graſſalius *lib.*2. *Regalium Franciæ iure ſeptimo*, Couarr. *in pract. quæſt. cap.*35. Gregorius Lopez *partita* 2. *tit.*13. *l.*3. *in verb. nin fuerça*, Auendanus *part.*2. *cap.* 1. *num.* 32. *de exequend. mandatis Regum, & parte* 2. *cap.* 6. *num.* 12. Auiles *in Capitula prætorum, cap.*1. *in verbo, mandamos, num.*8. Caſtellus *in l.*49. *Tauri.* Azeuedus *in l.*2. *tit.* 6. *lib.* 1. *legum nouæ recopilationis.* Didacus Perez *lib.* 5. *tit.* 1. *lib.*2. *Ordinationum, in verb. pueden conozer.* Gonzalus Suarez *in praxi Eccleſiaſtica tomo* 1. *tempore* 1. *num.* 23. *&* 24. Nauarrus *in cap. cùm contingat, de reſcript. remed.*1. in antiqua impreſſione. Octauianus Cacheranus *deciſione* 30. *Pedemontana*, incip. *Propoſitã fuit quæſtio.* & alij multi, qui gratia breuitatis omittuntur. In quibus ſunt Salzedus *in additionib. ad practicam Bernardini Diaz cap.*102. & alij, quos refert, & ſequitur Petrus Cenedus *in collectaneis iuris Canonici part.* 2. *ad Decretales, collectan.* 4. *&* 17. & Michaël Salom. *ad Sanctum Thomam* 2. 2. *quæſt.*67. *art.*1. *controuerſia* 2. *circa finem, verſ. ad alia argumenta.*

Ex quibus apparebat tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares oppreſſos violentia iudicum Eccleſiaſticorum, poſſe adire iudices ſeculares, vt eos à violentia, & oppreſſione liberent, donec vel à iudice Eccleſiaſtico ſuperiore, vel à Romano Pontifice debitum iure præſtetur auxilium, quod in ſpecie etiam fieri poſſe cenſuerunt Hoſtienſis *in ſumma tit. de foro competent. & §. liquet etiam, verſ. ſed nunquid iudex ſecularis.* Couarr. *in pract. quæſt.*

*quæſt.cap.*35.*num.*3. Nauarr. *in dicto cap. cùm contingat. de reſcript.* Aufrerius *tract. de poteſtate ſeculari ſuper Eccleſiaſt. perſonas regula* 2. *fallentia* 30. Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius in verb. Adelaſiam, n.*454. *de teſtament.* quos ſequi-
12. tur Menochius *dicto tract. de retin. poſſ. remedio* 3. *num.*355. *&* 356.

Periculoſa doctrina aſſerentium licitũ eſſe recurrere ad iudices ſeculares in caſibus, quos nondum Canones, vel Romani Põtifices declararunt.

Ad horum tamen omnium opinionem vno verbo reſpondebatur, eam eſſe periculoſam contra ſacrorum Canonum auctoritatem; cùm enim ſacri Canones indiſtinctè prohibeant huiuſmodi recurſus ad iudices ſeculares, ideo ad ſolos Romanos Pontifices, quorum & Canones condere, & conditis tribuere auctoritatem pertinebat, ac pertinet, docere caſus in quibus licitus ſit talis recurſus, non autem ad priuatos Doctores, quibus obediendi neceſſitas, non declarandi facultas incumbebat.

13.
* de materia huius articuli, & dec. videndus eſt noſter Regens Seſſe in tract. de inhi. cap. 8. §. 3. per totum, & præcipuè à n. 109. & in tomo 2. dec. prima quæ eſt 113. à n. 64. cum ſequent. & Salgado de Regia protect. p. 1. c. 1. per totum præcipuè à n. 31.

Quamquam adderetur * in hac re, antiquiores Doctores magis excuſabiles eſſe propter quoſdam Canones, qui eam licentiam tribuere videntur, de quibus paulo pòſt dicetur; recentiores tamen, qui poſt prohibitionem factam in Bulla Cœnæ Domini, id aſſerere auſi ſunt, minus excuſabiles videri; nam in §. 14. eiuſdem Bullæ Romani Pontifices, recurſus etiam prætextu violentiæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi recurrentes ad Pontificem informandum ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerunt, vel fecerint, ſub graui anathemate prohibitos eſſe decreuerunt.

Rurſus prætendebant informantes pro Paulo, illum excuſandum auctoritate quorundam antiquorum decretorum *in c. filijs, & ibi* gloſſ. *in verb. Regis*, 16. *q.* 7. ibi, *quòd ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc inſinuare procurent:*
14. *ſi autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differat.* hæc ibi, quo loco gloſſ. Regem adire permittit, vt corrigat iudicem Eccleſiaſticum, quando per Eccleſiaſticum cogi non poteſt. item quando iudex Eccleſiaſticus eſt negligens, quod ipſum probare videatur decreta quædam *in cap. Principes, in cap. Regum, & in cap. adminiſtratores*, 23. *quæſt.* 5. quibus decretis paſſim vtuntur, qui hos recurſus licitos eſſe arbitrantur.

Tertia excuſatio propter quędam decreta canonica quibus videtur permitti recurſus ad iudices ſeculares.

Ad illa tamen multis modis reſpondebatur, primum ex ſententia Ioannis Andr. & Abbatis *in cap. qualiter, & quando, num.*7. *verſ. nam illa, de iudicijs*, per recentiora decreta fuiſſe reuocata,

Intellectus prædictorum decretorum.

15. gloſſam verò *in dicto cap. filijs*, non bene loqui, vel iſta omnia decreta intelligi ſecundùm antiqua tempora, vel denique iudice Eccleſiaſtico
16. negligente, aut vim inferente, Reges & maiores magiſtratus adire licere, non vt iudicent, neque vt inhibeant, ſed vt admoneant, vel inſtent, aut intercedant coram ſuperiori Eccleſiaſtico, vel vt adiuuent, Abbas *in dicto cap. qualiter & quando, num.*7. *verſ. nec obſtat*; quæ tamen ſic fieri debent, vt nullum penitus imperium, nullam iuriſdictionem, aut poteſtatem, ſeculares iudices ſuper Eccleſiaſticos vſurpent.

Conſiderabatur præterea, quòd omnia illa decreta nec erant alicuius Romani Pontificis, nam decretum *in cap. filijs*, eſt Concilij Toletani IX. *cap.*1.

Textus *in cap. Principes* 23. *q.* 5. eſt Iſidori *lib.*3. *ſentent. de ſummo bono cap.*53.

Textus *in cap. Regum*, eſt Sancti Hieronymi 17.
*in cap.* 22. *ſuper Hieremiam. cap. Adminiſtratores*, licèt à Gratiano tribuatur Ioanni Papæ VIII. nondum tamen patuit, an eius Pontificis ſit; & quamuis fuerit, longè aliam ſententiam habet, vt eius ſeries indicat.

Denique iſta decreta, & ſi quæ ſunt alia ſimilia, inſpectis conditionibus generalium legum, vim non habent, & quanquam propter auctorum dignitatem, & ſanctitatem venerabiliter ſint interpretanda, non tamen ſunt omnino pro legibus Canonicis accipienda, habeat autem omnino ſanam interpretationem, ſed longè diuerſam ab illa, quam inde eruere conantur, qui pro tuendis iſtis recurſibus opinionem ſuam iſtis decretis munire conantur.

Nec refert, illos canones recenſeri in Decre- 18.
to à Gratiano compilato, quia cùm Gratianus non publica, ſed priuata auctoritate infinita prope illa canonum Eccleſiaſticorum, & legum etiam ſecularium capitula in ſuum librum contulerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tanquam authenticus, & legalis approbatus fuerit, inde fit vt quilibet Canon inibi relatus, ex eo tantùm, quod ibi referatur, non habeat maiorem auctoritatem, quàm in proprio loco conſiſtens, de ſui natura eſſet habiturus, vt rectè docuit Baptiſta de Sancto Blaſio *in repetitione rubricæ Decreti Gratiani, quæſt.*5. *&* 6.

Nec Gregorius XIII. Gratiani librum, tanquam legalem authenticauit, cùm ſolùm emendari iuſſerit, & emendationes ſine additionibus, aut detrectationibus mandauerit obſeruari.

Quartò, pro excuſando Paulo allegabatur 19.
antiquiſſima conſuetudo Hiſpaniæ, per quam iſti reuerſus vſu frequenti videntur eſſe recepti, de qua conſuetudine teſtatur Menochius *tract. de retinen. poſſeſſione, remedio* 3. *num.*356. *&* 357. vbi poſtquam retulit decreta *in cap. Principes, & in cap. Regum, & in cap. Adminiſtratores* 23. *quæſt.* 5. addit, inde inualuiſſe optimam illam
obſeruantiam Galliæ, Hiſpaniæ, ac Luſitaniæ, 20.
Pontificum deinde priuilegiis confirmatam, vt Clerici, vel bonorum Eccleſiarum diſſipantes, vel oppreſſores infirmorum, ob negligentiam iudicis Eccleſiaſtici, cogi valeant à iudicibus laicis, à diſſipatione, & oppreſſione deſiſtere; eiuſdem obſeruantiæ meminit Couarruuias *in practicis quæſt. dicto cap.* 35. *num.* 3. & Nauarrus *in manuali dicto cap.* 27. *num.* 70. & alij paulo antea relati *in verſ. præterea ad excuſandum Paulum.*

Quarta excuſatio fundabatur in antiq. Hiſpaniæ conſuetudine.

Sed reſpectu iſtius conſuetudinis, primum 21.
dicebatur parum ſubſiſtere, quod aſſerebat Menochius de illa, confirmata per Romanorum Pontificum priuilegia, quæ ſi extarent, aut aliquando à Sede Apoſtolica conceſſa fuiſſent, in grauibus controuerſiis, quæ frequenter oriuntur, propter iſtos reuerſus, non dubium, quin vel iudices ſeculares, vel Clerici ad eos recurrentes, vt ſeſe excuſarent, iſta priuilegia Apoſtolica produxiſſent, quod tamen nuſquam factum apparet, nec Doctores aſſerentes licitos eſſe iſtos recurſus, ſententiam ſuam muniunt priuilegiis Papalibus, ſed iuribus, & decretis, paulo antea citatis.

Talis conſuetudo non eſt Apoſtolicis priuilegiis approbata, aut permiſſa.

Rurſus talem obſeruantiam, cui tot Conciliorum,



liorum, & Romanorum Pontificum decreta obſiſtunt, non poſſe vocari optimam, ſed potiùs corruptelam, * tantóque grauiorem, quanto magis inordinatum continet proceſſum, & magis perturbatum iudiciorum, ac iuriſdictionum exercitium: cùm enim iudices ſæculares, ( vt rectè ſentit Abbas *in dicto c. qualiter, & quando, num.*7.
22. *verſ. ſed iudex ſecularis, extrà de iudic.* ) nec actu, nec habitu habeant iuriſdictionem in Clericos, imò potiùs talis iuriſdictionis ſint penitus incapaces, argument. *cap. cauſam, de præſcript. & cap. ſacerdotibus* 11. *quæſt.* 1. & ſint inferiores iudici-
23. bus Eccleſiaſticis, *cap. denique* 96. *diſtinctione, & Clement. ne Romani, de iureiuran.* propterea nullo modo poſſunt corrigere iudices Eccleſiaſticos, aut illorum ſupplere negligentiam, aut eis inhibere, niſi in caſibus à iure expreſſis, cùm ( vt ait Innocen. *in cap. quia diuerſitatem, de conceſſ. præbendæ* ) nunquam minor maioris negligentiam ſuppleat.

*de hoc art. noſter Seſſe in d. dec. 113. à n. 68. cum pluribus ſeq.

24. Supradictis accedebat, quia iſtas conſuetudines, & obſeruantias, quæ immunitati, & libertati Eccleſiaſticæ iniuriam inferre videntur, expreſsè damnauit Honorius III. *in cap. nouerit, de ſentent. excomm.* & Bulla in Cœna Domini, quæ dum omnem prætextum recurrendi ad iudices ſæculares prohibet, etiam conſuetudines quaſcunque ſuſtuliſſe cenſetur, vt paulo pòſt etiam in ſpecie conſuetudinis, etiam immemorabilis aufert.

25. Quintò excuſandus videbatur Paulus, ob peculiarem conſuetudinem, illamque antiquiſſimam Regni Aragoniæ, de qua teſtantur Michaël Molinus *in repertorio fororum Aragoniæ, in verb. forma iuris, verſ. die* 21. *Februar. ann.* 1427. & Hieronymus Portoles *in ſecunda parte ſcholiorum in Repertorium Molini in §. forma num.*101. vbi aſſerunt, quòd Clerici Aragoniæ poſſunt habere recurſum ad Curiam Iuſtitiæ Aragonum, & ab illa obtinere inhibitionem contra alios Clericos, etiam Epiſcopos proprios eorum ſuperiores, ſi ipſi illos indebitè grauent, quod etiam poſt Concilium Tridentinum & Bullam Cœnæ fieri poſſe cenſuit Petrus Cenedus *in collectaneis iuris Canonici p.*2. *collect.*17.

Quinta excuſatio deſũpta ex peculiari conſuetudine Regni Aragonum.

26. Cæterùm reſpectu perſonarum * Eccleſiaſticarum Dominis valde diſplicuit hæc forma iuris, conſiderabant enim, quòd in forma obtenta à Procuratore Pauli dicebatur, quòd forma iuris vigore fori, locum habebat in omni caſu, cùm tamen nullus ex Doctoribus allegatis pro defenſione iſtorum recurſorum, auderet aſſerere, tam generalem facultatem, ſed eam reſtringeret, vel ad caſum negligentiæ iudicis Eccleſiaſtici, vel ad caſum violentiæ, & oppreſſionis; quamobrem Rota cenſuit, iſtam fori obſeruantiam reſpectu Eccleſiaſticorum, non eſſe tolerabilem; quam damnabant decreta Conciliorum Romanorum Pontificum reſponſa, & nouiſſimè quoque Bulla in Cœna Domini excommunicatione coërcebat.

Hanc conſuetudinem iura canonica damnant. *iudices Eccleſiaſtici ſi non obediant inhibitionibus iuris formæ quomodo procedatur contra eos tradit noſter Seſſe in tractat. de inhib. c. 10. §. 1. vbi n. 7. ait in perſonis non puniri ſed in bonis cùm illæ ſint totaliter exemptæ.

Sed neque auctoritas Doctorum, quos allegabat pro ea Hieronymus Portoles, contrarium ſuadebat, cùm ſolùm adducerentur. Nauarrus *in cap. cùm contingat, remed.*1. *de reſcript. & in manuali cap.* 27. *num.* 70. & Couarr. *in pract. quæſt. cap.*35. *num.*3. Octauianus Cacheranus *deciſ.*30. *Pedemont. num.* 13. & Carolus de Graſſalius *de regalib. lib.*2. *in* 7. *iure*, & Aufrerius *tract. de poteſt. ſecular. ſuper Eccleſiaſt. perſon. reg.* 2. *fallent.* 30. quibus paulo antea ſatis videbatur reſponſum.

Sextò ad eandem excuſationem probandam, conſiderabatur quædam Doctorum ſententia, aſſerentium Regibus Hiſpaniæ ex Apoſtolicis priuilegiis competere, vt poſſint cauſas Clericorum ad ſua Tribunalia delatas tractare, quando aliquis dicit, ſe grauari à iudice Eccleſiaſtico,
quod vulgo dicitur, *por via de agrauio y fuerca*; 27.
tunc enim iudices ſeculares poſſunt iudicare ex commiſſione Pontificis, an fiat vis, vel non. Nam quod vigore priuilegiorum Apoſtolicorum, de iſtis violentiis inter Eccleſiaſticos, etiam ſuper rebus Eccleſiaſticis cognoſcant tribunalia Regum Hiſpaniæ, affirmarunt Iacobus Menochius *tract. de retinen. remed.*3. *num.*356. *&* 357. & Dominicus Bañes *de iuſtit. & iur. quæſt.*67. *art.*1. *concluſ.* 6. quorum auctoritas coadiuuari poteſt ex his, quæ ſcribunt Carolus Degraſſalius *lib.*2. *Regalium Franciæ iure* 5. *&* 7. & Ioannes Feraldus *de inſignibus priuileg. Regum Franc. iure* 11. vbi ſcribunt, Reges Franciæ ex antiqua conſuetudine, & priuilegiis Apoſtolicis iudicare de articulis poſſeſſoriis rerum ſpiritualium, & ſpiritualibus annexarum: & de violentiis, & oppreſſionibus Clericorum. Item ex his quæ ſcribit Octauianus Cacheranus *deciſ. Pedemont.* 30. incip. *Propoſita fuit quæſtio, num.*4. *&* 15. *verſ. ſed per priuilegium.* vbi affirmat, Duces Sabaudiæ tam de iure communi, quàm ex forma Imperialium priuilegiorum à Sede Apoſtolica confirmatorum, habere eam poteſtatem in Epiſcopos, & Clericos in ſuo ſtatu degentes, quam habet Imperator in eos qui ſuum Imperium incolunt.

Sexta excuſatio propter Apoſtolica priuilegia Regibus Hiſpaniæ conceſſa.

Et licèt hæc inſpectio iuſtum volumen poſtularet; nihilominus tamen ex mente Dominorum ſequentia breuiter colligebantur.

Primum erat, potuiſſe quidem olim, ac poſſe 28.
nunc, Romanos Pontifices ex cauſa rationabili concedere Principibus ſecularibus ſimilia priuilegia, Gratus *conſil.*61. *num.*22. *&* 23. *lib.*1. Aufrerius *de poteſtate ſeculari reg.* 1. *fallen.* 12. & ratio eſt, quia quæ ſunt iuriſdictionis laici, poſſunt committi, & delegari.

Licèt Romani Pontifices potuerint concedere talia priuilegia incertum tamen eſt, an conceſſerint.

Alterum erat, priuilegia iſta, quæ ſunt exor- 29.
bitantia à ſacris Canonibus non eſſe præſumenda, neque credendum fuiſſe conceſſa, niſi tenor priuilegiorum exhibeatur, nam cùm priuilegium ſit quid facti, non præſumitur, niſi probetur. *l. in bello.* §. *facti. ff. de captiu. & poſtlim. reuerſ.*

Tertium erat aſſertionibus duorum, trium, 31.
aut etiam plurimorum Doctorum affirmantium de iſta conceſſione Apoſtolica, non eſſe facilè credendum, præſertim cùm non referant à quibus Pontificibus, quibus Regibus, quo tempore, & quo tenore fuerint conceſſa; nam eſto quòd fuerint conceſſa, videndum erat, an priuilegia eſſent perpetua, vel temporalia; item an eſſent vni tantùm Regi, & reſpectu vnius tantùm Prouinciæ conceſſa. Item, an reſpicerent particulares perſonas aliquorum Epiſcoporum, Clericorum. Item an eſſent conceſſa ſub aliqua modificatione, ſeu limitatione quod ex eo fit veriſimile, limitatè, & modificatè fuiſſe conceſſa. Item, an eſſent conceſſa reſpectu vnius, vel alterius articuli tantùm: denique (data conceſſione) videndum erat; quoniam non videtur prudentis cuiuſquam fuiſſe Pontificis, generaliter voluiſſe

luiſſe conſtituere, Principes ſæculares, vel eorum Tribunalia, aut Parlamenta, in cauſis quibuſdam, ſeu articulis Clericorum, qui ſecundùm canonicas ſanctiones ſolum tractari poſſunt, & ſolent in curiis iudicum Eccleſiaſticorum; & maximè conſiderata natura Principum ſecularium, qui & tenaciter ſolent retinere ſemel ſibi conceſſa, & liberius quàm decet, ſe extendere ad caſus in conceſſione non comprehenſos.

Et veriſimilius eſt non fuiſſe conceſſa.

Ex his autem, quæ proponebantur, veroſimilius videbatur, non adeſſe aliqua priuilegia Pontificia, quoniam iidem Hiſpaniæ Reges, qui ſuper iſtis recurſibus, & violentiis inter Eccleſia-
32. ſticos cognoſcendis leges tulerunt, nullam fecerunt mentionem Apoſtolicorum priuilegiorum, aut Apoſtolicæ conceſſionis: nam Ioannes Caſtellæ Rex eius nominis primus *lib.2. Ordinamenti Regij tit.1.l.5.* ſolùm ſe fundauit in conſuetudine antiqua approbata, & vſitata, & obſeruata.

Imperator verò Carolus, & Ioanna Regina in ſimili lege lata anno 1525. ſolùm ſe fundauit in iure, & immemorabili conſuetudine, vt videre eſt *lib. 2. nouæ recopilationis tit. 5. lib. 36. pag. 62.*

33. Ad illam autem obiectionem de conſuetudine immemorabili, quam quis habet pro ſe, poteſt allegare priuilegium, & quemcunque titulum meliorem de mundo. Reſpondebatur, quòd hîc de nulla commemorabili conſuetudine ſufficienter probata conſtabat, quam tamen probare oportet plenè & concludenter, iuxta requiſita per gloſſ. *in cap.1. de reſcript. lib.6.* quam ſemper ſecuta fuit Rota.

34. Ex his verò vnica legis latæ à Principe ſeculari enuntiatiua nullo pacto probari immemorabiliter (maximè ſuper materia, cuius eſt laicus ex ſua natura penitus incapàx,) illud inter cætera ſuadebat, quia ſi per ſimiles enuntiatiuas prolatas à perſonis intereſſatis probarentur immemorabiles, facilè totius reipublicæ ſtatus perturbaretur, & omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica vſurparetur.

35. Poſtremum, quod ex dictis dominorum in hac materia colligebatur, erat, quoniam licèt pro parte Regum eſſent, producta, & legitimè probata priuilegia, ſeu conceſſiones Apoſtolicæ, & conſuetudines antiquiſſimæ, & immemora-
36. biles, adhuc illis non ſuffragarentur; quia per conſtitutionem, quam dicimus Bullam in Cœna Domini, omnibus derogatum eſt, & ſingulis annis ſolemniter derogatur, adeò vt contrafacientes, gratiſſimo tremendoque anathemate ferantur.

Poſtremò informantes pro Paulo, per deciſiones Rotales eum excuſare nitebantur, quibus hoc Tribunal, recurrentes ad Regia prætoria, & iudices ſæculares vt vim iudicum Eccleſiaſticorum coërcerent, ſæpe excuſatos habuit Achilles *deciſ.36. de appell. in impreſſ.* & fuit dictum coram R.P.D. Seraphino Razzalio Rotæ Decano, in vna Tarraconen. villæ de Reus die 4. Decembris 1592. * & nuper in vna Salamantina Canonicatus coram R.P.D. Laurentio Blanchetto die 24. Maij præſentis anni 1595. †

Septima excuſatio propter deciſiones Rotales.

37.

* in impreſſ. Seraphin. deciſ. 1003.

† infrà deciſ. 483.

Achilles enim ait, Rotam cenſuiſſe, non attentaſſe quendam, qui poſt inhibitionem Rotalem iuit ad Concilium Regium pro manutentione ſuæ poſſeſſionis, quam poterat propria auctoritate defendere, qui vrbaniùs egit ex deductis per Pariſium *conſil. vltimo lib.4.* quod in Salamantina apertiùs explicabatur, his verbis: quoniam iſte recurſus ad defenſionem propriæ poſſeſſionis, & appellationis admiſſionem non eſt improbatus.

Has tamen deciſiones Domini intellexerunt, habere locum, quando quis recurreret ad ſimplex auxilium laicorum, vt de facto defenderetur à grauamine, & vi illata, per quam quis de facto expellebatur à ſua poſſeſſione, non ſecus, ac ſi quis inuocaret auxilium cuilibet tranſeuntis per vicos, vel plateas, ſi fortè de facto ab aliquo potentiori pelleretur de propria domo, non autem vt poſſet à iudicibus laicis defendi per citationes, inhibitiones, & iuris formas, & comminationes pœnarum eminatas à dictis iudicibus contra Prælatos, & iudices Eccleſiaſticos, quia tales recurſus tanquam illicitos, nuſquam tolerandos cenſuerunt, in eáque re grauiſſimè lapſum Couarruuiam *in practicis quæſt. cap. 35. num.3.* & cæteros idem opinantes, vno conſenſu affirmatum fuit. 38.

Intellectus deciſionum Rotalium.

Deciſio in cauſa Tarraconen. * non poterat Paulo ſuffragari; quia præterquam quòd Archiepiſcopus vigore Papalis reſcripti poterat propria auctoritate poſſeſſionem oppidi de Reus apprehendere, & in capienda etiam poſſeſſione interuenerat conſenſus totius vniuerſitatis, quæ ſponte conſenſerat, vt poſſeſſio caperetur, propter quem excludebantur attenta. Creſcentius *deciſ.17. in fine, lib.1. vt lite pendent.* Peregrinus *deciſ.93.* incip. *In cauſa Pampilonen. lib.1.*
difficultatem tollebat, quia in eo caſu Archi- 39.
epiſcopus vigore eiuſdem reſcripti Pontificij, poterat inuocare auxilium brachij ſecularis, vt ſecuriùs, & tutiùs caperet poſſeſſionem, & reliqua conficeret, quæ ad eundem finem pertinebant: manifeſtum eſt autem iudices delegatos de iure communi poſſe recurrere ad iudices ſe-
culares, & inuocare illorum brachium, ſiue au- 40.
xilium pro exequendis rebus ſibi commiſſis, *cap. præterea, de offic. deleg.* Nauarrus *in dicto cap. cùm contingat, de reſcript. remedio 1. num.2. & 3. & ſeq.* idemque poſſe facere quemlibet alium, cui hoc eſſet reſcripto Pontificio ſpecialiter conceſſum, explorati iuris erat. Dicebant inſuper Domini, quòd licèt prædictæ deciſiones Rotales, & aliæ ſimiles verè ſint, nihilominus conſilia Regia, & alij iudices laici, nihil aliud facere debent, præter exhibere nudum auxilium ad manutentionem, nam ſi ad alia procederent, recurſus eſſet illicitus, & cauſaret attentata. Lancellotus *tract. de attentatis cap.4. limitatione 1. num.37. & 38.* vbi allegat, aliquot deciſiones Rotales, & Mandoſius *in tract. commiſſ. in formula 14. in verb. reuocandi, verſ. quartò quæro.* Quamuis fateatur, prædictas deciſiones eſſe iuri, & rationi conformes, timet tamen, ne anſam præbeant Regibus, & quibuſuis dominis temporalibus intromittendi ſe in cauſis beneficialibus, & rebus, & perſonis Eccleſiaſticis.

* apud Seraphin. deciſ. 2003. & noſtrum Seſſe de inhib. c.8. §.3. n.172.

Ex ſupradictis tandem inferebatur, iſtas deciſiones non potuiſſe Paulo ſuffragari, qui ſi 41.
prætendebat ſe grauatum, debuerat omiſſo Tribunali ſæculari, recurrere ad immediatum ſuperiorem Eccleſiaſticum, vel ad Nuntium Apoſtolicum, *cap. ſi Clericus 11. quæſt.1. cap. filijs, 16. quæſt.7.* vbi



42. vbi de Epiſcopo grauante recurritur ad Metropolitanum, quod verò inibi additur de adeundo Rege, ſi Metropolitanus etiam remedium adhibere negligat, non poteſt iſtos recurrentes tueri, cùm ille recurſus nec poſſit, nec debeat fieri ad effectum obtinendi inhibitiones, aut comminationes, pœnales contra Eccleſiaſticos, (vt ſuprà dictum eſt) qui neque ratione perſonarum, neque rerum ſuarum ſubiiciuntur iuriſdictioni laicorum, Marianus Socinus *in cap. ſi quis Clericus, num.28. & in cap. ſanè, num.10.* vbi reprobat Hoſtienſ. *extrà de foro competen.*

Et ad omnium ſupradictorum corroborationem dicebant Domini, optimè facere deciſionem Rotæ 10. *de conſuetud. in antiq.* vbi reprobatur conſuetudo Angliana, ſeu Anglicana, quòd Rex poſſit cognoſcere, & habere iuriſdictionem in Clericos.

Meritò itaque pronuntiatum fuit, Paulum propter talem firmam à Iuſtitia Aragonum obtentam, & vſum illius, in ſententiam excommunicationis ipſo iure incurriſſe.

43. Recenſere autem caſus particulares à iure permiſſos, in quibus liceat adire Magiſtratus ſæculares, non erat præſentis ſpeculationis, nam licèt nonnulli ſint in iure expreſſi, in quibus nondum licet, ſed etiam oportet iudices adire ſæculares, vt *in cap. cæterùm, de iudic. & in cap. præſidentes, & in cap. vt officium. §. compeſcendi, verſ. denique, & verſ. ſtatuimus, de hæret. lib.6.* in propoſita facti ſpecie ſatis fuit, docuiſſe, Paulum non habuiſſe recurſum in caſu à iure Canonico permiſſo.

44. Qua autem nota cenſenda eſſet opinio Doctorum defendentium iſtos recurſus tanquam licitos, non erat huius Tribunalis, nec iudicij, cùm cenſura ſuper doctrinarum, & opinionum ad res præſertim Eccleſiaſticas pertinentium approbatione, vel reprobatione, ad Romanum Pontificem pertinere noſcatur. Turrecremata *in ſumma de Eccleſia lib.2. cap.107.*

Obiter tamen conſiderabatur, à mala credentia, & à malæ credentiæ ſuſpicione, potuiſſe illos liberari, qui hos recurſus licitos eſſe tuentur, aut eos qui dicunt in cauſis violentiarum, & oppreſſionum illatarum à iudicibus Eccleſiaſticis poſſe Reges interponere ſuam auctoritatem, tum propter multitudinem Doctorum iſtam ſententiam tenentium: tum propter auctoritatem multorum Canonum, quibus vtuntur, quos licèt prauè intelligant, habent tamen excuſationem propter multos Doctores graues, & inſignes, qui eodem modo eoſdam canones intellexerunt: tum propter vſitatum ſtylum, & conſuetudinem aliquarum Catholicarum Prouinciarum, qua conſiderata, facilè viri graues, Doctoreſque credunt, & Reges, & tot Senatores, & Conſiliarios habere Apoſtolicas conceſſiones; vt Dominicus Bañes primarius Profeſſor Theologiæ in Gymnaſio Salmanticenſi, in loco paulo antea citato exiſtimauit, eodemque modo facilè exiſtimare potuerunt, quicumque vel non fuerunt Romæ, vel vixerunt in Prouinciis, in quibus non ſolet Bulla in Cœna Domini publicari.

Illi autem præſertim à malæ credentiæ ſuſpicione videbantur excuſandi, qui ſuam ſententiam protulerunt, præſuppoſitis Apoſtolicis priuilegiis; licèt enim imprudenter fecerint credendo, & ſcribendo, in re tam graui, & tanti præiudicij contra libertatem Eccleſiaſticam, adeſſe Apoſtolica priuilegia non viſis illorum tenoribus: Catholicè tamen ſenſerunt aſſerentes Romanos Pontifices Principibus ſecularibus ſimilia priuilegia tribuere potuiſſe ac poſſe: oportuerat tamen eos propter ſupradictas cauſas ſcripſiſſe, modificando potiùs, & limitando Regum conatum, & Conſiliariorum audaciam, quàm faciendo contrarium, anſam tribuere contra immunitatem Eccleſiaſticam, rerumque ac perſonarum Eccleſiaſticarum liberiùs excurrendi.

---

## *Oſcen. Pœnitentiariæ, coram D.Blanchetto.*

### Die Lunæ 10. Aprilis 1595.

### SVMMARIVM.

2 *Iudex Eccleſiaſticus, etſi malè procedat, non poteſt ſecularis ſupplere negligentiam illius.*
*Laicus iudex eſt incapax iuriſdictionis in clericos, num.4. & 7.*
3 *Eccleſiaſticus iudex ſupplet negligentiam ſecularis: quia eſt ille huic ſuperior, & n.6.*
5 *Bulla in Cœna Domini derogat conſuetudines etiam immemorabiles.*

## DECISIO CCCCLXXXI.

1.

*hanc deciſ. cum tribus ſequentibus inueni inſertã inter originales mei Auditoris, & quia conducunt ad materiam præcedentis, & deciſ. infrà 484. operæ pretium duxi, illas anectere.

†in vna Leodien. Canonicatus 11. Martij 1596. propoſitus fuit ſimilis ferè art. fuit deciſũ, quendam qui recurrerat ad conſiliũ Brabantiæ propter talem recurſum, cecidiſſe à cõmodo priuilegiorum vniuerſitatis Louanienſis; & in alia Valentina penſionis 17. Decembr. 1599. coram Litta fuit deciſum quẽdam Michaëlem Perez de Miedes non fuiſſe audiendũ, tanquam excommunicatum ob recurſum ad conſilium Regium, & vide ſuprà dec. anteceden. & ſequentem & dec.484.

* DOmini dixerunt ſententiam abſolutoriam vltimo loco latam in iudicio criminali ad fauorem Pauli, ſuſtineri non poſſe, nam & de iure communi, & ex Bulla in Cœna Domini recurſus in cauſis Eccleſiaſticis ad iudices laicos eſt prohibitus, † *cap. qualiter & quando,* vbi Doct. omnes, *de iudicijs,* & recurrens eſt ipſo iure excommunicatus. *cap. nouerit, & cap. grauem, de ſentent. excomm. & in dicta Bulla §.16.* & committit ſacrilegium. Caiet. *in ſumma, in verbo excommunicatio, cap.30. & ſeq.* nec excuſari poteſt, ex traditis per Couarr. *pract. quæſt. cap.35. num.3.* nam etſi iudex Eccleſiaſticus malè procedat, non poteſt iudex ſæcularis, cuius eſt minor poteſtas, ſupplere negligentiam Eccleſiaſtici, qui ipſo poteſtate & auctoritate eſt maior, vt declarant omnes Doctores *in d. c. qualiter & quando, de iudic.* videlicet Ioann. Andr. & Abbas *antiq. num. 1.* Imol. *num.7.* Barb. *num. 23.* ſed illius negligentiam Eccleſiaſticus ſupplet, *cap. ex tranſmiſſa, cap. licet, cum ſeq. de for. compet.* ſuperioritatem autem iuriſdictionis probant, *cap. ſolitæ, de maior. & obed. cap. denique 96. diſtinct. & Clem. Romani, de iur. iuran.* 2.

3.

Latè differit hanc deciſ. Ioſeph. Seſſe de inhib. c 8. §. 3. per totum & n.187. ponit ad literam hanc dec. & Salgado de regia protect. p.1. cap.1. per totum præcipuè ann.31.

Quæ licèt de plano procedant, multo magis applicantur propoſito caſui, in quo Paulus habuit recurſum ad iudices laicos, non ſolùm ſemel, ſed pluries, ad effectum impediendi mandatum de manutenendo ad fauorem Capituli, ritè & rectè decretum, ſcilicet 19. Octobr. 1587. & 18. Nouembris, & 11. Decembris eodem anno de menſe Februarij 1589. & poſtquam obtulerat ſe paratum parere mandatis Archiepiſcopi Cæſarauguſtani. Nec excuſari poteſt Paulus à tali recurſu, ex eo, quòd poſtea voluerit proſequi grauaminis cauſam coram Eccleſiaſtico, quia talis

talis excuſatio non habet locum, quando recurri poteſt ad Eccleſiaſticum, qui tale grauamen impediat, pro vt poterat Paulus adeundo Metropolitanum, vel Nuntium Apoſtolicum, & illum ad iſtum effectum non recurriſſe, euentus docuit, quia neutrum adierit, & prouiſiones Regiæ multo magis hoc declarant; quia non ſolùm inhibetur iudici Eccleſiaſtico, ne ad vlteriora procedat, ſed illi mandatur, vt quæ decreuerat, reuocet, & coram ipſo iudice ſeculari compareat, ad allegandas cauſas, quibus parere non teneatur, ex quibus nihil aliud inferri poteſt, niſi quòd ipſi iudices volunt de cauſa Eccleſiaſtica
4. cognoſcere, quod eſt admodum abſurdum, cùm iudex laicus * ſit incapax iuriſdictionis in perſonas Eccleſiaſticas, & eorum cauſas, nec immemorabilis hoc caſu ſibi ſuffragatur, Doct. *in cap. cauſam, de præſcript.* Fel. *in cap. 2. de maiori. & obed.* Rot. 10. *de conſuetud. in antiq.* & Biſigni. *deciſ.* 2.
5. *eodem tit.* præcipuè cùm in dicta Bulla *in Cœna Domini*, derogetur conſuetudinibus, & immemorabilibus.

*noſter Seſſe in d.dec.113. præcipuè an. 68.cum ſeq.

Non obſtant, quæ allegantur de defectu iuriſdictionis, & quòd Rota non cognoſcit de iuſtitia ſententiarum, quæ ſunt extra Rotam latæ, quando de illarum exequutione non agitur; quia in caſu propoſito, Hier. Pinos habet fundatam intentionem ſuper recurſibus, & claram iu-
6. ris diſpoſitionem, per quam Paulus propter excommunicationem incurſam redditur incapax beneficiorum, & cùm ipſe Paulus excipiat de abſolutoria, quam tranſiuiſſe in rem iudicatam prætendit, licitum eſt, Hieronymo replicari de illius notoria iniuſtitia; præterea vltra recurſus productos coram locumtenente criminali A.C. adſunt alij producti coram me, regiſtrati *fol.* 326. & 335.

Ex quibus ipſum incidiſſe in pœnas in Bulla Cœnæ Domini, negari non poteſt.

---

## *Salamantina Canonicatus.*

### Die Mercurij 24. Maij 1595.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio præbendæ vacat per renuntiationem eius factam in manibus Ordinarij.*
2 *Recurſus Clerici ad regium Conſilium eſt licitus, quando ſit ob defenſionem propriæ poſſeſſionis, & appellationis admiſſionem.*
3 *Reſiſtere licet de facto, contra procedentem de facto.*
4 *Excommunicatus auditur pro defenſione ſuæ poſſeſſionis.*
5 *Retinendæ in iudicio, non obſtat defectus tituli.*
6 *Procurator ſecundo loco conſtitutus, ſi priùs reſignauit, primus cenſetur reuocatus.*

In vna Abulen. Capell. coram Gyptio die 5. iunij 1598. fuit per hanc dec. iudicatus licitus recurſus ad conſilium Regium & Nuntius Apoſtolicus, qui in Hiſpania nullum habet ſuperiorem Eccleſiaſticum innouaret in præiudicium appellationis ad Papam interpoſitæ & in Rota commiſſæ latè diſſerit de materia huius dec. & de eius intel-

lectu Seſſe de inhib.c.8. §. 3. per totum, & præcipuè n. 174. vbi ad litteram ponit hanc dec.

### DECISIO CCCCLXXXII.

Reſolutum fuit, Antonium de Soria manutenendum, cùm non per reſignationem Felicis factam in manibus Ordinarij vacaret poſſeſſio Canonicatus, de quo agitur, Rota *de renunt. in antiq.* Caſſador. *deciſ.* 4. *num.* 3. *de reſtit. ſpoliat.* potuit illius capere poſſeſſionem Antonius, & eius poſſeſſio eſt manutenibilis. Non obſtat quòd acta non ſint integra, quia Notarius teſtatur de contrario *fol. reg.* 42.

Non obſtat exceptio excommunicationis propter recurſum ad Conſ. Regium: nam iſte recurſus hoc caſu ad defenſionem propriæ poſſeſſionis, & appellationis admiſſionem non eſt improbatus, Achill. *deciſ.* 36. *de appellat.* * Vrba- 2.
nus enim egit, cùm poſſet, iudici de facto procedenti, de facto etiam reſiſtere. Pariſ. *conſ. vltimo lib.* 4. & fuit dictum in illa Tarraconen. villæ de Reus coram R.P.D. meo Decan. præterea ex- 3.
communicatus † auditur pro defenſione ſuæ poſſeſſionis, *cap. intelleximus, de indic.* Menoch. *de retinend. remed.* 3. *num.* 711. & *ſeq.*

* aliàs eſt deciſ. 5. de attentatis.

† in impreſſ. Seraph. dec. 1003. relata penes eundem Seſſe in d.cap.8. §.3. n.172.

Nec refragantur allegata ex defectu tituli. Primò, quia in hoc iudicio retinendæ non obſtat huiuſmodi defectus, fuit nouiſſ. reſolutum co- 4.
ram R.P.D. meo Cardinali Corduba in vna Parmen. Prioratus. Secundò, quia hoc reſpicit peri- 5.
torium. Tertiò, quia cùm Procurator ſecundo loco conſtitutus priùs reſignauerit, primus cenſetur reuocatus. Caſſad. *dec.* 2. *de appellat.* Vant. *de nullit. ex defectu mand. n.* 171. Poſſeſſio Didaci non venit conſideranda, cùm ſit mera turbatio, & iudex nulliter ad eius fauorem proceſſerit, & Antonius nunquam habuerit ſe pro ſpoliato.

---

## *Diſcurſus Doctoris Fozes circa materiam recurſuum ad Tribunalia ſecularia habitus.*

### Menſe Decembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Opiniones Doctorum excuſant in re dubia incurſionem excommunicationis.*

### DECISIO CCCCLXXXIII.

1. Dedit Dominus D. Ioannes de Foces menſe Decembris 1595. in alia cauſa quæ tractabatur in S.Officio, & quia ille D. putabatur excuſari poſſe patrem Henricum, & ideo poſui hîc; ſed his allegatis eodem modo puto poſſe reſponderi. Hæc refert noſter Auditor in quadam nota ex ſua manu ſcripta in margine.

* de hoc art. ſuprà deciſ. 480. præcipuè n. 11. & ſequent.

Sufficere debebat pro excuſatione patris Henrici Henrique, quòd eius ſententia (circa violentiam coërcendi) ſit in Hiſpania, & aliis Prouinciis conſuetudine recepta, * & Doctores numero, & auctoritate adeò comprobata, vt communis Theologorum, & iuris peritorum, ſine dubio ſit dicenda; vt vltra citatos per eundem Henricum 2. *p. ſummæ lib.* 14. *c.* 12. *de irregularitate, ſub num.* 6. conſtat ex Mynſingero *cent.* 2. *obſeruantia* 67. Papone *in Arreſtis tit. de iuriſdict. temporali arreſto* 22. 23. 24. & *in ſuo* 1. *not. lib.* 8. *pag.* 549. *cum ſequent.* Renates Chopin. *ſub rubr. ſacræ politiæ foren. tit. de mutuis Eccleſiaſticæ Regiique poteſtatis officijs.* Alphonſo Viualdo *in candelabro in expoſitione Bullæ Cœnæ Domini cap.* 14. qui plures rationes, & auctores affert. Sed nullus accuratiùs, & exactiùs Stephano Malereto *tract. de elect. liberè facienda, & poteſtate Regia lib.* 4. *limitatione* 5. vbi docet, quatenus huiuſmodi cognitio Regiis iudicibus abſque ſcrupulo conſcientiæ poſſit competere. Poſſem vſque ad nauſeam plures alios citare; ſed præſenti ſufficiant in re tam perſpicua, qui pro excuſando D. D. ſine



2. ſine dubio ſufficere debet, vt poſt Tiraq. *de temperandis pœnis*, Paridem de Puteo *de Syndicatu*, variis in locis tradit Nauarrus *ad fin. cap. de opinione deligenda*, eo maximè quòd tam piè, & modeſtè loquitur, vt nulla reprehenſione dignus videatur, ſed potiùs in conſilium adhibendus praſumendo temperamento inter S. D. N. & Catholicum Regem, vel definitione quæſtionis, tam in illis regnis neceſſaria pro conſcientiarum quiete, quis non poſſet meliùs fideliúſque Sanctiſſimo conſulere, quàm verè ſenex, & grandæuus in Religionis negotiis exercitatus, in re litteraria eminentiſſimus, in omnibus expertus, & probatus; eſſet forſan inconſultius, quàm eum diuturno carceris tædio conficere.

---

## *Oſcenſis Canonicatus.*

### Die Veneris 1. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

3 *Sacrorum Canonum auctoritas præpenderat pluribus Doctoribus.*
4 *Conſuetudo ſacris Canonibus contraria eſt improbata, & non attendenda.*
5 *Clericos poſſe habere recurſum ad Curiam iuſtitiæ Aragonum, non admittit Rota.*
8.9 *Clericus tanquam ad priuatam perſonam poteſt recurrere ad iudicem ſecularem, pro violentys ei illatis, non tamen poteſt obtinere contra iudicem Eccleſiaſticum mandatum, vel inhibitiones.*

1.
* ſuprà dec. 280. & 481. cum duabus ſeqq.
† hæc deciſ. habetur impreſſa per Farin. poſt tom. 1. conſ. dec. 103.
* vide infrà deciſ. 1184. n.4. & deciſ. 1093. & 1119.

### DECISIO CCCCLXXXIV.

Vtraque parte informante ſuper * dubio dato, an Paulus Lezanus fuiſſet excommunicatus ob recurſum † ad Tribunal ſeculare Iuſtitiæ Aragonum, à quo illius Procurator obtinuerat fermam iuris ad inhibendum iudici Eccleſiaſtico, ne appellatione pendente aliquid innouaret, & Paulus dicta inhibitione fuerat vſus, ſub prætextu, quòd id ſibi licebat, iuxta diſpoſitionem ſacrorum Canonum, vno tantùm
2. ex Dominis Paulum excuſari poſſe dicente, cæteri affirmatiuè reſponderunt, illum ipſo iure incidiſſe in ſententiam * excommunicationis, quia recurrendo ad iudices ſeculares, cauſam præbuit, vt immunitas Eccleſiaſtica violaretur. † *cap. nouerit, & cap. grauem, de ſentent. excomm.* &
3. *§.16. Bulla in Cœna Domini.* vbi excommunicationis vinculo innodantur, qui ad Cancellarias, & Curias ſæculares recurrunt pro obtinendis inhibitionibus, & mandatis contra Prælatos, & iudices Eccleſiaſticos.

†adde Caualer. dec.372. n. 1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

* de hoc art. videndus eſt noſter Seſſe in d.tract.de inh.c.8. §.3. ferè per totum, vbi n. 108. laudat meum R. Auditorẽ & n.109. refert ad litteram præſentem dec. licèt illam ponat de anno 1596.

Nec Paulum tuebatur copioſa turba Doctorum aſſerentium, * licitos eſſe in quibuſdam caſibus iſtos recurſus ad iudices ſeculares, quoniam ſacrorum Canonum auctoritas, illis omnibus antiquiſſima conſuetudo nonnullarum Prouinciarum, de qua teſtantur Couarruu. *in pract. quæſt. cap.* 35. *num.* 3. Nauarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 70. Menochius *tract. de retinenda poſſeſſ. remedio* 3. *num.* 356. & *ſeq.* & Petrus de Auendaño *tract. de exequen. mandatis Regum lib.* 1. *cap.* 1.
4. *num.* 32. dicebatur enim, talem conſuetudinem, tanquam improbatam, & ſacris Canonibus inimicam, quæ Clericos iuriſdictioni laicorum quandoque ſupponit, non eſſe attendendam, *cap. qualiter, & quando*, vbi communiter Doctores, & Abbas *num.* 7. *de iudiciis*, Marianus Socinus *in cap. ſi quis Clericus num.* 28. & *in cap. ſanè, num.* 10. *de foro competenti.* Rota *deciſ.* 10. *de conſuetud. in antiq.*

Et eodem modo reſpondebatur ad Michaë- 5.
lem Molinum, qui in repertorio fororum Aragoniæ *in verb. ferma iuris, verſ. die* 21. *Februar.* & Hieronymum Portoles, qui *ſuper eodem Repertorio part.* 2. *in § ferma, num.* 101. dicebant, Clericos poſſe habere recurſum ad Curiam Iuſtitiæ Aragonum, & ab illa obtinere inhibitionem contra alios Clericos, etiam Epiſcopos eorum ſuperiores, ſi ipſi illos indebitè grauent, hæc enim viſa fuerunt Dominis multum exhorbitantia, & contra Conciliorum canones, & Romanorum Pontificum decretales, & Bullam *in Cœna Domini.*

Neque deciſiones Rotales, Achilles 36. *de* 6.
*appellat.* in impreſſis, & Seraphini Oliuarij Rotæ Decani in illa Tarraconen. * villæ de Reus die 4. Decembr. 1592. & Laurentij Blanchetti in Salamantina † Canonicatus die 24. Maij proximè præteriti, ſuffragabantur Paulo; quia licèt per illas deciſiones videtur, concedi facultas recurrendi quandoque ad iudices laicos, & inuocandi eorum auxilium ad defendendam propriam poſſeſſionem, qua quis de facto ſpoliatur, & quam quis propria etiam auctoritate defendere poteſt, nuſquam tamen dicitur eis, quòd talis recurſus fieri poſſit ad Tribunalia, ſeu iudices laicos, tanquam iudices, & ad effectum obtinendi inhibitiones, & mandata contra Prælatos, & iudices Eccleſiaſticos, hoc enim nunquam docuit Rota, quæ optimè nouit, iudices laicos nec actu, nec habitu habere iuriſdictionem in Clericos, imò illius eſſe penitus incapaces, argum. *cap. cauſam, de reſcript. & cap. ſacerdotibus* 11. *quæſt.* 1. & propterea cùm ſint inferio- 7.
res iudicibus Eccleſiaſticis, *cap. denique* 96. *diſt. & Clement. ne Romani, de iureiuran.* nec poſſe, nec debere alia præcepta facere. Abbas *in d. cap. qualiter & quando, num.* 7. vnde Domini non receſſerunt à deciſis in hac cauſa coram Blanchetto, die 10. Aprilis proximè præteriti. *

* in impreſſis Seraphin. dec. 1003.
† ſuprà deciſ. 482.
* ſuprà deciſ. 481.

Et hanc materiam Eccleſiaſticæ immunitati 8.
valde præiudicialem, & propter peccati periculum bonis omnibus meritò formidandam, ampliùs declarantes, & ſacris canonibus inhærendo, magis ſpecificantes, & conſcientiis timoratis conſulentes, ita diſtinxerunt; bifariam poteſt quis priuata auctoritate recurrere ad iudices laicos pro defendenda ſua poſſeſſione, aut re aliqua Eccleſiaſtica, & in cauſa Eccleſiaſtica, primò ſimpliciter nudum, & ſimplex Principis, aut cuiuſlibet laici iudicis auxilium inuocando, rogando illum, vt interponat ſuam auctoritatem, & præſtet fauorem perſonæ Eccleſiaſticæ ad ſe recurrenti, vt dignetur rogare Epiſcopum, ſeu iudicem Eccleſiaſticum, vt in ſui gratiam cauſam meliùs examinet, & ſatisfaciat recurrenti, non ſecus, ac ſi quis adiret priuatum amicum, à quo arbitrabatur, ſeu arbitraretur ſe poſſe iuuari, nihil aliud à iudice laico petendo, quàm ſimplex, & nudum auxilium, non tanquam à iudice, ſed tanquam à priuata perſona potente iuuare, & hic modus petendi auxilium in ſe conſideratus,

ſideratus, nec videbatur illicitus, nec alicui cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubiacere, licèt negari non poſſit, quin anſam, & occaſionem præbeat iudicibus ſecularibus, intromittendi ſe in cauſis beneficialibus, & Eccleſiaſticis, quod periculumm aiores noſtri percipientes, prædictas deciſiones Achillis iam olim formidarunt, ſicut formidauit Mandoſius *in tract. commiſſion. in formula* 14. *in verb. reuocandi. verſic. quartò quæro.*

Secundo modo poteſt quis recurrere ad iudices laicos, in cauſis Eccleſiaſticis, impetrando ab illis mandata, & inhibitiones contra iudices, & perſonas Eccleſiaſticas; & iſte modus eſt illicitus, & ſubiacet excommunicationi: & ratio eſt, quia cùm agatur de re Eccleſiaſtica, & ratione perſonarum, inter quas cauſa tractatur, idem iudex laicus ſit inferior, nec vllam ſuper illis habeat iuriſdictionem, conſequenter non poteſt edere mandata, nec inhibitiones, minuſque præcepta pœnalia contra iudices Eccleſiaſticos: & ea faciendo grauiter peccat, & in ſententiam excommunicationis proculdubio incurrit. Et hinc modum recurrendi ad effectum obtinendi ſimiles inhibitiones, in terminis damnaſſe videtur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de reformatione*, in hæc verba: *nefas autem ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui, prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet ſub prætextu, quòd contenta in præſenti decreto, non fuit obſeruata, cùm non ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.* hactenus Concilium.

## *Leodien. Canonicatus.*

### Die Veneris 1. Decembris 1593.

SVMMARIVM.

2 *Subreptio, etiam modica, in gratioſis vitiat gratiam.*

3 *Beneficij poſſeſſorem percepiſſe fructus ſemper præſumitur.*

4 *Litteræ teſtimoniales Clericatus alterius Epiſcopi, non proprij, non probant Clericatum.*

5 *Vicarij Epiſcopi aſſertio, dicentis, quem eſſe Clericum, non probat, ſi talis Clericus non ſit ſuæ diœceſis.*

1.
* & ad effectum inducendæ ſubreptionis inſpiciendum ſit tempus gratiæ, vt per Seraph. dec. 936. n. 1. & habetur penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 511. & deciſ. 341. n. 9. 13. & 21.
† nam in gratioſis omnia narrata debent eſſe vera. Seraphin. deciſ. 1432. n. 3. Rota diuer. p. 1. dec. 684. n. 6.

## DECISIO CCCCLXXXV.

FVit dictum, gratiam Arnaldi Bollandi non fuiſſe iuſtificatam, reſpectu litterarum, *perinde valere*, in quibus fuerat Papæ narratum, quòd primæ litteræ non fuerant per Ordinarium Leodien. executionis demandatæ, & quòd nullos proinde perceperat fructus, cùm reſpectu executionis litterarum conſtaret de * contrario ex prouiſione ſibi vigore illarum factam per officialem Leodien. de menſe Decembr. ann. 1591. & ſic per tres menſes ante gratiam, *perinde valere*, cuius data erat de menſe Martij 1592. cùm modica ſubreptio † in gratioſis vitiet. *cap. ſi motu proprio, de preben. lib.* 6. Caſſadorus *dec.* 3. *num.* 5. *de penſionib.*

2. Rurſus non videbatur iuſtificata, reſpectu narratiuæ, quòd Arnaldus nullos perceperat fructus, cùm præſumptio vrgeret in contrarium, cùm enim Arnaldus vigore primarum litterarum fuiſſet, immiſſus in poſſeſſionem Canonicatus, & præbendæ per tres menſes ante gratiam, *perinde valere*, * veriſimile erat, illum interim percepiſſe emolumenta aliis Canonicis ſeruientibus dari ſolita. 3.

3.
* nam poſſeſſor præſumitur percepiſſe fructus. Lud. dec. 50. n... Duran. dec. 305. n. 3. Caual. deciſ. 138. n. 2. & ſuprà deciſ. 225. n. 6. vbi alias dec. annotaui, & infrà dec. 597. n. 6.

Clericatus item non videbatur probatus, quia licèt vnus teſtis deponeret de publica voce, & fama, non attingebat tempus gratiæ. Alexand. *conſ.* 72. *num.* 5. *lib.* 1. inſtrumentum præterea litterarum patentium productum ſuper clericatu, † non ſuffragabatur, quia cum ordinator non fuiſſet proprius Epiſcopus, * non conſtabat de auctoritate conferentis, cùm non appareret legitimè, quòd eſſet Vicarius Epiſcopi Leodien. de quo non conſtabat, niſi per eius aſſertionem, cui non creditur. Crauetta *conſil.* 104. *num.* 5. *& ſeqq.*

4.
† adde Mant. dec. 360. n. 2. & 3.
* nam ſi litteræ eſſent proprij Epiſcopi, bene probarent, vt ſuprà deciſ. 477. n. 6. vbi alias dec. annotaui, & paſſim ſeruat Rota.

Dicebatur enim non fuiſſe iuſtificatam narratiuam contentam in Bullis fel. record. Gregorij XIV. quod Arnaldus de tempore reſignationi ſi tunc ad ſuum fauorem factæ, obtinuiſſet perpetuam Capellaniam ad Altare S. Andreæ, de qua in proceſſu non apparebat, facta iuſtificatio, licèt hoc non remouiſſet Papam, à gratia facienda.

In reliquis iuſtificata gratia cenſebatur.

5.

## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 11. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Subſtitutio reciproca, & fideicommiſſaria continetur illis verbis,* per fideicommiſſum, *à teſtatore in diſpoſitione adiectis.*

3 *Fideicommiſſum reciprocum inducitur per prohibitionem à teſtatore factam, ne alienarentur bona, etiam ex cauſa dotis, vel Trebellianicæ.*

4 *Fideicommiſſum reciprocum inducitur inter adoptiuos vocatos, per ſubſtitutionem vulgarem, pupillarem, & fideicommiſſariam.*

5 *Subſtitutio reciproca requirit plures vocatos, nam in vno verificari non poteſt.*

7 *Reciprocum fideicommiſſum induci poteſt in vno teſtamento, per relationem ad aliud, in quo reciprocum fideicommiſſum legatur.*

8 *Fideicommiſſum explicitum in aliquo teſtamento facere, vel illud facere relatiuè ad aliud teſtamentum, in quo illud legatur, idem.*

9 *Fideicommiſſum dicitur onus, & ideo ſi fiat relatio ad teſtamentum, in quo adeſt clauſula, vt ſuccedatur cum oneribus, &c. cenſetur illud onus fideicommiſſo adiectum.*

10 *Relatum verè, & propriè eſt in referente.*

11.12 *Subſtitutio facta poſt mortem omnium inſtitutorum de re certa, dicitur fideicommiſſum reciprocum.*

13 *Quod etiam locum habet, quando verba ſunt concepta in rem, & non in perſonam; maximè ſi ſint prolata non incidenter, ſed diſpoſitiuè, num.* 14.

15 *Hæres vocatus cum grauamine certi modi ſatisfacit ſi adimpleat conditionem, eo meliori modo, quo poteſt.*

*Voluntas*



16 *Voluntas teſtatoris ſi ſit nota hæredi, poteſt ſecundùm eam operari.*

17 *Fideicommiſſum perpetuum cenſetur inductum, ſi teſtator ordinauerit, quòd bona remaneant in familia pro illius ampliatione, & manutentione.*

18 *Fideicommiſſum perpetuum inducitur, ſi teſtator dixerit, vt bona perpetuò in familia remaneant.*

19 *Fideicommiſſi in caſu, ſi ex mente teſtatoris non conſtiterit, non datur extenſio de perſona ad perſonam.*

20 *Subſtituto vocato, non eſt deneganda immiſſio bonorum, dum non conſtiterit de exceptione ei impoſita.*

## DECISIO CCCCXXXVI.

1.
Hæc deciſio inuenitur inter impreſſos Farinacij p. 1. dec. 35. Et vide infrà dec. 1493.

PEtebat Franciſcus Narus immitti in poſſeſſionem medietatis caſalis de Montemelino, vigore teſtamenti non vitiati, nec cancellati Hieronymi Nari ſui fratris, qui decedens reliquerat hæredem Antonium Narum, communem fratrem, illum tamen rogauerat, vt medietatem dicti caſalis cum annexis, Franciſco reſtitueret, ſed quia Antonius reſtitutionem facere recuſabat, & immiſſionem impedire nitebantur, opponendo, de antiquo fideicommiſſo ſpecialiter inducto, ſuper dicto caſale, cuius vigore prætendebat integrum caſale cum annexis poſt obitum Hieronymi fratris ad ſe pertinuiſſe, nec Hieronymum de illo diſponere potuiſſe, ideo dubitaui, an conſtaret de fideicommiſſo, ad effectum impediendæ immiſſionis, quam Franciſcus vigore dicti teſtamenti poſtulabat.

In quo articulo, informantes pro Antonio conſiderabant, Tiberium Narum primum caſalis dominum, & ſpeciali fideicommiſſi vinculo idem caſale ligantem, vt perpetuò in familia de Naris remaneret, pro conſeruatione nobilitatis illius, inſtituiſſe filios maſculos, ſi naſcerentur ſimul, cum Lucio Martio, eius tunc vnico filio minore, eoſdem vulgariter, & per fideicommiſ-
2. ſum inuicem, ſi decederent ſine filiis, æquis portionibus ſubſtituendo, quibus verbis continetur reciproca, & fideicommiſſaria, præſertim ſtatuentibus illis verbis: *per fideicommiſſum*, Ripa *in l. Lucius*, *num.* 46. vbi Bartolus *num.* 20. *ff. de vulgari, & pupill.* Decius *conſil.* 86. *num.* 1. Pariſius *conſil.* 41. *num.* 35. *lib.* 2. Rolandus *conſil.* 25. *num.* 10. *lib.* 1. R. P. D. meus Mantica *lib.* 7. *de coniecturis vltimar. volunt. tit.* 4. *num.* 6. *&* 7.

3. Prohibuerat etiam teſtator in particulari alienationem caſalis, etiam ex cauſa dotis, & detractionem Falcidiæ & Trebellianicæ, ad effectum vt perpetuò in familia remaneret, ex quibus ſimiliter deducebant claram fuiſſe teſtatoris mentem, volentis inducere reciprocum fideicommiſſum, etiam in caſu mortis: Socinus ſenior *conſ.* 43. *num.* 11. *verſ. aliquando vltrà teſtator dixit, lib.* 3. Decius *conſil.* 481. *num.* 2. Gabriel *de fideicommiſſ. concluſ.* 10. *num.* 7.

4. Diſpoſuerat præterea Tiberius, quòd vltimus ſuperueniens ex hæredibus à ſe inſtitutis, & ſubſtitutis, teneretur adoptare vnum; ita, quòd nati natorum, & qui naſcerentur ab illis, ſeu in euentum prædictum, adoptarentur perpetuo tem-



pore de domo, & familia de Naris, nuncuparentur, vt ſuprà, & ad eum dicta hæreditas deuolueretur, vt ſuprà modo, & forma ſuperiùs expreſſis, & non aliter, nec alio modo, etiam vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum, vt ſuprà, quas omnes reſpectiuè, & ſucceſſiuè dictus teſtator ſubſtituit, & ore proprio nominauit, vnde inferebant informantes pro Antonio, in teſtamento Tiberij, inter plures adoptatos inductum reciprocum fideicommiſſum. Ripà *in dicta l. Lucius num.* 46. & Pariſius *d. conſil.* 41. *num.* 35. *lib.* 2.

Quoniam verò informantes pro Franciſco admittebant in teſtamento Tiberij, reperiri reciprocam ſubſtitutionem expreſſam, in vno caſu, videlicet inter filios ſuos, ſi plures ſuſcepiſſet, non tamen fuiſſe inductam in altero caſu, ſi omnes eius filij deceſſiſſent ſine filiis, in quo vltimus ſuperuiuens tenebatur adoptare aliquem Nobilem, qui ferret nomen familiæ de Naris, in eóque caſu, nullam fuiſſe factam reciprocam ſubſtitutionem, nec etiam fieri potuiſſe, ex quo ſolus vnus erat vocatus, cui reciproca
conuenire non poteſt, quæ requirit plures per- 5.
ſonas, * *l. iam hoc iure, & l. Lucius. ff. de vulgar. & pupillar.* & in themate propoſito euanuiſſe reciprocam, à Tiberio in primo caſu conſideratam, ex quo poſt obitum Tiberij ſolus remanſerat Lucius Martius, eius filius, qui deceſſerat ſine filiis.

* adde infrà deciſ. 1615. num. 14.

Propterea, informantes pro Antonio ex multis probare nitebantur, eandem reciprocam intelligi repetitam in teſtamento Lucij Martij, per relationem ad teſtamentum Tiberij, nam Lucius Martius, Tiberij vnicus filius, aſſerens mentem Tiberij ſui patris, ſibi fuiſſe manifeſtiſſimam, quòd caſale de Montemelione remaneret in perpetuum in familia de Naris, pro illius ampliatione, & manutentione, & quòd vltimus decedens de linea, ſeu familia ipſius Tiberij, ſi ſine filiis decederet, adoptaret vnum, vel plures nobilem virum, ſeu nobiles viros, qui ſuccederet, aut ſuccederent in dicto caſali, & hæreditate; idcirco omni meliori modo, ore proprio nominauit, inſtituit, & ſuos hæredes fecit in prædicto caſali, cum omnibus ſuis membris, Antonium, & Hieronymum de Naris filios quondam Sabæ Nari, cùm conditionibus, oneribus, & facultatibus ſimilibus, & in diſpoſitione paterna appoſitis, & adiectis, volens inſuper, quòd Antonius, & Hieronymus deberent, & tenerentur dare ſingulo anno, dicto Franciſco Naro, eorum fratri, tertiam partem fructuum eiuſdem caſalis, & duorum cenſuum vita Franciſci durante: quos Antonium, & Hieronymum filios Sabæ de Naris, & in eadem familia exiſtentes ſuccedere voluit, modo quo ſuprà in prædicto caſali, volens, & mandans idem teſtator, debere tam dictum caſale, quàm dictos duos annuos perpetuos cenſus perpetuò manere in eadem familia de Naris, & cum facultatibus, & conditionibus appoſitis, & adiectis per dictum Tiberium, eiuſdem teſtatoris patrem. 6.

Ex hac enim diſpoſitione prætendebatur pro parte Antonij, reciprocam fuiſſe repetitam inter ipſum, & Hieronymum, quos Lutius Martius ſibi hæredes inſtituerat, cum reciprocum fideicommiſſum induci poſſit in vno teſtamento, * per relationem ad aliud teſtamentum, in 7.

* adde infrà dec. 507. n. 3. & ſeq.

8. quo reciprocum fideicommiſſum legatur. Decius *conſil. 362. in principio*, & Socinus iunior *conſ. 75. num. 9. lib. 3.* cùm paria ſint facere in aliquo teſtamento explicitum fideicommiſſum, vel illud facere relatiuè ad aliud teſtamentum, in quo illud legitur. Alexand. *conſil. 201. num. 20. lib. 6.* Gozadinus *conſil. 52. num. 3.* & præſertim in hoc caſu, in quo Lucius Martius expreſsè aſſeruerat, ſe voluiſſe nominare, & inſtituere Antonium, & Hieronymum cum facultatibus, conditionibus, & oneribus contentis in teſtamento

9. paterno; vnde cùm in teſtamento Tiberij legeretur ſubſtitutio reciproca inter eius filios, & hæredes, ſi plures nati fuiſſent, ita quòd ſi vnus illorum decederet ſine filiis, alter ſuperſtes ei ſuccederet; ſimiliter in hoc caſu fieri debeat ſucceſſio inter Antonium, & Hieronymum. Bartol. *in d. l. Lucius num. 20.* vbi Ripa *num. 30. ff. de vulgari & pupil.* nam dicere cum conditionibus, oneribus, & facultatibus, perinde videbatur, ac ſi dixiſſet, cum fideicommiſſo contento, & inducto in teſtamento Tiberij, cùm fideicommiſſum dicatur onus. * *l. ſi arrogator. ff. de adoptionib. l. cohærede. §. cum filio, ff. de vulgari, & pupillar.* pro vt etiam idem ſignificare videbantur illa verba, *cum conditionibus. l. 1. C. de pact.* præſertim cùm relata dicantur eſſe in referente, † verè & propriè. *l. aſſe toto.* vbi Bartolus *ff. de hæred. inſtituend.* Pariſius *conſil. 9. num. 17. lib. 3.* Gozadinus *conſil. 57. num. 16.*

* Rota rec. p. 1. dec. 667. n. 2. in fine, & ideo ſubſtitutio fideicommiſſaria tanquā oneroſa, in dubio non admittitur. Caual. dec. 496. num. 10.

10. Supradictis addebant ſequentia, primum, quia vterque teſtator voluit caſale conſeruari in familia, & agnatione, prohibendo omnem alienationem, Socinus ſenior *conſil. 12. num. 18. lib. 3.* Decius *conſil. 38. num. 1.* Curtius iunior *conſil. 161. num. 8. part. 2.* Pariſius *conſ. 30. num. 22. lib. 2.*

† adde ſuprà dec. 375. n. 2. & 449. n. 5. vbi alias dec. annotaui.

11. Item, quoniam Lucius Martius dixerat, volens
12. & mandans, quòd caſale perpetuò remaneret in familia de Naris: ſi enim poſt mortem omnium inſtitutorum vocabatur ipſa familia, ſequebatur, adeſſe ſubſtitutionem factam poſt mortem omnium, item concurrere aliud ad reciprocam ſubſtitutionem requiſitum, quod fieret de certa hæreditate, * ex quo erat facta de re certa, videlicet de caſali certis limitibus deſignato, Ruinus *conſil. 109. num. 6. & 7. lib. 2.*

* adde Seraphin. deciſ. 1013. n. 6. Rota recen. p. 1. dec. 300.

13. Rurſus cùm iſta verba eſſent in rem concepta, non in perſonam, etiam ex teſtamento Lucij Martij, videbatur inductum fideicommiſſum reciprocum † inter Antonium, & Hieronymum inſtitutos, Gabriel *concluſ. 10. & fideicomm. num. 23.* Baldus *in l. precibus num. 49. verſ. ſed tu dic. C. de impuberum & aliis ſubſtitit.* Ancharanus *conſil. 381.* & eo præſertim nomine, quia fuerunt prolata, non incidenter, ſed diſpoſitiuè. Aldobrandinus *conſil. 31. num. 12. & 14.* vbi plures allegat.

† fideicommiſſum reciprocum ex quibus inducatur, vide Rotam rec. p. 1. dec. 266. n. 21. & ſeq.

14. Poſtremò, quia ex quo Lucius Martius excluſit Franciſcum, aſſignata ſibi ſolùm tertia fructuum parte, vita illius durante, cenſeri poterat, conſideraſſe ſolam familiam Hieronymi, & Antonij, ita vt Hieronymus non potuit, vel potuerit, ad fauorem Franciſci diſponere, Gabriel *de fideicom. concluſ. 10. num. 10.*

15. Quibus non obſtabat quòd Lucius Martius non videretur ſeruaſſe paternam voluntatem, ex quo non proceſſerat per modum adoptionis, quia cùm propter minorem ætatem non potuiſſet adoptare, proceſſiſſet, vel proceſſit per electionem, & omni meliori modo, quod videbatur ſufficere. Gabriel *conſil. 132. quæſt. 2. num. 13.* vbi conſuluit in terminis huius fideicommiſſi.

Dicebatur etiam, quòd licèt Tiberius diſpoſuiſſet, quòd vltimus de ſuis adoptaret vnum, & 16.
Lucius Martius elegerat duos, non propterea contrauenit voluntati paternæ, cùm enim dixiſſet, manifeſtiſſimam ſibi fuiſſe patris mentem, præſumendum erat, illum voluiſſe, vt plures etiam adoptari, & aligi poſſent, Gabriel *d. conſil. 132. quæſt. 2. n. 12.* Crauetta *conſil. 161. num. 4.*

Ex aduerſo etiam deducebantur multa, quæ valde ancipitem, & controuerſum reddebant 17.
propoſitum articulum, quamquam enim aliqui ex Dominis opinarentur, fideicommiſſum inductum à Tiberio Naro expiraſſe; cenſebant tamen, Lucium Martium ſuper eodem caſali aliud fideicommiſſum induxiſſe, ex quo ordinauerat, quòd remaneret in familia de Naris pro illius ampliatione, & manutentione, quibus verbis induci fideicommiſſum * perpetuum cenſuerunt. Iaſon *in l. filiusfamilias. §. diui, in ſecunda lectura n. 146. verſ. tenendo tamen communem:* vbi Ripa *num. 18.* & Ferdinandus de Loazes *num. 98. ff. de legat. 1.* Peralta *in l. cùm ita legatur. §. in fideicommiſſo num. 15. ff. de legat. 2.* & R. P. D. Mantica *lib. 6. de coniectur. vltimar. volunt. tit. 14. num. 27.*

* adde Caualer. dec. 481. num. 1.

Item ex eo, quòd Lucius Martius ſequendo patris voluntatem, ſimiliter prohibuit illius alienationem, iubens, & mandans, vt perpetuò in familia de Naris remaneret cum facultatibus, conditionibus, & oneribus poſitis in teſtamento Tiberij, Socinus iunior *conſil. 25. lib. 3.* Alexand. *conſil. 201. num. 20. lib. 6.* hæc enim clarè indicabant adeſſe fideicommiſſum. Socinus *in l. Gallus. §. quidam rectè num. 8. ff. de liber. & poſthumis.* Tiraquell. *de primogen. quæſt. 3. num. 9.* Molina *lib. 1. de primogen. Hiſpanor. cap. 5. num. 19.* & reſpectu talis fideicommiſſi dubium eſſe, qualiter eſſet ſuccedendum, cùm Lucius Martius id non ſatis expreſſiſſet.

Quantum autem fideicommiſſum reciprocum ex ſequentibus prætendebatur pro Franciſco, illud non videri inductum inter Antonium, & Hieronymum, primò, quia de reciproca ſubſtitutione expreſsè non conſtabat ex teſtamento Lucij Martij, qui ſolùm vocauit Antonium, & Hieronymum, cum facultatibus, conditionibus, & oneribus ſimilibus, appoſitis in teſtamento Tiberij, in quibus non legebatur talis expreſſa ſubſtitutio reciproca, quæ ad effectum impediendæ immiſſionis clarè, & ſine interpretatione poſſet trahi.

Item conſiderabatur ſeries teſtamenti Tiberij Nari, qui primo loco vocauerat Lucium Martium filium, & caſu quo illius vxor peperiſſet duos filios, vel vnum maſculum, illos ad inuicem ſubſtituerat, nec vltrà fuerat progreſſus in ſubſtitutione reciproca, quam ſolum feciſſe videbatur inter ſuos filios, non autem inter illorum deſcendentes.

Rurſus, in defectum legitimorum, & deſcendentium ab illis, vltimo morienti ſubſtituerat filium naturalem, vulgariter, & pupillariter, & per fideicommiſſum, nulla facta mentione reciprocæ ſubſtitutionis, reſpectu deſcendentium à filio naturali.

Præterea



Præterea deficientibus omnibus ſupradictis, iuſſit adoptare vnum Nobilem, modo ſcripto in teſtamento, ad quem voluit hæreditatem ſuam deuolui, forma, & modo ſuprà expreſſis, etiam vulgariter, & pupillariter, & per fideicommiſſum, vt ſuprà, quod poterat intelligi, eo modo, quo ſubſtituerat in proxima præcedente clauſula, filium naturalem.

19. Poſtremò ex eo, quòd teſtator ſubiunxerat, *quas omnes ſubſtituit reſpectiuè, & ſucceſſiuè,* quaſi diceret, primò filios legitimos, ſecundò filium naturalem, tertiò filium adoptiuum. Vnde cùm Tiberius diuerſas vocationes fecerit, & ſolùm inter filios primi gradus, non inter alios vlteriores ſubſtitutionem reciprocam induxiſſe videretur, non ſatis apparebat, quo pacto ex diſpoſitione Lucij Martij relata ad diſpoſitionem Tiberij, poſſet deduci reciproca ſubſtitutio inter Antonium, & Hieron. & præſertim in caſu fideicommiſſi, in quo etiam ex veriſimili mente teſtatoris non fit extenſio de perſona * ad perſonam, *l. ſi quis ita. §. penult. ff. de teſtament. tutel.* Gabriel. *tit. de regul. iuris, concluſione 10. num. 9.* Molina *lib. 1. cap. 4. num. 4. de primogen. Hiſpanorum.*

* Seraph. deciſ. 883. n. 2. & 4. Caual. deciſ. 77. n. 7. & de hoc art. vide ſuprà dec. 85. & in rec. dec. 300. n. 20. & 21. quando autem admittatur de caſu ad caſum, vide Ludouiſ. dec. 338. n. 1. & latè annotan. 14.

Supradictis accedebant multæ difficultates per Dominos conſideratæ, quia licèt inter adoptatos poſſet conſiderari aliqua reciproca ſubſtitutio tacita, quæ eſſet ſufficiens ad effectum, vt Hieronymus non potuiſſet diſponere de medietate caſalis, quia expreſſa non legebatur (vt ſuprà dictum fuit,) dubium tamen erat, an fuiſſet per Lucium Martium ſeruata forma præſcripta in teſtamento Tiberij, cùm Lucius Martius non adoptauerit Antonium, & Hieronymum, ſed eos elegerit, & inſtituerit.

Rurſus quæſtionis etiam erat, vtrùm talis inſtitutio habuerit vim adoptionis.

20. Item, an relatio facta per Lucium Martium ad teſtamentum Tiberij cenſeretur facta ad ſubſtitutiones, vel ſolùm ad prohibitionem alienationis, quæ omnia cùm tanquam valde obſcura, & controuerſa, particulari indigerent inſpectione, & reciproca, quæ prætendebatur ab Antonio, videretur turbida ex quo expreſsè non legebatur in teſtamento Lucij Martij, & Franciſcus vigore teſtamenti Hieronymi, non vitiati, nec cancellati, poterit immiſſionem pro ſua medietate in dicto caſali, fuit dictum, quòd dum iſtæ difficultates, quę requirebant altiorem indaginem, * diſcutiebantur, cùm interim non conſtaret de tali fideicommiſſo, in continenti probato, quòd iure poſſit impedire immiſſionem, non poterat Franciſco * immiſſio denegari. Decius *conſ. 424. n. 18. 19. & 20.* Socinus iunior *conſil. 75. num. 18. & 19. lib. 1.* Rolandus *conſil. 1. num. 73. lib. 1.* Menochius *de adipiſcen. remedio 4. num. 745.* & fuit reſolutum in terminis in cauſa Romana de Salomoniis die 4. Decembr. 1575. coram R. P. D. Decano, * & in alia caſalis S. Matthæi die 12. Iunij 1573. † coram R. D. Reboſterio, & in alia Romana caſalis die 18. Martij 1577. coram eodem.

* adde infrà dec. 474. n. 3. in fine.

* adde infrà dec. 503. n. 5.

* in impreſſis Seraphin. dec. 271.

† habetur p. 1. dec. 103. in impreſſis diuer.

21. Neque obſtabat, quòd Franciſcus nedum non erat vocatus à Tiberio, & Lucio Martio, verùm expreſsè fuerat excluſus à Lucio, quia reſpondebatur, illum fuiſſe vocatum à Hieronymo, & ideo dandam ſibi fuiſſe immiſſionem, cùm ab Antonio non probaretur in continenti, quòd Hieronymus propter fideicommiſſum, non poterat diſponere de medietate caſalis, aliter enim Antonius non poterat dici legitimus contradictor.

## *Turulen. penſionis.*

### Die Veneris 15. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Verba litterarum Apoſtolicarum regulantur iuxtà tenorem ſupplicationis.*
3 *Verba magni momenti ſi non ſint in ſupplicatione appoſita, poſſunt Auditores remittere ad expeditores, vt corrigantur.*
4 *Apoſtolicis in prouiſionibus non eſt neceſſarium, exprimere verba profeſſionis, niſi ſtylus id ſuadeat.*
5.6 *Cancellaria conſueuit expedire litteras pro Regularibus, cum narratiua profeſſionis emiſſæ.*
7 *Verba litterarum Apoſtolicarum, fratri militi, verificantur in quocunque, etiam ſi non addantur, expreſſam profeſſionem exprimentia.*

## DECISIO CCCCLXXXVII.

IN litteris diſpenſationis ad obtinendas penſiones, * conceſſis Don Martino de Alagon, quas Rota expediri iuſſerat, prætendebatur, poſt illa verba, *additum per fratres milites, militiæ de Calatraua Ciſtercienſis Ordinis geſtari ſolitum ſuſceperas;* conſequenter hæc alia fuiſſe addenda, *& in eadem expreſſam in profeſſionem emiſeras.* Sed quoniam informantes pro Don Martino contrarium fieri oportere dicebant, dato deſuper dubio, Domini cenſuerunt, litteras fuiſſe relaxandas, ſine illa additione verborum. 1.

* de qua ſuprà dec. 413. Aldobrandinus conſ. 24. num. 25.

Et ratio potiſſima fuit, quia illa verba ſubſtantialia profeſſionis continentia, non erant in ſupplicatione, iuxta cuius tenorem, in dubio regulari debent litterarum expeditiones, * quinimò, quando in litteris apponuntur aliqua verba magni momenti, quæ non ſunt in ſupplicatione, poſſunt auditores remittere litteras ad expeditores, vt corrigantur, gloſſator *ad regul. 37. Cancellariæ circa medium.* 2.

* de hoc art. vide Ludou. dec. 108. n. 11. vbi latè annotatio n. 16. Duran. deciſ. 165. n. 1. Caual. dec. 255. n. 8. & deciſ. 285. n. 1. & 2.

Iſtis accedebat notabile Cancellariæ, per vnum ex Dominis allegatum, quo notabatur, in prouiſionibus Apoſtolicis non eſſe neceſſarium exprimere illa verba, *expreſsè profeſſum,* niſi ſtylus 3.
aliter ſuaderet, qui tamen in hoc caſu ex deductis non probabatur. 4.

Quibus non obſtabat auctoritas Hieronymi Pauli in practica Cancellariæ *tit. de expectatiuis pro regularibus,* indicantis, Cancellariam conſueuiſſe expedire litteras pro fratribus, cum narratiua profeſſionis emiſſæ, & propterea in hoc caſu, iſtas litteras non fuiſſe relaxandas, ſine illa verborum additione, per quam doceretur expreſſa profeſſio ſupplicantis. 5.

Quia reſpondebatur, dictum illius practici, intelligendum (vt ſeries verborum illius indicat,) in caſu in quo, vt gratia ſortiretur effectum, neceſſarium erat, vt Monachus ille, ſeu Regularis eſſet expreſsè profeſſus, ſecus autem erat in hac facti ſpecie, vbi gratia erat euentualis, in qua cum milite non profeſſo diſpenſabatur, qui 6.
cum lato ſumpto vocabulo poſſet dici miles, & religioſus, & habitum ſuſcepiſſe, ex quo vel non 7.


diſceſſit

diſceſſit à religione, vel in ea parmanſit. *cap. religioſa. §. quamuis, de ſentent. excomm. lib. 6.* Federicus de Senis *conſil. 32. num. 10. verſ. nam licèt quod omnia,* Baldus *conſil. 197. in fine, lib. 5.* ideo & illa verba, *fratri militi*, verificabantur in eo, & non erat neceſſarium addere verba, expreſſam profeſſionem exprimentia.

Et quamuis Domini ex prædictis cenſuiſſent, litteras fuiſſe relaxandas, ſine illa additione verborum, non tamen propterea decreuerunt, penſionem potuiſſe reſeruari, aut transferri in militem, vel religioſum non expreſsè profeſſum, de hoc enim particulariter videre voluerunt, ſicut etiam inquirere de illa difficultate, an Papa intellexiſſet de milite profeſſo, quia expeditio litterarum ſub prædicta forma, non impediebat quin veſtigaretur, qualis fuiſſet Papæ intentio, imò verò hæc neceſſaria erant diſcutienda ad indagandam veritatem, & gratiæ validitatem, ſed non erant præſentis inſpectionis.

## *Tudertina Prioratus, ſeu Parochialis.*

### Die Veneris 15. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in cauſa profana in qualibet inſtantia conceditur, etiam ſine fumo.*
2 *Remiſſoria de ſtylo Rotæ non ſolet denegari, dato aliquo articulo releuante.*
3 *Concurſum coram Epiſcopo factum eſſe ex conſuetudine, debet pars eam allegans probare.*
4 *Negatiua per teſtes non probatur.*
5 *Negatiua redacta ad rem certam, & tempus certum, non eſt improbabilis.*

### DECISIO CCCCLXXXVIII.

1. DOmini dixerunt, dandam fuiſſe Remiſſoriam Domino Epiſcopo Tudertino, quia cùm non ageretur ſuper titulo beneficij, cauſa cenſebatur profana, quo caſu, in qualibet inſtantia ſolet Remiſſoria concedi, etiam ſine fumo. Verallus *deciſ. 68. num. 1. part. 3.* Mohedanus *deciſione 199.* aliàs eſt *5. de probationib.* in impreſſis.

Et licèt aliqui articuli viderentur calumniam ſapere; nihilominus ſextus erat releuans, in quo articulabatur, Prioratum Sancti Nicolai de Griptis, per tempus, & tempora ex generali conſuetudine, & communi reputatione vigente in ciuitate Tudertina, nunquam fuiſſe habitum, nec reputatum pro dignitate, nec illius Recto-
2. res habuiſſe aliam præeminentiam, vel dignitatem, item ſeptimus in quo continebatur, quòd occurrente vacatione dicti prioratus, ſeu Parochialis, concurſus fuerat factus coram Epiſcopo Tudertino, pro tempore exiſtente, & per eundem de illa fuiſſe prouiſum perſonæ in concurſu approbatæ. Notum eſt autem, dato aliquo articulo * releuante, non ſolere de ſtylo Rotæ denegari Remiſſoriam, licèt aliqui alij ſint impertinentes, vel calumniam ſapere videantur.

* vide infrà deciſ. 1255. n. 2. & ſuprà dec. 372. n. 2. vbi alias deciſ. annotaui & Caual. deciſ. 289. n. 2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Iſta verò communis reputatio per teſtes erat probanda, Caſſadorus *deciſ. 3. num. 9. de probationib.* Ruinus *conſil. 52. num. 2. lib. 5.* ſicuti etiam prædicta conſuetudo faciendi concurſum coram Epiſcopo, gloſſ. *in l. de quibus. ff. de legib.* Bartol. *in l. 2. num. 30. C. quæ ſit longa conſuetud.* 3.

Quibus non obſtabant contenta in ſexto articulo, quæ videbantur continere quid iuris, & negatiuam probationem, quæ non debent probari per teſtes. 4.

Quia reſpondebatur, communem reputationem per teſtes fuiſſe probandam, (vt ſupradictum eſt,) & negatiuam * quoque redactam ad rem certam, & certum tempus, non eſſe improbabile. Gratus *conſil. 81. num. 68. lib. 6.* Curtius ſenior *conſil. 72. num. 8.* 5.

* Mant. dec. 350. n. 7. & 8. Cavaler. deciſ. 103. n. 5. & deciſ. 268. num. 4.

## *Imolenſis dotis.*

### Die Lunæ 18. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Exceptio reſpiciens ius tertij, non poteſt allegari à parte.*
3 *Alienatio rei, facta in perſonam vocatam ad fideicommiſſum ſubſiſtit, quod non habet locum, quando teſtator voluit quod bona perpetuò conſeruentur in familia, num. 4.*

### DECISIO CCCCLXXXIX.

PRæſuppoſita deciſione facta die 28. Iunij proximè præteriti, * quod prædium caſulæ Caninæ eſſet comprehenſum ſub fideicommiſſo Pauli ſenioris. 1.

* Paulus de Caſtro conſil. 77. n. 6. lib. 2.
* ſuprà deciſ. 458.

Et inſtrumento facto inter Petrum, & Thadeum die 21. Maij 1575. & quòd Thadeus deceſſerit cum filiis maſculis viuentibus, dubitaui, an Paulus filius Petri Mancurti in dicto fideicommiſſo vocatus potuiſſet retinere vigore fideicommiſſi portionem prædij caſulæ Caninæ, emptam per Petrum à Thadeo fratre: & Domini concorditer affirmatiuè reſponderunt, illum potuiſſe retinere dictam portionem, ratione fideicommiſſi, ſtante enim fideicommiſſo firmato in dicta deciſione, ex quo prædium caſulæ Caninæ fuit in bonis Pauli ſenioris, dubium videbatur ſublatum, præſertim ad effectum de quo agebatur, qui conſiſtebat in eo, an Lucretia, ſecunda vxor Petri, ratione ſuæ dotis acquiſiuerit aliquod ius in bonis prædictis.

Neque obſtabat, quòd adhuc viuerent filij Thadei, qui pariter fuerant vocati ad fideicommiſſum, quia iſta exceptio reſpiciens ius tertij, non erat alleganda per Lucretiam, * præſertim cùm etiam ſi viuerent filij Thadei, ſtante fideicommiſſo Lucretia non poterat pro ſua dote id prædium retinere.

* adde Seraphin. deciſ. 421. n. 7. Rot. rec. p. 1. deciſ. 665. n. 11. & 390. n. 4. Ludou. dec. 582. num. 7. quando autem poſſit dari exceptio pro iure tertij, vide Caual. deciſ. 253. n. 3. & 4. & dec. 346. n. 7. Rot. rec. p. 2. dec. 542. n. 6. & 7 Lud. dec. 415. n. 3. vbi latè annot. n. 6.

Item non obſtabat, quòd cùm ſemel eſſet ſecuta alienatio in perſonam permiſſam, hæc pars prædij, de qua quærebatur, remanſiſſet alienabilis. *l. pater. §. quindecim. ff. de legat. 3.*

Quoniam hoc non habet locum, quando teſtator voluit quòd bona perpetuò conſeruentur in familia. Bartolus *in d. l. pater. §. quindecim. n. 4.* Iaſon



*in l. filiusfamilias. §. diui, num. 9. ff. de legat. 2.* quam limitationem teſtatur eſſe communem, & veram, Molina *de Hiſpanorum primogenijs lib. 4. cap. 1. num. 33.*

## *Peruſina executionis.*

### Die Lunæ 18. Decembris 1595.

SVMMARIVM.

2 *Sententia continens errorem quantitatis condemnatæ, ſi ex actis conſtat de veritate rei, ea debet attendi.*
3 *Error ſententiæ in modica ſumma, non vitiam eam.*
4 *Rota ſemper reſpicit veritatem.*
5 *Nullitas purgatur ex tacito partis conſenſu.*
6 *Acceptatio ſententiæ intelligitur cum ſuis qualitatibus.*
7 *Conſenſus tacitus, ex actu poſitiuo collectus, facit ſuſtinere ſententiam pro parte, quæ fortaſſis aliàs cenſeretur inualida.*
8 *Sententia iniuſta, non ex iniuſtitia dicitur nulla, ſed iniuſta.*

### DECISIO CCCCXC.

1. CVm quibuſdam præſuppoſitis inter partes concordatis, dato dubio, an vltima ſententia Rotalis eſſet nulla, * vtraque parte informante, Rota cenſuit ſententiam non debuiſſe tanquam nullam, & inualidam reuocari, ſed ſoluto exceſſu, † ad vlteriora fuiſſe procedendum, quamuis enim ſententia in ſumma contineret errorem; quia condemnauit pro reſiduo dotis in ſcutis 1441. auri in auro, cùm debuiſſent eſſe ſcuta monetæ, nihilominus, cùm ex actis
2. conſtaret de veritate rei, ea debuit attendi, cùm ſententia ex actis declaretur. Alexander *conſ. 49. num. 9. lib. 7.* Curtius iunior *conſil. 179. num. 2. part. 2.*

* hæc deciſio habetur penes Marcheſ. de commiſ. p. 3. pag. 114.
* ſuprà deciſ. 454.
† adde Caual. dec. 446. n. 2.

3. Accedebat modicitas ſummæ, quoniam ea relatione periti iuxta vnum modum volutandi ſcuta auri in auro, conſtabat, errorem contigiſſe in ſcutis tribus, quam ſummam velut minimam non debuit curare prætor, *l. ſcio. ff. de reſtit. in integrum*; præſertim ad effectum multiplicandi
4. ſententias, quod longè abeſt à celſitudine, &
5. maieſtate huius tribunalis, in quo potiſſimum attenditur veritas, ne litigantes immodicis grauentur impenſis.

* adde infrà dec. 886. n. 4.

6. Placebat etiam aliquibus Dominis, ex tacito partis conſenſu * ceſſare iſtam nullitatem, cùm enim Domini de Mareſcotis, obtinuerint ad ſuum fauorem ſententiam, in qua Dominus Marchio à Cornea condemnabatur ad reſtitutionem ſcutorum 334. auri in auro, eamque ſubſcribi petiuerint, & ſolutionem acceptauerint, in reliquis cenſebantur confirmationem approbaſſe, * cùm acceptatio intelligatur fieri
7. cum ſuis qualitatibus. Crauetta *conſ. 278. num. 2.* Puteus *deciſ. 397. num. 9. lib. 2.* iſte enim tacitus conſenſus, † ex actu poſitiuo collectus, facit ſuſtineri ſententiam pro parte, quæ fortaſſis aliàs cenſeretur inualida. Bartol. *in l. 1. num. 7.* vbi Caſtrenſis *num. 2. C. ſi aduerſus rem iudicatam.*

* quæ regula intelligitur vera in omnibus actibus. Seraphin. dec. 334. n. 4. & 447. n. 11.
† conſenſus enim tacitus elicitur ex actibus poſitiuis Rot. recen. p. 2. dec. 608. n. 7. & diuer. p. 1. deciſ. 396. n. 4.



Poſtremò, nullitates appoſitæ non videbantur ex illis tribus, quas Bulla fel. record. Pij IV. iubet potiſſimum conſiderari: nam exceſſus oppoſitus, iniuſtitiam potius, quàm nullitatem reſpiciebat: manifeſtum eſt autem, non omnem ſententiam iniuſtam * dici etiam nullam. Crauetta *conſil. 182. num. 9. verſ. tamen contra dictum Iaſonis.* 8.

* niſi ſit notoria iniuſtitia, quia tunc nullitati æquiparatur. Coc. dec. 78. n. 4. Rota recen. p. 1. deciſ. 178. n. 2. & p. 1. dec. 151. n. 3. Seraphin. dec. 988. n. 6. Rota diuer. p. 1. dec. 644. n. 1.

## *Romana donationis de Anguillaria.*

### Die Veneris 12. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

3 *Metus non præſumitur, niſi probetur.*
4 *Metus reuerentialis cauſa, facta donatione, dicitur inualida.*
6 *Metus reuerentialis ſi concurrat, cum læſione enormiſſima donatori ſequuta, reddit eam inualidam.*
7 *Donatio ſimplex facta, non ex cauſa, ſed ex liberalitate, inducit excluſionem læſionis in donante.*
8 *Donatio facta à filio detento per vim à patre in domo, non valet.*
9 *Metus reuerentialis non inducitur, niſi verbera, aut minæ interueniant.*
10 *Donationem factam eſſe metu, ſi pars proteſtauerit, inualida ex eo cenſetur.*
11 *Donatio dicitur contractus nominatus, & requirit conſenſum donatarij. num. 12.*
13 *Proteſtatio clandeſtina donationis factæ per metum, nihil operatur in præiudicium alterius partis ignorantis, & num. 15.*
14 *Proteſtatio metus ſi fiat cum expreſſione cauſæ, inducit aliquam metus probationem, licèt non operetur effectum, niſi probetur metus in proteſtatione.*
16 *Metus reuerentialis capax non dicitur filius ætate maturus.*
17 *Donatio non dicitur metu facta, ſi adſint veriſimilitudines, quæ moueri poſſunt donanti, ad eam faciendam.*

### DECISIO CCCCXCI.

VIrginius quondam de Anguillaria, filius legitimus, & naturalis, Auerſi de Anguillaria, die 5. Martij ann. 1584. bona ſua donauit Ioanni Baptiſtæ, & Flaminio fratribus ſuis, & eorum filiis maſculis deſcendentibus in infinitum, vt perpetuò in familia, & agnatione de Anguillaria conſeruarentur, in qua donatione idem Virginius aſſeruit, ſe fratribus ſuis donare voluiſſe, quia nullos filios habebat, adiecit tamen, quòd ſi vel ex matrimonio, quod cum domina Æmilia Vrſina multis antea annis contraxerat, vel ex alio, filij ſibi quandocunque naſcerentur, donatio foret nulla, & irrita, & perinde ac ſi facta non fuiſſet. 1.

Cæterùm, quia prædicta domina Æmilia, hæres à Virginio marito inſtituta prætendebat, donationem fuiſſe inualidam, vel annullandam, & reſcindendam, ex quo Virginius ob metum reuerentialem Auerſi patris eam feciſſe diceretur, ſuper quo vtrinque nonnulli teſtes exami- 2.

nati fuerant,ideo præſuppoſita dicta donatione, & proteſtatione per Virginium facta die 4.Martij, vno nempe die antequam donaret, & alia proteſtatione facta eodem die 5. Martij, & dictis teſtium vtrinque examinatorum, vtraque parte informante dubitaui, an probaretur metus, qui ſufficeret ad effectum iudicandi donationem fuiſſe inualidam, vel reſcindendam.

*haec deciſ. fuit confirmata infrà dec.530.
†de metu reuerētiali, latè differit Ludou.deciſ. 327. per totam.
*adde Mant. dec.142.n.1. Rot.rec. p.1. dec.5.n.9. & p.2.dec.463. n.3.

Et Rota * conformiter cenſuit,† reuerentialem metum non fuiſſe probatum,cùm enim non præſumatur, niſi probetur, * *l. metum. C. de his quæ met. cauſ. l. interpoſitas*, & *ibi* Bartol.& Iaſon *C.de tranſact.* & notant communiter Canoniſtæ *in c.cauſam matrimonij, de officio deleg.* Pariſius *conſil. 26. num. 66. lib.* 3. in caſu propoſito non probabatur ex natura, & qualitate Virginij donantis, quaſi quòd eſſet timidus, & valde reueretur patrem, quem, vt quidam teſtes deponebant, non niſi aperto capite alloquebatur, quia cùm hæc ingenuam eius indolem, & bonam, ac nobilem inſtitutionem indicarent, non
3. poterant ad timorem trahi, qui efficeret inuitam coactamque donationem, præſertim, cùm primus, ſecundus, & tertius, teſtes ſuper 22.articulo in 3.ſummario, & quartus iuxta 16. in primo ſummario teſtificarentur, Virginium ſolitum etiam patri contradicere, & fuiſſe duræ ceruicis, ita vt cùm aliquid facere decreuiſſet, nec totus mundus ſufficeret ad illum à propoſito remouendum.

His accedebat, quòd deponebant idem quartus teſtis iuxta 16.in primo ſummario;& primus teſtis ſuper 14.& 15. articulo de auditu à familia Virginij,& pluribus aliis,& de publica voce, & fama; & tertius teſtis de auditu ab eodem Virginio, eum ſcilicet pluribus dixiſſe, ſe velle facere prædictam donationem, vt bona in ſua familia de Anguillaria conſeruarentur.

4. Neque ex natura Auerſi patris argui metus poterat; quamuis enim, quando pater eſt terribilis, & ſolitus exequi minas, tunc metus reuerentialis propterea inductus, renuntiationes, & donationes irritas, * & inualidas efficiat, vt præter alios docet Rodericus Suarez *allegatione* 24. in hac facti ſpecie, non apparebat tale quid probatum, quinimo domina Magdalena Strotia teſtis per Æmiliam inducta dicebat: *Il Signore Virginio non ſi e mai doluto, di eſſere ſtato minacciato del Signor Auerſo, & che la donatione lui la voleua fare, anchor che la Signora Emilia li ſuadeſſe il contrario, & pigliaſſe in adotione il Signore Paolo Emilio, perche diceba,che voleua che la robba ſua reſtaſſe nella ſua familia.*

*adde ſuprà dec.341.

Huic teſtis erat conformis, tertius teſtis ſuper 24.articulo,vbi aſſerebat, Virginium ſibi dixiſſe, ſe eam donationem ſponte feciſſe, cùm non haberet filios, & vellet bona ſua in familia ſua remanere.

Ex quibus tollebatur obiectio ex aduerſo facta contra donationem, quòd ſcilicet fuiſſet facta propter importunas preces Auerſi patris, conſtabat enim de alia cauſa, nempe quia Virginius, qui nullos adhuc ſuſceperat filios, volebat quòd bona ſua remanerent in ſua familia.

5. Et eo maximè,quia neque teſtes deponebant de importunis precibus patris, ſed ſolùm de ſimplicibus perſuaſionibus factis Virginio ab ipſiſmet teſtibus à patre rogatis, vt illum inducerent ad donandum, quinimo ſextus teſtis iuxta 16. in primo ſummario teſtificabatur, Auerſum ſibi dixiſſe, vt non nomine ipſius Auerſi, ſed tanquam ex ſe perſuaderet Virginio,vt faceret donationem, ex quibus nulla apparebat probata patris terribilitas, aut ſæuitia, ex qua induceretur metus ſufficiens ad inualidandam donationem:imò ampliùs fuit conſideratum, quòd nullus teſtis deponebat de tam ſeuera natura Auerſi, vt vel minaretur, vel minas exequi ſoleret, & præſertim contra filios, quos vnicè diligebat.

Ad hæc,teſtes pro Domino Flaminio inducti, videlicet primus, & tertius ſuper 21. in tertio ſummario ſatis excludebant ſæuitiam, & terribilitatem Auerſi,ex quo dicebant,*che il S. Auerſo era piaceuoliſſimo, & maſſime con il S. Virginio,* quem diligebat ſicut alios filios.

Minus dicebatur donatio potuiſſe reſcindi, ex quo concurrebat læſio enormiſſima, quæ ſi iungatur cum metu reuerentiali, contractum irritum facit. Aretinus *conſil. 24. num. 9.* Socinus ſenior *conſil. 263.num. 4. lib. 2.* Socinus iunior *conſil.67. num.21. lib. 2.* Albenſis *conſil. 77. num.2.lib.1.*& tenuit Rota in vna*Amerina domus die 4. Maij anno 1579. coram bon. mem. Cantuccio. 6.

*eſt dec.102. p. 2. in impreſſis diu.

Quia reſpondebatur primum, in hac facti ſpecie non fuiſſe probatum metum reuerentialem. Rurſus dicebatur hanc fuiſſe ſimplicem donationem, non ex cauſa, & ob recompenſationem, ſed ex mera liberalitate prouenientem, in qua non conſideratur læſio. * Socinus iunior *dicto conſil.67. num.23. & 24. & ſeq. lib.2.* Berous *conſil.49. num. 24. & ſequent. lib. 1.* Crauetta *conſil. 114. num. 12.* Gabrielius *tit. de iure dotium, concluſ. 1. num. 20.* Rota *in dicta deciſ. Amerina domus.* 7.

*adde Dur. dec.121. n.2. & n.2.& ſeq. & deciſ.337. n.29.

Quòd tempore donationis, (vt præſupponebatur) Virginius habitaſſet cum patre, non fuit iudicata ſufficiens cauſa ad inducendum talem iuſtum metum, qualis requiritur ad reſcindendum contractum; tum, quia donatio non fuit facta patri, ſed fratribus, tum quoniam Baldus *conſil.117. num.1. verſic.prima lib.3.* & Veronenſis *conſil.2. verſ. ſeptima coniectura,* & alij Doctores contrarium aſſerentes, loquuntur quando quis tempore contractus detinetur per vim, ita vt non ſit in ſua plena libertate. Crauetta *conſil.49. num. 6.* quod non poterit affirmari in caſu propoſito, in quo Virginius ſponte & non patris perſuaſionibus, vt tantiſper ab vxore irata, propter quendam famulum vulneratum, diuerteret patris domicilium, non inductus, non ſeductus, non vi, aut metu compulſus filiali conſuetudine petiuit, vt teſtificabantur, primus, ſecundus, & tertius teſtes ſuper 18. articulo, idemque tertius teſtis, iuxta 26. interrogatorium in tertio ſummario. 8.

Nec propterea Virginius prohibebatur propriam adire domum, aut dominam Æmiliam vxorem alloqui, cùm ſecundus teſtis ab ipſa inductus diceret, *che alcune volte, il S. Virginio andaua alla Madona delle Monti, & iui parlaua con la S. Emilia, & poi ſe ne ritornaua a caſa.*

Præterea, quòd non patris ſeductio, aut metus reuerentialis, ſed declinandæ tantiſper iræ vxoris occaſio Virginium induxiſſet ad petendam paternam domum, illud magno iudicio erat,



erat, quòd, vt deponebant primus & ſecundus teſtis ſup. 20. & tertius ſuper 21. in tertio ſummario Ioannes Baptiſta,eiuſdem Virginij frater, ad domum Æmiliæ ſe aliquando contulit, vt coniuges vtcumque iratos reconciliaret.

9. Sed neque ex eo cenſebatur inualida donatio, quòd eſſet facta in præſentia patris; quia præſentia, & inſtantia paterna non reſcindunt contractum,neque probant metum, niſi verbera,aut minæ * interueniant. Aret.*in §.quadrupli, num. 8. verſ. ergo in contrarium eſt ius*, & *ibidem* Iaſon *num.61.verſ.& circa proximè dicta. Inſtitut. de action.* Boërius *dec.100. num.11.* Albenſis *conſ. 77.num.6.lib.1.*

* Seraphin. dec.771.n.9. & dec.1128. n.2.& 3.Rota recen.p.2. dec.463.n.3. Rota diuerſ. p.2.dec.341. n.2.

Imò,in caſu propoſito, propter ſtatutum Vrbis *lib.1. cap.152.* præſentia & conſenſus paternus videbatur neceſſarius, non ad incutiendum metum,ſed ad validandum contractum, qui aliter geſtus à filiofamilias fuiſſet nullus, & inualidus.

10. Quantum ad proteſtationes, in quibus ſcribentes pro Domina Æmilia potiſſimum fundamentum ad probandum metum conſtituere videbantur, ex traditis per Aretinum, & alios *in l. qui in aliena.§. Celſus ff. de acquirend. hæredit.* ſequentia fuerunt conſiderata, primum hîc non agi de actu dependente à ſola voluntate proteſtantis, qualis eſt aditio hæreditatis, & ſimiles,
11. de quibus ibi tractatur, ſed de donatione, quæ eſt contractus nominatus, Alexand.*in l.iuris gentium,num.6.ff.de pactis*,Iulius Clarus *in §.donatio. quæſt.1.* quæ requirit conſenſum donatarij. Cla-
12. rus *in d. §. donatio, quæſt.12.* vnde cùm ſit actus cum alio explicandus, proteſtatio clandeſtina nihil operatur in præiudicium alterius partis ignorantis. Bartol. *in dicta l. qui in aliena.§. Celſus,num.5.verſ.ſecus, & num. fin. verſ. ſed ſi poſt.ff.*
13. *de acquirend.hæredit.*idem Bartolus *in l.non ſolùm. §.morte,num.17.in fine, & ſeq. ff.de oper. noui nunt.* & Bartolum ſequuntur *in d. §. Celſus*, Cumanus *num.6.* Paulus de Caſtro *num. 3.* Alexander *n.2. & 4.num.5.verſ. hac diſtinctio.* Imola *num.2.verſ. & intellige*, Aretinus *num.9.* Iaſon *num.6. & 41.* Ruinus *conſil. 157. num.2. verſ. ſed ſi actus, lib.3.* Aldobrandinus *conſ. 23. num.39.* & in terminis donationis fuit firmatum in vna Tuſculana Villæ die 28.Aprilis 1586.

Alterum fuit quòd iſtæ probationes aliquando fiunt ſimpliciter à proteſtantibus, nulla expreſſa cauſa, vtputa, quòd non intendunt, verbi gratia,donare,vel ſe obligare,aut quid ſimile ex contractu futuro, vel iam facto, & iſte non erat caſus propoſitus.

14. Aliquando verò proteſtationes fiunt cum expreſſione cauſæ, & tunc licèt inducant aliquam metus probationem,non tamen operantur effectum,niſi probetur metus in proteſtatione, pro cauſa contrahendi expreſſus, Angelus *in dicto §. Celſus, num.4.* cuius opinionem *ibidem num.9.* Aretinus aſſerit eſſe veriſſimam, & ſequitur Iaſon *in principio verſ. iſte eſt textus, & num. 17. & multis ſeqq.* & Baldus *in fine* dicit,proteſtationem aliquid operari, ſi iuſti timoris indicia præcederent,ſecus autem,ſi non præcederent,idque nulla habita diſtinctione, an ex interuallo, vel in continenti proteſtatio interponatur.

15. Vnde,cùm Virginius in proteſtationibus expreſſerit metum pro cauſa ipſum compellendi ad donandum, & fuerint clandeſtinè factæ, vt aliquid operarentur,metus erat probandus. Abbas *in cap.cauſam matrimonij,num.5.* & *ibidem* Decius *de officio delegat.* Decius *conſ.219. num.3.* & cæteri adducti per Menochium *tractat. de præſumpt.lib.3. præſumpt.127. num.9. & ſeq.* ex prædictis autem patebat,non fuiſſe probatum.

Poſtremò circa poteſtationes Virginij dicebatur, non potuiſſe ex illis argui aliquem metum,tum quia teſtes excludebant illius præſumptionem, dicentes audiuiſſe illum ſponte donare voluiſſe, vt bona remanerent in ſua familia, tum quia primus, ſecundus, & tertius ſuper 24. articulo in tertio ſummario teſtificabantur, illum propterea fuiſſe proteſtatum, ne rem ingratam faceret Dominæ Æmiliæ vxori, quam cum pio affectu maritali proſequeretur, nolebat moleſtia afficere.

Ad commiſſionem per Virginium obtentam poſt obitum Auerſi, reſpondebatur, non fuiſſe commiſſam cauſam prætenſæ reſciſionis donationis, prætextu metus reuerentialis, de qua in commiſſione nullum verbum, ſed ſimpliciter ſuper bonis paternis,maternis,& auitis.

Multa præterea concurrebant, quæ & metum excludere, & piè, ac prudenter Virginium eam donationem feciſſe ſuadebant; primum, quia non donauit patri,ſed fratribus, & eorum deſcendentibus in infinitum, vt bona ſua in familia nobiliſſima de Anguillaria,& Stabia conſeruarentur.

Rurſus, quoniam tempore donationis, Virginius erat ætate maturus, cùm 35. ætatis attigiſſet annum, qui propterea non facilè erat metus capax. Socinus iunior *conſ.47.num.31.& 32. lib. 3.* Suarez *dicta allegatione 24. circa finem, verſ. imò erat maior.* 16.

Præterea aderat etiam legitima cauſa, ad donandum fratribus; quia nullos tunc Virginius ſuſceperat filios.

Poſtremò, multum placuit Dominis ad excludendam omnem prætenſi metus ſuſpicionem veriſimilitudo, quæ ad eum effectum conſiderari ſolet. Albenſis *dicto conſil.77. num.26. lib.1.* valde enim veriſimile putabatur, Virginium, qui nullos filios ſuſceperat,voluiſſe potiùs,quòd bona ſua remanerent in ſua familia,quàm quòd peruenirent ad alienam. 17.

Et eo maximè, quia talis donatio non erat contra bonos mores, ſed rationabilis, & fauorabilis, facta ſcilicet,(vt ſuprà dictum fuit,) fratribus conſanguineis, eorumque deſcendentibus maſculis, gratiæ conſeruandæ Illuſtriſſimæ familiæ, & præſertim cùm Virginius donator ſibi reſeruaſſet vita ſua durante vſumfructum omnium bonorum, gemmas, & alia mobilia, nec non & liberam facultatem teſtandi de ſcutis mille.

Deciſio nuper facta in cauſa Romana legatorum de Sabellis coram R. P. D. meo Orano, quia erat in longè diuerſis terminis, nec in ea agebatur de donatione ſimplici; & multa præterea concurrebant, ad probandum metum,quæ hîc deſiderabantur; non poterat huic themati applicari.

## Maſſanen. penſionis.

### Die Veneris 12. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum de manutenendo non conceditur, niſi conſtito de iure poſſeſſionis.*

2 *Penſiones plures reſeruatæ cenſentur, ſi ſuper diuerſis fructibus ſint impoſitæ.*

3 *Poſſeſſio vnius rei, non infert ius ad poſſeſſionem alterius.*

## DECISIO CCCCXCII.

1. DOmini ſteterunt in deciſis coram R.P.D. meo Iuſto ſub die 23. Iunij 1595. nempe Petro Gentili non fuiſſe dandum mandatum de manutenendo in exactione prætenſæ penſionis, quia non conſtabat de illius poſſeſſione. * *§. hoc autem, Inſtit. de interdict.*

* adde Dur. dec. 310. n. 1. Mantic. dec. 191. n. 1. & dec. 95. n. 1. Coccin. dec. 52. num. 4. & aliàs ſæpe.

Quam non probabant partitæ contentæ in libris rationis bancariæ D. Tiberij Ceuli, licèt enim probarent contra tertium, non poterant in hoc caſu Petro ſuffragari, quia ex reſeruatione penſionis conſtabat, illam alternatiuè fuiſſe reſeruatam, videlicet ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis, ſeu ſi Camillo tunc reſeruatario videretur, ſuper annua reſponſione DCCC. ducat. quos
2. Camera Apoſtolica eidem menſæ ſoluere tenebatur: quo caſu plures penſiones reſeruatæ dicuntur, vna ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis, altera ſuper dicta annua reſponſione. Achill. *dec. vltima, & penult. de penſionib.*

Et ideo eo præſertim nomine, quia ex illis partitis conſtabat ſolùm de poſſeſſione exigendi reſpectu dictæ annuæ reſponſionis, ſuper Aluminibus, vnde non poterat inferri, ad poſſeſſionem exactionis penſionis ſuper fructibus men-
3. ſæ Epiſcopalis, cùm ex poſſeſſione vnius rei non poſſit inferri ad poſſeſſionem * reſpectu alterius, gloſſ. *in l. 3. in princ. ff. de acquirend. poſſeſſ.* vbi Bartolus *num.* 4. Alexander *num.* 15. Iaſon *num.* 3. Pariſius *conſ.* 37. *n.* 17. *lib.* 3.

* adde ſuprà dec. 463. n. 6. & ideo ex poſſeſſione bonorum nō acquiritur poſſeſſio beneficij, vt per Cau. dec. 44. n. 3. & 4.

Et maximè, quia dicta annua penſio tunc poſſidebatur à Cardinali Farneſio, & non ab Epiſcopo, qui poſſidebat Epiſcopatum Maſſanenſem.

An autem Petrus Gentilis penſionarius ex electione ſibi præiudicauerit, ita vt non poſſit prætendere dictam penſionem, ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis, ex quo ſemel elegit, ſuper dicta annua reſponſione Domini particulariter videre voluerunt.

## Peruſina reintegrationis.

### Die Lunæ 15. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Statutum particulare, ſiue in rem, ſiue in perſonam loquatur, non extendit vires ſuas extra territorium ſtatuentium.*

3 *Hæreditas ius eſt præſcriptibile, ſi ſucceſſor tacuerit, & noluerit ſibi deferri hæreditatem.*

4 *Præſcribitur ius filij adeundi, vel ſeſe immiſcendi in hæreditate patris, ſpatio 30. annorum.*

5 *Filius inſtitutus, ſi intra 30. annos non adiuit hæreditatem patris, poteſt intra 30. alios ab inteſtato adire.*

*Sed ſi ei ſit datus cohæres, ceſſat, n.* 6.

## DECISIO CCCCXCIII.

DIe Lunæ 6. Nouembr. proximè præteriti * fuerat deciſum, Dominam Alphonſinam Balleoniam, vigore ſtatuti Peruſini *lib.* 2. *rubra* 45. *de dotibus, & dotatis mulieribus,* fuiſſe reintegrandam ad bona exiſtentia in ciuitate, & territorio, ſeu diſtricto Peruſino, in hac poſitione, præſuppoſito eodem ſtatuto, & illius reformatione, & aliis quæ hinc, & inde proponebantur, dubitaui, an Alphonſina, & litis conſortes, eiuſdem ſtatuti vigore venirent reintegrandæ quoad bona ſita extra territorium Peruſinum, vel potiùs in illis ſuccederent de iure communi. 1.

* ſuprà dec. 469.

Et quantum ad primam partem dubij, ſine vlla difficultate fuit reſolutum contra Dominicam Alphonſinam, & ratio fuit, quia ſiue ſtatutum * loquatur in rem, ſiue in perſonam, non extendit vires ſuas extra territorium ſtatuentium. Lapus *allegat.* 91. Gozadinus *conſ.* 49. *num.* 2. *& multis ſequent.* Puteus *deciſ.* 351. *lib.* 1. Idem *in epitome deciſ.* 10. *tit. de conſtit.* Thanis *deciſ.* 99. & ita fuit reſolutum in cauſa Romana, ſeu Terracinen. hæreditatis die 10. Februar. ann. 1576. coram R.P.D. meo Blanchetto. 2.

* adde Lud. dec. 255. n. 1. & annot. n. 7. & Dur. deciſ. 31. n. 7. & ſequent. Cocc. dec. 116. n. 2.

Quantum ad ſecundam partem, deciſum fuit, ſibi nocuiſſe præſcriptionem, quia ius, quod in dictis bonis extra territorium ſitis competebat Alphonſinæ, vigore iuris communis, per quod ſucceſſura erat ſimul cum maſculis, *l. maximum vitium, C. de liber. præterit.* proueniebat ex ſucceſſione Gentilis ſui patris, qui obierat anno 1527. à quo tempore, quo delata fuit hæreditas, & vnde ceperat occurrere tempus ad præſcribendum; Doctores *in l. licet,* vbi Alexand. & Baldus *num.* 5. *C. de iure deliberan.* Felinus *in c. de quarta, n.* 22. *in fine, verſ. & ſcias quòd iure adeundi, de præſcript.* Antonius Gomez *in tomo* 1. *variar. reſolut. cap.* 9. *num.* 1. vſque ad tempus motæ litis, elapſi fuerunt pluſquam 60. anni, quibus cùm ſemper tacuerit, præſcripta fuit contra illam omnis actio, & parta poſſeſſoribus bonorum plena ſecuritas. *l. omnes. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum,* maximè cùm omne ius adeundi, ſeu immiſcendi, quod ſibi tanquam filiæ competebat ſpatio 30. * annorum præſcribatur. *l. licet. C. de iure deliberand.* Baldus *tract. de præſcript.* 4. *parte principal. quæſt.* 19. *num.* 4. *verſ. currit autem.* Gabriel. *tit. de præſcript. concluſ.* 9. 3. 4.

* adde Coc. dec. 285. n. 7. Caualer. dec. 595. n. 11. ſed in Eccleſia præſcribitur ſpatio 40. annorum, idem Caualer. dec. 346. n. 2.

Neque poſt elapſum tempus 30. annorum, intra quod ex capite *vnde liberi,* competierat Alphonſinæ facultas adeundi, poterat competere aliud tempus 30. annorum, ex *cap. vnde agnati.* 5. Quia cùm extarent fratres Alphonſinæ, qui ſucceſſerant in totum, ceſſauit aliud caput, *vnde agnati,* ſuccedentibus videlicet fratribus, ex *cap. vnde liberi,* quibus tamen non extantibus, potuiſſet ipſa ſuccedere, ſi ſola remanſiſſet, & non extarent alij in eodem gradu, ex alio capite *vnde agnati,* gloſſ. *in l. vnica, C. quando non peten. partes.*

Azo



Azo *in ſumma, tit. de ſucceſſorio edicto, num.* 3. Gozadinus *conſil.* 56. *num.* 5. Gabriel *tit. de præſcript. concluſ.* 9. *num.* 4. *verſ. ſublimita,* Tobias Nonius *conſ.* 1. *num.* 5. Franciſcus Viuius *opinione* 632. *n.* 7. id quod ſequenti exemplo illuſtrabatur, nam ſi filius fuit inſtitutus hæres in teſtamento patris, nec adiuit hæreditatem per 30. annos, poteſt infra alios 30. adire abinteſtato, vt tradunt Baldus, Angelus, & alij relati per Gabrielium *tit. de præſcript. concluſ.* 8. *num.* 7. Cæterùm, ſi fuit, aut
6. fuerit, ſibi datus cohæres, ceſſat illud aliud tempus 30. annorum, Gozadinus *conſ.* 80. *num.* 6. Gabriel *dicta concluſ.* 8. *num.* 8.

Sed quia multa concurrere videbantur pro excuſanda Alphonſina, ideo Domini particulariter videre voluerint, an ſibi competeret * reſtitutio in integrum, ex *cap. iuſtæ ignorantia.*

* de quo infrà dec. 515.

Ego quoque libenter audirem eandem ſuper eo, an in fratribus, & poſſeſſoribus bonorum controuerſorum adeſſet bona fides ad effectum, vt eſſet locus præſcriptioni.

## Mileuitana bonorum.

### Die 15. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Executio eſt nulla, ſi non præceſſit citatio, & liquidatio bonorum exequendorum.*

## DECISIO CCCCXCIV.

1. AD inſtantiam filiorum, & hæredum quondam Laurentij de Caſſar die Lunæ 4. Decembris ann. 1595. ipſis ſolùm informantibus, propoſita hac cauſa, Domini ordinarunt, quòd viderem, an ex actis tunc tranſportatis verificarentur dicta in deciſione in eadem cauſa coram me facta die 17. Maij 1591. * verùm, quia interim pro parte religionis Sancti Ioannis Hieroſolymitani comparuit quidam ſine mandato, dicens, ſe producturum mandatum, & acceptùrum proceſſum, & allegaturum pro parte religionis, rationes ſuas, quia agebatur de illius intereſſe, ideo toto iſto tempore illo expectato, nec amplius comparente, nec proceſſum de manibus Notarij cauſæ, accipiente, inſtantibus dictis hæredibus, iterum propoſui cauſam, cum informationibus vtriuſque partis, datis dicta die 17. Maij anno 1591.

* ſuprà dec. 149.

Et Domini ſine vlla difficultate ſteterunt in deciſis, per eaſdem rationes, de quibus in dicta deciſione, cuius copia data fuit; aſſerentes, executionem de qua agebatur contra dictos hæ-
2. redes fuiſſe nullam, & inualidam, ex quo non fuerunt citati, * nec præceſſit liquidatio, & propterea dixerunt, cauſam potuiſſe expedire ſuper nullitate dictæ executionis, iuxta terminos prædictæ deciſionis.

* adde ſuprà in d. dec. 149. n. 2. vbi aliàs dec. annot.

## Romana inofficioſæ dotis.

### Die Veneris 19. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Alimenta vt petantur, duo copulatiuè requiruntur, primum quod conſtet de paupertate petentis, ſecundum quod habeat bonum ius petendi.*

2 *Inofficioſæ dotis querela tunc competit, quando legitima non ſit reſeruata filio, ſed omnia bona ſunt data in dotem.*

3 *Inofficioſa dos, vt dicatur, an ſit inſpiciendum tempus conſtitutionis eius, vel mortis patris dotantis, eſt ſub dubio.*

## DECISIO CCCCXCV.

QVod Marcus Antonius Sabellus, qui petebat alimenta, & ſumptus litis ab Illuſtriſſima Domina Iulia Sabella, eſſet filius quondam Illuſtris Chriſtophori Sabelli, non controuertebatur, ſed cùm ad hunc effectum duo copulatiuè requirantur; * primum, quod de paupertate petentis alimenta conſtet, alterum quòd habeat præſumptionem boni iuris, Creſcentius *deciſ.* 233. Pontanus *tract. de alimentis, cap.* 13. *n.* 6. Afflictus *deciſ.* 11. Molina *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 39. *de Hiſpanor. primog.* 1.

* adde Lud. dec. 189. n. 1. & latè annota. n. 7. & dec. 524. n. 2. & dec. 580. n. 6. Caualer dec. 467. n. 1. & dec. 554. n. 1. & aliàs ſæpe.

De tali boni iuris præſumptione, ex his quæ proponebantur, non videbatur conſtare; cùm enim hæc inofficioſæ dotis querela tunc competat, quando omnia bona fuiſſent in dotem data, ita vt filio legitima non fuerit reſeruata, * vel minus fuerit reſeruatum, quàm eſſet pro ſua legitima habiturus. *l. vnica,* vbi Baldus, Salicetus, & alij, *C. de inofficioſ. dot.* Palacius Rubeus *in c. per veſtras, notab.* 3. *§.* 22. *n.* 11. *de donat. inter virum, & vxorem;* informantes pro Marco Antonio non probauerunt, an D. Chriſtophorus pater omnia bona ſua D. Iuliæ filiæ in dotem dederit, vel quòd tot bona dederit, vt nec legitima, vel minus quàm legitima pro filio remanſerit. 2.

* adde Boerium deciſ. 201. n. 5.

Imò ex quo, de anno 1578. auctoritate Rotæ fuit D. Iuliæ dos aſſignata, videbatur ceſſare præſumptio boni iuris, cùm aſſignata cenſeretur iuxta legitimam, quæ tunc poterat competere; licèt poſtea D. Chriſtophorus, ſine facultatibus mortuus fuerit; quamuis dubium ſit inter Doctores, ad hoc vt dos dicatur inofficioſa; an inſpici debeat tempus conſtitutæ dotis, vel mortis patris dotantis. Afflictus *dec.* 86. Vincentius de Franchis *dec.* 104. Antonius Gomezius *l.* 29. *Tauri,* Angulus *de meliorationibus l.* 7. *gloſſ.* 2. *n.* 6. 3.

Concluſum ergo fuit, D. Marco Antonio non deberi alimenta, & ſumptus litis; quia pro eius parte non erant probata requiſita, vt ea legitimè ſubminiſtrare poſſent.

## Calagurritana dimidiæ portionis de Victoria.

### Die Veneris 19. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Præſentatus à maiore parte Patronorum, eſt præferendus.*

2 Dictio,

2 *Dictio,* ſtatim, *excludit temporis moram, & interuallum.*

3 *Beneficium non habens, præferendus eſt habenti.*

*& inſpiciendum eſt ad hunc effectum, tempus inſtitutionis, & non præſentationis, num.4.*

5 *Beneficium ſimplex, vt quis obtineat de iure, non requiritur beneficiatum habere maiorem habilitatem, quàm requiſitam ad ſacerdotium.*

6 *Sacerdos tenetur ſcire legere, conſtruere, & cantare.*

7 *Statutum ſi non diſponit aliquid ſpecificum, regulandum eſt, ſecundùm iuris communis diſpoſitionem.*

## DECISIO CCCCXCVI.

1. PRopoſita cauſa, vtraque parte informante, Domini cenſuerunt, Ioannem de Ayo fuiſſe inſtituendum ex ſequentibus, primò, quia fuerat præſentatus à maiori parte, * Abbas *in cap. 3. num.13. de iurepatronat.* Lambert. *de iurepatron. 27. art. 1. quæſt. princip. part. 2. lib. 1.* Rochus de Curte, qui teſtatur de communi, *eod. tract. in verb. ipſe vel is, num. 6.*

*adde Dur. dec.87.n.11. & 199. n. 1. Rota recen. p.2.dec.202. n.1. quod extende etiam ſi præſentatus à minori parte habeat maiores qualitates, vt per Dur. dec.94. n.8.& 9.

Rurſus, quoniam conſtitutione diœceſis Calagurritanæ cauebatur, vt ſtatim † fieret collatio beneficij, præſentato à maiori parte, & illi dandam poſſeſſionem, ſaluo iure illorum, qui à minori parte præſentantur, ponderando dictionem, *ſtatim,* * quæ excludit temporis moram,
2. & interuallum. *l. ædiles. §. ſciendum ff. de ædil. edicto, l. non ſolum. §. fin. C. de bonis, quæ liber. cap. prudentiam. §. ſexta, de offic. deleg.* Socinus ſenior *conſ. 66. num. 16. lib. 1.*

† Ab hoc motiuo ſiue receſſum infrà dec.1087. præcipuè n. 14.

Poſtremò, quia (vt præſupponebatur) tempore præſentationis, Ioannes Baptiſta Beſſaue obtinebat aliud beneficium, & modò quoque di-
3. cebatur ſufficiens beneficium habere, & Ioannes de Ayo, neque de dicto tempore, neque de præſenti, aliud habebat, vnde veniebat præferendus. *cap. is cui, de præbend. lib. 6.* Rota *deciſione 26. num. 2. eodem tit. in nouis;* quod ſæpe Rota diffiniuit; vt in illa Calagurritana de Abuſexo die 20. Februar. 1587. coram R.P.D. meo Decano, † & in alia Calagurritana de Lanſon coram R. P. D. meo Blanchetto die 27. Maij 1585. & nouiſſimè in vna Burgen. beneficij de Portugalete * die 27. Nouembris 1595. coram R. P. D. meo Pamphilio, ex his enim deciſionibus conſtabat non habentem beneficium, † habenti eſſe præferendum.

*adde Ricciū in praxi rerum fori Eccleſiaſtici titulo de ſacra. Ordinis dec.308.n.2.

† in impreſſis Seraphini dec.767.

* relata & impreſſa per Garc. de ben. 7.p.c.1.num. 168.

† adde Ser. dec.774.n 3. & fuit dictū coram me in proceſſu cōmiſſionis Apoſtolicæ præſentationis Magiſtri Dominici, Ruiz & Franciſci Chinique ad beneficium S. Pauli de anno 1644.

Quibus non refragabatur, quòd tempore quo iſti fuerunt præſentati, Ioan. Beſſaue poſſidebat tenue beneficium, & propterea eo tempore conſiderato, illum fore inſtituendum, quoniam fuit dictum, inſpiciendum tempus præſens, quo beneficium erat adiudicandum, quo inſpecto, cùm Ioannes Beſſaue haberet ſufficiens beneficium, Ioanni Ayo aliud non habenti erat inſtitutio facienda, ex rationibus, & deciſionibus ſupradictis.

Poſtremò non obſtabat Ioanni de Ayo, relatio examinatorum, & conſtitutio Eccleſiarum
4. de Victoria, quaſi Beſſaue eſſet tanquam magis habilis inſtituendus, ex quo de ipſo examinatores ita retulerunt, *Beſſaue bene legit, ſufficienter conſtruit, & intelligit, & in ſacra Theologia, mediocriter ſe habuit;* de Ioanne autem de Ayo retulerunt ita: *bene legit, mediocriter conſtituit & intelligit, parum cantat,* & conſtitutio ait, habiliores, & ſufficientiores ſcientia, moribus, & vita eſſe præferendos.

Quia reſpondebatur, quòd præterquam quòd 5.
ex iſta relatione non apparebat de eximia ſcientia Ioannis de Beſſaue, conſtitutio non iubebat ſimpliciter, admittendum magis litteratum, ſed coniunctim addebat, de moribus, & vita, quæ poterant in Ioanne de Ayo elucere; præſertim cùm tempore præſentationis ipſe eſſet Sacerdos, & ageretur etiam de ſimplici beneficio, ad quod de iure obtinendum non requiruntur maiores habilitates, * quàm ad Sacerdotium; Sacerdos autem quatenus Sacerdos, ſolum eſt obligatus ſcire legere, conſtruere, & cantare, gloſſ. *in Clement. 1. de conceſſ. præbend. in verb. reputamus,* quem ſequuntur, *ibidem* Zabarella, Abbas, & Imola, & Nauarrus *in manuali confeſſarior. cap. 25. num. 133. verſ. porrò Sacerdos.*

*adde Rotā diu. p.2. dec. 16. & fuit dictum in d. Burgen. benefic. de Portugalete coram Pamph. relata per Garc. 7.p.c.1. n.168.

Denique dicebatur, quòd cùm conſtitutio non diſponeret, magis idoneum ſcientia eſſe præſentandum, etiamſi haberet aliud benefi- 6.
cium, ideo regulanda videbatur, ſecundùm iu- 7.
ris communis diſpoſitionem.* *l. commodiſſimè. ff. de liberis & poſthum.* Purpurat. *conſ. 234. num. 2.* & propterea ob conſtitutionem, non eſſe recedendum à ſupradictis rationibus, & deciſionibus, diſponentibus ne conferatur beneficium habenti in concurſu non habentis.

*adde ſuprà dec.456.n.9. vbi aliàs dec. annotaui, & infrà decif. 639.n.10.

---

### *Terdonen. ſeparationis thori.*

### Die Mercurij 24. Iaauarij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Sequeſtro locus eſt pendente lite inter maritum, & vxorem ſuper ſeparatione thori.*

2 *Vxor lite pendente, ſi vir odio illam proſequatur, committenda eſt alicui probæ mulieri, vſque ad cauſæ concluſionem.*

*vel in aliquo monaſterio ſequeſtranda, n. 3.*

4 *Sequeſtrum mulieris debet fieri ad finem aſſecurandi violentiam mariti.*

5 *Monaſterium Monialium tutiſſimus eſt locus pro ſequeſtro facto mulieris, per violentiam viri.*

## DECISIO CCCCXCVII.

PRopoſito dubio, * an pendente lite inter maritum, & vxorem ſuper ſeparatione cohabitationis, poſſet vxor de iure ſequeſtrari apud honeſtas matronas, ad effectum de quo agebatur, Rota reſpondit, de iure eſſe locum ſequeſtro, tam apud honeſtas matronas, quàm apud monaſterium; licèt ex circunſtantiis huius cauſæ magis placuiſſet, reponi Claudiam in aliquo Monaſterio. 1.

* ſuprà dec. 439. & habetur hæc deciſio impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſil. deciſ. 131. quæ malè anntatur de ann. 1599.

2. Quamuis enim text. *in cap. ex tranſmiſſa, de reſtit. ſpoliat.* dicat, vxorem lite pendente, ſi vir odio illam proſequatur, alicui probæ, & honeſtæ mulieri eſſe committendam, vſque ad cauſæ deciſionem, vt illam ſtudioſè cuſtodiat, non tamen conſtituit, ne poſſit in aliquo etiam Monaſterio ſequeſtrari.





3. Cùm enim finis legiſlatoris fuerit prouidere de loco tuto, ne interim mulier aliquam violentiam, aut damnum patiatur, propterea Canoniſtæ *in dicto cap. ex tranſmiſſa,* vbi Antonius de Butrio, *num. 9.* & Abbas *num. 4.* ſequeſtrationem in aliquo religioſo loco fieri poſſe cenſuerunt, quòd ipſum voluerunt Doctores iuxta
4. terminos, *cap. cùm locum, de ſponſalib.* vbi Abbas *num. 5.* & Rota in multis cauſis ſequeſtrari mulieres in Monaſteriis * decreuit, quia cùm Auditores vtplurimum non habeant certam notitiam matronarum particularium, apud quas commorari decenter mulieres cum viris litigantes poſſint, nullum tutiorem modum, ſeu locum, quàm Monaſterium † religioſarum, quæ verè honeſtæ matronæ dici poſſunt, inueniri poſſe arbitrantur, quod in hoc caſu obſeruari placuit, quo faciliùs cauſa expediri poſſet, & ſententia executioni demandari, ſicut deciſum fuerat in hac eadem cauſa die 10. Aprilis ann. 1595. *

*adde Duran. dec.262. n. 2. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. licèt annotet de anno 1599.

† adde infrà dec.665.n.4.

* ſuprà dec. 439.

Additum tamen fuit tunc, non fuiſſe in Monaſterio Claudiam reponendam, ſi aliqua eius infirmitas legitimè probaretur.

---

### *Calagurritana beneficij de Arriola.*

### Die Mercurij 24. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Gratia conceſſa cum ampliſſimis clauſulis, & cum clauſula,* non obſtantibus, *ſubſiſtit, etiamſi contrarium diſponatur in aliquo motu proprio ſub dubio.*

2 *Clauſula,* derogatoriarum derogatoriis *cum clauſula,* non obſtantibus, *habet vim ſpecialis derogationis.*

3 *Derogationis ſpecialis vim habet clauſula,* quorum tenores, *&c.*

## DECISIO CCCCXCVIII.

1. PRæſuppoſito dubio, an motus proprius fel. record. Sixti V. obſtaret gratiæ Petri Ruiz, vna tantùm parte informante, Rota reſpondit, non obſtare, quia motus proprius non comprehendebat, nec annullabat prouiſiones à Papa factas, cùm in eo diceretur de prouiſionibus per nos factis, imò neque de Apoſtolicis, vt tenuit Rota in vna Romana * Caſalis die 23. Octobr. 1574. coram Reuerendiſſimo Reboſtorio.

* habetur p.1.dec.106. in impreſſis verſ. hoc art. vide Ludou. deciſ.109.n. 10.&4.& habetur in rec. p.2.dec.87.

Aderant præterea in gratiam Petri, ampliſſimæ clauſulæ, quibus derogabatur quibuſuis indultis, & litteris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum † derogatoriis, cum clauſula, *non obſtantibus,* Federicus de Senis *conſil. 47. num. 1. verſ. & hoc intelligo.* Socinus ſenior *conſil. 3. num. 10. lib. 3.* Pariſius *conſil. 1. num. 92. lib. 2.* Crauetta *conſil. 176. num. 6.* & fuit deciſum in cauſa Conchen. exemptionis decimarum die 12. Martij 1589. coram R. P. D. meo Orano: item cum clauſula, *quorum tenores,* quæ habet vim ſpecialis derogationis.* Anton. de Butrio *conſ. 2. in fin.*

* adde Lud. dec.240.n.2. & 21. Seraph. dec.291.n.9. Rotam rec. p.1.dec.466. n. 5. & 506. n.5. noſtrum doctiſſimum Seſſe dec.93. n. 15. & ſequent. præcipuè n.21.

---

### *Verdunen. expenſarum.*

### Die 31. Ianuarij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Principaliter quod agitur in quocumque actu, debet conſiderari, non quod incidenter.*

2 *Expenſæ factæ in lite, pro defenſione Epiſcopatus, de fructibus eius ſunt ſoluendæ, ſecus ſi incidenter defendatur ius eius, & n.6.7.*

3 *Expenſæ factæ ad vtilitatem plurium, per omnes reſpectiuè ſunt ſoluendæ.*

4 *Negotium ſi eſt commune totius Eccleſiæ, omnes tenentur ſoluere expenſas in illo factas.*

5 *Expenſæ ſi ſint factæ ab Eccleſia, ob vtilitatem priuatam habentis dignitatem, tenebitur iſte ad ſolutionem illarum.*

8 *Expenſæ ſunt ſoluendæ de bonis Eccleſiæ, ſi lis moueatur ſuper eius ſtatu.*

9 *Tutor malus vt remoueatur, debet fieri expenſis pupillis, ſi lis moueatur.*

## DECISIO CCCCXCIX.

HAnc cauſam propoſui die 11. Decembris 1595. & die 29. Ianuarij, & non fuit capta reſolutio; ſed die 31. eiuſdem iterum propoſita; Domini ſteterunt in deciſis coram R. P. D. meo Decano ſub die 21. Octobr. 1594. * videlicet, expenſas de quibus agebatur, non deberi domino Ioanni Ramburuiller de bonis Epiſcopatus Virdunenſis: cùm enim in quocumque actu debeat conſiderari id, quod principaliter agitur, non autem id quod venit incidenter, *l. ſi quis nec cauſam. ff. ſi cert. pet. l. ſed ſi quæcumque, in fine. ff. ad legem Aquil. l. qui iniuriæ. §. 1. ff. de furtis.* ideo in hac cauſa videndum, an Capitulum Eccleſiæ Virdunen. fecerat expenſas, gerendo negotium Epiſcopatus, idque fuerit principaliter actum, vt declarat Baldus *in cap. vt præteritæ,* ante *num. 2. verſ. item quia negotium, de elect.* vbi Antonius de Butrio *num. 6. verſ. ſi non eſt conſuetudo.* 1.

* in impreſſ. Seraph. dec. 1090.

Quid autem in hac lite principaliter actum 2.
fuerit, articulus controuerſus, & proceſſus litis indicabant: Capitulum enim prætendebat, Sede Epiſcopali vacante, ad ſe, non ad Romanum Pontificem pertinere ius eligendi Epiſcopum, quod ipſum nitebatur oſtendere Ioannes à Capitulo electus, vnde cùm vterque principaliter ageret de iuribus ſuis, & non communem, ſed 3.
propriam * cauſam proſequeretur, propterea illæ ad ipſos ſpectabant, nec erant ſoluendæ de bonis Epiſcopatus. Hoſtienſis *in ſumma tit. de elect. §. quid iuris, de expenſis,* Innocentius *in cap. ex parte, de excuſat.* vbi Ioannes de Anania *num. 2.* maximè cùm quiſque teneatur ad refectionem expenſarum ad ſuam priuatam vtilitatem factarum, Bellamera *in dicto cap. vt præteritæ, num. 2. verſ. tertiò nota.* & *ibidem* Ancharanus *num. 4.* 4.
ſicut quando negotium eſt commune * ad totam Eccleſiam pertinens, omnes contribuere in expenſis debent, & ſi principaliter pertineat ad aliquam dignitatem habentem bona diſcreta & ſeparata, illa tantùm ad onus expenſarum 5.
tenentur. gloſſ. *in cap. cupientes. §. ad hæc, in verb. diſcreta, de elect. lib. 6.*

* de hoc art. vide Ludou. dec.263. per totā vbi annotatio n. 7. & 8. plures allegat. dec.

* adde Cau. dec.402.n.1.

Hac diſtinctione conſtituta textus *in d. cap. vt præterita*, non poterat huic themati applicari, quia non loquitur quando tractatur principaliter negotium Capituli, nec controuertitur ibi, an ius eligendi pertineret ad Capitulum, vel ad Papam (vt in caſu propoſito;) ſed præſupponebatur pro conſtanti, quòd electio pertineret ad
6. Capitulum, & agebatur tantùm de effectuanda electione Prælati, & ſic, cùm principaliter ageretur de intereſſe Prælati, & Epiſcopatus propterea meritò expenſæ erant reſpiciendæ de bonis Epiſcopatus,& propter hanc rationem tenent *ibidem* Canoniſtæ, videlicet gloſſ. *in verb. expenſæ.* & Abbas *notab.* 1. Ancharanus *num.* 4. & Baldus *num.1.in fine*, onus expenſarum pertinere ad Patriarchatum.

7. Et eodem modo reſpondebatur ad notata per Doctores *in d.c. cupientes.§. ad hæc,de electione lib. 6.* vbi ſilente omni controuerſia ſuper iure eligendi, an pertineret ad Capitulum, ſolùm agebatur de negotio electionis, & confirmationis, ideoque diffinitum, expenſas à Prælatura fuiſſe reficiendas.

Angelus *conſil.* 245. & cæteri Doctores adducti per informantes pro Ioanne, contra deciſionem, ad probandum, quòd etiam quando ipſemet electus, de conſenſu totius Capituli agit cauſam Epiſcopatus, teneatur ad refectionem expenſarum,cùm loquerentur iuxta terminos ſupradictos, nempe quando agebatur principaliter negotium Epiſcopatus,nec ſuadebant, recedendum à deciſis, nec deſeruiebant deſiderio Ioannis, qui ſicut,& Capitulum ipſum cauſam propriam, & iura propria, & priuata commoda fuerat proſecutus.

8. Et ex ſupradictis etiam tollebantur cætera cumulata per informantes pro Ioanne; quibus nitebantur oſtendere, litem fuiſſe tractatam ſuper elucidatione ſtatus Eccleſiæ, & conſequenter de eius bonis fuiſſe reficiendas expenſas,iuxta doctrinam Geminiani *conſil.* 55. *num.*4. cuius doctrina procedit, quando principaliter agitur de intereſſe Eccleſiæ;hîc autem clarum erat,tam Capitulum, quàm Ioannem principaliter egiſſe pro iuribus, & commodis ſuis, & ſimiliter non obſtare conſilium Cephali 762.*n.*31.cùm loquatur iuxta terminos dicti *c. vt præteritæ,de elect.*

Ad ſimile deſumptum ex Bartolo *in l. 2. n. 5. C.de negot. geſtis*, & Paulo de Caſtro *in l. fin.§. in computatione, C.de iure deliberand.* & aliis in eandem ſententiam allegatis, dicentibus expenſis pupilli fieri debere litem, ad remouendum malum tutorem, & ſimiliter, expenſis Epiſcopatus peragi debuiſſe hanc cauſam,in qua tractabatur de defendendo Epiſcopo electo,& de remouendo alio,reſpondebatur,hunc caſum illi fuiſſe valdè diſſimilem, quoniam in priori illo negotium pupilli principaliter agebatur, & ideo oportuit illis expenſis litigare, in hoc autem (vt ſuprà dictum fuit) principaliter tractabatur negotium Capituli, & Ioannis à Capitulo electi, qui vt ſuam electionem ſuſtineret, conabatur infringere ius conferendi Sedis Apoſtolicæ, & electum à Papa remouere.

Atque hinc præterea inferebatur, Ioannem non potuiſſe conſequi has expenſas,vel ab Epiſcopatu, vel ab Epiſcopo, actione negotiorum geſtorum;quia reuera non geſſerat negotium illorum,ſed proprium,& Capituli.

Denique durum Dominis videtur, victum, qui ſolet ad expenſas in lite factas condemnari, velle conſequi expenſas de cauſa, in qua de iure ſuccubuit.

---

## *Bononien. fideicommiſſi de Felicinis.*

### Die Veneris 16. Februarij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Identitas bonorum deſumitur ex inuentario,in quo adſunt ſcripta talia bona.*

3 *Probatio identitatis prædij fit, ſi ſub eiſdem confinibus inueniatur quibus fuit deſcriptum prædium in inuentario à teſtatore facto.*

4 *Prædij identitas probatur, ſi teſtes deponant de eiuſdem confinibus,de quibus in inuentario.*

6 *Mutatio aliqua prædij licèt mutetur, non tamen perit identitas, ſi eadem confinia, & qualitates reperiantur.*

7 *Bonorum identitas deſumitur ex inuentario, in quo adſunt ſcripta talia bona.*

## DECISIO D.

PRæſuppoſito fideicommiſſo quondam Lactantij de Felicinis, inducto per ipſum in te- 1.
ſtamento condito de anno 1544.

Et inuentario bonorum eiuſdem Lactantij eodem anno facto per Iulium,& Herculem Lactantij Fratres, in quo fuerat deſcriptum quoddam prædium tornaturarum circiter M. DCC. cum pluribus domibus, & caſina, & aliis ſuper extantibus, ſitum in communi Bariſellæ,in loco dicto *la Chiauiche delli Felizini*, iuxta flumen Sapinæ, via mediante, iuxta bona Alexandri de Cathaneis, & bona hæredum Vincentij de Saſſuno.

Præſuppoſito item teſtamento dicti q. Herculis de anno 1593. in quo in omnibus poſſeſſionibus,pratis, & vallibus, Bariſellæ, Corneolæ,Bagnarolæ,& aliorum locorum, hæredes ſibi inſtituerat Portiam vxorem, & Ludouicam, & Martiam eius filias, & quibuſdam aliis in floto concordatis, dubitaui, an ſemper conſtaret de identitate prædij vulgariter nuncupati *le poſſeſſione de la Bariſella.* ad effectum, quòd ſi prædium dictum eſſet comprehenſum in fideicommiſſo, illud Domini de Felicinis agentibus contra D. Martiam de Felicinis, & litis conſortes reſtitueretur.

Et vtraque parte informante,Rota cenſuit ex deductis, pro Felicinis ſufficienter de identita-
te conſtare,primum, quia erat deſcriptum in in- 2.
uentario * bonorum Lactantij per eius hæredes facto;vnde deſumitur ſufficiens identitatis probatio. Pariſius *conſ.*45. *num.*20. *lib.*2. Marzarius *in epitome de fideicommiſſ. quæſt.* 54. ſufficit enim
oſtendere ad probandam identitatem*prædium 3.
fuiſſe poſitum ſub eiſdem confinibus, & ſitibus, quibus fuit deſcriptum in inuentario bonorum teſtatoris facto ab eius hæredibus. Natta *conſil.* 235. *num.* 15. *lib.* 2. Vnde cùm in inuentario ab Hercule facto, deſcriberetur prædium de la Bariſella, per Martiam, & litis conſortes Herculis hæredum poſſeſſum, non erat dubium quin Inuentarium probaret contra ipſas, maximè cùm
4. teſtes conſentirent cum inuentario, deponentes de confinibus,* ſaltem duobus. quibus probatis cenſetur probata identitas,† *l.forma,*vbi gloſſ *ff. de cenſibus*,Bartolus & communiter Doctores, *in l.demonſtratio falſa.ff.de condit.& demonſtrat.* Corneus *conſ.*134.*n.*8.*lib.*3.

* adde infrà dec.516.n.3. & dec. 664. n.2.& 5.

* adde Lud. dec.575.n.8. & infrà dec. 516.

* adde Rotã rec.p.2. dec. 407. n. 2. & ſuprà deciſ. 173.n.2.& 3.

† Seraph.deciſ.462. n.2. Durand. dec. 325.n.1.Coc. dec 120.n.5. & 184.n.1.& 2.& dec.231. n.1. & deciſ. 270.n.5.

Has verò duas demonſtrationes, nempe iuxta bona illorum de Cataneis, & bona hæredum Vincentij de Saſſunò probaſſe Felicinos, exploratum erat ex dictis teſtium,nam quartus, quintus, & duodecimus probauerant vnum prædij confine, iuxta bona Vincentij de Saſſuno; quamuis enim teſtificarentur, ſitum prædij de la Bariſella iuxta bona Dominorum de Ludouiſiis, non deponebant de diuerſo ſitu, cùm ex quodam inſtrumento inueſtituræ conſtaret, Ludouiſios fuiſſe inueſtitos de eiſdem bonis, ſeu terris, quas poſſederant hæredes illi de Saſſuno.

5. Sed nec identitas huius prædij cenſebatur minus legitimè probata ex eo, quòd nunc reperiretur * diſtinctum in tres poſſeſſiones, ſeu tria prædia, quod cùm commodioris culturæ gratia ab Hercule, Lactantij hærede, factum fuiſſet, non induxerat diuerſitatem in totius prædij corpore. *l.locus ff.de verbor. ſignif.* & præſertim in hoc caſu, vbi dictarum trium poſſeſſionum demonſtrabatur contiguitas, ſeu connexitas, cùm vna ſuperior, altera inferior, tertia poſſeſſio de medio diceretur; quamuis enim prædicta confinia ſingulis iſtis poſſeſſionibus diuiſis non conuenirent, optimè tamen applicabantur eiſdem poſſeſſionibus, * vnicum prædium conficientibus, vt declarabat quintus teſtis; Martia quoque, & litis conſortes in reſponſione ad poſitiones fatebantur, ſitum earum in loco, ſeu villa della Bariſella, & intra limites prædictos. Vnde conſurgebat ſufficiens probatio contra ipſas. Crauetta *conſil.* 217. *num.*9. Quamuis enim in prædiis pro-
6. betur aliqua mutatio, non tamen perit identitas, ſi eadem confinia, * & qualitas remaneant. Bartol. *in d.l.demonſtratio falſa,circa finem.* Natta *dicto conſ.*235.*num.*15.*lib.*2.

* adde infrà dec.664 n.4.

* adde Dur. dec.325.n.6. & deciſ.344. n.1.& 2.

* adde Seraphin. dec. 407.n.1.& 3. Coccin. dec. 120. num.5. verſ.non obſtat; etiamſi vnum confine ſolũ probetur, idem Coccin. dec. 218.n.3.

Eandem etiam identitatem coadiuuabant qualitates prædij deſcriptæ in inuentario, illis ſimiles, quas habebat prædium della Bariſella; erant enim in eo terræ laboratiuæ, arboratæ, & valliuæ, cum pluribus domibus, & caſina. Corneus *conſ.*61.*num.*19.& *conſ.*180.*n.*5.*lib.*3. Tobias Nonius *conſ.*2.*n.*60.

7. Cùm itaque conuenirent, locus, nomen, & aliæ qualitates, & præſertim, caſina, & confinia in inuentario deſcripta, quæ omnia præterea optimè probabant teſtes per Martiam examinati, concluſum fuit, ſufficienter identitatem fuiſſe probatam.

---

## *Romana hæreditatis de Stoch.*

### Die Veneris 16. Februarij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Stipulatio præſumitur, ſi ex chirographo fiat relatio rei ſtipulatæ.*

3 *Tranſactionis pars dicitur pactum appoſitum in concordia.*

4 *Referens aliquid incertum in chirographo, non probat,niſi conſtet de relato.*

5 *Tranſactio vt aliquid operetur, debet de illa ſpecificè conſtare, cum omnibus ſuis qualitatibus, & circunſtantijs.*

6 *Concordiæ contraueniens, & illam impugnans, priuatur commodo illius.*

7 *Tranſactio vt valida ſit, complementum requirit, & non contrauentionem.*

## DECISIO DI.

PEtebat Petrus Camp cauſæ expeditionem 1.
ad ſuum fauorem, quam Margarita de Blanchis impedire conabatur, propter quandam tranſactionem, quam probare nitebatur per chirographum, in actis productum, & manu Petri ſubſcriptum die 27. Aprilis ann. 1590. in quo Petrus confitebatur, ſe recepiſſe ſcuta CVII. ab Angelo Corſeto, curatore Troiani Stoch, ad bonum computum ſummæ ſcutorum DCCC. contentæ *nel accordo conceputo*, inter Petrum, & ipſos Angelum, & Troianum ſuper lite in Rota pendente in cauſa Romana hæreditatis de Stoch, dicebatur præterea in dicto chirographo, *quale ſcudi* 107. *Saranno compreſi (quando ſi ſtipulara tra noi l'acordo) in detta ſomma, ei ſcudi* 800. *quali conforme à detto acordo miſeranno pagati in contanti, & queſto, ſenza pregiudicio del reſto, di detta ſomma di ſcudi* 800. *& altra ſomma de denari, & patti in detto accordo ſpecificati.*

Vnde, dato dubio, an conſtaret de tranſa- 2.
ctione, ad effectum de quo agebatur, Domini negatiuè reſponderunt; quia licèt ex dicto chirographo probaretur concordia, & tranſactio, & præſertim ex illis verbis, *nel accordo conceputo*, quibus indicabatur tranſactio completa, *l. ſtipulatio hoc modo concepta ff. de verbor. obligat. l. ſi tibi. §. pactum conuentum. ff.de pactis.* Decius *conſil.* 340. *num.* 3. Puteus *deciſ.* 43. *lib.*3.

Nihilominus tamen, in caſu propoſito non poterat dici conſtare de tranſactione, quæ ob-
ſtaret Petro, quia cùm pacta appoſita in tranſ- 3.
actione,intelligantur eſſe pars ipſius tranſactionis, *l.fundi partem. ff de contrahen.empt.* Et ex chirographo prædicto non conſtaret de pactis in tranſactione appoſitis, ideo non poterat talis tranſactio in chirographo enunciata obeſſe Pe-
tro:nam quando referens eſt incertum,non pro- 4.
bat niſi conſtet de relato. Felinus & alij *in cap.2. de reſcript.* Pariſius *conſil.*133. *num.*5. *lib.*4. Berous *conſil.* 87. *num.* 11. *lib.* 2. ad hoc enim vt concordia, ſeu tranſactio aliquid operetur, de-
bet de illa ſpecificè conſtare cum omnibus ſuis 5.
qualitatibus, * & circunſtantiis. Corneus *conſil.* 153.*num.*4.*lib.*4. Crauetta *conſ.*193.*n.*8. Pedemontani *deciſ.*176.*num.*4.

* adde ſuprà dec.449.n.5. vbi alias dec. annotaui.

Præterea non docebatur aliqua concordia ſtipulata,& effectiuata,& tamen in chirographo ſtipulanda enunciabatur.

Denique dicebant Domini,quòd licèt ex chi- 6.
rographo eſſet probata concordia cum ſuis qualitatibus, adhuc Petro non nocuiſſet, nec Margaritæ ſuffragabatur, ex quò, Margaritæ auctor proſequendo litem, & impugnando donatio-

nem, cuius intuitu fuerat tractata concordia, contrauenerat, & ab illius commodo ceciderat. * *l.cùm proponas la 2.C.de pactis. l.ſi quis maior.C. de tranſact.* Gratus *conſ.*52.*num.*1.*lib.*1. tranſactio enim vt valida ſit, complementum requirit, non contrauentionem, Verall.*dec.*316.*&* 317.*p.*3.

*adde Seraphin. dec. 274.n.2.Rotam diu.p.1. dec.15.n.1.

7.

## *Neapolitana legitimitatis.*

### Die Veneris 1. Martij 1596.

### DECISIO DII.

DIe Lunæ 12.Februarij, proximè præteriti, ordinarunt Domini, quòd expedirem cauſam ad fauorem Iſabellæ Ianez, niſi pro parte Leonoræ aliquid releuans deduceretur, & quia toto hoc tempore nullus comparuit, qui aliquid deduceret, quod cauſæ expeditionem potuiſſet impedire, & pro parte Iſabellæ firma conſiſteret deciſio facta coram R. P. D. meo Cordoua ſub die 2.Iunij ann. 1595. ideo iuſſerunt Domini, vt cauſam expedirem ad inſtantiam prædictæ Iſabellæ.

## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 4. Martij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Fideicommiſſum poteſt fieri in vno teſtamento, per relationem ad aliud teſtamentum, in quo illud fuerat conſtitutum.*
*& vocatus poteſt impedire prætendentem ſibi deberi rem fideicommiſſo ſubiectam, n.*3.

4.5 *Poſſeſſio rei fideicommiſſo ſubiecta, danda eſt ei qui titulum clarum oſtendit.*

6 *Fideicommiſſario particulari ſtatim eſt reſtituenda res, tali fideicommiſſo ſubiecta.*

7 *Clauſula,* omni meliori modo, *operatur, partem intentare omne, & quodcumque remedium, ſibi magis proficuum.*

8 *Via executiua impeditur per allegationem paris tituli, & reducitur proceſſus ad iudicium ordinarium.*
*quod intellige ſi titulus procedat ab eodem fonte, ſeu cauſa, vel perſona, n.*9.

10 *Dominium in Saluiano interdicto, non eſt neceſſariò probandum, ſed ſufficit probare poſſeſſionem illius, cui ſucceditur.*

### DECISIO DIII.

1\. Hanc deciſionem inuenies in impreſſis Farinacij dec.36. p.1.
* ſuprà dec. 486.

QVoniam informantes pro Antonio Naro prætendebant, illum fuiſſe grauatum ob deciſionem factam die 11. Decembr. 1595. * in qua fuerat dictum, Franciſcum Narum immittendum in poſſeſſionem medietatis caſalis de Montemeliore, & ad illam impediendam, excitauerant plures difficultates, ideo iterum cauſa propoſita ſuper eiſdem die 19. Februarij proximè præteriti, qua die fuit dilata ad piſces, & iterum die 4. Martij, vtraque parte informante, Domini conformiter cenſuerunt, non fuiſſe
2\. recedendum à deciſis; quia licèt verum ſit, fideicommiſſum fieri poſſe in vno teſtamento per relationem ad aliud teſtamentum, * in quo illud fuerit conſtitutum, Socinus iunior *conſil.*75.*lib.*3. Iaſon *conſil.*141.*num.*32.*lib.*2. Alexander *conſil.*201.*num.*20.*lib.*6. & propterea vocatum ad tale fideicommiſſum poſſe impedire alium, prætendentem ſibi deberi rem fideicommiſſo ſubiectam, & præſertim, quando actu reperitur poſſidere rem, ſuper qua eſt controuerſia, hoc tamen procedit, quando clarè conſtat de fideicommiſſo, * vel ſaltem in continenti poteſt de illo conſtare, ſecus autem eſt, ſi altiorem requirit indaginem, † conſiſtentem in diſputatione articulorum iuris, & perplexis difficultatibus, tunc enim omiſſa tali indagine, ei datur rei poſſeſſio, qui clarum titulum oſtendit. Decius *conſ.* 424. *num.* 19. cum aliis in prædicta deciſione allegatis.

*adde ſuprà d.deciſ.486. n.7.& ſeq.

3.

*adde Cau. dec.534.n.1.
† adde Dur. deciſ.39.n.6. & Rotã rec. p.2.dec.477. n.7.

4.

Vnde, cùm fideicommiſſum contentum in teſtamento Lucij Martij de Naris, cuius vigore prætendebat Antonius retinere medietatem caſalis, eſſet turbidum, * & ſuper eo eſſent diſcutiendæ multæ difficultates in deciſione indicatæ, & Franciſcus peteret eandem caſalis medietatem vigore teſtamenti Hieronymi, cui nullum vitium opponebatur, ideo de iure non poterat Franciſco immiſſio † denegari. 5.

*adde Rotã rec.p.2. dec. 477. n. 5. & infrà deciſ. 1347.n.2.

† adde ſuprà d. deciſ.486. n.20.& 21.& Seraph. dec. 271. n. 1. & Rotam diu. p.1.dec.103.

Et ex his tollebatur prima, & potiſſima obiectio, quæ denuo opponebatur, ad impediendam immiſſionem: quia Antonius non oſtendebat clarum, & euidens fideicommiſſum reciprocum ad ſuum fauorem, neque in continenti poterat illud probare.

Rurſus, non obſtabat dicere, quòd Franciſco non competebat remedium * *l. fin. C. de edicto Diui Adriani tollend.* ex quo erat fideicommiſſarius particularis, & ſibi non erat facta reſtitutio re, nec verbo, quia omiſſa illa inſpectione, an eſſet fideicommiſſarius particularis nec ne, non erat verum in facto, ipſum intentaſſe ſolùm remedium dictæ *l. fin.* cùm ex libello porrecto in Curia Capitolij appareret, ipſum deduxiſſe, & petiuiſſe omne ius cum clauſula, *omni meliori modo*, & per conſequens intentaſſe omne, & quodcumque remedium, ſibi magis proficuum. * Rolandus *conſil.* 79. *num.*36. *lib.*1. quod ipſum apparebat etiam ex commiſſione per Franciſcum obtenta, per quam committebatur cauſa ſummariè cognoſcenda, quod idem etiam ſignificat Rota *deciſione* 351. *numer.* 1. *&* 450. *numer.* 5. *parte* 1. diuerſor. in impreſſis. 6.

*adde infrà deciſ. 1008. n. 5. & 6. & Rotam rec. p.1.dec.193. n.1.

7.
*adde Rotã Bononien. diu.dec.116. n. 54. & dec. 129.n.25.

Vnde, cùm Franciſcus ſuſpenderit petitorium, & declarauerit ſe vti velle interdicto Saluiano ad conſequendam, & habendam rem, ſibi debitam ex teſtamento Hieronymi, non poterat cenſeri, mutaſſe propoſitum, & propterea meritò intentauit poſſeſſorium ad prædictum effectum, Baldus *in l.incerti, n.*1.*verſ.dicunt quidam.C. de interdict.* & fuit deciſum in cauſa Romana de Comitibus die 6. Martij 1581.

Non obſtabat præterea obiectio de titulo pari, quem informantes pro Antonio deducebant ex eo, quòd Antonius, qui vigore teſtamenti Lucij Martij, poſſidebat integrum caſale, quaſi ex fideicommiſſo reciproco, cenſendus erat legitimus contradictor, ad impediendum Franciſcum, habentem parem titulum ex teſtamento Hieronymi.

Quia reſpondebatur, quòd licèt regula ſit, 8.



quòd allegans parem * titulum impedit viam executiuam, & reducit proceſſum ad iudicium ordinarium. Zuchardus *in d. l.fin.C.de edicto Diui Adrian. num.*374. Menochius *de adipiſcen. remedio* 4.*n.*565. Mohedanus *deciſione* 331. aliàs eſt *deciſ.* 13. *vt lite pendent.* illa tamen regulariter
9\. procedit in habente parem * titulum ab eodem fonte, ſeu cauſa, vel perſona prouenientem. Rolandus *conſil.*78. *num.*27. *lib.*3. *verſ. tamen propter hoc.* Mohedanus *dec.*206.incip. *Diu fuit diſputata.* aliàs eſt *deciſ.*5.*vt lite pendent.* in impreſſis, & fuit reſolutum coram me in vna Vrgellen. Archidiaconatus die 15.Iunij ann. 1592.*

*adde Lud. dec.46.n.6.

*adde Cau. dec.485.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

* ſuprà dec. 234.n.4.& 5. vbi alias deciſ. annotaui.

In caſu propoſito præterquam quòd titulus Antonij erat à Lucio Martio, titulus verò Franciſci à Hieronymo, & ſic à diuerſa perſona, illud erat maximi momenti, quia titulus Antonij erat turbidus, & obſcurus; titulus verò Franciſci erat clarus, nempe in teſtamento Hieronymi non vitiato fundatus.

10\. Atque ex his fuit concluſum, dandam Franciſco immiſſionem etiam ex Saluiano, in quo non eſt neceſſariò probandum dominium, cùm ſufficiat probare poſſeſſionem illius, cui ſucceditur, * & aduerſarium poſſidere, reiectis exceptionibus, altiorem indaginem requirentibus, Paleothus *dec.*322.incip. *Hæc cauſa erat ſatis antiqua.* in hac facti ſpecie notum erat, poſſediſſe Hieronymum Auctorem Franciſci medietatem caſalis, illamque Antonium poſſidere.

* adde infrà dec.751.n.3. vbi alias dec. annotabo, & Rotam rec. p.2.dec.131. n. 1. & 5. & fuit dictum in Fauentina legati 24. Nouembris 1589. coram Pamph. impreſſa per Paci poſt tract. de Sal. inter. deciſ.1. n. 2. & ſequent. & ibidem dec. 45. & deciſ. 52.num.1. & dec.83.n.2.
* ſuprà dec. 493.

## *Portuen. reſponſionis.*

### Die Lunæ 4. Martij 1596.

### DECISIO DIV.

IN hac propoſitione, qua D.Marius Fanus audiebatur ſuper deciſione facta contra ipſum die 13. Nouembris 1595. * quia multa inculcabantur ab informantibus pro vtraque parte, quæ cauſam reddebant magis dubiam, & Marius prætendebat, ſe non teneri ad ſoluendas reſponſiones de anno 1590. & 1591. Archipreſbytero Cerenſi pro terris exiſtentibus in tertio Sanctæ Mariæ, niſi quatenus ad manus ſuas peruenerant, & cæteras, quas Archipreſbyter Mario, ſibi deberi prætendebat, exigendas, non ab ipſo Mario, ſed à Ioanne de Surdis, cum quo Marius terras Eccleſiæ Cerenſis permutauerat, dicebatque, Archipreſbyterum eam permutationem ratam habuiſſe: ideo Domini iuſſerunt diſputari dubium, an Archipreſbyter, acceptauerit dictam permutationem terrarum.

## *Ilerden. beneficij de la Figuera.*

### Die Lunæ 11. Martij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Iuſpatronatus, vt dicatur legitimum, debet probari ex dotatione, vel fundatione.*

3 *Immemorabilis vt probetur, debent concurrere requiſita gloſſæ* in cap. 1. de præſcript. lib.6.

4 *Ius patronatus Vniuerſitatis, vt ſit legitimum, eſt probandum concludenter.*

### DECISIO DV.

VTraque parte informante, Domini reſponderunt non fuiſſe ſufficienter probatum iuſpatronatus ſimplicis beneficij Beatæ Mariæ oppidi de la Figuera, pertinere ad iuratos, & Vniuerſitatem oppidi de Benifar, Dominos de la Figuera; quoniam non probabantur requiſita à Concilio Tridentino *ſeſſione* 25.*c.*9.*de reformat.* vt ſæpe tenuit Rota, & in primis in vna Sabinen. iuriſpatronatus die 26. Octobr. ann. 1594. coram R.P.D.meo Litta, & iterum in eadem coram me die 6. Martij 1595. * & nuper in vna Nepeſina iuriſpatronatus die 16.Februar. proximè præteriti coram R.P.D.meo Blanchetto: non enim conſtabat de fundatione, & dotatione, cùm nullum validum inſtrumentum † ad eam probandam produceretur, minuſque ea concludi poterat ex quodam laudo, quo oſtendebatur id ius patronatus tranſlatum fuiſſe ad communitatem; quia non apparebat, quale ius reſideret penes Dominos transferentes. 1.

* ſuprà dec. 431.n.3. vbi alias dec. annotaui.

2.
† vide infrà dec.536.n.3. vbi alias dec. annotaui.

Sed neque teſtes, vno excepto, probabant immemorabilem, iuxta requiſita per gloſſ. *in c.*1.*de præſcript.lib.*6. Felin.*conſ.*2.*n.*8. Sign.*conſ.*70.*n.*19. 3.

Et tamen iſta erant concludenter * probanda, cùm ageretur de iure patronatus Vniuerſitatis, † quod plerunque, (vt Concilium conſtituit) ex vſurpatione præſumi ſolet.

* adde Rotã rec.p.2. dec. 756. n. 3. & 421. n. 1. & aliàs ſæpe.

4.
† etiamſi ſit parua. Mant. dec.234 n.1. & 253. n.2. & 3.

Et ex his dixerunt Domini, non fuiſſe neceſſarium diſcutere alias difficultates excitatas per informantes, nec curandum, an iura eſſent in forma probante; quia licèt fuiſſent authentica, ex eis non concludebatur iuſpatronatus.

## *Beneuentana decimarum del Couante.*

### Die Lunæ 11. Martij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Prourator non tenetur exhibere proceſſum, ſi non conſtat legitimè ad eum, vel ad ſuum principalem perueniſſe.*

3 *Erronea Notarij aſſertio non debet parti nocere.*

### DECISIO DVI.

DIe 13. Decembris anni præteriti, propoſitam iſtam cauſam Domini diſtulerunt ad quadrageſimam, & ordinarunt, interrogari Ioannem Daddeum, cui tanquam Procuratori tunc Abbatis S. Sophiæ dicebatur, proceſſum cauſæ fuiſſe ante multos annos accommodatum, ſed cùm propter obitum dicti Daddei mox ſubſecutum, non potuiſſet interrogari, an aliquando fuiſſet Procurator Abbatis anteceſſoris, iterum cauſa propoſita, Rota cenſuit, Illuſtriſſimum D. Cardinalem Aſcanium Columnam modernum Abbatem non teneri ad exhibitionem proceſ- 1.





ſus,

2. ſus, de quo agebatur; quia non conſtabat proceſſum * ad ſuam dominationem, vel ad ſuum legitimum Procuratorem perueniſſe. *l.fin.C.de fide inſtrument.* Guido Papæ *deciſ.*244.

* adde Dur. dec.166.n.1. vbi ad propoſitum alias dec. allegat, & infrà dec. 540.n.5.

Neque obſtabat atteſtatio Notarij affirmantis, proceſſum fuiſſe accommodatum Daddeo Procuratori, quoniam præterquam quòd idem Notarius re, meliùs conſiderata, aſſeruerat, ſe erraſſe, & credidiſſe Daddeum fuiſſe Procuratorem, ex eo quòd proceſſus cauſarum regulariter non ſolent niſi Procuratoribus accommodari, de errore videbatur conſtare, tum quia in libello accommodatorum reperiebatur ſimpliciter notatum, fuiſſe accommodatum Daddeo, tum quoniam ex actis non apparebat illum fuiſſe Procuratorem, nec aliquos actus iudiciales feciſſe tum poſtremò, quia de illo tempore in actis
3. reperiebatur conſtitutus Procurator quidam Camillus Fanucius: vnde talis erronea * Notarij aſſertio, non debuit Cardinali præiudicare. Decius, Cagnolus, & alij *in l. ſi librarius ff. de regul. iuris.*

* adde Coc. deciſ.373.n.10. Rotã rec. p.1. dec.502. n.10. & idem eſt de negligentia, quæ parti nocere non debet, vt per Ser. dec. 1115.n.5.

## *Tullen. Monaſterij.*

### Die Veneris 15. Martij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Prorogationes datæ à iudice parti, non poſſunt nocere ei, ad effectum regulæ de annali.*
3 *Iudicij noua inſtitutio non dicitur, quando ex commiſſione actitatur eadem cauſa.*
4.5 *Regulæ de annali ſatisfit, licèt intentetur iudicium poſſeſſorium adipiſcendæ, cùm habeat cauſam annexam petitorij.*
6 *Spolij cauſa intentatur, iudicio poſſeſſorio recuperandæ.*
7 *Merus executor non eſt, ſi in commiſſione apponatur clauſula, vocatis vocandis.*
8 *Executor mixtus tenetur aſſumere partes iudicis.*

## DECISIO DVII.

1. QVia informantes pro Abbate Commendatario Monaſterij S. Manſueti extra muros ciuitatis Tullen. prætendebant excludere Nico-
2. laum Lombart, ex eo quòd non ſatisfecerat regulæ de annali, ideo dato dubio, vtraque parte informante, Rota cenſuit Nicolaum regulæ ſatisfeciſſe, ex quo infra ſex menſes conuenerat Abbatem coram Ordinario ad cauſam terminandam, & propter duas prorogationes, quas obtinuerat aduersùs curſus regulæ, adhuc durabat annus; * Mandoſius *in regula de annali, q.*76. Achilles *deciſ.4.n.5. ſuper regul. de triennali.* Puteus *dec.174.lib.3.n.*3.

* adde infrà dec.999.n.4.

3. Nec refragabatur, quòd iudicium videretur cœptum extra ſex menſes, quando cauſa fuit commiſſa in Rota; quia illa commiſſio non tam fuit noua iudicij inſtitutio, quàm eiuſdem moti coram Ordinario infra ſex menſes; continuatio & de vno Tribunali ad alterum tranſlatio in terminis, in quibus reperiebatur coram Ordinario Tullenſi, Rebuffus *tom.1. ad conſtitutiones Regias, tit. de auocationibus, n.9. & 10. verſ. ſecundò quid ſit euocatio.*

Minus obſtabat altera difficultas de citatione, quæ licèt concederetur facta in tempore, prætendebatur tamen non fuiſſe legitimè factam iuxta requiſita regulæ de annali, cùm fuerit ſuper poſſeſſorio adipiſcendæ, & tamen fieri debuit ſuper petitorio. 4.

Sed hanc difficultatem Domini dicebant tolli, ex traditis per Sarnenſem *in dicta regula de Annali, quæſt.66. verſ. ſecus in poſſeſſorio*, vbi affirmat * regulæ ſatisfieri, licèt intentetur poſſeſſorium adipiſcendæ, cùm habeat annexam † cauſam petitorij, vt ibidem dicit Sarnenſis. 5.

* adde Lud. dec.213.n.2. & 3. & infrà dec.999.n.8.

Deciſiones verò in contrarium allegatas habere locum in aliis poſſeſſoriis, & propterea non obſtare, Creſcent. *deciſ.237.lib.*1. aliàs *deciſ.9. tit. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* quia loquitur in cauſa ſpolij, & ſic de poſſeſſorio recuperandæ. 6.

† adde infrà dec.525.n.7.

Præterea ex eo etiam videbatur ſublata omnis difficultas, quòd Ordinarius Tullen. cui fuerat cauſa commiſſa, non fuerat merus executor, ſed mixtus, vt apparebat ex illa clauſula Commiſſionis, vocatis * dicto Nicolao, & aliis. Felinus *in cap. de cætero, n.10. de re iudicata.* Verallus *dec.284.n.4.part.2.* in impreſſis. 7.

* adde ſuprà dec.118.n.3. & 4.

Et propterea tenebatur aſſumere partes iudicis, & cauſam ſibi commiſſam diſcutere, † vt per Doctores proximè relatos, & *in cap. fin. de præſumpt.* & fuit deciſum in vna Piſcien. ſiue nullius Capellaniæ anno 1578. coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, itaque nedum de poſſeſſorio, ſed de petitorio poterat cognoſcere, * quod euidenter demonſtrabat tenor citationis factæ coram eodem Ordinario, cuius verba adeò prægnantia erant, vt petitorium denotarent, nempe, *ritè & legitimè procedere, ac partibus ipſis iuſtitiam miniſtrare ſuper omnibus, & ſingulis in ſupradicta nobis præſentata commiſſione contentis, de iuſtitia reſponſuri, aliaque dicturi, facturi, allegaturi, audituri, & recepturi quidquid iuſtitia ſuadebit.* Poterat ergo iudex, nedum de poſſeſſorio, ſed etiam de petitorio cognoſcere; ad Sarnenſem *in dicta regula de annali, quæſt.*43. reſpondebatur nihil affirmare in contrarium reſpectu poſſeſſorij adipiſcendæ. 8.

†Ludou. dec. 307.n.5. Seraphin. dec. 1045.n.1.&2. dec.& 1056. num.2. & 3. quando autẽ dicta clauſula non faciat exequutorẽ mixtum, vide Rotam in vna Hiſpalẽ. præeminentiarũ coram Sacrato, impreſſam penes March. de commiſſ. p.2.pag.497. n.3.& 5.

* & à ſententia datur appellatio, Ludou. dec.69. n.7. & deciſ. 91.n.3 Cau. dec.2.n.9. & aliàs ſæpe.

## *Firmana de Piſellis.*

### Die Lunæ 18. Martij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Alimenta, & litis expenſæ debentur filiæ, cùm ſuper hæreditate paterna tractatur.*
3 *Filijs alimenta debentur ex bonis patris, quando concurrunt filiatio, & boni iuris præſumptio. licèt non probetur paupertas, n.*4.

## DECISIO DVIII.

VNa tantùm parte informante, propoſui dubium, an Oriſtillæ Piſellæ eſſent decernenda alimenta, & ſumptus litis, & cùm ex teſtibus productis conſtaret, Oriſtillam fuiſſe filiam Tiburtij, cuius bona Tranquilla Tiburtij ſoror occupauerat, Rota cenſuit, alimenta * ſibi deberi, quia cùm de paterna hæreditate 1.

* adde ſuprà dec.378.n.4. & infrà dec. 647.& 1055. n.2. & vtrobique alias deciſ. annotaui.



tractatur, filiæ aliquam præſumptionem boni iuris habenti, alimenta præſtari debent. *l. ſi inſtituta. §. de inofficioſo ff. de inoffic. teſtament.* Biſnietus *deciſ.2. de iudicijs.* Creſcen. *deciſ.*233. Afflictus *deciſ. 11. num. 2.* Molina *lib.2. de Hiſpano-*
3. *rum primogen. cap.16. num.*41. duobus enim iſtis concurrentibus, filiatione ſcilicet, & boni iuris præſumptione, filiis de iure debentur ali-
4. menta, quamuis non probent paupertatem, * quæ eo ipſo quòd ſunt filij, præſumitur. Aretinus *conſ. 66. num.8. deciſ.* 24. inter miſcel. manuſcript.

* adde ſuprà in d.dec.378. n.4.

## *Leodien. Canonicatus.*

### Die Veneris 22. Martij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Narratiua gratiæ vt probetur, ſufficit ſemiplena probatio.*
2 *Verba gratiæ debent intelligi iuxta formam ſupplicationis, & cum effectu, iuxta eius tenorem.*
3 *Litteris Apoſtolicis non dicitur paritum eſſe niſi cum effectu ſubſecuto.*
4 *Clericatus probatur ex ſemiplena probatione.*

## DECISIO DIX.

1. ROta cenſuit gratiam, *perinde valere*, Arnoldi Bolandi ex his, quæ proponebantur, fuiſſe iuſtificatam, cùm in iuſtificanda narratiua, ſemiplena * probatio ſufficiat. Verallus *deciſione 277. parte* 1. Cotta *deciſione* 198.

* adde infrà dec.572.n 4. quando autẽ requiratur plena probatio, vel ſemiplena in narratiua gratiæ, vide Rotam rec. p.2. dec.296.n.1.

Neque obſtitiſſe illam narratiuam; *litteras prædictas ſibi præſentatas, non tamen executioni demandatas fuiſſe, & ob id ſe nullos fructus percepiſſe.* ex quibus Rota die 1. Decembris 1595. † dixerat, gratiam non videri iuſtificatam; quia præterquam quòd dici poterat, iſta non fuiſſe
2. narrata Papæ, ex quo non continebantur in ſupplicatione, & ideo Arnaldum non teneri ad illorum iuſtificationem; * reſpondebatur ea
3. verba intelligenda fore cum effectu, & de plenaria litterarum executione, vnà cum poſſeſſionis aſſecutione. *l. 1. §. hæc autem. ff. quod quiſque iuris, cap. relatum, de Cleric. non reſiden.* Neque enim aliter cenſetur plenè, & cum effectu paritum litteris, licèt ad illarum fauorem ſententia lata fuerit. Abbas *in cap. in litteris, num.2. in principio, de officio delegat.* vbi gloſſ. *in verb. officio ſuo.*

† ſuprà dec. 485.

* Cocc. dec. 428.n.5.

Et maximè, cùm in caſu propoſito nedum mandaretur litterarum executori, vt Canonicatum conferret Arnaldo, ſed etiam, vt illum immitteret in illius poſſeſſionem: vnde cùm nuſquam conſtaret, illum fuiſſe in poſſeſſionem immiſſum, (vt aliàs Dominis perſuaſum fuerat) ſatis putabatur narratiua iuſtificata, & verificata in illa parte, qua dicebatur illum nullos fructus percepiſſe.

Poſſeſſionem etiam Arnoldi excludebat confeſſio Gerardini in reſponſione ad poſitiones, vbi fatebatur, ſe eſſe poſſeſſorem Canonicatus, idem quoque aſſerebant teſtes.

4. Clericatum, in quo probando ſufficit ſemiplena, * Verallus *deciſ. 377. part.* 1. probabant litteræ patentes Collatoris, quem fuiſſe ſuffraganeum, Leodien. & Pontificalia ſciente, & patiente Epiſcopo contuliſſe, probabant teſtes *in ſummario* dati.



* adde infrà dec.690.n.3. & 4. Durand. dec.406.n.2. Lud. dec.20. n.1. & 2.

Denique, quòd Arnoldus, tempore reſignationis ſibi factæ obtinuiſſet perpetuam Capellaniam ad Altare Sancti Andreæ, probabant etiam teſtes, ex quibus vnus teſtificabatur de fama.

## *Bononien. Alimentorum.*

### Die Veneris 22. Martij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Alimenta non debentur ante motam litem. quod limita, num.*3.

## DECISIO DX.

DVbitaui, an conſtaret D. Marium expoſuiſſe res, & pecunias receptas pro ſe alendo, à die carcerationis ſui patris, vſque ad diem motæ litis, vel potuerit ſe alere ante motam litem de dictis rebus, & pecuniis, ita vt in reſtitutione dictarum pecuniarum eſſet habenda ratio alimentorum illius temporis, ſecundùm arbitrium, & taxationem per Dominos faciendam, ad effectum de quo agebatur. 1.

Circa quod dubium vtraque parte informante, Domini multa conſiderabant, ſed in primis illud, quòd licèt non debentur alimenta ante motam * litem, nihilominus ſi conſtaret illum qui petit alimenta, neceſſitate coactum æs alienum contraxiſſe pro ſe alendo, officio iudicis ſibi prouidendum de alimentis, nam talia alimenta pro illo tempore ad ſimilitudinem futurorum videntur etiam debita. Paulus de Caſtro *in l. diuortio, in principio ff. ſoluto matrimon.* Iaſon & Decius *in l. de alimentis, in primo notab. C. de tranſact.* Pontanus *tract. de alimentis, cap. 12. num.*1. 2. 3.

* adde ſuprà dec.464.n.3. & ſequent.

Et ſic Mario alimenta pro tempore ante litem motam fuiſſe debita, præſertim, cùm nota foret illius paupertas, & proinde de rebus, & pecuniis, quæ ad manus ſuas peruenerunt, ſe alere potuiſſe, ita vt illarum rerum, & bonorum in taxatione futurorum alimentorum ratio habenda non foret, & ſic fuit reſponſum ad ſecundam partem dubij.

Cæterùm, quia circa primam partem dubij Marius non ſatis probabat ſuam intentionem, quinimo contrarium ſuadere videbatur factum, quia per ſpatium 22. menſium habuerat alimenta à R.P.D. Volta, & per aliquod etiam tempus à bon. mem. Duce Niuernenſium; Domini tamen conſiderata qualitate cauſæ, & ne Marius dum iſta ſcrupuloſè reuocabantur in dubium, fame periret, cenſuerunt, quòd à die 3. Martij 1596. * quando facta fuit deciſio, & taxata alimenta ad rationem 10. ſcutorum menſtruorum Mario penderentur dicta ſcuta decem menſtrua, in reliquis compenſatio fieret cum decurſis à die motæ litis, vſque ad dictum diem 3. Martij.

* ſuprà dec. 429.

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Veneris 29. Martij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Vacatio beneficij probatur ex ſemiplena probatione.*

2 *Impetrans beneficium, ſolùm tenetur verificare narrata.*

### DECISIO DXI.

1\. FVit concluſum, gratiam Iulij Bechariæ fuiſſe iuſtificatam quoad obitum Hieronymi, de menſe Decembr. ann. 1592. ex dictis duorum teſtium, quorum alter deponebat de viſu, & ſic faciebat ſemiplenam * probationem ſufficientem ad effectum probandi vacationem tantùm, non autem reſeruationem. Mohedanus *deciſ.* 77. aliàs eſt 1. *de probat. in impreſſis.* Thanis *deciſione* 75. Guidobonus *deciſione* 144. Rota *deciſione* 46. *num.* 1. *parte* 2. *diuerſor.* Alter verò teſtis deponebat de publica voce, & fama, quibus accedebat liber Eccleſiæ, in qua Hieronymus fuerat ſepultus.

*adde Lud. dec. 84. n.3. & 8. Mantic. dec.193.n.2.

Fuit præterea dictum clauſulam, *dummodo non ſit alicui ius quæſitum*, non fuiſſe iuſtificandam, cùm non eſſet narratiua partis, & impetrans,* teneretur ſolùm verificare narrata, Ioannes Andr. *in cap.*1.*num.*2.*de litis conteſt.lib.*6. Verallus *dec.*39.*part.*2.

*adde Lud. dec.314.n.1. Rotam rec p.2 dec. 24. n. 1. & 160. n. 2. Seraph. deciſ. 1484. n. 12. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.

Poſtremò fuit dictum, non fuiſſe probatum valorem obtentorum, niſi Iulius illius probationem coadiuuaret.

---

## *Mediolanen. pecuniaria.*

### Die Veneris 29. Martij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommiſſarius non poteſt alienare bona fideicommiſſo ſubiecta.*

### DECISIO DXII.

1\. SVper dubio propoſito, an eſſet locus expeditioni cauſæ, ad fauorem Reuerendiſſ. Alphonſi Riccij, vtraque parte informante, Rota cenſuit, non fuiſſe expediendam, niſi Hermete Riccio audito, pro cuius parte proponebantur duæ prætenſiones, prima ſuper fideicommiſſo inducto ſuper bonis alienatis per Dominum Alphonſum, prætendebat enim Hermes illum non potuiſſe ea bona alienare, tanquam comprehenſa in ampliſſimo fideicommiſſo * inducto per teſtamentum Ianini de Ricciis.

*Cocc. dec. 495. Rota rec.p.2. dec. 426. Caual. dec.81.n.6.& dec.108.quæ habetur in rec.p.1. dec. 243.& etiam p.2.dec.295.

Altera prætenſio erat fundata in inſtrumento iurato, & ſtipulato, celebrato inter D. Alphonſum, & Hermetem, per quod D. Alphonſus permiſerat Hemeti, antequam pro ſe fideiuſſiſſet, quòd cum effectu erat inueſtiturus ſcuta quatuor mille in aliqua proprietate in dominio Mediolani, quæ iuxta deciſionem, in hac
2\. cauſa factam die 17. Nouembr. 1595. † fuerant ſequeſtrata, nec tamen conſtabat de reinueſtimento facto per Dominum Alphonſum, iuxta tenorem ſuæ promiſſionis.

*ſuprà dec. 472.

---

## *Romana hæreditatis.*

### Die Lunæ 1. Aprilis 1596.

SVMMARIVM.

2 *Debitoris nomen cedens, tenetur docere de exiſtentia debiti.*

### DECISIO DXIII.

VTraque parte informante dubitaui, an Dominà Lucida eſſet conſtituenda debitrix in ſcutis 81. per quondam Fabium Taurinetum debitorum, & per ipſam ceſſorum: & Domini ſub conditione reſponderunt, dicentes, Lucidam conſtituendam debitricem; niſi doceret debitum eſſe verum, quia cùm ipſa vigore ſententiæ latæ per D. Cardinalem Iuſtinianum teneretur cedere nomen huius crediti, prout realiter, & cum effectu ceſſit, ſi creditum non iuſtificabatur, ipſa etiam nunc tenebatur, quia cedens nomen debitoris tenetur ducere de exiſtentia * debiti. *l. ſi nomen ff. de hæredit. vel act. vend.* vbi Baldus: idem Baldus *conſ.*72.*n.*2.*lib.*3. & Bertrandus *conſ.*272.*n.*1.*lib.*7. 1.

*adde Lud. dec.579.n.1. & 5. & Rotã rec.p.1. dec. 443.n.6.

---

## *Bergomen. beneficij.*

### Die Lunæ 1. Aprilis 1596.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio capta appellatione pendente, eſt attentata, & ideo immanutenibilis.*

### DECISIO DXIV.

VTraque parte informante, ſuper dubio dato, an poſſeſſio Ioannis Baptiſtæ de Alexandris, eſſet manutenibilis, reſponſum fuit negatiuè, quia cùm à ſententia Vicarij Bergomenſis, qui non erat merus executor, fuiſſet debito tempore appellatum, prout de iure poterat appellari, Abbas *in cap.fin. num.*15. *de præſumpt.* & appellatione pendente Ioannes acceperit poſſeſſionem, illa fuit attentata. *cap. non ſolùm*, vbi gloſſ. & Doctores, *de appellat. lib.*6. & ſic non erat manuteniblis, nec ei poterat mandatum de manutenendo dari. Lancellotus *de attentatis appellatione pendent. ampliatione* 12. & fuit latè dictum in vna Ilerden. beneficij coram me die 17. Octobr. 1594.* 1.

*ſuprà dec. 400. n. 5. & ſuprà deciſ. 388.n.13. & infrà deciſ. 609.n.2.

---

## *Peruſina reintegrationis.*

### Die Lunæ 29. Aprilis 1596.

SVMMARIVM.

1 *Fœmina ſuccedit in bonis patris, de iure communi.*

2 Bona



2 *Bona fides requiritur in præſcriptione, etiam 30. vel 40. annorum.*

3 *Præſcriptio non conſideratur in iure quærendo, quo ad malam fidem.*

4 *Mala fides non conſideratur in iuribus, quæ non competunt poſſeſſori, ante declarationem iudicis.*

5 *Reſtitutio in integrum, ex capite iuſtæ ignorantiæ non habet locum ſi pars potuerit conſulere peritos, circa rem ignoratam.*

6 *Reſtitutio in integrum ex capite iuſtæ ignorantiæ non habet locum, quando agitur de præſcriptione iuris quærendi, & non quæſiti.*

7 *Ius quærendum facilius tollitur, quàm ius quæſitum.*

8 *Reſtitutio in integrum ex capite iuſtæ ignorantiæ habet locum in ignorantia probabili, & veriſimili, non verò in craſſa, & ſupina.*

9 *Ignorantia in conſanguineis eſt inueriſimilis, ad effectum impediendæ reſtitutionis in integrum ad ſucceſſionem bonorum.*

### DECISIO DXV.

1\. DIe 15. Ianuarij proximè præteriti fuerat concluſum, * quòd licèt in bonis ſitis extra territorium Peruſinum competeret Dominæ Alphonſinæ ſucceſſio de iure communi, quo inſpecto ſimul cum fratribus ſu[illegible]debat. *l. maximum vitium. C. de liberis præterit.* ei tamen obſtabat præſcriptio inchoata ab anno 1527. quo Gentilis eius pater obierat, & continuata per ſexaginta ferè annos, vſque ad tempus motæ litis, ſed quoniam tunc aliqua concurrere videbantur pro excuſanda Alphonſina, tunc Rota cenſuit, vt particulariter videretur, an ſibi competeret reſtitutio in integrum, ex capite iuſtæ ignorantiæ, & cùm ego præterea tunc etiam dubitaſſem, an in fratribus, & poſſeſſoribus bonorum controuerſorum adeſſet bona fides ad effectum, vt eſſet locus præſcriptioni, ideo vtroque dubio propoſito, & partibus ſuper eo informantibus, Domini reſponderunt, primum non conſtitiſſe de nulla fide fratrum de Ballioniis, item nec Alphonſinæ competiuiſſe reſtitutionem, ex capite ignorantiæ: dicebant enim, quòd ſi præſcriptio non concurrebat, non erat locus reſtitutioni aduersùs illam, quod potiſſimum pendebat ab eo, an in fratribus affuiſſet bona
2\. fides, quæ licèt requireretur etiam in præſcriptione 30. vel 40. annorum, * de iure Canonico *cap.*1.*cap.fin.*§.*ſi poſt mortem, de præſcript.lib.*6.*cap. poſſeſſor, de regul.iuris, eodem lib.* Verallus *dec.*362. *num.*2. *lib.*2. Gabriel *conſil.*149. *num.* 29. *lib.*2. aſſerebatur tamen, quòd cùm in caſu propoſito non conſtaret, fuiſſe acquiſitum ius Alphonſinæ, & eius ſororibus, ex quo nec apparebat, eas adiuiſſe hæreditatem, vel ei ſe immiſcuiſſe, &
3\. ideo non ageretur de præſcriptione iuris quæſiti, ſed iuris quæredi, * propterea non fuiſſe conſiderandam malam fidem, etiam de iure Canonico. Puteus *deciſ.*128. *in princ. lib.* 2. Socinus ſenior (qui loquitur in propriis terminis) *conſil.*64. *num.*7. *lib.*1. Pariſius *conſil.* 16. *num.* 134. *lib.* 2.

* ſuprà deciſ.493.

* adde ſuprà dec.9. n. 13. Caual. deciſ. 77.n.7.& deciſ.91.n.1.10. & 11. Seraph. deciſ. 1360. n.15.

* adde Rot. diuer.part.2. dec.180. n.7. & 8.

4\. Quibus addebatur, quòd in iuribus, quæ non competunt ante declarationem, poſſeſſor ante declarationem non dicitur conſtitutus in mala fide. Decius *conſ.*554. *num.*2. & 3.

Et ex his dicebatur, fuiſſe ſatisfactum dubio circa bonam, vel malam fidem fratrum Alphonſinæ.

Quantum ad alterum dubium de reſtitutione in integrum, ex capite iuſtæ ignorantiæ, ſimiliter dicebatur, Alphonſinæ non competiuiſſe, nam cùm veriſimiliter potuerit non ignorare, peritos conſulendo, & alij modis, Rota *deciſ.* 387. *lib.*1. *diuerſor*, & fuit nuper deciſum in cauſa Florentina bonorum de Deis coram R.P.D. meo Pamphilio, ideo non poterat iſto reſtitutionis beneficio vti, quod multo minus conceditur, quando agitur de præſcriptione iuris quærendi, quàm iuris quæſiti; quia ius quærendum facilius tollitur, quàm quæſitum.* *l.fin.C.de acquiren.poſſeſſ.* Crauetta *conſil.*114. *num.*14. & quoniam in iure quærendo non conſideratur læſio. Crauetta *d. conſ.*114. *num.*15. & *conſil.* 661. *num.*9. Fulgoſius *conſ.*61. *num.*6. *verſ.ad tertium.* 5. 6. 7.

*adde Lud. dec.265.n.2.

Regulæ autem, & doctrinæ, quæ in contrarium allegabantur, per informantes pro Alphonſina, ad perſuadendum, ſibi ex capite ignorantiæ competiuiſſe reſtitutionem, locum habent in ignorantia probabili, * & veriſimili, ſecus autem in craſſa & ſupina. † Imola *in cap.fin. num.*34. *verſ. ſed hic eſt aduertendum, de præſcript.* Felinus *in cap. vigilanti, num.*4. *verſ. limita tertiò. eodem tit.* Benintendis *deciſ.* 69. *num.*2. & *ſeq.* & *deciſ.*71. *num.*3. & *ſeq.* Pariſius *conſ.*16. *num.* 139. vbi de communi *lib.*2. 8.

*Caual. deciſ.176. n.2. Coc. dec.50. n. 10. Rota recen.part.1. dec.87.n.2.

†Duran.dec. 426.n.12. & ſeq. Caual. dec.151.n.3. & ſeq. Rota in vna Romana Saluiani interdicti coram Iuſto impreſſa penes March. de commiſſ. p.2.pag.148.

Quod verò ignorantia in conſanguineis,* & coniunctis ſit inueriſimilis, ad effectum impediendæ reſtitutionis in integrum ad ſucceſſionem bonorum, voluerunt Alexand. *conſil.*163. incip. *Viſo proceſſu, num.*6. *lib.*2. Decius *conſ.* 29. *ad finem*, Gozadinus *conſ.*68. *num.* 14. Rolandus *conſil.*3.*num.*99.*lib.*1. Pariſ. *dicto conſ.*16. *num.*139. vbi de communi, *lib.*2. in hac facti ſpecie, illud quoque ignorantiam Alphonſinæ excludere videbatur, quia habitauerat in locis vicinis, & eius filij cum Dominis Ballioniis, etiam in eiſdem locis, vbi bona ſita ſunt, conuerſati fuerant: vnde non erat veriſimile eam, eoſvè ignoraturos, quod ad ipſos poterat pertinere. 9.

* adde Caual.dec.268. num.2.

---

## *Bononienſis fideicommiſſi Felicinis.*

### Die Veneris 10. Maij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Defunctum poſſediſſe fundum, vel domum dicitur, ſi in inuentario bonorum adſint confrontationes.*

3 *Identitas bonorum probatur ex denominatione parochiæ, & confinium, vbi ea ſunt ſita.*

4 *Locatio ſola, & penſionis ſolutio tantùm, non ſufficiunt ad probandam identitatem bonorum contra tertios.*

### DECISIO DXVI.

PRæſuppoſito fideicommiſſo quondam Lactantij de Felicinis, inducto in eius teſtamento, condito anno 1544. dubitaui, an conſtaret de identitate cuiuſdam domus ſitæ in via de 1.



Gombutti,

Gombiutti, & quarundam petiarum terreni poſiti in communi Gyptij, & Cerretuli.

Et Domini, quantum ad domum, cenſuerunt, de illius identitate conſtare: nam Iulius, & Hercules fratres, & hæredes Lactantij, inter alia bona eiuſdem Lactantij teſtatoris deſcripſerunt domum his verbis: Item vna domus cuppata, & balchionata, cum medio puteo, curia, & aliis ſuperſtantibus, ſituata Bononiæ in Capella Sanctorum Petri, & Marcellini, in contrada vocata *la via de Gombiutti*, iuxta dictam viam à parte ante, iuxta alia bona illorum de Felicinis à latere poſteriori, vel alios confines, ex hac enim

2. deſcriptione contenta in inuentario probatur, * primùm quòd defunctus eam poſſederit, Marzarius *in epitome de fideicomm. quæſt.* 54. Pariſius *conſil.*45. *num.*20. *lib.*2. Natta *conſil.*235. *num.*15. *lib.*2. Decianus *conſ.*76. *num.*8. *lib.*1.

* adde ſuprà dec.500.n.2. & 3. & infrà dec.664.n.3.

3. Quòd verò Hercules eandem domum poſſederit, eiuſdem Herculis teſtamentum oſtenderat, in quo vxori reliquerat vſum domus magnæ in via Gambiuttorum, & in Parochia Sanctorum Petri, & Marcellini, iuxta hortum domus Mutij de Felicinis, ſicut reperiebatur deſcripta * in inuentario bonorum Lactantij, nam denominatio contradæ, & Parochiæ, & confinium certam rei identitatem † demonſtrant. Natta *dicto conſil.* 235. *num.* 15. *lib.* 2. cùm aliàs ſola Contradæ * denominatio ſufficiat ad identitatem probandam, ex quo pluralitas domorum, aut prædiorum, non præſumatur, niſi contrarium probetur. Aretinus *conſil.*103. *num.*3. *verſ.& idem videtur dicendum de nomine.* Siluanus *conſil.*57. *num.*36. vbi de domo, & Corneus *conſil.*280. *num.*5. *lib.*3. vbi de qualitate Parochiæ, & nominis cum vno confine.

* adde Lud. dec.575.n.8. & 578. n. 1. & 2.

†adde Cocc. dec.118.n.3. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

*Rot. recen. p.1. dec.131. n. 5. & p. 2. dec.371.n.1.

4. Supradictis accedebat, quia domina Martia, & litis conſortes de Felicinis oſtendebantur poſſediſſe eandem domum ex inſtrumento locationis, iuncta ſolutione penſionis, licèt ſola non ſufficeret contra tertios. Ruinus 14. *num.*5. *lib.*4. Socinus ſenior *conſil.*106. *num.*2. *lib.*3. Natta *conſil.*672. *num.*20. *lib.*4. & conductores quoque eas tanquam dominas recognouerint, & earum nomine ſe poſſidere aſſeruerant. Socinus ſenior *conſil.*11. *num.*4. *lib.*3. & *conſil.*54. *num.* 11. *lib.*4. Pariſius *conſil.*107. *num.*21. *lib.*1.

Superiorem identitatis probationem non efficiebat incertam illa obiectio, quòd Hercules in eadem contrada emerat aliam domum, quia præterquam quòd eam vendiderat, quod non negabant informantes pro Martia illa demonſtratio, *iuxta bona dominorum de Felicinis*, quæ concurrebat in hoc caſu, iuncta cum aliis ſuprà relatis, tollebat omnem dubitandi rationem.

5. Similiter conſtare dixerunt de identitate vnius petiæ terræ Boſchiuæ, poſitæ in communi Gyptij comitatus Bononiæ in loco nominato *il Cogolo*, tornaturarum 22. cum dimidio, vel circa, confinatæ iuxta bona ſucceſſorum Ludouici Felicini iuxta riuum, & alios confines; idque ex inſtrumento adeptæ poſſeſſionis per Martiam, & litis conſortes, in quo enuntiabantur eædem demonſtrationes, tam reſpectu qualitatis terreni, quàm ſitus, & confinium, Aretinus *dicto conſ.*104. *num.*3. Afflictus *deciſ.*23. *num.*3. Natta *d.conſil.*235. *num.*16. *lib.*2. Alexander *conſil.*16. *in fine, lib.* 5. & fuit deciſum coram me in vna Nouarien. bonorum die 27. Nouemb. 1592. †

† ſuprà deciſ.263. n. 3. & 4.

Circa fundos, ſeu petias terræ, ſituatas in communi Cerretuli, quamuis maior pars dominorum inclinaret pro illarum identitate, ordinatum tamen fuit, vt illius probatio coadiuuaretur.

---

## *Tullen. Matrimonij.*

### Die Lunæ 13. Martij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Sponſalia celebrantur per verba*, promittimus vnus alteri fidem matrimonij.

3 *Commoditas intelligitur in diuerſis cauſis.*

4 *Matrimonij contractus, vel ſponſalia celebrata, quando contrahentes commoditatem habuerint, intelligenda ſunt, tam reſpectu commoditatis bonorum, quàm aliarum rerum.*

5 *Statuta imponentia pœnas contra filios contrahentes matrimonia, ſine conſenſu parentum, ſunt inualida.*

6 *Iuſtus metus indignationis paternæ, & probabile periculum amiſſionis bonorum, inducit cauſam ad diſſoluendos contractus.*

7 *Sponſalia de futuro, etiam ſine iuramento, inducunt obligationem compellendi contrahentes ad matrimonium de præſenti.*

8 *Patris conſenſus non requiritur ad matrimonium.*

### DECISIO DXVII.

CVm Iacobus de Burgo, & Hector de Bleiſtain, Nobiles & honeſti iuuenes, mutuo & caſto amore forent capti, die 1. Iulij 1592. ſequentem promiſſionem reciprocam in hæc verba fecerunt, eidemque ſubſcripſerunt: *Sicut Deo placuit facere naſci, inter nos vnam amicitiam ſanctam, & honeſtam tendentem, ad finem matrimonij, & deſiderantes illam reddere inuiolabilem, cum vna ſecuritate, de nunquam mutando voluntatem, nos vno conſenſu, alteri fidem matrimonij de nos inſimul deſponſando, ſtatim quo commoditas id permiſerit, in cuius fidem ſignauimus hanc præſentem noſtris manibus.* 1.

Officialis Tullenſis die 13. Iulij anni ſequentis 1593. Iacobum renitentem, condemnauit ad adimplendam ſupradictam promiſſionem matrimonialem, & cùm in gradu appellationis dubitatem, an ſententia illius officialis eſſet confirmanda, vel reuocanda, vtraque parte informante, Rota reuocandam cenſuit, quia licèt propter illa verba, *promiſimus, & promittimus vnus alteri fidem matrimonij*, * ſponſalia dicerentur fuiſſe contracta, *cap. ex litteris il 2. cap. ſicut & cap. requiſiuit, de ſponſalib.* Couarruu. *in epitome lib.*4. *Decretal. part.* 1. *cap.* 4. Iacobi tamen promiſſio non fuit ſimplex, & abſoluta, ſed modificata, & temperata, per illa verba, *ſtatim quo commoditas id permiſerit.* quibus non ſolùm intelligebatur commoditas reſpectu turpitudinis, & infamiæ, vt ſcilicet, ſine aliqua turpitudinis nota, ſponſalia ad effectum perducerentur. *l. nepos Proculo. ff. de verbor. ſignif. l. auus. ff. de iure dot.* ſed etiam reſpectu commoditatis bonorum, vt ſine illorum iactura, ad matrimonium per verba de præſenti peruenire poſſet; vt *in dicta l. nepos Proculo*, voluerunt Alciatus, & Ioannes Brachæus *in princip. verſ.*

2. * Caual. deciſ.415.n.2.

3.

4.



*verſ. aut ſine magno rerum ſuarum*, & rurſus *circa medium verſ. vnde dignitatis iacturam.* & *ibidem* Rebuffus *verſ. non abſimile eſt.* hanc enim fuiſſe veriſimilem mentem contrahentium tradit Alciatus *in d. l. nepos.*

Item, commoditas etiam intelligebatur, reſpectu paternæ voluntatis, in cuius indignationem noluerat filius incidere; ſicut ipſemet Iacobus declarauerat.

In caſu propoſito, non potuiſſe Iacobum contrahere matrimonium, niſi cum maximo detrimento ſuo, & iactura bonorum, & cum paterna indignatione per publicum inſtrumentum pater oſtenderat, qui imprecatus filio fuerat æternam maledictionem, ac inſuper declarauerat, iuxta poteſtatem per leges & ordinationes Principis, ac Patriæ ſibi tributam, ſe illum ex hæredaturum, * ac priuaturum omnibus bonis, & commodis, quæ poſt patris obitum poterat ſperare; notum autem erat ex ſerie ſtatutorum, ſeu conſuetudinum generalium Lotharingiæ

* adde Caual. dec.447. n. 2. & Seraphin. deciſ. 1258.n.1.

5. *tit.1. cap.*17. (quarum copia data fuit) graues pœnas ferri contra filiosfamilias, contrahentes matrimonia ſine conſenſu, & voluntate parentum, quæ licèt manifeſtè ſint inualida, ex quo violant matrimoniorum libertatem, quam iura Pontificia vbique requirunt. *cap. cùm locum, cap. requiſiuit. cap gemma, de ſponſalib. cap. nullus* 36. *quæſt.*2. *Concil. Pariſien.* 1. *cap.*6. *Concil. Trident. ſeſſio* 24. *cap.*9. *de reformat. matrim.* ad incutiendum iuſtum timorem, & excludendam commoditatem, quam contrahentes expreſsè in promiſſione reſeruauerant, ſatis erat, ea de facto in Lotharangia obſeruari; & hinc propterea oriebatur cauſa rationabilis, ob quam foret ab huiuſmodi compulſione abſtinendum, * præſertim cùm aliàs ex indignatione paterna, & probabili periculo amiſſionis bonorum, iuſtus metus induci dica-

* adde Duran. dec.241. n. 2. & ſeq. vbi plures dec. allegat.

6. tur ad diſſoluendos contractus. Baldus *in l. in-*

7. *terpoſitas, C. de tranſact.* Crauetta *conſ.*49. *num.*2. Oſaſcus *deciſ. Pedemont.*179. *num.*3. Bartol. *in l. ſi ob turpem, num.*6. *ff. de condit. ob turpem cauſ.* Ruin. *conſil.*23. *num.*9. *lib.* 1.

* de hoc art. vide Sanch. qui plures refert in tract. de matrim. lib. 1. diſp.29. ferè per totam. Caual. deciſ. 421.n.1.& 2. Seraph. dec. 1112.n.1. & 2. Rot. diuer. p.1. dec.497. num.1.

Atque ex his reſpondebatur ad iura, & argumenta, quibus informantes pro puella nitebantur docere, Iacobum fuiſſe compellendum, licèt enim verum ſit, contrahentem ſponſalia de futuro etiam ſine iuramento compelli * poſſe ad contrahendum matrimonium per verba de præſenti, *cap. ex litteris el 2. & cap. requiſiuit. de ſponſalib.* vbi communiter Doctores, Gabriel *conſ.*159. *lib.* 2. & cenſuit ſæpe Rota, & ſignanter in vna Abulen. matrimonij coram R. P. D. meo Blanchetto die 28. Maij 1593. & parentum contradictionem non poſſe illa impedire, cùm illorum conſenſus non ſit neceſſarius, *cap. ſufficiat.* 27. *quæſt.* 2.

† ſponſalia enim non obligant ſi ſuperueniat iuſta cauſa ad diſſolutionem, vt per deciſ. annotatas ſuprà, quibus adde Cocc. dec.437.n.2. 3. & 8. Seraphin. deciſ. 1258.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Paternæ tamen maledictionis timor, & metus, & pœna à patre comminata, qui in bonorum ſucceſſione (legitima excepta) poterat ei valde præiudicare, (ſicut iam per publicum inſtrumentum proteſtatus fuerat,) iuſtam excuſationis cauſam præbere viſa ſunt, vt non deberet compelli * ad matrimonium contrahendum: præſertim cùm eædem cauſæ antecedentem iuuenis conſenſum in contrarium diſſenſum, commutaſſe putarentur.

---

## *Verdunen. expenſarum.*

### Die Lunæ 20. Maij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Bona fides generatur ex iuſto titulo, vel ſaltem putatiuo.*

3 *Bona fides, in gerente negotium alicuius, oritur ex iuſta credulitate, quam habere poteſt.*

4 *Expenſas ſoluere tenetur ille cuius negotium geritur, & num.*6.

5 *Bona fides, quæ non excuſat à condemnatione expenſarum, nec excuſabit ad illarum recuperationem.*

7 *Commiſſio negotij data per Principem, non inducit bonam fidem, ad recuperandas expenſas factas in negotio, nec mutant naturam cauſæ.*

### DECISIO DXVIII.

QVoniam Ioannes Ramberueller, poſt multas deciſiones contra ipſum factas, adhuc conquerebatur, & ex tribus cauſis, reficiendas ſibi expenſas de bonis Epiſcopatus Verdunenſis contendebat; ideo Rota de benignitate audiendum cenſuit. 1.

Primò dicebat, deberi ſibi expenſas ratione bonæ fidei, ſeu probabilis cauſæ, quam habuit ad litigandum.

Secundò, quia principaliter geſſerat negotium Epiſcopatus.

Tertiò, propter ſuperioris auctoritatem, qui proſecutionem huius cauſæ, Eccleſiæ Verdunenſi vtilem, & neceſſariam indicauit.

Sed Domini vtraque parte informante, ſteterunt in deciſis, * nam quantum ad primum de bona fide, quam Ioannes nitebatur colligere ex concordatis Germaniæ, quorum vigore fuerat electus à Capitulo Verdunen. vnde prætendebat, ortum * titulum, vel iuſtum, vel ſaltem putatiuum † ad bonam fidem generandam. *l. igitur. §. poteſt. ff. de liberal. cauſ.* Alciatus *de præſumpt. regula 3. præſumpt.*5. *num.*4. reſponſum fuit, non fuiſſe locum bonæ fidei, quia iura *in cap. vt prætéritæ, de elect. & in cap. cupientes, eod. tit. lib.*6. & inibi doctrina Canoniſtarum, ex quibus bonam fidem probari Ioannes prætendebat, procedunt in gerenti negotium alicuius bona fide, & iuſta credulitate, prout conſuluit Zabarella *conſ.*5. vbi fuerat facta electio à Monaſterio, & in proſecutione electionis, bona fide fuerant factæ impenſæ, quas propterea licuit à Monaſterio repetere, quia illius negotium fuerat geſtum, & neque ab initio dubitabatur, an ad illud pertineret electio, ſed in caſu propoſito, vt ſæpe Rota cenſuit, tam Ioannes, quàm Capitulum principaliter geſſerunt proprium commodum, non Eccleſiæ: & ita quamuis reſpectu Capituli, ſi ab illo peterentur expenſæ, poſſet eſſe locus bonæ fidei, non tamen erat ei locus reſpectu Eccleſiæ, ſeu Epiſcopatus Verdunenſis, cuius negotium non agebatur, & illius reſpectu bonam quoque fidem excluderet reſeruatio Epiſcopatuum inducta, & nota per regulas Cancellariæ.

* ſuprà deciſ.499.

2. * & probato titulo probatur bona fides, Rot. diuer. p.1. dec. 229.n.3.

† titulus errore facti vel iuris ſuffultus, vel putatiuus quãdo producat bonã fidem ad effectum præſcriptionis, vide Ludouiſ. deciſ. 289.n 6. cum ſeq. & latè annot. n. 15. & Cocc. deciſ.295.

3.

4.

Quibus accedebat, quia ſi iſta bona fides non fuit ſufficiens ad euitandam expenſarum condemnatio 5.

demnationem, multo minus poterat ſuffragari, ad illarum recuperationem, Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de expenſis, num.* 1. Couarruu. *in pract.quaſt.cap.27.num.3.* & fuit dictum coram D. Cardinale Lancelloto die 12. Octobr. 1578. in vna Papien.bonorum, & coram R. P. D. meo Blanchetto die 8.Nouembr.1585. in cauſa Placentina expenſarum.

6. Et reſponſio aliàs per Rotam data in deciſionibus factis in hac cauſa, ad *cap. vt præteritæ, de elect.* & ad *cap. cupientes, eodem tit.lib.6.* quòd iſta iura loquantur quando tractatur de repetendis expenſis ab illo, cuius negotium fuit geſtum, eſt vera & iuridica, ex illa ratione, quia vnuſquiſque tenetur ad refectionem expenſarum, ad ſui vtilitatem factarum, * vt explicat Bellamera *in d. cap. vt præteritæ, num.* 2. & *ibidem* Ancharanus *num.* 4. quibus non repugnat Compoſtellanus *ibidem num.3.* qui licèt generaliter dicat, expenſas eſſe ab Eccleſia reficiendas, non tamen aſſerit, id habere locum in omni caſu, etiam quamuis illius negotium non fuiſſet geſtum.

*adde Dur. dec.223.n.2. Seraph. dec. 915.n.3.

Neque bona fides poterat fundari in concordatis Germaniæ, quibus non fuiſſe locum reſpectu Eccleſiæ Verdunenſis, docuerat indultum Leonis X. & obſeruantia ſubſecuta, cùm ſæpe Romani Pontifices de illo Epiſcopatu diſpoſuerint.

Secunda cauſa deſumpta ex eo, quòd principaliter prætendebatur geſtum negotium Eccleſiæ, reiecta fuit, ex deductis in deciſione facta in hac cauſa die 31. Ianuarij proximè * præteriti, vbi fuit oſtenſum, tam Capitulum Verdunen. quàm Ioannem tractaſſe proprium negotium, & eos ad priuatum commodum, non ad communem Eccleſiæ vtilitatem reſpexiſſe.

* ſuprà dec. 499.à n.3.

7. Ad tertiam cauſam de proſecutione litis ex authoritate ſuperioris, reſpondebatur, ſimplicem cauſæ commiſſionem à Principe factam, non inducere bonam fidem ad effectum recuperationis expenſarum: nam auctoritas Papæ, aut aliorum Principum, cauſas committentium, aut iubentium, vt in ſuis tribunalibus audiantur, & decidantur, ſicut non mutat naturam cauſarum, neque efficit, vt qui fouet malam cauſam, & iniuſtitiam, excuſetur ab incommodis, & effectibus à iure latis contra ſuccumbentes, & victos in iudiciis, ita non generat bonam fidem, nec tribuit maiorem credulitatem, quàm natura ipſa cauſarum, & negatiorum patiatur.

---

## *Mediolanen. pecuniaria.*

### Die Veneris 24. Maij 1596.

### DECISIO DXIX.

DVbitaui vtraque parte informante, an conſtaret de tali fideicommiſſo, quòd ſufficeret ad effectum de quo agebatur, & cùm non tractaretur de fideicommiſſo canonizando, ſed ſolùm, vt pro ſecuritate, & cautione Hermetis Recij, qui pro R.P.D.Riccio fideiuſſerit, reinueſtirentur in dominio Mediolani ſcuta 4. m.ſatis fuit fideicommiſſum fuiſſe turbidum, aut aliquam eius vmbram, per informantes pro Hermete oſtenſam fuiſſe, aut poſſibile eſſe quòd aliquod extaret.

His accedebat, quia etiam circunſcripto fideicommiſſo, Rota cenſuit, non fuiſſe remouendum ſequeſtrum, * quia pecuniæ non tantùm fuerant ſequeſtratæ, vt ſtarent pro euictione, propter prætenſum fideicommiſſum, ſed in genere pro quacunque euictione dictorum bonorum, quæ à quibuſcunque perſonis, quomodolibet prætendi potuiſſent, & in ſpecie pro euictione ab Equite Camillo, & à fratribus de Mortaria.

* de quo ſuprà dec.472. num.3.

---

## *Romana bonorum de Cerulis.*

### Die Veneris 24 Maij 1596.

### DECISIO DXX.

VTraque parte informante, propoſui memorialia in hac cauſa ſuper tractatu concordiæ, & poſt longam diſcuſſionem, Domini ad effectum concordiæ dicebant, dominam Claricem non potuiſſe petere vtrunque coniunctim, videlicet 75. loca montium Antonij Franciſci ſui patris, & quinquaginta loca montium ſacri fœderis: reſeruauerunt tamen videndum, an vno electo poſſet petere ſupplementum congruæ dotis.

---

## *Romana ſucceſſionis de Sabellis, ſiue Romana reſtitutionis dotis.*

### Die Lunæ 27. Maij 1596.

### SVMMARIVM.

3 *Natiuitas filij probatur per aſſertionem Parochi teſtificantis, ſe baptizaſſe illum.*

5 *Succeſſionis ad effectum ſatis eſt, viuam, & perfectam naſci filiam, vt patri ſuccedat, licèt ſtatim poſt matrem moriatur.*

6 *Viuere dicitur, qui habet veras vitæ functiones, & eſt compos ſenſus.*

7 *Teſtes non dicuntur ſingulares, ſi depoſitiones eorum tendant ad eundem finem, licèt diuerſimodè deponant.*

8 *Vitæ ſigna euidentia naſcentis filij demonſtrant ſuperuiuentiam eius matris.*

9 *Teſtis qualificatus dicitur Clericus.*

10.11 *Vaſallus ſubiectus Domino, ratione iuriſdictionis, poteſt eſſe talis pro eo.*

12 *Teſtes famuli, & vaſalli ſunt habiles in rebus, aliter non poſſunt probari.*

13 *Teſtis deponens veriſimilia, deponit imaginem falſitatis.*

14 *Teſtis vt concludat, debet reddere rationem rationis, & num.16.*

17 *Naſcentes exſecto matris ventre, vt credatur eſſe viuos ad effectum rumpendi teſtamentum, vrgentiores probationes eſſe neceſſaria, aſſerunt DD.*

18 *Filius ſuperuiuens matri, vel parenti, licèt ſit perbreue tempus, defert patri excuſationem reſtitutionis dotis.*

*Filia*



19 *Filia nata in ſexto, vel octauo menſe, non eſt vitalis, propter temporis defectum.*

### DECISIO DXXI.

1. DOminns Lucius Sabellus anno 1595. vxorem duxerat dominam Antoninam Cinciam, Domini Franciſci Cincij filiam, cui Franciſcus pater dotem ſcutorum 20.m. numerauit, quam Lucius reſtituere promiſerat, ſi Antonina ſine filiis moreretur; cùm verò Antonina die Sabbati 19.menſis Septemb.eiuſdem anni, in oppido Arignani filiam peperiſſet, & mox die ſequenti Antonina mater, & Franciſca filia mortem obiiſſent, & Franciſcus pater prætenderet ſibi dotem reſtituendam, vel quia filia eſſet matri præmortua, vel quia non eſſet ætatis legitimæ, ita vt quamuis matri, fuiſſet ſuperſtes; nihilominus tamen pro non nata habenda foret, contrà autem Lucius Antoninæ maritus probare conaretur, nempe filiam matri ſuperuixiſſe, hoc enim erat ſuæ intentionis fundamentum, cuius propterea ad ipſum pertineat probatio, Paulus de Caſtro *conſ.101. num.1. lib.2.*

2. Dubio propoſito, an conſtaret de ſuperuiuentia Franciſcæ filiæ, ita vt eſſet, vel non eſſet factus locus dotis reſtitutioni, vtraque parte informante, ex his, quæ tunc proponebantur, Rota cenſuit, de ſuperuiuentia filiæ ad pædictum effectum dotis non reſtituendæ conſtitiſſe: primum enim, puellam fuiſſe natam viuam, & ſacro Baptiſmatis fonte ablutam, docebat fides Baptiſmi, de quo primus etiam teſtis aſſerebat, dicens, ſe vidiſſe baptizari puellam; & ſecundus teſtis, * qui erat Parochus, fatebatur quoque, ſe illam baptizaſſe, & Franciſcæ nomen impoſuiſſe, ad text. *in cap. nam & ego, de verbor. ſignific.*

* & natiuitas per teſtes probatur, qui aſſerunt ſe fuiſſe præſentes dum naſceretur puer, Rota rec. p. 2. deciſ.483.n.3.

Antoninam matrem mox die Dominico ſequenti 10. Decembr.obiiſſe, teſtificabantur primus, & tertius teſtes, aſſerentes illam vitâ functam fuiſſe die Dominico, eadem hora, qua die
3. antecedenti filiam pepererat, & poſt obitum, populo de more vocato, cadauer fuiſſe delatum ad Eccleſiam Arignani, & traditum ſepulturæ, probabant conformiter omnes teſtes.

4. Quòd autem Franciſca filia ſuperuixiſſet matri, (qui erat potiſſimus cauſæ articulus) hac ratione informantes pro Lucio probare nitebantur: nam primus teſtis iuxta ſeptimum dicebat, ſe poſt obitum Antoninæ ab aula, in qua depoſitum fuerat illius cadauer, poſt duas, vel tres horas receſſiſſe, & ſe contuliſſe ad locum vocatum *la cucina piccola*, vbi Franciſca à mulieribus cuſtodiebatur, ibidemque illam viuam, & ſe mouentem vidiſſe, & tetigiſſe, & quòd deinde obierat hora Veſperarum.

Idem deponebat Parochus ſecundus teſtis, qui dicebat, ſe commendaſſe Deo animam Antoninæ, donec expirauit, & paulo pòſt cùm iturus eſſet ad Eccleſiam, tranſiuiſſe per eundem locum, vbi erat puella, quam viderat mouentem labia, & caput, & viuentem.

Tertius quoque teſtis conſentiebat, dicens, ſe in prædicto loco vidiſſe puellam viuentem, & caput mouentem, & inſinuantem velle plangere, quia edidit motum quendam, inſtar plangere volentis.

5. Atque ex his pronuntiauit Rota, puellam per aliquot horas ſuperuixiſſe matri; cùm tamen, ad effectum ſucceſſionis ſatis ſit viuam, & perfectam naſci, quamuis ſtatim poſt matrem moriatur. *l. vxoris. l. quod certatim. C. de poſthum. hæredib. inſtituen.* Decius *conſil.623.num.1.* Franciſcus Marcus *deciſ.169.part.2.* Bartholomæus Cæpolla *conſilio ciuili* 50. incip. *In cauſa quæ vertitur, num.8.* Baldus *in l. 1. §. in nouiſſimo. C. de caduc. tollendis*, & dicit communem Vrſillus apud Afflictum *deciſione* 236.

Vitam autem illius puellæ colligebant Domini ex actibus, & ſignis quæ non niſi per viuentes exerceri ſolent, qualia ſunt, motus capitis, & labiorum, & inſinuatio voluntatis flendi, de quibus deponebant teſtes, ex his enim motibus intelligebatur, puellam naturaliter habuiſſe veras vitæ functiones; cùm eum viuentem intelligere oporteat, qui & motus, & pulſus, & vitæ capacis ſpiritus eſt compos, atque etiam ſenſus, vt optimè explicat Ioannes Bræchæus *in l. qui mortui, num.* 2. *& ſequent. ff. de verbor. ſignific.* 6.

Quibus non videbantur obſtare deducta per informantes pro Franciſco Cincio, & primum, quòd teſtes eſſent ſingulares, ex quo non omnes ſimul, ſed vnus poſt alium viderat iſta vitæ ſigna, vt de illis teſtificabatur: nam ex quo omnia iſta ſigna tendebant ad vnum, & eundem vitæ finem probandum, non dicebantur ſingulares, Cæpolla * *dicto conſil.50. num. 4. verſ. tamen ex quo iſta omnia*; Bartolus *tract. de teſtib.num.36.* Crauetta *conſ.73.num.33.* Gabriel *tit.de teſtib.concluſione* 2. *num.* 46. 7.

* de hoc art. vide Gutierrez de matr. cap.44.n.52. vbi optimè diſtinguit circa teſtium ſingularitatem, & Farin. de teſt. q.64. num.4.

Et eo potiſſimum nomine iſta ſigna vitam puellæ arguere videbantur, quia nedum dicebantur edita per aliquot horas poſt partum, ſed etiam poſt 24. horas, & ampliùs, cùm mater probaretur defuncta vno die præcedente poſtquam
pepererat, & puella per duas, vel tres horas poſt 8.
mortem matris à teſtibus eſſet conſpecta, edere ſupradictos vitæ actus, & motus; atque ita etiam putabatur potuiſſe reſponderi ad Caſſanæum *conſil.19.incip. Nobilis Dominus, dubio 5. num.16. & ſeq.* vbi licèt requirere videatur euidentiora vitæ ſigna, non obſtat, quia videtur loqui in eo, qui non multo tempore poſt partum mortuus fuit.

Rurſus non obſtabat, quòd iſti teſtes eſſent vaſalli, & ideo non probarent pro Domino Lucio; quia præterquam quòd duo ex illis non 9.
ſubiacebant illius dominio, & ex ipſis alter eſſet Clericus, * nempe Parochus, & ſic integer, & qualificatus, tertius ſolùm ratione iuriſdictionis erat ei ſubiectus, & ſic teſtis idoneus pro Domino, Afflictus *deciſ.304.* Gabriel *de teſtib. concl.10.*
*num.21.* † idonei etiam putabantur, ex quo non habebant in cauſa aliquod intereſſe, nec particulare, nec vniuerſale, quo caſu teſtis vaſallus idoneus eſſe cenſetur, ad ferendum teſtimonium 10.
pro Domino, vel contra Dominum, Chiſanen. *deciſ.189.* incip. *Teſtes ſi ſunt ſubditi*, & fuit reſolutum coram me in cauſa Farfen. villæ Caprolæ die 12. Februarij 1593.* & in vna Spoletana bonorum, die 18.Maij 1590. 11.

Quibus accedebat, quia verſabamur in facto, quod non facilè poterat probari, niſi per famulos, vel vaſallos, quo caſu admittuntur teſtes aliàs minus idonei, † *cap. veniens el 2.* vbi Felin. *num.21. de teſtib.* Marſilius *ſingulari* 73. incip. 12.

*Plures*

*adde Lud. in d.dec.351. n.10.

† adde Seraphin. deciſ. 1443.num.1. & 2. & deciſ. 1489.n.3.

* ſuprà dec. 281.n.7. vbi alias dec.annotaui. & ſuprà dec.107. n.10.

† adde Lud. dec.351.n.6. & ſeq Mant. dec.112.n.4. Seraph. dec. 1088.n.5.

*Plures ſunt.* Gabriel *de teſtib. concluſ.* 7. *&* 10. *num.* 33.

13. Ad illud, quòd teſtes loquerentur inueriſimilia, dum dicebant, ſe vidiſſe Antoninam parturientem, & illius etiam crura, quibus intereſſe homines non ſolent, & ideo iſtis teſtibus non fuiſſe fidem dandam, cùm inueriſimile * imaginem habeat falſitatis. Socinus iunior *conſil.* 86. *num.*42. *lib.*2.

* adde Lud. dec.510.n.4. & infrà deciſ.581.n.20. & 810.n.3.

Reſpondebatur, conſiderata qualitate facti, & oppidi, iſta non videri inueriſimilia, in tanta præſertim rerum perturbatione, vbi domina erat in grauiſſimo vitæ periculo, quod primus teſtis ſatis explicuit, dicens; *che ſi auena poca cura al reſto, perche il ſeñor attendeua à ſaluare la vita de la Signora.* itaque non erat multum mirandum, ſi & magna populi multitudo confluèret, & indiſtinctè in cubiculum, vbi Antonina laborabat, ingrederetur.

14. Præterea non obſtabat dicere, quòd nullus ex teſtibus aſſerebat, vidiſſe puellam vocem emittentem, nec reddebat rationem rationis, prout videtur requirere Baldus *conſ.* 69. incip. *Factum tale eſt, lib.*5.

15. Quia dicebatur primò, ad probandam vitam infantium non eſſe neceſſariam vocis emiſſionem, aut ploratum, cùm ſine iſtis, ex aliis actibus, & motibus vera vita deprehendatur, vt explicat Ioannes Brechæus *in d.l.mortui, num.*2. *& ſeq.ff. de verbor. ſignif.* & tenet Bartolus *in l. quod dicitur num.*2. *ff.de liberis, & poſthumis.*

16. Secundò conſiderabatur, caſum ſuper quo conſuluit Baldus, longè differre ab hac facti ſpecie: nam Baldus loquitur in eo qui fuerat extractus deſecto matris ventre, & quatuor teſtes dicebant, fuiſſe extractum mortuum, & deponebant de viſu, reddentes rationem, quia puer nullum actum viuentis fecerat: duo verò teſtes dicebant, puerum fuiſſe extractum viuum, & reddebant rationem per viſum, ſed non reddebant rationem rationis, verbi gratia, quòd audiuerint vocem pueri: ſolum dicebant, quòd viderunt puerum mouentem labia & brachia, & aſpirantem, & reſpirantem: & ideo Baldus prudenter conſuluit, illos duos teſtes deponentes de vita illius pueri, non probaſſe, niſi redidiſſent etiam rationem rationis, cùm quatuor teſtes conformiter deponerent de non vita pueri.

17. Rurſus animaduertebatur, quòd in his qui ſecto matris ventre extrahuntur, ad effectum vt rumpant teſtamentum, vel aliquam diſpoſitionem inducant ex eo, quòd aſſeruntur viui extracti, maiores, & vrgentiores probationes videntur requirere Doctores, vt Alciatus, Brechæus & alij indicant *in prædicta l. qui mortui. ff. de verbor. ſignif.*

Sed in caſu propoſito, iſtæ duæ qualitates, quæ interuenerant, in caſu Baldi aberant: nam neque puella fuerat extracta de cæſo matris vtero, neque teſtes aliqui deponebant, illam editam fuiſſe mortuam.

18. Atque ex ſupradictis fuit concluſum ex his, quæ proponebantur, extitiſſe probatum, puellam ſuperuixiſſe matri, & ei poſtmodum decedenti, Lucium patrem ſuccedere debuiſſe; ita vt non foret locus reſtitutioni dotis, iuxta opinionem * Martini *in l.dos à patre.C.ſolut.matr.* Theſaurus *deciſ.*190.

* hanc opinioné Martini canonicauit Rota in vna Cluſina dotis coram Peregrin.12. Ianuar.1598.

Nam illa controuerſia, quam excitauerant informantes pro Franciſco Cincio, quòd licèt puella nata eſſet viua, cùm tamen non eſſet vitalis, non poterat impedire dotis reſtitutionem, ad quod probandum allegabatur epiſtola Domini Lucij, non erat huius ſpeculationis, cùm in hoc articulo ſolùm quæreretur de puellæ ſuperuiuentia, vnde cùm eſſet nata viua, præſumptio erat, illam natam tempore idoneo & habili, & propterea Franciſco, qui allegabat defectum temporis, & aſſerebat, natam in * ſexto, vel octauo menſe, & ſic viuere non potuiſſe, iuxta deciſionem Afflicti 236. & tradita per Tiraquellum *in l.ſi vnquam, in verbo, ſuſceperit liberos, n.*205. *C.de reuocan. donat.* incumbere onus probandi. Decius *dicto conſil.*623. Boërius *deciſ.*220. *in fine*, Burſatus *conſil.*63. *num.*21. Alciatus *conſ.*13. *num.*5. *tom.*3. *lib.* 9. cum aliis allegatis per Menochium *de præſumpt.lib.*6.*præſumpt.*52. & de hoc articulo particulariter fuiſſe agendum. 19.

* idem iudicatur in mẽſe quinto, vt per Seraph. deciſ. 1282. n.11.

## *Peruſina executionis.*

### Die Lunæ 27. Maij 1596.

SVMMARIVM.

1.2 *Marito debentur fructus dotis non ſolutæ, poſt commiſſam moram.*

3 *Moræ vt ſit locus, requiritur ſcientia debiti, ex parte debitoris.*

4 *Moram habere debitorem non dicitur, ſi debitum non ſit liquidatum.*

5 *Adminiſtrator, & creditor illius, cui bona adminiſtrat, præſumitur ſibi ſatisfeciſſe.*

## DECISIO DXXII.

In propoſitione huius cauſæ, vtraque parte informante Domini excitauerunt multas difficultates, & ideo ordinarunt, quòd reſtringeretur: quia licèt explorati iuris ſit, * marito deberi fructus dotis non ſolutæ, poſt commiſſam moram † propter ſuſtinenda onera matrimonij, *l. pro oneribus.C.de iure dotium*, notant gloſſ. & communiter Canoniſtæ *in cap. ſalubriter, de vſuris*, quod procedit tam de iure ciuili, quàm Canonico; vt volunt Bartolus *in l.in inſulam.§. vſuras num.* 2. *ff.ſolut. matrimon.* & Oſaſchus *deciſione* 132. *num.* 1. *& ſeq.* idemque cauetur ſtatuto vrbis. 1.

* vide infrà deciſ.529. in Romana hæreditatis. † Dur.dec.11. n.21. & 419. n.5. Mantic. dec.26. n.2. Rota rec.p.1. dec.481.n.1. quod extende, vt debeãtur fructus dotis, etiam ex mora irregulari, Ludouiſ. deciſ. 573. n.7. & etiam ex dote promiſſa, & non ſoluta in matrimonio putatiuo, vt per Mant. deciſ. 349.n.3.& 4.

2.

Difficultas tamen oriebatur, ex quo Aſcanio fuerant data * tot bona in ſolutum, quæ conſiderata æſtimatione tunc facta, erant ſufficientia pro integra dotis ſolutione, vnde potuit Rainutius probabiliter credere, ſe ſuæ obligationi ſatisfeciſſe, præſertim, cùm vt moræ † ſit locus, requiratur ſcientia debiti ex parte debitoris. *l. quod te. ff. ſi cert. petat.* Baldus *conſil.* 461. *dub.*4. *lib.* 2. 3.

* de hoc art. Lud. dec.93. n.2. & latè annot.n.10. † & talis ſcientia non ſufficit in genere, ad inducendam moram, vt per Seraph. dec.852.n.2. & 4.

Et quamuis Aſcanius non acquieuerit ei æſtimationi, ſed obtinuerit aliam fieri, tamen quia id fuit iuxta menſurationem faciendam, quæ tunc facta non fuit, ideo Rainutius non potuit ſcire, an ex cauſa non ſolutæ dotis remanſerit debitor, & in qua ſumma: nam menſuratione non facta, nec liquidatione ſecuta, * non videbatur incidiſſe in pœnam moræ, iuxta Baldum in l.acceptam num. 11. *C. de vſuris*, & Crauettam *conſil.* 89. *num.* 5. hæc ergo difficultas erat priùs diſcutienda, & videndum, à quo tempore mora ſumeret initium, & pro qua parte, ſeu quantitate dotis non ſolutæ. 4.

* adde Duran.dec.270. n.11.& 15.& deciſ.346. n.12. in fine, Seraphin. dec. 473.n.1.& 2.



5. Altera difficultas erat, an Aſcanius ſibi ſatiſfeciſſet de parte dotis ſibi non ſolutæ, ex quo multo tempore adminiſtrauerat bona, & geſſerat, tutelam filiorum Rainutij, propter illam regulam, quòd quando adminiſtrator, & creditor illius, cuius bona adminiſtrat, præſumitur ſibi ſatisfeciſſe. *l. ſed ſi damnum. §.præterea, id etiam, verſ.nam vt eleganter. ff. de peculio.* Afflictus *deciſione* 13. Crauetta *conſil.*129. Neuizanus *conſ.*57. quia niſi ex libris tutelaribus, & ſufficienti redditione computorum, aliud appareret, regulæ ſtandum erit, vt fuit deciſum in illa Romana adminiſtrationis tutelæ coram me die 2. Aprilis 1590.*

* ſuprà deciſ.97.n.2.

## *Taurinen. Prioratus S.Columbæ.*

### Die Veneris 31. Maij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Sententiæ duæ ſi datæ ſint in vna cauſa, & non conſtat cui ſit ſtandum, poteſt iudex apponere ſequeſtrum.*

## DECISIO DXXIII.

1. In hac cauſa Taurinen. Prioratus S. Columbæ; quia contra ſententiam Nuncij Apoſtolici, multæ nullitates proponebantur, quibus etiam laborare videbatur decretum Vicarij Montis Regalis, ita vt vix potuiſſet intelligi, propter multas oppoſitiones vtrinque excitatas, quibus
2. iudicantium decretis magis ſtandum eſſet, ideo Rota cenſuit, quòd apponeretur ſequeſtrum in beneficio, & videretur de bono iure.

## *Romana cenſus de Comitibus.*

### Die Veneris 31. Maij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Confeſſio partis, aſſerentis ſe accepiſſe aliquam quantitatem pro debito, licèt ſit extraiudicialis, probat ſolutionem.*

3 *Extraiudicialis confeſſio per idoneos teſtes probata, facit fidem tam de iure ciuili, quàm Canonico.*

8 *Confeſſio extraiudicialis, licèt aliàs non probet, ſi tamen ſit adminiculata alijs probationibus, plenè fidem facit.*

## DECISIO DXXIV.

1. * Hieronymus Abbas, & Fédericus de Comitibus, aliàs impoſuerunt cenſum annuum ſcutorum 1170. ad fauorem Balthaſaris, etiam de Comitibus, pro pretio ſcutorum 18. m. de quo conſtabat per publicum inſtrumentum, Camerali obligatione munitum, Hieronymo, Federico, & Balthaſare vitâ functis, cùm hæredes Balthaſaris integros fructus totius cenſus ſcutorum 18. m. decurſus petiuiſſent, Camillus verò, & Horatius de Comitibus ex illa ſumma ſcutorum 18.m. ſortis principalis reſtituta fuiſſe Balthaſaris ſcuta 3.m. prætenderent, & pro ea rata extinctum fuiſſe cenſum, & redactum ad ſummam ſcutorum 15. m. dubitaui, an conſtaret de prædicta cenſus extinctione.

* habetur hæc deciſ. impreſſa per Cenciũ poſt tract.de cenſi.dec.114.

Et vtraque parte informante, Rota de duobus videndum cenſuit, primò an eſſet probata ſolutio 3. m. ſcutorum: ſecundò, an dato quòd ſolutio eſſet probata, ceſſiſſet in extinctionem cenſus, pro dicta portione 3.m.ſcutorum.

Et quantum ad primam, affirmatiuè reſponſum fuit, nempe ex his, quæ proponebantur, conſtitiſſe de ſolutione 3.m. ſcutorum facta Balthaſari; duo enim teſtes aſſerebant ſæpe audiuiſſe Balthaſarem dicentem ſe habuiſſe à Dominis de Comitibus ſcuta 3. m. ad computum ſcutorum 18. m. quæ confeſſio licèt extraiudicialis * de æquitate Canonica, etiam parte abſente probat. Felinus *in cap.ſi cautio num.* 27. *de fide inſtrument.* Puteus *deciſ.*11. *num.*8. *lib.*2. præſertim cùm non ageretur de probanda delegatione acquiſita, vel aliquo alio iure, ſed de veritate rei geſtæ, quo caſu licèt verſaremur inter Romanos, inter quos attenditur ius ciuile, confeſſio † extraiudicialis per idoneos teſtes probata, facit fidem, etiam de iure ciuili. *l. deſiderium. C. depoſiti.* Felinus *in d. cap.ſi cautio, num.*28. *verſ.fallit tertiò, de fide inſtrumentor.* Curtius iunior *conſil.* 168. *num.*10. *& ſeq. lib.* 2. 2.

* adde Dur. dec.188.n.2. qui alias deciſ.allegat.

3.

† de hoc art. ſuprà deciſ. 430.vbi n.4. & 5.alias deciſiones annotaui.

Eandem confeſſionem coadiuuabat altera eiuſdem Balthaſaris aſſertio, in quodam mandato, ſeu chirographo directo Abbati Hieronymo de comitibus, vt ſolueret Comiti Annibali Scoſo ſcuta 330. in quo ſubdebat, *Chiroli faro boni à V.S. à conto del conſo delle* 15.*m.ſcudi.*

Concurrebant præterea multa adminicula, eandem ſolutionem indicantia: primum, quoniam ante impoſitionem cenſus ſcutorum 3. m. factam ad fauorem Cardinalis Azzolini, tres teſtes deponebant, audiuiſſe Balthaſarem dicentem, ſe indiguiſſe pecunia, atque ad ſummam ſcutorum 3.m. quam procurabat habere à Dominis de Comitibus ſcuta 3. m. ad computum ſcutorum 18.m. 4.

Secundum, quoniam in executionem dicti tractatus fuit impoſitus cenſus ſcutorum 3000. ad fauorem Cardinalis Azzolini, de quo patebat ex publico inſtrumento in actis producto. 5.

Tertium, aderat declaratio Abbatis Hieronymi, iuramento munita, & in dicto inſtrumento cenſus inſerta, quòd prædicta ſcuta 3000. ad cenſum accepta, deberent ſolui Balthaſari in computationem prædicti maioris cenſus ſcutorum 18.m.

Quartum adminiculum ſumebatur ex quietantia, manu Balthaſaris facta, de receptis ſcutis 1800. de ordine Cardinalis Azzolini à Ioanne Lopez qui faciebat ea ſoluere pro Federico, & Hieronymo. 6.

Cui non repugnabat, quòd Balthaſar confecerit apocham mutui, & dederit Ioanni Lopez pignora, quoniam poſt confectum inſtrumentum cenſus ſcutorum 3000. cum Cardinale Azzolino, idem Cardinalis, qui reſtituerat pecuniam Ioanni Lopez, iuſſerat etiam pignora Balthaſari reſtitui.

7. Quintum,& poſtremum erat,quia pro ſolutione reſidui, vſque ad ſcuta 3000. nempe pro ſcutis 1200. apparebant plures partitæ,quas Abbas Hieronymus, diuerſis Balthaſaris creditoribus, de illius mandato ſoluerat, videlicet cuidam Marſilio ſcuta 100. pro extinctione vnius ſocietatis officij, Antonio Formicino ſcuta 150. pro extinctione alterius ſocietatis, Fabricio Brumano ſcuta 250.pro extinctione alterius ſimilis ſocietatis; item quædam aliæ, quæ referebantur

8. per informantes pro Camillo, & Horatio, ex quibus dicebant Domini,* confeſſionem extraiudicialem plenè probare, quamuis aliàs non probaret.Paulus de Caſtro *conſil.*281.*in fine lib.*1. Rolandus *conſil.*82.*num.*47.*lib.*2. Achilles *dec.*1. *de confeſſis.*

* de hoc art. plures deciſ. annotaui ſuprà dec.118. n. 7. & 8. & deciſ.430. & vide Rotam rec. p.1. deciſ.158.n.12. & deciſ.334. n. 3. & Rot. diuer.part.1. dec.792.n.6. & 7.

Quantum ad ſecundum, Domini voluerunt particulariter videre, an prædictam ſolutionem 300.ſcutorum fuerit extinctus dictus cenſus ſcutorum 18.m.& redditus, ad ſummam 15.m.nam circa hoc, difficultatem faciebant multa, ſed illud in primis, quia ex deductis non conſtabat

9. in extinctione interueniſſe aliquem actum † ſimilem creationi cenſus, nempe retrouenditionem, vt videtur requirere deciſio Illuſtriſſimi Domini Cardinalis Lancellotti die 28. Iunij 1584. licèt de hoc eſſet videndum.

† adde Rot. in vna Romana Saluiani interdicti impreſſa per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.158.n.1. coram Litta, Ludou.deciſ. 156. n. 3. & 13. quando autem non requiratur actus retroſimilis, vide Duran.deciſ. 449.n.9.

---

## *Leodien. Canonicatus.*

### Die Veneris 7. Iunij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Reſignatarius beneficij tenetur intra ſex menſes publicare reſignationem, aliàs non valet.*

3 *Publicatio reſignationis,ſeu diligentia debent fieri, ex conſtitutione Gregoriana, vel ab eius Procuratore, vel à reſignatario.*

4 *Mandatum de immittendo obtentum ab executore, ante publicationem reſignationis, in executionem gratiæ, in forma Dignum, non prodeſt.*

5 *Gratia,*perinde valere, *non poteſt proficere, ſi ſit obtenta lite iam introducta,niſi in ea fiat mentio litis, num.6.*

7 *Beneficij titulus litigatur coram executore,ſi petatur nullum ius ad vnam partem pertinere.*

8 *Gratia præiudicialis vni parti,ratione litis motæ,ſi in ea non fiat mentio litis, eſt nulla.*

9 *Papa in gratia nunquam præiudicare vult parti colligganti, & ideo ſi non fiat mentio litis, eſt ſubreptitia.*

10 *Proceſſus factus in executione litterarum Apoſtolicarum, cùm ſit extraiudicialis, non indiget citatione.*

11 *Mentio litis eſt exprimenda expreſsè in gratia, vt non ſit ſubreptitia.*

12 *Litis mentio non eſt facienda, niſi procedat ex gratia ſubreptitia.*

## DECISIO DXXV.

1. ARnoldus à Sede Apoſtolica prouiſus de Canonicatu & præbenda,in Eccleſia Leodien. ex cauſa reſignationis ad ſuum fauorem factæ, narrauit in litteris ſuæ prouiſionis, Franciſcum Gerardinum reſignantem à ſex annis, dictum Canonicatum, & præbendam obtinuiſſe, & in Eccleſia S. Ioannis Leodien. reſediſſe, cæterùm,quia non niſi à quatuor annis obtinuerat, & in ſtudiis de licentia Capituli commoratus fuerat Arnoldus, vt hos defectus ſanaret, gratiam, *perinde valere*, impetrauerat, cui cùm Gerardus multa obiiceret, dubitaui, an prædicta gratia eſſet valida,& Rota vtraque parte informante inualidam fuiſſe, cenſuit.

Primum,quia non conſtabat,Arnoldum intra legitimum tempus, per ſe vel per legitimum Procuratorem inſtanter petiiſſe poſſeſſionem Canonicatus, ſicut facere debuerat, ex præſcripto conſtitutionis fel.record.Gregorij XIII.de publican.reſignat. *in §.is quoque*, & fuit deciſum in vna Aretina Commendæ coram R. P. D. meo Pamphilio die 16. Februar. proximè præteriti. 2.

Neque enim ſuffragabatur Arnoldo quædam citatio facta ad exhibendas litteras, quarum vigore Gerardus eius aduerſarius ceperat poſſeſſionem, & ad videndum per executorem dictas litteras, & poſſeſſionem reuocari, & declarari, nullum ius Gerardo competere, & poſſeſſionem Arnoldo adiudicari, quoniam neque conſtabat à quo fuiſſet obtenta, neque quòd fuiſſet ab aliquo Arnoldi Procuratore reproducta, cùm tamen conſtitutio * Gregoriana requirat vt iſta fiant, vel per ipſummet prouiſum, vel per legitimum illius Procuratorem. 3.

* habetur hæc conſtitutio in Bullario Cherubini in cõſtit. Gregor. XIII. tom.2. conſtit. 85. quæ incipit Humano vix,pag.469.

Mandatum verò de immittendo, obtentum ab executore per Arnoldum, propterea illum non tuebatur, quia fuerat obtentum ante publicationem reſignationis, in executionem gratiæ in forma, *Dignum*, quod ad hunc effectum prodeſſe non poterat. 4.

Dicebant præterea Domini, quòd ſi proceſſus coram Leodien. fuit legitimè factus, cùm tunc eſſet lis introducta, ideo non poterat Arnoldo gratia, *perinde valere*,ſuffragari, quoniam in ea non fecerat litis mentionem, † ſicut oportebat. *cap. finali*, cum *ibi notatis*, *vt lite pendente*. Oldradus *conſil.* 299. *num.* 5. Caſſadorus *deciſ.* 18. *num.* 6. *de præben.* & in ſimili gratia fuit ſæpe in Rota deciſum, in vna Aquilana iuriſpatronatus die 17. Iunij 1588. coram Domino Comitolo, & in alia Theleſina beneficij, die 23. Ianuarij 1595.* coram R.P.D.Seraphino,& coram bon. mem. Cæſare de Graſſis *deciſione* 1. *de præben.* in impreſſis, & coram me in vna Vrgellen. Archidiaconatus.† 5.

* adde infrà dec.555.n.3. vbi fuit confirmata hæc dec. & deciſ. 577.n.7.

† adde Seraphin. deciſ. 1110.num.1. quem ſequitur Duran. dec.5. n. 15. & infrà deciſionem ſequenté n. 2. & vide Garciam de benef.4. p. c.3. n.134. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

*in impreſſis Seraphin.deciſ.1110.

† ſuprà deciſ.208.

Nec placebat Dominis reſponſio data per informantes pro Arnoldo, quod cùm iſta lis non eſſet ſuper petitorio, ſeu titulo beneficij, ſed ſolùm ſuper immiſſione, ſeu poſſeſſorio, quòd non fecerat beneficium litigioſum. Caſſadorus *deciſ.* 4. *vt lite penden.* Lancellotus *de attentatis part.*1. *cap.*3. *num.*135. *& ſeq.* 6.

Quia reſpondebatur primò etiam ſuper titulo beneficij litem*fuiſſe inſtitutam,ex petitione Arnoldi,poſtulantis in iudicio coram executore, litteras Gerardi reuocari, & nullum ei ius competiiſſe declarari, quibus verbis non erat dubium, etiam titulum beneficij fuiſſe in controuerſiam deductum. Baldus *in Authent. litigioſa, in principio. C.de litigioſ.* Puteus *deciſ.*496. *num.*3. *lib.*2. Rota *deciſ.*44.*num.*4.*vt lite pendente,in nouis,* & fuit nuper deciſum coram me in vna Tullen. * Monaſterij die 15. Martij proximè præteriti. 7.

* adde Lud. dec.213.n.3. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. & deciſionem 532. num.1.



* ſuprà deciſ.507.n.5.

8. Secundò dicebatur, in hoc propoſito non fuiſſe ſcrupuloſè conſiderandum, an beneficium effectum fuerit, vel non fuerit effectum litigioſum, ſed an noua gratia lite pendente impetrata fuerit, vel non fuerit præiudicialis alteri colliganti, quando enim collitiganti eſt præiudicialis, indiſtinctè, etiam ſi agatur de mero poſſeſſorio, eſt ſemper facienda mentio

9. litis, cùm non præſumatur Papam voluiſſe collitiganti * præiudicare. Ægidius *deciſione* 748. *num.* 3. Oldradus *dicto conſil.* 299. *in fine.* vnde cùm in caſu propoſito gratia, *perinde valere*, ab Arnoldo obtenta, eſſet magnopere præiudicialis Gerardo habenti titulum, & poſſeſſionem, neceſſariò fuerat facienda litis mentio, quam cùm non fecerit, † gratia fuit ſubreptitia.

* adde Seraphin. deciſ. 1110. n.2. & Cocc. deciſ. 327. n. 5. & infrà 1172. n. 6 & deciſ. 398 n 6.

† add ſuprà [illegible]08.n 4. [illegible] de[illegible]

Quam non poterat ab hoc defectu liberare illa clauſula, contenta in eadem gratia, per quam Papa nedum ſanabat prædictos duos defectus initio deciſionis poſitos, ſed addidit præterea, proceſſus habitos, & habendos, quibus verbis videbatur, per relationem ad proceſſus, ſufficientem factam fuiſſe litis mentionem, ad tradita per Gabrielem *tit. de indic. concluſ.* 4. *limit.*2. *num.*6.

10. Quia reſpondebatur primum, iſta verba potuiſſe intelligi de proceſſu extraiudicialiter facto, in executionem gratiæ in forma Dignum, ex quo non inducitur lis, cùm fiat abſque citatione.

Rurſus reſpondebatur, non fuiſſe factam explicitam litis mentionem, cùm non ſufficiat ſi fiat ſub inuolucro verborum, Innocent. *in cap. ex litteris, in princ. de offic. delegat.* & fuit reſolutum in cauſa Cæſarauguſtana exemptionis del Pilar die 25. Maij 1585. coram Reuerendo Patre D.Orano.

11. Multo minus ſuffragabatur Arnoldo dicere, quòd nulla erat facienda mentio litis, ex quo Gerardus nullum ius haberet; quia præterquam quòd de non iure Gerardi non conſtabat, cùm ille eſſet reus, & poſſeſſor, ſatis illi fuerit excludere Arnoldum Actorem, per non ius illius,abſque eo quòd aliquid doceret de iure ſuo. *l.fin.C.de rei vendic.*

12. Non obſtabat litem fuiſſe motam vigore gratiæ ſubreptitiæ, quo caſu non eſt facienda mentio litis. Gabriel. *concluſ.*4. *de indic.* quia hîc non agebatur de taciturnitate litis motæ, vigore gratiæ ſubreptitiæ, ſed de lite coram officiali Leodienſis, qui vigore iuriſdictionis ordinariæ cognoſcebat de iuribus vtriuſque partis.

Poſtremò non ſuffragabatur Arnoldo illa prætenſio,quòd Gerardus impugnaſſet litis pendentiam, quia poterat nunc ab impugnatione deſiſtere; & quocunque ſe verteret Arnoldus, videbatur deſiderato auxilio deſtitui: quoniam aut lis fuerat inualida, & ſic impugnatio ſuſtinebatur, & erat locus conſtitutioni: aut lis fuerat valida, & gratia corruebat, ob non factam litis mentionem.



---

## *Placentina Capellaniæ.*

### Die Lunæ 10. Iunij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Gratia* perinde valere, *obtenta lite pendente, non valet ſi in ea non fiat expreſſa mentio litis,nec ſuffragabatur clauſula de proceſſibus habitis, & habendis, num.3.*

4 *Gratia reformatoria non indiget facere mentionem eorum quæ in prima gratia narrata fuerunt.*

5 *Gratiam ſecundam defendunt expreſſiones contentæ, in prima, & ideo in illa de iſtis non eſt neceſſarium facere mentionem.*

## DECISIO DXXVI.

* DEciſum fuerat in hac cauſa, gratiam nouæ prouiſionis obtentam à Iulio Becaria,cum expreſſa mentione litis,in omnibus fuiſſe iuſtificatam, excepto tamen valore obtentorum, quem Domini dixerunt fuiſſe meliùs probandum, vnde Iulius reſcriptum *perinde valere,* obtinuit à Sanctiſſimo vt gratia nouæ prouiſionis, perinde valeret, ac ſi in ea fuiſſet expreſſum, valorem obtentorum non excedere ſcuta.180. 1.

* habetur hæc dec. penes March. de commiſſ. p.1.pag.135.

Verùm, quia pro parte Auguſti Auergnati hæc gratia impugnabatur, dubitaui, an eſſet valida, & haberet locum ad prædictum effectum? Rota vtraque parte informante affirmatiuè reſpondit, & fuiſſe validam, & ei factum locum: quamuis enim gratia *perinde valere*, lite pendente impetrata non valeat, non facta * mentione de lite, aut ſaltem de ſtatu, & meritis cauſæ, neque ſuffragari clauſulam, de proceſſionibus habitis,& habendis; hoc tamen dicebant Domini non habere locum, quando *perinde valere* impetratur ad ſuſtinendam primam gratiam, in qua fuit facta mentio litis, quia in gratia reformatoria non eſt neceſſe facere mentionem eorum, quæ in prima gratia narrata fuerunt, cùm omnes expreſſiones contentæ in prima gratia, defendant ſecundam gratiam. Rota *deciſ.* 18. *de præben.in nouis.* Felinus *in cap. in noſtra num.*17. *de reſcript.corollario* 16. *verſ.faciás ergo tres caſus,* Rebuffus *in praxi tit.de, perinde valere, num.*47. 2. 3. 4. 5.

* adde ſuprà in deciſ. antecedente n. 5. & 6. & infrà dec. 555. n. 2. & 577. n.7.

Quod tunc maximè procedere videtur,quando in gratia, *perinde valere*, non petitur de nouo conferri beneficium, nec agitur ad eam canonizandam, ſed ad coadiuuandam, & corroborandam primam gratiam aliquo defectu laborantem, ad illum tollendum, & ſanandum, ſicut in caſu propoſito ad ſupplendum defectum expreſſionis valoris beneficiorum obtentorum.

Et licèt ex his ſuſtineretur hæc gratia, nihilominus Iulius ad omnem difficultatem, ob non expreſſionem litis ſuperandam, obtinuit,& produxit aliud *perinde valere,* in quo fiebat expreſſa litis mentio.

Et quantum ad valorem obtentorum, ex teſtibus vltimo loco examinatis dicebatur ſatis videri iuſtificatum, cùm deponerent de publica voce & fama; vnde ſumpta probatio creditur ſufficiens, Ægidius *deciſ.*674. 6.

Alia quæ proponebantur per informantes pro Auguſtino, & in primis illud, *de iure quæſito*, non erant huius inſpectionis, cùm penderent ex probationibus reſultantibus, & diſcuſſione cauſæ.

---

## *Bononien. alimentorum.*

### Die Lunæ 10. Iunij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Compenſationem non adimit cauſa alimentorum, & num.4.*
2 *Alimentorum cauſa eſt valde priuilegiata.*
3 *Pater, qui filio aſſignauit aliquid loco alimentorum, ſi illud prodigaliter diſſipauit, nihilominus tenetur filio præſtare alimenta.*

## DECISIO DXXVII.

1. DOmini ſteterunt in deciſis, *illud præterea addentes, quòd reſpectu alimentorum Mario debitorum à die petitionis, ſeu deciſionis factæ in hac cauſa citrà, quæ propriæ dicuntur futura, Verallus *deciſ.* 24. *part.* 1. non poterat admitti aliqua compenſatio, †cum perceptis à Mario, dum viueret eius pater, per text. *in l. in ea. C. de compenſat.* vbi alimentorum cauſa non recipere compenſationem, notauerunt Salicetus *num.* 1. *verſ. nota caſus*, & Baldus & communiter interpretes, & Surdus *tract. de alimentis tit.* 7. *quæſt.* 10. *num.* 8. & latiùs *tit.* 8. *priuilegio* 53. Gigas *de penſionib. quæſt.* 92. *num.* 4. eſt enim alimentorum cauſa adeò priuilegiata, vt pater filio emancipato, cui antea certum aliquid loco alimentorum aſſignauit, & ille prodigaliter viuendo, illud diſſipauit, alimenta iterum præſtare teneatur, Speculator. *tit. qui filij ſint legit.* §. 1. *num.* 12. Baldus *in Authent. contra rogatus. C. ad Trebellian.* Romanus *in Authent. quod lucrum, C. de collatio.*
2. Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum num.* 92. *de con-*
3. *ſtit.* Bartolus *in l.* 1. §. *ius naturale, num.* 18. *ff. de iuſt.*
4. *& iure.* Marſilius *ſingulari* 104. vnde R. P. D. Volta, qui hæreditatem Marij habuit cum oneribus, & honoribus, non poterat Mario alimenta negare, neque aliquam compenſationem opponere à tempore factæ taxationis ad ſcuta 10. menſtrua, ſed ſi aliquid habere à Mario prætendebat, id poterat alia via, quàm opponendo compenſationem conſequi, in cauſa enim alimentorum, illa ſemper regula ſeruanda eſt, ne is cui debentur, fame pereat.

* ſuprà deciſ. 510. n. 2. & 3. & deciſ. 378.

† Fabius deciſ. 7. de cõpenſa, nec admittitur appellatio pro alimentis futuris, decurſis ante ſententiam, vt fuit dictũ in Anconitana alimentorum corã Orano impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 1171.

---

## *Nolana mercedis.*

### Die Mercurij 12. Iunij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Procurator ad certas cauſas non eſt habilis ad alias, præter expreſſas in mandato.*
3 *Mandati verba ſtrictè ſunt intelligenda.*
4 *Procurator non habens mandatum ſufficiens ad vnam cauſam, idem eſt, ac ſi nullum haberet.*
5 *Mandatum habens clauſulam ad comparendum coram quibuſcunque iudicibus, intelligitur illud habere, quoad præmiſſa, & non vltra.*
6 *Vicarius Epiſcopi non poteſt petere ſalarium, ſi non probauerit conuentionem eſſe initam inter eos de certa quantitate, vel Epiſcopum ſolitum eſſe dare ſalaria Vicarijs.*
7 *Salarium non tenetur ſoluere Epiſcopus Vicario, ſi non conſtiterit conuentionem interſe initam decreta quantitate, vel Epiſcopum eſſe ſolitum dare ſalaria.*
8 *Salarium non conuentum non debetur, niſi probetur, quòd vnus eſt ſolitus locare, & alter conducere.*
9 *Salarium conſtituendum eſt ab Epiſcopo eius Vicario, & honeſtis perſonis.*

## DECISIO DXXVIII.

BArtholomæus Auenia, vtriuſque iuris Doctor, qui ſpatio annorum octo bon. mem. 1.
Cardinali Spinolæ dum eſſet Epiſcopus Nolanus, in officio Vicarij inſeruierat, illo mortuo, ab illius hæredibus coram A. C. ſalarium petierat, & ſententiam fauorabilem reportauerat, per quam ad ſcuta 150. annua ſibi perſoluenda, hæredes fuerunt condemnati, in gradu appellationis: cauſa mihi commiſſa, dubitaui, an illa ſententia eſſet confirmanda, vel potiùs reuocanda: & vtraque parte informante, Rota cenſuit reuocandam, tam ex capite nullitatis, quàm ex capite iniuſtitiæ.

Habetur hæc deciſio penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 1194.

Nullitatem colligebant Domini, ex defectu 2.
mandati, quia Hieronymus, & Benedictus de Spinoſis fuerant ſolùm Procuratores conſtituti ad petendum, habendum, exigendum, recipiendum, & recuperandum, & recepiſſe confitendum quaſcunque pecuniarum, rerum, & mercium ſummas, & illarum occaſione litigandum, & ſic ad agendum, non autem ad ſuſcipiendas lites motas, vel mouendas contra conſtituentes, & ita non erat ſufficiens, †ad ſuſcipiendam hanc cauſam, & comparendam in ea, quæ articulum penitus diuerſum continebat, præſertim cùm mandati *verba ſtrictè intelligi debeant. *c. qui ad agendum, de Procurat. lib.* 6. Rota *deciſ.* 13. *num.* 2. *eod. tit. in nouis*, Romanus *conſil.* 330. *num.* 6. *& ſeq.* Vantius *tit. de nullitate ex defectu mandati, num.* 81.
*& multis ſeqq.* vnde cùm mandatum non fuiſſet 3.
ſufficiens, perinde iudicatum fuit, ac ſi Procuratores nullum mandatum habuiſſent. Bald. quem
cæteri ſequuntur *in l. licet. C. de Procuratorib.* no- 4.
tat Abbas *in cap. conſtitutus, num.* 2. *de Procuratorib.*

† adde Caual. dec. 483. num. 5. & 6. Cocc. 96. n. 2. * Cocc. dec. 319. n. 2. Seraph. deciſ. 419. n. 1.

Nec ſuffragabatur clauſula * in eodem man- 5.
dato appoſita, *ad comparendum coram quibuſcunque iudicibus*; quia hæc clauſula, & aliæ ſimiles non ampliant mandatum, ſed intelliguntur de præmiſſis, & quo ad præmiſſa. Alexander *conſil.* 22. *in fine, lib.* 1. & in ſimili caſu fuit deciſum in cauſa Calaguritana iuriſdictionis die 2. Decembris 1580. coram bon. mem. Domino de Rubeis, quam interpretationem non obſcurè recipiebant etiam verba huius mandati, †illa videlicet, *& demum in præmiſſis, & circa præmiſſa.* ex quibus apparebat, voluntatem conſtituentium fuiſſe, ſolùm conſtituere Procuratores ad prædi- 6.
ctum exigendi effectum.

*adde Mant. dec. 291. n. 2. Seraph. dec. 824. n. 3. & 4.

† vide Seraphin. deciſ. 1124. & 831. n. 5.

Iniuſtitia eiuſden ſententiæ conſtabat, ex eo, quòd Bartholomæus non probauerat, ſe de certo

*adde Mant. dec. 266. n. 1. & 9. Coccin. dec. 256. n. 2.



ſalario cum Cardinali Epiſcopo conueniſſe, & Cardinalem fuiſſe ſolitum cum ſalario Vicarios conducere, *l. ſalarium, C. mandati.* Bartolus *in l.* 1. §. *ludi. ff. de varijs & extraordin. cognit.* Federicus de Senis *conſil.* 218. Puteus *deciſ.* 43. *lib.* 2. *deciſione* 1. *lib.* 3.

7. Quod maximè locum habet, iuxta ſententiam, quam Rota profitetur, quæ ſæpe iudicauit, ſalarium non conuentum non deberi, niſi duo extrema copulatiuè concurrere probentur, nempe quòd vnus ſit ſolitus locare, * alter verò conducere, iuxta *conſil.* Alexandri 109. *lib.* 2. & deciſionem Putei 43. *lib.* 2. neque ſufficit, quòd alter tantùm † probet ſolitum ex parte ſua; vt ſæpe etiam Rota cenſuit, & nuper tenuit in cauſa Romana mercedis die 18. Februar. 1593. coram Illuſtriſſimo Cardinali Arigonio tunc Rotæ Auditore.

*adde ſuprà dec. 138. n. 2. vbi aliàs deciſ. annotaui. † de materia huius deciſ. vide March. de commiſſ. p. 1. vbi allegat decem deciſiones diuerſorum D. Auditorum à pagin. 1191. cum ſequent.

Non obſtabant deducta in deciſione in cauſa Tauritana mercedis coram R. P. D. meo Seraphino die 20. Maij 1589. * ex qua videbatur concludi, prædicta non habere locum in Vicariis Epiſcoporum, & aliis honeſtis perſonis, quibus
8. ſalarium debet conſtitui. *l.* 1. *ff. de varijs & extraordinar. cognitionib.* dixerunt enim Domini, caſum illum non conuenire huic themati, in quo Bartholomæus victum pro ſe, & famulo, & commodam habitationem habuerat ab Epiſcopo, item redditus, ſeu prouentus audientiæ Vicariatus; quibus addebatur conſuetudo eiuſdem Cardinalis quem aliis Vicariis nullum ſalarium perſoluiſſe teſtificabatur Secretarius Cardinalis, cui tanquàm veriſimilia deponenti credendum putabat.

*in impreſſis Seraphin. deciſ. 849. & penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pagin. 1192. & adde eundem Seraph. dec. 74.

Accedebat poſtremò fama publica, quòd Bartholomæus ſeruiebat ſine ſalario: item quia erat diœceſanus, cùm ſimiles ſæpe in patria ſoleant abſque emolumentis huiuſmodi munera honorifica obire. Rurſus quoniam viuente Cardinale, non petiuerat ſalarium. Denique à Cardinali fuerant ei collata Eccleſiaſtica beneficia: ex his enim facilè inducebantur Domini, ad credendum, Bartholomæum abſque alio ſalario inſeruire voluiſſe.

---

## *Romana hæreditatis.*

### Die Veneris 7. & die Mercurij 12. Iunij 1596.

## DECISIO DXXIX.

1. HAnc cauſam propoſui vna tantùm parte informante die 7. Iunij, & tunc fuit deciſum non deberi Dominæ Lucidæ aliquos fructus: item vtraque parte informante, illam propoſui die 12. eiuſdem menſis, & Domini ſteterunt in deciſis: * nam cùm fructus dotis non debeantur, niſi probata mora, eos ſoluere debentis, in hac facti ſpecie Rota nullam videbat probari moram: dos enim Lucidæ erat ſcutorum 1500. vt in primo præſuppoſito: & pro ſcutis 800. die 26. Nouembr. 1583. fuit aſſignata quædam vinea D. Hieronymo Romanino, marito Lucidæ, à quo die non poterant prætendi aliqui fructus pro dicta portione dotis, cùm fructus vineæ loco illorum ſucceſſerint. *l. promittenda,* §. *fin. ff. de iure dot.* §. *fuerat, Inſtit. de actionibus. l. vnica,* §. *ſed etſi. C. de rei vxor. actionib.*

* vide ſuprà deciſ. 522. in Peruſina executionis n. 3. & ſeq.



Non obſtabat, quòd eadem vinea paulo poſt dictam aſſignationem, eidem Hieronymo per tutorem pupillæ factam, fuerat locata pretio ſcutorum 50. & propterea dictam dotis aſſignationem non habuiſſe effectum, ſed aliam in pecuniis fuiſſe Hieronymo factam aſſignationem.

Quia reſpondebatur, per ſententiam Cardi- 3.
nalis Iuſtiniani fuiſſe annullatam prædictam locationem, vnà cum ſecunda dotis aſſignatione, tanquam in fraudem pupillæ factam, & ſic nullum potuiſſe nunc deſuper fieri fundamentum, nec deberi aliquos fructus pro dictis ſcutis 800. quoniam fructus vineæ (vt prædictum eſt) erant loco fructuum dotis, quos Hieronymus poſt dictam vineæ aſſignationem percepiſſe cenſebatur.

Reſiduum dotis erant ſcuta 700. pro quibus 4.
ſimiliter dicebatur, non potuiſſe prætendi fructus, ex quo de menſe Ianuarij 1584. & ſic paulò pòſt, dictam dotis aſſignationem conſtabat ex 10. præſuppoſito, multas pecuniarum ſummas ad manus Hieronymi perueniſſe, in quibus cenſebatur inducta pro reſiduo dotis ſatisfactio, & propterea ab illo tempore, nullos quoque fructus Hieronymus prætendere poſſet.

Quantum ad lucrum quartæ partis, non adde- 5.
retur difficultas, nam cùm ſtatim poſt datam cautionem debitam ex forma ſtatuti vrbis, fuerit Hieronymo quarta pars dotis perſoluta, mediante cedula bancharia, non poterat prætendere aliquos fructus, cùm nulli ſibi deberentur.

Dicebat tamen vnus ex Dominis, quòd cùm 6.
die 16. Octobris 1584. fuiſſent Hieronymo ſoluta ſcuta 185. pro reſiduo dictæ dotis, conſequebatur pro hac rata portione, ei videri debitos fructus ad rationem ſcutorum 7. pro centenario ex diſpoſitione ſtatuti, eos verò fructus ex ea cauſa debitas conſtituiſſe ſummam ſcutorum 11. & 28. baiocorum.

---

## *Romana hæreditatis de Anguillaria.*

### Die Veneris 21. Iunij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Donatio ſimulata non præſumitur, niſi doceatur de cauſa ſimulandi.*
4 *Commiſſio ad non expreſſa non extenditur, cùm ſit ſtricti iuris.*
5 *Nullitas contractus ex obſcura, & incerta commiſſione, non poteſt induci.*
6 *Donatio ex metu reuerentiali præſumitur, ſi fiat in præſentia patris, ex importunis eius precibus.*
7 *Perſuaſio nimia patris, ad donationem faciendam à filio, coactioni æquatur.*
*quod intellige in minore, num.* 8.

## DECISIO DXXX.

* VTraque parte informante propoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini ſteterunt in



deciſis

* habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt tomo 2. conſil. dec. 112.

deciſis ſub die 12. Ianuarij proximè præteriti,
* ſuprà deciſ.491.
* ex eiſdem rationibus,quibus tunc deciſio fuit
ſtabilita, quia donatio fuerat fauore agnationis,
& valde veriſimilis, ex eo, quòd Virginius, qui
nullos ſuſceperat filios, rationabiliter fuerat
motus ad donandum fratribus, per quos familia
conſeruaretur; quæ omnia,quia in alia deciſio-
* in d. deciſ. 491. n. 3. & ſequent.
ne * latè deducta fuerant, non fuerunt modò
repetita in hac propoſitione, in qua laboratum
potiſſimum fuit, in reſpondendo argumentis
deductis per informantes pro Illuſtriſſima do-
mina Æmilia Vrſina.

Et primum, ad illud quòd donatio fuiſſet ſi-
mulata, vt colligebatur ex duplici proteſtatione
facta à Virginio, reſpondebatur, fraudem, & ſi-
2. mulationem nunquam præſumi, niſi doceatur
* adde ſuprà dec.215.n.1. & deciſ.358. & 446.
de cauſa ſimulandi. * Crauetta *conſ.*145. *num.*2.
Ancharanus *conſil.*227.*num.*2. Barthol. *conſil.*65.
incip. *Factum tale,num.*4. Alexand.*conſil.*111. in-
cip.*Viſo ſuperiori themate, num.*1.*lib.*3. Rota *dec.*1.
*num.*2. *de donatio. in nouis.* & fuit dictum coram
* ſuprà deciſ.327.
me in Romana de Grandis 11.Octobr.* 1593.
in hac verò facti ſpecie,potius affuiſſe veriſimi-
lem cauſam donandi ob prædictas rationes,
quàm fraudulenter agendi, & ſimulandi.

3. Quantum ad ſecundum de metu reuerentiali,
quo prætendebatur inductus Virginius ad do-
nandum,quo ceſſante non fuiſſet donaturus,di-
cebatur,nullum probatum ſufficientem metum,
qui conſenſum ad donandum neceſſarium ex-
cluderet,neque ex iteratis proteſtationibus,me-
tum potuiſſe deduci: quoniam proteſtationes
illas potiùs fecerat Virginius,vt vxori placreet,
& ei morem gereret, quàm vt coactè ſe dona-
uiſſe doceret, vt ex dictis teſtium compertum
fuerat.

4. Sed neque ex eo oſtendebatur Virginius in-
uitè,& coactè donaſſe, quòd ſtatim poſt obitum
Auerſi patris,commiſerat cauſam nullitatis, ſeu
reſciſſionis donationis,quia ex ſerie commiſſio-
nis apparebat, nullum in ea fieri de donatione
verbum, & cùm regulariter commiſſio ad non
* ſuprà dec. 224.n.6.
expreſſa * non extendatur, cùm ſit ſtricti iuris.
gloſſ.*in cap.*1.*& in cap.diſpendia, & in c.ſtatutum,*
5. *de reſcript. lib.*6. abſurdum videbatur, ex obſcura
incertáque commiſſionis narratiua,claram, cer-
tamque obtinentis commiſſionem, concludere
voluntatem, & præſertim ad inducendam con-
tractus nullitatem.

6. Ad illud, quo maximè vtebantur informan-
tes pro domina Æmilia, de præſentia patris, in
actu donationis,& de importunis illius precibus
probatis per teſtes, quæ ſufficiunt ad inducen-
dum metum reuerentialem,excluſiuum conſen-
ſus requiſiti ad validitatem donationis. Socinus
*conſil.*263.*num.*2.*& ſeq.lib.*2. qui teſtatur de com-
muni; reſpondebatur, præſentiam patris fuiſſe
requiſitam ex diſpoſitione vrbis ſtatutaria, ex
qua propterea non poterat metus argui,ſicut ne-
que ex precibus,aut iuſſu Auerſi patris,tum quia
preces non fuerant tales, vt ex eis probaretur
ſufficiens metus inductus,vt latè deductum fue-
rat in deciſione, tum quia donatio non reſpicie-
bat commodum patris, vt contigerat in caſu de
7. quo fuerat Socinus conſultus.

8. Ad Curtium iuniorem *conſ.*141.*num.*18.*lib.*2.
*adde ſuprà in d.dec.491. n.16.
aſſerentem, nimiam perſuaſionem coactioni
æquari,reſpondebatur, Curtium loqui de mino-
ri, ſecus autem eſſe de maiori,* qualis erat Vir-
ginius,qui 30.ætatis annum exceſſerat,qui ob id
non erat iſtius coactionis, & impreſſionis vio-
lentæ capax. Socinus iunior *conſil.* 47. *num.* 31.
*&* 32. *lib.*3. Rodericus Suarez *allegatione* 24.*circa
finem.*

Poſtremò, prætenſio læſionis non vitiabat
donationem; quia non concurrebat metus, vt
latè deductum, & probatum fuerat in de-
ciſione.

## *Taurinen. decimarum.*

### Die Veneris 21. Iunij 1596.

### SVMMARIVM.

2.3 *Attentatum dicitur, quidquid poſt appellatio-
nem prouideat iudex.*

4 *Attentatum purgatur, ſi iudex reuocauerit, quod
prouidit appellatione pendente.*

5 *Attentata non reſultant ex actu proueniente ex
facto tertij, contra alium non dantem impedi-
mentum, nec aliquid operantem.*

### DECISIO DXXXI.

IN iudicio quod ſuper decimis, (de quibus 1.
agebatur) Dominus Archiepiſcopus Tauri-
nenſis, contra Comites de Valperga intentaue-
rat, & duas ſententias fauorabiles reportauerat,
vnam ſub die 6.Aprilis ann.1586. & alteram die
28.Iunij 1594.quia volebat in Rota ad vlteriora
in negotio principali coram me procedere, &
pro parte Comitum apponebatur de attentatis,
quæ ante omnia erant purganda, ideo dato du-
bio,an de attentatis conſtaret, vtraque parte in- 2.
† vide infrà dec.534.n.1.
formante, Rota cenſuit de attentatis quidem
conſtitiſſe ex eo,quòd appellationem † interpo- 3.
* adde Dur. dec.96. n. 1. & 198. n. 3. & 313. n. 1. Caual. deciſ. 211. num. 1. Mantic. dec. 33.num. 1. & aliàs ſæpe.
ſitam per Comites ab vltima ſententia contra
eos lata, eiuſdem Archiepiſcopi Vicarius decre-
uerat inhibitionem,& præceptum pœnale,quod
fuit executum contra ſubditos Comitum,ne eis
ſoluerent decimas. Item quoniam paulo etiam
pòſt, Archiepiſcopus ad quandam concordiam
cum dictis ſubditis deuenerat,in qua fuerat con-
uentum,vt ſubditi pro quibuſcunque decimis ei
ſoluerent 80.ſcuta annua auri in auro,illos enim 4.
†iudex enim poteſt purgare attentata per eum commiſſa. Cocc. deciſ. 371.n.6.
actus appellatione pendente geſtos, Rota iudi-
cauit attentatos, * *c.non ſolùm,* vbi gloſſ.& com-
muniter DD.*de appell.lib.*6.

Cæterùm, quia Procurator Archiepiſcopi
habito ſpeciali mandato,prædictis attentatis no-
mine ſui principalis renuntiauerat, nec conſta- 5.
*adde Mant. deciſ.322. n. 15.hæc concluſio non habet locum quando tertius habet cauſã à parte quæ eſt in lite, Lud dec. 14.n.6.& fuit dictũ in Vrgellẽ Archidiaconatus coram Gipſio impreſſa penes March. de cõm. p.2. pag.573.n.3.
bat Archiepiſcopum aliquid decimarum exegiſ-
ſe, propterea fuit etiam reſponſum, attentata
fuiſſe purgata,† & inſuper ad abundantem cau-
telam ordinatum,quòd daretur Comitibus man-
datum de manutenendo in exactione decima-
rum, donec diſcutiebatur cauſa in petitorio.

Neque enim placuit Dominis prætenſio Co-
mitum, dicentium ſemper durare attentata, ex
quo ſubditi de Valperga propter concordiam
initam cum Archiepiſcopo, & præceptum eiſ-
dem factum, recuſabant ſoluere decimas, tum
quia Archiepiſcopus non tenebatur,niſi ad præ-
ſtandam ſolam patientiam, vt Comites poſſent
decimas exigere, tum quia ex denegatione, ſeu
actu proueniente ex facto tertij * contra alium,
non



non dantem impedimentum, nec aliquid ope-
rantem,non reſultant attentata.Rota *deciſione* 2.
*vt lite pendente,in antiquis,*Mohedanus *deciſ.*205.
* in impreſſis Seraphin. 582.
quæ eſt 4. *vt lite pendent.in impreſſis,* & fuit deci-
ſum in vna Spoletana domus die 18.Iunij 1582.
coram R.P.D.meo Seraphino.*

† habetur hæc deciſio impreſſa per Durãdũ poſt comment.ad cõſt.Pij V.de cenſ. deciſ. 462. per Cẽcium poſt tract.de cenſi. dec.6.
* de qua ſuprà dec.155. n. 2. & quæ pacta annullent impoſitionem cenſus,annotaui ibid.n.10.

## *Romana cenſus de Caua-
lerijs.*

### Die Mercurij 26. Iunij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Cenſus vt valeat, debet imponi ex conſtitutione
Pij V.ſuper re natura ſua fructifera.*

3.4 *Cenſus impoſitus in fundo, in quo erat alius im-
poſitus, licèt non ſit capax ſecundi,nihilominus
ſubſiſtit,& competit actio contra venditorem;
vt res liberetur, vel faciat conſentire habentem
intereſſe.*

1.

2.

† cẽſus ſubſtantia conſiſtit,vt imponatur ſuper re immobili, & fructifera & in pecunia numerata, Caualer.dec. 509.n.9. Rota in vna Rauenaten.cenſuum coram Manzanedo impreſſa penes March. de commiſſ. p.2.pag.556. n.3.Rota recen.p.1. dec. 607. n. 1. & deciſ.80. in impreſſis per Durãdũ poſt tom.2. comment. in Extraua. Pij V. & inibi, dec. 88 n 4.

### DECISIO DXXXII.

DIe 13. † Maij proximè præteriti, Domini
omiſſa ſcrupuloſa diſputatione ſuper vſu-
raria prauitate, quam abfuiſſe ab iſto contractu
ſentiebant, reſtrinxerunt difficultatem ad vali-
ditatem cenſus Dominorum de Vitelleſchis, ad
quam in hac propoſitione Rota affirmatiuè re-
ſpondit,cenſum fuiſſe validum: licèt enim tem-
pore impoſitionis cenſus ad fauorem Vitelleſ-
chorum, quarta pars caſalis fuiſſet prauata alio
cenſu,ad fauorem Rogerij,valido, & anteriori,
ita vt deductis fructibus Rogerio perſoluendis,
non ſupereſſent ex fructibus dictæ quartæ par-
tis caſalis,niſi ſcuta 55.& ſic non eſſet capax im-
poſitionis cenſus ſcutorum 140.ad fauorem Vi-
telleſchorum, nihilominus cenſus iſte fuit pro-
nunciatus validus, tanquam impoſitus iuxta
formam conſtitutionis * Pij V.ſuper re ſua na-
tura fructifera, † quæ tempore creati cenſus
credebatur ſufficere, non ſolùm pro cenſu Vi-
telleſchorum,ſed etiam pro alio Dominorum de
Rogeriis.

3. Neque obſtabat, quòd fundus ſuper quo cen-
4. ſus imponebatur, non eſſet liber, nec capax ta-
* vide infrà dec.802.n.6. & Rotam in impreſſis per Durandum poſt tom. 2. comment.ad cõſt.ſiue Extraua. Pij V. deciſ.13.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.
lis cenſus, cùm ſuper illa iam eſſet alius cenſus
impoſitus; quia reſpondebatur, quòd cùm non
conſtaret de ſcientia Vitelleſchorum, empto-
rum dicti cenſus, non propterea reddebatur in-
ualidus; competebat tamen actio contra vendi-
torem,vt res liberaretur, * vel faceret conſenti-
re habentem intereſſe.*l.ex his prædijs C.de euictio.*
Decius *conſ.*483.*num.*18.Oſachus *deciſ.*24.*num.*4.
*& ſeq.*& fuit deciſum in vna Romana cenſus co-
ram R. P. D. meo Decano die 6. & 17. Apri-
lis 1577. †

† habetur dec.586.p.1. diu.& in impreſſis Seraphini deciſ. 321. & adde infrà deciſ. 668.n.6.

Et eo magis in hanc ſententiam itum eſt,
quia in cenſuum impoſitione ſolet apponi clau-
ſula, quòd cenſus eſt bene, & validè impoſitus,
& quòd res eſt capax,& pleno iure dominij per-
tinens ad venditorem,qui promittit facere con-
ſentire omnem perſonam.

Atque ita reſponſum ſecluſo omni effectu.

## *Bononien. fideicommiſſi de
Felicinis.*

### Die Mercurij 26. Iunij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Melioramenta conſiderantur facta in fundo, ſi
per culturam, terrâ infructiferâ,reddatur fru-
ctifera.*

### DECISIO DXXXIII.

PRæmiſſis nonnullis præſuppoſitis, vtraque 1.
parte informante, ſuper dubio concordato,
an probarentur talia melioramenta facta in poſ-
ſeſſionibus, & terris de la Bariſella, quæ veni-
rent reficienda, reſponſum fuit affirmatiuè, ex
teſtibus enim examinatis pro parte Portiæ Lu-
douicæ, & Martiæ de Felicinis conſtabat, Her-
culem Felicinum multa melioramenta feciſ-
ſe in dicto prædio della Bariſella, cùm partem 2.
* & quoties fructus augẽtur, conſideratur melioramẽtum in re, vt per Rotam rec. p 2.dec.650. n.4.
eius incultam redegerit ad culturam, * & aliam
partem, quæ ſæpe obruebatur aquis fluminis
Sapinæ,ita in altum extulerit,vt de ſterili,& in-
fringifera,fertilis,& proficua effecta fuerit. Vn-
de ſatis dicebatur conſtitiſſe de melioramentis,
ſaltem in genere, † *l.domus ff.de legat.*1. Socinus
ſenior *conſil.* 82. *in fine*, *lib.*4. Pariſius *conſil.* 55.
*num.*22.*lib.*3. Alexander *conſ.*162. *lib.*7. & Peru-
ſini *deciſione* 24.

† quod ſufficit pro retẽtione rei,Rota recen p.2. dec.161.n.2. & fuit dictũ in Romana de theſauris, impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag. 1087. n.2.

Et quoniam reficienda * veniebant, ante-
quam Martia,& litis conſortes id prædium Do-
minis de Felicinis vigore fideicommiſſi debi-
tum, reſtituerent, propterea fuit ordinatum, vt
certus eis dierum terminus † præfigeretur,prout
factum fuit, intra quem melioramenta in indi-
uiduo probarent,vt illis intellectis,Rota deinde
cenſeret,quorum habenda ratio eſſet.

* & melioramenta ſunt deducẽda antequam poſſeſſor reſtituat rem fideicommiſſo ſubiectã. Ludouiſ. deciſ. 266.n 8.
† terminus de ſtilo Rotę datur ad liquidandum melioramẽta, Dur. dec. 153.num.14. Cau.dec.86. n 4.& 5. & dec.543.n.5. Rota recen. p.2.dec.151. n.5.

## *Firmana fideicommiſſi.*

### Die Mercurij 26. Iunij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio capta auctoritate iudicis, dicitur
iuſta.*

3 *Poſſeſſio anterior non deperditur, etiamſi alia
pars ſecundam capiat, ſi primus poſſeſſor non
ſit citatus.*

4 *Poſſeſſio poſſeſſioni addi poteſt.*

5 *Poſſidere quis poteſt eandem rem, ex diuerſis
cauſis.*

### DECISIO DXXXIV.

1.
* vide ſuprà dec.531.n.2. Ludouiſ.dec. 251. n. 2.& 336.n.6. & infrà deciſ. 1087. n. 2. Rotam rec. p.2.dec.701. n.1.

POſſeſſionem captam vigore ſententiæ Epi-
ſcopi Firmani,Domini dixerunt fuiſſe atten-
tatam, quia fuit capta appellatione * pendente,
*cap. non ſolùm*, *de appell. lib.*6. Mohedanus *deci-
ſione* 150. incip. *Papa conſulit.* quæ eſt 11. *de præ-
bend.* in impreſſis, Pariſius *conſil.* 107. *num.* 126.
*lib.* 3.

Quia tamen Iulius Latinus,auctore prætore,
nemine tunc in poſſeſſione exiſtente, nec con-
tradicente

2.

tradicente immiſſus fuerat in realem, & actualem poſſeſſionem omnium bonorum mobilium, & immobilium, hæreditariorum Catherinæ Boncontiæ, quam deinde poſt obitum Iulij, Martius, Iacobus, Ioannes, & Antonius, illius filij legitimi, & naturales infantes per legitimas perſonas tutorum ſuorum, paternam hæreditatem adeuntes, & poſſeſſionem capientes continuarunt, ideo hæc poſſeſſio iudicabatur bona, quoniam iſti de Latinis non nitebantur poſſeſſione capta vigore ſententiæ Vicarij Firmani, ſed antiqua capta per Iulium patrem ex decreto * iudicis. *l. iuſtè poſſidet. ff. de acquirend. poſſeſſ.* & maximè, quia nondum conſtiterat, eos ſe habuiſſe pro ſpoliatis.

* & poſſeſſio à iudice tradita præſumitur iuſta, Ludouiſ. dec. 336. n. 14.

Neque obſtabat, quòd per ſententiam locumtenentis Maceraten. Domini de Cambiis & Felicibus fuerint miſſi in poſſeſſionem, quia cùm illi de Latinis non fuerint citati, † nec ſe habuerint pro ſpoliatis, non amiſerunt ſuam anteriorem * poſſeſſionem.

3. † quod ſemper fieri debet. Lud. dec. 46. n. 7. etiãſi ſit iniuſtus poſſeſſor, Caual. dec. 501. n. 2. Coc. 41. dec. 82. n. 6. Mantic. dec. 194. n. 3.

Quibus non officiebat, quòd poſtea obtinuerint immiſſionem † à Vicario Firmano, quia ſi non ſe habuerunt pro ſpoliatis, iure potuerunt poſſeſſionem poſſeſſioni addere, cùm poſſeſſio poſſeſſioni cumulari poſſit. *l. qui bona. §. fin.* vbi Paulus de Caſtro, *verſ. ſed ſi nollet ff. de acquirend. poſſeſſ.* maximè cùm nemo prohibeatur eandem rem ex diuerſis cauſis poſſidere. * *l. 3. §. ex pluribus ff. de acquirend. poſſeſſ.* Alexander poſt Bartolum *in l. ſingularia, num. 10. ff. ſi cert. pet.* Caſſadorus *deciſ. 42. num. 37.*

4. * adde Lud. dec. 40. n. 3. Mantic. dec. 185. n. 3. Rotam rec. p. 2. dec. 35. n. 3. & aliàs ſæpe.

Quæ opponebatur contra ſententiam Vicarij Firmani, non erant præſentis ſpeculationis.

5. † de hoc art. vide Durand. dec. 279 à n. 10. & ſequẽt. & præcipuè n. 17. & 328. n. 6. & ſeqq. Mantic. dec. 20. n. 1. Lud. dec. 46. n. 4. Caualer. dec. 534. n. 6. * poſſidendi cauſa quando quis cenſeatur mutaſſe vide latè Lud. dec. 546. n. 2. & annot. n. 15. vbi plures dec. allegat, Coccin. dec. 67. num. 4. & dec. 130. n. 6. Rotam rec. p. 2. dec. 120. n. 2.

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 28. Iunij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Succeſſio ab inteſtato, dicitur ſucceſſio bonorum particularium.*

3 *Neptis non poteſt petere ſupplementum legitimæ dotis ei datæ.*

4 *Legitimæ titulo data dos, ab ea reyciendum eſt omne onus.*

5 *Auus non tenetur dotare neptem, quando ſuperſunt bona patris, quæ ſufficiant ad eam dotandam.*

6 *Neptis habens primum locum ex perſona propria, quoad auum, in bonis eius habet legitimam.*

7 *Dotem conſtituere matrem filiæ, idem eſt, ac ſi pater eam dotaſſet.*

8 *Filius, vel filia ſubintrans in locum patris, intrat cum ſua qualitate maſculinitatis, vel fœminitatis.*

## DECISIO DXXXV.

1. * ſuprà dec. 520.

DIe 24. Maij proximè præteriti, * vtraque parte informante, propoſui in hac cauſa memoralia, ad effectum ineundæ concordiæ, & tunc fuit dictum, Dominam Clariciam non potuiſſe petere vtrumque coniunctim, nempe 75. loca montium Antonij Franciſci patris ſui, & quinquaginta loca montium ſacri fœderis; reſeruatum tamen fuit videndum, an vno electo, poſſet petere ſupplementum congruæ dotis.

2. * legitima an ſit pars hæreditatis eſt valde cõtrouerſum, pro quo vide Ludouiſ. dec. 244.

Cæterùm, quia Aduocati Dominæ Clariciæ acriter contendebant, vt perſuaderent illam ſucceſiſſe *patri ſuo, in bonis peculiaribus, *Authent. de hæredit. ab inteſtato. §. ſi quis igitur*; & vlteriùs auum teneri ad relinquendam ſibi legitimam, ex quo Antonius Franciſcus, Clariciæ pater, prædeceſſit Hieronymo auo, & per conſequens ipſa cœperit tenere primum locum ex perſona ſua, non autem ex perſona ſui patris, *l. ſi auus C. de liber. præterit.* & auum, propterea ſi voluit eam excludere ab hæreditate, & à legitima propter ſtatutum vrbis, debuiſſe illam dotare, nec potuiſſe Clariciam in dote ei debita grauari, quia cùm ſuccedant loco legitimæ, † licèt ſtatutum deroget diſpoſitioni *l. omni modo. C. de inoffic. teſtament.* vbi neptis non poteſt petere ſupplementum legitimæ, non tamen derogat. *l. quoniam in prioribus, C. eod. tit.* diſponente, vt omne onus reiiciatur,* vt fuit deciſum in vna Romana de Marganis coram Reuerendiſſimo Rebuſterio die 9. Martij 1583. & pro hac ſententia ſtare Socinum iuniorem *conſ. 79. per totam*, & præſertim *n. 41. & 45. lib. 3.*

3. † dos quãdo ſuccedat loco legitimæ, vide Ludou. dec. 565. n. 2. & 2. & 3. latè annot. n. 11. & an filia poſſit petere ſupplementũ ex quo fuit excluſa ab ſtatuto, vide Rotam rec. p. 1. dec. 46. n. 10.

4. * adde Cau. dec. 161. n. 4. vſque in finem, & dec. 341. n. 1. Seraphin. dec. 815. n. 2. Rotam rec. p. 2. dec. 259. n. 4. & dec. 381. n. 4. & p. 1. dec. 200. n. 1. & 318. n. 3. & 449. n. 3.

Ideo cauſa iterum propoſita, Domini ad effectum eiuſdem concordiæ (præſuppoſitis ſemper pro validis, & firmis deciſionibus, aliàs in hac cauſa ad fauorem Dominæ Clariciæ factis) ſteterunt in deciſis, videlicet, Dominam Clariciam non potuiſſe vtrumque coniunctim petere.

Rationes potiſſimæ fuerunt duæ: prima, quia auus non tenetur dotare neptem, quando ſuperſunt bona patris illius, † quæ ſufficiant ad eam dotandam, Baldus *in Authent. res quæ C. communia de legat.* Ripa *in l. 1. num. 74. ff. ſolut. matrim.* Decius *conſ. 66.* & fuit deciſum in vna Portuen. bonorum die 26. Februar. 1580. coram R.P.D. meo Seraphino, * vnde Claricia, viuente patre, bona peculiaria habente, non erat dotanda de bonis aui, cùm bona paterna ſupereſſent, in quibus poterat dotem conſequi.

5. † adde infrà dec. 655. n. 5. *in impreſſis Seraph. dec. 447. n. 5. an autem auus maternus teneatur dotare neptem, vide eundem Seraph. dec. 41. n. 3. & deciſ. 58 n. 3. & ſeqq. & habetur penes, Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 1189. & Rotam rec. p. 2. dec. 233. n. 1. & an idẽ ſit in bonis auię paternę, vide Rotam rec. p. 1. dec. 479 n. 7. Lud. dec. 539. n. 1.

Neque obſtare, quòd ipſa defuncto patre cœperit tenere primum locum ex perſona propria, & neceſſe fuiſſe, vt in bonis aui etiam legitimam, † ex diſpoſitione iuris communis ſibi debitam, conſequeretur. Socinus iunior *dicto conſil. 79. num. 45.* & ab illa omne onus fuiſſe reiiciendum: ad hoc enim reſpondebant Domini, qui tenebant hanc ſententiam, primum fuiſſe animaduertendum, Clariciæ fuiſſe relictam, & conſtitutam dotem ſcutorum 6. m.

6. † de hoc art. Durand. dec. 231. n. 6. & 7. & 13. & Rotam rec. p. 2. dec. 626. n. 1. & p. 1. deciſ. 653. n. 4. Caual. dec. 192. n. 1.

Item fuiſſe conſiderandum, quòd in dicta conſtitutione dotis ſcutorum 6. m. nullum fuerat appoſitum onus, vel grauamen.

Item ipſam tali dote, & non maiori contentam fore oportere, quia talis ſibi fuit conſtituta in executionem conuentionis factæ à patre ſuo, quam Claricia nequibat impugnare. *l. cùm à matre ff. de rei vendic.* cùm perinde eſſet, ac ſi pater illam ſibi dotem conſtituiſſet, & eo maximè, quia Clariacia repræſentabat perſonam ſui patris, iam vita functi cum ſua qualitate fœminitatis, vt fuit dictum, in vna Romana de 7.

Capranica



Capranica die 23. Ianuarij ann. 1581. coram R. P.D. meo Decano.*

* habetur dec. 70. lib. 1. diuerſ & in impreſſis Seraphini dec. 496. num. 4. & 11.

Socinum autem *dicto conſil. 79.* loqui in caſu diuerſo, nempe quando neptis erat in poteſtate, ſecus in præſenti, cùm Claricia eſſet filia filij emancipati.

Altera ratio fuit deſumpta ex verbis ſtatuti *lib. 1. cap. 141.* quo cauetur, filias, vel neptes contentas eſſe debere dotibus ipſis relictis à patre, vel ab auo, ita quòd nihil ampliùs petere poſſint.

Vnde cùm Hieronymus auus, Clariciæ nepti, iure inſtitutionis, & omni alio meliori modo, pro ſua dote, & quacumque hæreditate ſua, & pro toto eo, quod petere, vel prætendere poſſet ex perſona ſui patris, legauerit creditum 50. locorum montis ſacri fœderis, & fructus, & augmentum dicti montis, iuxta formam inſtrumenti donationis, inde conſequebatur, illam non potuiſſe vtrumque petere.

Nec adfuiſſe aliquod grauamen iſti doti impoſitum, præter illud quod iam inerat vigore ſtatuti, videlicet, ne poſſet amplius petere, ſed quòd dicta dote contenta eſſe deberet.

Poſtremò non obſtare, ſtatutum fore intelligendum, quòd filiæ ſolùm manent excluſæ ab illo, qui dotauit; quia verba ſunt clara, excludentia ſcilicet filias, vel nepotes dotatas à patre, vel auo.

An autem Dominæ Clariciæ faueret aliud ſtatutum vrbis *lib. 1. cap. 145.* de ſucceſſionibus ab inteſtato, quo cauetur, filias inteſtatorum defunctorum, relictis filiis maſculis, dotibus datis contentas eſſe debere, & patribus non poſſe in aliquo ſuccedere, alterius erat inſpectionis: & cùm vnus ex Aduocatis Dominæ Clariciæ contenderet, id ſtatutum ei ſuffragari, ex quo Antonius Franciſcus pater deceſſerat inteſtatus, & ſine filiis maſculis, quaſi tunc Claricia poſſet prætendere illius bona peculiaria, libenter audirem ſuper hoc cenſuram Dominorum.

## *Tridentina iuriſpatronatus.*

### Die Veneris 28. Iunij 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Rota ſententias aliorum tribunalium non exequitur, non cognito de bono earum iure.*

3 *Iuſpatronatus Vniuerſitatis ſemper præſumitur acquiſitum per vſurpationem.*

4.5 *Iuſpatronatus vt probetur, debet conſtare ex dotatione, fundatione, vel continuatis præſentationibus.*

## DECISIO DXXXVI.

1. INtroducta lite de anno 1580. coram venerabili congregatione ſpirituali Tridentina, ſuper iure patronatu, quod prætendebant Comites, Domini in temporalibus, & communitas terræ Archi Tridentin. diœceſis, ſuper Archipresbyteratu, & omnibus Canonicatibus Eccleſiæ Collegiatæ, prædicti oppidi de Archo, & etiam ſuper Eccleſia Rurali Sanctæ Catherinæ; cauſa per triennium ferè diſcuſſa anno 1583. pronunciatum fuit, non conſtitiſſe legitimè de aliquo iurepatronatus, & propterea, nec illud, nec aliam præſentationem, aut electionem in dictis Eccleſiis, & Canonicatibus, prædictis Comitibus, & communitati competiuiſſe, nec competere.

In gradu appellationis, Patriarcha Aquileienſis, anno 1584. ſententiam Congregationis confirmauit, à qua iterum Comites, & communitas appellantes, Reuerendiſſimo Rebuſterio tunc Rotæ Auditori, cauſa committi obtinuerunt, ſed non fuerunt vlteriùs progreſſi.

Cùm verò nunc Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Madrucius Epiſcopus Tridentinus, pro ſui muneris debito, cauſam diffiniri curaret, nec Rota conſueuerit ſententias in aliis tribunalibus latas laudare, aut executioni demandare, non cognito * de bono illarum iure, dubitaui, an conſtaret de prædicto prætenſo iurepatronatus, ad effectum, vt ſententiæ in partibus latæ forent confirmandæ, vel reuocandæ, & quia ſæpe pars vocata, & interpellata non informauit, tandem vna tantùm parte informante, cauſa propoſita, & maturè diſcuſſa, Rota cenſuit, non conſtitiſſe de aliquo iurepatronatus, & propterea ſententias de partibus fuiſſe tanquam iuſtas confirmandas; cùm enim in Vniuerſitatibus, & perſonis * potentibus, iura plerunque præſumant vſurpationem beneficiorum, Creſcentius *deciſ. 13.* quæ eſt 1. *tit. de iurepatronat. in impreſſis.* Puteus *deciſ. 59. num. 1. lib. 1.* & ſæpe Rota in pluribus cauſis iudicauit, & in ſpecie in vna Bononien. iuriſpatronatus die 20. Martij 1589. coram R. P. D. meo Gyptio, & in vna Ilerden. beneficij de la Figuera † coram me die 11. Martij proximè præteriti, propterea, niſi concurrant requiſita à ſacro Concilio Tridentino *ſeſſione 25. c. 9.* nempe, vt de iurepatronatus doceatur, per authenticum inſtrumentum fundationis, vel dotationis, vel per immemorabilem probationem vnà cum continuatis præſentationibus, quæ non minori ſaltem, quàm quinquaginta annorum ſpatio effectum ſortitæ fuerint, de quibus per authenticas etiam ſcripturas conſtare debeat, non poteſt dici legitimè de iurepatronatus conſtare, nec enim pro forma requiri, ad legitimam probationem iuriſpatronatus, ſæpe conſulta reſpondit ſacra eiuſdem Concilij Tridentini interpres Congregatio.

2.

* adde ſuprà dec. 7. n. 5. & dec. 299. n. 2. vbi alias dec. annotaui.

3. * adde Coc. dec. 25. n. 1. Mantic. dec. 89. n. 2. & 3. & deciſ. 208. n. 3. & 234. n. 1. Lud. dec. 397. n. 4. & dec. 222. n. 2. & 3. vbi latè annot. n. 10. & 11 quando autem nõ ſit neceſſarium probare iuſpatronatus perſonæ potentis cum requiſitis, Cõc. Triden. vide Durand. dec. 407. n. 5. † ſuprà dec. 505. vbi n. 4. alias dec. annotaui.

4.

5.

In themate autem propoſito, nec pro Comitibus, nec pro communitate apparebat facta in actis talis probatio, primum enim nullum authenticum oſtendebatur dotationis, aut fundationis inſtrumentum, rurſus nulla quoque probatio immemorabilis afferebatur, & quæ commemorabantur inſtrumenta, ad docendum quaſdam præſentationes factas de quibuſdam Canonicatibus, parum aut nihil conferebant, quia vel non conſtabat de effectu ſubſecuto, vel non apparebat de legitima præcedente præſentatione.

Ex aduerſo autem afferebantur multæ antiquæ collationes factæ per Epiſcopos Tridentinos, vltra certum annos de Canonicatibus eiuſdem Eccleſiæ Archi, vbi nulla præſentantium aderat mentio, & ſic præſumebantur factæ tanquam de beneficiis liberæ collationis.

Atque

Atque ex his Domini concluſerunt ſententias de partibus fuiſſe confirmandas.

---

## *Turulen. penſionis.*

### Die Veneris 28. Iunij 1596.

SVMMARIVM.

1 *Tacita profeſſio non ſufficit ad tranſlationem penſionis.*

2 *Religioſus quis efficitur, tacita profeſſione.*

3 *Profeſſus tacitè propriè non dicitur Eccleſiaſtica perſona cui validè penſio Eccleſiaſtica ſine diſpenſatione aſſignari poſſit.*

4 *Nouitius non profeſſus, capax eſt penſionis Eccleſiaſticæ.*

5 *Milites de Calatraua, Alcantara & de Monteſa ante indultum, contrahere non poterant, ſed ex eo non ſuſtulit indultum, ſubſtantiam religionis iſtarum militiarum.*

6 *Calatrauæ, Alcantaræ, & de Monteſa milites, ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ.*

## DECISIO DXXXVII.

1. Marcus Salon. conſ. 17. agit latè de militibus, & de iſta materia Doctores allegati in folio ſequenti, poſt hanc deciſionem.
* vide infrà deciſ. 619. & 554.

VTraque parte informante, propoſui dubium de ordine Dominorum datum, an ſaltem requireretur tacita profeſſio, quæ ſufficeret in hoc caſu; & Rota cenſuit, tacitam quidem requiri, ſed eam non ſufficere, ad effectum huius penſionis validè transferendæ in Dominum Martinum de Alagon, potiſſima ratio fuit, quia Papa veriſimiliter videbatur voluiſſe eum, in quem penſio erat transferenda, fore Clericum, * quales fuerant Artaldus, & Ximenus, quibus fel. record. Gregorius decimustertius penſiones antea reſeruauerat: quod ſuadebat etiam dictio, *alijs*, quæ refert ſimilem qualitatem, *cap. Sedes*, vbi Felinus *num. 6. de reſcript.*
2. Ruinus *conſil.* 130 *num.* 1. *lib.* 3. Pariſius *conſ.* 145. *num.* 25. *lib.* 4.

† hæc deciſ. fuit confirmata infrà deciſ. 554. & vide in hac eadem cauſa dec. 619.

Solam verò tacitam profeſſionem † non fuiſſe ſufficientem, ideo pronunciatum eſt; quia licèt per illam quis efficiatur religioſus, *Clement. 2. de regularib.* non tamen cenſetur talis Eccleſiaſtica perſona, cui validè penſio Eccleſiaſtica, ſine
3. diſpenſatione aſſignari poſſit: per talem enim
4. profeſſionem, non efficitur quis Clericus, nec recipit Ordinem Clericatus, qui videtur requiri, ſed effectum obtinendi penſiones Eccleſiaſticos, niſi aliàs diſpenſatio ſuffragaretur.

* de hoc art. Dur. dec. 95. n. 2. & deciſ. 308. n. 6. Ludou. dec. 87. n. 2. & annot. n. 13. & dec. 109. n. 1. & ſeq. & habetur in recen. p. 2. dec. 87.
† qui propriè non ſunt religioſi, vt per Seraph. dec. 587. n. 1. & dec. 111. n. 3. & habetur in impreſſis diuerſ. p. 1. dec. 591.

Ad deciſionem Cæſaris de Graſſis 47. aliàs 1. *de probationib.* per quam informantes pro Domino Don Martino, nitebantur probare, nouitium, etiam non profeſſum fore penſionis capacem, reſpondebant aliqui ex Dominis loqui in diuerſis terminis, nempe de militibus S. Ioannis Hieroſolymitani, quos eſſe religioſos * reſponderunt Abbas *in rubrica de regularib. num.* 4. & Angelus de Clauaſio *in ſumma verb. Religioſus. §.* 1. & Sotus *lib.* 7. *de iuſtitia, & iure, quæſt.* 5. *art.* 3. cùm non contrahant matrimonium, eamque propterea non applicari huic themati, in quo erat ſermo de militibus † Calatrauæ, qui matrimonia contrahere poſſent.

5. Sed hæc reſponſio, non videbatur tollere difficultatem; quia indultum Apoſtolicum, cuius vigore in Hiſpania iſti milites de Calatraua, de Alcantara, & de Monteſa, ante non multos annos matrimonia contrahere cœperunt, nec mutauit, nec ſuſtulit ſubſtantiam Religionis iſtarum militiarum; vt fuit dictum in vna Caurien. iuriſdictionis * die 22. Iunij 1582. coram Illuſtriſſimo Blanchetto, & per conſequens, non videntur deſiiſſe eſſe perſonæ Eccleſiaſticæ; ita quòd cenſeri poſſint vt Clerici, ad effectum obtinendi penſiones, ſicut milites Sancti Ioannis, licèt contrahant matrimonia, vnde ratio conſiderata in dicta deciſione Cæſaris de Graſſis reſpectu militum Sancti Ioannis, videatur, etiam vigere reſpectu iſtorum militum, libenter ſuper hoc iterum vellem intelligere ſententiam, & iudicia Dominorum.

* habetur in impreſſis diuerſ. p. 2. dec. 266. n. 1. & 6.

Reſeruatum quoque fuit videndum, de diſpenſatione, an illa Domino Martino ſuffragaretur.

---

## *Milites Eccleſiaſtici, de eadem materia.*

SVMMARIVM.

1 *Alcantaræ, Calatrauæ, & de Monteſa milites, non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, conſtat.*

3 *Alij dixerunt, & eſt tertia ſententia aſſerens, eſſe veros Eccleſiaſticos.*

4 *Religioſos eſſe Ordinis Ciſtercienſis, milites Calatrauæ, tenent plures DD.*

## DISCVRSVS DXXXVIII.

MIlites militarium, Ordinum de Calatraua, Sancti Iacobi, de Alcantara & aliorum militarium ordinum qui matrimonio vtuntur, an ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, fori & Canonis priuilegio gaudentes, variæ ſunt ſententiæ.

Nauarrus tract. de redditib. Eccleſ. q. 3. monito 27. & 28. & tract. de regularib. cōment. 1. n. 18. Videndæ deciſiones Rotæ 1. de regularib. in antiq. & 8. de iurepatronat. in antiq. Petrus Cenedus in collectaneis ad decretales collect. 29. ſup. c. ex publico. de cōuerſ. coniugator.

Prima fuit eorum, qui voluerunt non eſſe perſonas Eccleſiaſticas, nec priuilegio aliquo Eccleſiaſticorum gaudere, ſed eſſe merè ſeculares; huius ſententiæ fuerunt Sarmento *de redditib. Eccleſ.* 1. *præſcript. monit.* 55. Laſarte de Gabellis, ſiue Alcauala, vel decima venditionis *cap.* 19. *num.* 92. Montalu. *in l.* 8. *gloſſ.* 1. *tit.* 1. *lib.* 2. *for.*

Secunda verò voluit, quòd nec ex toto laici, nec ex toto Eccleſiaſtici, & Religioſi, magiſque participent de natura & conditione laicorum, quàm Religioſorum, Couarru. referens Sotum *in* 4. *de ſponſ.* 2. *part. cap.* 3. §. 1. *num.* 18. Gregorius Lopez *l.* 1. *tit.* 7. *part.* 1. *in gloſſ. magna*, Auendan. *de exequend. mand. cap.* 26. *num.* 11. Belluga *in ſpeculum Princip. cap.* 1. *rubrica* 7. Molina *de Hiſpan. primog. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 98. Azeuedo *lib.* 14. *tit.* 5. *lib.* 3. *recopil. Hiſpan. num.* 3. 1. 2.

Tertia opinio defendit, quòd verè ſint Religioſi, perſonæ Eccleſiaſticæ, Canonis, & fori, & aliis quibuſuis Eccleſiaſticis priuilegiis gaudentes, hanc ſententiam defendit Nauarr. pluribus in locis, præſertim *de redditibus Eccleſiaſticis, cap.* 3. *monit.* 55. *quæſt.* 1. & per totum Mencha. *controuerſ. Illuſtriſſ. lib.* 3. *cap.* 105. *num.* 49. & 50. & *de ſucceſſion. creat. lib.* 3. §. 30. *num.* 302. & 303. Didacus Perez *lib.* 10. & 11. *lib.* 4. *ordinam. Regij Hiſpan.* 3.

* de materia huius diſcurſus agit dec. antecedens, & infrà dec. 554. & 919.



*Hiſpan. in gloſſ. verſ. hijos dalgo, col.* 1. *in fine.* Gregorius Lopez *lib.* 1. *gloſſ.* 1. *tit.* 7. *part.* 1. & iſtam circa milites de Alcantara canonizauit Rota diuerſ. *in præſ. dec.* 266. *part.* 2. *n.* 2. & extat conſ. Fort. Garſiæ, pro militibus S. Iacobi, vbi hæc opinio latè diſcutitur.

Vltima fuit eorum, qui voluerunt, quòd quidquid ſit in aliis, tamen militia, & milites de Calatraua ſit vero Religio, & verè Religioſi, perſonæ Eccleſiaſticæ omnibus Religioſorum, & Eccleſiaſticorum priuilegiis gaudentes, ſub regula Ciſtercienſium militantes, & eam profitentes. Oldrad. *conſil.* 300. *in princip.* & Gregorius Lopez *vbi ſuprà verſ. de alijs Ordinibus*, & extat celebre conſ. Burgos de Paz 17. *per totum.* Anton. Gomez *in l.* 51. *Taur. num.* 68. Iuan Gutierrez *practicar. quæſt. lib.* 2. *q.* 111. *n.* 2. Azenedo *vbi ſuprà.*

---

## *Hiſpalen. Correctionis.*

### Die Lunæ 1. Iulij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Inhibitio, ante actorum transportationem non eſt danda.*

3 *Superſeſſoria, ante tranſportationem actorum non datur.*

## DECISIO DXXXIX.

1. Idem fuit deciſum, in cauſa Corduben. redecimarum die 25. Iunij 1599. coram Domino Seraphino Rotæ Decano. hanc dec. nō inueni inter impreſſas Seraphini, tamen in originali D. Peña reperitur annotata.

QVia cauſa commiſſa fuerat cum facultate inhibendi, præuia tamen matura cauſæ cognitione, dubitaui, an eſſet inhibendum, & Capitulo tantùm informante, Rota cenſuit non fuiſſe inhibendum actis non tranſportatis, licèt enim iſta clauſula, *præuia matura* * *cauſæ cognitione*, non intelligatur ſic, vt ſuper negotio principali priùs diſcuti debeat, ſed ſolùm, an cauſa fuerit appellabilis. † Rota *deciſione* 68. *de appell. in antiq.* & fuit deciſum in vna Valentina, ſeu Oriolen. iuriſdictionis die 3. Iulij 1595. coram R. P. D. meo Millino, in caſu propoſito, non tranſportatis actis, non poterat intelligi, an articulus eſſet appellabilis, & propterea in vna Corduben. redecimarum coram R. P. Domino meo Seraphino die 15. Iunij ann. 1590. ob dictam clauſulam, quæ ſimiliter poſita fuerat in
2. commiſſione, ante tranſportationem actorum, nec fuit data inhibitio, nec etiam ſuperſeſſoria.

* adde Rotā rec. p. 2. dec. 558. n. 6.
† vide infrà dec. 1387. & 1406. n. 5.

3. Quibus non obſtabat deciſio in cauſa Valentina, ſeu Oriolen. iuriſdictionis coram R. P. Domino meo Millino, quia cùm in ea facti ſpecie cauſa eſſet commiſſa in Curia in prima inſtantia, non fuerant acta tranſportanda.

In hac tamen cauſa, die 5. huius, Domini dixerunt, Capitulo concedendam ſimplicem citationem in partibus exequendam, item inſtrumentum cum inſertione commiſſionis, vt ex eo poſſet conſtare de lite quæ agebatur.

---

## *Beneuentana decimarum.*

### Die Lunæ 1. Iulij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Teſtium indefinita depoſitio non æquipollet vniuerſali.*

3 *Manutentio non datur, ſi teſtes deponant indefinitè de poſſeſſione.*

4 *Probatio ſpecifica ſuperat genericam.*

5.6 *Ex poſſeſſione generica, & vniuerſali, non infertur ad poſſeſſionem totius, quando conſtat de alterius poſſeſſione.*

## DECISIO DXL.

QVia tam Illuſtriſſimus Dominus Aſcanius Cardinalis Columna, Commendatarius Sanctæ Sophiæ, quàm Capitulum, & Canonici Montisfuſculi prætendebant manutentionem in poſſeſſione exigendi decimas in territorio del Couante, ideo dubitaui, quis ipſis foret manutenendus? & vtraque parte informante, cauſa diſcuſſa, Rota cenſuit, dandum quidem Comino Commendatario mandátum de manutenendo in exactione decimarum in dicto territorio, exceptis tamen prædiis, in quibus teſtes probabant poſſeſſionem Canonicorum, reſpectu quorum prædiorum fuerat Canonicis ſimile mandatum de manutenendo dandum, licèt enim teſtes Commendatarij indiſtinctè teſtificarentur de territorio del Couante, non tamen loquebantur de toto territorio, & qualibet eius parte, & cùm in teſtibus propoſitio indefinita non æquipolleat vniuerſali. Alexander *conſ.* 116. *num.* 2. *lib.* 1. & *conſil.* 108. *num.* 13. *lib.* 2. Ripa *in cap. cùm M. Ferrarienſis, num.* 11. *de conſtitut.* Socinus *in l. ſi quis cùm totum, ff. de except. rei iudic.* & nonnulli teſtes Canonicorum probarent in indiuiduo * illorum poſſeſſionem in præfinitis, & certis quibuſdam prædiis, illa particularis probatio, tanquam potentior ſúperabat genericam probationem aliorum teſtium, & ei erat magis ſtandum. 1. 2. 3.

* adde ſuprà dec. 206. n. 3. vbi alias dec. annotaui, & infrà deciſ. 817. n. 6.

Quibus accedebat, quia ex poſſeſſione generica, † & vniuerſali non infertur ad poſſeſſionem totius, quando reſpectu certorum fundorum, ſeu prædiorum conſtat de alterius poſſeſſione. 4. 5.

† adde ſuprà dec. 463. n. 5. & 492.

Concluſum ergo, dandum etiam Canonicis mandatum de manutenendo, in exactionem decimarum de prædiis contentis, & ſpecificatis in articulo, quoniam teſtes in ſpecie deponebant, eos exegiſſe de dictis prædiis mediam decimam, videlicet incipiendo à fonte Sancti Viti, per viam publicam, per quam itur ad Polenaram, vſque ad confinia territorij caſalis montis, & diſcurrit vſque ad Lauinarium, vbi dicitur, *lo torcello*, iuxta bona dicti Caſalis, & deſcendit per viam inferiorem, vſque ad flumen caloris, vbi dicitur, *Iſcha Cupa*, & à parte ſuperiori versùs terram Apitij, & vadit vſque ad Varcum Sancti Stephani, vbi incipit via, & vadit per viam publicam, vſque ad locum Sanctæ Luciæ, ſiue Maraſummi, & deſcendit vſque ad Vallonem delle Peſchara, & à dicto loco aſcenditur ad locum, vbi dicitur li Maraſummi, vſque ad viam publicam, 6.

cam, per quam itur ad terram Apitij, & per locum vbi dicitur li Malaſummi, vbi dicitur la Fons Orlandi, & vadit vſque ad locum, vbi dicitur la Iſcha, & inde deſcendit ad viam publicam, vbi dicitur la Froſtella, & inde deſcendit ad fontem Sancti Viti.

In his enim locis, Canonici dicuntur exigere medias decimas, & reſpectu illorum, in earum exactione fuerant manutenendi.

Atque hæc obtinere voluerunt Domini, donec iura partium clariùs liquerent ex proceſſu compulſorialium, quem Dominus Commendatarius exhibere * tenebatur, non obſtante deciſione aliàs ad ſuum fauorem facta, † quoniam ex fide Notarij, in hac propoſitione producta conſtabat, illum Ioannem Daddeum die 13. Februarij 1551. habuiſſe proceſſum, & eundem anno 1560. die 6. Octobris tanquam Procuratorem Hieronymi Spinolæ, tunc Commendatarij Sanctæ Sophiæ, Alexandrum Thomaſium in hac cauſa ſubſtituiſſe.

* de hoc art. vide Duran. dec. 166. vbi n. 2. ad propoſitum allegat hác deciſ. licèt illá annotet 28. Iunij 1595. † ſuprà dec. 506.

## *Regien. Prioratus.*

### Die Lunæ 1. Iulij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Alimenta vt ſubminiſtrentur patrono ex beneficio, tenetur probare ſummam eius geſtatem.*

3 *Pauper dicitur, qui parum habet in bonis, inops verò, qui nihil poſſidet.*

5 *Notariatus ars eſt nobilibus perſonis, & honeſtis competens.*

6 *Artem quam pater exercuit, non debet filius excuſare illius exercitium.*

7 *Nobiles maioribus indigent alimentis, quàm ignobiles.*

8 *Eccleſia, ex quodam gratitudinis iure, patronum indigentem alere tenetur.*

## DECISIO DXLI.

1\. IVſſerat R.P.D. meus Millinus, coram quo iſta cauſa pendebat, ſtrictè diſputari, an probaretur paupertas, ob quam Domini de Tacculis prætendebant, ſibi de redditibus iſtius Prioratus alimenta præſtanda. Et vtraque parte informante die 1. Iulij, Rota reſpondit Eccleſiam non

2\. teneri ad alimenta præſtanda, non ex eo, quòd debuerit probari ſumma patronorum * egeſtas, quæ neceſſaria quibuſdam viſa eſt, ad effectum, vt patronis alimenta ſint ſubminiſtranda, *cap. cuicumque*, vbi gloſſ. *in verb. ad inopiam, verſ. iſtud autem intelliget. 16. quæſt. 7. & cap. nobis, de iure patronat.* Baldus *in l. fin. in fine, C. de reuocand. donat.* Corduba *in l. ſi quis à liberis. §. ſolent, n. 20. & 21. ff. de liber agnoſcend.* Surdus *tract. de alimentis tit. 1. quæſt. 54. num. 5. & 15.*

* adde infrà diciſ. 660. & de hoc articulo, vide Rotam rec. p. 2. dec. 454. n. 1. & ſeq.

Neque ex eo quòd fundator in fundatione iſtius iuriſpatronatus de anno 1170. dixerat, quòd ſi aliquis de parentibus ſuis veniret ad inopiam, ab Eccleſia à ſe fundata reciperetur, & ſuſtentaretur, quaſi propterea voluiſſet, quòd patroni ſucceſſores non aliter alimenta conſequerentur, quàm probata inopia, quæ multo maiorem indigentiam, quàm paupertas videtur

3\. ſignificare, cùm pauper * dicatur, qui parum habet in bonis, inops verò qui nihil poſſidet. Archidiaconus *in cap. quo iure 8. diſtinct.* Paulus de Caſtro *in l. id quod pauperibus, n. 4. C. de Epiſcop. & Cleric.* maior enim pars Dominorum, omiſſa iſta ſcrupuloſa, & nimis ſecura differentia ſentiebat, ſufficere probare talem paupertatem, quæ conſideratis circunſtantiis locorum, perſonarum, & rerum, poſtulare videatur, locum eſſe præſtationi alimentorum.

* adde Dur. dec. 98. n. 9. & 10.

4\. Sed ex eo, quòd in hac facti ſpecie non videbatur probata talis paupertas: * nam reſpectu Cæſaris, patris Antonij Mariæ, & Achillis, teſtes probabant, illum poſſediſſe bona valoris ſcutorum duorum mille, & habere redditum vltra domum Regij 30. ſcutorum.

* Eccleſia quãdo teneatur alere patronum, vide Rotam rec. p. 2. dec. 454.

In ſpecie autem, Achillem habuiſſe duo ſimplicia beneficia pendentia ſcuta annua quadraginta, * inſuper, illum inſeruiendo in Hoſpitali Sancti Iacobi incurabilium de vrbe, præter menſtruum ſalarium, alimenta inibi conſequutum probabant teſtes, ex quibus apparebat, eum nec inopem, nec iure pauperem, ad hunc effectum dici potuiſſe.

* vide Seraphin. dec. 173. n. 7. & 8. & infrà dec. 691. n. 2.

5\. Præterea reſpectu Antonij Mariæ, & Gaſparis, non videbatur probata requiſita paupertas, quia teſtes ſuper 7. & 17. interrogator. fatebantur, illos ex aliquo honeſto exercitio, * vnà cum patrimonio competenter viuere potuiſſe: & tertius teſtis ſuper 10. interrogatorio dicebat, *che le familie quali haueſſero lo ſopra detti beni, & con la induſtria loro aqueſta ſero qualche coſa, poterano viuere in Regio, competentemente.*

* ex quo excluditur paupertas, vt per Rotam rec. p. 2. dec. 470. n. 5. & 532. n. 4. in fine.

Vnde cùm Cæſar pater exercuerit Regij artem, veluti, honeſtè quoque, ipſi eandem poterunt exercere, & de Ioanne Maria dicebatur, potuiſſe illum incumbere arti Notariatus, quam auus eius, & proauus exercuiſſe dicebantur: iſtæ enim artes, & exercitia honeſta reputantur, & honoratis ciuibus digna: de arte verò Notariatus, * quòd ſit honeſta, & viris nobilibus apta, deponebant teſtes pro Tacculis examinati ſuper 21. interrogatorio. Vnde non erat eis indecorum, exercere artem, quam ſui maiores exercuiſſent. Corduba *in dicta l. ſi quis à liberis. §. ſed ſi filius, num. 129.* Rolandus *conſ. 54. num. 78. lib. 2.*

* de hoc art. vide Rotam rec p. 1. dec. 297. n. 1. & per totam, & dec 504. n. 6. & 7.

6\. Ex quibus inferebatur, quòd licèt Domini de Tacculis eſſent nobiles, (quod non negabatur, imò facilè concludi videbatur ex dictis teſtium, & præſertim ex tam antiqua iuriſpatronatus fundatione) & ratione nobilitatis, aliquid eis foret indulgendum, cùm maioribus alimen-

7\. tis * nobiles, quàm ignobiles indigeant, in hac tamen facti ſpecie, ex ſupradictis fuit concluſum, non fuiſſe locum præſtationi alimentorum, ſatis enim erat, vt ſi non poſſent nobiliter viuere, congruè tamen viuerent, præſertim, cùm Eccleſia ex quodam gratitudinis iure, patronum indigentem alere teneatur. Caſſadorus *deciſ. 3. de iure patronat.* Abbas *in dicto cap. nobis, num. 6.* Corduba *in d. l. ſi quis à liberis. §. ſolent, num. 20.* Pontanus *de alimentis, cap. 11. num. 5.* Baccius *tract. de inope debitore, cap. 17. n. 70.*

* adde Rotã diu. p. 1. dec. 485. n. 3. & fuit dictum in Romana alimẽtorum coram Sacrato impreſſa per March. de commiſſ. part. 1. pag. 1172. n. 3.

An autem ex eo, quòd redditus iſtius prioratus erant pingues, & iſti de Tacculis habebant ſorores nubiles, aliquid eis foret pro dotibus aſſignandum, ex quo bona illorum propria non erant ſufficientia pro dotibus, ſed ſolùm pro victu



victu ordinario quotidiano, non erant præſentis ſpeculationis.

## *Aurien. Parochialis.*

### Die Lunæ 1. Iulij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio beneficij eſt ſequeſtranda, ſi capiatur appellatione pendente, & n. 4.*

3 *Appellatio licèt non admittatur, ſaltem ſuſpenſiua in inſtitutione beneficij, tamen ſi capiatur poſſeſſio, virtute eius eſt attentata.*

5 *Attentatorum vitium non ſanat exceptio rei iudicatæ.*

6 *Attentata ſunt reuocanda, non obſtante re iudicata per viam nullitatis.*

## DECISIO DXLII.

1\. AD iſtam Parochialem vacantem, (quæ præſupponebatur de iurepatronatus laicorum) fuerunt à diuerſis patronis præſentati Ludouicus Nuñez de Cadornega, & Franciſcus Xuarez, Epiſcopi Secretarius, inter quos lis orta, fuit commiſſa Epiſcopo Aſtoricen. qui die 5. Octobris 1593. pronunciauit, Parochialem fuiſſe de iurepatronatus, & inter præſentatos paria ſuffragia habentes, locum gratificationi, & ideo inſtituendum Franciſcum, qui non obſtante appellatione, à Ludouico eodem die interpoſita, fuit in poſſeſſionem miſſus, in gradu appellationis dubitaui, an conſtaret de attentatis, ità vt poſſeſſio Parochialis veniret ſequeſtranda:

2\. & vtaque parte informante, Rota cenſuit, poſſeſſionem fuiſſe ſequeſtrandam, * quia fuit capta appellatione pendente, *cap. non ſolùm*, vbi gloſſ. *de appell. lib. 6.* & Ioannes Andreas *num. 6.* Ancharanus *num. 1. notab. 4.* Geminianus *num. 6.* Mohedanus *deciſione 150.* incip. *Papa contulit*, Ioannes Paulus *deciſ. 78.* Antonius Auguſtinus *deciſ. 366. lib. 3.*

* & de ſtylo Rotæ poſſeſſio attentata ſequeſtratur, vt per Lud. dec. 10. n. 1. & dec. 91. n. 1. & deciſ. 251. n. 1. Durand. dec. 149. n. 2. & deciſ. 177. n. 6. Cau. dec. 175. num. 4. Coccin. dec. 225. n. 1. & aliàs ſæpe.

Quibus non obſtabat, quòd in ſententia inſtitutionis non admitteretur appellatio ſuſpenſiua, Lambertinus *art. 4. part. 5. principalis, primæ partis, lib. 2. num. 1.* quoniam quidquid ſit dicendum in appellatione extraiudiciali, † ab inſti-

3\. tutione non facta, in iudicio contradictorio, vt loquuntur Doctores *in cap. conſtitutis, de appellationib.* in ea tamen, quæ interponitur à ſententia diffinitiua lata in iudicio contradictorio, explorati iuris eſt, geſta poſt talem appellationem eſſe attentata, & reuocanda iuxta opinionem veram, & communem, quam ſemper Rota ſecuta eſt, vt teſtatur Lancellottus *de attentatis appellatione pendente, in præfatione, num. 79.* conferunt Rota *deciſione 30. de appell. in nouis*, Achilles *deciſione 260.* aliàs eſt *26. de appellat.* & Lancellotus *de attentatis, cap. 26. de probationib. num. 15. & 19.*

† adde Rotã in vna Bononien. Parochialis 7. Maij 1607. coram Sacrato impreſſã, per March. de commiſſ. p. 2. pag. 37. vbi ad propoſitum preſens dec. allegatur n. 2.

4\. Exceptio rei iudicatæ ob lapſum fatalium non

5\. ſanabat vitium attentatorum, quia ſtante appellatione, & commiſſione etiam ſuper attentatis intra legitima tempora, & verè adeſſent attentata, curſus fatalium remanſit impeditus, & tempus fuit à fatalibus ſubducendum. Rota *deciſ. 15.* incip. *Fatalia, de appell. in nouis.* Cotta *deciſ. 64.* Cæſar de Graſſis *dec. 108.* aliàs eſt *deciſ. 2. num. 6. de appel.* in impreſſis.

Sed in propoſita facti ſpecie difficultas ceſſabat, ex quo attentata fuerant commiſſa ob captam poſſeſſionem infra decem dies datos ad appellandum, quo caſu de ſtylo, & inueterata Rotæ conſuetudine, etiam lite deſerta, non obſtante re iudicata, per viam nullitatis reuocantur. * Cæſar de Graſſis *dicta deciſione 198. num. 5. de appellationib.* 6.

* adde Lud. dec. 539. n. 4. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & latè annota. n. 6. & ſuprà dec. 405. n. 4.

Supradicta dixerunt Domini, vera fuiſſe reſpectu poſſeſſionis captæ per Franciſcum Xuarez, non autem reſpectu antiquioris poſſeſſionis, quam Alphonſus Deguntin prætendebat habuiſſe, & ſuper ea mandatum de manutenendo ab A. C. obtinuiſſe vnà cum ſententia declaratoria contra prædictos Ludouicum, & Franciſcum, de qua erat videndum.

## *Anconitana Iuriſpatronatus de Triumphis.*

### Die Veneris 5. Iulij 1596.

SVMMARIVM.

2 *Beneficium iuriſpatronatus, obtentum à Sede Apoſtolica, non facta mentione iuriſpatronatus, non poteſt obtinere qui talem gratiam fuit adeptus.*

## DECISIO DXLIII.

PEtrus de Triumphis, Canonicus Anconitanus, anno 1539. dotauit Capellam, ſeu Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Cathedrali Eccleſia Anconitana, & ius patronatus ſibi, & familiæ de Triumphis in poſterum reſeruauit, quoad maiorem corroborationem, & firmitatem fel. record. Iulius Papa III. Apoſtolico reſcripto confirmauit, vigore huius patronatus præſentatus fuit à patronis, primò Leonardus de Triumphis, qui ab Ordinario inſtitutus, multis annis Capellam rexit, quam deinde ad fauorem Calixti de Triumphis in manibus Pij IV. reſignauit, & Pius IV. præmiſſa narratiua iuriſpatronatus, Piſauren. & Veſtan. Epiſcopis, & Ambroſio Maſſiolo dedit in mandatis, vt patronorum de Triumphis accedente conſenſu, Calixto præfatam Capellaniam conferrent, prout factum fuit. 1.

Cùm verò de menſe Februarij 1594. per obitum Calixti prædicta Capellania vacaſſet, & Domini de Triumphis, veri patroni, Franciſcum ſimiliter de Triumphis Secretarium Apoſtolicum præſentaſſent, & antequam caperet poſſeſſionem, quidam Sigiſmundus de Sigiſmundis, à Sede Apoſtolica dictam Capellaniam, nulla facta mentione dicti iuriſpatronatus, impetraſſet, & propterea Franciſcus ius ſuum conſequi impediretur, cauſam commiſit in Rota, ſuper qua ſæpe Sigiſmundo citato, & numquam comparente, Dominis ſæpiùs informatis, ordinauerunt, vt cauſam ad fauorem Dominorum de Triumphis expedirem, quia de bono illorum iure, & vero iurepatronatus * rationabiliter dubitari non poterat, cùm de illius erectione conſtaret, 2.

* & gratia eſt nulla non facta mẽtione iuriſpatronatus Duran. dec. 100. n. 7.

ſtaret, per authenticum inſtrumentum cum Epiſcopi approbatione, & effectuatio etiam ſubſecuta demonſtraretur ex patronorum præſentatione, ordinarij inſtitutione, & præſentatorum ac inſtitutorum pacifica poſſeſſione.

## *Bononien. euictionis.*

### Die Lunæ 21. Octobris 1596.

SVMMARIVM.

4 *Verba non tantum ſunt conſideranda, quàm mens, & voluntas in teſtamento hominis imperiti, ac idiotæ.*

5 *Fideicommiſſo vocatus, non poteſt directò capere hæreditatem.*

6 *Hæredes incerti ſi ſint vocati, veluti filij naſcituri, cenſentur vocati ordine ſucceſſiuo.*

7 *Verbum, donec duret mundus, appoſitum à teſtatore in ſucceſſione, habet tractum ſucceſſiuum, & vltra vulgarem, continet fideicommiſſariam ſubſtitutionem.*

8.9 *Teſtator grauans hæredem, ne alienet bona, & vt nomen portet, videtur vocare filios, & deſcendentes, cum eadem conditione.*

10 *Clauſulæ generales in diuiſione bonorum poſitæ, debent potius nihil operari, quàm inducere aliquid contra naturam, ſuper quo imponuntur.*

11 *Alienatio bonorum non valet, ſi teſtator prohibuerit alienationem, vt in familia conſeruentur.*

## DECISIO DXLIV.

1\. ANgelus Turchus anno 1520. his verbis Franciſcam filiam hæredem ſibi vniuerſalem inſtituit. *Item voglio che la Franceſca, mia figlia, ſia heredde di tutta la mia robba, con queſto patto, che non poſſa may vendere, ne anco alienare, in neſſun modo, ſi la detta Franceſca voglio che ſtagano in caſa mia, habitino in caſa mia, cio e di Angelo detto, il cingano di Antonio Turcho de Bolognia, cio è li figlioli maſchi, & non le femine della detta Franceſca, voglio che li detti heredi, della detta Franceſca mia figlia, cio e li maſchi, & non le femine della detta Franceſca, ſi vole eſſere herede, o veramente ſui figlioli maſchi voglio, che ſi chiamino della caſſata mia: & in quanto non habeſſi figlioli maſchi, voglio che ſia ſolto vn putto, dal hoſpedale, che ſia vello, & habbi bona ciera, di eſſere da Cauello, & queſto putto voglio che ſia herede, con queſto patto che ſi chiame dil nome mio; & piu voglio che ſempre fino che dura il mondo vada coſi.*

Angelo vitâ functo, Franciſca illius hæreditatem apprehendit, in qua aderat domus magna, de qua agebatur, & in qua propter magnam affectionem teſtator voluit, Franciſcam, & illius filios naſcituros ſemper habitare.

Franciſca nupſit Iulio Daineſio, & procreauerunt Thomam, & Annibalem filios legitimos, & naturales; deinde Iulius condito teſtamento inſtituit hæredes Thomam Annibalem, & Ludouicum de Felicinis æquis portionibus, tum poſt obitum Iulij, orta controuerſia inter Franciſcum, Annibalem, Thomam, & Ludouicum, quæ eſſent bona hæreditaria Iulij, & quæ propria Franciſcæ, quæ ex hæreditate Angeli patris ad eam peruenerunt, facto deſuper compromiſſo, Rota Bononienſis ann. 1568. declarauit, domum magnam poſitam in Capella Sancti Thomæ pertinuiſſe ad Franciſcam, iure hæreditario paterno.

Mortuo Thomâ Annibal eius hæreditatem adiuit cum beneficio legis, & inuentarij: demum deceſſit Franciſca ſuperſtite Annibale, qui ſimiliter adiuit matris hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij. 2.

Et quia Domini de Cupellinis, agentes contra Annibalem, tanquam hæredem ſupradictum, vigore ſententiarum, & rei iudicatæ, obtinuerant mandatum executiuum exequendum ſuper bonis hæreditariis prædictorum Thomæ, & Franciſcæ, & conſequenter fuerat executum, ſuper media parte prædictæ magnæ domus, quam Angelus alienari, & locari prohibuerat, & pro parte Dominorum de Daineſiis prætendebatur, illam executionem reuocandam, tanquam factam in re propria ipſius Annibalis, ad quam prætendebatur, vocatus vigore fideicommiſſi Angeli, ideo de ordine Rotæ dubitaui, an conſtaret de tali fideicommiſſo, ſuper domo de qua agebatur, vt impediret vlteriorem executionem, & ſi ſic, an per diuiſionem fuiſſet fideicommiſſo renunciatum. 3.

Et vtraque parte informante, Domini concorditer cenſuerunt, de fideicommiſſo conſtitiſſe, neque ei fuiſſe renunciatum per clauſulas generales.

Ac primum conſiderabatur, haberi ſermonem de teſtamento hominis imperiti, ac idiotæ, verbis vulgaribus, & malè compoſitis, ac ordinatis concepto, & propterea magis fuiſſe inſpiciendam teſtatoris voluntatem, quàm ſonum * & proprietatem verborum, ex illis verò perſpici, claram & valde efficacem teſtatoris mentem, volentis inſtituere hæredem Franciſcam, & eius filios naſcituros, ordine tamen ſucceſſiuo, iuxta notata in *l. Gallus. §. quidam rectè. ff. de liberis, & poſthum.* 4.

* adde Lud. dec. 301. n. 5. & 544. n. 23. & 30. Cocc. dec. 48. n. 10.

Rurſus apparebat, omnes iſtos in infinitum à teſtatore vocatos, non potuiſſe ſimul cum Franciſca hærede inſtituta concurrere, ideoque vnum * poſt alium videri vocatum. *l. cùm ita. §. in fideicommiſſo. ff. de legatis 2.* & propterea, primò per inſtitutionem admiſſo, cæteros in infinitum inſtitutos; quia iure directo capere non poterant, per fideicommiſſum fuiſſe vocatos, & quantum ad iſtos, directam inſtitutionem intelligi obliquatam. *l. filiusfamilias. §. vt quis hæredem ff. de legat. 1. l. ex facto, in princip. ff. ad Trebell.* Baldus *conſ.* 305. incip. *Non eſt dubium, lib.* 3. Iaſon *conſ.* 108. *n.* 9. *lib.* 4. 5.

* adde Rotã rec. p. 1. dec. 482. n. 2. & dec. 320. n. 3. & 4. & ferè per totam, & dec. 49. n. 3.

Hæc ex facti ſerie in hac cauſa reddebantur clariora, tum, quia Franciſca, tempore teſtamenti conditi innupta, nondum ſuſceperat filios, tum quia poſt verbum, *filios*, teſtator adiecit verbum, *hæredes*, ex quibus cùm & naſcituri filij, & incerti hæredes ſignificarentur, ordine ſucceſſiuo vocati cenſebantur. Cumanus *in dicto §. quidam rectè num.* 7. Alexander *conſil.* 14. *numer.* 10. *verſ. quarta concluſio, lib.* 4. Socinus iunior *conſil.* 40. *num.* 2. *& ſeq. lib.* 4. Menochius *de præſumptionib. lib.* 4. *præſumpt.* 70. *numer.* 21. *& ſeq.* Antonius Peregrinus *tractat.* 6.

de



*de fideicommiſſis, artic.* 17. *num.* 26. *verſ. limitatur autem.*

7\. Rurſus ex multis conſtabat teſtatorem habuiſſe reſpectum ad futurum, & ex illis præſertim verbis, *donec duret * mundus*, quæ cùm haberet tractum temporis ſucceſſiuum, vltra vulgarem continebant etiam fideicommiſſariam, † iuxta receptam Bartoli doctrinam *in l. Centurio ff. de vulgari, & pupill.*

* de hoc art. latè Peregrinus tract. de fideicomm. art. 18.

† fideicommiſſum enim inducitur per verba ſemper, in perpetuum, & in infinitum, vt per Cau. dec. 430. n. 1. Rotam rec. p. 1. dec. 49. n. 1. & 2.

Supradictis accedebat, quia cùm teſtator ſolam Franciſcam, filiam hæredem vniuerſalem ſibi inſtituiſſet, cum onere, ne poſſet bona ſua vendere, aut alienare, poſt illam videbatur etiam vocaſſe illius filios, maximè cùm eiſdem duplex onus impoſuerit, nempe habitandi domum teſtatoris, & vocandi ſe de illius familia, ex quo enim teſtator illos grauauit, etiam in conditione poſuit, non ſolùm ibi, *in quanto non haueſſe figli maſchi*: 8. ſed etiam paulo antea, ibi: *ſi la detta Franceſca vole eſſere herede della mia robba o ſoi figlioli, della detta Franceſcha*; hoc enim caſu opinio Bartoli *in l. Centurio, num.* 37. *verſic. quæro vlterius, ff. de vulgar.* vera eſſe cenſetur. Corneus *conſ.* 97. *num.* 1. *lib.* 1. Ruinus *conſ.* 128. *num.* 20. *lib.* 3. Socinus ſenior *conſil.* 104. *num.* 8. *lib.* 3. Socinus iunior *conſil.* 176. *num.* 20. *lib.* 2.

9\. Et præſertim, concurrentibus coniecturis deſumptis ex prohibitione alienationis, & aſſumptione * nominis familiæ, & ex fœminarum excluſione, quæ potenter legebantur in hoc teſtamento. Socinus iunior *conſil.* 110. *n.* 22. *lib.* 2. Ioſephus de Ruſticis *lib.* 4. *cap.* 3. *de liberis in conditione poſitis, num.* 2. *&* 3.

* adde Rotam rec. p. 1. dec. 319. n. 1. & 3.

Poſtremò conſiderabant Domini, efficacem teſtatoris voluntatem ad inducendum fideicommiſſum ſuper bonis ſuis, ex eo, quòd vltimo loco vocauerat puerum de Hoſpitali extrahendum, qui haberet faciem decoram, & bonæ indolis ſpecimen præſeferret, hinc enim apparebat, teſtatorem * primo loco vocaſſe maſculos deſcendentes ex filia, & eis deficientibus, puerum illum, & illius deſcendentes in infinitum, vt indicabant illa verba, *& piu voglio che ſempre fino che dure il mondo, vada coſi.*

* de hoc articulo ſuprà dec. 486. à n. 4. & ſeq.

10\. Atque ex his fuit concluſum, in teſtamento Angeli contineri quidem fideicommiſſum, neque ei fuiſſe denunciatum per clauſulas generales, contentas in inſtrumentis diuiſionis, nempe *ad habendum, & quidquid deinceps perpetuò placuerit faciendum.* quoniam clauſulæ generales in diuiſione poſitæ, potius debent nihil operari, quàm inducere aliquid contra naturam actus, ſuper quo interponuntur. Decius *conſil.* 495. *num.* 17. & eſt nobilis deciſio Rotæ apud Creſcentium 277. incip. *Diuiſio*, aliàs eſt 6. *tit. de donationib.* in impreſſis.

11\. Hinc tandem inferebatur, ad effectum de quo agebatur, non potuiſſe fieri executionem in hac domo pro debito Franciſcæ, & Thomæ, qui non potuerunt illam obligare tacitè, *l. fin. §. ſed quia, C. communia de legat.* nec expreſsè, ſtante prohibitione teſtatoris: cùm enim Franciſca habuerit duos filios, Thomam, & Annibalem; & Thoma vitâ functo, Annibal remanſerit, fideicommiſſum cenſebatur fuiſſe purificatum ad eius fauorem.

An autem per inſtrumentum diuiſionis fuerit facta reſtitutio fideicommiſſi, Domini particulariter videre voluerunt.

## *Camerinen. fideicommiſſi.*

### Die Veneris 25. Octobris 1596.

SVMMARIVM.

2.3 *Legitimatus excludit ſubſtitutum, & facit deficere conditionem fideicommiſſi, & n.* 6.

4 *Subſtituti qualitas non ponderatur ad reſtringendam vim conditionis, ſi ſine filijs legitimis, & naturalibus deceſſerit, ſed teſtatoris, & hæredis grauati.*

5 *Subſtituti excluſio, per legitimatum facta, non tendit ad commodum legitimati, qui eſt poſitus in conditione, ſed non vocatus.*

7 *Teſtatoris affectio non poteſt magis conſiderari erga filium, quàm erga nepotem legitimatum, cùm nepos non ſit vocatus, ſed filius ſit poſitus in conditione.*

8 *Filius legitimatus à naturali longè differt.*

9 *Legitimatus, quoad ſucceſſionem, legitimo æquiparatur.*

## DECISIO DXLVI.

QVia in deciſione coram me in hac cauſa facta, die 13. Nouembris * anni præteriti, ad fauorem Fabricæ legitimatæ, reſeruatum fuerat, videndum, an legitimatus excluderet ſubſtitutum, propterea præſuppoſita dicta deciſione, & Bulla fel. record. Pij Papæ IV. * incip. *Quamuis à ſede Apoſtolica*; dubitaui, an neptis legitimata faceret deficere conditionem fideicommiſſi, ad effectum de quo agebatur, videlicet ad excludendum Troilum Perulum, filium teſtatoris: & Domini, vno tantùm excepto, affirmatiuè † reſponderunt, quoniam licèt Baldus *conſil.* 347. *num.* 3. *lib.* 3. Menochius *conſil.* 318. *num.* 15. & Berous *in cap. in præſentia, de probationib. num.* 285. *& ſeqq.* & Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Mantica *lib.* 11. *de coniectur. vltimar. volunt. tit.* 10. *numer.* 25. & nonnulli alij, relati per informantes pro Troilo, tenuerunt cum Baldo ſententiam negatiuam, * quòd legitimatus non faciat deficere conditionem fideicommiſſi; affirmatiua † tamen ſententia videtur communis, vt teſtatur Ripa *in l. ex facto, §. ſi quis rogatus, el primero, numer.* 24. *ff. ad Trebell.* quem referunt, & ſequuntur Michaël Graſſus *in §. fideicommiſſum, numer.* 7. & Peregrinus *tract. de fideicommiſſis, art.* 28. *num.* 45. *verſ. ampliatur ſecundò.* & Molina *de primogen. Hiſpanor. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. & ratio eſt, quia qualitas ſubſtituti non ponderatur ad reſtringendam vim illius conditionis, ſi ſine filiis legitimis, & naturalibus deceſſerit, ſed teſtatoris, & hæredis grauati, vt poſt Alexandrum *conſil.* 94. *num.* 3. *lib.* 1. cenſuit Ripa *in dicto §. ſi quis rogatus, num.* 24. cùm enim iſta excluſio ſubſtituti non tendat ad commodum legitimati, qui ſolùm eſt poſitus in conditione non vocatus, iuxta gloſſ. *in l. Lucius ff. de hæredib. inſtituend.* ſed ad commodum, & fauorem hæredis grauati, vt poſſit de bonis ſuis liberè diſponere; ideo videbatur, non poſſe aſſignari

1\. * ſuprà dec. 471. n. 20.

* in Bullario num. 86. pag. 781. & in Bullario Cherubini tomo 2. conſtitut. 45. Pij IV. pag. 60.

2\. † adde Rotã rec. p. 1. dec. 388. n. 8. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

* adde Rotã rec. p. 1. dec. 300. n. 6. & ſuprà in d. deciſ. 471. n. 20.

3\. † adde Rotã rec. p. 1. dec. 667. n. 1. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur.

4\.

5\.



ſuffi

ſufficiens ratio,aut rationabilis differentia; pro-
pter quam legitimatus non deberet excludere
ſubſtitutum, etiamſi eſſet filius teſtatoris, cùm
6. non poſſit conſiderari affectio teſtatoris ma-
gis erga filium, quàm nepotem legitimatum,
cùm nepotem * non vocet, ſed ſolùm ponat in
conditione, ad excluſionem ſubſtituti. Vnde
cùm in hac facti ſpecie non agatur ampliùs de
ſucceſſione grauantis, ſed grauati, legitimatus
etiam facit deficere conditionem, & hanc ſen-
7. tentiam reprobando Salicetum,tenuit Alexand.
*in d.l. ex pacto.§. ſi quis rogatus, num.7. verſ. fallit
etiam quartò.ff. ad Trebel.* & Ripa *ibi n.24.* fatetur
eſſe communem, & Oddus *tract. de compendioſa,
parte 6.§. an naturales, limitatione 5.verſ.in contra-
rium.* Atque ita etiam pro nepote legitimato,
contra filium, teſtatoris ſubſtitutum, conſuluit
Pariſius *conſ.8. lib.2.* & Paulus de Montepico
*conſ.24.*

* vide infrà deciſ. 1001. num.5. circa hunc articulum.

Conſiderabatur præterea, Doctores allega-
tos pro ſententia negatiua non admodum vrge-
re, Menochius enim *conſil. 318. num. 15.* pro ſe
allegat Alexandrum *conſ. 94. lib. 1.* qui ſub *n.2.
verſic. quartò confirmatur*, licèt recenſeat contra-
riam ſententiam, non tamen videtur illam ap-
probare,cùm dicat non eſſe tutam.
8. Socinus *conſ. 249. num. 20. lib. 2.* quem idem
Menochius laudat *num.15.*non loquitur de legi-
timato, ſed de naturali tantùm, inter quem, &
legitimatum longa eſt differentia, cùm legiti-
9. matus, quoad ſucceſſionem,* legitimo æquipa-
retur. *§.illud,& §.liceat igitur. Authent quib.modis
naturales efficiant. legit.* Pariſius *conſ.1. num. 57.
lib.2.* Cephalus *conſ.606.lib.4.* Tiraquellus *in l.ſi
vnquam,in verb.ſuſceperit liberos, num.77.& ſeq.C.
de reuocand. donat.*

* adde Rotã rec.p.1. dec. 653.n.2. & 3.& diu.p.1. deciſ.368. n.15.

Et hæc dixerunt Domini ſine difficultate pro-
cedere,inſpectis Doctorum traditionibus, in iu-
re communi fundatis, nam de Bulla Pij IV. par-
ticulariter dubitare voluerunt.

---

## *Montis Regalis iuriſdictionis.*

### Die Veneris 25. Octobris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Papa ſolus poteſt Cathedralem in Metropolitanam erigere.*
3 *Eccleſiam ſuffraganeam eſſe alicuius Metropolis, dignoſcitur ex eo, quòd ponatur inter Prouinciales illius.*
4 *Pontificalis officij plenitudo deſignatur per pallium.*
5 *Suffraganeus Epiſcous præſtat Metropolitano fidelitatis iuramentum.*
6 *Poſſeſſio iuriſdictionis probatur, ex fidelitatis iuramento.*
7 *Archiepiſcopus de iure communi habet intentionem fundatam, vt poſſit exercere ius Metropoliticum, ſuper Eccleſiam ſuffraganeam.*
8 *Manutentio debet dari ei, cui aſſiſtit ius commune.*

### DECISIO DXLVI.

1. LVcius Papa, eius nominis tertius, ad preces
Guilielmi Siciliæ Regis,Monaſterium,quod
idem Rex in loco,qui Mons Regalis dicitur,fun-
dauerat, in Sedem Metropolitanam erexit, ei-
que Cathanienſem Epiſcopatum in perpetuum
iure Metropolitico ſubiecit, vt conſtabat ex
literis Apoſtolicis erectionis in actis produ-
ctis: cùm verò Reuerendiſſimus Dominus Don
Ludouicus de Torres, Archiepiſcopus Mon-
tis Regalis, vellet iura Metropolitica in Ca-
thanienſem Eccleſiam exercere, & Epiſcopus
Cathanienſis ei contradiceret,& propterea cau-
ſa eſſet in Rota commiſſa, cum præſuppoſito,
quòd iura eſſent in forma probante, dubitaui,
an Archiepiſcopus ſuæ Eccleſiæ nomine ma-
nutenendus foret in quaſi poſſeſſione exercen-
di iura Metropolitica in Eccleſiam, & Epiſco-
patum Cathanienſem: & quoniam Epiſco-
pus Cathanienſis multis menſibus expectatus,
& eius Procurator ſæpiùs citatus non cura-
runt informare, ideo altera tantùm parte in-
formante,Rota cenſuit Archiepiſcopum manu-
tenendum.* 2.

* quia per adeptionem poſſeſſionis beneficij quęritur poſſeſſio rerum, & iurium illius,Rota diuerſ.p.2.dec. 19.n.7.& ſequẽt.Seraph. deciſ. 1497. n. 2. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.cum pluribus aliis.

Cùm enim de erectione Eccleſiæ Montis
Regalis in Archiepiſcopatum, & de aſſignatio-
ne Epiſcopatus Cathanienſis in ſuffraganeum,
conſtaret ex Bulla Lucij tertij, qui vigore po-
teſtatis Papalis id iure facere poterant, *cap. ſicut
vnire,in principio, de exceſſibus Prælator. Extrauag.
Saluator, de præbend.* inter communes, illæque
fuerunt ſortitæ effectum, tam quoad ipſam
erectionem, ex quo Prælati illius ſemper fue-
runt habiti pro Archiepiſcopis, quàm quoad
aſſignationem, quia Eccleſia Cathanienſis pro
ſuffraganea dicti Arciepiſcopatus Montis Re-
galis ponitur in prouinciali omnium Eccleſia-
rum,quo vtitur Curia Romana,inde conſeque-
batur, Archiepiſcopo in iuribus Metropoliticis, 3.
ſuper Eccleſia Cathanienſi, denegari * manu-
tentionem non potuiſſe.

* quod fuit cõfirmatum in deciſ. ſeq.

Eandem ſubiectionis effectuationem demon-
ſtrabat altera eiuſdem Lucij conſtitutio; cùm
enim Alexander tertius, proximus Lucij An-
teceſſor, ante erectionem Archiepiſcopatus
Montis Regalis, ſub Sedis Apoſtolicæ prote-
ctione ſuſcepiſſet Eccleſiam Cathanienſem,
eamque ſoli Sedi Apoſtolicæ ſubieciſſet, &
vſum pallij Epiſcopo Cathanienſi conceſſiſſet,
& poſt erectionem, reclamante Archiepiſcopo,
eodem pallio Cathanienſis vti voluiſſet, Lu-
cius conſtituit, ne poſt obitum Epiſcopi, cui
vſus pallij fuerat conceſſus, cæteri in Epiſcopa-
tu Cathanienſi ſucceſſores pallio vterentur:
hanc autem conſtitutionem fuiſſe ſortitam effe-
ctum,rei euentus demonſtrauit,quia reliqui Epi- 4.
ſcopi ſucceſſores in Eccleſia Cathanienſi non
detulerunt amplius pallium,per quod plenitudo
Pontificalis officij deſignatur, *cap. niſi ſpecialis,
de auctorit.& vſu pallij.*

Exhibebatur præterea quoddam fidelitatis 5.
iuramentum, quod quidam Angelus Catha-
nienſis Epiſcopus, tanquam ſuffraganeus præ-
ſtiterat Archiepiſcopo Montis Regalis, iuxta
formam *cap. ego N.de iureiurand.* ex quo proba- 6.
tur iuriſdictionis * poſſeſſio, Hoſtienſis, Ioan-
nes Andreas, & Butrius *in cap. ſi diligenti, de præ-
ſcript.* Socinus ſenior *conſil.187. num. 12. lib. 2.*
Menochius *de retinenda,remedio 3.num.579.*

* adde infrà dec.734.n.3. in hac eadem cauſa.

Supradictis accedebat aſſertio,& factum Cle-
mentis III. aliquibus intermediis, Lucio III. in
Pontificatu ſucceſſit, qui cùm litteris ſuis retu-
liſſet



liſſet ſubiectionem Eccleſiæ Cathanienſis, Ec-
cleſiæ Montis Regalis, ad inſtantiam eiuſ-
dem Guilielmi Siciliæ Regis, eidem iuri Me-
tropolitia Eccleſiam Siracuſanam ſubiecit,
quam probat etiam, ſubiectam, liber prouin-
cialis.
7. Atque ex ſuperioribus cenſuerunt Domini,
Archiepiſcopum Montis Regalis de iure com-
muni intentionem fundatam, vt poſſet exer-
cere ius Metropoliticum ſuper Eccleſiam Ca-
thanienſem, tanquam ſuffraganeam Eccleſiæ
Metropolitanæ Montis Regalis, *cap. Paſtora-
lis*, vbi gloſſ. & Imola *num.7. de officio iudic. ord.
cap. Romana §. neque ſuffraganeorum*, vbi gloſſ. *de
foro competen: lib.6.* Natta *conſ. 580. num.4. lib.3.*
Rota *deciſione 29. num.3. de ſentent. & re iudic. in
antiq.* & per conſequens, abſque alia probatio-
ne, propter aſſiſtentiam iuris communis * ma-
nutentionem ei deberi. *cap.cum perſonæ, de priui-
leg.lib.6.* Verallus *deciſ.201.& 202.incip. Manu-
teneri,parte 2.*in impreſſis.

*adde Mant. dec.322.n.1. Durand. dec. 226.n.2. qui alias deciſio. allegat, & Caualer.dec. 306. n. 2. & dec.505.n.4.

Super actu cuiuſdam collationis beneficij diœ-
ceſis Cathanien.tanquam deuoluti ad Archiepi-
ſcopum Montis Regalis,non fuit factum funda-
mentum,quia non conſtabat de effectuatione.

---

## *Montis Regalis iuriſdictionis.*

### Die Mercurij 6 Nouembris 1596.

### DECISIO DXLVII.

AD inſtantiam Reuerendiſſimi Archiepi-
ſcopi Montis Regalis,altera tantùm parte
informante, per viam memorialis, feci verbum
in Rota, ſuper eo quòd à me petebatur, dari
mandatum de manutenendo, & Domini viſis
quibuſdam deciſionibus in hac cauſa factis, co-
ram Reuerendiſſimo Rebuſterio, tunc Rotæ
Auditore, ſub die 16. Decembr. 1583. & die 9.
& 13. Ianuar. 1584. quas legi in Rota, in qui-
bus fuerat dictum, quòd Bullis tunc productis
pro Archiepiſcopo Montis Regalis erat danda
fides, ordinauerunt, quòd darem prædictum
mandatum de manutenendo.

---

## *Romana donationis de Anguillaria.*

### Die Lunæ 21. & die Mercurij 3. Octobris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Legata, & fideicommiſſa, quibuſcumque verbis relinqui poſſunt,& num.9.*
3 *Legatum vt inducatur coniecturis,fieri poteſt. reſtringe,n.4.5.*
6 *Teſtatoris voluntas in legato attendenda eſt.*
7 *Enuntiatiua verba in teſtamento, non inducunt diſpoſitionem vltra verborum ſignificationem.*

### DECISIO DXLVIII.

1. PRæſuppoſita donatione facta per bon.mem.
Virginium de Anguillaria, Dominis Ioanni
Baptiſtæ, & Flaminio fratribus ſuis de Anguil-
laria die 5.Martij anno 1584.
& deciſionibus in hac cauſa factis.

*Et*, particula teſtamenti conditi ab Auerſo
illorum patre,videlicet, *exceptis, & reſeruatis,vi-
nea vallis, & campo maris, in quibus duobus locis,
iura Virginij illæſa ſint*; dubitatum fuit, an per
talia verba, tenuta, & vinea prædictæ, vel iu-
ra in eis, cenſerentur Virginio legata, ad effe-
ctum de quo agebatur.

Et Rota cenſuit, non cenſeri inductum lega- 2.
tum, quia licèt verum ſit, legata & fideicom-
miſſa quibuſcumque verbis relinqui poſſe. *l. In
legatis.C. de legat.l.2.C. commun. de legat.* Alben-
ſis *conſil.11.* incip. *Succinctè, & remiſſiuè,num.30.
lib.1.* & ad induendum legatum, procedi poſſe
per coniecturas; * id tamen non habet locum, 3.
quando recti ſermonis ratio, interpretationi,
aut coniecturis repugnat. *l. Plautius.ff. de auro,
& argen.leg.*Bartol. *in l.final.ff.ad Trebell.* Socinus
iunior *conſil. 14. num. 9. lib.4.* vel quando con-
iecturæ † non ſunt claræ, & concludentes,
quales eſſe oportet. Iaſon *conſ. 228. num.4. lib.2.*
Cephalus *conſ.261.in fine.*

* adde Dur. dec.119 n.2. & annota.ad Ludouiſ.dec. 102.num.10. circa mediũ, Seraph. dec. 224.n.1.Rota recen.p.2. dec.663.n.1. in fine.

Quibus accedebat, quia vt legatum indu-
ctum dicatur, & mentem * legantis, & verba, 4.
quæ menti ſubſeruiant,concurrere oportet. Al- 5.
ciatus *in l. ſi quis in fundi vocabulo, num. 5. ff. de
legat.1.*

† adde Dur. dec. 93. n.9. in fine.

In caſu propoſito, in teſtamento Auerſi, non 6.
aderant verba, ex quibus diſpoſitiuè, tenuta, &
vinea oſtenderentur legatæ,& præſertim ex ver-
bis poſitis in tertio præſuppoſito, quæ præter-
quam quòd non conueniebant legato, non do-
cebatur pro patreDominæ Æmiliæ,eandem fuiſ-
ſe teſtantis voluntatem. † *l.Titia §.Caius.ff.de le-
gat.2.* vbi Bartol. notat, verba enunciatiua non
inducere diſpoſitionem, vltra verborum ſignifi-
cationem, & tradit Cardinalis Mantica *lib.8. de
coniect.vltimar.volunt.tit.1.n.13.* nam per illa ver-
ba teſtator id tantùm ſignificare voluit, ne iuri-
bus Virginij præiudicaretur,illorum tantùm vi-
gore nihil datur,nec auferrur,ſed ſolùm præſer-
uantur iura,ſi quæ competunt.Socinus *conſ.287.
n.2.lib.2.*Iaſon *in l.ſi quis legauerit,n.4.ff.de legat.1.*
Natta *conſ. 636. num. 197.& ſeq. lib.3.* Crauetta
*conſ.73. num.20.* Odradus *conſ.237.in fine*, quem
ſecuta eſt Rota in vna Imolen. Caſtrorum die
15. Nouembr. 1571. coram R. P. Domino meo 7.
Decano.*

* aqua vltimæ voluntatis diſpoſitio pendet,Rota rec.p.1. dec. 453.n. 1. in fine.

† quæ regulat & regit vltimas voluntates,Durand. deciſ. 339. n. 25. Seraph. dec. 1486. n. 15. & Rotã rec. p.2 dec.627. n.6.& 8.

* in impreſſis Seraphini dec.144.n.6.

Ac multo minus poterat colligi, legatum ex
illis verbis, *inſpecta mente teſtatoris*, quem con- 8.
ſtabat, eius fuiſſe propoſiti, vt proſpiceret aliis
filiis, ne poſſent cogi ad reſtitutionem pecu-
niarum, ſed ſolùm ad fructus, idque ad ratio-
nem quatuor tantùm pro centenario, in qui-
bus duobus, cùm eſſet læſus Virginius, cùm
nec fratres poſſet cogere, ad ſibi reſtituen-
das pecunias, nec ad maiorem penſionem,
ſex videlicet, vel ſeptem pro ſingulo centena-
rio ſibi pendendam, ne in vinea, & tenuta il-
lum etiam pater læderet; conſulto in eis, iu-
ra illæſa illi talia, qualia habebat reſeruare
voluit.

Conſiderabant etiam Domini, quòd quan-
do Auerſus pater voluit aliquid legare, diſpoſi-
tiuè id fecit, vt in legato melioramentorum fa-
ctorum in vinea Vallis, quod patenter oſtende-
bat;noluiſſe Auerſum legare vineam.

9. Et licèt verum ſit (vt paulo antea dictum eſt,) legata quibuſcumque verbis relinqui poſſe, id tamen intelligitur, ſi apta ſint, & habilia ad legatum inducendum. *l. qui autem ff. de conſtit. pecunia.* gloſſ. *in §. ſed olim, in verbo, quibuſcumque verbis.* vbi notant communiter Doctores *Inſtit. de legatis.*

Nec ſupradictis obſtabat, quòd iſta verba Auerſi viderentur includere hæc bona, cùm eſſent appoſita poſt negatiuam, quòd Virginius nihil aliud petere poſſet de bonis auitis, & maternis, quia dicebatur, quòd licèt fortaſſis id poſſet habere locum, ſi ſimpliciter dictum fuiſſet, *exceptis vinea vallis, & campo maris*, in hac facti ſpecie propterea ceſſabat talis interpretatio, quia ſtatim ſubdebantur illa verba, *in quibus illæſa fuit, vel ſint iura Virginij.* ex quibus conſtabat, Auerſum patrem noluiſſe aliquod præiudicium inferre Virginio in dictis bonis, eundem tamen Auerſum, nullum de nouo ius eidem tribuere voluiſſe: atque ex his facilè diluebantur conſiderata per informantes, pro Domina Æmilia.

---

## *Bracharen. Prioratus, ſeu Simoniæ.*

### Die Mercurij 30. Octobris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Simoniam inducunt tractatus, cum concluſione de permutando beneficio.*

3 *Conuentiones in beneficialibus ſunt prohibitæ, & inducunt ſimoniam.*

4 *Papa ſolus poteſt admittere permutationes beneficiorum conuentionales.*

5 *Ordinarius poteſt admittere conuentionales permutationes beneficiorum, ſi ei pacta non ſint expoſita.*

6 *Simonia præſeruatur, ſi pacta fiant cum reſeruatione beneplaciti Apoſtolici.*

*Sed ſi pacta exequantur, ante beneplacitum, incurritur, n.* 7.

8 *Simonia non incurritur, ſi temporale pro temporali detur.*

9 *Sed hoc intellige, ſi interueniat ſuperioris auctoritas.*

### DECISIO DXLIX.

1. FErdinandus Gonzalez, Vicarius Eccleſiæ S. Vincentij Fornelos, Bracharen. diœceſis, & Simon Aragonæ, Prior Eccleſiæ Sanctæ Mariæ oppidi de Ponte de Lima, tractantes permutare ſua beneficia, inter alia pacta conſtituerunt, quòd Simon daret Ferdinando pro duobus annis 40.m. Regalia monetæ illius Regni, in duobus terminis, ex eo quòd Simon arrendauerat fructus ſui Prioratus anticipata ſolutione affictus duorum annorum, proximè ſequentium pro ſoluendo debito 50. m. Regalium Monialibus de Villanueua, ex cauſa liberationis penſionis, quam Moniales, ſuper fructibus ſui Prioratus prætendebant; vterque verò obligandoſe in forma Cameræ dedit fideiuſſores pro adimpletione pactorum, quibus peractis, ann. 1577. coram Vicario Brancharenſi, tacito conuentionis tenore comparentes, & ſimpliciter aſſerentes, quòd propter Dei, & ſuarum Eccleſiarum ſeruitium permutare deſiderabant, à prædicto Vicario obtinuerunt permutationem admitti, cuius vigore, collationem, & poſſeſſionem beneficiorum permutatorum obtinuerunt, & Ferdinandus exiſtens in poſſeſſione dicti Prioratus permutati habuit cum effectu 40.m. Regalia.

Fiſcalis Eccleſiæ Bracharen. ad cuius notitiam ſupradicta peruenerant, intentato iudicio criminali ſuper delicto ſimoniæ, contra Simonem & Ferdinandum, tandem lata ſententia eoſdem tanquam reales ſimoniacos, prædictis beneficiis priuauit, quam deinde Auditores legatiæ Vlyſbonen. confirmarunt, demum cauſa in Rota introducta dubitaui,

An conſtaret de ſimonia, in caſu de quo agebatur.

Et licèt conſiderata Ferdinandi paupertate, qui cum magnis laboribus ad Curiam venerat, Dominis placuiſſet cauſam concordari, nihilominus cenſuerunt inter iſtos permutantes com-
miſſam fuiſſe ſimoniam, quia tractatus, cum 2.
concluſione * de permutando inducit ſimoniam, *cap. quæſitum*, vbi Abbas, *n. 9. de rerum permut.* Decius *conſ.* 141. incip. *Ad plura dubia.* Re-
buffus *in praxi tit. de permutatione, n.* 52. & ratio, 3.
eſt, quia conuentiones * in beneficialibus ſunt prohibitæ, & inducunt ſimoniam, *cap. cùm pridem, & cap. pactiones, de pactis.*

* adde Cau. dec. 351. n. 4. & 7.

* Lud. dec. 238. n. 9. & 517. num. 30. Seraph. dec. 1029. n. 8.

Et quamuis conuentio, quòd Ferdinandus ſtaret locationi duorum annorum factæ per Simonem, & quòd interim loco fructuum reciperet pro ſua ſuſtentatione 40.m. Regalia, fuiſſet iuſta, nihilominus, quia fuit in pactum deducta, reddidit permutationem ſimoniacam, quam non potuerunt coram Ordinario ad effectum
deducere, qui non poteſt permutationes con- 4.
uentionales admittere, cùm ſolius Papæ ſit iſtas conuentiones purgare. Pariſius *conſil.* 130. *numer.* 13. *lib.* 4. Rebuffus *in praxi tit. de permutatione, num.* 47.

Præterea, licèt Ordinarius poſſet admittere 5.
iſtas permutationes, & illarum vitium purgare, cùm in caſu propoſito non fuerint ei facta expoſita per permutantes, permutatio remanſit vitioſa. Pariſius *dicto conſ.* 130. *n.* 14. *lib.* 4.

Ex alio etiam aderat ſimonia, quia licèt re- 6.
ſeruatio beneplaciti ſuperioris præſeruet permutationes à ſimonia, Rebuffus *in praxi tit. de*
*nou. prouiſ. num.* 35. ſi tamen pacta executioni 7.
mandentur, ante obtentum beneplacitum, ſimonia tunc incurritur. Mohedanus *deciſ.* 167. aliàs eſt 1. *tit. de ſimon.* Antonius Auguſt. *in epitome tit. de ſimon. §.* 2.

Neque ſupradictis obſtabat, quòd licitum ſit 8.
permutanti accepta pecunia, etiam anticipata, aliquid refundere compermutanti, vt fructus temporales ad æqualitatem reducantur, cùm hoc ſit temporale, temporali æſtimare, *cap. ad quæſtiones, de rerum permutat.* vbi Abbas *n.* 3. Sotus *de iuſtitia, & iure lib.* 9. *q.* 7. *articulo ſecundo*, Silueſt. *verb. permutatio* 2. *n.* 6. Angelus *eodem verbo. §.* 6.

Quia reſpondebatur, id procedere ſeruatis 9.
ſeruandis, & legitimi ſuperioris auctoritate interueniente, ſecus autem, cùm ſimpliciter iſta tranſiguntur. Couarr. *lib.* 1. *c.* 3. *variar. reſolut.* Nauarrus *in manuali, cap.* 25. *n.* 100.





---

## *Placentina Decanatus.*

### Die Mercurij 6. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Regreſſum ad beneficium ratione pœnæ, ſi daretur de nullitate, non ſolet Rota canonizare, niſi adſit magna proteruia in ſoluere nolente.*

3 *Regreſſus vt canonizetur, neceſſaria eſt declaratio.*

4.5 *Mora purgatur per ceſſionem litis, & cauſæ, etiam poſt tres ſententias.*

6 *Moræ purgationem ad pœnam euitandam æquitas Canonica facilè admittit.*

7.8.9.10 *Clauſula,* ſublata, *operatur, vt nihil poſſit dici contra diſpoſitionem, & non impedit moræ purgationem.*

*& eam interpretationem admittit, quæ ex æquitate prouenit, n.* 11.

### DECISIO DL.

1. VTraque parte informante dubitaui, an eſſet locus purgationi moræ ad effectum de quo agebatur? & Domini ſteterunt in deciſis, in eadem clauſula coram me die 10. Nou. 1595. * cùm enim ageretur de pœna regreſſus, ſeu acceſſus ad
2. beneficium, ſi daretur de nullitate penſionis, quem Rota non ſolet canonizare, niſi adſit nimia proteruia, ſeu contumacia in ſoluere nolente, Antonius Auguſtinus *deciſ.* 357. & 624. *lib.* 3. *& in epitome tit. de priuatione ob non ſolutionem penſionis num.* 5. & fuit reſolutum in vna Cæſarauguſtana † penſionis die 13. Nouemb. 1591.
3. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in alia Roſa-
4. ſanen. regreſſus die 16. Iunij ann. 1595. coram R. P. D. meo Litta, in hac cauſa, non concurrebat talis proteruia Decani Placentini, ex quo non expectata aliqua declaratoria, (quæ neceſſaria etiam eſt ad canonizandum regreſſum, Caſſado-
5. rus *deciſ.* 4. *num.* 1. *de locato*, Gigas *de penſionib.*
6. *quæſt.* 28. Peregrinus *deciſ.* 233. *lib.* 2.) quamprimum Rota pronuntiauit, factum fuiſſe locum decreto, per legitimum Procuratorem ceſſit liti, & cauſæ ſuper nullitate penſionis, ex quo actu cenſebatur mora purgata, * quæ ad hunc effectum poteſt purgari, etiam poſt tres ſententias conformes, vt fuit deciſum in cauſa Calaguritana Prioratus coram Domino Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ Auditore die 15. Ianuarij ann. 1580. & maximè conſiderata æquitate Canonica, quæ facilè admittit purgationem † moræ ad pœnam euitandam. *cap. tuam, de pœnis. cap. apud miſericordem.* 32. *quæſt.* 1. Alexander *in l. ſi quis maior num.* 7. vbi Iaſon *num.* 26. & Iacobus de S. Georgio *num.* 43. *C. de tranſact.* Decius *conſil.* 138. *num.* 7. Rota in cauſa Romana mutui die 26. Februar. ann. 1567. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, & in vna Romana affictus Caſalis die 21. Nouembr. 1572. coram Reuerendiſſimo Robuſterio, & in alia Romana de Manellis die 19. Nouembr. 1582. * coram R. P. D. meo Seraphino.

* ſuprà deciſ. 470. n. 6. & 10.

† habetur penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pagin. 568.

* adde infrà dec. 582. n. 3. & ſuprà deciſ. 470. n. 6. & 10.

† de hoc art. latè agit annot. ad Lud. deciſ. 559. n. 10. vbi plures dec. & limitationes tradit, quod eſt verum etiam ſtante iuramento, vt in d. n. 10. verſ. & procedit cui adde Rotam diu. p. 1. dec. 277. n. 5. & habetur in impreſſis Seraphin. deciſ. 577.

* in impreſſis Seraph. dec. 591. n. 7. & dec. 819. n. 7. & 12. & ſuprà in d. deciſ. 470. n. 6. in fine vbi alias deciſ. annotaui.

Huic æquitati in hac facti ſpecie ex eo etiam videbatur eſſe locus, quia Decanus ſemper ſol-



uerat omnes penſionis terminos, abſque aliqua proteſtatione.

Quatenus ad ius Mirandæ, quod informan- 7.
tes pro eo dicebant, fuiſſe factum deterius, & propterea Decanum, qui ſibi mouerat litem ſuper nullitate penſionis incidiſſe in pœnam decreti, conſiderabatur, quòd vel iſta deterioratio colligebatur ex eo, quòd Miranda non poterat obtinere Decanatum, maximè ſtante eius gratia, *ſi neutri*, aut ex eo, quòd fuerat detecta nullitas penſionis.

Iuxta primam inſpectionem dicebant Domi- 8.
ni, talem deteriorationem non fuiſſe habendam in conſideratione, quoniam iſto reſpectu ſemper poſſet dicere penſionarius ius ſuum factum deterius, ex quo amittebat beneficium, quod vigore regreſſus, vel acceſſus habere poterat: quæ ratio ſatis eſt leuis, vt patet ex ſupradictis.

Iuxta alteram inſpectionem reſpondebatur, 9.
ſimiliter non potuiſſe reperiri aliquam rationabilem deteriorationem: quia Papa prohibuerat dari de nullitate penſionis cum clauſula, *ſublata*, quod perinde fuit, ac ſi dixiſſet, quòd penſio eſſet valida, vel de eius nullitate dari non poſſet.

Neque obſtabat, quòd aliquando poſſet obtineri aperitio oris; quia dicebatur, quòd tunc ex conſequenti canonizaretur regreſſus, & ius Mirandæ remanſurum erat illæſum, vel reſpectu penſionis, vel reſpectu Decanatus.

Minus placuit Dominis, quod proponebat Miranda, conſiderandum reſpectu nullitatis penſionis, qua detecta, non poterat tuta conſcientia illam exigere, atque propterea negari non potuiſſe, quin ius illius factum eſſet deterius, quoniam reſpondebatur, quòd cùm præter conſenſum Decani, cuius fauore nullitas erat introducta, adeſſet decretum Papæ, quòd non poſſet dari de nullitate penſionis, licitè poterat Miranda penſionem exigere, maximè cùm non eſſet adeò clara nullitas, vt non indigeret particulari inſpectione.

Clauſula, *ſublata*, vnà cum decreto irritante, 10.
non impediebat moræ purgationem; quia non alterat, nec mutat naturam illius, imò regulatur ab eo, & ita in caſu propoſito non operaretur effectum, niſi concurrentibus requiſitis in tot deciſionibus * ſuprà citatis, nempe nimia proteruia, & contumacia recuſantis penſionem ſoluere. hæc enim clauſula eam interpretationem admittit, quæ ex æquitate prouenit. Puteus *deciſ.* 213. *lib.* 2.

* ſuprà in hac dec. n. 4. & 5. quibus adde Seraph. deciſ. 1150. num. 4.

Et quoniam ex ſupradictis, Rota non receſ- 11.
ſiſſet à deciſis circa moræ purgationem, cenſuit tamen, Mirandam, ex aliis capitibus, potuiſſe agere ad eundem Decanatum, ſicut in alia deciſione ſenſerat, nec illum excluſit à petitione, & conſecutione ſumptorum, * quos in hac cauſa facit, propter moleſtias ſibi illatas.

* Seraph. in d. dec. 1150. n. 5. Coccin. dec. 256. n. 5.

---

## *Romana Computorum.*

### Die Mercurij 6. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Cautio non expirat, lata ſententia, & in cauſa appellationis.*

3 *Fideiuſſio expirat poſt ſententiam, quæ tranſiuit in rem iudicatam.*

4.5 *Iudicium ratificaſſe partem dicitur, ſi poſtea faciat actus in cauſa.*

6 *Mandatum iudicis operatur idem, quod decretum.*

7 *Ceſſante cauſa, ceſſat effectus.*

## DECISIO DLI.

1. MOnitus fuerat Proſper Cribellus per A.C. vt redderet rationem adminiſtrationis, quam exercuerat, vnà cum reliquorum ſolutione, nec non, vt quoſcunque libros & ſcripturas computorum penes eum exiſtentes reſtitueret: idem præterea fuerat arreſtatus, ne ab vrbe recedere auderet, donec bonum, & legale computum ſuæ adminiſtrationis reddidiſſet, & quoſcunque libros petitos in actis exhibuiſſet.

Proſper die 8. Aprilis anni 1564. data cautione de ſe toties quoties repræſentando ad omne mandatum domini, ſub pœna debiti, arreſtum tolli obtinuit, & paulo pòſt A.C. reintegrando monitorium, Proſperum condemnauit.

Appellatione per Proſperum interpoſita, & cauſa bon. mem. Frumento commiſſa, coram R. P. D. Cittadino in Frumenti locum ſubſtituto, Proſper parte citata, prædictam cautionem mandati caſſari obtinuit, & ſententiam A. C. reuocari.

Cum verò in hac cauſa multis annis coram diuerſis iudicibus eſſet litigatum, & ad varios actus iudiciales deuentum, & tandem die 18. Martij proximè præteriti coram R.P.D. meo Iuſto, dubitarem, an cautio, ſeu fideiuſſio Proſperi expiraſſet, & Rota tunc affirmatiuè reſpondiſſet, fideiuſſionem expiraſſe, quia tamen propter eiuſdem Domini Iuſti receſſum ab vrbe cum Legato Apoſtolico ad Regnum Franciæ deſtinato, deciſio de more fieri, & partibus dari non

2. potuit, cauſa iterum vtraque parte informante propoſita, Domini ſteterunt in deciſis coram Iuſto, non ex eo, quòd cautio expiret lata ſententia, nec duret in cauſa appellationis, quia Rota non tenet hanc opinionem, ſed contrariam. Baldus *in l. Græcè. §. & poſt. ff. de fideiuſſor.* Ægidius *deciſ.* 353. & fuit dictum in vna Romana fideiuſſionis de repræſentan. die 24. Ianuar. ann. 1594. coram D. Cardinale Arigonio tunc Rotæ Auditore, neque ex eo, quòd eſſet cauſa diuerſa; quia prætenſio dominorum de Saluiatis videbatur generalis, & comprehenſa ſub generali monitorio ad reddendam rationem de adminiſtratis per Proſperum, cum ſolutione reliquorum, & reſtitutione librorum.

3. Sed ex eo, quòd cautio, ſeu fideiuſſio fuerat de repræſentando Proſpero, qui fuerat arreſtatus: vnde cùm poſtea rediiſſet ad vrbem, & parte citata obtinuiſſet à Domino Citadino mandari caſſari fideiuſſionem, & illius decretum tranſiuiſſet in iudicatum, extincta remanſit cautio, adnotata per Baldum *in l. tam mandatori, num. 20. C. de non numerat. pecunia.*

Neque huic deciſioni obſtare videbatur obiectio Dominorum de Saluiatis, prætendentium, decretum Cittadini fuiſſe nullum, quia non conſtabat de mandato illius Procuratoris, qui fuerat citatus in decreto caſſationis, quia ex multis præſumebatur mandatum, nam idem Procurator impetrauerat commiſſionem derogatoriam feriarum, & aliam ſubrogationis Cittadini in locum Frumenti, coram quo citauerat partem ad dicendum contra commiſſionem, & terminum ſeruauerat, ſtantibus enim commiſſionum impenſis, & tot actibus iudicialibus, facilè erat præſumere mandatum.

4. Quinimo, apparebat etiam, Dominos Saluiatos idem iudicium ratificaſſe, * tum quia conſtituerunt Procuratorem ſpecialem ad illius proſecutionem, † tum quia tranſportauerunt acta geſta cum illo Procuratore, quæ coram aliis etiam iudicibus replicauerunt.

* addei Lud. dec. 176. n. 9. & 13 & 576. n. 13. & 20. Rot. rec. p. 1. dec. 412. n. 6.

† adde Rot. recen. part. 2. dec. 440. n. 2. & deciſ. 123. num. 3.

5. Sed omnem difficultatem tollere videbatur factum Dominorum de Saluiatis, vt viderentur decretum ceſſationis omnino ratificaſſe, quia poſtea, narrantes Proſperum nulla ſtabilia in vrbe poſſidere; & ne iudicium redderetur eluſorium, petiuerunt ab Aragonia, cui cauſa commiſſa fuerat, vt Proſperum cogeret ad cauendum, aliàs videndum decerni mandatum contra ipſum, tanquam de fuga ſuſpectum, nam ſi cautio de repræſentando non erat ſublata, non erat neceſſarium deuenire ad iſta decreta, quibus tunc eſt locus, quando aliter creditori non eſt cautum.

6. Quod verò cautio actualiter caſſata non fuerat, non videbatur alicuius fuiſſe momenti, quia ſufficere Rota cenſuit, decretum iudiciale, quo iudex caſſari mandauit; quod operatur vt perinde cenſenda ſit, ac ſi eſſet reuera caſſata, vt praxis Curiæ ſeruat.

Quod tandem opponebatur contra idem decretum, tanquam iniuſtum, non placuit Dominis, nam cùm cautio fuiſſet data propter abſentiam Proſperi ab vrbe, & ipſo redeunte, iſta cauſa ceſſaſſet, iuſtè decreuit iudex, iubendo cautionem caſſari. *cap. cùm ceſſante, de appell.* cum ſimilibus.

---

## *Romana pecuniaria, ſiue mercium.*

### Die Veneris 8. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Subſcriptio ſcripta manu propria partis, contra ipſam probat, licèt tota non ſit manu propria exarata, num. 3.*

4.5 *Subſcribens ſcripturam, cenſetur approbare omnia in ipſa ſcriptura contenta.*

6 *Scriptura ſtante, ſi pars contra illam dicere velit, debet concludentiſſimè probare ſuam ſententiam.*

7 *Compenſatio de liquido ad liquidum, non eſt admittenda.*

8 *Ratione ſemel data, non eſt pars compellenda, vt de nouo eam det.*

9 *Scriptura priuata regulariter non requirit diem, neque annum.*

## DECISIO DLII.

1. FActis computis inter Darium Stanchum, & Hieronymum Chelinum mercatores ex vna, & Illuſtriſſimum Dominum Alexandrum Vrſinum, Comitem Petiliani, ex altera parte, reſultauit,



tauit, ſupradictos mercatores remanſiſſe creditores in ſcutis 2088. & b. 79. quibus tam Caſtellucius, eiuſdem Comitis miniſter, quàm idem Comes, manu propria ſuas ſcriptiones appoſuerunt.

Cùm verò, prædicti mercatores pro integra ſatisfactione agerent coram A. C. pro ſcutis 1906. b. 97. & pro parte Comitis fuiſſet exceptum de quodam alio computo manu * Darij ſubſcripto, ex quo apparebat ad eius manus perueniſſe ſcuta 3640. per Darium, exacta à quibuſdam mercatoribus Senenſibus pro pretio CC. modiorum grani, quæ Comes Senenſibus illis vendiderat, & propterea peteretur compenſatio: A.C. viſo alio filio manu eiuſdem Comitis ſubſcripto, ex quo apparebat, exitus dictarum pecuniarum ex pretio grani exactarum, & deputato nihilominus de conſenſu partium perito, & viſa eius relatione, & partibus ſæpe auditis, tandem reiecta prætenſa compenſatione, ad fauorem iſtorum mercatorum pronuntiauit, & cùm in gradu appellationis vtraque parte informante dubitaſſem, an ſententia A. C. eſſet confirmanda, vel infirmanda, Rota confirmandam cenſuit.

* de hoc art. vide Duran. dec. 368.

2. Quia cùm creditum mercatorum non negaretur, ſed ſolùm prætenderetur compenſatio, eam manifeſtè excludebat notula producta per Darium, ex qua conſtabat, eum rationem de pretio exacto reddidiſſe; quæ cùm eſſet à Comite ſubſcripta, poſt factam manus recognitionem plenè probat contra ipſum, * Barolus, & alij communiter *in l. ſcripturas. C. qui potiores in pigno. habeant.* Decianus *conſ.* 15. *num.* 25. *lib.* 1.

* vide infrà dec. 625. Duran. dec. 352. n. 2. & 319. n. 23. Seraph. deciſ. 1139. num. 8.

3. Neque releuabat dicere, quòd tota ſcriptura † non erat exarata manu ipſius Comitis, quoniam ſatis erat, ab illo fuiſſe ſubſcriptam, ex quo

† vide infrà deciſ. 1465. n. 3. Mantic. dec. 321. n. 4.

4. ſubſcribens * cenſetur approbare omnia in ipſa ſcriptura contenta. *§. 1. Inſtit. de empt. & vendit. l. ſi ego. §. dotes. ff. de iure dot.* Iaſon *in l. ita ſtipulatus. §. Chryſogonus num. 12. ff. de verbor. obligat.* Alexander *conſ.* 147. *num.* 3. *& conſil.* 181. *num.* 4. *lib.* 2. ſubſcriptio enim eundem effectum operatur, ac operaretur ſi ab eodem ſubſcribente tota ſcriptura exarata fuiſſet. Felinus *conſ.* 2. *num.* 19.

* Dur. dec. 6. n. 8. & deciſ. 136. n. 4. Caual. deciſ. 75. num. 3.

5. Vnde, cùm ex hac ſcriptura, ex qua prætendebatur fore locum compenſationi, eſſet extinctum creditum Comitis, aliàs reſultans ex pretio grani exacto per Darium, & ſocios, ad text. *in l. ſolutio. ff. de negotijs geſt. & in l. obligatione, C. de ſolut.* mox conſequebatur, Dario deberi prædicta ſcuta 1906. reſultantia ex alio computo, cui Comes ſubſcripſiſſe oſtendebatur.

6. Neque ab hac deciſione fuit recedendum, propter Comitis prætenſionem, dicentis, in notula producta per Darium fuiſſe aliquot partitas, quæ verè non iuſtificabantur; quia reſpondebatur, quòd cùm Darius haberet pro ſe ſcripturam manu Comitis ſubſcriptam, ei ſtandum erat, donec per Comitem concludentiſſimè probaretur error, ſeu falſitas prætenſarum non iuſtificatarum partitarum. *l. ſi poſt diuiſionem. C. de iuris, & facti ignorant.* Alciatus *tract. de præſumpt. regula 3. præſumptione 21. in principio*; errorem verò, & falſitatem, imò omnem erroris & falſitatis ſuſpicionem, in hac cauſa ſatis excludere videbatur geminata periti relatio, & reuiſio computorum facta per Catellucium, cui Comes ſimilia committebat.

7. Rurſus, cùm iſta Comitis prætenſio non eſſet clara, & liquida, ad effectum compenſationis non erat habenda in conſideratione, quia de liquido * ad illiquidum non fit compenſatio. *l. fin. C. de compenſat. cap. ad noſtram, de iureiuran.* Afflictus *deciſ.* 381. *num.* 6. & fuit deciſum in cauſa Bergomen penſionis die 22. Iunij 1594. coram R.P.D. meo Litta.

* adde Dur. dec. 235. n. 5. & 282. n. 1. Seraph. deciſ. 1455. n. 4. Mant. deciſ. 233. n. 2. & dec. 221. n. 8. Cocc. deciſ. 326. n. 3. & dec. 358. n. 2. & aliàs ſæpe.

Neque interim Darius tenebatur iteratam rationem reddere, quia ſemel reddita, non eſt denuo reddenda. † *l. ſemel. C. de apochis publ. lib.* 10. Socinus ſenior *conſil.* 92. *num.* 1. *lib.* 4. Pariſius *conſ.* 89. *num.* 1. *lib.* 1.

† adde Lud. dec. 536. n. 2. vbi annot. n. 3. alias deciſ. allegat Caual. dec. 225. n. 1. Mantic. dec. 258. n. 4. & fuit dictum in vna Melitenſis reuiſionis computorum impreſſ. per March. de commiſſ. p. 2. pag. 368.

Quòd vltimum folium per Darium exhibitum non contineret diem, neque menſem, non impediebat, quin Darius deberet conſequi ſuum creditum, quia ſatis erat, fuiſſe ſubſcriptum à Comite, præſertim cùm in ſcripturis priuatis regulariter non requiratur dies, vel annus, *l. cùm tabernam. §. idem quæſiuit, de pignorib.* Decius *in cap. 2. num. 24. de fide inſtrument.*

Ad difficultatem factam ſuper partitis ſcutorum 150. & 400. placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes pro mercatoribus, & ſic concluſum, ſententiam A. C. fuiſſe confirmandam.

---

## *Taurinen. decimarum.*

### Die Veneris 8. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria non conceditur, ſi adſit calumniæ ſuſpicio.*

2 *Poſſeſſio immemorabilis concluditur, ſi teſtes deponant nunquam fuiſſe viſum, nec auditum aliquid in contrarium.*

3 *Teſtes plures ſi examinati fuiſſent, & nihil probarent, argui poteſt de calumnia contra partem.*

## DECISIO DLIII.

ROta cenſuit, non fuiſſe concedendam remiſſoriam * Dominis Comitibus de Valperga, quia non carebat calumniæ ſuſpicione, 1.
Caſſadorus *deciſ.* 3. *num.* 1. *de dilationib.* articuli enim videbantur concepti, ad euitandas deciſiones Rotales, requirentes in hac materia receptionis decimarum per laicos † poſſeſſionem immemorabilem ante Concilium Lateranenſe, ſeu decretum Vrbani ſecundi, cum fama Apoſtolici priuilegij, probata per teſtes deponentes, iuxta requiſita per gloſſ. *in c. 1. de præſcript. lib.* 6. Guidobonus *deciſ.* 61. *& 62.*

* quæ conceditur faciliter ſecluſa calumnia, de quo annotaui aliquas deciſ. ſuprà dec. 114. n. 2. & vide infrà dec. 568. n. 1. & 2. Ludou. dec. 48. n. 7. Rot. rec. p. 2. dec. 248. n. 2. & aliàs ſæpe.

† adde infrà dec. 616. vbi alias dec. annotaui.

Pro parte autem Comitum non dabatur aliquis fumus prædictarum qualitatum, imò ex eo oſtendebatur contrarium; quia in actis reperiebatur producta vna conceſſio facta Comitibus ab Epiſcopo de anno 1453. pro 29. annis, quæ & 2.
conceſſionem Apoſtolicam factam ante Concilium Lateranenſe, & immemorabilem poſſeſſionem excludere videbatur, neque enim erat veriſimile, Comites accepturos talem commiſſionem ab Epiſcopo, ſi ipſi habuiſſent aliam ante Concilium, aut immemorabilem poſſeſſionem cum fama priuilegij, cui accedebat alia conceſſio,

conceſſio, eiſdem Comitibus facta ab alio Epiſcopo de anno 1566. cum quibus concordabant teſtes deponentes, Comites habuiſſe iſtas decimas ab Epiſcopis, qui pro tempore præfuerunt; ex his enim cenſebatur excluſa immemorabilis poſſeſſio, quæ requirit, quòd nunquam fuerit
2. viſum, nec auditum aliquid in contrarium. gloſſ. *& *ibi* communiter Doctores *in dicto cap. de præſcript. lib. 6.*

* adde Lud. dec. 196. n. 1. vbi annotaui litt. A. & paſſim hanc doctrinam ſeruat Rota, vt per Caualer. dec. 55. n. 1. & deciſ. 174. num. 1.

Supradictis etiam addebatur, quia cùm Comites in partibus teſtes examinaſſent, & plures etiam examinare potuiſſent, nec tamen immemorabilem probauiſſent, nunc non ſine calum-
3. nia † videbatur peti Remiſſoria ad idem probandum, vt notant Doctores, Angelus, Paulus de Caſtro, Alexander & Socinus *in l. de die. §. tutor. ff. qui ſatisdare cogan.* Paleothus *deciſione* 258.

† adde Lud. dec. 414. n. 1.

Illa verò Comitum prætenſio ſatis leuis Domini s viſa fuit, videlicet, illos, qui receperunt antiquam inueſtituram de an. 1453. ſucceſſoribus, qui habebant antiquiſſimam inueſtituram, ante Concilium Lateranenſe, præiudicare non potuiſſe, & propterea, Remiſſoriam fuiſſe concedendam.

4. Quoniam reſpondebatur impoſſibile nunc videri probare poſſeſſionem immemorabilem reſpectu illius temporis ante annum 1453. cùm nulli teſtes, * tam longæui reperiri poſſent, qui eam probarent, iuxta requiſita per gloſſ. *in dicto cap. 1. de præſcript. lib. 6.* Guidobonus *deciſ. 62.* Verallus *deciſ. 283. lib. 1. in manuſcript.*

*& teſtes debent percutere tempus per 40. annos ante motam litem. Seraphin. deciſ. 470. n. 2. & deciſ. 1450. n. 2. & ſuprà dec. 337. n. 3.

Et ex his fuit concluſum, Remiſſoriam fuiſſe denegandam.

---

## *Turulen. penſionis.*

### Die Mercurij 13. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

1 *Penſionem vt quis obtineat, debet eſſe Clericus.*
2 *Papa poteſt reſeruare penſionem ad fauorem eius, qui non ſit Clericus.*
3 *Conceſſio facta Clerico transferendi penſionem, intelligitur cum eadem qualitate Clericatus.*
4 *Penſio, non Clerico, de ſtylo non reſeruatur.*
5 *Tranſlatarij penſionum debent eſſe Clerici, aliàs tranſlatio non valet.*
6 *Expeditores, & officiales Cancellariæ ſunt organa Papæ.*
7 *Signatura Papæ, niſi aliud exprimatur, illam tacitam conditionem recipit ſi clauſulæ per ſuam Cancellariam recipiantur.*
8 *Argumentum à ſimili quandoque ſumi poteſt.*
9 *Tranſlatio penſionis eſt materia odioſa.*

## DECISIO DLIV.

1. VTraque parte informante propoſui dubium à Rota datum, vtrùm in hoc caſu neceſſariò requireretur Clericatus. Et Domini, vno excepto, cenſuerunt Clericatum * neceſſariò requiri, & propterea ſtandum in deciſis, in eadem cauſa die 28. Iunij proximè præteriti: † quia licèt non dubitaretur de poteſtate Papæ, potentis reſeruare penſionem ad fauorem illius, qui non ſit Clericus, & potentis concedere facultatem
2. transferendi Eccleſiaſticam penſionem in non Clericum; in hoc tamen caſu dicebatur, adfuiſſe defectum voluntatis, noluit enim quòd Artaldus poſſet transferre penſionem, niſi in eum, qui
3. eſſet Clericus: cùm enim penſio hæc ab initio eſſet reſeruata Artaldo Clerico ſeculari, cum facultate, quòd poſſet illam in alias perſonas transferre, illa facultas intelligebatur de perſonis ſimilibus, nempe Clericis. *cap. ſedes,* vbi Felinus, *num. 6. de reſcript.* Ruinus *conſil. 130. num. 1. lib. 3.* Sarnenſis *in regula de triennali quæſt. 2. num.* 4. eſt enim relatiua ſimilium qualitatum. Oldradus *conſil. 190. num. 2.* vnde oportuit perſonam, ad cuius fauorem penſio transferri poterat, debuiſſe eſſe prorſus ſimilem in qualitate Clericatus.

* adde Dur. dec. 117. n. 1. & ſeq. Seraphin. deciſ. 1264. num. 2. Coc. dec. 31. n. 8. & infrà dec. 569. n. 3.

† ſuprà deciſ. 537.

4. Huic etiam interpretationi fauebat ſtylus Curiæ, iuxta quem penſiones non ſolent regulariter reſeruari niſi pro Clericis, & quando Papa reſeruat, aut concedit penſionem alicui non Clerico, ſemper ſolet apponere clauſulam, poſtquam charactere * clericali fuerit inſignitus, quem in hac quoque facti ſpecie conſtabat fuiſſe ſeruatum: quia licèt Papa reſeruauerit penſionem pro Artaldo Clerico, ſeu ſcholari; vnde informantes pro D. Don Martino inferebant, Papam voluiſſe etiam non Clerico penſionem concedere, ex quo tamen mox addiderat, *ex nunc prout ex tunc, poſtquam charactere clericali fuerit inſignitus*; conſequebatur, noluiſſe penſionem concedere niſi Clerico: & propterea locum fuiſſe, * argumento à ſimili, quo in alia propoſitione † Rota fuerat vſa, & tranſlatarij deberent eſſe Clerici * ſimiles Artaldo, quem noluerat Papa penſionem capere potuiſſe, niſi poſtquam charactere clericali fuiſſet inſignitus, Gabriel *conſil. 186. num. 2. lib. 1.*

*Rota diuer p. 3. lib. 3. deciſ. 754. n. 4. & 6.

* argumentum à ſimili quando probet vel non, vide Seraph. de priuileg. iuram. priu. 74. n. 103. & ſequent.

5. † ſuprà in d. dec. 537. n. 6.

* quod ſufficit de tempore tranſlationis licèt de tempore gratiæ non ſit Clericus, vt per Lud. dec. 18. n. 5.

Et eodem modo reſpondebatur ad alias clauſulas per informantes pro D. Martino conſideratas, videlicet, quòd Artaldus potuiſſet transferre penſiones in vnam vel plures perſonas, quia intelligebantur de ſimilibus, ſicut dictum eſt.

6. Quod habet locum in hoc caſu, quamuis in ſupplicatione originali † non reperiretur dictio *alias*, cùm enim mox ſubderentur illa verba, *& alias, in forma ſolita latiſſimè extendenda*; ex illis patenter conſtabat, Papam formam ſolitam ſeruare voluiſſe, quam expeditores & officiales Cancellariæ in litterarum expeditione, iuxta ſtylum conſuetum expreſſerunt, quæ cùm dicatur organum Papæ, illius extenſioni parere oportet, ſiue clauſulas in ſupplicatione poſitas reſtringat, ſeu declaret, quod facere poteſt Ægidius *deciſ. 608.* incip. *Impetrans,* Sarnen. *in regula de non indican. iuxta formam ſupplicationis quæſt. 1. num. 2. verſ. & vltra ipſos.*
7. nam Papæ ſignatura, niſi aliud exprimatur, illam tacitam conditionem recipit, ſi clauſulæ per Cancellariam ſuam recipiantur, Ægidius *conſil. 34. num. 15. verſ. aut quæris.* vnde cùm in caſu propoſito, Cancellaria addiderit illa verba, *& alias perſonas,* quæ de iure, & ſtylo addi potuerunt. Romanus *conſil. 376. num. 12.* Caſſadorus *deciſ. 2. num. 7. de vnionibus,* ceſſabat difficultas, & erat locus ſupradicto argumento deſumpto à ſimili.

6. † de materia huius deciſ. vide Gratianum diſcep. foren. c. 548. vbi n. 32. allegat hanc deciſ. illam annotet de anno 1598.

8. Et eo etiam nomine, in hanc ſententiam deuentum fuit, quia cùm hæc materia tranſlationis penſionis ſit odioſa, * ex quo prorogatur ſeruitus ſuper beneficio. Verallus *deciſ. 303. num. 8. & ſeq.*

* adde Caual. dec. 148. num. 6.



9. *ſeq. part. 2.* facultas transferendi ſtrictè, & propriè debuit intelligi, nempe fauore Clerici tantùm, qualis erat Artaldus, & non fauore laici, ſeu non Clerici. argument. textus *in cap. 1. de filijs presbyt. lib. 6. & in cap. poſtulaſti, de reſcript.* Iaſon *in l. fui. num. 38. ff. de conſtit. princip.*

An autem Domino Don Martino ſuffragaretur diſpenſatio, vel aliàs eſſet talis perſona Eccleſiaſtica, quæ penſionem ſine Clericatu capere poſſet, particulariter vellem videre.

---

## *Leodien. Canonicatus.*

### Die Veneris 15. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Gratia,* perinde valere, *eſt nulla, ſi in ea non fiat mentio litis, vel ſi in ea non ſit introducta.*
3 *Reſignationis publicatio ſi non fiat, non ſolùm annullatur gratia principalis, ſed etiam, quæ facta fuit per gratiam,* perinde valere.
4 *Mandatum de immittendo in collatione, ab executore datum, non inſeruit pro petitione poſſeſſionis beneficij, facienda ante publicationem.*
5 *Mandatum de immittendo eſt pars ipſius poſſeſſionis, & num. 7.*
6 *Executor in qualibet gratia, in forma Dignum datur, cui Papa iniungit, vt det prouiſo immiſſionem poſſeſſionis.*

## DECISIO DLV.

1. AD inſtantiam Arnoldi Bollandi, propoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini vtraque parte informante ſteterunt in deciſis, ſub die 7. Iunij proximè præteriti, * quia placuerunt rationes illius deciſionis, & illa potiſſimum ex dilemmate deſumpta, quia vel ex actibus geſtis ab Arnoldo fuit inducta lis, & tunc gratia, *perinde valere,* per eum impetrata, fuit nulla ob non factam mentionem litis. *cap. fin. vt lite pendent.* cum aliis in dicta deciſione † allegatis, aut non fuit lis introducta, & tunc erat locus conſtitutioni de non publicandis reſignationibus, cuius forma ſi non ſeruetur, non ſolùm annullatur gratia principalis, ſed etiam gratia, *perinde valere,* & omnes aliæ à prima dependentes, vt *in §. quòd ſi quiſquam,* * *verſ. nullaque alia gratia.*

* ſuprà deciſ. 525. vbi annotaui aliquas deciſ. concernentes ad materiam præſentis deciſ.

2. † ſuprà in d. deciſ. 525. & adde deciſ. 526. n. 2.

3. * in conſtitutione 85. Greg. XIII. quæ habetur in Bullario Cherubini tom. 2. pag. mihi §. 469.

In hac facti ſpecie, conſtitutioni videbatur factus locus ex eo, quòd nuſquam apparebat, Arnaldum infra tempus à conſtitutione præfinitum, poſſeſſionem ab executore petiuiſſe, niſi citatione facta die 13. Decembr. 1591. ad exhibendum literas, quarum vigore Gerardus ceperat poſſeſſionem, & videndum per executorem dictas litteras, & poſſeſſionem reuocari, quam citationem, cùm modò Arnaldus impugnaret, dicendo non fuiſſe factam ad ſuam inſtantiam, non poterat prætendere, ſe illius vigore petiuiſſe poſſeſſionem, vt conſtitutioni ſatisfaceret.

4. Neque obſtabat mandatum de immittendo, * Arnaldo datum in ipſa collatione, ſeu purificatione gratiæ, in forma Dignum, quia cùm illud fuerit obtentum nemine citato, ante poſſeſſionem, in executionem dictæ gratiæ, in forma Dignum, ideo non potuit deſeruire pro petitione poſſeſſionis facienda poſt publicationem, & maximè, quia huiuſmodi mandatum eſt pars ipſius prouiſionis, de quo non loquitur conſtitutio de publicandis, quæ conſiderat petitionem poſſeſſionis, tanquam quid ſeparatum ab ipſa prouiſione.

*de hoc art. latè agit Garcia de ben. 11. p. cap. 3. vbi n. 322. allegat hanc dec.

Quibus accedebat, quia ſi iſta ratione poſſet conſtitutioni ſatisfieri reſpectu petitionis poſſeſſionis, facilè eluderetur illius forma, cùm in qualibet gratia detur executor, cui Papa iniungit, quòd det prouiſo immiſſionem in poſſeſſionem beneficij. 6.

Sed in hoc articulo difficultas tollebatur, ex verbis ipſius conſtitutionis, iubentis, quòd prouiſus inſtet pro executione literarum ſuæ gratiæ, & poſſeſſionem inſtanter petat, quibus verbis non intelligitur mandatum de immittendo datum in ipſis literis, quod eſt pars gratiæ, & ipſarum litterarum: vt patuit in illa Aretina commendæ die 7. Februarij proximè præteriti, coram R.P.D. Pamphilio. 7.

---

## *Carthaginen. diſtributionum.*

### Die Veneris 15. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Diſtributiones debentur reſidere ſolito, & culpa ſua non impedito.*
3 *Impedito culpa, ſeu facto Capituli, debentur diſtributiones, & groſſa abſentiarum.*
4 *Reſidens in beneficio lucratur diſtributiones, etiam ſi ei propter litem non debeantur, tametſi bona fide eas perceperit.*
5 *Proteſtari tenetur pars contra aliam, vt obtinere poſſit in lite diſtributiones, ſcilicet quòd eſt parata reſidere, aliàs non conſequetur eas, etiam ſi victoriam litis reportet.*

## DECISIO DLVI.

PRætendebat Rodericus Garcia, præter fructus, & groſſam ſuæ portionis, conſequi etiam à Capitulo Carthaginenſi diſtributiones quotidianas, ex eo, quòd cùm ipſe reſideret in Eccleſia, & dictas diſtributiones lucraretur, impeditus fuerat vigore ſequeſtri Rotalis, aliàs obtenti, & impoſiti ad inſtantiam cuiuſdam Melchioris de Ciſneros, qui ſuper dicta portione litem indebitè ſibi mouerat, & procedendo per contradictas, ſententiam contra Rodericum obtinuerat, quæ deinde, per alias ſententias Rotales, fuerat reuocata, & ſequeſtrum amotum, vnde dato dubio, an Roderico deberentur diſtributiones, & abſentiarum groſſa, illo tantùm informante, Rota cenſuit contra ipſum. 1.

Quia licèt regula videretur eſſe pro eo, vt ei reſidere ſolito, & culpa ſua non impedito, diſtributiones, * & abſentiarum groſſa deberentur. Calderinus *conſ. 17. de præben.* Felinus *in cap. cùm omnes num. 22. in fine, de conſtit.* Couarruu. *lib. 3. cap. 13. num. 8. variar. reſolut.* & eſt ſimile de iniuſtè excommunicato, qui recuperat diſtributiones. gloſſ. *in cap. paſtoralis in §. verùm, in verb. ſubtrahuntur, de appell.* Felinus *in cap. Apoſtolicæ n. 12. de except.* Tanis *deciſ. 26.* & fuit reſolutum coram R. P.D. meo Corduba in vna Salamantina cenſurarum die 1. Iunij 1594. 2.

*adde Cocc. dec. 21. n. 2. Seraph. dec. 1239. num. 5. Rotam in vna Iacen. portionis corã Orthember. impreſſam per Farin. poſt tomo 2. conſil. mo 2. conſil. dec. 280. n. 1. & 2.

Illa

3. Illa tamen habet locum, quando quis eſt impeditus culpa, ſeu facto Capituli, vt quia Capitulum interuenit in lite, vel eiecit reſidentem è Choro, vel aliàs iuſſit, * ne ſibi diſtributiones ſoluerentur, tunc enim Capitulum tenetur ad diſtributiones perſoluendas iuxta terminos deciſionis Putei 383. incip. *Capitulum, in fine lib.* 1. & deciſionis *in cauſa Salamantinæ* paulo antè allegatæ, & plurium aliarum ſimilium, quæ poſſent commemorari ad docendum Capitulum teneri.

*adde Cocc. in d.dec. 21. n.3. & 4.

4. Quia tamen in hoc caſu nec Capitulum fuit in lite, vel præſtitit impedimentum, ideo ſine proteſtatione, non poterat condemnari ad ſoluendas diſtributiones Roderico, quas cùm bona fide percepiſſet, & inter reſidentes diſtribuiſſet, non tenebatur reſtituere. Oldradus *conſil.* 56. Puteus *deciſ.* 175. *lib.* 1. Accorambonus *deciſ.* 38. incip. *Coram R.P.D.* vbi fuerat deciſum, diſtributiones perceptas à Capitulo, ante notitiam, ſeu intimationem priuilegij capiendi fructus in abſentia à Capitulo, à quo bona fide diſtributæ præſentibus fuerant, non potuiſſe repeti.

5. Vnde cùm Rodericus in caſu propoſito, non fuiſſet vſus remediis à iure præſcriptis, nec proteſtatus * contra Melchiorem, quòd ipſe erat paratus reſidere, ad effectum, vt in fine litis obtinuiſſet illum condemnari, etiam ad reſtitutionem diſtributionum, ſibi fuerat imputandum, & ideo Capitulum abſoluendum.

*adde ſuprà dec. 152. n. 8.

---

## *Bracharen. Parochialis de Formaiz.*

### Die Mercurij 20. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

*Iuſpatronatus poteſt pars cedere, & donare.*

## DECISIO DLVII.

PRopoſui hanc cauſam vtraque parte informante: & Domini viſis iuribus, de nouo productis, excitarunt aliquot difficultates, tam circa poſſeſſorium, quàm circa petitorium, & quoniam reſpectu poſſeſſorij difficultas pendebat ab eo, an donatio iuriſpatronatus facta à quibuſdam patronis, fuiſſet facta dignitati Comitatus, an verò Franciſco Vicecomiti, tanquam priuatæ perſonæ, ideo cauſa fuit reſtricta ad iſtum articulum, & eo præſertim nomine, quia ex iuribus productis videbatur potius facta dignitati, & ſic nutabat deciſio facta coram Illuſtriſſimo Mantica, die 17. * Iunij 1591. in qua fuerat definitum, donationem factam Franciſco Vicecomiti, tanquam priuatæ perſonæ.

* habetur in impreſ. Manticæ dec. 150.

Videndum etiam erat, an poſſeſſio Vicecomitis excluſiſſet alios Patronos, ex horum enim potiſſimum articulorum diſcuſſione, cauſa videbatur breuiùs, & certiùs dirigenda, & terminanda.

---

## *Mediolanen. penſionis.*

### Die Mercurij 20. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum de manutenendo conceditur virtute quaſi poſſeſſionis.*

3 *Actus æquiuocus poteſt ſanari, per alium non æquiuocum.*

## DECISIO DLVIII.

AD dubium propoſitum, an Iacobo Campſirago de Scamnis, eſſet dandùm mandatum de manutenendo, ſuper exactione penſionis, de qua agebatur, Rota vtraque parte informante affirmatiuè reſpondit; quia cùm Ioſephus Parola per publicum inſtrumentum retroceſſiſſet Iacobo omnes fructus portionis Parochialis, ad computum penſionis decurſæ, & non ſolutæ maturatos, à Calendis Ianuarij ann. 1594. conſtituendo illum Procuratorem irreuocabilem, Iacobus vigore prædictæ ceſſionis, & mandati, exegit octo modios cum dimidio frumenti, ex fructibus prædictæ portionis Parochialis, ſu- 1.
per qua erat impoſita penſio, ex hoc enim actu conſtabat de quaſi poſſeſſione Iacobi, quæ eſt immediatum requiſitum ad obtinendum mandatum de manutenendo. * §. *hodie, Inſtit. de interdict.* Alexander *conſil.* 92. *num.* 4. *lib.* 1. Riminaldus ſenior *conſil.* 321. *num.* 3. *lib.* 2. Verallus *deciſ.* 198. *parte* 2. 2.

Caual. deciſ. 75. n. 1. Duran. dec. 324. num. 1. vſque ad 4. Ludou. dec. 246. n. 1. & aliàs ſæpe.

Neque ille exactionis actus, tanquam æquiuocus poterat in dubium reuocari, cùm alio pu-
blico inſtrumento apparuiſſet, Ioſephum anno 3.
mox ſequenti 1595. exegiſſe ab eodem Fectabile modios octo cum dimidio frumenti, ſiue ſcuta 25. auri cum dimidio, pro illorum pretio, ex quo duo inferebantur, vnum quòd prædicti modij frumenti pertinerent ad dictam portionem Parochialem, alterum quòd Ioſephus approbauerit ſolutionem præcedentem Iacobo factam.

Supradictis accedebat teſtificatio vnius teſtis in Curia examinati, affirmantis, tempore ſtipulationis concordiæ initæ inter Iacobum, & Ioſephum ſuper reductione penſionis de ducatis centum, ad ducatos 90. Ioſephum ſoluiſſe Iacobo quaſdam pecuniarum ſummas, qui licèt nullam certam quantitatem exprimeret, aliquod tamen adminiculum præbebat ſupradictæ deciſioni. 4.

---

## *Bononien. fideicommiſſi de S. Petro.*

### Die Mercurij 27. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Subſtitutio reciproca in infinitum comprehendit omnes deſcendentes.*

3 *Liberorum appellatione veniunt in infinitum deſcendentes omnes. & num.* 6.

4.5 *Dictio,* eius, *appoſita à teſtatore pro deſcendentibus, eſt reſtrictiua.*

Dictio,



7 *Dictio,* eius, *appoſita inter plures nominatos, refertur ad omnes.*

8 *Dictio,* dictos, *eſt relatiua ad nominatos, & reſtrictiua ad illos, num.* 9.

## DECISIO DLIX.

1. VTraque parte informante propoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini ſteterunt in deciſis coram Illuſtriſſimo Mantica tunc Rotæ Auditore die 27. Maij * proximè præteriti, videlicet ſtandum fuiſſe Apoſtillis, quia nihil noui continebant, præter illud, quod principaliter diſponebatur in teſtamento: ſecunda enim ſubſtitutio, de qua in verſiculo, *ſi verò contigerit*, non ſolùm habebat locum, quando filij teſtatoris, nempe Vincentius, & Iacobus Maria decederent ſine filiis, ſed etiam, ſi decederent cum filiis, qui poſtea decederent ſine filiis, quo caſu non erat locus conſilio 21. Oldradi.

* habetur in impreſ. Mantic. dec. 375. quæ valde conducit ad materiam iſtius.

2. Præterea, cùm negari non poſſit, quin prima ſubſtitutio eſſet reciproca inter omnes deſcendentes in infinitum, * cùm teſtator loqueretur de Vincentio, & Iacobo Maria, vel eorum liberis maſculis in infinitum, quorum appellatione veniunt omnes deſcendentes, *l. liberorum, ff. de verbor. ſignif.* Crauetta *conſil.* 155. *num.* 3. Menochius *de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 89. *num.* 79. ſequens ſubſtitutio facta vltimo morienti, in euentum, quòd dicti eius liberi quandocunque
3. decederent ſine filiis, vel liberis maſculis, debuit intelligi, ſi deficeret linea deſcendentium, nec ſupereſſet aliquis ex deſcendentibus maſculis.

* vide Rot. recen. part. 1. dec. 320. n. 5. & ſeq. quæ repetitur in eiſdem rec. p 2. dec. 344. Seraph. dec. 409. n. 10. & ſeq.

Quod ampliùs ſuadebatur ex eo, quòd teſtator vtebatur illis verbis, *& ſi dicti eius liberi*; item illis, *ſi decedant ſine filijs, vel liberis.* quæ cùm proculdubio intelligerentur de liberis ſuprà vocatis, & ſic de omnibus deſcendentibus, non erat locus coniecturis, & ſubtilitatibus, quibus vtebantur informantes pro domina Virginia Coſpia.

4. Nam primò parum vrgere Dominis viſa fuit illa conſideratio de dictione, *eius*, quaſi illa reſtringeret verbum illud *liberos*, ad Vincentium, & Antonium Mariam filios teſtatoris, quia apertè repugnabat proprietati verbi, *liberos, d. l. liberorum. ff. de verbor. ſignif. l. inter liberos. ff. de pollicit. l. Iuriſconſultus. §. parentes. ff. de gradib. affinitat.*

5. Rurſus, quamuis dictio, ſeu pronomen, *eius*, reſtringeret diſpoſitionem ad liberos teſtatoris, non propterea conſequebatur, ſtrictè referri ad ſolos illius filios, nam cùm præcederet dictio, *liberos*, omnes qui appellatione liberorum comprehenduntur, reſpiciebat: notum eſt autem, *liberorum* appellatione, nepotes, pronepotes, & omnes alios deſcendentes ſignificari.

6. Et præſertim in hoc teſtamento, in quo dictio, *eius*, erat poſita inter plures nominatos; quia fuerant nominati Vincentius, & Iacobus
7. Maria, & eorum liberi maſculi in infinitum, vnde cùm dictio, *eius*, ad omnes poſſet referri, non denotabat perſonalitatem magis reſpectu vnius, quàm alterius. Corneus *conſil.* 94. *num.* 4. *verſ. & profectò videtur, lib.* 1.

8. Atque eodem modo reſpondebatur ad inſpectionem de dictione, *dictos*, quæ licèt ſit relatiua * ad perſonas nominatas, Bartolus, & alij *in l. qui liberis. §. hac verba. ff. de vulgar.* Socinus ſenior *conſil.* 77. *lib.* 1. & Socinus iunior *conſil.* 131. *lib.* 2. Ruinus *conſil.* 44. *num.* 18. *lib.* 2. Portius Imola *conſil.* 15. *num.* 21. non poterat huic themati conuenire, in quo teſtator non ſolùm nominauerat filios nomine proprio, ſed dixerat etiam, *de eorum liberis maſculis in infinitum:* vnde cùm poſtea ſubdidit, *& dictos liberos*, illa dictio, *dictos*, * non ſolùm ad filios, ſed etiam ad omnes liberos ſuprà nominatos erat referenda. Gratus *conſ.* 6. *num.* 4. *lib.* 1.

*adde Rot. diuer. part. 1. dec. 49. n. 4.

* Seraph. deciſ. 584. n. 8.

Omnes autem Doctores ſuprà relati, item Corneus *conſil.* 47. *num.* 5. *lib.* 4. & Menochius *conſil.* 328. *num.* 5. & cæteri allegati per informantes pro domina Virginia, vel loquuntur de hærede, vel de filio, aut nepote, aut alia
certa perſona, tunc enim non eſt dubium, quin 9.
per dictionem *ſuum*, vel *dictum*, * reſtringatur diſpoſitio ad præcedentes perſonas nominatas, at in caſu propoſito, teſtator nedum filios, nomine proprio, ſed eorum præterea liberos maſculos in infinitum vocauit.

* Lud. deciſ. 495. n. 7. & infrà deciſ. 655. n. 3.

Ad conſilium * Oldradi 21. reſpondebatur, illud recipere plures limitationes, quas recenſet Ioſephus de Ruſticis *conſil.* 1. *num.* 39. *& pluribus ſequent.*

* habetur hoc conſil. in fine tractat. eiuſdem autoris de liberis in conditione poſitis.

Poſtremò Rota cenſuit, nedum non fuiſſe locum coniecturis, vt contra fideicommiſſum foret pronuntiandum, verùm de illo manifeſtè conſtitiſſe, ex clara teſtatoris voluntate, cùm ex ſerie teſtamenti appareret, teſtatorem voluiſſe bona ſua in infinitum deuenire ad filios, & deſcendentes ſuos maſculos, & vltimo morienti ſubſtituiſſe agnatos proximiores tranſuerſales, penes quos voluit perpetuò conſeruari duas tertias partes, ex tribus de ſuis bonis, aliam verò tertiam conſignari Monialibus Sancti Petri Martyris: deficientibus verò agnatis tranſuerſalibus, volui, tdictas duas bonorum ſuorum partes peruenire ad alios de domo de Sancto Petro; ita vt dicta bona de ea domo, agnatione, progenie, ſeu parentela, illorum de Sancto Petro extrahi nequirent, ſed ad eos ſpectare, & peruenire de gradu in gradum deberent in infinitum: vnde apertiſſimè conſtabat, teſtatorem voluiſſe inducere perpetuum, & abſolutum fideicommiſſum ad fauorem domus, & familiæ de Sancto Petro, & propterea non fuiſſe recedendum à deciſis.

---

## *Valentina decimarum.*

### Die Mercurij 27. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopi habent fundatam intentionem ſuper iure decimandi.*

3 *Decimarum ius pertinet ad Capitula Eccleſiarum Cathedralium, & ad Epiſcopos Aragoniæ, ex conceſſione Regum.*

4.5 *Decimarum ius conceſſerunt Pontifices Regibus Aragoniæ de terris ab eis acquiſitis à Sarracenis, & etiam Regibus Caſtellæ, & num.* 8.

6 *Poſſeſſio percipiendi decimas dat ius ad eas petendas.*

7 *Decimarum percipiendi ius habet fundatam intentionem ille, cui fuit donatum ab habente poteſtatem donandi.*

9 *Decimæ poſſunt concedi Regibus, ex locis, quos ipſi à Sarracenis, & infidelibus Eccleſiæ debellauerint.*

10 *Scripturæ compulſatæ in vna cauſa faciunt fidem in alijs cauſis eiuſdem ſpeciei.*

11 *Hiſtoriæ teſtificantes de rebus præteritis, multum probant.*

## DECISIO DLX.

* habetur hæc deciſio penes noſtrum Seſſe tom. 2. dec. 162.n.32.

DIe 2. Iunij 1599. coram D. Pamphilio in cauſa Valentina * decimarum de Gandia fuit deciſum, Capitulum Valentin. habere fundatam intentionem ſuper decimis, ex priuilegiis Apoſtolicis conceſſis Regibus Aragoniæ, cuius dubij occaſione, ego ex hiſtoriis, (quas multas recenſui in ſuffragio) demonſtraui, veram fuiſſe iſtam conceſſionem, nec poſſe vllo pacto in dubium reuocari. In eadem coram Pamphilio die 9. Iunij 1597. fuit deciſum, priuilegia Religioſorum, quibus prætendebant exemptionem à ſolutione decimarum, non releuare, quia non aderat expreſſa mentio de hac donatione, & conceſſione.

* habetur in impreſſis Seraphin. deciſ.1293.

Idem poſtea coram Seraphino * die 1. Iulij 1598. in eadem cauſa contra Ieſuitas, qui prætendebant habere vberiora priuilegia: & quoniam appellauerant à mandato de manutenendo conceſſo Archiepiſcopo, & Capitulo Eccleſiæ Valentin. ſuper vniuerſali poſſeſſione exigendi decimas, ideo die 23. Octobr. coram eodem Seraphino Rotæ Decano * fuit reſolutum appellationem à mandato de manutenendo interpoſitam per Ieſuitas non ſuſpendere illius executionem.†

* habetur in impreſſis Seraphin. deciſ.1295.

† hæc annotatio poſita in corpore huius deciſ. reperitur in originali R.P.D.Auditoris.

Cum Archiepiſcopus, & Capitulum Eccleſiæ Valentinæ eſſent in quaſi poſſeſſione vniuerſali percipiendi duas partes, ex tribus decimarum ex fructibus omnium terrarum totius diœceſis Valentinæ, & peterent mandatum de manute-
1. nendo in dicta quaſi poſſeſſione, reſpectu quarundam terrarum, quas emerant fratres Sancti Michaëlis de los Reyes, & quidam alij Religioſi litis conſortes, dubitauit R. P. D. Hieronymus Pamphilius, an conſtaret de bono iure Archi-
2. epiſcopi, & Capituli, & Rota conſtare reſpondit, nam omiſſis erminis iuris communis, vtrùm Epiſcopi habeant fundatam intentionem ſuper decimis, de quo articulo fuit latè dictum in
3. cauſa Turritana Tertiariæ * die 13. Nouembr. 1596. coram R.P.D. Seraphino, Rotæ Decano, & tunc dictum, Epiſcopos de iure communi habere fundatam intentionem † ſuper decimarum tertia parte, ſiue illa ſit medietas, ſiue tertia, vel quarta pars iuxta conſuetudinem Prouinciarum; in caſu propoſito clara aderat prouiſio ad fauorem Archiepiſcopi, & Capituli fundata, in donatione decimarum facta primo, Regibus Aragoniæ * ab Alexandro II. Gregorio VII. & Vrbano II. vt refert Petrus Antonius Beuterius *lib.* 2. *cap.* 9. Chronicorum Hiſpaniæ, Hieronymus Curita *lib.* 1. *Annalium Aragoniæ cap.* 32. *circa finem verſic. i confirmo lo que Alexandro ſegundo.* Marineus Siculus *lib.* 8. *de rebus Hiſpaniæ,* agens de Petro Sancij filio, Aragoniæ Rege tertio, quibus locis referunt integrum Vrbani ſecundi reſcriptum, quo Pontifex ille primitias, decimas, & ius patronatus omnium Eccleſiarum, ciuitatum & terrarum, quas è manibus Sarracenorum eripuiſſent, ei Regi, eiuſque in perpetuum ſucceſſoribus conceſſit, * quod ipſum affirmat Petrus Belluga *in ſpeculo Principum, rubrica* 13. *de decimis.* §. *tractemus num.* 24. *verſic. alia eſt alienatio.* & *num.* 29. *verſic. alia eſt expreſſa alienatio.*

† adde Rot. recen.part.2. dec.212.n.1. & 2. in hac eadem cauſa.

* de hoc art. videndus eſt noſter eruditiſſimus Regens Seſſe tom. 2. ſuarum deciſionum dec.162. vbi à n.1. vſque ad 10. refert conceſſiones & varios auctores de illis atteſtantes & loquentes.

*quod priuilegium fuit etiam conceſſum ex eadem cauſa non ſolùm Regibus, ſed etiam proceribus, Rota recen.part.1. dec.702.n.7.

De cuius donationis validitate Domini non dubitabant, cùm Romanus Pontifex ſuper his amplam habet poteſtatem. Abbas *conſil.* 59. *column.* 2. *lib.* 2. Decius *conſil.* 341.
4. *num...* Caſſadorus *deciſione* 3. *de præben.* Innocentius, & alij *in cap. final. de confirmat. vtili, vel inutili.* Gabriel *conſil.* 200. *num.* 1. *lib.* 1.

5. Et deinde, in donatione facta Epiſcopo, & Capitulo Valentino per Iacobum Aragoniæ, & Valentiæ Regem, qui cùm duas partes decimarum Regibus ſuis anteceſſoribus à Sede Apoſtolica conceſſarum denotauerat Eccleſiæ Cathedrali, & prædicto Capitulo Valentino, vt teſtatur idem Petrus Belluga *à rubrica* 13. *de decimis.* §. *tractemus num.* 38. & 39. quod non reuocabatur in dubium, ſatis videbatur de bono iure Archiepiſcopi & Capituli conſtare ob prædictam Regiam donationem, ſuper qua
6. proculdubio habebant fundatam intentionem, roboratam etiam, maximè per obſeruantiam ſubſecutam, cùm iuxta tenorem donationis Regiæ, Epiſcopi, & Capitulum Valentinum ſemper poſt hominum memoriam dictas duas partes decimarum de tribus exegerint, teſtes enim quos Archiepiſcopus, & Capitulum induxerant, probabant poſſeſſionem vniuerſalem * Eccleſiæ, donationibus conformem.

*quæ ſufficit ad effectum manutentionis in materia decimarum. Duran. dec.46. Lud. dec.449.n.1. & 2. Seraph. deciſ. 1047. n. 1. & 2. & infrà deciſ. 1048.n.3.

Nec eſt dubium, quin ob donationem dicatur fundata Archiepiſcopi intentio, reſpectu prædictarum decimarum, *cap. dudum, de decimis,* vbi Innocentius *in fine,* Hoſtien. *col. fin. verſic. ſed obijcies,* Ioannes Andreas *num...* Antonius de Butrio *num.* 15. & Abbas *num.* 11. & Rebuffus *tract. de decimis quæſt.*7. *num.*13. *verſic. vltimus caſus,* & fuit deciſum in cauſa Caurien. † iuriſdictionis die 27. Iunij 1576. coram Can-
7. tuccio *num.* 5. *verſic. tertia difficultas fuit.* vbi eſt ſermo de decimis conceſſis Regibus Caſtellæ à Sede Apoſtolica ex eo, quòd Prouinciam à manibus, & tyrannide Sarracenorum ereptam, in Chriſti libertatem reduxerunt, & deinde per eoſdem Reges donatis Eccleſiis, quas pia deuotione, vbique locorum fundarunt.

† habetur in impreſſis diuer.p.2. dec. 31.n.4.& 5.

8. Conſtabat enim Romanos Pontifices nedum Regibus Aragoniæ, ſed Caſtellæ etiam, & Legionis, decimas conceſſiſſe omnium ciuitatum, oppidorum, & terrarum, quas poteſtate Saracenorum, qui anno 714. vniuerſam Hiſpaniam inuaſerant, recuperaſſent: ſic enim colligitur ex ipſis donationum Pontificiis reſcriptis, relatis ab Antonio Beuterio *lib.* 2. *Chronicorum Hiſpaniæ cap.* 9. & Marineo Siculo *lib.* 8. *de rebus Hiſpaniæ,* & ex traditis à Petro Belluga *in ſpeculo Principum rubrica*



*rubrica* 13. *de decimis, numer.* 24. *verſicul. alia eſt alienatio.* & Roderico Suarez *allegatione* 28.

9. Hanc verò eſſe legitimam cauſam decimas Regibus concedendi, docuit Hoſtienſis *in ſumma tit. de decimis.* §. *tertiò quæritur vtrùm laicus.* vbi ait, eas poſſe concedi alicui Principi ex magna cauſa, vt ſcilicet eas percipere poſſit ex omnibus locis paganorum, vel hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, quos poterit debellare, & ad vnitatem Eccleſiæ adducere.

Hæc eadem cauſa ſuaſit multis Romanis Pontificibus, vt Regibus Hiſpaniæ prædictas decimas liberaliter largirentur, partim, vt eos inuitarent ad Saracenos acriùs debellendos, partim vt hac etiam ope, eoſdem iuuarent, vt faciliùs tot belli ſumptus perferre poſſent.

Cæterùm Pij, & Catholici Hiſpaniæ Reges, non omnes ſibi decimas retinuerunt, ſed aliquando medietatem accipientes, aliquando ſolùm tertiam, vel quartam partem ſumentes, reliquas Eccleſiarum miniſtris munificentiſſimè donarunt. Don Petro Regi Nauarræ eandem fuiſſe ab Vrbano II. factam decimarum conceſſionem, teſtatur Stephanus Garibayus *in compendio Hiſtoriarum Hiſpaniæ lib.*23.*cap.*3.*verſ. yendo muy larga, ſub ann.*1095.

10. Neque ſupradictis obſtabat, quòd in actis huius cauſæ non conſtaret de donationibus allegatis, quia reſpondebatur, ſufficere quòd priuilegia iſtarum donationum legitimè in aliis cauſis eſſent compulſata, vt vigore Innocentianæ, poſſet eis in hac cauſa fides adhiberi. Ægidius *deciſ.* 226. Verallus *deciſ.* 351. *num.* 5. *parte* 2. & *deciſ.*222. *lib.* 1. in manuſcriptis.

11. Poſtremò dicebatur, hiſtorias allegatas, multum etiam ponderis probationis habuiſſe, cùm eis de rebus præteritis teſtificantibus credatur, *cap.* 1. *in fine,* ibi, *tum propter hiſtoriam.* vbi gloſſ. *de ſacra vnct.* gloſſ. *in cap. inter dilectos.* §. *ſed contra, in verb. magis, de fide inſtrument.* gloſſ. & Doctores *in cap. venerabilem, in principio, in verb. tranſlatio, de elect.* gloſſ. *in Clement.* 1. *in principio, in verb. Vrbano, & in eadem Clement. in* §. *ideoque, in verb. orationes, de reliq. & venerat. Sanctor.* Bartolus *in l.*1. *num.*22. vbi Iaſon *num.*25. *ff. ſi cert. petat.* Bellamera *deciſione* 70. incip. *Adminicula iſta, num.* 3. Crauetta *tract. de antiq. tempor. parte* 1. §. *quartò limitatur num.* 14. & *ſequent.* idem *conſil.* 107. *num.* 4. & *conſil.* 158. Felinus *in cap. ad audientiam num.* 16. *de præſcript.* Alexand. *conſil.* 187. *numer.* 2. *lib.* 7. idem *conſil.* 138. *lib.* 1.

---

## *Calaguritana præeminentiarum de Victoria.*

### Die Veneris 29. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Sententiæ Rotales ſunt ſtricti iuris, & ideo ſolùm comprehendunt quæ explicitè loquuntur.*

3 *Contumacia requiritur ad effectum declarationis excommunicationis.*



4 *Locus medius Chori eſt dignior.*

5 *Sententia, licèt expreſsè non loquatur, tamen extenduntur verba ad comprehenſibilia eorum, ſecundùm mentem pronuntiantium illam.*

## DECISIO DLXI.

1. CVm Rota per tres ſententias conformes declaraſſet, Rectoribus Parochialium vniuerſitatis de Victoria, intra ſuas Eccleſias deberi potiorem, digniorem, honorabiliorem, * & præeminentiorem locum, & ſedem, in Vigiliis, & diebus inuocationum dictarum Parochialium, ita vt dicti Rectores, & eorum quilibet ſedere deberet in præeminentiori loco, videlicet in medio, inter Cantorem, & Theſaurarium dictæ Eccleſiæ collegiatæ, eis verò, vel eorum altero deficientibus, inter cæteras dignitates principales, & omnibus dignitatibus deficientibus, inter duos Canonicos antiquiores, & Capitulum Eccleſiæ collegiatæ, intimatis executorialibus reſpondiſſet, paratum ſe fuiſſe illis parere, eueniente caſu, in die S. Petri, de præſenti ann. 1596. Rectorem Sancti Petri, volentem potiorem locum in proceſſione tenere, videlicet vltimum Chori manus dextræ, Capitulum collegiatæ, illum inde expellens prætendebat, eum incedere oportere in medio, inter duas dignitates, quæ in proceſſione incedere ſolent, in vltimis locis duorum Chororum. Vnde cùm pro parte Capituli vniuerſitatis peteretur declaratoria contra Capitulum collegiatæ, eo quia executorialibus Rotalibus non paruiſſet, vtraque parte informante, propoſito dubio, an eſſet locus declaratoriæ. Rota
2. non eſſe locum cenſuit, quia ex quo ſententiæ Rotales explicitè non loquebantur de loco in proceſſione, ſed de loco in ſeſſione, & ſint ſtricti iuris, * comprehendentes ſolùm illa de quibus loquuntur, vel quæ ex illis neceſſariò conſequuntur. Baldus *in l. qui probaſſe, num.* 1. *C. de calumniator.* Decius *conſil.* 43. *num.* 4. Alexand. *conſil.* 84. *num.* 3. *lib.* 3. ideo non poterat Capitulum collegiatæ propriè, & verè dici contraueniſſe, nec contumaciter manifeſtò reſtitiſſe,
3. & tamen ad effectum declaratoriæ contumacia * requiritur, *cap. Epiſcopi* 11. *quæſt.* 3. Caſſadorus *deciſ.*12. *num.*2. *poſt medium, de reſcript.* & *deciſ.* 2. *num.*4. *de penſionib.*

* vt per Seraph. deciſ. 664. & ſuprà deciſ. 261. & 408.

* adde ſuprà dec.236.n.5. & 6. vbi alias deciſ. annotaui.

* adde infrà dec.730.n.2. & 844. n. 1. Seraph. dec. 551.n.4.

Et eo minus erat danda declaratoria, quia
4. Capitulum collegiatæ, aſſignando Rectori vniuerſitatis in proceſſione locum medium inter duas dignitates, ſi illæ ſimul iunctæ inceſſiſſent, & non in Choris ſeparatis, honoratiùs, & digniùs illum tractaſſe videri poterat, iuxta opinionem illorum, qui cenſent, locum medium eſſe digniorem, licèt ex his quæ proponebantur, intelligeretur, non fuiſſe talem mentem collegiatæ.

5. Quanquam autem Rota cenſuerit, Capitulum collegiatæ ex prædictis potuiſſe excuſari, quominus veniret declarandum excommunicatum, non tamen cenſuit, in controuerſiam reuocandum, an etiam in proceſſionibus præeminentior, & dignior locus Rectoribus vniuerſitatis deberetur, quia licèt ſententiæ Rotales non loquerentur explicitè de præeminentiori loco, Rectori aſſignando etiam in proceſſionibus; reuera tamen ſenſit, illum deberi ſibi in

in eo verò ſub illa verborum generalitate hoc ipſum expreſſit, quæ non potuit videri reſtricta, per ſubſequens verbum, *ſedere*, ſenſus enim Dominorum fuit, aſſignare Rectoribus Capituli, Vniuerſitatis, in Vigiliis, & diebus inuocationum ſuarum Eccleſiarum, locum præeminentiorem, & honorabiliorem, tam in ſedendo, quàm in proceſſionibus incedendo.

Et ad tollendas omnes in poſterum controuerſias, ſi partes voluerint ſcire, quis ſit in iſtis Eccleſiis honoratior locus in proceſſionibus, Rota particulariter ſuper hoc eis reſpondebit.

## *Valentina beneficij de Ontinent.*

### Die Veneris 29. Nouembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Manutentio non competit non poſſidenti.*
3 *Spoliatus vtramque poſſeſſionem ciuilem, & naturalem amiſiſſe dicitur, & poteſt iure petere reſtitutionem.*
4 *Manutentio non datur poſſidenti attentatè.*

## DECISIO DLXII.

1. DVbitaui, vtraque parte informante, an Conſtantino eſſet dandum mandatum de manutenendo? & Rota cenſuit, poſſeſſionem beneficij fuiſſe ſequeſtrandam.

Nam Conſtantino, qui ſe habuerat pro ſpoliato, ſæpiùs petendo reſtitui ad poſſeſſionem,
2. manutentio dari non poterat, quæ non competit non poſſidenti. * Ioannes Faber *in* §. *retinendæ num.* 16. *Inſtit. de actionib.* Menochius *de retinen. remedio* 3. *num.* 558. quia ſpoliatus, (qualis eſſe cenſetur, qui recurrit ad iudicem, petendo ad ſuam poſſeſſionem, qua fuit ſpoliatus, † reſtitui) vtramque poſſeſſionem, ciuilem, & naturalem amittit, & in pluribus cauſis ſæpe Rota cenſuit, & in primis in vna Illerden. Canonicatus, die 7. Maij 1593. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in alia Senogallien. Oratorij
3. die 5. Aprilis eiuſdem ann. 1593. coram Illuſtriſſimo Arigonio.

* & vt detur manutentio probanda eſt poſſeſſio in caſu in quo petitur, aliàs non releuat, vt per Dur. dec. 215. n. 8. Ludou. deciſ. 569. Caual. dec. 510. n. 4.

† de hoc art. vide annot. ad dec. 555. Ludou. n. 11. Cocc. deciſ. 366. n. 5.

Ioanni autem manutentio dari non poterat, quia ex deductis conſtabat, eius prouiſionem, & poſſeſſionem fuiſſe attentata, tanquam capta appellatione pendente. *cap. non ſolùm, de ap-*
4. *pellatio. lib.* 6. vbi Ioannes Andreas *num.* 6. Ancharanus *num.* 1. *notab.* 4. Geminianus *num.* 6. Mohedanus *deciſ.* 150. incip. *Papa contulit*, quæ eſt 11. *de præben.* ini mpreſſ. & fuit dictum in vna Nolana Capellaniæ coram me die 3. Martij 1589.*

* ſuprà deciſ. 10. n. 3. & dec. 198. n. 3. & 4. & deciſ. 531. n. 2. & 3. & deciſ. 534. n. 1. & aliàs ſæpe.

Et ideo rectè concluſum, poſſeſſionem ſequeſtrandam.

## *Romana hæreditatis de Anguillaria.*

### Die Lunæ 2. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Pater ſtipulatus donationem pro filijs, poteſt eam reuocare, quod præcedit in merè profectitijs, ſecus in alijs, aliunde prouenientibus.*
3 *Donatio facta filijs naſcituris, licèt ipſi non potuerint illam acceptare, valet, quia ius irreuocabile ipſis acquiritur per Notarium ſtipulantem.*
4 *Debita contracta poſt donationem factam, non minuunt eam.*
5 *Donatione facta, inter viuos, non licet donanti, in præiudicium illius, ſecundam donationem facere.*
6.7 *Donata res deſinit eſſe donatoris.*

## DECISIO DLXIII.

PRæſuppoſitis prima, & ſecunda donatione, factis per Flaminium de Anguillaria ſeniorem, 1.

Et prima, & ſecunda tranſactione inter Auerſum, & Magdalenam Stroziam, poſt obitum dicti Flaminij,

Et aliis vtrinque deductis, dubitatum fuit, an debita per Flaminium contracta, poſt dictas donationes, & per Auerſum ſoluta, ſeu prætenſa, augerent Auerſi hæreditatem, & conſequenter legitimam Virginij, in caſu, & ad effectum, de quo agebatur.

Et Rota, vtraque parte informante, negatiuè 2.
reſpondit, quia cùm per primam donationem, continentem fideicommiſſum ad fauorem filiorum Auerſi, pro quibus Notarius fuerat ſtipulatus, fuerit eis, nondum etiam natis, ius quæſitum, quod impediebat obligationes poſtea faciendas, non potuit eis per ſecundam donationem aliquod præiudicium inferri. Baldus *in l. cùm à ſocero, num.* 7. *C. de iure dot.* Crauetta *conſil.* 19. *num.* 11. Couarruu. *lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 14. *num.* 11. Silueſter Aldobrandinus *conſ.* 94. *num.* 44. & fuit reſolutum in vna Portuen.* bonor. die 27. Nouembr. 1579. coram R. P. D. meo Seraphino.

* habetur p. 1. diuerſ. dec. 489. & in impreſſ. Seraph. dec. 427. n. 3. & 4.

Et hinc tollebatur obiectio, quòd cùm filij Auerſi, (ad quorum fauorem fuerat facta donatio) nondum eſſent nati, poterat Flaminius donationem reuocare, quaſi non eſſet penitus valida, & ſtabilis, antequam eam ipſi acceptarent, 3.
quia reſpondebatur, quòd cùm Notarius † fuiſſet pro illis ſtipulatus, ſtatim fuit illis naſcituris ius irreuocabile quæſitum; ita vt donatio fieret, etiam penitus irreuocabilis. Aldobrandinus *d. conſil.* 94. *num.* 44. Gabriel *tit. de donationib. concluſ.* 5. *num.* 4.

* de hoc art. vide Seraph. deciſ. 472. & habetur in impreſſ. diu. p. 1. dec. 683.

Atque inde etiam conſequebatur, quòd cùm 4.
debita eſſent contracta poſt donationem, non poterant minuere donationem* in præiudicium deſcendentium: & maximè ſtante clauſula de obſeruatione, & de non contraueniendo, & de rebus donatis non diſponendo, cum clauſula *Conſtituti*, & hypotheca omnium bonorum, cum

* adde Dur. dec. 348. n. 1. & ſeq.

obligatio



obligatione Camerali. Socinus ſenior *conſil.* 53. *num.* 19. & 20. *lib.* 1. Socinus ſenior *conſil.* 118. *num.* 19. *lib.* 2. & fuit dictum in prædicta deciſione Portuen. bonorum, Antonius Gomezius *l.* 40. *Tauri num.* 72. *verſ. ex quibus notabiliter infero.* Molina *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. *verſ. id intelligendum eſt, de Hiſpanor. primogen.*

5. Per ſecundam verò donationem ab eodem Flaminio factam, nil fuit detractum primæ factæ inter viuos, per quam, cùm fuerit tranſlatum dominium, non licuit Flaminio in præiudicium filiorum, & deſcendentium Auerſi diuerſo modo donare, aut diſponere de iam donatis. *l. ſicut. ff. de actio. & obligatio. l. ſenatus.* §. 1. *ff. de do-*
6. *nat. cauſa mort.* Ratio in promptu eſt, quia per primam donationem, res donata deſiit eſſe donantis. * *l. quoties.* §. *vniuerſorum. ff. de vſufruct.*

*quia in donatione facta deſcendentibus tot ſunt donationes, quot ſunt deſcendentes. Seraphin. deciſ. 416. n. 18.

Et ex his reſpondebatur ad reſeruationem, quam ſibi retinuerat Flaminius in ſecunda donatione, dicens: *Riſeruandoſi, ſua vita durante il dominio, & ſua parte de frutti de Caſtelli præfatti*; quia vel illa reſeruatio nihil tribuebat Flaminio, ad effectum vt de rebus donatis diſponere poſ-
7. ſet, cùm ius diſponendi amiſiſſet, vigore primæ donationis. *l. ſi quis legauerit. ff. de legat.* 1.

Vel dominij verbum in reſeruatione poſitum, intelligebatur de iuriſdictione, & ſuperioritate caſtri, quam donator ſua vita durante volebat retinere, non obſtante donatione pura, & irreuocabili, inter viuos facta, & hanc interpretationem ſuadebant ſequentia, ſecundæ donationis, etiam inter viuos factæ verba, quibus donator expreſſit, velle ſe bona donata perpetuò in familia de Anguillaria conſeruari.

Deciſio Putei 222. *lib.* 3. non obſtabat, quia non præceſſerat ibi alia donatio, per quam antea fuerat à donatore abdicata facultas diſponendi.

Supradictis etiam addebant aliqui ex Dominis, quòd de ſcutis 6. m. quæ Auerſus prætendebat ſibi deberi à Flaminio ſeniore, non erat habenda ratio, cùm de iſto credito non conſtaret aliunde, quàm ex ſimplici aſſertione Auerſi, contenta in prima tranſactione, facta cum hæredibus Flaminij, quæ per ſecundam fuit reuocata.

De aliis ſcutis 6. m. quæ Auerſus ſoluerat, pro extinctione diuerſorum cenſuum Flaminij, dicebatur, pro illis in ſecunda tranſactione fuiſſe Auerſo remiſſum lucrum dotale D. Magdalenæ Strozziæ, & bona mobilia, & credita hæreditaria aſcendentia ad dictam ſummam, ita vt Auerſus nihil de ſuo ſoluiſſe putaretur, vt poſſit aliquid accipere de hæreditate Flaminij, quòd ſi ei aliquod ius competeret, id erat contra hæredes Flaminij, ad conſignandum bona mobilia, vel eorum valorem, ſi bona non extarent, præſertim, quia Auerſus ſoluendo, videbatur ſoluiſſe velut debitum proprium, ex quo non ſolùm non acceperat ceſſionem à creditoribus, ſed, quod magis eſt, in ipſa tranſactione liberauit Magdalenam à promiſſione indemnitatis, qua pro dictis cenſibus tenebatur Auerſo.



## *Romana pecuniaria.*

### Die Lunæ 2. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Promiſſionem de facto alieno non tenetur quis adimplere.*
3 *Iuramentum præciſè obligat iurantem.*

## DECISIO DLXIV.

AD tres ſocietates * officiorum contractas, 1.
die 26. Iunij ann. 1590. ad fauorem quondam Ioannis Baptiſtæ de Aragonia, vnam videlicet 500. & alteram 600. & tertiam 696. ſcutorum monetæ fideiuſſores acceſſerunt Petrus Antonius, & Horatius, & Octauius, nunc Illuſtriſſimus Cardinalis de Bandinis, qui tanquam principales, principaliter, & in ſolidum, ſe debitores, & promiſſores, ad fauorem dicti Ioannis Baptiſtæ conſtituerunt, obligantes ſe cum iuramento in forma Cameræ conſueta, cum pacto, quòd fideiuſſoribus, ſeu aliquo deficiente, moriente, ex vrbe recedente, aut conditionem deteriorante, alius, ſeu alij fideiuſſores idonei intra dies 15. ad beneplacitum Ioannis Baptiſtæ, loco deficientis, ſeu deficientium dari deberent, aliàs eſſet locus pecuniarum reſtitutioni.

* habetur hæc dec. impreſſ. per Pacif. poſt tractat. de Salu. interdict. deciſ. 305.

Societatibus ratificatis, & pro illa, quæ erat ſcut. 500. conſtituto vitæ periculo, ſuper perſonis Iuliæ vxoris Ioannis Baptiſtæ, & Virgineæ eiuſdem filiæ, & Olympiæ, pariter alterius filiæ pro ſcutis 300. & pro reliquis ſcutis 496. periculo vitæ ipſiuſmet Ioannis Baptiſtæ, & Horatio Bandino, altero fideiuſſore anno 1590. vitâ functo, Petro Antonio, & Octauio Bandino, nunc Cardinale, alterum fideiuſſorem in locum Horatij defuncti dare differente, & tandem eius Procuratore coram A. C. comparente, & allegante, quòd licèt ſuus principalis non teneretur dare alium fideiuſſorem, nihilominus offerebat Ioannem Abbatem de Bandinis, ſuum fratrem, Florentiæ commorantem, & Ioanne Baptiſta talem fideiuſſorem acceptare recuſante, quia erat filiusfamilias, & Clericus, & in vrbe non poſſidebat bona immobilia, dum Bandini, datis quibuſdam articulis probare nitebantur, Ioannem Abbatem fuiſſe idoneum fideiuſſorem. Ioannes Baptiſta Aragonia die 16. Martij ann. 1591. diem clauſit extremum.

Cùm autem per eius obitum Dominus Cardinalis Bandinus prætenderet, ſuo lucro ceſſiſſe ſcuta 496. poſita ſub periculo vitæ eiuſdem Ioannis Baptiſtæ, & de partium conſenſu, coram A. C. fuiſſet conuentum, vt ſtaretur Rotæ iudicio, me proponente fuit dubitatum, an eſſet locus lucro pecuniarum, & Domini conformiter cenſuerunt, per obitum Ioannis Baptiſtæ non fuiſſe locum lucro pecuniarum.

Ratio potiſſima fuit, quia cùm in ſocietate 2.
adeſſet pactum, quòd deficiente aliquo ex fideiuſſoribus Bandini, alium ipſius loco fideiuſſorem æquè idoneum infra dies 15. ad beneplacitum, contentamentum, & ſatisfactionem Ioannis Baptiſtæ dare tenerentur, aliàs eſſet locus reſtitutioni ſortis principalis, perinde, ac ſi ſocietas eſſet finita, & prædicto tempore elapſo, non fuiſſet realiter, & cum effectu datus alius



fideiuſſor

fideiuſſor in locum Horatij defuncti, ad quod tamen præſtandum ſæpe Bandini fuerant interpellati, pacto reſolutiuo, * in ſocietate appoſito fuerat factus locus; & cùm conſequenter, ante obitum Ioannis Baptiſtæ cenſeretur finita ſocietas, non potuit per illius obitum, Dominus Cardinalis illam lucrari. Alexander *in l. ſi inſulam, in decima ſexta fallentia. ff. de verbor. obligat. cap. verùm, de condit. appoſ. lib. 2. C. de condict. ob cauſam.* Corneus *conſ.* 102. *num.* 34. *lib.* 2. Puteus *deciſione vltima, tit. de tranſact.* Mohedanus *deciſ.* 26. & fuit reſolutum in cauſa Romana ſocietatis* coram R.P.D. meo Seraphino, die 18. Decembr. 1573. & die 19. Martij 1574.

* adde ſuprà dec. 274. n. 2. & 3. Rotam recen. part. 2. dec. 1. n. 4.

* ſeu Romana duorum millium, in impreſſis Seraphini habentur deciſ. 209. & 225. & vide de hoc art. Rot. recen. part. 1. dec. 493. vbi n. 2. ſupradictis deciſionibus reſpondet.

Bandinis etiam obſtabat non adimplementum, non enim poterant reportare lucrum ex contractu, quem non impleuiſſent. Decius *in l. cùm proponas la 2. num.* 4. vbi Riminaldus *num.* 3. *C. de pactis*, Rolandus *conſil.* 53. *num.* 28. *lib.* 1. Crauetta *conſil.* 246. *num.* 3. quia ad effectum, vt quis ex contractu conſequatur actionem, vel exceptionem, in primis docere debet, pro parte ſua ſe adimpleuiſſe, & promiſſis ſtetiſſe. *l. Iulianus. §. offerri. ff. de actionib. empt.* Crauetta *conſil.* 151. *num.* 8.

Neque ab hac deciſione putarunt Domini recedendum, ex eo, quòd die 2. Martij an. 1591. fuerat oblatus Ioannes Abbas Bandinus in locum Horatij; quia omiſſa illa diſputatione, an ſtante pacto reſolutiuo, talis oblatio poſt 15. fuiſſet admittenda, ex ipſa ſerie contractus, tollebatur omnis difficultas: nam cùm fideiuſſor dandus deberet eſſe æquè idoneus, & ad beneplacitum, contentamentum, & ſatisfactionem Ioannis Baptiſtæ, licitè potuit Ioannem Abbatem recuſare, cùm eſſet filiusfamilias, & Clericus, & bona ſtabilia non poſſideret in vrbe, & præſertim cùm eſſet etiam abſens, & vigore contractus in locum abſentis alius foret ſubrogandus.

Præterea, non obſtabat quòd mandatum Domini Cardinalis non ſe extenderet ad faciendam obligationem pro renouatione fideiuſſoris, quia præterquam quòd verba mandati erant multum generalia, dicebatur, quòd cùm talis clauſula eſſet ferè ordinaria, & apponi ſolita in omnibus inſtrumentis, conſequenter videbatur extendi ad iſtam promiſſionem.

Et difficultas ceſſabat, quia ad effectum, vt ſocietas cenſeretur finita, licèt Cardinalis non fuiſſet obligatus, ſatis fuerat, Petrum Antonium Bandinum fuiſſe etiam interpellatum, præſertim cùm modò non ageretur contra Cardinalem pro renouatione fideiuſſionis, ſed pro ſolutione ſortis, ex eo quòd Petrus Antonius principalis, fideiuſſionem non renouauerat, & conſequenter ſocietas eſſet finita.

2. Non placuit Dominis illa conſideratio informantium pro Bandinis, quòd ipſi non tenebantur adimplere promiſſionem * de facto alieno, quia licèt iſta prætenſio poſſet habere locum, ſi fuiſſet promiſſa fideiuſſio alicuius certæ perſonæ, ſecus erat in hac facti ſpecie, in qua pactum, ſeu promiſſio de alio fideiuſſore præſtando, erat concepta in genere.

* de hoc art. vide Ludou. deciſ. 241. & latè annota. plures deciſ. allegat.

3. Et præſertim ſtante iuramento, quod obligat præciſè iurantem. † *cap. & ſi Chriſtus, de iureiuran.* adeò vt poſt moram non videatur relinquere remiſſioni locum, Crauetta *conſ.* 64. *num.* 2. Gabriel *de iureiuran. concluſ.* 2. *num.* 1.

† etiam extra caſum neceſſitatis Seraphin. deciſ. 782. num. 7. Mantic. dec. 30. n. 6. Rot. recen. part. 2. dec. 63. n. 2.

Poſtremò non obſtabat quòd Ioannes Baptiſta Aragona videbatur ratificaſſe ſocietatem, ex quo poſt mortem Horatij ſciens, & prudens, receperat fructus ſocietatis pro vlteriori ſemeſtri, quod informantes pro Bandinis oſtendere nitebantur, ex quadam copia partitæ, ex libris Bandinorum extractæ, quia reſpondebatur, ex eadem partita apparuiſſe, illam fructuum receptionem fuiſſe pro fructibus decurſis ante obitum Horatij, ibi, *pagati li contanti ſino di giuegno paſato, cioe del* 1590. *per frutti, del ſemeſtre, che maturo, à* 27. *de Decembre paſſato.*

Atque ex prædictis fuit ſine difficultate concluſum, non fuiſſe locum lucro pecuniarum, per obitum Ioannis Baptiſtæ.

---

## *Romana hæreditatis de Millonijs.*

### Die Mercurij 4. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

2.3 *Cautionem præſtare tenetur, qui eſt obligatus per teſtamentum, ad hæreditatis reſtitutionem.*

4 *Cautionem qui præſtare tenetur, ſatisfacit, ſi deponat, quòd cauere tenebatur.*

5 *Vſusfructus morte vſufructuarij finitur.*

6 *Vſufructu finito, redit proprietas vocato, ſi ſine grauamine ſit ei relicta.*

7 *Commodum qui ſentit, debet & damnum ſentire.*

## DECISIO DLXV.

VTraque parte informante dubitaui, an domina Lucida teneretur præſtare fideiuſſionem, ſuper moleſtiis illatis per quondam Antoninam Taurinetam, occaſione fructuum ſcutorum 400. & Domini cenſuerunt, ipſam teneri præſtare cautionem * de indemnitate Europæ, niſi ſtabiliretur, fructus dictorum 400. ſcutorum non deberi hæredibus Antoninæ. 1.

* hæc reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 580.

Tres caſus poterant conſiderari, primus erat, reſpectu ſortis principalis, reſpiciens tempus futurum, & in hoc Lucida non recuſabat præſtare cautionem Europæ pro ſorte principali, videlicet pro dictis ſcutis quadringentis; quia licèt proprietas eſſet Lucidæ, vigore teſtamenti Lauinij ſui patris, peruenire tamen quandoque poterat ad Europam, Lucidæ filiam, tanquam vocatam * in teſtamento Lauinij. *l.* 1. *§. & per totam. ff. vt legator. nomin. caueatur. l. puto. §. frater. ff. de legat.* 2. Palatius Rubeus *in repet. cap. per veſtras. §.* 44. *num.* 3. Molina *de primogen. Hiſpanor. lib.* 1. *cap.* 15. ſed iſte non erat caſus, de quo dubitabatur. 2.

* adde Dur. dec. 93. n. 17. Ludou. deciſ. 428. n. 7.

Alter caſus erat, reſpiciens tempus præteritum, reſpectu fructuum quadraginta ſcutorum annuorum, quos vigore contractus initi de anno 1578. inter prædictam Antoninam ex vna parte, & Petrum Antonium, & Lucidam coniuges ex altera, Antoninæ ſoluere promiſerant, & pro



pro illis ſoluendis ſe in ſolidum obligauerant, quæ ſcuta, quadraginta annua, tam Petrus Antonius dum viueret, vſque ad annum 1582. quàm Lucretia Domitilla, & Europa, illius hæredes vſque ad annum 1585. perſoluiſſe dicebantur, donec illarum tutor, de eodem anno, poſt obitum Petri Antonij ad pupillas ab illa annua præſtatione liberandas, fecerat reale depoſitum apud idoneum mercatorem, qui promiſerat, prædicta quadringenta reſtituere, vel Antoninæ, vel Lucidæ, vel cui illarum A.C. iuberet.
3. Et reſpectu huius caſus, Domini conſiderantes, quòd Europa poterat moleſtari ab hæredibus Antoninæ, prætendentibus ipſis deberi prædictos fructus, pro tempore decurſos, & non ſolutos, quos licèt Europa, & Lucida prætenderent, non deberi, ex quo illa promiſſio fuerat vſuraria, vt patebat ex iudicio ſuper hoc moto tam coram A. C. quàm coram me, & ſuper quo, die 4. Iunij 1593. * dato dubio, Rota cenſuerat, illum contractum fuiſſe vſurarium, quia tamen in deciſione fuerant excitatæ aliquot difficultates, quæ nondum fuerant ſublatæ, & conſequenter, non poterat omnino dici ſtabilita illa deciſio, ideo dixerunt Domini, quòd donec illa deciſio confirmaretur, (quia tunc ceſſantibus moleſtiis, quas Europa poſſet pati ab hæredibus Antoninæ, poſſent ſine vlla cautione ſcuta cccc. Lucidæ reſtitui.) Lucida cautionem præſtare debebat, vt Europa eſſet ſecura.

* ſuprà dec. 307.

4. Tertius caſus erat, reſpiciens tempus poſt factum depoſitum apud mercatorem, cuius reſpectu dicebatur, quòd ſi depoſitum iam fuerat legitimè factum, prout ſatis legitimum apparebat, hæredes Antoninæ nihil prætendere poterant, neque à Petro Antonio, neque à quouis alio, cùm fuiſſet in poteſtate Antoninæ vſufructuariæ, præſtita idonea cautione conſequi vſum dictorum cccc. ſcutorum.

5. Duo tamen potiſſimum videbantur ſuadere, Lucidam non potuiſſe hoc onere dandæ cautionis grauari: primum, quia cùm per obitum Antoninæ, vſusfructus (quamuis ei vigore validi contractus fuiſſet debitus) finitus eſſet. * *§. finitur. Inſtit. de vſufructu.* Socinus iunior *conſ.* 89. *num.* 3. *lib.* 3.
6. proprietas ad Lucidam, abſque aliquo gramine impoſito, viuente vſufructuaria redire debebat. Bartolus *in l.* 1. *§. final. ff. de ſuperficieb.* Guilielmus de Cuneo, Baldus, Salicetus, & Paulus de Caſtro *in l.* 3. *C. de ſeruitutib.* Afflictus *deciſione* 380. *num.* 2. *&* 3. Boërius *deciſ.* 181. *num.* 10. Pinellus *in l.* 1. *parte* 3. *num.* 107. *C. de bonis mater.* & tenuit Rota *in vna Narnien. molendini die* 16. Martij, & die 1. Iunij 1582.

* Rota rec. p. 2. dec. 653. n. 1. in fine.

7. Alterum erat, quia cùm dictæ pecuniæ remanſiſſent penes Petrum Antonium, vſque ad eius obitum, & reale depoſitum, ſi quod intereſſe pro dicto tempore, ab hæredibus Antoninæ prætendi poterat, illud non Lucida, ſed Petrus Antonius, qui vtilitatem * ſenſerat, præſtare tenebatur. *l. ſecundùm naturam. ff. de regul. iuris*, & ſic non obſtabat, quòd Lucida etiam ſe in ſolidum obligaſſet, quia cùm ſolus Petrus Antonius habuiſſet integram pecuniam, ipſe tenebatur ad integram obligationem. Baldus *in l. creditor, n.* 2. *verſ. hoc ſic intelligitur. C. de duobus reis.*

* adde Coc. dec. 409. n. 2.

Hæc cùm mihi difficultatem habere viderentur, ne Lucida indebitè grauaretur, iterum eam audire decreui: niſi Aduocati ſuaſiſſent, denuo videri deciſionem ſuper illicito contractu inito cum Antonina, quoniam ſi ille declararetur illicitus, omnes moleſtiæ tunc ceſſarent.

---

## *Tullen. ſubſidij Charitatiui.*

### Die Mercurij 4. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Parochialis vt dicatur Eccleſia, multa requiruntur.*

3 *Teſtes probare poſſunt parochialitatem.*

4 *Charitatiuum ſeruitium, vel ſubſidium tenetur ſoluere Monaſterium Epiſcopo de Parochia ei vnita, & n.* 8.

5 *Monaſteria ſunt exempta à lege Diœceſana. quod fallit ſi habeant Parochias, n.* 6.

7 *Monaſteria ſunt ſubiecta Epiſcopis, ratione exercitij curæ animarum.*

9 *Exempti ſoluere tenentur Epiſcopo Charitatiuum ſubſidium, ratione Parochialium, quas poſſident, & decet fieri ſolutio, non de congrua Vicarij, ſed de cæteris bonis Parochiæ.*

## DECISIO DLXVI.

SVper dubio propoſito, an probaretur pro parte Epiſcopi Tullen. Monaſteria, de quibus agebatur, habere Parochias, ita quòd tenerentur, vel non, ad ſoluendum charitatiuum ſubſidium, vtraque parte informante, Rota affirmatiuè * reſpondit, conſtare Monaſterium Sancti Manſueti habere Parochiam, quamuis enim ad Parochiam conſtituendam concurrere debeant requiſita, de quibus in vna Decanaten. Parochialis die 20. Maij ann. 1577. coram bon. mem. Cantuccio, † poſſetque etiam meritò dubitari, an teſtes ſimpliciter teſtificantes, aliquam Eccleſiam eſſe Parochialem, legitimè probent parochialitatem, in caſu tamen propoſito dicebatur, teſtibus deponentibus in Monaſterio Sancti Manſueti adeſſe Parochiam, fuiſſe adhibendam fidem: * cùm enim conſtaret, id Monaſterium aliàs ex donatione cuiuſdam Epiſcopi de anno 1163. habuiſſe Parochiam, vt patebat ex donationis inſtrumento, faciliùs credebatur, teſtibus de Parochia teſtificantibus, & præſertim, quia non dicebant ſimpliciter, Monaſterium habere Parochiam, ſed vlteriùs progredientes addebant, Abbatem inibi deputare Vicarium, ſeu Rectorem perpetuum cum certa congrua portione, qui miniſtrare teneretur incolis ſuburbiorum Sancti Manſueti Eccleſiaſtica Sacramenta, quod ſufficiebat ad effectum, vt Epiſcopo charitatiuum ſubſidium eſſet perſoluendum. 1. 2. 3.

* hæc deciſio fuit confirmata infrà dec. 579.

† habetur p. 2. diuerſor. in impreſſis deciſ. 52. incip. Concluſum fuit, & Mantic. dec. 48. n. 5. Caputaq. deciſ. 34. n. 4. p. 3. Ludouiſ. dec. 387. n. 6. & ſequent.

* cùm ad hunc effectũ leniores probationes ſufficiant, vt per Seraph. dec. 1246. n. 2. vbi allegat hanc dec. & idem probat deciſ. 1287. n. 2. & 3.

Licèt enim magis communis opinio ſit, quæ fauet Monaſteriis, vt ſubſidium charitatiuum ſoluere non debeant, Boërius *deciſione* 135. Canoniſtæ *in cap. cùm dilectus, de offic. ordin.* Bellencinus *tract. de charit. ſubſidio, quæſt.* 29. quia illius exactio eſt de lege diœceſana, à qua Monaſteria * ſunt exempta, *cap. ne pro cuiuſlibet* 16. *quæſt.* 1. & fuit deciſum in hac cauſa, die vltima Maij præſentis anni, coram Illuſtriſſimo Domino Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ Auditore. 4. 5.

* de hoc art. infrà deciſ. 674. n. 1. & ſeq. & deciſ. dec. 579.

6. Nihilominus, huic ſententiæ locus non eſt, quando Monaſteria Regularium habent Parochias,* in quibus illorum Abbates, vel ſuperiores per ſe, vel per Vicarios perpetuos, exercent curam animarum, iſto enim caſu, ad ſubſidium charitatiuum perſoluendum obligantur, Guilielmus de Monte Lauduno *in Clement. frequens num.5.in verb.ſubſidia, verſ.ſuos Vicarios perpetuos, de exceſſib.Prælat.* Zabarella *in dicta Clement. frequens.§.nonnulli,num.1.verſ.ſoluit.* Remigius Gomezius *de charitatiuo ſubſidio, quæſt.* 36. pro quibus videbatur eſſe text. *in cap.conquerente, de officio ordinar.*

* de hoc charitatiuo ſubſidio latè agit Barboſa in Paſtoral. alleg. 87. & de hoc artic. n.45.& ſeq.

7. Quod eo etiam nomine conſtituendum videbatur, quia teſtes reſpectu huius Monaſterij optimè probabant exercitium curæ animarum, cuius ratione notum eſt, Monaſteria * eſſe Epiſcopis ſubiecta. Concilium Trident. *ſeſſ.25.c.11.* nam in reſpicientibus animarum curam, Monaſteria Regularium neque à lege diœceſana ſunt exempta, & conſequenter tenentur etiam ad ſubſidium charitatiuum. Innocent. *cap.1.num.*4. Antonius de Butrio *regula* 2. & Abbas *num.5. de ſtatu Monachorum*, quam ſententiam non obſcurè profitetur Guilielmus de Monte Lauduno *in dicta Clement. frequens, num.*4. dum ait, Epiſcopum poſſe petere ſubſidium charitatiuum ab
8. exemptis,& curam animarum, per ſe vel per ſuos Vicarios, etiam perpetuos exercentibus, niſi ſint exempti in capite, & in membris, & Guilielmum ſequuntur *ibidem* Zabarella *in §. nonnulli, num.* 1. & Vitalinus *num. 42. de exceſſib. prælator.* & Remigius Gomezius *dicto tract. de charit. ſubſidio, quæſt.29.num.22.*

* adde Seraphin. dec. 1067.num.1. & 4.

Ex quibus inferebatur, non fuiſſe neceſſariam exactam probationem parochialitatis, * cùm Doctores ad effectum ſolutionis ſubſidij charitatiui, ſimpliciter loquantur de exercitio curæ animarum.

* Seraph.in d. dec.1246. n.1. & deciſ. 1287.

9. Poſtremò fuit dictum, ſubſidium charitatiuum non debuiſſe ſolui per iſtos Vicarios, ad exercitium curæ animarum perpetuò deputatos, de congrua portione ipſis pro ſua ſuſtentatione aſſignata, ſed per Abbates, & ſuperiores, penes quos reſidet ius parochialitatis, cuius intuitu recipiunt decimas,& cætera iura inde prouenientia.

---

## *Romana de Bartholacijs.*

### Die Mercurij 11. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

3.4 *Creditori anteriori ſoluendum eſt, vt debitor rectè ſoluat.*

5 *Solutio facta contra formam præſcriptam in inſtrumento, non valet.*

6 *Creditor in præiudicium aliorum creditorum, nec donare, nec retinere valet aliquid de debito.*

## DECISIO DLXVII.

1. PORtia Maſa, creditrix quondam Ioannis Baptiſtæ Bartholacij, ab anno 1583.in ſcutis cc. & fructibus decurſis, & non ſolutis, ratione vnius inſtrumenti creatoris cenſus, obligatione Camerali, & iuramento vallati, poſtquam fundus dicti cenſus anno 1592. fuiſſet euictus, & Marthæ vxori dicti Bartholacij, ad computum ſuæ dotis adiudicatus, ab A.C. obtinuit mandatum executiuum, tam pro ſorte principali, quàm pro fructibus decurſis, & non ſolutis, contra bona hæreditaria Bartholacij; cumque interim quidam Bartholomæus Morengus eſſet repertus debitor dicti Bartholacij, in ſcutis 500. auri in auro, cum obligatione in forma Cameræ, quæ vigore decreti à R. P. D. Salicino interpoſiti die 30.Iunij 1590. Morengus non tenebatur de iure ſoluere, niſi in fine quinquennij, & niſi præſtita cautione de reſtituendo prioribus,& poſterioribus creditoribus Bartholacij, nihilominus Morengus poſt duos dies à die facti decreti, non expectato lapſu quinquenij, neque prædicta cautione recepta, cuidam Auguſto Zabreræ, poſteriori Bartholacij creditori, iuxta formam decreti perſoluit ſcuta 350.ex dictis ſcutis 500. qui reſiduum Morengo remiſit.

Cùm verò die 22. Martij proximè præteriti, 2.
coram Illuſtriſſimo Cardinale Blanchetto tunc Rotæ Auditore fuiſſet deciſum, Morengum Zabreræ malè ſoluiſſe, non ſeruata forma declarationis contentæ in decreto Salicini, & propterea mandatum executiuum, contra ipſum Morengum ab A. C. ad inſtantiam Ioannis Antonij Radij creditoris Bartholacij relaxatum, fuiſſe exequendum pro ſcutis cccc. monetæ quæ Radius habuerat, & Portia Maſa creditrix anterior Zabrera, coram me, in locum Domini Cardinalis Blanchetti ſubrogato inſtaret, vt condemnarem Morengum, ad ſoluendum Portiæ ſcuta 172. auri in auro, quæ reliqua fuerunt vſque ad ſummam ducatorum 500. auri in auro.

Auditis partibus ſuper eiſdem, Domini ſteterunt in deciſis, etiam quoad Dominam Portiam.

Et quantum ad Radium, non erat difficultas 3.
ex rationibus contentis in deciſione coram D. Cardinale Blanchetto, nam cùm Radius eſſet anterior creditor Zabrera, licuit ſibi agere contra Morengum debitorem Bartholacij ſui debitoris, cùm Morengus ſe obligaſſet ad ſecundam ſummam ducator. 500. iuxta declarationem per Salicinum faciendam, quam tamen Morengus ſoluendo Zabreræ non ſeruauit. Gabriel *conſil.46. num. 32. lib.1.* Pariſius *conſ. 107. num. 88. lib.3.*

Quantum ad Portiam, ſimilem cauſam ha- 4.
bentem, idem iudicium fuit: nam cùm ipſa eſſet creditrix Bartholacij,& anterior * Zabrera, poterat ſimiliter agere contra Morengum, Bartholacij creditorem. *l. nomen. C. quæ res pignor.* Nec Morengus poterat ſe defendere, vigore ſolutionis factæ Zabreræ, quia illa ſolutio, tanquam facta contra formam præſcriptam in decreto Salicini, non fuit valida, nec liberauit Morengum à Portia creditrice Bartholacij anterio-
ri, nec cæteris creditoribus † anterioribus præiudicauit. 5.

* adde Lud. dec.447.n.1. & 511.n.18. & 22.Rotam rec.p.2. dec. 48.n.7. & 8. infrà in hac eadem cauſa dec.636.

† adde Seraphin. dec. 1311.num.3. Rotam rec. p.1.dec.301. n. 18. & ſeq. & Rotam diuer.p.3.lib 3. dec 363.n.1.

Aſſertio Notarij, dicentis fuiſſe præſtitam cautionem, non excludebat Portiam ab hac actione, quia licèt ex eo, quòd cautio non reperiebatur, potuiſſet agere Portia contra Notarium, non propterea prohibebatur agere contra Morengum, qui malè ſoluerat, niſi concludenter doceretur, idoneam cautionem fuiſſe præſtitam, quamquam ſatis videbatur probata negatiua de cautione non præſtita ex obligatione, eadem die ſolutionis facta à Zabrera, ad fauorem Morengi, qua promiſerat, illum releuare indemnem à moleſtiis à creditoribus Bartholacij ſibi inferendis, propter dictam ſolutionem.



7. Sed reſpectu huius ſummæ per Portiam prætenſæ, vltra ſcuta 350. habita per Radium, res videbatur clara, ex eo, quòd iſta ſumma verè non fuerat Zabreræ ſoluta, ſed remanſerat penes Morengum, ſub prætextu donationis, ſeu remiſſionis, ſibi à Cabrera factæ, qui in præiudicium anteriorum creditorum Bartholacij, nec donare,* nec remittere aliquid poterat.

* Rota diu. p.1.dec.437. n.5. quod eſt verum non ſolùm reſpectu creditorum de tempore donationis, ſed poſteriorũ, vt dicitur ſuprà deciſ. 323.n.7.

Poſtremò, ad aliud fundamentum de diligentiis primò faciendis, pro recuperanda iſta ſumma pecuniarum à Bartholacio principali debitore, ſolutio patebat ex deciſione in hac cauſa facta, quoniam ſtante illius decoctione,& poſtea morte ſubſecuta, non erat neceſſaria diligentia iuxta deciſionem Matthæi de Afflictis 190.

Et ex his fuit concluſum, etiam quoad Portiam, ſtandum fuiſſe in deciſis.

---

## *Tiraſonen. ſeu nullius iuriſdictionis.*

### Die Mercurij 11. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in profanis, in qualibet inſtantia concedi ſolet.*

*Si tamen articuli ſint releuantes, n.2.*

## DECISIO DLXVIII.

1. REmiſſoriam conceſſit Rota Abbati Monaſterij de Fitero in prima inſtantia, quia in profanis in qualibet inſtantia concedi ſolet, quando articuli ſunt releuantes, * vt in caſu propoſito, in quo articulabatur, Monaſterium de Fitero Ordinis Ciſtercienſis, habere territorium ſeparatum à diœceſi Tiraſſonen. & Eccleſiam in eodem Monaſterio exiſtentem eſſe Parochialem, & Abbatem ab immemorabili tem-
2. pore exercuiſſe, & exercere in Parochos, & Parochianos eiuſdem oppidi de Fitero vtramque iuriſdictionem, ſpiritualem, & temporalem, quod erat maximè releuans ad effectum, vt non poſſet denegari Remiſſoria. Caſſadorus *deciſione 2.de dilationib.* Verallus *deciſione 68.parte 3. in impreſſis.*

* adde ſuprà dec.372.n.1. & deciſ.425. & 488.n.1.& infrà deciſ. 595. n. 2. & dec.736.n.1. & aliàs ſæpe.

---

## *Burgen. penſionis.*

### Die Lunæ 16. Decembris 1596.

SVMMARIVM.

2 *Titularis habet fundatam intentionem de iure, vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.*

3 *Succeſſor in beneficio, ſi opponat de nullitate penſionis, tenetur penſionarius iuſtificare ſuam gratiam.*

4 *Iuſtificatio gratiæ, ex temporis curſu requirit 30. annos.*

5 *Clericatus probatur per teſtes, aſſerentes ſe vidiſſe illum promoueri.*

6 *Promotus per ſaltum nemo præſumitur.*

7 *Penſionis eſt capax illegitimus, ſi ſit Clericus.*

8 *Penſio non debet excedere medietatem valoris beneficij in quo eſt impoſita.*

9 *Ætas 22. annorum requiritur ad obtinendam dignitatem in Cathedrali.*

10 *Gratia conditionalis, licèt tempore conceſſionis non poſſit ſubſiſtere, tamen valebit, ſi tempore purificatæ conditionis ſit habilis, cui facta fuit.*

11 *Gratia quæ eſt ſucceſſiua, habet effectum tempore habili.*

12 *Pœnam poſitam ad fauorem vnius, poteſt iſte renunciare.*

13 *Acceſſus ad præbendam, ob ceſſationem penſionis, ſi ponatur in gratia, ſi ille non valet, nec hæc peti poteſt.*

14 *Penſio reſeruata ex cauſa non vera, eſt nulla propter ſubreptionem.*

15 *Minor non poteſt habere penſionem, quod intellige de infante.*

## DECISIO DLXIX. 1.

REſeruauerat * fel.record. Pius Papa IV. anno Domini 1565. annuam penſionem 400. ducatorum, ſuper fructibus Abbatiæ de Foncea, ad fauorem Laurentij de Sancta Cruce, de conſenſu Garciæ de Salamanca, qui tunc prædictam Abbatiam poſſidebat, quam cùm Gregorius de
2. Ayala, modernus Abbas, primùm in partibus coram Ordinario, deinde in Rota impugnaſſet, vtraque parte informante dubitaui, an gratia Laurentij ſibi ſuffragaretur, ad effectum de quo agebatur, & Rota pronunciauit, gratiam Laurentio ſuffragari.

* habetur hæc deciſio impreſſa penes March. de commiſſ. p.1.pag.523. & p.3. pag. 125.

Cenſuit autem primò, Laurentium ad iuſtificandam † ſuam gratiam obligari, quia cùm titularis habeat fundatam intentionem in iure communi, vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur, ſufficit ei in petitorio op-
3. ponere de nullitate penſionis, niſi penſionarius
4. eam iuſtificet. Mohedanus *deciſione 35.verſ. quia narrata in Bulla, de renunt.* & præſertim, cùm ageretur contra ſucceſſorem in beneficio, qui non conſenſit reſeruationi penſionis. Antonius Auguſtinus *in epitome tit.de ſolutione penſionis, n.*24. idem *deciſ.*196.*lib.*3.

† de hoc art. vide latè per Ludouiſ.dec. 57. per totã vbi n. 1. ad propoſitum allegat hanc dec.& plures declarationes adducit annotatio à n.11. cũ ſeq.

Neque ab hac iuſtificatione excuſabatur Laurentius, ob curſum temporis, quia ad effectum, vt gratia ex curſu temporis cenſeatur iuſtificata, 30.anni * ſunt neceſſarij, ſic enim intelliguntur deciſiones per informantes pro Laurentio allegatæ, in Lucana † Decanatus die 21. Maij 1578. & in Portalegren. vnionis die 15. Iunij 1590.coram R.P.D.meo Orano, & in Romana domus die 11. Maij 1592. coram R. P.D. meo Mellino, & in bonorum penſionis die 17. Maij 1593. coram eodem; * in caſu autem propoſito, ex deductis in facto apparebat, nondum tantum temporis effluxiſſe.

* adde infrà deciſ.387. n. 11. Lud.dec. 431.n 10. & ibi annota.n. 14 plures deciſ.allegat,& aduertit in materia penſionum coniungi tẽpora.

† habetur p. 1.diuerſ.dec. 534.

* adde Rotã in Oſcen. & Barbaſtẽ.pẽſionis coram Lancelo.impreſſã penes Marcheſ. de comm. p. 2. pag.578.n.2.

Præterea

Præterea Rota cenſuit, ex his quæ proponebantur, Laurentij gratiam fuiſſe iuſtificatam, reſeruata enim fuerat penſio Laurentio Scholari, ex nunc pro vt ex tunc, poſtquam charactere

5. re Clericali fuiſſet inſignitus: Clericatus autem probatur per teſtes aſſerentes, vidiſſe illum promoueri ad omnes, etiam Presbyteratus Ordines, & vidiſſe illum quoque Miſſam celebrantem, * quæ probatio iudicabatur ſufficiens. Decius *conſ.* 18. *num.* 1. & maximè, quia regulariter nemo per ſaltum promouetur, nec taliter promotus cenſetur, Doctores *in cap.* 1. vbi Innocent. Ioan-

*adde Cau. dec. 559. n. 4. vbi alias deciſiones allegat.

6. nes Andreas, & Antonius de Butrio *de Clericis peregrin.* Abbas *in cap. niſi, in primo notab. de præbend.* Puteus *deciſ.* 144. *n.* 5. *lib.* 2.

Addebant etiam teſtes, Laurentium fuiſſe Scholarem, licèt id probatione non indigeret, cùm iſta qualitas exprimi quandoque ſoleat, ad differentiam Clericatus.

7. Non placuit Dominis, ad effectum penſionis, probandam fuiſſe qualitatem illegitimitatis Laurentij, quòd eſſet ex ſoluto, & ſoluta procreatus, quia cùm illegitimus non ſit incapax penſionis, niſi ob defectum Clericatus, * eo ipſo, quòd illegitimus ſit Clericus, & multo magis ſi fiat Sacerdos, efficitur capax penſionis, vt ſæpe Rota cenſuit, & in primis in cauſa Beneten. penſionis coram Reuerendiſſimo Robuſterio, & in alia Cæſarauguſtan. penſionis coram R.P.D. meo Gyptio.

*adde ſuprà dec. 264. n. 2. & 3. & Rotã rec. p. 2. dec. 549. n. 3. vbi ad propoſitũ allegatur præſens dec. & Durã. dec. 143. n. 1. & 4. & deciſ. 117. n. 4. & 18. vbi plures alias dec. allegat, Coccin. dec. 31. n. 8.

De conſanguinitate Laurentij cum Ioanne de Sandoual ſcriptore Apoſtolico, quæ erat iuſtificanda, pro gratioſa expeditione literarum, conſtabat ex teſtium atteſtationibus *ſuper* 6.

Et ſimiliter videbatur probatus non exceſſus

8. medietatis fructuum iſtius penſionis, vnà cum aliis narratis, cùm teſtes cenſerentur legitimè probaſſe valorem narratum.

9. Ad difficultatem excitatam per informantes pro Abbatæ Ayala, contra Laurentium, qua nitebantur colligere, penſionis inualiditatem, ex eo, quòd in caſu non ſolutionis penſionis fuerit Laurentio minori 14. annis reſeruatus acceſſus ad iſtam Abbatialem dignitatem, qui videbatur ipſo iure nullus ex defectu ætatis 22. annorum, requiſitæ à Concilio Tridentino *ſeſſione* 24. *c.* 12. §. *ad cæteras, iuxta deciſionem Putei* 6. *tit. de penſionib.* incip. *Penſio poteſt annullari.* & 10. *de renunt.* incip. *Renunciatio dicitur correſpectiua.* Domini reſpondebant, quòd licèt conſtitiſſet de minore ætate Laurentij, ex nullitate tamen acceſſus acceſſoriè conceſſi, & poſiti in gratia, in pœnam non ſoluentis penſionem, non poterat inferri

10. ad nullitatem penſionis, quæ poteſt per ſe, ſine acceſſu conſiſtere; & maximè, cùm iſta pœna ſit ſucceſſiua, & poſſit propterea purificari poſt legitimam ætatem penſionarij: & præſertim in hac facti ſpecie, vbi reſeruatio penſionis fuit ſub conditione, cùm primùm Laurentius charactere Clericali foret inſignitus, & ſic videbatur relata, & dilata ad tempus habile, etiam reſpectu acceſſus, * cùm gratia non habeat effectum, niſi tempore habili. *l. in tempus ff. de hæredib. inſtituend.* & fuit reſolutum in prædicta cauſa Beneten. penſionis coram Reuerendiſſimo Rebuſterio die 27. Ianuar. 1572. & pœna etiam eſſet appoſita ad fauorem penſionarij, qui poterat ei ad libitum renunciare, cùm intelligeretur ſibi

* acceſſus enim reſpicit tẽpus futurum, & regreſſus præteritũ, vt per Rotam diu. p. 1. dec. 457. n. 10. & ideo acceſſus requirit habilitaté de tẽpore purificatæ conditionis, Rota rec. p. 1. dec. 190. n. 2.

conceſſa, ſi vti ea vellet, Puteus *deciſ.* 34. *in fine lib.* 2. Caſſadorus *deciſ.* 2. *de locato.* 11.

Non obſtabant deciſiones Putei, & aliorum, 12.
quibus eſt locus in penſionibus, quæ reſeruantur ex cauſa reſignationis beneficiorum, ſicut loquitur Puteus in præallegata *deciſione* 10. *de*
*renunt.* vbi fuerat facta ceſſio cum reſeruatione 13.
penſionis, & acceſſus ad fauorem reſignantis quo caſu, ſi non valet acceſſus, ceſſio, & penſio conſequenter eſt nulla, quia eſt conditionalis, reſeruata ſcilicet penſione, & acceſſu in euentum non ſolutionis penſionis: vnde, cùm totus iſte actus geſtus inter reſignantem, & reſignatarium videatur correſpectiuus (nam reſignans non aliter foret reſignaturus, niſi data validitate reſeruationis penſionis, & regreſſus,) ideo in ea facti ſpecie benè infertur, de nullitate vnius extremi, ad nullitatem alterius, ſecus eſt autem in hoc themate, vt ex prædictis patet.

Poſtremò non obſtabat obiectio deſumpta 14.
ex illa Pontificis narratiua, meritorum tuorum intuitu, quaſi Papa ita loquendo, non potuerit intelligere minorem ætatem Laurentij, in quo nulla tunc merita inueniri poterant, & conſequenter, gratiam reſeruationis penſionis fuiſſe ſubreptitiam. Verallus *deciſ.* 318. incip. *Penſio reſeruata, parte* 2.

Quia reſpondebatur, illam deciſionem loqui 15.
de infante, * cui penſio fuerat ſimpliciter reſeruata ſub narratiua, quæ ſolet aſſignari maiori: at in caſu propoſito, vbi Laurentius erat maior infante, & penſio fuerat reſeruata cum conditione, poſtquam charactere Clericali foret inſignitus, omnis ſubreptitio ceſſabat, & penſio cenſebatur validè reſeruata.

* qui eſt incapax pẽſionis, vt fuit dictum ſupr. dec. 264. n. 2.

Ad alias obiectiones, placuerunt Dominis reſponſiones, datæ per informantes pro Laurentio, & ita concluſum, ei ſuam gratiam ſuffragari.

---

## *Tudertina Parochialis.*

## Die Veneris 20. Decembris 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Appellationis dies, & non commiſſionis attenditur, vt deſerta, vel non, dicatur appellatio.*

3 *Tempus ad appellandum, non ſubducit tempus remiſſoriæ, ad impediendum legitimum fatalium curſum.*

4 *Impedimentum proueniens facto illius, qui poteſt illud remouere, non dat ei excuſationem.*

## DECISIO DLXX.

VTraque parte informante dubitaui, an conſtaret de re iudicata, quæ veniret exequenda, & licèt Domini ſentirent, de re iudicata 1.
conſtitiſſe, ordinarunt tamen, quòd videretur de bono iure, quia parum intererat partis, ſuper re iudicata pronunciare, cùm paulo pòſt eſſet videndum de bono iure, & fortaſſis pronuntiandum contra D. Cardinalem Ruſticutium, ad cuius inſtantiam prætendebatur res iudicata.

Quam



2. Quam Rota adfuiſſe cenſuit, ſtante lapſu 29. menſium à die interpoſitæ appellationis, qui ſolet attendi in appellationibus de Curia, iuxta *Clement. ſicut, de appellat.* vbi gloſſ. & Vitalinus *num.* 31. & 32. Zabarella *notab.* 2. Ancharanus *num.* 7. & Imola *num.* 12. non autem dies Commiſſionis, Puteus *deciſ.* 56. *lib.* 2. latè Lancellotus *de attentatis, appellatione penden. in præfatione, num.* 47.

Et eo magis erat locus rei iudicatæ in hac facti ſpecie, quia etiam inſpecto tempore commiſſionis, fuerat lapſum biennium.*

*quod tempus in Curia admittitur ad proſequutionem appellationis, Durand. dec. 217. n. 10.

Non obſtabat terminus Remiſſoriæ appellanti conceſſus, quia quidquid dicendum ſit de termino Remiſſoriæ conceſſæ appellato, vel vtrique, appellato ſcilicet, & appellanti, de termino tamen, ſeu tempore Remiſſoriæ conceſſæ appellanti, exploratum eſt, illud non ſubduci

3. ad effectum impediendi legitimum fatalium, & rei iudicatæ curſum, Rota *deciſione* 222. *diuerſor. in manuſcript.*

4. Et ratio eſt, quia impedimentum proueniens facto illius, qui poteſt illum remouere, ſibi non præſtat excuſationem. * *l. fin. C. de temporib. appellat.*

*adde Manticã dec. 92. n. 2. Seraph. deciſ. 1206. n. 1.

Rurſus non obſtabat præſumptio deducta per informantes pro Reuerendiſſimo Epiſcopo Tudertino, quòd eſſet renunciatum rei iudicatæ ex eo, quòd pro parte D. Cardinalis die 29. Nouembris 1594. fuit præſentata commiſſio, quaſi per illam Cardinalis remiſerit rem iudicatam, illiuſque priuilegio renunciauerit.

5. Quia reſpondebatur, quòd vel iſta renunciatio prætendebatur ex dicta commiſſione præſentata, & ex hoc capite non poterat ſuffragari, quia hîc agebatur de re iudicata, inducta per lapſum fatalium, etiam poſt commiſſionem præſentatam, non autem de re iudicata antea inducta, propter non commiſſam cauſam in tempore.

Vel prætendebatur ex eo, quòd fuerit detecta iniuſtitia, & Dominus Cardinalis paſſus fuerat diſcuti iura ſua: & neque ex hoc capite poterat concludi aliqua renunciatio, quia præterquam quòd ante quinque menſes nihil ferè actum fuerat in cauſa, & ſic elapſa fuerant fatalia, adhuc non conſtabat de malo iure Cardinalis, quod pendebat ex iuribus videndis, & ſic meritò ordinatum, quod videretur de bono iure, omiſſa executione rei iudicatæ.

---

## *Montis Regalis iuriſdictionis.*

## Die Veneris 20. Decembris 1596.

### SVMMARIVM.

3 *Metropoliticum ius, & ſuperioritas, vt oſtendatur, debet fieri per aliquos actus illud indicantes.*

## DECISIO DLXXI.

DIe 1. Decembris 1597. coram Litta, in vna Vliſbonen. iuris conferendi, vbi Archiepiſcopus petebat mandatum contra Abbates de Alcobatia, ei non fuit conceſſum; quia præſumptio, ex iuris aſſiſtentia ex nonnullis quæ proponebantur pro Abbatibus, reddebatur obſcura.

Idem fuit deciſum in vna Lucen. iuriſdictionis die 4. Maij 1598. coram Seraphino * Razzallio Rotæ Decano. hæc annotatio reperitur in codice originali R.P.D. Peña ante deciſionem, quæ eſt vt ſequitur.

*habetur in impreſſ. dec. 1278.

Die Vener. 25. Octobr. huius anni, * Archie- 1.
piſcopo Montis Regalis tantùm informante, cauſa propoſita, Rota cenſuit, illum fuiſſe manutenendum in quaſi poſſeſſione exercendi iura Metropolitica in Eccleſiam, & Epiſcopum Cathanienſem.

* ſuprà dec. 546.

Die 6. Nouembr. * item paulo pòſt, eodem Archiepiſcopo tantùm informante, Domini ordinarunt, vt ei darem mandatum de manutenendo, illud tamen tantiſper decreui retinendum penes Notarium, quia Procurator Epiſcopi Cathanienſis dicebat, ſe in promptu habere multa, ex quibus erat indicandum, non fore locum manutentioni petitæ.

* ſuprà dec. 547.

Tandem die 20. Decembris vtraque parte informante, Rota ſubſtitit, nam licèt Archiepiſcopus haberet fundatam intentionem in erectione facta per Lucium III. & in aſſiſtentia iuris communis. *cap. cùm perſonæ, de priuilegiis, lib.* 6.

Quia tamen informantes pro Epiſcopo Cathanienſi conabantur oſtendere exemptionem illius Eccleſiæ, à iure Metropolitico, tum ex aſſertione Eugenij IV. ann. 1431. & ſic per ccc. ferè annos à tempore ſubiectionis factæ per Lucium III.

Tum ex cognitione cauſarum in prima, & ſe- 2.
cunda inſtantia ab antiquo tempore, nempe ab anno 1417. vſque ad præſens, in quibus potiſſimum actibus conſiſtit ius Metropoliticum.

Tum præterea, ex teſtium atteſtationibus, affirmantium, ſemper vidiſſe, & audiuiſſe, Epiſcopum, & Eccleſiam Cathanienſem fuiſſe Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum.

Tum poſtremò ex eo, quòd pro parte Archiepiſcopi non docebatur de aliquibus actibus oſtendentibus ius Metropoliticum, iſta enim omnia, ſaltem ſimul iuncta, videbantur arguere aliquam exemptionem, ſeu libertatis præſcriptionem; vnde reddebatur turbida poſſeſſio Archiepiſcopi.

Ideo Rota cenſuit, vt Archiepiſcopus meliùs coadiuuaret ſuam intentionem, nempe per aliquos actus, ius Metropoliticum indicantes, aut per alios modos legitimos, ex quibus ſuperioritas Eccleſiæ ſuæ, & ſubiectio Cathanienſis oſtenderentur, quod ex eo etiam nomine ordinandum placuit, quia cauſa erat grauis, & perpetui præiudicij.

---

## *Barchinonen. vnionis Canonicatus.*

## Die Veneris 20. Decembris 1596.

### SVMMARIVM.

2 *Taxatiua dictio*, tantùm, *habet implicitam negatiuam.*

3 *Probatio*

4 *Probatio ſemiplena ſufficit ad effectum iuſtificandæ narratiuæ.*

5.6 *Teſtes de publica fama, & voce probant narratiuam gratiæ.*

7 *Vnioni eſt locus, ſi gratia illius, per Pontificem facta, iuſtificetur.*

8 *Papæ pertinet omnimoda beneficiorum diſpoſitio.*

## DECISIO DLXXII.

1. PEtrus Guialmar, cui ſuccentoria in Eccleſia Barchinonen. collata fuerat, obtinuit à Sanctiſſ. Domino noſtro Clemente VIII. eidem ſuccentoriæ perpetuò vniri Canonicatum, & præbendam proximè in dicta Eccleſia, in quocumque menſe vacatura; cumque poſt prædictam vnionem, vacauiſſent Canonicatus & præbenda, de quibus agebatur, eorumque prouiſio pertineret ad Capitulum, & Canonicos eiuſdem Eccleſiæ, illi protinus ea contulerunt Petro Pla, aduerſus quem introducta liti in Rota per Petrum ſuccentorem, pro canonizatione ſuæ vnionis, altera tantùm parte informante dubitaui, an vnio eſſet iuſtificata, & ei factus locus, ad effectum de quo agebatur: & Rota quantum ad vtramque dubij partem affirmatiuè reſpondit, ex teſtium enim atteſtationibus probabatur, ſuccentoriam eſſe dignitatem in illa Eccleſia, non tamen maiorem poſt Pontificalem, illamque diſtributionibus quotidianis carentem, & fructus adeò tenues eſſe, vt ſolùm aſcenderent ad ducatos 15. de Camera, qui cùm teſtificarentur
2. per taxatiuam, *tantum*, quæ habet implicitam negatiuam,* rectè dicebantur probare valorem, Crauetta *conſil.* 201. *num.*4. maximè cùm adderent, de eo quoque valore fuiſſe publicam vocem, & famam. † Bellamera *deciſ.* 675. Puteus *deciſione* 29. *lib.*2.

* Crauetta de antiquit. temporum p 4.n.112.
† adde infrà dec.612.n 3. & deciſ.702. n.2 & deciſ. 712. n. 6. & ſuprà deciſ. 399.n.5.

Succentorem habere in Choro iuriſdictionem, tam in Canonicos, quàm in alios Preſbyteros, & Clericos, teſtificabantur quatuor teſtes.

3. Et ex quinque rurſus teſtium aſſertione patebat, eidem ſuccentori incumbere in Choro, onus intonandi diuina Officia, in omnibus feſtiuitatibus duplicibus, ac matutinis, proceſſionibus, & aliis actibus: quæ etiam probabant, ſuccentoriam propter tenuitatem fructuum illius, pluribus annis extitiſſe vacantem.

Tres præterea teſtes aſſerebant, nominationem, & præſentationem perſonæ ad Canonicatus vacantes per ordinarium inſtituendæ, ceſſantibus reſeruationibus Apoſtolicis, ad Capitulum eiuſdem Eccleſiæ pertinere.

Ex his enim ſufficienter dicebantur probata
4. iſta quæ in precibus ſuis narrauerat Petrus *l. vbi numerus ff. de teſtib.* maximè cùm ageretur ad effectum iuſtificandæ narratiuæ, quo caſu ſemiplena* probatio cenſetur idonea, & teſtes de publica voce & fama. Rota *deciſ.* 14. *de probatio-*
5. *nib. in antiq.* Verallus *deciſ.*233. *parte* 1. Cæſar de Graſſis *deciſ.*91. *& deciſ.*43. *n.*3.

*adde ſuprà dec.509.n.1.

Quòd autem in eadem Eccleſia Barchinonenſi exiſtant 39. Canonicatus, concorditer affirmabant teſtes datâ in ſummario *num.*8.

6. Tandem, quòd fructus, redditus, & prouentus Canonicatuum prædictæ Eccleſiæ non excederent annuum valorem 24. ducator. quodque prædicti fructus, computatis diſtributionibus quotidianis, non excederent annuum valorem ducator. 150. ſimilium, plures teſtes conformiter aſſerebant de publica voce, & fama, ideoque ad effectum iuſtificationis gratiæ concludenter probare cenſebantur, Puteus *dicta deciſ.* 29. *lib.* 1. quod ſæpe in pluribus cauſis Rota ſimiliter comprobauit.

Stante gratiæ iuſtificatione, non erat dubium, 7. quin vnioni eſſet locus, præſertim cùm præſupponeretur, Canonicatum, & præbendam, de quibus agebatur, vacauiſſe poſt obtentam vnionem per obitum de Anticho Caraps die 24. Martij 1595. & aſſerebant teſtes in ſummario *num.* 11. & 12. ex quibus quintus teſtificabatur de viſu, alij autem de publica voce, & fama & communi reputatione. Oldradus *conſil.* 257. *num.*41. *verſ. fuit autem.*

De vnionis autem validitate, cùm eſſet facta à Papa, * ad quem pertinet omnimoda benefi- 8. ciorum diſpoſitio, *cap.* 2. *de præbend. lib.*6. dubitari non poterat, & præſertim in hoc caſu, vbi conſtabat de legitima vniendi cauſa, videlicet ob tenuitatem † fructuum ſuccentoriæ, quæ propterea multis annis vacauerat, cùm non reperiretur, qui illam acceptare vellet.

* qui poteſt etiam ſine cauſa vnire beneficia, vt per Rotam rec.p.2. dec. 506.n.4.
†adde Mant. dec.87.n.3.

---

Tres deciſiones ſequentes deficiunt, quia non erant alicuius momenti, ideo non ponuntur.

### *Regien. Prioratus.*

Die Veneris 10. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Regulæ de annali vt ſit locus, requiritur poſſeſſio annalis pacifica, per annum immediatè præcedentem ipſam impetrationem.*

2 *Sententia per appellationem ſuſpenditur.*

3 *Commiſſio data ad plures articulos, licèt in vno declaretur non ex eo extinguitur lis.*

4 *Cauſa quæ continet diuerſos articulos, ſi copulatiuè committatur, intelligitur æquè principaliter ad omnes articulos commiſſa.*

## DECISIO DLXXVI.

ROta cenſuit, regulam de annali non obſti- 1. tiſſe Dominis de Tacculis, cui vt ſit locus, requiritur poſſeſſio annalis pacifica per annum * immediatè præcedentem ipſam impetrationem. Sarnenſis *de annali*, q.50. & *ibidem* Mandozius *quæſt.*54. *num.*2. Guidobonus *deciſ.* 149. Veral. *deciſ.*21. *num.*3. *part.*3. talis autem annalis poſſeſſio pacifica non aderat in hac facti ſpecie, ſtante lite mota, ab aliis præſentatis ad hunc Prioratum, in qua licèt R.P.D. meus Pamphilius tulerat ſententiam ad fauorem Camilli Boſſij poſſeſſoris, illa tamen fuit ſuſpenſa per appel- 2. lationem: † & licèt fuerat deſerta, & ad fauorem Boſſij extinxerit litem, Sarnen. *quæſt.*44. *ſuper regula de annali*; quia tamen non ſolùm fuit per Florinum collitigantem commiſſa in Rota cauſa appellationis, ſed etiam cauſa nullitatis, & notoriæ iniuſtitiæ, per dictionem copulatiuam, quo caſu cenſetur æquè principaliter commiſſa.

*adde infrà dec.591.n.2. vbi hæc deciſio fuit cõfirmata, & Durand.dec. 45.n.1. & 2. & Cocc.dec. 292.n.1.
† hoc intellige de appellatione iudiciali, quę ſuſpẽdit, ſed non extraiudiciali, vt ſuprà deciſ. 267.n.8.& 9.



3. commiſſa.* Puteus *deciſ.*172. *lib.*2. ideo licèt diceretur deſerta cauſa appellationis, non tamen cenſebatur deſerta † cauſa nullitatis, ſuper qua nunquam fuerat pronunciatum. Bartolus *in l. ſi*
4. *expreſſum, num.*10. *ff. de appellat.* Francus *in cap. dilecto, eodem tit. quæſt.*58. *num.*171. Couarruu. *in pract. quæſt. cap.*24. *num.*8. Ruinus *conſil.*34. *n.*10. *verſ. nec obſtat. lib.*5. & fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Cardinale Lancelloto, tunc Rotæ Auditore, in cauſa Calagurritana decimarum die 20. Februar. 1579. vbi fuit animaduerſum, quòd deciſio Achillis 15. *de reſcript.* quæ quodammodo videbatur indicare contrarium, procedit ſolùm, quando conſtat notoriè de non iure committentis cauſam, in caſu propoſito non conſtabat expreſsè de non iure eorum, qui cauſam commiſerant.

* de hoc art. Rota diuerſ. p.3.lib.2.deciſ.108. n.1.
† adde Lud. dec.399.n.5. & 6.

5. Supradictis accedebat, quia in hac cauſa, ante lapſum fatalium aderat alia commiſſio ſuper ſubreptione litterarum Apoſtolicarum prouiſionis Boſſij, & priuationis ipſius, quæ fuerat auocata ad Curiam, & commiſſa Domino Rubeo.

Reperiebatur etiam de anno 1589. præſentatus Achilles, qui venerat ad cauſam, & obtinuerat compulſoriales, & produxerat iura, & hæc cauſa nondum erat finita, quæ cùm eſſet diuerſa ab illa, in qua pronunciauerat Dominus Pamphilius, inter Boſſium, & Florenum, ſuper nullitate præſentationis Floreni, faciebat ceſſare curſum pacificæ poſſeſſionis, itaque de anno 1591. quo ſuperuenit gratia Achillis, nulla aderat pacifica poſſeſſio annalis ipſius Boſſij.

---

### *Placentina Capellaniæ.*

Die Lunæ 13. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Actor ſi iuſtificauit ſuam gratiam, fit reus, & ideo reus conuentus factus fuit actor quoad hunc effectum, quia tenetur ſuam gratiam iuſtificare.*

3.4 *Negatiua non boni iuris, quomodo fiat.*

5 *Publicatio reſignationis vt valeat, debet eſſe intra ſex menſes.*

6 *Negatiua temporis probatur, ſi extra illud, factus ſit actus.*

7 *Gratia obtenta lite pendente, non facta mentione illius, eſt nulla.*

8 *Executioni affirmanti, omnia eſſe iuſtificata, non creditur, niſi quatenus apparet ex actis.*

## DECISIO DLXXVII.

1. PRæſuppoſitis deciſionibus in hac cauſa factis, & aliis vtrinque deductis, dubitaui, an tempore prouiſionis Iulij de Beccaria, eſſet Auguſtino Auergnato aliquod ius quæſitum, vel aliàs conſtaret de aliquo illius bono iure, ad effectum de quo agebatur, quæ inſpectio fuerat neceſſaria, ad verificationem clauſulæ, quam Sanctiſſimus appoſuerat in noua gratia Iulio conceſſa 10. Calendas Maij ann. 1595. videlicet, dummodo tempore datæ non fuiſſet alicui ius quæſitum, nam in cæteris, vt in multis deciſionibus dictum fuerat, gratiæ Iulij ſufficienter erant iuſtificatæ.

Et Rota vtraque parte informante, negati- 2. uè reſpondit: nam ſtante gratia Iulij iuſtificata, Auguſtinus reus, * poſſeſſor, gratiam ſuam iuſtificare tenebatur, cuius reſpectu cenſetur actor. *l. quinquaginta ff. de probationib.* Crauetta *conſil.* 226. *num.* 7. & tenuit Rota in cauſa Cæſarauguſtana Parochialis die 14. Nouembris coram Reuerendiſſimo Robuſterio, & nuper in cauſa Firmana beneficij die 13. Maij 1596. coram R. P. Domino meo Pamphilio, & conſe- 3. quenter Auguſtinus, qui prætendebat excludere Iulium vigore reſignationis * ſibi factæ, debebat producere reſignationem validam, & illius narratiuam iuſtificare, quod minimè cum præſtitiſſe conſtabat ex actis, ex quorum re- 4. ſolutione † probabatur negatiua non boni iuris ipſius, cùm in eis non appareret de valida reſignatione, cum publicatione ſcilicet legitimo tempore facta: hoc enim modo præ cæteris negatiua non boni iuris probari ſolet. Crauetta *conſil.* 138. *num.* 5. Verallus *deciſione* 192. *num.*3. *parte* 3. quòd ſæpe aliàs Rota ſenſit, vt in Calagurritana Theſaurariæ coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, die 4. Februarij 1579. & in Feſulana perceptoriæ coram Domino Rebuſterio die 27. Ianuar. 1563. & coram me in cauſa beneficij del Roſal die 8. Nouembr. 1593.*

* adde infrà dec.791.n.7.
* adde Cau. dec.214.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.
† adde Dur. dec. 38. n.8. vbi alias dec. allegat, & annota. ad Lud. dec.416.n.8.
* ſuprà dec. 538.n.12.

Neque ſupradictis obſtabat, quòd cùm Iu- 5. lius veniret per obitum, ſufficeret eum excludere per reſignationem, etiam non publicatam, quia cùm in hac propoſitione quæreretur, an ex ea fuiſſet ius Auguſtino quæſitum, neceſſarium erat reſignationis * validitatem oſtendere: inualiditas autem ex eo colligebatur, quia ex proceſſu † non apparebat publi- 6. cata, niſi poſt ſex menſes, cùm negatiua non publicationis in tempore, remaneat probata ex publicatione extra tempus. Romanus *conſil.* 350. *n.*20. Crauetta *conſ.*134. *num.*44.

Gratia verò reſtitutionis ab Auguſtino impetrata, eo potiſſimum nomine ei non ſuffragatur, quia fuit obtenta lite pendente, nulla tamen facta litis mentione. Ancharanus *conſil.* 16. *numer.* 5. Felinus *in cap. cæterùm, numer.* 2. *de reſcript.* Cæſar de Graſſis *deciſ.* 1. *de Cleric. non reſident.* & fuit dictum coram me in vna Vrgellen. Archidiaconatus, * & in alia Leodien. Canonicatus, † latè Gabriel *concluſ.*4. 7. *tit. de iudic.*

In multis quoque aliis capitibus gratia Au- 8. guſtini non apparebat iuſtificata, vt oſtendebant informantes pro Iulio, quæ non cenſebantur iuſtificata ex aſſertione iudicis executoris, affirmantis omnia fuiſſe verificata, quia ei non creditur, niſi quatenus apparet * ex actis, *cap. quoniam contra, de probationib.*

In illo fundamento adducto per Dominum 9. Hippolytum Merendam, informantem pro Iulio, quòd cùm Auguſtinus haberet ſolùm gratiam in forma Dignum, & reſignans obiicit ante purificatam gratiam, beneficium vacauerit per obitum reſignantis, non autem per reſignationem, Domini non cenſuerunt in hac propoſitione immorandum, tum quia ex prædictis conſtabat de non iure Auguſtini, tum quia hoc fundamentum indigebat particulari diſcuſſione,

* adde infrà dec.632. vbi alias dec. annotaui.
† adde infrà dec.512.n.8. & Garcia de benefic.11.p. cap.3.n.304. vbi allegat hanc deciſionem in dec. per eum adducta coram Pamphilio, & vide ſuprà dec.361.
* ſuprà dec. 208.n.2.
† ſuprà dec. 525.n.5.
* adde infrà dec.872.n.4.

ne,& ſuper eo erat datum dubium in alia cauſa, quæ nondum fuerat propoſita.

---

## *Ferrarien. Capellaniæ.*

### Die Mercurij 15. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio probatur per inſtrumentum captæ poſſeſſionis, quod ſufficit ad obtinendum mandatum de manutenendo.*
*quod intellige ſi non ſit alius in poſſeſſione, num. 2.*
3 *Appellationis effectus eſt, reducere cauſam ad ſtatum in quo priùs erat.*
4 *Petitorium nihil commune cum poſſeſſione habet.*
5 *Manutentio vt obtineatur, non requirit tituli productionem, vel producti iuſtificationem.*

### DECISIO DLXXVIII.

1. VNa tantùm parte pro Alexandro Furlano informante, Rota cenſuit, ei fuiſſe dandum mandatum de manutenendo in Capellania Sancti Michaëlis de Perlo; quia de illius poſſeſſione conſtabat, ex inſtrumento captæ poſſeſſionis, per quod probatur poſſeſſio, *l. prædia*, vbi Bartolus, & communiter Doctores, *ff. de acquirend. poſſeſſ. l. non idcirco.* vbi Baldus, *C. de fide inſtrument.* Rolandus *conſ. 46. num.* 18. *& ſeq. lib. 2.* Puteus *deciſ. 360. n. 8. lib. 1.*

2. Inſtrumentalem autem poſſeſſionem * alio non exiſtente in poſſeſſione, manutenibilem eſſe, & quo ad eius effectus ſuffragari, exploratum eſt. Rota *deciſione* 21. *de reſtitut. ſpoliat. in antiq.* Caſſadorus *deciſione* 20. *in fine, de præbend.* & fuit ſæpe deciſum; vt in Cuſentina Parochialis die 22. Aprilis 1594. coram R.P.D. meo Pamphilio, & in Siracuſana beneficiorum die 4. Decembris 1596.

* adde infrà dec. 708. n. 2. vbi alias dec. annotaui, Caualer. dec. 2. n. 2. & dec. 432. n. 1. Durand. dec. 4. n. 4. & deciſ. 13. dec. 114. & 132 & 138. & aliàs ſæpe.

Quibus non refragabatur ſententia Vicarij Epiſcopi Ferrarien. qui eundem Alexandrum,
3. tanquam poſſeſſorem trium ſimplicium beneficiorum, abſque diſpenſatione, prædicta Capellania priuauerat, quia cùm ab illa ſententia eſſet appellatum, per appellationem * cenſebatur cauſa reducta, & repoſita in ſtatu, in quo priùs erat, ita vt omnia poſſent fieri, quæ poterant in prima inſtantia poſt litem conteſtatam. Sarnenſis *ſuper regula de annali, quæſt.* 2. vnde Alexander perinde veniebat manutendus poſt appellationem interpoſitam, à ſententia contra ipſum lata, ac manutendus fuiſſet ante ipſam ſententiam, *cap. 2. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. cap. 1. vt lite pendent.* vbi gloſſ. *in verb. deferre Crucem.* gloſſ. *in cap. 2. de reſtitut. in integrum.*

* adde Cau. dec. 242. n. 2. & dec. 315. n. 1.

Andr. Gail. lib. 1. obſeru.

4. Rurſus non obſtabat Alexandro, in hoc articulo manutentionis obiectio ſibi oppoſita de pluralitate beneficiorum abſque diſpenſatione, quia præterquam quòd iſta inſpectio reſpiciebat petitorium, quod nihil habet commune * cum hoc iudicio, *l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquirend. poſſeſſ.* reſpondebatur, etiam ad effectum obtinendi manutentionem, non requiri aliquam tituli productionem, vel producti iuſtificationem. Rota in vna Bononien.

* adde ſuprà dec. 39. n. 8. & deciſ. 111. n. 2. & deciſ. 448. n. 6.

5. * iuriſdictionis, coram Domino Cardinale Lancelloto, tunc Rotæ Auditore die 1. Februar. 1574. & fuit dictum in vna Firmiana beneficij die 19. Martij 1593. coram Domino Cardinale Blanchetto, & in alia Lucana beneficij die 17. Iunij 1594. coram R.P.D. meo Litta.

* habetur p. 1. in impreſſis diu. deciſ. 595. n. 1. & 2. & adde Dur. dec. 120. n. 2. & 3. vbi alias dec. allegat, & deciſ. 407. n. 4. & de hoc articulo plures dec. allegat Poſtius obſeru. 15. & obſeru. 42. n. 48. & poſt tr. dec. 112. n. 8. & deciſ. 113. n. 9.

---

## *Tullen. ſubſidij Charitatiui.*

### Die Veneris 24. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Parochialitas probatur ex exiſtentia Rectoris cum congrua, & certa portione decimarum, vt adminiſtret Sacramenta.*
3 *Subſidium charitatiuum debetur, ſi adſit Parochialitas, etiam in regularibus.*

### DECISIO DLXXIX.

1. PRopoſita cauſa ſuper eiſdem, vtraque parte informante, Domini ſteterunt in deciſis die 4. Decembr. proximè præteriti, * videlicet Monaſterium S. Manſueti habere Parochiam ad effectum, vt ſubſidium charitatiuum Epiſcopo Tullen. ſoluere teneretur, nam omiſſo nunc illo capite, reſpiciente Abbatis priuationem † ob non promotionem, (in quo magis exacta, & euidentior probatio parochialitatis, ſeu curæ animarum requirenda foret,) ad effectum ſolutionis huius ſubſidij, non erat neceſſaria alia magis diligens parochialitatis probatio, quàm quæ oriebatur ex dictis teſtium, affirmantium in Mona-
2. ſterio Sancti Manſueti adeſſe Parochiam, quia Abbas tenet ibi Vicarium, ſeu Rectorem cum congrua, & certa portione decimarum, vt Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtret incolis ſuburbiorum S. Manſueti.

* ſuprà dec. 566. vbi plura conducentia ad materiã ſunt adducta, & vide infrà deciſionem 598. & 674.
† de quo articulo infrà dec. 594. latè agitur.

3. Quod etiam cenſebatur confirmari ex donatione anni 1163. ex cuius ſerie petebat, non fuiſſe datam ſolam ſuperioritatem, ſed etiam curam animarum exercendam per Vicarios ab ipſo Abbate, inibi conſtituendos, quod ſufficiebat ad effectum ſolutionis ſubſidij, per receptam doctrinam Guilielmi de Monte Lauduno, quem alij laudant *in Clement. frequens, num. 5. de exceſſib. Prælator.*

4. Quibus non refragabatur dicere, quòd Abbates S. Manſueti, de ſua portione nunquam ſoluerant ſubſidium charitatiuum, quia iſta negatiua non ſolutionis, non apparebat legitimè probata; licet verò executores Epiſcoporum deputati ad huiuſmodi ſubſidij exactionem, aliquando non exegerint, non ideo Abbates cenſendi erant ab eo onere immunes, quinimo inde factum fuit initium liti, quam propterea mouerunt contra Abbates, ſoluere recuſantes.

---

## *Romana hæreditatis de Milonijs.*

### Die Veneris 24. Ianuarij 1597.

### DECISIO DLXXX.

1. DOmini permanſerunt in deciſione facta in hac cauſa, die 4. Decembris 1596. * non obſtantibus

* ſuprà dec. 565.



obſtantibus difficultatibus, quas ibi reſeruaueram, vt Domina Lucida teneretur præſtare cautionem pro fructibus quadringentorum ſcutorum, ſuper quibus Europa poterat moleſtari ab hæredibus Antoninæ, niſi contractus initus de anno 1578. inter Antoninam Taurinetam ex vna parte, & Petrum Antoninum, & Lucidam coniuges ex altera, in quo promiſerant ſoluere Antoninæ, dum viueret, ſcuta quadraginta annua, decideretur vſurarius, & ſtabiliretur deciſio facta die 4. Iunij 1593. * coram me: nam tunc ceſſantibus moleſtiis, quas Europa poſſet pati ab hæredibus Antoninæ, ſcuta quadringenta, de quibus agebatur, depoſitata penes mercatorem, poſſent, & deberent ſine aliqua cautione Lucidæ reſtitui.

* ſuprà dec. 307.

2. Quod verò, à die depoſiti, ad hanc cautionem Lucida teneretur, ſuadebat primùm ſententia lata à Domino Cardinale Iuſtiniano, per quam Europa compellebatur, reſtituere Lucidæ ſcuta cccc. & viciſſim, Lucida damnabatur ad aſſecurandam Europam, quod nullum damnum eſſet paſſura, occaſione dictorum quadraginta ſcutorum annuorum, ad eumque effectum Europa, citata Lucida depoſuerat penes mercatorem, prædictam pecuniarum ſummam.

Idem ſecundò ſuadebat factum Lucidæ, quæ videbatur acceptaſſe decretum prædictæ ſententiæ, ex quo iam ſemel obtulerat cautionem, pro recuperandis dictis pecuniis, quamuis eas habere non potuerit, ex eo quòd cautio non fuerat idonea iudicata.

Et ex his fuit concluſum, Lucidam non potuiſſe euitare hanc aſſecurationem, niſi denuo diſputaretur, & confirmaretur deciſio, ſuper inualiditate * prædicti contractus.

* de quo ſuprà in d. dec. 307.

---

## *Tullen. Monaſterij S. Manſueti.*

### Die Lunæ 27. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Clericus concubinarius, etiam publicus, non eſt ipſo iure beneficijs priuatus.*
2 *Priuatione beneficij, vt ſit locus, ratione delicti, concludens probatio eſt neceſſaria.*
3 *Teſtes deponentes de voce, & fama publica, non faciunt concludentem probationem.*
4 *Concubinatus non probatur per teſtes de voce communi, & fama publica.*
5 *Probationem ſemiplenam non facit fama, quando agitur de crimine, etiam ciuiliter intentato.*
6 *Fama publica oritur ex bonis viris, non verò ex maleuolis.*
7 *Fama publica ſuccedit loco accuſatoris.*
*Indicium facit, ſed non probationem, n. 8.*
9 *Teſtes vt probent, debent attingere tempus, ante litem motam.*
10 *Teſtes præmeditato ſermone deponentes, & ſeſe diuerſantes ad alios ſermones, ſunt ſuſpecti.*
*Quod ceſſat, ſi teſtes ſint plures, n. 11.*
12 *Teſtis examinatus ab agente partis, non probat.*
13 *Teſtis vnicus contra producentem non probat.*
*Niſi adminiculetur cum alio teſte, n. 14.*
15 *Concubinatus vt probetur, requiritur eſſe cum continua cohabitatione domus, & lecti.*



16 *Concubinarius Clericus, quis dicatur.*
17 *Notario fides non datur niſi ex inſtrumento per eum deducto in publicam formam.*
18 *Probatio, quæ fit per,* hoc eſt, quia poteſt eſſe, *non eſt legitima.*
19 *Clericus teſtans in fauorem filiorum ſuorum illegitimorum, amittit omnia bona.*
20 *Inueriſimilitudo, imaginem falſitatis inducit.*
21 *Teſti inueriſimilia deponenti, non creditur.*
22 *Suſpicio contra inſtrumentum oritur, ſi teſtis nominatus contradicat contentis in eo.*
23 *Clerici concubinarij acri cenſura ſunt puniendi.*
24 *Concubinatus Clerici non inducit ipſo iure beneficij priuationem.*

### DECISIO DLXXXI.

VTraque parte informante, propoſui dubium à Rota præſcriptum, an probaretur concubinatus Abbatis Nicolai vſu maris, cum quadam Catharina la Roſne, ad effectum, vt vel ipſo iure foret priuatus Abbatia, vel ſaltem veniret per ſententiam priuandus. 1.

Et Rota primum cenſuit, Clericum concubinarium * etiam publicum, non eſſe ipſo iure beneficiis priuatum, quia nedum aliquo expreſſo iure Pontificio id non apparet ſancitum, quinimo apertè videtur conſtitutum contrarium *in c. ſicut, & in cap. ſi autem, de cohabit. Clericor. & mulier.* Concil. Trid. *ſeſſ. 25. c. 14. de reformat,* quibus cauetur, Clericos concubinarios, priùs eſſe monendos, inde ſuſpendendos, & tandem ſi non reſipiſcant, à ſuis beneficiis perpetuò remouendos, quod etiam adnotauit Philippus Probus *in additionibus ad gloſſas pragmaticæ ſanctionis, tit. de concubinarijs. §. necnon, in verb. priuat.*

* de hoc articulo latè agit Farinacius lib. 1. ſuorum cõſi. conſilio 80. vbi n. 51. ponit ad litterã hanc dec.

Rurſus pronunciauit, quòd cùm in hac facti 2.
ſpecie tractaretur de probando delicto concubinatus, ad effectum priuationis * ipſo iure impoſitæ, vel imponendæ, neceſſaria erat plena, & concludens probatio, etiamſi ciuiliter ageretur, quod regulariter verum eſt in omnibus delictis, in quibus agitur ad priuationem, velut in ſimonia, † vſura, & ſimilibus, gloſſ. *in cap. veniens el 1.* vbi Abbas *num. 4.* & Decius *num. 8. de teſtib.* Alciatus *conſil. 2. num. 41. tom. 1. lib. 1.* Natta *conſil. 299. num. 15. in fine, verſ. quia reſpondetur, lib. 2.* & hanc ſententiam Rota amplexa eſt in multis cauſis, vt in illa Firmana * Capellaniæ die 7. Maij 1582. verſic. *effectuatio non obſtat,* coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, & in vna Tullen. Parochialis die 28. Maij 1593. coram R. P. Domino meo Seraphino, † & in alia Calagurritana confidentiæ die 25. Iunij ann. 1193. coram R.P. D. meo Pamphilio, & aliàs ſæpe.

* vide infrà deciſ. 1119. n. 2.
† adde Lud. deciſ. 517. n. 23. & plures dec. allegatas per Farin. tomo 1. ſuorum conſil. conſilio 75. à n. 38. & quæ ipſe tradit à n. 25.
* habetur penes Farinaciũ tom. 1. conſiliorum cõſ. 75. n. 40.

Ex quibus inferebatur, per teſtes deponentes de publica voce, & fama, non oriri legitimam 3.
probationem. * Mohedanus *deciſione* 160. aliàs 4. *num. 2. tit. de probat.* Cæſar de Graſſis *deciſione* 184. aliàs 2. *num. 2. de accuſat.* Verallus *deciſione* 8. incip. *Fama, parte* 2. Gabriel *de probat. concluſ.* 1. *numer.* 13. & in terminis publici concubinatus, quòd non probetur per teſtes de publica voce, & fama, extat deciſio Rotæ 60. diuerſor. in manuſcript. incip. *Die 15. Nouembris, in vna Peruſina.* per doctrinam Felini *in cap. ſuper his, de accuſat.* & ratio eſt, quia quando agitur de 4.
crimine, etiam ciuiliter intentato, fama nec etiam

† in impreſſis Seraphin. dec. 1029.
*concubinatus ad effectum conſequendi dotẽ, vel alimẽta, probatur per duos teſtes de publica voce & fama. Rota rec. p. 1. dec 444. n. 4.

5. etiam ſemiplenam * probationem facit. Baldus *in cap. tam litteris, num.*1. *de teſtib.* Butrius *in cap. veniens, num.*10. & ibi Abbas *num.*9. *de teſtib.* Natta *conſ.*18. *num.*13. *lib.*1. Verallus *deciſione* 8. *num.*1. *parte* 2.

* adde Lud. deciſ.517.n. 24.& 25. Seraphin. dec. 376. n.11.& 12 Rota rec. p 2.dec.358. n. 8. & Rota diu. p 1. dec. 82. n.2. & 6. & infrà dec. 658.n.4.&5.

Quibus accedebat, quia neque teſtes, qui de publica voce, & fama concubinatus teſtificabantur, explicabant, à quibus perſonis fama habuerit originem, cùm tamen oporteret eos dixiſſe, ſe id audiuiſſe à viris bonis, & honeſtis, † nam cùm ab inimicis, & maleuolis oriri ea
6. fama potuerit, tanquam vana populi vox, ſpernenda foret. *cap. in cunctis* 11. *quæſt.*3. *cap. qualiter, & quando, el* 2. *verſ. non quidem à maleuolis, de accuſat.* Bermundus Cober. *tractat. de public. concubinar.* ſuper illius verbis, *in Concilijs etiam Prouincialibus, in cap. incip. unde traditur regula, num.*1. *verſ. & ad probandam diffamationem,* Coſmas Gumier *in pragmatica ſanctione, tit. de concubinarijs.§.in concilijs, in verb. diffamatos.* Robertus Maranta *conſil.* 6. *num.* 18. *verſ. vltra prædictas rationes.* & hanc opinionem Rota profitetur, Achilles de Graſſis *deciſione* 321. aliàs eſt 8. *num.* 4. *de iurepatronatus*, in impreſſis: & idem fuit deciſum in vna Calagurritana confidentiæ coram me die 14.Decembr.1592.* quod optima ratione munitum eſt, quia cùm fama
7. ſuccedat loco accuſatoris, *dicto cap. qualiter & quando, de accuſationib. & cap. licèt Heli, de ſimonia,* & notat gloſſ. *in cap.*1. *in verb. inquirere, de officio iud.* ſicut non adhiberetur fides accuſatori, vel denunciatori maleuolo, ita nec ei famæ credendum eſt, quæ vel à maleuolis fuit orta, aut incertum eſt, an à talibus originem traxerit.

† adde ſuprà deciſ. 270. n.18.

*ſuprà dec. 270.

8. Et denique, cùm legitimè fama probata eſt, non probationem, ſed delicti ſolùm operatur indicium. Marſilius *in l. de minore. §. plurimum, num.*30. *ff. de quæſt.* Aretinus *in cap. veniens, numer.*36. *de teſtib.* Pariſius *conſ.*153. incip. *In cauſa iſta, num.*12. *lib.*4. idem Marſilius *conſ.*3. incip. *Sæpè, ac ſæpius decreui, num.*5.

9. Itaque, quamuis teſtes fuiſſent legitimè examinati, & attigiſſent tempus ante litem motam, vt fieri oportet, * Tobias Nonius *conſil.*99. *numer.* 29. Decius *conſil.* 82. *num.* 1. Verallus *deciſione* 413. *parte* 1. *& deciſione* 9. *parte* 2. & fuiſſent legitimè repetiti, aut habiti ab eodem Abbate pro repetitis, ob præcedentes rationes non probaſſent famam, quæ releuaret ad effectum priuationis.

* adde Lud. deciſ 325. n. 12. & deciſ. 382.n.2. Mantic. dec.211. n.9. Seraph. deciſ. 1103. n.4.

10. Conſiderabatur etiam, eoſdem teſtes non ſolùm incidenter, & præter inſtitutum, de quo agebatur, nempe de valetudine Abbatis, ſed ſatis etiam audacter contra illum, per eundem ferè præmeditatum ſermonem diuertiſſe ad teſtificandum ſuper concubinatu, vt ſuſpecti propterea meritò redderentur. Crauetta *conſil.* 78. *num.* 11. Cæſar de Graſſis *deciſione* 128. *num.* 7. Baldus *conſil.* 455. *lib.* 3. Imola *conſil.* 134. *in fine.*

11. Et licèt iſta ſuſpicio ceſſet, quando teſtes ſunt plures, cùm non ſit veriſimile, multos facilè ſubornari, aut corrumpi potuiſſe, id tamen intelligitur, quando aliàs ſunt idonei. Natta *conſil.*478. *num.*23. *lib.*2.

Elidebatur præterea non mediocriter illa publicæ diffamationis probatio ſuper concubinatu, ex dictis ſeptimi, & octaui teſtis, qui dicebant, nihil ſe tale in ciuitate Tullenſi audiuiſſe.

Quoniam ſi talis fama in ciuitate viguiſſet, veriſimiliter eam duo illi teſtes intellexiſſent, ac de ea depoſuiſſent. *l. regula ff. de iuris & facti ignoran. cap.*1. *de poſtulat prælator.* Crauetta *conſ.* 57. *num.*10. *verſ. profectò ſi talis fama*; & fuit deciſum coram me in cauſa Burgen. Abbatiæ de Sobarzo die 16. Iunij 1589.*

* ſuprà dec. 32.

Addebantque rurſus, prædictam Catharinam fuiſſe publicam meretricem, & ante tres annos habitaſſe in ea parte ciuitatis Tullen, quæ appellatur *la porta Malpertuſa*, longè poſita à domo Abbatis, habuiſſeque domum ſeparatam, quod excludebat etiam prætenſam probationem, vt mox dicetur.

Alteri autem ex iſtis duobus teſtibus, eo nomine fidem adhibendam Rota putauit, quia 12. fuerat inductus, & examinatus ab agentibus contra Abbatem. Romanus *conſ.*104. *prope finem.* Socinus iunior *conſ.*69. *num.*12. *lib.*1. Verallus *deciſione* 268. *parte* 3.

Qui licèt tanquam vnicus plenè non probaret * contra producentem, ex quo tamen cum 13. dicto ipſius concordabat alius teſtis pro Abbate examinatus, negari non poterat, quin inde multum debilitaretur, & confringeretur probatio publicæ diffamationis ſuper concubinatu Abbatis.

* adde Seraphin. dec. 676.n.1.& 2. & Cau. dec. 154. n. 3. & dec.366.n.5.

Ad duos teſtes, ſecundum ſcilicet, & quartum aſſerentes, ſe vidiſſe Catharinam tanquam concubinam in domo Abbatis, & filios ex ea ſuſceptos inibi commorantes, reſpondebatur primùm, ex illis non probari concubinam cum qualitatibus de iure ciuili requiſitis, videlicet cum continua cohabitatione, & communi lecto, & menſa. Crauetta *conſ.*368.*n.*1. Natta *conſ.*474. 15. *n.*4 2.& 43. *lib.*2. Præpoſitus in rubrica *de ſponſalib. num.*5. gloſſ. *in l. concubinam,* vbi Dinus, *ff. de concubin.*

Et licèt Rota non profiteatur hanc opinio- 16. nem, ſecundùm quam facilè eſſet Clericis, concubinas domi non retinendo, eludere pœnas à ſacris Canonibus latas contra concubinarios, ſed aliam, quam tenet Bernardinus Diaz *in practica criminal. Canon.c.*79. *de concubinarijs, in principio, verſ. concubinarium inſuper.* vbi illum Clericum concubinarium rectè dici, & eſſe putat, qui etiam in aliena domo notam fœminam habet, cui ſolet carnaliter commiſceri, ſi de conſuetudine conſtet, & diffamatus eſt in ſua, vel ipſius fœminæ vicinia; dicebatur ſecundò, neque iuxta hanc ſententiam probatum fuiſſe concubinatum, vt ex ſupradictis patet.

Quem ſecundo loco, (vt putabant informan- 17. tes contra Abbatem) nec probabant quidam alij teſtes, aſſerentes Abbatem feciſſe teſtamentum, & in eo Cæſari, & Lucretiæ filiis ſuis ex Catharina ſuſceptis certum aliquid reliquiſſe, quia præterquam quòd non producebatur teſtamentum, de quo non conſtabat, niſi ex ſola relatione Notarij, cui (cùm ad eius cuſtodiam ex officio teneretur) de contentis in eo, niſi in publica forma exhibito, etiam cum iuramento non erat credendum. Federicus de Senis *conſil.* 113. *num.*2. Felin. *in cap. ſicut, num.*9. *de re iudic.* quanquam inde conſtitiſſet de liberorum procreatione, non tamen concludenter probatur 18. concubinatus, tum quia ex ſimplici fornicatione,



tione, & ex bino, tertióve acceſſu ad mulierem, filios ſuſcipere potuerat, cùm non probetur hoc eſſe, quod poteſt non eſſe. *cap. in præſentia, de probat. l. non hoc, C. vnde cognati,* tum quoniam ex iſta liberorum exiſtentia, non inferebatur ad concubinatum de tempore præſenti, cùm licèt ex concubina dimiſſos filios procreauerit, iam ſenex deſtitiſſe potuerit, impudicam fœminam à ſuo conſortio ablegando.

Inueriſimilitudo etiam ſuadebat, aut ſuſpectum, aut leue fuiſſe exiſtimandum hoc genus probationis, cùm vix prudens quiſquam adduci poteſt vt credat, Abbatem adeò ſui fuiſſe immemorem, vt Cæſarem, & Lucretiam, in teſtamento filios ſuos eſſet nominaturus, cùm inde præter pœnam amiſſionis omnium bonorum ex diſpoſitione conſtitutionis * Pij V. contra teſtantes ad fauorem illegitimorum, propriam turpitudinem in publica ſcriptura propalando, honoris etiam iacturam eſſet facturus, nam quod inueriſimile eſt, † imaginem falſitatis induit, Corneus *conſ.*56. *num.*4. *lib.*1. Baldus *in l. fugitiui. C. de ſeruis fugit.* vnde meritò factum eſt, vt non
19. credatur teſtibus, inueriſimilia deponentibus. *cap. nulli,* vbi gloſſ. *in verb. irrationabiliter, de elect.*
20. Socinus ſenior *conſ.*194.*n.*9.*lib.*2.

* habetur in Bullario Cherubini tomo 2. in conſt. Pij V. cõſtitutione 117. pag. mihi 325. & 327.

† adde ſuprà deciſ.521. n. 13.& dec.32. n. 7. & infrà dec.810.n.3.

Tertiò, ad conuincendum Abbatem de concubinatu, agentes contra ipſum nitebantur propria ipſius confeſſione, contenta in quodam inſtrumento confecto per quendam Vinot No-
21. tarium, in quo aſſerebat ille, quòd cùm die 4. Februar. ann. 1594. Epiſcopus Tullen. Abbatem Nicolaum coram ſe comparere iuſſiſſet, eundemque perſonaliter primò, ſecundò, & tertiò monuiſſet, vt infra certum ſibi præfinitum tempus, Catharinam ab eius conſortio, ac aliàs à ciuitate, & ſuburbiis Tullen. ſub pœnis contentis in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. penitus ablegaret, Abbas reſponderat, ſe tale ſcortum ab eius domicilio ablegaturum, ſi illud ablegare deberet; ex hac enim reſponſione inferebatur, Abbatem non negaſſe concubinam, ſed dubitaſſe, an concubinam à ſe expellere teneretur.

Cæterùm, huic probationi Rota parum fidendum cenſuit, cùm inſtrumentum falſi ſuſpicione non careret: nam præterquam quòd id erat contra teſtificationem duorum teſtium, aſſerentium Catharinam ante tres annos habitaſſe in Malpertuſa, vicinia ſcilicet longè ſita à domo Abbatis, (vt ſuprà patuit) & ob id non videbatur tunc in eius conſortio fuiſſe, Dominicus etiam Canonicus, qui appoſitus reperiebatur pro teſte in in-
22. ſtrumento, aſſerebat, nec de monitione Epiſcopi factum fuiſſe inſtrumentum. Nec teſtes fuiſſe vocatos, vnde ſiniſtra ſuſpicio contra Notarium, & eius inſtrumentum oriebatur. Boſſius *tit. de falſis, num.*2.

His accedebat, quia ex dictis aliorum teſtium apparebat, Epiſcopum duas Abbati feciſſe monitiones, vnam ſuper abdicatione ſcorti, alteram ſuper promotione ad alios ſacros Ordines; Abbatem verò illam conditionem *ſi tenear,* appoſuiſſe monitioni ſuper promotione, non autem monitioni ſuper dimiſſione Catharinæ; Notarium autem in hoc fuiſſe infidelem, qui conditionem appoſuerit ei monitioni, quæ nullam patitur, cùm nullus Catholicus adeò ſit impudens, & propriæ ſalutis immemor, qui dubitet,



an ſint ſcorta, & meretrices à conſortio fidelium ablegandæ.

Poſtremò, tametſi omnium Dominorum con- 23. cors ſententia fuerit, acri cenſura coercendos vbique eſſe Clericos concubinarios, ob tria potiſſimum mala, quæ in Chriſtianam rempublicam inuehuntur, primò, quia aliorum, maximè verò laicorum, corda ſcandalizantur: ſecundò, quoniam officium Eccleſiaſticum vituperatur: tertium, quia præſtatur materia peccandi, *cap. ſi mala* 2. *quæſt.* 5. *cap. ſignificaſti, de adulter. & cap. magnæ, de voto.* Concil. Trident. *ſeſſio.*25.*cap.*14. iidem tamen concluſerunt, cùm agitur de priuatione beneficiorum, non eſſe raptim, & feſtinanter ſententias priuatorias proferendas, ſed præter fragilitatem humanam, & pronitatem multorum in venereas voluptates, quarum occultis illecebris, velut acribus tormentis, & machinis bellicis viri etiam ſancti, ſæpe torquentur, ac quatiuntur; penſanda diligenter eſſe, pondere probationum, quæ in hac facti ſpecie, ex eo potiſſimum defuiſſe cenſebantur; quia tametſi ex deductis, pro parte religioſorum Monaſterij S. Manſueti, eſſet probata aliqua concubinatus vmbra, ante monitiones ab Epiſcopo Abbati factas, nullo tamen probationis genere docebatur, Abbatem poſt legitimas monitiones, in concubinatu permanſiſſe: & tamen ad effectum, priuationis, id tempus erat inſpiciendum; cùm enim ob concubinatum non inducatur ipſo iure beneficiorum priuatio, (vt ſuprà dictum fuit) nec ſit inducenda, niſi quando 24. poſt legitimas monitiones* indurato animo Clericus in concubinatu perſeuerat: de hac contumacia non conſtabat, & veriſimile erat, Abbatem ab incontinentia poſt monitiones abſtinuiſſe, tum metu pœnarum ſibi denunciatarum, tum conſiderata longæua ipſius ætate, erat enim ferè ſeptuagenarius, quæ ætas ad militiam Veneris profitendam inepta eſſe putatur.

* adde infrà dec.658.n.7.

## *Placentina Decanatus.*

### Die Veneris 31. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Regulæ de triennali contrauenitur, ſi poſſeſſor veniat contra concordiam initam, virtute cuius poſſidebatur.*

3 *Mora purgatur, cedendo liti, cuius occaſione illa opponebatur.*

4.5 *Purgatio moræ non prodeſt, quando efficitur deterius ius aduerſary.*

6 *Triennalis non prodeſt, ſi adſit clauſula in reſignatione, vt de ea non ſe poſſit iuuare cui reſignatum eſt beneficium.*

## DECISIO DLXXXII.

Rota in hac cauſa reſtrinxerat dubium, ad 1. regulam de treſennali, an illa obſtaret Mirandæ, quam informantes pro Don Petro Decano Placentino obſtare prætendebant ex legitimo temporis decurſu, quia poſt obitum Garciæ de Loayſa, Don Petrus Panyagua die 1. Aprilis ann. 1589. capitulariter acceperat poſſeſſionem Decanatus, & menſe Nouembris ann.

ann. 1592. & ſic poſt triennium Miranda impetrauit Decanatum.

2. Domini tamen vtraque parte informante, regulam non obſtare cenſuerunt: nam ſtatus cauſæ, tempore gratiæ, *ſi neutri*, impetratæ per Mirandam, ita ſe habebat, quia Decanus contraueniendo concordiæ, commiſerat cauſam ſuper nullitate penſionis reſeruatæ in concordia, ideo tunc temporis non poterat iuuari poſſeſſione triennali, quam habuerat vigore concordiæ, cui contrauenit, & eo maximè, quoniam committendo cauſam poſt triennium ſuper nullitate penſionis, & ſic contraueniendo concordiæ, cenſebatur renuntiaſſe eiuſdem regulæ beneficio. Sarnenſis *in regula de triennali, quæſt.* 50. *num.*4. *& quæſt.*61. *num.* 10. Achilles *deciſ.*1. *tit. de triennali.*

3. Neque obſtabat, quòd poſt obtentam gratiam, *ſi neutri*, per Mirandam, Don Petrus purgauerat moram * recedendo à lite, & à penſionis obiecta nullitate, quia reſpondebatur, quòd licèt purgatio moræ operaretur effectum excuſandi Decanum à pœna, & decretis appoſitis in concordia, non tamen operabatur alium effectum, prouenientem extra concordiam vigore gratiæ, *ſi neutri*, ita vt illo medio tempore eidem gratiæ, quæ extrinſecus aduenerat, obſtaret regula de triennali, quæ inſpecto illo tempore non obſtabat, cùm hoc modo efficeretur deterius ius

*adde ſuprà dec.550.n.4. & 5.

4. Mirandæ, quo caſu non eſt licita moræ * purgatio, propterea que verum erat, quòd cùm Don Petrus committendo cauſam ſuper nullitate penſionis, facto ſuo ſibi præiudicauerit, moræ purgatio non reintegrabat illum, ad exceptionem regulæ de triennali, in præiudicium iuris medio tempore, ante moræ purgationem acquiſiti per gratiam, *ſi neutri*. Caſſadorus *dec.*3.*n.*15. *& ſeq. de præbend.* Cæſar de Graſſis *dec.*6.*n.*14. *& ſeq. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

*adde Coc. dec.102.n.5. Seraph. dec. 591. n. 7. & fuit dictum in Viterbien. ſeu Romana fideiuſſionis coram Plato impreſſa per Marcheſ. de cõmiſſio p.1. pag.905.

5. Rurſus non proderat Don Petro clauſula, ad ſuum fauorem poſita in litteris, quibus fuerat Garciæ Anteceſſori Decano, deputatus coadiutor, videlicet, quòd gauderet beneficio regulæ de triennali, quia intelligebatur, quòd durante coadiutoria, antequam eſſet factus locus futuræ ſucceſſioni, poſſit iuuari regula, ſi tamen eſſet elapſum triennium, tempore quo fuerat coadiutor, non autem, quòd poſſet gaudere beneficio regulæ, etiamſi triennium non eſſet decurſum, vel ob aliam cauſam à beneficio eiuſdem regulæ, legitimè excluderetur; & in caſu propoſito contigiſſe videbatur, cùm Don Petrus opponendo penſionis nullitatem, omnibus in ſuum fauorem inductis renunciaſſe cenſeretur.

6. Et eo maximè, quoniam Papa, vt vigore concordiæ æqualitas ſeruaretur inter concordantes, & ne aliquo prætextu alter alterum deciperet, ſicut voluerat Petrum gaudere regula de triennali, & alio decreto, quòd illa gratia de ſubreptionis, aut nullitatis vitio impugnari non poſſet; ita etiam pariter decreuit, vt quamprimum, in præiudicium Mirandæ, opponeret penſionis nullitatem, prouiſio illa cenſeretur facta ad fauorem Mirandæ, & conſequenter, licèt per triennium Don Petrus tacuiſſet, ſi eo tranſacto contrauenitet, noluit tunc regula ſuffragari.

Minus obſtabat dicere, quòd cùm Decanus ſuccubuerit in iudicio agitato ſuper nullitate penſionis, illud ſibi nocere non deberet, & præſertim ad effectum impediendi curſum regulæ de triennali.

Quia non erat verum, Decanum in illo iudicio ſuccubuiſſe, imò ei iudicio propterea ceſſaret, quia Rota pronunciauerat, factum fuiſſe locum decreto ad fauorem Mirandæ, quoad Decanatum.

Et licèt tunc fuerit additum, quòd Decanus poterat purgare moram, cuius purgationem * Rota ex benignitate admittit, hæc tamen (vt ſuprà patuit) non ſuffragabatur, in præiudicium iſtius iuris, & gratiæ, *ſi neutri.*

*de hoc art. vide Ludou. deciſ. 559. n.10.

---

## *Calagurritana præminentiarum de Victoria.*

### Die Veneris 31. Ianuarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *In proceſſionibus minores præcedunt Clerici, vnus poſt alium, & honorabilius in vltimo loco.*
3 *Locus vltimus in dextero cornu, eſt honorabilior in proceſſionibus, & in ſeſſionibus primus.*
4 *Dexter locus honorabilis eſt.*

### DECISIO DLXXXIII.

DIe 29. Nouembr. proximè præteriti * fuerat dictum in hac cauſa, quòd ſi ad tollendas in poſterum omnes controuerſias, partes deſiderabant ſcire, quis eſſet in iſtis Eccleſiis locus 1.

*ſuprà dec. 561.

honorabilior in proceſſionibus? Rota ſuper hoc eis reſponderet, quòd præſtitit in hac propoſitione, in qua, cùm dubitaſſem, qui locus tanquam honorabilior eſſet Rectoribus in proceſſionibus aſſignandus, vtraque parte informante, 2. cùm præſupponeretur, proceſſionem incedere diuiſam in duos choros (vt vbique ferè fieri ſolet,) & in fine proceſſionis in medio, inter duos choros incedere Sacerdotem, planeta ſeu veſte Pontificali indutum, pronunciauit, locum honorabiliorem Rectoribus * in proceſſionibus aſſignandum, eſſe vltimum chori dextri, immediatè poſt cantorem, quia regulariter inter Eccleſiaſticas perſonas in proceſſionibus, minores præcedunt vnus poſt alterum, & digniores ſubſequuntur, Præpoſitus *in cap. perlectis, num.*10. *diſtinct.*25. *& in cap. fin.* §. *Epiſcopos, num.*3. *verſ. & quoniam iſta materia* 17. *diſtinct.* Antonius de Prætis *tract. de iuriſdict. Epiſcoporum, cap.*6. *num.*56. 3. vbi tradit differentiam prælationum quando ſedetur, & quando itur in proceſſionibus: vt in ſeſſionibus, primus locus reputetur dignior, in proceſſionibus verò vltimus honorabilior habeatur.*

*quia digniores præcedere debent. Seraph. deciſ. 1445. n.3. Rota diuer.p.2. dec. 326.n.4.

Dextram autem partem, ſeu Chorum dextrum propterea aſſignandum eiſdem Rectoribus cenſuit, quia is dignior, & honorabilior exiſtimatur. gloſſ. *in l. decernimus, in verb. reſidendi*, vbi Baldus *num.*2. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Caſſanæus *in Catalago gloriæ mundi, parte* 3. *conſiderat.*2. & docuit iam olim Ariſtoteles *lib.*2. *de cælo textu* 8. 4. *& ſeq.* vbi inter differentias poſitionum, dextram ſiniſtræ præferre videtur, quia inde eſt localis motus principium, & abſolutè dextra honoratior eſt, vt copioſè docuit R.P.D. Robertus Bellarminus *in illa controuerſia de comparatione S. Petri, cum beato Paulo, tom.*1. *controuerſ. lib.*1. *de Romano Pontifice cap.*27. & tenuit Rota in vna Oriolen. iuris ſedendi in Choro die 2. Decembr. ann. 1592. coram Illuſtriſſimo Domino Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

*adde infrà dec.817.n.5. & Lud.deciſ. 310.n.22. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſionem, & ibi annota.n.8.



---

## *Peruſina reintegrationis.*

### Die 7. Februarij 1597.

SVMMARIVM.

3 *Probare tenetur qualitates diſpoſitionis, qui ſe fundat in ea vt ſibi competat ius aliquod.*
4 *Actor vt vincat, tenetur probare ſuam intentionem.*

### DECISIO DLXXXIV.

1. PRæſuppoſito ſtatuto Peruſino *ſub rubrica* 45.

Et illius reformatione *in* §. *item ſtatuimus, quòd fœminæ*,

Et inſtrumentis emptionis, & poſſeſſionis D. Horatij Oricellarij, & aliis de quibus in actis, dubitaui, an eſſet locus eidem ſtatuto ad fauorem D. Alphonſinæ Ballionæ contra Horatium:

Et Rota, Horatio tantùm informante, negatiuè reſpondit, non fuiſſe locum ſtatuto ad fauorem Alphonſinæ: nam cùm ſtatutum expreſsè in hæc verba ſanciret, quòd bona alienata per maſculos, vel aliquem eorum, à quibus ipſæ mulieres, per ſuperexiſtentiam maſculorum fuerint excluſæ, eorum, vel eius portionem non tranſcendentia à tertiis cum titulo poſſeſſoribus, non poſſint vocari, ſeu repeti, virtute reintegrationis, ſed ſolùm dumtaxat debeant in portionem alienantis computari; quatenus verò portionem alienantis tranſcenderent, dictis mulieribus, & dictis earum deſcendentibus in caſu reintegrationis, ius ſaluum remanere.

2. Et Dominus Horatius eſſet tertius poſſeſſor cum titulo proculdubio ſi Alphonſina volebat ſtante priuilegio, reintegrari in prædio nuncupato la Rocha del Conte Angelo, ſito in territorio Peruſino, per Horatium poſſeſſo, tenebatur probare, quòd dicta bona alienata per fratres tranſcendebant ſuam portionem: cùm regula-
3. riter qui ſe fundat * in aliqua diſpoſitione, illius qualitates ſibi competere, probare teneatur. *l. prætor ait.* §. *docere*, vbi Bartolus, & alij, *ff. de vi bonor. raptor.* Decius *conſil.* 261. *num.* 2. Pariſius *conſ.*152. *num.*5. *lib.*4. Tiraquellus *tract. de retract. lignagier.* §. 8. *gloſſ.*7. *num.*1. & 2.

*vide infrà dec.802.n.4. & 5. & deciſ. 612.n.5. Rot. recen.part.2. dec.697.n.1.

4. Id quod eo etiam nomine locum habebat in hac cauſa, in qua cum Alphonſina eſſet actrix, * & diceretur, iſta bona tranſcendere, nec remanſiſſe alia, in quibus poſſet reintegrari, tenebatur ſuam prætenſionem concludenter probare. Bartolus *in l. ſi quis ex argentarijs.* §. *penult. ff. de edendo.* Ruinus *conſil.*81. *in fine lib.*5. Socinus iunior *conſil.*26. *num.*11. *lib.*2.

*& ſemper debet probare fundamẽtum ſuæ intẽtionis. Caual. dec.235. n. 1. Seraph. dec.1189.n.1.

## *Tudertina Parochialis, ſeu Prioratus.*

### Die Veneris 7. Februarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Prior regularis eſt dignitas.*
*Dum durat regularitas, num.* 3.
4 *Dignitatis inſigne eſt, deferre crucem erectam in proceſſionibus.*

### DECISIO DLXXXV.

PRopoſito dubio, an beneficium, ſeu Prioratus de quo agebatur, eſſet dignitas ad effectum, vt quando vacat concurſus fieri, vel non 1.
fieri, debeat coram Ordinario Tudertino, vtraque parte informante reſpondendo, duo Rotæ tempora diſtinguenda putauit, vnum à primæua illius erectione, vſque ad annum 1523. quo tempore conſtabat, hunc Prioratum Sancti Nicolai de Griptis, ciuitatis Tudertinæ, fuiſſe regularem Ordinis Sancti Benedicti, habuiſſeque Priorem, & Conuentum conſtituentem Capitulum, qui & Nouitios ad habitum religionis ſuſcipiebat: & toto iſto tempore cenſuit, fuiſſe dignitatem actu, & habitu. *Clement. ne in agro, de ſtatu Monachorum*, Abbas poſt alios *in cap. niſi eſſent, num.*6. *& in cap. de multa, num.*23. *de præben.* gloſſ. *in Clement. & ſi principalis, in verb. conuentualem.* vbi Bonifacius de Vitalinus *num.*5. *&* 14. *de reſcript.* Rebuffus *ſuper concordatis.* §. *in Monaſterijs, in verb. prioratibus, verſ. nota quòd ſi is.*

Alterum tempus erat ab anno 1523. vſque ad 2.
præſens, quo primum Clemens Papa VII. illum ceperat Clericis ſecularibus in Commendam conferre, ac paulatim deſierunt, in eo habitari Monachi, qui Conuentum, & Capitulum conſtituerent, & reſpectu huius temporis, Rota pronuntiauit, eundem Prioratum deſiiſſe quidem eſſe dignitatem actu, quoniam nec Prior regularis, nec Conuentus Monachalis aderat amplius, in quibus potiſſimum in hac materia conſiſtit ratio dignitatis, * vt patet ex prædictis, re- 3.
manſiſſe tamen dignitatem habitu, qui poſſet facilè in actum tranſire, quando Prior, Monachique in eandem Eccleſiaſticam, vel Eccleſiam reuerterentur, & Conuentum, & Capitulum conſtituerent, iuxta conſilium Iaſonis 77. incip. *In præſenti conſultatione, lib.*1.

*adde Caual.dec.650. num.7.

Quòd verò idem Prioratus habitu retinuerit dignitatem (commiſſis teſtium examinatorum, 4.
pro parte Domini Epiſcopi Tudertini, in quibus non potuit ſtabile fieri fundamentum, ex eo in primis, quia quaſi aſſumentes officium iudicantis negabant eſſe dignitatem,) ſuadebat conſtitutio ſynodalis, in qua Epiſcopus Sacerdotem iſtæ Eccleſiæ præfectum vocabat Priorem concedebat differre Crucem erectam in proceſſionibus generalibus, quod eſt inſigne dignitatis, *c. antiqua, de priuileg.* concurrebat etiam veſtis coloris violacei cum ornamento ſerico coloris rubei: quæ omnia non obſcurè eidem Sacerdoti antiquæ dignitatis ſtatum, & honorem habitu conſeruare videbantur.

Quibus adſtipulabantur teſtes Domini Cardinalis,

dinalis, quibus eo nomine magis credendum Rota putauit, quia reſpectu prædictarum præeminentiarum teſtificabantur conformia conſtitutioni ſynodali, affirmantes propterea meritò iudicandam dignitatem.

An autem ad prædictum effectum concurſus faciendi, vel non faciendi coram Ordinario ſatis eſſet Prioratum fuiſſe tantùm dignitatem, habitu, non actu, placuit Rotæ, vt conſuleretur Sacra Congregatio, Concilij Tridentini interpres.

## *Romana computorum.*

### Die Lunæ 10. Februarij 1597.

SVMMARIVM.

2.3 *Excommunicatus, ſub aliqua conditione, ſi non adimpleat eam, reintrudit in excommunicationem.*

## DECISIO DLXXXVI.

1. PRopoſui dubium in hac cauſa vtraque parte informante, an Proſper Cribellus eſſet reintrudendus in excommunicationem, ſicut fieri debere prætendebant Domini de Saluiatis, tum, quia non fuerat ſimpliciter abſolutus, ſed cum cautione iuratoria de ſtando iuri, & iudicatum
2. ſoluendo, tum quia dederat cautionem ad certum tempus duraturam, quæ iam expirauerat; vnde cùm nec rei iudicatæ paruiſſet, nec cautionem renouaſſet, meritò videbatur reintrudendus, *cap. de cætero, de ſent. excomm. cap. ad noſtram,* vbi Felinus poſt alios, *num. 2. de iureiuran.* Romanus *conſil.* 331. niſi enim reintruderetur in excommunicationem, nunquam ſperabatur rei iudicatæ pariturus.

3. Rota tamen re maturè diſcuſſa, non fuiſſe reintrudendum cenſuit, * tum quoniam reintruſio, quando non fit miniſterio iuris, ſed ab homine, nec ſolet, nec debet fulminari, ſine cauſæ cognitione, an ſcilicet ſubſit noua cauſa iuſta, & approbata. *cap. ſignificauit, & cap. ad reprimendum, de officio ordinar. cap. ſacro, de ſentent. excomm.* Rota *deciſ. 7. num. 1. de ſentent. excomm. in nouis.* tum præterea, quia hæc cauſa modò non remanebat ampliùs in eo ſtatu, in quo erat tempore excommunicationis, nam quantum ad reſtitutionem cuiuſdam libri, qui dederat potiſſimam cauſam excommunicandi Cribellum, ex eo, quòd illum Dominus de Saluiatis non reſtituerat, poſtea ſuperuenerunt aliquot deciſiones Rotales, quibus fuit declaratum, Cribellum (ex quo liber non reperiebatur) ſolùm fuiſſe obligatum ad intereſſe: item non fuiſſe locum iuramento in litem, contra Cribellum, ex eo, quòd non fuerat aliquod intereſſe probatum, denique, nec alicui excommunicationi patuiſſe aditum, cùm in ſimilibus caſibus, non intelligatur, niſi præuia liquidatione.

* de hoc art. vide Couarrun. in cap. alma mater. p. 1. §. 11. n. 6. de ſentent. excom. in 6.

4. Reſpectu reſtitutionis bonorum, *della guardarobba,* minus ferri poterat reintruſio: nam pro illis fuerat condemnatus Cribellus, quatenus oſtenderetur, illum aliqua bona recepiſſe: & donec pro parte dominorum de Saluiatis receptio doceretur, Cribellus grauari non poterat.

Idem iudicium fuit, reſpectu ſolutionis quarundam pecuniarum, quas cum ſola facta liquidatione, & ſubducta ratione debiti, & crediti, Cribellus paratus eſſet ſoluere, nec antea teneretur, non fuerat reintrudendus.

Cùm itaque, hoc tempore, cauſa eſſet ad illum ſtatum deducta, vnde excommunicatio nec originem habere, nec fulminari potuerat, abſque difficultate fuit concluſum, non fuiſſe locum alicui reintruſioni.

Quæ tamen omnia Domini intellexerunt procedere rebus ita ſe habentibus, vt regulariter ſolet intelligi, in omnibus ferè actibus & conuentionibus. *l. quæro. §. inter locatorem. ff. locati.* Ruinus *conſil. 33. num. 7. lib. 1.* Neuizanus *conſ. 51. num. 15.*

## *Maſſanen. penſionis.*

### Die Lunæ 10. Februarij 1596.

SVMMARIVM.

3 *Penſio reſeruata ſuper fructibus, & præcipuè ſuper aliqua parte beneficij, cenſetur reſeruata in omnibus.*

4 *Specificatio adiecta, gratia demonſtrationis, non reſtringit diſpoſitionem.*

5 *Clauſula,* pro vt videbitur tibi, *non reſtrictionem, ſed liberam eligendi facultatem tribuit.*

6 *Penſione reſeruata in pecunia, vel fructibus, electo vno, non datur variatio ad aliud.*

7 *Variatio non admittitur de penſione reſeruata in fructibus, vel pecunia, ſed facta electione, ſoluenda eſt penſio in illa ſpecie.*

8 *Procurator non poteſt nocere principali in rebus requirentibus eius ſcientiam.*

9 *Penſio oneroſa, & de conſenſu partium reſeruata, habet naturam contractus.*

10 *Tranſlatio penſionis iuſtificatur, cum narratiua Papæ reſeruantis, & poſſeſſionis dimiſſione facta.*

11 *Iuſtificatio reſeruationis penſionis probatur, per decurſum triginta annorum.*

12 *Bigamus penſionem acquirere non poteſt.*

## DECISIO DLXXXVII.

1. REſeruauerat fel. record. Paulus Papa III. annuam penſionem ducat. 400. auri de Camera, Camillo de Varano ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis Maſſanenſ. &c. ſeu ſi eidem Camillo videretur, ſuper annua reſponſione 800. ducat. auri in auro ſimilium, quos Camera Apoſtolica eidem menſę annis ſingulis ſoluere tenebatur, ſeu menſa prædicta ab Alumeria S. Cruciatæ appaltatoribus, exigere conſueuerat: idem verò Camillus ducat. 200. in Petrum Gentilem de Varano, auctoritate Apoſtolica tranſtulerat, cum eiſdem modis, forma, & clauſulis, quibus ipſi fuerat reſeruata, Alexanderque Cardinalis Farneſius, tunc Maſſanenſis Epiſcopus eidem tranſlationi conſenſerat, penſionemque dum vixit Petro Gentili abſque contradictione perſoluerat.

Cæterùm, quia in mandatis mercatori directis, quibus idem Cardinalis terminos penſionis ſolui ordinabat, continebantur hæc verba: *per*



*per la ſua penſione, che ſua S. Illuſtriſſima li paga, ſopra li cenſi delle ſumiere;* & inde ſumpta occaſione, modernus Epiſcopus Maſſanenſis prætendebat, Petrum Gentilem, qui elegerat penſionem ſuper dicta annua reſponſione 800. ducat. (quam ante aliquot annos Camera Apoſtolica menſæ Epiſcopali Meſſanenſ. ſoluere deſierat) ſibi præiudicaſſe; ita vt non poſſet illam conſequi ſuper aliis fructibus eiuſdem menſæ, ideo particulari dubio dato, & vtraque parte informante, Rota cenſuit, penſionem deberi Petro Gentili ſuper fructibus dictæ menſæ.

3. Ratio potiſſima fuit, quia penſio fuerat generaliter reſeruata ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis, vnde licèt poſtea gratia demonſtrationis, & pro faciliori exactione, in gratiam penſionarij, in alia ſtatim oratione ſequenti, deſignarentur certi fructus, ſuper quibus penſio exigenda foret, non propterea cenſebatur reſtricta penſio ad illos tantùm fructus ſpecificatos, præſertim cùm non adderetur, ne aliunde exigi poſſet. Gigas *tract. de penſionib. quæſt. 62. num. 4. verſ. ſi autem primò dictum fuiſſet.* Caccialupus *eod. tract. quæſt. 16. num. 8. verſ. ſed ſi primò iuſſiſſet.* latè Felinus *in cap. ad Audientiam el 2. num. 7. concluſ. 6. de reſcript.* Paulus de Caſtro *conſil.* 339. incip.
4. *Quia exceptiones, num. 3. lib. 1.* nam ſpecificatio gratia demonſtrationis adiecta, non reſtringit diſpoſitionem. *l. Paulo Callimacho. §. fin. ff. de legat. 3.* maximè quando fuit facta in oratione diuerſa, pro vt in caſu propoſito. Felinus *in cap. ſuper litteris, num. 4. verſic. & in effectu dicitur, de reſcript.*

5. Huic præterea interpretationi adſtipulabantur illa verba, *ſeu ſi eidem Camillo videbitur,* quæ potius liberam eligendi facultatem, quàm reſtrictionem aliquam ſignificabant. Abbas *in cap. ex parte num. 2. de conſuet.* quaſi Papa in hoc voluerit penſionario gratificari, vt ex omnibus fructibus, ad menſam Epiſcopalem pertinentibus, illos Camillus, & deinde Petrus, Camilli tranſlatarius arbitrio ſuo eligeret, ex quibus faciliorem exactionem ſperaret, ſic tamen, vt quibuſdam voluntariè electis, & poſtea deficientibus, ſeu impeditis, non remaneret ei præcluſus aditus ad petendam, & exigendam penſionem ſuper aliis, qui ad eandem menſam pertinerent.

6. Neque huic deciſioni refragabatur declaratio Cardinalis, ſpecificantis in mandatis mercatori directis, quòd ſolueret dictam penſionem, *ſopra licenſi delle ſumiere;* quaſi penſionarius iam elegiſſet, nec poſſet ampliùs variare, ſicut quando fit reſeruatio penſionis, verbi gratia, * ſcutorum centum, vel fructuum; quo caſu facta electione de exigendis centum, non admittitur variatio ſuper fructibus. Puteus *deciſ. 193. & deciſ. 114. lib. 3.* Achilles *deciſ. 425. ſeu 13. & deciſ. 426.* aliàs 14. *de penſionib.*

* adde Cocc. dec. 31. n. 10.

7. Quoniam reſpondebatur, iſtas deciſiones, & alias ſimiles procedere in diuerſis terminis, quando ſcilicet penſio alienatiuè reſeruatur, vel ſuper certa pecuniarum ſumma, vel ſuper fructibus, & ſic ſuper duabus rebus diuerſis, tunc enim, facta ſemel electione ſuper vna re, quidquid deinde contingat, non eſt licita variatio: † ſecus autem eſt, quando ab initio penſio reſeruatur ſimpliciter ſuper fructibus, vt in caſu propoſito, in quo omnes prædictæ menſæ fuerunt ſimpliciter obligati, quia licèt poſteà ſubſequatur facultas recuperandi penſionem ſuper certa fructuum parte, vt hîc, ſuper dicta annua reſponſione non cenſetur ſic electa res vna, vt electionem ſuper alia re impediat, vel excludat.

† adde Rot. diuer. part. 1. dec. 459. n. 2.

Et eo maximè, quia non conſtabat de aliqua electione Petri Gentilis, quæ ei nocere potuiſſet, cùm ſolùm dediſſet mandatum ad exigen- 8.
dam penſionem; vnde licèt eius Procurator exegerit vigore mandati Cardinalis Famerij, dicentis ſe ſoluere penſionem ſuper cenſibus *delle lumiere;* id non nocuerat Petro, de cuius ſcientia non conſtabat, ſicut conſtare oportebat, ad effectum, vt cenſeretur ſibi præiudicaſſe, renunciando obligationi, quoad cæteros fructus menſæ Epiſcopalis. Bartolus *in l. Pomponius la prima ff. de negot. geſtis.* Puteus *deciſione 397. num. 4. lib. 2.*

Supradictis accedebat, quia agebatur de penſione reſeruata ex titulo oneroſo, & de conſenſu 9.
partium, quæ propterea videbatur naturam habere contractus. Puteus *dicta deciſ. 193. lib. 3.* & conſequenter erat locus variationi. *l. ſerui electio. ff. de legat. 1.* Curtius iunior *conſil. 159. num. 1. lib. 2.* Achilles *deciſione 13. num. 5. de penſionibus.*

Vel ſaltem intelligebatur, rebus ſic ſtantibus, ita vt ſecuta euictione annuæ penſionis, licitum fuiſſet Petro redire ad primæuum ſtatum, & recuperare penſionem ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis, indiſtinctè obligatis.

Ad difficultatem excitatam per informantes pro Domino Epiſcopo Maſſanenſi, ſuper eo, quòd non conſtabat de penſionis reſeruatione, niſi ex aſſertione contenta in tranſlatione, reſponſum fuit, ſufficienter de illa conſtitiſſe, tum ex ſupplicatione originali reſeruationis, tum ex literis tranſlationis, vt benè deducebant informantes pro Petro Gentili.

Quantum ad iuſtificationem narratiuæ anti- 10.
quæ reſeruationis, dicebatur, ſufficere tranſlationem cum narratiua Papæ reſeruantis, & poſſeſſionis dimiſſione, iuxta opinionem, quam Rota amplectitur, Gambara *lib. 6. de poteſt legati, tit. de penſione num. 150. & ſeq.* & fuit deciſum in cauſa Bononien. penſionis die 17. Maij 1593. coram R.P.D. meo Millino. 11.

Pro iuſtificatione etiam ſufficiebat decurſus 30. annorum, * cum obſeruantia, quæ penſionarium releuabant ab onere iuſtificationis, vt ſæpe Rota pronuntiauit.

* adde ſuprà dec. 569. n. 4. & 5. & fuit dictum in Veronen. penſionis coram Veroſpio impreſſa penes March. de commiſſ. p. 2. pag. 555. num. 5.

De poſtremo, an penſio fuerat extincta propter bigamiam Petri Gentilis, in quem fuerat penſio tranſlata, qui tanquam ob bigamiam irregularis, † penſionem acquirere non potuit; Domini particulariter videre voluerunt. 12.

† de hoc art. Rot. rec. p. 2. deciſ. 357. & dec. 519. n. 5. in vna Cæſarauguſtana penſionis coram Lancellotto impreſ. penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pagin. 641. & annot. ad deciſ. 516. Ludou. litt. B.

## *Spoletana legitimæ.*

### Die Mercurij 12. Februarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Bona data in dotem promiſſam, in certa quantitate, facientem portionem, licèt non conſtet de æſtimatione.*

3 *Pater ſoluens pro delictis filijs, ſi ſit adminiſtrator*

*tor bonorum aduentitiorum eius, cenſetur de illis ſolniſſe.*

## DECISIO DLXXXVIII.

1. DOmini ordinarunt, quòd expedirem cauſam in ſecunda inſtantia, ad fauorem Franciſci Pariani, quia ex deciſionibus in eadem cauſa factis coram Illuſtriſſimo Blanchetto die vltima Maij, & coram R.P.D.Decano die 15. Nouembr.1596.* omnis difficultas erat ſublata, & nihil releuans ex aduerſo proponebatur, quod iure poſſet cauſæ expeditionem impedire, nam primum, quantum ad legitimam, quam Baldina prætendebat in bonis Franciſci aui, Franciſcus fuit abſolutus, damnatus tamen ad dotandam decenter Baldinam, iuxta loci conſuetudinem, & ſui ſtatus conditionem, & ad reſtituenda bona aduentitia.

*habetur in impreſſis Seraphini deciſ.1207.

2. Quantum autem ad bona aduentitia in dotem Franciſco auo data, die 15. Nouembr. coram Domino Rotæ Decano † fuit deciſum, fuiſſe data tali æſtimatione, quæ faceret emptionem, & venditionem, & ſcuta 800. per eundem Franciſcum ſoluta pro delictis filij, patris Baldinæ, ceſſiſſe in computum prædictorum bonorum aduentitiorum, per doctrinam Bartol. *in l. Stichus num. 2. ff. de peculio legat.* quem ſequuntur Ruinus *conſil.* 149. *num.* 14. *lib.* 3. & Antonius Gomezius *ſuper l.* 29. *Tauri num.* 20. & alij per hos allegati.

† in d. deciſ. 1207. n. 1. & adde Ludou. dec. 573. n. 4. & annota. n. 16. plures deciſ. allegat, & vide infrà deciſ. 903. in hac eadem cauſa, & Cocc. deciſ. 257. n. 4.

3. Et tandem, quantum ad quantitatem dotis, fuit in Rota ordinatum, quòd Franciſcus teneretur dare in dotem Baldinæ, quàm primùm de conſenſu illius nuberet, ſcuta 2000. monetæ, ſoluenda tamen cum aliqua temporis commoditate, ſeu dilatione, iuxta patriæ conſuetudinem; quibus omnibus, cùm nihil ex aduerſo reſponderetur, placuit deciſa ſeruare, & cauſam in ſecunda inſtantia expedire.

---

### *Veneta illegitimitatis.*

### Die Mercurij 26. Februarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Inferior non poteſt apponere manus, ſi ſuperior eas in cauſa poſuerit.*
3.4 *Reſtitutio non datur, ſi quadriennia ſint tranſacta.*
5 *Læſio enormiſſima reducit cauſam ad terminos iuris communis.*
6 *Nuntius Apoſtolicus poteſt cognoſcere de omnibus cauſis ſub commiſſione contentis.*
7 *Iudici ad quem, tranſportari debent omnia acta proceſſus, aliàs datur nullitas.*
8 *Nullitas prius cognoſcenda eſt à iudice ad quem, ſi pars eam apponat.*

## *DECISIO DLXXXIX.

* habetur hæc deciſio penes Marcheſ. de commiſſ. part. 3. pag. 159.

1. DVæ potiſſimum nullitates opponebantur, aduersùs ſententias latas ad fauorem Alphonſi de Cataneis; prima erat, quia Nuntius Apoſtolicus non potuerat cauſam reſtitutionis committere, ex quo primæ ſententiæ latæ per iudices Eccleſiaſticos, fuerant latæ, vigore Breuium Apoſtolicorum. Vnde cùm Papa appoſuiſſet manum * ſuper iſta iuriſdictione, nullus inferior poterat cauſam committere, maximè poſt multa quadriennia, † cùm tunc nedum appoſitio manus Papæ, ſed ius deneget reſtitutionem. *cap. 1. de in integrum reſtit. lib. 6.* Gambara *de officio legat. lib. 8. num.* 113.

2.

* adde Seraphin. deciſ. 580. n. 1.

† & elapſo quadriennio non datur reſtitutio. Cocc. deciſ. 368. n. 1. & dec. 334. n. 3. & 482. n. 1. licèt Eccleſiæ propter enomiſſimã læſionem detur poſt quadriennium, vt per Cocc. dec. 445. n. 7.

Ad hanc tamen nullitatem Domini reſpondebant, eius releuantiam pendere à iuſtitia, vel iniuſtitia * negotij principalis, quoniam ſi Alphonſus cedendo liti, & cauſæ de anno 1569. & approbando ſententias contra ſe latas, & iurando † non contrauenire, fuit enormiter læſus, tunc licèt ſola paupertas non ſufficeret, ſufficiens tamen aderat cauſa concedendi reſtitutionem * in integrum, prout de iure Puteus *dec.* 446. *lib. 2. num.* 1. tali enim caſu, commiſſio reſtitutionis, nec cenſeretur gratioſa, nec contra ius, & conſequenter nec eſſet Nuntio interdicta, cùm enim per læſionem enormiſſimam res eſſet redacta ad terminos iuris communis, Nuntius vigore ſuarum facultatum poterat reſtitutionem in integrum concedere, cùm comprehendatur ſub generalitate cauſarum delegatarum. Gratus *conſ.* 119. *num.* 29. *lib.* 1.

3.

* adde Lud. dec. 459. n. 2. vbi annot. n. 11. plures dec. allegat, & extende ad iniuſtitiam non notoriã, vt ſit ſufficiens cauſa reſtitutionis. Caual. deciſ. 164. num. 1. Mant. deciſ. 106. n. 2.

Altera nullitas erat, ex defectu tranſportationis † actorum, quia coram iudicibus datis à Nuntio in cauſa reſtitutionis in integrum, Alphonſus non tranſportauerat integros proceſſus, qui tamen vigore Concilij Tridentini *ſeſſione* 24. *cap.* 20. §. *præterea*, transferri debuerant, quod ſæpe Rota pronuntiauit.

4.
5.
6.
7.
8.

Et ex hoc defectu cenſuit, ſententias fuiſſe nullas, quam nullitatem non excuſabat præſumptio boni iuris Alphonſi, & parte opponente iudex de illa priùs cognoſcere debebat. Put. *deciſ.* 72. *num.* 2. *lib.* 3. & dixit ſæpe Rota, vt in Patauina decimarum die 4. Iulij 1576. coram D. de Graſſis, & in vna Verulana ſpolij die 5. Maij 1586. coram Illuſtriſſimo Cardinale Platto, tunc Rotæ Auditore, & coram me in vna Peruſina nullitatis executionis die 26. Maij 1593.†

† ſtante enim iuramento & renuntiatione non datur reſtitutio, vt per Lud. dec. 120. n. 4. & 5.

*ſcilicet læſio, adde Duran. dec. 458. n. 1. Caualer. dec. 149. n. 1. & deciſ. 194. n. 2. & 516. n. 1. Rotam recen part. 1. dec. 87. n. 3.

† adde infrà dec. 807. n. 2. & 629. n. 2. vbi alias deciſ. annotaui.

* ſuprà dec. 290. n. 2. vbi alias dec. annotaui.

Et propterea placuit Dominis, vt Alphonſus cederet iſtis ſententiis propter hanc nullitatem, & videretur de bono illius iure ſuper negotio principali, prout in prima.

---

### *Barchinonen. iuriſdictionis.*

### Die Veneris 28. Februarij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopus viſitare poteſt Eccleſias exemptas, niſi in caſibus exceptis à Trident.* ſeſſ. 25. cap. 11. de regul. & *num.* 4.
5 *Exemptionis in materia ſtrictè procedendum eſt.*
6 *Exemptio licèt probetur, non exinde excluditur ius viſitandi Epiſcopis à Concilio conceſſum.*

## DECISIO DXC.

1. CVm Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus Barchinonenſis vellet viſitare Parochialem Eccleſiam loci de Octauiano, & Abbas Sancti Cucufatis obtinuiſſet ei inhiberi ſub prætextu, quòd eſſet exempta, Congregatio verò Dominorum



Dominorum Cardinalium ſacri Concilij Tridentini interpres ſuper hoc articulo conſulta reſpondiſſet, Epiſcopum habere intentionem fundatam ſuper iure viſitandi * dictam Eccleſiam in Epiſcopi diœceſi exiſtentem, niſi Abbas probaret, illam eſſe in aliquo ex caſibus exceptis à decreto Concilij *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *tit. de regularib.* propterea, vtraque parte informante, propoſito dubio ſuper iſta exceptione, Rota pronunciauit pro parte Abbatis, talem exceptionem non probari.

*de hoc art. vide Ludou. deciſ. 4. Rot. recen. part. 1. dec. 394. n. 1. & 2. & deciſ. 491. n. 1. & ſeq. & part. 2. dec. 501.

2. Primum enim non probatur (id quod nec Abbas Sancti Cucufatis probare prætendebat,) dictam Eccleſiam eſſe ſub illa Concilij exceptione, quòd Abbates generales, aut capita Ordinum ſedem ordinariam principalem haberent in ea; prætendebat tamen, ſe eſſe ſub altera Concilij exceptione, ex eo, quòd iuriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos Eccleſiæ de Octauiano exerceret; quod variis modis oſtendere nitebatur.

3. Primùm vtebatur multis priuilegiis Apoſtolicis, ex quibus patebat, de illius ampliſſima exemptione, & præſertim ex priuilegio Calixti quo, nedum Monaſterium Sancti Cucufatis, ſed omnia præterea illius membra poſſeſſionis, & bona, & perſonæ eximebantur ab Epiſcopo, & ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipiebantur.

4. Sed reſpondebatur, quòd licèt adeſſet iſta pleniſſima exemptio, (quam modò Rota in dubium non reuocabat,) ea tamen vnà cum receptione ſub protectione Sedis Apoſtolicæ non ſuffragabatur Abbati, nec ſufficiebat ad effectum impediendi Epiſcopum, ne poſſet iuxta decreta, & deciſiones Congregationis Sacri Concilij viſitare * *ſeſſ. 7. cap. 8. ſeſſ. 21. cap. 8. ſeſſ. 24. cap. 10. de reformatione, & ſeſſ. 25. cap. 11. de regularib.*

* adde Seraphin. deciſ. 738. n. 4. & infrà deciſ. 707. n. 2.

Prædictis accedebat, quia neque ex dictis priuilegiis conſtabat de exemptione, reſpectu populi, qui cùm præterea non eſſet de Abbatis familia, non poterant priuilegia ad illum comprehendendum extendi, & præſertim in materia exemptionis, * in qua ſtrictè procedendendum eſt, gloſſ. & Doctores *in cap. priuilegium, de priuileg. lib. 6. cap. per exemptionem, & cap. ſi Papa, eodem tit.* notat Abbas *in cap. cùm plantere, de priuileg.*

5.

* adde Rot. diuer. part. 1. dec. 186.

Informantes pro Abbate ſecundo loco vtebantur teſtibus, ex quorum atteſtationibus patebat, Monachos, Preſbyteros, Hebdomadarios, & Vicarios fuiſſe exemptos, & in Eccleſia Sancti Petri de Octauiano, & non poſſe fieri monumentum, nec ceram benedici, nec campanas pulſari, niſi de licentia Abbatis Sancti Cucufatis.

Cæterùm reſpondebatur, hinc etiam ſolùm colligi, Eccleſiam Sancti Petri eſſe dependentem ab Eccleſia Monaſterij, & ſeruientes in illa, eadem exemptione frui, non tamen malè conſequi, Abbatem in populum habere iuriſdictionem Epiſcopalem.

Tertiò proponebatur ſententia Epiſcopi Caſſadori, pronuntiantis, Eccleſiam Sancti Petri de Octauiano fuiſſe ſubiectam Monaſterio Sancti Cucufatis, & propterea reuocandam quandam licentiam, quam Epiſcopus dederat iuratis, ad fabricandum quandam Capellam in dicta Eccleſia, cùm putaret, eam ſibi fuiſſe ſubiectam.

Sed dicebatur, quòd licèt hinc etiam oſtenderetur exemptio, non tamen docebatur Abbatis iuriſdictio quaſi Epiſcopalis ſuper Parochianos Eccleſia de Octauiano. 6.

Atque eodem modo reſpondebatur ad deciſiones coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa VIII. tunc Rotæ Auditore die 28. Nouembris 1583. & die 1. Iunij 1584. quia cùm ageretur tunc ſuper exemptione, ex illis quæ proponebantur, videbatur ſatis probata, ſed non poterat inde inferri ad excludendam viſitationem, quam Epiſcopus non obſtante exemptione poteſt facere, iuxta decreta, & deciſiones Concilij Tridentini.

Cumque præterea exercuiſſe eam viſitandi iuriſdictionem, oſtendebant multi actus viſitationum, qui exhibebantur, & multæ quoque licentiæ conceſſæ ab Epiſcopo Barchinonen. diuerſis Preſbyteris, ad exercendam curam animarum in Eccleſia Sancti Petri de Octauiano, de quibus in ſummario Epiſcopi *num.* 3. & 4. ex quibus clarè conſtabat, iuriſdictionem Epiſcopalem non fuiſſe penes Abbatem, ſed penes Epiſcopum, quia etiam fuerat pro tali recognitus, reſpectu eorum quæ ſunt Ordinis. 7.

Sed neque reſpectu iſtius iuriſdictionis Epiſcopalis releuabant teſtes, inducti pro Abbate, cùm non loquerentur de iuriſdictione in Parochos, & Parochianos, ſed ſolùm in Vicarios, Subuicarios, & Preſbyteros Eccleſiarum, & ſic reſtrictè quoad perſonas Eccleſiaſticas, & Regulares in Monaſterio degentes, quod ſatis non erar, ad hunc effectum. 8.

Quantum ad iſtam verò iuriſdictionem temporalem in Parochianos, quam informantes pro Abbate probare nitebantur ex multis actibus, tam ante annum 1550. quàm poſt dictum annum, reſpondebatur, Abbatem non potuiſſe niti antiqua iuriſdictione, ante ann. 1550. quoniam Rex, reſtituta Abbati pecunia, illam recuperauerat dicto anno 1550. cum effectu ſubſecuto, ſicut patebat per publicum inſtrumentum captæ poſſeſſionis de mero, & mixto imperio, & iuriſdictione ciuili, oppidi & termini Sancti Cucufatis de Octauiano, cuius Procuratores tunc præſtiterunt Regi iuramentum fidelitatis, & homagium, & Rex creauit inibi officiales, qui dictam iuriſdictionem exercerent, vt in ſummario Epiſcopi *num.* 2.

Et licèt poſt recuperatam à Rege iuriſdictionem, producerentur pro parte Abbatis aliquot actus iuriſdictionis temporalis, ex quibus apparebat iuſſu Abbatis fuiſſe tùm flagris cæſos, tum aliis pœnis affectos aliquot laicos oppidi de Octauiano, & hoc tamen non putabatur docere legitima temporalis iuriſdictio, quinimo, ſtante recuperatione regia, Rota cenſebat, tales actus fuiſſe illicitos, turbatiuos, & ſpoliatiuos, cùm nullo pacto ad Abbatem, ſed ad officiales Regios pertinerent. 9.

Atque ex his fuit ſine difficultate concluſum, pro parte Abbatis Sancti Cucufatis, non fuiſſe probatum, Parochialem Eccleſiam de Octauiano, eſſe in aliquo de caſibus exceptis in Concilio Tridentino *cap.* 11. *ſeſſ.* 25.

Regien.

## *Regien. Prioratus.*

### Die Lunæ 3. Martij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Regula de annali, vt habeat locum, requirit poſſeſſionem pacificam anni præcedentis.*
3 *Procuratio facta per partem contra aliam, inducit litis conteſtationem.*
4 *Sententia poteſt ſubſiſtere contra citatos, licèt ſit nulla contra non citatos, quando plures ſunt citandi.*
5.6 *Beneficium non dicitur litigioſum, ſi agatur ſuper nullitate ſententiæ.*
7 *Litigioſum non facit beneficium lis ſuper nullitates ſententiæ mota.*

## DECISIO DXCI.

1. AD inſtantiam Camilli Boſij, iterum propopoſui cauſam ſuper eiſdem, & Domini vtraque parte informante, non receſſerunt à deciſis die 10. Ianuarij proximè præteriti, * videlicet regulam de annali non obſtitiſſe Dominis de Tacculis, quia non conſtabat de poſſeſſione annali pacifica Camilli per annum immediatè
2. præcedentem ipſam impetrationem, ſicut requiritur iuxta deciſionem Guidoboni 149. fuerat enim anno 1588. ante lapſum fatalium commiſſa cauſa ſuper ſubreptione literarum, & priuatione, quæ poſtea fuit à partibus auocata, & commiſſa Domino de Rubeis, coram quo anno 1590. Achilles comparuit, & contra Camillum produxit ſuam præſentationem, factam in Curia ann. 1589. & alia iura citato Procuratore Camilli, qui citra conſenſum in iuriſdictionem, & ſine præiudicio rei iudicatæ dixit generalia contrà, & nihil fieri niſi concordato de ſubrogato, de quo poſtea fuit concordatum, in R. P. D. Comitolum, coram quo Achilles de nouo exhibuit ſuam præſentationem: contra quam pro parte Camillis die 5. Februar. 1591. fuit oppoſitum, quòd erat nulla, & attentata, & quòd non audiretur, niſi docto de intereſſe, quæ cùm confiteretur in hac propoſitione Camilli Procurator in informatione facti, non videbant Domini, qua ratione ſubſequens Achillis impetratio obtenta menſe Martij 1591. potuiſſet ſubiacere regulæ de annali.

* ſuprà] dec. 576. vbi de hoc art. annotaui alias deciſ.

3. Neque obſtabat reſponſio, quòd cùm pro parte Camilli fuiſſet proteſtatum de re iudicata, & comparitum citra conſenſum in iuriſdictionem, * & quòd Achilles non audiretur niſi verificatis verificandis, propterea non cenſeretur introducta lis, neque interrupta pacifica poſſeſſio, quia reſpondebatur, ex iſtis actibus, potius fuiſſe inductam litis conteſtationem, quàm litis excluſionem.

*adde Mant. dec. 204. n. 7. & ſequent. & Duran. deciſ. 385. n. 1. 2. & 4.

4. Placuit etiam Dominis fundamentum litis antiquæ, quæ reſpectu nullitatis principaliter intentatæ, non fuerat deſerta, iuxta deciſionem D. Cardinalis Lancellotti in cauſa Calaguritana decimarum die 20. Februarij 1579. & eo præſertim nomine, quia non poterat affirmari ex actis de nulla nullitate conſtare, ad effectum vt eſſet locus deciſioni Achillis 15. *num. 2. tit. de reſcript.* maximè cùm coram R. P. D. meo Pamphilio penderet cauſa contra plures, ex quibus tamen aliqui non fuerunt ad ſententiam citati, quorum non citatorum, * reſpectu citatorum ſuſtineretur. †

* hæc concluſio quomodo ſit intelligenda vide annota. ad dec. 237. Ludou. lit. B. & latè ad deciſ. 319. n. 7. & quæ dicàm infrà ad deciſ. 812.

5. Sed neque obſtabat, quòd his ſuper nullitate non faciat beneficium litigioſum. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. litigioſ.* §. 14. quia reſpondebatur primò, hîc agi ad effectum, vt diceretur extincta aliqua lis, quæ proculdubio erat ſuper beneficio, non autem vt ex ſola lite ſuper nullitate ſententiæ beneficium reddetur litigioſum.

† adde Caualer. dec. 128. n. 2. & deciſ. 353. n. 3.

6. Præterea dicebatur, oppoſitionem non procedere, quando agitur de nullitate ad effectum, vt beneficium alteri adiudicetur; vt de lite ſuper priuatione tradit Puteus *deciſ.* 496. *num.* 2. *lib.* 2.

* adde Coccin. dec. 337. n. 14.

7. Poſtremò addebatur, quòd quamuis lis ſuper * nullitate ſententiæ, non efficiat beneficium litigioſum, † id habet locum, quo ad iuſtitiam nullitatis per ſe conſideratæ, ea enim non facit beneficium litigioſum; ſecus tamen eſt, quando cauſa nullitatis eſt æquè principaliter commiſſa, vel in integrum reſtituta; ſicut contigerat in hac cauſa, & ſic etiam declarat Antonius Auguſtinus *præcitato loco.*

† beneficium quando dicatur litigioſum, vide Ludou. deciſ. 305. & latiſſimè per longum diſcurſum agit annot. litt. B.

## *Cæſenaten. pecuniaria.*

### Die Veneris 14. Martij 1597.

SVMMARIVM.

3 *Valor monetæ ſcutorum, poſitus in inſtrumento, demonſtratiuè ponitur, non verò ad oſtendendum pretium.*
4 *Monetæ valor inſpiciendus eſt de tempore contractu.*
*quod limita, vt num. 12.*
5 *Solutio monetæ in inſtrumento appoſita, facienda eſt ſecundùm rationem declaratam in inſtrumento.*
7 *Contrahentes declarat obſeruantia ſubſecuta, de ipſo contractu.*
8.9 *Promiſſio præcedens talis præſumitur in obligato ad ſoluendum, qualis fuerit ſolutio ſubſecuta.*
10 *Teſtes contra confeſſionempartis nihil probant.*
11 *Teſtes non probant valorem rei, ſi non teſtificant de communi æſtimatione.*
14 *Aureus ſcutus non augetur, nec minuitur propter augmentum, vel decrementum cæterarum inferiorum monetarum.*
15 *Extrinſecus monetæ valor quando variatur, non attenditur tempus contractus, ſed ſolutionis.*
*quod intellige, vt num. 16.*

## DECISIO DXCII.

1. * EMerat anno 1586. Euangeliſta de Galeffis prædium multarum tornaturarum, à Balthaſare Romaniolo, æſtimata qualibet tornatura ſcutis 37. auri, ad rationem ſolidorum 84. pro quolibet ſcuto, id verò pretium conficiens ſummam ſcutorum 2116. emptor ſoluere promiſerat infra terminum decem annorum proximè futurorum, à die celebrati contractus, in pecunia numerata

*de hac materia multa fuerunt dicta in cauſa Romana pecuniaria octo zecharum coram R. P. D. Lancellotto die 20. Iunij 1597. & habetur penes March. de commiſſ. part. 1. pag. 651. & penes Duardũ poſt tractatum de forma creandi cenſus deciſ. 217. & penes Cenc. in eodem tractat. deciſ. 220.



numerata in tot Paulis, vel ſcutis de Camera, add to inſuper pacto, quòd interim Euangeliſta ſolueret libellum pro dicto pretio ratione fructuum prædij venditi ad æſtimationem quinque pro centenario, & quolibet anno in tot Paulis, vel ſcutis de Camera.

2. * Quia verò tempore contractus, ad conficiendum ſcutum auri de Camera exigebantur vndecim Pauli cum dimidio; nam tunc 84. ſolidi, ſeu Baiochi, faciebant tot Paulos; modo verò, quo elapſis iam decem annis, & termino ſolutionis adueniente, decem ſolùm Pauli complebant dictum ſcutum: quia Paulus qui tempore contractus erat valoris 44. quatrinorum, nunc vigore conſtitutionis fel. record. Gregorij I V. erat quatrinorum 50. & ſolidus ſeu Baiochus, qui tempore contractus erat ſex quatrinorum, nunc vigore eiuſdem conſtitutionis, erat valoris ſeptem quatrinorum, ideoque hæredes Euangeliſtæ emptoris vellent ſoluere ad æſtimationem monetæ currentis, auctæ per conſtitutionem Principis in valore extrinſeco; contra verò Balthaſar venditor ſecundùm veterem valorem, inſpiciendum tempore contractus ſoluendum ſibi prædij pretium contenderet, ſuper hoc dubio Rota conſulta, vtraque parte informante reſpondit, ſolutionem
3. fieri oportere, æſtimando ſcutum ad rationem 11. Paulorum cum dimidio; * conſiderauit enim primum, vigore inſtrumenti emptionis, & venditionis, in obligatione fuiſſe ſcutum aureum; in ſolutione autem Paulos, & ducatos de Camera; & verba illa ad rationem ſolidorum 84. demonſtratiuè fuiſſe poſita ad oſtendendum, de quo ſcuto contrahentes intellexiſſent. Socinus *conſil.* 298. *lib.* 2. Gratus *conſil.* 14. *num.* 13. *lib.* 1. Boërius *deciſione* 327. *num.* 3. cùm autem ſcutus aureus non repereretur diminutus, illius valor erat inſpiciendus tempore contractus, † quamuis moneta inferior, (de qua ſolutio fieri poterat,) eſſet aucta, vel diminuta; Bartolus *in l. cùm quid, circa*
4. *finem, ff. ſi cert. petat. & in l. Paulus num. 6. ff. de ſolut.* Decius *in l. quod te, num.* 8. *ff. ſi cert. petat.* Crauetta *conſil.* 47. *num.* 6. Socinus iunior *conſil.* 142. *num.* 6. *lib.* 2. Bolognetus *conſil.* 11. *num.* 49. latè Cephalus *conſil.* 31. *num.* 8. *lib.* 1. quod maximè locum habere dicebatur in hoc contractu, in quo contrahentes expreſsè declarauerant qualitatem aurei, ad æſtimatio-
5. nem ſcilicet ſolidarum 84. nam tunc ſi moneta inferior, ſiue minuta decreſcat, vel non decreſcat, ſolutio facienda eſt ad eandem rationem, iuxta qualitatem declaratam, Barbatia *conſil.* 19. *num* 7. *verſ. ſed licèt illa ſit, lib.* 4. Cephalus *d. conſ.* 31. *num.* 6. *& ſeq. lib.* 1. Boërius *deciſ.* 327. *num.* 10. *verſic. & in hancpartem*, Couarr. *tract. de numiſmat. cap.* 7. §. 1. *num.* 5.

*præſens deciſio habetur penes Duardũ poſt tract. de forma creandi cenſus dec. 220.

*de hac materia videndus eſt Gratia. diſcept. foren. tom. 3. cap 360. per totum vbi n. 14. allegat hanc deciſ. & adde deciſ. 221. impreſſam penes Duardũ poſt dictum tractat. de forma creand. cen.

† adde Rot. in vna Aretina penſionis impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ p. 1 pag. 548. n. 2. & 3.

6. Rurſus dicebatur, quòd licèt concederetur iſtis Dominis de Galeffiis tempus ſolutionis fuiſſe attendendum; adhuc tamen ſcutum aureum fore æſtimandum, & ſoluendum ad rationem 11. Iuliorum cum dimidio: quoniam ex computatione cuiuſdam periti conſtabat, vnum ſcutum aureum ſolidorum 84. æſtimando ſolidum, ſeu Baiochum ad rationem ſeptem quatrinorum, aſcendere ad quatrinos 588. vnde conſequebatur, quòd æſtimato Paulo, ſeu Iulio quatrinis 56. conſurgebat ſcuti ſumma in Iuliis, ſeu Paulis 11. cum dimidio, & amplius quatrinis 13. pro quolibet ſcuto.

In ſum. n. 4.

7. Quòd ſi iſta computatio aliquam difficultatem pateretur, eam tamen prorſus tollebat obſeruantia ſubſecuta, quæ declarabat contrahentes ita prorſus intellexiſſe, ex eo quòd fructus, ſeu intereſſe, quod communiter ſolet regulari ſecundùm naturam, & quantitatem ſortis principalis. *l. vſuræ. ff. de vſur.* Socinus ſenior *conſil.* 254. *num.* 8. *lib.* 2. fuit ſolutum ad rationem 11. Iuliorum cum dimidio, apparebat ex Epiſtola Euangeliſtæ Galeffij emptoris, ſcripta ad Balthaſarem venditorem, Romæ commorantem, in qua dicebat, ſe ad illum tranſmiſiſſe Paulos 44. & ſolidos 67. pro reſiduo ſcutorum 105. ad rationem 11. Paulorum cum di-
8. midio, iuxta ſolitum aliarum ſolutionum, cùm talis præſumatur præcedens promiſſio, qualis apparet ſubſecuta ſolutio, Angelus *in l. ſi certis annis, num.* 11. *C. de pact.* Socinus *conſil.* 145. *num.* 3. *lib.* 1. Corneus *conſil.* 192. *num.* 3. *lib.* 1. Franciſcus Curtius *tract. de moneta, quæſt. vltima*, Albertus Brunus *tract. de augmento monetæ, in cap. ſecundæ præſuppoſitionis*, incip. *Secundò præmittendum eſt, num.* 17. *in fine, verſic. & ſi conſtaret, & num.* 18. affirmat, ſufficere ſolutionem factam in fructibus, Baldus *conſil.* 423. incip. *Eſt dicendum, in fine lib.* 2. Martinus Laudenſis *tract. de moneta num.* 31. *verſic. quia frequens ſolutio.*

BIBLIOTE

9. Cùm itaque contrahentes tempore initi contractus viderentur conueniſſe de ſoluendo ſcuto, æſtimando Iuliis 11. cum dimidio, vt patet ex prædictis, euentus ſubſequens, non immutabat naturam, ſeu qualitatem ſolutionis faciendæ, Theſaurus *deciſ.* 174. *num.* 6. Crauetta *conſil.* 887. *num.* 2. *lib.* 5. Grammaticus *conſil. ciuil.* 12. *num.* 44. & 49.

10. Ad dicta teſtium vltimo loco examinatorum pro parte Dominorum de Galeffiis, qui conabantur probare, valorem Pauli, ſeu Iulij tempore ſolutionis fuiſſe quatrinorum 58. & ſcutum aureum ad rationem 84. ſolidorum remanere ſolutum per Iulios decem; reſpondebatur primùm, non fuiſſe attendenda, tanquam pugnantia cum confeſſione Galeffiorum, qui in precibus Sanctiſſimo porrectis, fatebantur Paulum, qui priùs erat valoris 40. quatrinorum poſt conſtitutionem Gregorij X I V. auctum ad valorem quatrinorum 50. Alexand. *conſ.* 99. *num.* 24. *lib.* 5. Crauetta *conſil.* 171. *num.* 10. Cæſar de Graſſis *dec.* 78. *num.* 2. *

* eſt deciſ. 6. de teſtib.

11. Rurſus dicebatur, non releuare, quia non teſtificabantur de valore ſcuti aurei ſecundùm æſtimationem communem, ſed de quibuſdam actibus particularibus, & tamen notum eſt, teſtes non probare valorem, niſi teſtificentur de communi † æſtimatione. Doctores communiter *in l.* 2. *C. de re reſcinden. vend.* latè Aluarus Valaſcus *conſultatione* 43. *lib.* 1.

† adde infrà dec. 810. n. 6.

12. Neque ſupradictis obſtabat doctrina Bartoli *in l. Paulus num.* 10. *ff. de ſolut.* & aliorum qui Bartolum ſequuntur, aſſerentium monetæ valorem inſpiciendum tempore ſolutionis, quia reſpondebant Domini, illam doctrinam procedere, quando moneta minuta eſt in obligatione; & moneta maior, (verbi gratia Pauli) in facultate ſoluendi, tunc enim Paulus ſolui poterit iuxta valorem monetæ inferioris, tempore ſolutionis,

nis, debentque ſolui tot Pauli, qui conficiant ſummam monetæ minutæ currentis, tempore ſolutionis, quæ eſt in obligatione. Albertinus Brunus *tract. de augmento monetæ, p. 5. concluſione vltima, verſ. & in hoc poſſum, num. 6.* Cephalus *dicto conſil. 31. in fine verſ. ad vltimum.* & ratio eſt, quia non intereſt creditoris, ſi ſibi ſoluantur plures, vel pauciores Pauli, iuxta valorem tempore contractus, dummodo ſoluatur ea quantitas monetæ inferioris, quæ eſt in obligatione.

13. Sed iſte non erat caſus, ſuper quo contrahentes litigabant, quoniam moneta minuta non erat in obligatione, nec in facultate ſoluendi, cùm ſolidi eſſent tantùm expreſſi, ad demonſtrandam qualitatem ſcuti aurei, poſiti in obligatione ſoluendi, & propterea, in hoc caſu tenendam fuiſſe concluſionem ſuprà conſtitutam, vt reſpiciendus eſſet valor tempore contractus, ſiue moneta minuta augeatur, ſiue minuatur: aureus enim, (quæ eſt menſura infe-
14. riorum monetarum, quíque cæteras inferiores ſpecies pecuniarum metitur, cùm regulariter immobilis permaneat,) non alteratur, nec mutatur, propter augmentum, vel decrementum inferiorum ſpecierum. *l. pro imminutione. C. de veteris numiſm. poteſt. lib. 11.* quod declarauit Rota in illa Romana pecuniaria die 23. Ianuar. 1589. coram me. *

* ſuprà decil. 5. & vide quæ ibi notaui, & tradita per Garciam de benef. 5. p. c. 3. an. 147. cum ſeq. allegat plures dec.

Cuius deciſionis ratio *in verſ. & hæc fuit,* non repugnat huic reſolutioni, quatenus in ea dictum fuit, quòd quando variatur † extrinſecus monetæ valor, tamen non debet attendi tempus contractus, ſed tempus ſolutionis. * Aretinus *conſil. 11. num. 3.* quoniam intelligitur, iuxta doctrinam proximè relatam, in eo ſcilicet caſu, quando moneta inferior, ſeu minuta eſt in obligatione: ſecus autem quando aureus eſt in obligatione: vt in caſu illius deciſionis, vbi tam in obligatione, quàm in ſolutione erat ducatus aureus de Camera, quem contrahentes ab initio non æſtimauerant, qui cùm tempore ſolutionis non reperiretur, ſoluendus veniebat in tot Paulis, iuxta valorem currentem tempore ſolutionis; ita vt cum illis Paulis, poſſet emi antiquus aureus, qui erat in obligatione, aut valor illius verus, ſi aureus ipſe reperiri non poſſet.

15. † de hoc art. vide Ludou. dec. 42. & annotationem diſtinguentẽ de valore intrinſeco, & extrinſeco.

16. * adde Dur. dec. 1. n. 3. & Rot. in vna Cordubenſ. pẽſionis impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 831. vbi n. 3. allegat ſupradictam dec. 5. in Romana pecuniaria.

Similiter verò, in hac facti ſpecie, vel ſoluendus erat ſcutus ipſe aureus, vel Pauli 11. cum dimidio, iuxta æſtimationem aurei, tempore initi contractus.

---

## *Romana ſubſtitutionis.*

### Die Lunæ 17. Martij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Subſtitutio facta cum dictione,* quandocunque, *eſt compendioſa.*

3 *Compendioſa ſubſtitutio continet vulgarem in ſe.*

4 *In ſubſtitutione, primo deficiente, admittitur ſecundus.*

5.6 *Subſtitutus ſubſtituti, dicitur ſubſtitutus inſtituti.*

*quod limita, vt num. 7.*

8 *Inſtitutus non grauatus, cui datus fuit ſubſtitutus, non tenetur reſtituere fideicommiſſum.*

## DECISIO DXCIII.

1. Conſtitutis quibuſdam præſuppoſitis à partibus concordatis, videlicet, quòd Antonius Pariolus condito teſtamento, poſt multa legata, diuerſis perſonis relicta, vniuerſalem ſibi hæredem inſtituit Martiam de Rubeis, vxorem ſuam, eíque ſi ſine filiis quandocunque recederet, ſubſtituit Clementiam teſtatoris ſororem, cui ſimiliter quandocunque decedenti ſine filiis, ſubſtituit Eccleſiam S. Mariæ de Horto: & quòd mortuo teſtatore, Clementia poſt aditam hæreditatem à Martia deceſſerit, & deinde obierit quoque Martia, & ambæ ſine filiis, dubitaui, an poſt obitum Martiæ eſſet factus locus ſubſtitutioni factæ, ad fauorem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ.

Peregrinus tract. de fideicommiſſ. art. 15. n. 16.

2. Et Rota vtraque parte informante affirmatiuè * reſpondit, & ideo Virgineam de Rubeis, hæredem Martiæ de Rubeis, à ſucceſſione excludendam; ſubſtitutio enim Eccleſiæ facta, erat compendioſa, propter dictionem, *quandocunque,* * vt notatur *in l. centurio. ff. de vulgar. & in l. precibus. C. de impuber, & alijs ſubſtit.* vnde cùm ſub compendioſa contineatur etiam vulgaris, † quæ ſperatur, vt caducata ſubſtitutione facta Clementiæ, hæreditas remaneret penes Martiam, vel eius hæredes cum onere reſtituendi Eccle-
3. ſiæ ſubſtitutæ poſt Clementiam, locus erat regulæ, vt primo ſubſtituto deficiente, ſecundus * ſubſtitutus admittatur. Bartolus *in l. quandiu la 3. num. 10. ff. de acquiren. hæredit.* Paulus de Caſtro *conſil. 267. num. 2. lib. 2.* Decius *conſ. 318. num. 4.* Iaſon *in l. 1. num. 29. ff. de vulgar. & pupil.* Guido Papæ *deciſione 550.* & eſt magis communis opinio, quam omnes profitentur, vt affirmant Iaſon *conſil. 148. num. 15. verſic. ſextò pro iſta parte, lib. 2.* Socinus iunior *conſ. 181. num. 46. & 47. lib. 2.* & Decianus *conſil. 1. num. 78. lib. 1.* ſubſtitutus enim ſubſtituti, dicitur ſubſtitutus † inſtituti, ita vt ſublato primo gradu ſubſtitutionis, ſecundus ſubſtitutus efficiatur primus. *l. ſi Titius, & l. cohæredi. ff. de vulgar. & pupill.*

* adde Dur. dec. 105. n. 3.

* adde Caual. dec. 496. n. 7. & 575. n. 1. & Rotam rec. p. 2. dec. 373. num. 2. & 10.

† adde Lud. dec. 132. n. 1. & annot. n. 10. & Rotam recen. part. 2. dec. 94. n. 1.

4. * adde Rot. recen. part. 2. dec. 332. n. 6. 7. & 8. & dec. 403. num. 11. & 12.

5. † hæc regula fallit in pia cauſa niſi adſint verba reſtrictiua teſtatoris, vt dicitur infrà dec. 792. n. 4. & in Rota diuer. part. 1. dec. 648. n. 3. & vide infrà dec. 692. vbi fuit confirmata hæc deciſ.

6. * habetur p. 1. diuerſ. impreſſ. deciſ. 374.

Atque ex his conſequebatur, de hac facti ſpecie perinde fuiſſe iudicandum, ac ſi nulla facta mentione de Clementia, Eccleſia fuiſſet Martiæ ſubſtituta, quidquid dixerit Oldradus *conſil. 177.* quem tametſi multi Doctores ſequantur, contra ipſum tamen militat communis opinio, quam tenuit etiam Rota in vna Peruſina * fideicommiſſi die 9. Martij 1578. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. Rotæ Auditore ſecuta inſignes Doctores inibi allegatos, quibus accedunt Socinus ſenior *conſil. 52. num. 14. lib. 1.* Iaſon *conſil. 148. num. 15. lib. 2.* Curtius iunior *conſil. 135. num. 2. lib. 2.* Pariſius *conſil. 73. num. 26. lib. 3.* Bertrandus *conſil. 145. num. 3. lib. 2.* Mandellus *conſil. 474. num. 2. lib. 3.* Tiberius Decianus *conſil. 81. lib. 2.* Gabriel *conſil. 95. num. 18. & conſ. 115. num. 4. & conſ. 117. num. 18. lib. 1.* Boëtius *dec. 38.* Oddus *tract. de compendioſa, part. 6. quæſt. 1. art. 1. num. 8.*

Cæterùm,



7. Cæterùm, quia ſupradicta regula ſolet limitari, quando onus reſtitutionis fuit nominatim iniunctum * illi ſubſtituto, in cuius perſona ſubſtitutio euanuit; ſicut in hac facti ſpecie videbatur iniunctum Clementiæ, primo loco ſubſtitutæ, propter illam dictionem *cui,* quæ propter verba ſubſequentia in ſubſtitutione ſibi facta, illa videlicet, cui ſimiliter, quandocunque decedenti ſine filiis, ſubſtituit Eccleſiam, ſalua ratione recti ſermonis ad Martiam inſtitutam
8. referri non poterant, & ideo cùm inſtitutus non cenſeretur grauatus, non tenebatur reſtituere fideicommiſſum Eccleſiæ. Salicetus *in l. 1. §. pro ſecundo num. 15. C. de caduc. tollen.* latè Ruinus, qui teſtatur de communi, *conſult. 99. num. 16. lib. 2.* cum aliis allegatis per Dominum Lælium Ceccholum. Et rurſus ſint qui aſſerant, ſupradictæ limitationi non eſſe locum, fauore piæ cauſæ, cuius contemplatione fideicommiſſum relictum ab vno, cenſent deberi præſtari ab alio. Tiraquellus *tract. priuileg. piæ cauſæ, priuileg. 36.* propterea vellem conſulere Dominos meos coadiutores, ſuper veritate iſtarum limitationum; maximè, quoniam reſponſiones datæ per informantes pro Eccleſia, non omnino ſuperabant excitatam difficultatem.

* de hoc art. infrà in d. deciſ. 792. n. 2.

---

## *Tullen. Monaſterij Sancti Manſueti.*

### Die Lunæ 17. Martij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Abbas ob non promotionem ad ſacros Ordines, nec eſt priuatus ipſo iure Abbatia, nec venit priuandus.*

*quod intellige vt num. 3. & 10.*

4 *Monitione præcedente, poteſt priuari Abbas Abbatia, ſi non promoueatur ad ſacros Ordines.*

5 *Rector ſi non promoueatur ad ſacros Ordines, poteſt priuari Rectoria.*

6 *Prælati collegiatarum non comprehenduntur ſub diſpoſitione* cap. licet canon. de elect. 6.

7.8 *Curam animarum exercens, tenetur promoueri ad ſacros Ordines intra annum, non verò Abbas, & num. 12.*

9 *Extenſio de vna perſona, habente diuerſam qualitatem, non fit in pœnalibus.*

11 *Cura animarum non reſidet penes Commendatarium, ſecularem Clericum, non reſidentem intra clauſtra, ſed in priore regulari, n. 12.*

14 *Parochialitas non concluditur ex eo, quòd ſolutæ ſint decimæ alicui Eccleſiæ.*

15 *Lite pendente non poteſt cogi Abbas ad ſuſcipiendos ſacros Ordines.*

## DECISIO DXCIV.

1. Poſt dubium die 27. Ianuar. * proximè præteriti diſputatum, ſuper concubinatu Abbati Nicolao oppoſito; & ad illius fauorem negatiuè deciſo, conſequenter in hac propoſitione † quæſiui, ſuper alio articulo à Rota etiam præſcripto, an idem Abbas ob non promotionem ad ſacros Ordines, eſſet ipſo iure Abbatia priuatus, aut ſaltem per ſententiam priuandus.

* ſuprà deciſ. 581.

† habetur hæc dec. impreſſ. per Farin. poſt tomo 1. conſil. dec. 112.

Et Domini vtraque parte informante, neque fuiſſe ipſo iure priuatum, nec venire priuandum cenſuerunt: nam ex iuribus, quibus id ſuaderi poſſe videbatur, nempe *cap. 1. de ætate, & qualitate, cap. cùm in cunctis. §. inferiora. de elect. cap. licèt canon. eod. tit. lib. 6. Clement. ne in agro. §. cæterùm, de ſtatu monachor.* non poterat id legitimè concludi. 2.

Quoniam *cap. 1. de ætate, & qualit.* non inducit priuationem ipſo iure; procedit enim iuxta terminos *cap. cùm in cunctis. §. inferiora, de elect.* nempe in priuatione per ſententiam; monitione tamen præcedente gloſſ. *in dicto cap. 1. in verb. fiant, & in dicto §. inferiora, in verb. canonibus.* vbi Antonius de Butrio *num. 6.* Rota *deciſ. 3. de pœnis in antiq.* Geminianus *conſ. 13. num. 1. & ſeq.* & Federicus de Senis *conſ. 25.* incip. *Caſus.* 3.

*Cap. cùm in cunctis. §. inferiora,* licèt comprehendat Abbates, vt notauit Panormitanus *in d. §. inferiora num. 3.* non tamen operatur priuationem ipſo iure, nec per ſententiam ſine præuia Epiſcopi monitione, *dicto §. inferiora.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. de non promotis intra annum, num. 25. cap. licèt canon.* ſtrictè procedit in Eccleſiis parochialibus, * & earum curatis, ſeu Rectoribus actu curam adminiſtrantibus, de quibus loquitur *dictus §. inferiora.* gloſſ. *in d. c. licèt canon, in verb. parochialibus,* Geminianus *dicto conſ. 131. num. 1. & ſequent.* Rota *dicta deciſ. 3. de pœnis, in antiq.* Ioannes Andreas *in cap. ſtatutum, num. 2. circa medium, de elect. lib. 6.* latè Rebuffus *in praxi dicto tit. de non promot. intra annum, num. 21. 27. & 60.* 4. 5.

* adde ſuprà dec. 192. n. 1. & deciſ. 50. num. 2.

Rurſus *cap. licèt canon,* non habere locum in Prælatis collegiatarum, declarat *cap. ſtatutum, eodem tit. de elect. lib. 6.* neque in illis, qui non exercent curam per ſe ipſos, docent *ibidem* communiter Canoniſtæ, vt Vitalinus *in Clement. 1. n. 27. de offic. Vicar. & in Clement. ne in agro. §. cæterùm, num. 37.* 6.

Omnis ergo difficultas verſabatur circa intellectum *dictæ Clemen. ne in agro. §. cæterùm,* quam ideo huic Abbati Nicolao non obſtare fuit pronuntiatum, quia illius diſpoſitionem locum habere ſolùm in priori conuentuali, habente curam animarum, & perſonarum tam in foro pœnitentiali, quàm iudiciali, non autem in Abbate, præſertim Commendatario, cuius perſona remanet ſub diſpoſitione *dicti §. inferiora,* cenſuerunt Federicus de Senis *conſ. 25. num. 2.* Rebuffus *præcitato loco, num. 21. & 25.* 7.

Cui intellectui ſuffragabatur ſeries verborum dictæ Clemen. quæ multis in locis, tam ante, quàm poſt dictum *§. cæterùm,* quando voluit comprehendere Abbates, illos explicitè nominauit, vt *in §. rurſus, & §. ſeq. & in §. ſi quis, & in §. ad ampliationem, & in §. cæterùm,* omiſſa mentione de Abbate, Priorem tantùm expreſſit; ergo ibi de Abbate diſponere noluit, quia ſi voluiſſet, ſimiliter expreſſiſſet. Alexand. *conſil. 38. num. 8. lib. 6.* Gabriel *conſil. 97. num. 28. lib. 1.* & cùm agatur de pœnalibus, non eſt facienda extenſio de perſona vnius qualitatis ad aliam, habentem diuerſam qualitatem, nec eſt imponenda pœna priuationis, niſi in caſibus à iure expreſſis. gloſſ. communiter recepta *in cap. fin.* vbi Abbas *de iure patron.* latè Tiraquellus *in l. ſi vnquam, in verb. reuertatur.* 8.

*uertatur, num.*248. *& ſeq. C.de reuocan.donationib.* Alexand.*conſ.*103. *num.*15. *lib.*2.

10. Præterea aliqui ex Dominis dicebant, quòd quamuis diſpoſitio dicti §. *cæterum*, haberet etiam locum in Abbate, ſicut ipſi locum habere opinabantur, intelligenda tamen erat de illo Abbate, qui actu exerceret curam Monachorum, vt inibi tradunt Imola *num.* 34. Vitallinus *num.*37.& Rebuffus *in prædicto tit.de non promotis infra annum, num.*6. *verſ.ſi tamen.*

11. Vnde, cùm Abbas Nicolaus non haberet curam Conuentus, nec Monachorum, quæ non reſidet penes Commendatarium Clericum ſæcularem, non habitantem intra clauſtra Con-
12. uentus, ſed extra in propriis domibus, ſed tota eſt penes Paſtorem conuentualem, qui habet curam Conuentus, & Monachorum, & exercitium iſtius Curæ; cuius ratione * requiritur actualis promotio ad Ordines ſacros, ideo deficiente in perſona Nicolai iſta qualitate, à Clementina requiſita, neceſſariò etiam deficiebat diſpoſitio pœnalis, qua veniret plectendus, ſi illa qualitas ſibi competiiſſet.

* adde ſuprà dec.192.n.1. & Rot. rec. p.2. dec. 52. n.11.

Rurſus non poterat prætendi neceſſaria promotio ratione curæ animarum ipſorum Parochianorum; quia licèt Abbas præſentaret Rectorem ſæcularem ad Altare Sancti Petri, habentem curam animarum, non tamen inde inferebatur, Curam ſpectaret ad Abbatem; nam ex ſerie facti patebat, iſtam Curam ſæcularem olim fuiſſe in Eccleſia Sancti Petri, quæ fuerat diruta, & tranſlata ad Eccleſiam S.Manſueti, ad Altare Sancti Petri, quod in titulum Presbytero ſæculari conferri conſueuit, qui cùm nomine proprio, non Abbatis curam exerceat, ille, non Abbas ex decreto Canonum promoueri tenebitur.

13. Poſtremò omnes Domini vno conſenſu ſenſerunt, iſtam Abbatiam non videri talem, vt neceſſariò requireret promotionem, cùm ann. 1542. auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia fuiſſet commendata huic Nicolao, in 12. ſuæ ætatis anno conſtituto, per reſignationem Diaconi Cardinalis Ioannis à Lotharingia, tunc non Presbyteri; vt apparebat ex ſerie prouiſionis: & tamen de nullius diſpenſatione conſtabat.

14. Non obſtabat, quòd Abbas perciperet decimas, quia ex perceptione decimarum, tanquam ex ſigno æquiuoco, non concluditur parochialitas. * Ancharanus *conſil.* 162. *num.*4. *verſ. non obſtant allegata*, Antonius de Butrio *in cap. quia nonnulli, num.* 10. vbi communiter Doctores Canoniſtæ, *de Cleric. non reſident.* ſed neque alia ſigna parochialitatis probabantur, de quibus Rota in vna Racanaten. † Parochialis die 20. Maij ann.1577. coram bon. mem. Cantuccio.

* adde Rot. in vna Sabinienſis decimarum coram Pamphilio impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag.676.n.2.

* parte 2.diuerſ. dec.52. n. 33. cum ſeq.

Cùm itaque ex prædictis conſtaret, Abbatem non teneri ad ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, non erat locus iuribus ipſo iure inducentibus priuationem.

15. Sed neque veniebat priuandus, quia non fuerat monitus niſi pendente lite, quo * tempore ad Ordines ſuſcipiendos cogi non poterat. *cap. commiſſa, de elect. lib.* 6. Bellamera *deciſione* 83. *num.* 1. Rebuffus *d. tit. de non promotis infra annum, num.*41.

* adde annot. ad dec. 451. Ludou. n.9.

## *Papien. bonorum.*

### Die Mercurij 19. Martij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Remiſſoria datur, ſi cauſa ſit profana, & articuli releuantes.*

4 *Teſtes alij non ſunt examinandi poſt publicationem aliorum teſtium, quod limita vt n.*6.

5 *Articulo vno dato releuante, cæteri ſunt admittendi.*

## DECISIO DXCV.

SVper dubio dato, an eſſet danda Remiſſoria Dominis de Beccaria; Rota affirmatiuè reſpondit, fuiſſe dandam, exceptis tamen articulis, ſuper quibus teſtes examinati in partibus, fuerunt publicati; cenſuit tamen, ſuper omnibus articulis fuiſſe concedendam, ſi in lite adeſſent minores. 1.

Reſpectu primæ partis non erat difficultas, nam cùm cauſa eſſet profana, & viderentur releuantes, in qualibet * inſtantia erat concedenda, & maximè in tertia, ſicut in caſu propoſito. Caſſadorus *deciſ.*3.*de dilat.* Verallus *dec.*60. *parte* 3.

* adde ſuprà dec.372.n.3. & deciſ.568. n. 1. & 2. & alàis ſæpe; quod extende etiam ſine fumo, Ludouiſ. dec.124. & 403.n.3.& dec.562.n.3.

Et neque Ioannes Baptiſta Zerbus, qui tuebatur iura Eccleſiæ, contra Dominos de Beccaria, in hac parte repugnabat, contendebat tamen ex 25. articulis, in actis productis, octo continentes corroſionem partis territorij Barbiani, vbi erant ſita bona Eccleſiæ, quæ zerbus vindicare prætendebat, fuiſſe reſecandos, quod 2.
Rota libenter faciendum cenſuit: quoniam 3.
eandem corroſionem Domini de Beccaria coram Ordinario articulauerant in partibus, & ſuper ea examinauerant 17. teſtes, quorum dicta per eundem ordinarium, parte citata fuerant legitimè publicata: vnde non licebat, 4.
poſt publicatas atteſtationes * alios teſtes examinare. *cap. fraternitatis, cap. intimauit, & cap. conſtitutus el* 2. *de teſtib. Clement. fin. cod. tit.* & præſertim in hac cauſa id prohibendum videbatur propter timorem ſubornationis, ex eo, quòd ex diſcuſſione cauſæ reddebatur Dominis iſta corroſio ſatis ſuſpecta, & in hac propoſitione videbatur vel allegata ad euitandam cauſæ expeditionem ad fauorem Eccleſiæ, vel aliquid contra veritatem machinandum.

* adde infrà dec.604.n.2. Lud. dec.48. n.2. Mantic. dec. 24. n.2. & aliàs ſæpe, ſed hæc regula fallit in pluribus caſibus, vt per eundem Ludou. dec.83. n.4. & deciſ. 397. n. 4. & latè annota. n.8. & deciſ. 583. n. 3. & ſeq.

Et propterea, non erat locus ſtylo Rotali, iuri conformi, quòd dato vno articulo releuante, cæteri ſoleant admitti, quia ille ſtylus procedit, quando cæteri articuli non ſunt ſua natura releuantes, ſecus tamen, quando appa- 5.
reant ſuſpecti, & timori ſubornationis ſubiecti, vt in caſu propoſito, in quo teſtes fuerunt examinati, & eorum dicta publicata, vt dictum eſt: ſi enim poſt publicatas atteſtationes contra aperta Canonum decreta iſte ſtylus admitteretur, facilè eſſet per nouos teſtes corruptos, vel deceptos, veritatem cauſarum violare.

Placuit tamen Dominis, illud adhibere temperamentum, vt ſi minores * eſſent in cauſa, illorum fauore, non obſtante publicatione teſtium, ſuper omnibus articulis remiſſoria concederetur; communis enim ſententia eſſe videtur, minores 6.

* de quo infrà dec.606.



minores beneficio reſtitutionis in integrum admitti poſſe ad producendos teſtes, etiam poſt factam publicationem. Innocent. Abbas, & Imola *in cap. auditis, de reſtit. in integrum*, & alij quos refert Gabriel *in communib.opinionib.tit.de teſtibus, concluſ.*21. *num.* 46. quia tamen materia videbatur ſuſpecta, & eadem antiqua corroſionis probatio procurabatur, verbo incumbebat omnem adhibere diligentiam, ne aliqua fraus fieret.

## *Aurien. diſmembrationis.*

### Die Mercurij 19. Martij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Sententia eſt nulla, ex defectu citationis.*

2 *Citatio ad ſententiam eſt neceſſaria.*

4 *Cauſa non dicitur concluſa, ſi iudex admittat partes poſt publicationem, ad aliquid dicendum.*

5 *Citatio, quæ ſufficiat ad ſententiam.*

6 *Cauſæ concluſio ſola, non ſufficit ad ferendam ſententiam, ſine partium citatione.*

7 *Concluſa non dicitur cauſa, ſi partes poſſunt aliquid dicere.*

8 *Concluſio in cauſa euaneſcit, ſi iudex dederit nouum terminum.*

10 *Cauſæ concluſio eſt neceſſaria, etiam ſi à parte non petatur, vt iudex poſſit ſententiam proferre.*

11 *Sententia lata nemine inſtante, eſt nulla, etiam ſi iudex mandet citare partes, & num.*12.

## DECISIO DXCVI.

1. ROta vtraque parte informante cenſuit, ſententias latas à iudicibus Hiſpanis, ad fauorem Collegij de Monte Rei, non fuiſſe exequendas, quia erant nullæ, & inualidæ: nam prima lata per Vicarium Aurien. manifeſtè erat nulla ex defectu citationis, quæ eſt ſubſtantialis. * *l.* 1. *§. item cùm ex dicto. ff. quæ ſentent. ſine appellatione reſcinden.* nam citatio ad ſententiam, † requiritur neceſſariò. *Clement.ſæpe*, vbi notant gloſſ.*in verb.ad id*, & ibi Doctores, *de verbor.ſignific.* Alexand.*conſil.*105. *num.*5. *lib.*5.

* adde ſuprà dec.433.n.5. & 6. vbi alias deciſ. annótaui.

2\. † adde ſuprà dec.368.n.3. vbi alias dec. annotaui & dec.406.n.2.

Iſtum verò defectum non ſanabat prætenſa concluſio in cauſa, quia licèt pro parte Collegij die 22. Iulij 1592. fuiſſet petitum, vt concluderetur in cauſa, id tamen non fuit obtentum, * cùm 3.
iudex reſponderit, quòd daretur petitio parti, & die 28. eiuſdem menſis, ad petitionem Rectoris iuſſerit, vt Collegium iuraret de calumnia, ad eumque effectum fuerit deſtinatus Notarius, qui reciperet iuramentum, quod poſtquam recepit, inſtante Rectore, præſentauit in actis, & iudex mandauit inſeri in proceſſu, & parti notificari: hæc enim ſatis apertè indicabant, iudicem non habuiſſe cauſam pro concluſa, ita vt partes non 4.
poſſent ampliùs aliquid probare, iuxta gloſſ. *in* 5.
*cap.cùm dilectus, in verb.concluſum, de fide inſtrum. & in Authent. de teſtib. §. quia verò, in verb. concluſerunt.*

* adde Lud. dec.339.n.2. & dec.140.& latè annota. n.11.

Præterea, licèt fuiſſet obtenta concluſio * in cauſa, & ſtante notorio, & vſitato ſtylo, illarum partium, poſt concluſionem in cauſa poſſet validè ferri ſententia, vt Rota ſæpe pronuntiauit,

* de hoc art. vide Caual. dec.376.n.2. vbi allegat hanc dec. & Mant. dec.5. per totam.

nempe in vna Toletana feneſtræ die 27. Iunij 1582. coram Bubalo; & in alia Burgen. reſidentiæ die 30. Maij coram D. Cardinale Platto, tunc Rotæ Auditore, & in alia Pacen. decimarum die 20. Iunij coram R. P. D. meo Garcia Millino; nihilominus id procedit, quando poſt concluſionem, in cauſa interuenit aliqua citatio, licèt vaga, & partes non fuerunt iterum admiſſæ, ad probandum, vel iudex nullos iudiciales * actus fecit, per quos videri poſſit, à concluſione in cauſa receſſiſſe, vel in loco, iudicij partibus præſentibus, † & audientibus ſententiam tulit, quam ſtatim iuſſit per Notarium eiſdem partibus præſentibus intimari, nam iſtis, vel 6.
aliquo ex iſtis concurrentibus, poſtquam iudex interloquendo pronuntiat cauſam pro concluſa ad diffinitiuam, & in eadem ſententia iubet, vtramque partem citari, vt ad primam Audientiam compareat, ad audiendam ſententiam diffinitiuam, & deinde ad aliam quamlibet diem non feriatam, vt habet ſtylus in illa prouincia, de quo Gonzalus Suarez *in praxi Eccleſiaſtica part.* 1. *tom.* 1. *tempore* 10. *num.* 5. *&* 6. Rota vt ſumptibus ligantium pariat, ſolet tales ſententias de partibus ſuſtineri, abſque alia noua citatione; ex ſola tamen concluſione in cauſa, non ſuſtinentur, neceſſe enim eſt, vt ſemper concurrat aliqua poſterior citatio, quamuis vaga.

* adde infrà dec.852.n.4. & 5.

† adde Lud. dec.576.n.1. & latè annota.n.15.

Sed cùm in caſu propoſito, * iudex ad plures 7.
actus iudiciales proceſſerit, (vt dictum eſt.) illa concluſio, licèt fuiſſet obtenta, remanſiſſet vaga, & circumducta, nec potuiſſet ſuffragari, ad prædictum citationis defectum ſanandum, Gabriel *conſil.* 49. *num.* 41. *lib.* 1.

* adde Lud. in d. deciſ. 140. n. 8. & dec.457.n.3. & 4. vbi allegat hanc deciſ.

Secunda ſententia lata per iudicem ſynodalem Compoſtellanum, die 14. Maij 1593. iudicata etiam fuit nulla, & inualida, quia nec legitima concluſio in cauſa, nec legalis citatio præceſſiſſe videbatur, licèt enim iudex die 8.
15. Ianuar. proximè præcedentis, inſtante Procuratore Collegij concludi, ad diffinitiuam mandauerit citari partem, & cum eo, quod dixerit, vel non dixerit, habuerit cauſam pro concluſa, idque decretum fuerit intimatum Procuratori Rectori, nihilominus, die 4. Februarij proximè ſubſequentis, idem iudex dedit terminum 40. dierum ad probandum, quod decretum ſimiliter fuit intimatum Procuratori Rectoris, & propterea ſententia lata die 14. Maij ſubſequentis, tanquam prolata ſine concluſione in cauſa, & citatione, inualida, & nulla fuit: quia per conceſſionem noui termini probatorij, fuit circumducta, & euanuit citatio, & concluſio in cauſa. Rota *deciſione* 1. *num.* 1. *de teſtib. in nouis.* Verallus *deciſione* 53. incip. *Stylus Rotæ, lib.* 1. *in manuſcript.*

Neque obſtabat, quòd die 24. Martij, eodem 9.
Collegij Procuratore inſtante, haberi cauſam pro concluſa, attento quòd terminus probatorius erat elapſus, iudex mandauerit partem citari, & cum eo, quod dixerit, vel non dixerit, afferretur ſibi proceſſus, quod decretum, eodem etiam die, fuit Procuratori Rectoris intimatum.

Quia reſpondebatur, per illa verba decreti, 10.
*quòd afferretur proceſſus*, non intelligi concluſum in

in cauſa, cùm Rector, ſeu eius Procurator potuerit intelligere, iudicem præcepiſſe afferri ſibi proceſſum, non ad effectum videndi, & cognoſcendi de meritis cauſæ, antequam ſententiam proferret. Et tamen de ſtylo illius Prouinciæ concluſionem in cauſa præcedere oportebat, quia eſt de ſubſtantia proceſſus, quamuis à partibus non petatur. Matienzus *in dialogo relatoris part. 3. cap. 53.* Gonzalus Suarez *in praxi Eccleſiaſtica part. 1. tom. 1. tempore 10. num. 2. & 3.*

11\. Rurſus, non ſuſtinebatur ſententia ex eo, quòd die 12. Maij, Procurator Collegij petiuerit illam ferri, quia cùm tunc iudex nihil reſponderit, nec aliquem citari mandauerit, non potuit vigore illius petitionis, poſt biduum, videlicet 14. Maij, validè pronuntiare; quia tunc, tanquam nemine * inſtante, ſententia lata cenſetur nulla. Iaſon *in l. properandum. §. & ſi quidem num. 5. C. de iudic.*

*adde infrà decis. 606. n. 12. & 852. n. 2. & 3.

12\. Rurſus citatio ad ſententiam ſpecificè † requiri videbatur, ita vt non ſufficere citationem ad audiendam iudicis voluntatem, pro ſententia ſuſtinenda, reſponderint Felinus *in cap. conſuluit, num. 16. de offic. deleg.* gloſſ. *in cap. eum qui, in verb. audiendam, de dolo, & contum. lib. 6.* Ferretus *conſil. 95. num. 3. lib. 1.* Rota *deciſione 17. num. 2. de re iudic. in nouis.*

† adde Caual. dec. 376. n. 2. vbi allegat alias deciſ. & annot. ad dec. 209. Lud. n. 7.

Quòd verò deinde, poſt quinque dies facta fuerit ipſimet Rectori intimatio illius ſententiæ, non ſanauit ſubſtantiales defectus, qui ante prolationem interuenerunt.

---

## *Vercellen. Canonicatus.*

### Die Lunæ 24. Martij 1597.

SVMMARIVM.

3 *Optione Canonicatus, bona ad eum pertinentia mutantur, ſed prior titulus canonicalis retinetur.*
4 *Titulus canonicalis animo retineri poteſt.*
5 *Optio non datur de beneficijs reſeruatis.*
6 *Fructus prædiorum præſumuntur exacti à poſſeſſoribus eorum.*
7 *Parere dicitur, qui in actis verbo paret, dum non facit contra.*

## DECISIO DXCVII.

1\. PRæſuppoſito Breui, & aliis vtrinque deductis, dubitaui, an conſtaret de ſufficiente illius paritione, reſpectu Ioannis Baptiſtæ Modenæ, ad effectum, vt in cauſa poſſet procedi ad vlteriores; & Rota vtraque parte informante, ſufficienter paritum cenſuit, cùm non conſtaret penes Modenam fuiſſe aliquid de temporalibus, ſpectantibus ad Canonicatum.

2\. Nam reſpectu prædij Carezanæ, illius poſſeſſionem vigore optionis acceperat Pompeius de Aduocatis, poſſeſſionem autem alterius prædij imperiana conſecutus fuerat Alphonſus Caretius; poſſeſſionem verò ſtalli canonicalis, ac domus habuerat Ioannes Dominicus; itaque Modena de Canonicatu ſolùm retinuerat titulum ſpiritualem, cùm per optionem prædia, * & bona Canonicatus mutentur, & prior titulus canonicalis retineatur, Zabarella *conſ. 126. num. 4.*

* adde Rot. in vna Oſcé. Canonicatus impreſſa penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 623. num. 1.

Caſſadorus *deciſ. 17. num. 2. & 3. de preben.* Mohedanus *deciſ. 1. de conſuet.*

3\. Vnde cum vigore Breuis, Procurator Cameræ Apoſtolicæ acceperit poſſeſſionem prædiorum ſpectantium ad Canonicatum, & Modena titulum ſpiritualem, quem animo retinebat, verbo * in actis declarauerit ſe dimittere, ſufficienter paruiſſe, cenſebatur. Crauetta *conſ. 148. num. 10.* Socinus ſenior *conſ. 118. num. 5. lib. 1.*

4\. * adde Rot. recen. part. 1. dec. 319. n. 1. vbi cum aliis hæc deciſ. allegatur, & Seraph. dec. 754. n. 1.

Nec ideo minus cenſebatur paruiſſe, quia non conſtabat de reſtitutione fructuum, quoniam ex optione Canonicorum apparebat, nullos fructus Modenam ex iſta præbenda percepiſſe, quam tanquam reſeruatam excluſa optione, quæ non habet locum in beneficiis reſeruatis † Michaël Belletia prætendebat, qui pro fructibus conſequendis, non contra Modenam, ſed contra Canonicos, qui optarunt, & poſſeſſionem prædiorum adepti fuerunt agere debebat; cùm à poſſeſſionibus * prædiorum fructus præſumantur exacti. *l. ex diuerſo. ff. de rei vendic.* gloſſ. *in l. fructus, C. de fruct. & lit. expenſ.*

5\. † adde ſuprà dec. 396. n. 3. & dec. 677. & Ludou. deciſ. 478. n. 2. & 5. & Rot. rec. p. 2. dec. 142. n. 3. & 4. & fuit dictum in Lucana optionis, coram Mancanedo, & in Bobien. canoni. coram Gipſio impreſſæ per Marcheſ. de commiſ. p. 1. pagin. 385. & 961.

Neque Modenæ obſtabat perceptio fructuum ex vltima præbenda, quia cùm illi non deberentur Michaëli Belletiæ, ſed illi Canonico, qui illam dimiſerat, & qui illa euicta, habebat regreſſum ad dimiſſam, & ille Canonicus nihil opponeret, ideo clauſula Breuis, *parito.* † Non obſtabat Modenæ, quæ intelligitur reſpectu ipſius litigantis, & in eo, in quo debet ipſe parere, non autem reſpectu tertij: dura enim interpretatio Dominis videbatur, quod Modena vigore dictæ clauſulæ teneretur reſtituere fructus Canonicis, qui optarunt, & curare, quod illi fructus reſtituerent Michaëli.

6\. * adde ſuprà dec. 225. n. 6. & deciſ. 485. n. 3. vbi alias deciſ. annotaui.
† de hoc art. vide Ludou. dec. 36.

Reſpectu ſtalli in Choro dicebatur, etiam ſufficienter paritam per declarationem * verbalem factam in actis, qua proteſtatus fuit, ſe ſtallum dimiſiſſe.

7\. * adde Dur. dec. 311. n. 2. & deciſ. 403. n. 2. & ſuprà in hac eadem dec. quę annotaui ad num. 4.

---

## *Tullen. ſubſidij charitatiui.*

### Die Lunæ 24. Martij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Subſidium charitatiuum, tenentur ſoluere Eccleſiæ ſeculares, Epiſcopo.*
3 *Eccleſiæ Parochiales tenentur ſoluere Epiſcopo ſubſidium charitatiuum, ſed non Regulares.*
4 *Præſentatio Parochialis non inducit ius parochialitatis, in præſentante, cùm poſſit fieri ex iure patronatus.*
5 *Subſidium charitatiuum, quod eſt ſoluendum Epiſcopo, tenetur ſoluere qui percepit fructus.*

## DECISIO DXCVIII.

1\. DVbium datum, an probaretur Monaſterium Sancti Apri, habere populum, aut Parochiam, vel aliàs ſubeſſe iuriſdictioni Epiſcopi, quod vtraque parte informante propoſitum fuit, reſpectu duarum primarum partium, negatiuè fuit reſolutum, videlicet non probari, habere ſubeſſe populum, vel Parochiam, pro quibus deberetur Epiſcopo ſubſidium charitatiuum:



tiuum: conſtabat enim ex his, quæ proponebantur, in Burgo Sancti Apri, quod patebat etiam apertè ex inſtitutione, & præſentatione Rectoris Sancti Maximini, vbi Eccleſia Parochialis, Sancti Maximini, (ad quam fit præſentatio) appellatur Eccleſia Parochialis Sancti Apri, & Abbas præſentatus, appellatur Abbas Monaſterij Sancti Apri.

2\. De prima Eccleſia Parochiali ſeculari, * non contendebatur, quia illa ſine contradictione parata erat ſoluere Epiſcopo ſubſidium charitatiuum, iuxta formam *cap. conquerente, de offic. ordinar.*

* de qua dictum fuit ſuprà dec. 566.

3\. De altera Eccleſia Abbatiali Regulari, ſub inuocatione Sancti Apri, (de qua erat controuerſia) reſponſum fuit, illam nec habere populum, nec Parochiam, nec decimas, & conſequenter non teneri ad ſolutionem ſubſidij charitatiui.

Hoc enim Monaſterium nullas percipit decimas in Parochia Sancti Apri, nec Parochus ſecularis recipit ab eo ſuam portionem, ſicut fit in Parochia Sancti Manſueti, ſed habet ſuos redditus ſeparatos à Monaſterio.

4\. Nec ſupradictis refragabatur, quòd Parochus præſentetur ab Abbate, quia ex hoc non conſequitur, Parochiam ſpectare ad Abbatem, iure proprietatis, cùm præſentatio aliter fieri poſſit, videlicet ratione iuriſpatronatus, maximè cùm ex præſentatione exhibita pro parte Epiſcopi non conſtaret, quo potiſſimum iure fieret. Henricus Rohit. *in cap. extirpandæ, numer. 6. de præbend.*

Atque ex iſta diuerſitate duarum Eccleſiarum reſpondebatur ad teſtes, & confeſſionem Abbatis, qui loquendo de Parochiali Sancti Apri, non intellexerant de ipſa Parochiali Eccleſia S. Apri, ſed de Eccleſia Parochiali loci, ſeu Burgi Sancti Apri.

5\. Denique Abbas Tullen. non negabat, de fructibus huius Parochialis, ſicut & de Capellis ſubiectis, ſoluendum eſſe Epiſcopo ſubſidium * charitatiuum, ſed contendebat, illud petendum & exigendum ab illis, qui fructus percipiebant, iuxta *cap. conquerente, de officio ordin.*

* vt dictum fuit ſuprà deciſ. 566. & dec. 579.

De tertia autem dubij parte, an Monaſterium Sancti Apri ita ſubeſſet iuriſdictioni Epiſcopi, vt ad ſolutionem ſubſidij teneretur, * Domini particulariter videre voluerunt.

* de quo articulo infrà dec. 674.

---

## *Romana cenſus extra Rotam.*

### Die Lunæ 24. Martij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Bona empta conſtante matrimonio præſumuntur empta de bonis mariti.*
2 *Bona acquiſita per vxorem conſtante matrimonio, cenſentur acquiſita de bonis mariti.*
*& ſunt ſubiecta eius debitis, n. 3.*
4 *Contrahens cum vxore poteſt petere debitum ex bonis ab ea acquiſitis.*
5 *Præſumptio, quòd bona acquiſita per vxorem ſint ex bonis mariti, contraria præſumptione tollitur.*
6 *Donatio facta à marito vxori, tempore nuptiarum, valet, & dicuntur bona ipſius mulieris, quæ fuerunt donata.*
7 *Mulieres parcæ eſſe ſolent.*
8 *Vxor publicè negotians conſtante matrimonio, facit præſumptionem, vt quæſtum potius ex illo, quàm ex bonis mariti acquirat.*
10 *Præſumptio certior admittitur, contra præſumptionem legis.*

## DECISIO DXCIX.

CVm poſt contractum matrimonium inter D. Ioannem Baptiſtam Luragum, & D. Camillam Macaranam, eóque conſtante Camilla diuerſis temporibus emiſſet tres cenſus, pro pretio ſcutorum mille, expoſito in ſingulo cenſu, & deinde ſuperueniſſet decoctio Ioannis Baptiſtæ, Camillæ mariti, creditoris, qui ſucceſſerant in omnibus decocti bonis, prætendebant, illos cenſus, tanquam emptos ex pecuniis mariti, ad ipſos pertinere, ex præſumptione iuris communis fundata *in l. Quintus Mutius ff. de donat. inter virum, & vxorem.* qua cautum extat, acquiſita * per vxorem conſtante matrimonio, ad euitandum crimen, & ſuſpicionem turpis lucri, cenſeri acquiſita ex bonis & pecuniis mariti. † 1

2\. * adde Seraphin. dec. 967. num. 6. & 7.
† adde Dur. dec. 197. n. 5. quod extende ad bona Prælati acquiſita intuitu Eccleſiæ, vt per Cou. in c. 1. de teſt. n. 6.

Et cùm ambæ partes Rotæ ſuffragium poſtulaſſent, dubitaui, an dicti creditores poſſent iuuari, præſumptione dictæ *l. Quintus Mutius?* & vtraque parte informante, Domini pro maiori parte cenſuerunt, creditores non potuiſſe vti ea præſumptione, non ex eo, quòd præſumptio dictæ *l. Quintus Mutius*, non habet locum, quando eſt controuerſia inter vxorem, & extraneum, quales in hac cauſa informantes, pro Camilla prætendebant, fuiſſe creditores Ioannis Baptiſtæ, eius mariti, Alexand. *conſil. 101. num. 3. lib. 7.* cum aliis allegatis in cauſa Romana ſocietatis die 23. Ianuar. 1593. coram R. P. D. meo Pamphilio; quoniam ibi cauſa agebatur cum eo, qui contraxerat cum vxore, & erat penitus extraneus: ſecus eſt autem, quando agitur cum habente cauſam à marito, quales erant in hac facti ſpecie creditores, Pariſius *conſil. 62. num. 24. lib. 1.* non, inquam, ex hoc fundamento, ſed ex eo, quòd præſumptio *l. Quintus Mutius,* tollitur contraria præſumptione, * quando conſtaret, vxorem potuiſſe aliunde, quàm ex bonis mariti, honeſtè habere pecunias ad emendum, & acquirendum, vel ſine pecuniis, ſiue turpis lucri ſuſpicione, aliquid acquirere. * Caſſanæus *conſil. 29. num. 2.* Alciatus *tract. de præſumpt. regula 3. præſumpt. 26. num. 13.* Menochius *eod. tract. lib. 3. præſumptione 51. num. 36.* Gabriel *in communib. opinionib. tit. de præſumpt. concluſ. 15. numer. 17.* & tradunt communiter Doctores *in d. l. Quintus Mutius.* 3. 4.

* adde Cau. dec. 557. n. 4.
5\. * adde Rotā rec. p. 1. dec. 607. n. 3. & per totam, & p. 2. dec. 771. n. 4.

In caſu propoſito, ex dictis teſtium pro D. Camilla examinatorum apparebat, tempore nuptiarum, ante contractum matrimonium, maritum dediſſe vxori ſcuta 200. & fratrem mariti eidem Camillæ totidem obtuliſſe, quæ propterea fuerunt effecta ſua, Afflictus *deciſ. 315.* Palacius Rubeus *in rubrica de donat. inter virum, & vxorem §. 60. num. 19.* 6.

Iidem teſtes addebant, multa alia ei fuiſſe à patre, matre, & aliis conſanguineis oblata, ex quibus Camilla conflatas pecunias collocauerat in-

in ſocietatibus officiorum; vnde videbatur, potuiſſe ex fructibus ſic augeri, vſque ad emptionem cenſuum, vt inde cenſus emi potuerint, præſertim, cùm ex eiſdem teſtibus conſtaret, Camillam ſolitam fuiſſe ludere ludum ſponſionum, vulgus Romæ vocat, *à maſchio, & fœmina*, & communiter lucratum fuiſſe; item eam eſſe
7. fœminam ſatis parcam, quales vtplurimum omnes mulieres * eſſe ſolent, vt propterea non videretur mirum, ad emendos dictos cenſus proprias pecunias habere potuiſſe, tum ex cauſis ſupradictis, tum ex eo, quòd ex propria induſtria eas potuerit facilè augere, quando enim vxor publicè eſt ſolita negotiari, tunc etiam matrimonio conſtante, præſumitur potius ex illo

* adde ſuprà dec. 226. n. 7.

8. quæſtu, quàm ex bonis mariti acquiſiuiſſe. Baldus (qui ponit exemplum in Chirurga vel obſtetrice) *in l. ſi vxorem, num. 7. verſ. cæterùm. C. de condit. inſert.* additio ad Cremenſem *ſingulari 6. verſ. præſumitur.*

Supradictis accedebat, quia cùm maritus eſſet magno ære alieno grauatus, veriſimiliter vſus fuiſſet iſtis cenſibus, ſi de pecuniis ſuis emptos fuiſſe nouiſſet.

9. Et reſpectu cenſus empti à D. Mutio Matthæo, quòd eſſet emptus de pecuniis mariti, res videbatur clara ex libris Banchi proprij mariti, ex quo Camilla ann. 1591. reperiebatur notata creditrix ſcutorum mille, & deinde poſt decem menſes, ann. mox ſequente 1592. fuerat ſcripta debitrix eorundem ſcutorum mille ſolutorum, pro emptione dicti cenſus.

Sed factum etiam ſubſecutum tollebat difficultatem, quia poſtea Camilla agnoſcendo bonam fidem declarauit, cenſum fuiſſe emptum de pecuniis Dominæ Iuliæ matris ſuæ, & ad eam pertinuiſſe.

10. Atque ex his, pro maiori parte fuit deciſum contra creditores.

Ego tamen libenter expenderem probationes, quibus vtuntur informantes pro D. Camilla, nam cùm creditores habeant legitimè fundatam ſuam intentionem in præſumptione legis, licèt contra eam admittatur probatio, vel contraria præſumptio, tamen debet eſſe concludens ea, * & vera probatio, vel ſaltem ita vrgens præſumptio, quæ præualeat præſumptioni fundatæ *in dicta l. Quintus Mutius.* Salicetus *in l. etiam n. 5. C. de donat. inter virum, & vxor.* Palacius Rubius *in dicta rubrica de donat. inter vir. & vxor. §. 60. num. 19. verſ. ſecundò limita prædicta*; & ratio eſt, quia contra præſumptionem legis certam, * non debet admitti, niſi præſumptio certior, & euidentior. Riminaldus ſenior *conſil. 223.* incip. *Tolerabilis quidem, num. 50. & multis ſequent. lib. 2.* & fuit dictum in vna Romana fideicommiſſ. die 9. Martij 1587. coram bon. mem. Bubalo.

* adde Dur. dec. 28. n. 18.

* adde Rotam diu. p. 1. dec. 438. n. 6.

## *Tullen. Monaſterij Sancti Manſueti.*

### Die Veneris 18. Aprilis 1597.

SVMMARIVM.

2 *Confeſſio partis ſemper eſt intelligenda, vt ſi excuſari poſſit, non noceat confitenti.*

3 *Partis confeſſio accipienda eſt cum ſuis qualitatibus.*

4 *Implicita confeſſio non nocet parti.*

5 *Confeſſio partis clara, & euidens delicti requiritur, ad priuationem beneficij, & n. 7.*

6 *Diſtrahi poſſunt res inutiles Eccleſiæ, ſeruatis tamen ſeruandis.*

8 *Dilapidatio bonorum Eccleſiæ non intelligitur reſpectu fructuum.*

9 *Vſufructuarijs æquiparantur beneficiati. & poſſunt diſponere de fructibus, n. 10. quod limita vt ibi.*

## DECISIO DC.

ACcuſatores * Abbatis Nicolai Vſuſmari, præter concubinatum, & non promotionem ad ſacros Ordines, † opponebant etiam dilapidationem bonorum, tum quia vendiderat quædam bona immobilia Abbatiæ, tum quia redditus, & prouentus Eccleſiæ, in vſus profanos, & illicitos conuerterat, alendo ſcilicet concubinam, & ſpurios, ex ea ſuſceptos. 1.

* habetur hæc dec. impreſſa penes Farinac. poſt tomum 2. conſil. crim. dec. 115.

† de quo ſuprà dec. 581. & 594.

Et propterea, dato dubio, an conſtaret de oppoſita dilapidatione, ex ex qua eſſet ipſo iure priuatus, vel ſaltem per ſententiam veniret Abbatia priuandus, vna tantùm parte informante (quia agentes pro accuſatoribus, fortaſſis, vel bono iure, vel probationibus deſtituti, informare recuſarunt,) Rota negatiuè reſpondit; nam dilapidatio non probabatur, niſi ex quadam Abbatis confeſſione, facta in cauſa criminali die 13. Februar. 1596. in 4. conſtituto, vbi cùm dixiſſet, ſe ex fructibus remanentibus Abbatiæ, emiſſe quædam bona immobilia, nomine eiuſdem Abbatiæ, addidit, ſe etiam dicta bona emiſſe ex pretio quorundam bonorum Abbatiæ diſtractorum, nempe cuiuſdam domus, quæ minabatur ruinam, & aliarum rerum inutilium; cùm enim non dixiſſet ſe alienaſſe ſine ſolemnitatibus à iure requiſitis, non erat ſufficiens probatio dilapidationis, ad effectum priuationis ex tali confeſſione deſumpta, cùm in dubio intelligenda foret, ad fauorem confitentis, * vt excuſaretur à dilapidatione. Mohedanus *deciſione 2. de reſtit. ſpoliat.* Alexander *conſil. 183. num. 5. verſ. nec obſtat. lib. 5.* gloſſ. *in cap. cùm dilecti, in verb. dilapidatione, de accuſat.* & propterea accipi deberet cum ſuis qualitatibus. * *l. Aurelius. §. quæſiit ff. de liberat. legat.* quæ propterea in hac facti ſpecie, dilapidationem excludebat, quia confitens alienationem bonorum, addiderat ſe ex pretio inde redacto emiſſe immobilia pro eadem Abbatia. 2. 3.

* adde Mantic. decis. 75. n. 6.

* adde Rotã in vna Narnienſi pecuniaria coram Pãphilio impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 2. pag. 576.

Rurſus, illa confeſſio potius videbatur implicita, per verba enunciatiua, quàm explicita, quæ confitentem conuinceret, vnde cùm eſſet cum ſuis qualitatibus accipienda, Socinus iunior *conſil. 134. num. 68. lib. 3.* Alexand. *conſil. 87. lib. 1. & conſil. 171. numer. 15. lib. 6.* non erat in dubio trahenda ad delictum. *l. merito. ff. pro ſocio.* 4.

Ad hæc, cùm non eſſet clara, & euidens, non erat ſufficiens ed effectum priuationis, quamuis ciuiliter ageretur. gloſſ. *in cap. veniens el 1.* vbi Abbas *num. 4.* & Decius *num. 8. de teſtib.* cum aliis allegatis in deciſione in hac eadem cauſa facta die 27. Ianuar. præſentis anni, * eo etiam nomine in hanc ſententiam itum eſt, quia contra qualitatem ab Abbate expreſſam, non aderat aliqua probatio, nec iuris præſumptio, quod non prohibet res inutiles, & ruinoſas Eccleſiæ, ſeruatis tamen ſeruandis, diſtrahi. 5.

*ſuprà dec. 581. n. 5. & 6.



7. Denique, cùm confeſſio non eſſet clara, intelligenda potius erat de alienatione licita, & cum ſolemnitatibus, quàm de alienatione illicita, & prohibita. *cap. eſtote, de regul. iuris.* Sanctus Thomas *2. 2. quæſt. 60. art. 4.* & præſertim in cauſa dilapidationis, vbi oportet dilapidationem manifeſtè probare. Ioannes Andreas *in cap. monachi. num. 12.* & Antonius de Butrio *num. 9.* & *ibidem* Zabarella *in fine, de ſtatu monachor.* & actum dilapidationis in ſpecie oſtendere, Bertrandus *conſ. 222. n. 3. lib. 3.* Alex. *conſ. 72. n. 9. lib. 1.*

8. Sed neque reſpectu fructuum malè diſpenſatorum dilapidatio probatur, quia præterquam quòd in hac materia, propriè loquendo, dilapidatio intelligitur reſpectu bonorum Eccleſiæ, non autem reſpectu fructuum, cùm beneficiati,
9. vita durante, æquiparentur vſufructuariis, & redditùum Eccleſiaſticorum dominium acquirant, de illis diſponere poſſunt, & quamuis ſi malè redditibus vtantur, ac in vſus prauos eos conuertant, pro qualitate prauæ diſpenſationis, grauiter peccent, non tamen propterea inci-
10. dunt in pœnam priuationis beneficiorum, quod magis locum habet in Prælatis, & Clericis ſecularibus, qui in diſpenſatione redditùum Eccleſiaſticorum pinguius ius, quàm regulares habere dicuntur; vt notant communiter ſcribentes *in cap. Monachi, de ſtatu Monachor.* vbi Abbas *num. 6.* & *ibidem* Zabarella *in fine*, & gloſſ. *in cap. per tuas, in fine, in verb. leuioribus.* & Antonius de Butrio *num. 10. de ſimon.* Sarmientus *tract. de redditib. Eccleſiaſt. parte 4. cap. 1. n. 8.*

Rurſus, hanc dilapidationem, reſpectu fructuum non probabant aliàs adducta ſuper concubinatu, quia ille non fuit probatus, neque liber extractus à libris Abbatiæ, quia licèt fuiſſet legitimè extractus, non tamen conſequebatur inde probatio dilapidationis, quamuis enim probaretur, Monaſterium, aut Abbatem habere tot redditus, non tamen concludebatur, omnes dilapidari, & malè diſpenſari, imò ex impenſis contrapoſitis, & oneribus apparebat, non remanſiſſe tam grandem fructuum quantitatem penes Abbatem, quæ facilè admitteret dilapidationem, & propterea concluſum, nec fuiſſe ipſo iure priuatum, nec venire priuandum.

## *Peruſina executionis.*

### Die Veneris 18. Aprilis 1597.

SVMMARIVM.

2 *Statutum requirens aliquam qualitatem, obſeruandum eſt, & pars in eo ſe fundans, tenetur illam probare.*

3.4.5 *Creditor, cui ceſſum eſt debitum à ſua ſorore, ſi dotet ceſſionariam, potius præſumitur illum ſoluiſſe, quàm dotaſſe.*

## DECISIO DCI.

1. PRæſuppoſito ſtatuto vrbis *lib. 5. cap. 20. in antiquis*,

& inſtrumento dotali, quondam Ioannæ de Ballioniis,

& quòd ipſa deceſſerit ſine liberis,

Dubitaui, an D. Marchio à Cornea, hæres Aſcanij, teneretur reſtituere dotem Ioannæ, Dominis de Mareſcotis, hæredibus quondam Comitis Rainutij.

Et vtraque parte informante Rota cenſuit, non fuiſſe locum dotis reſtitutioni, quia ſtatutum requirit, quòd dos fuerit à fratre data de bonis propriis ipſius fratris, & tamen Domini de Mareſcotis, qui nitebantur ſtatuto, non probabant talem qualitatem, * quod fieri oportebat *l. 1. §. ait prætor, ff. ne quid in flumine publ.* Decius *conſ. 383. num. 2.* 2.

* adde Seraphin. dec. 404. n. 6.

Quinimo, ex ſerie inſtrumenti dotalis apparebat, Ioannam fuiſſe dotatam ex bonis propriis, ex quo erat creditrix legati materni, & poterat prætendere ſucceſſionem, aut ſaltem dotem in bonis paternis, quibus prætenſionibus renunciauerat ad fauorem fratris dotantis: vnde cùm Rainutius frater dotans eſſet debitor * ſorori, pro legato ei à matre relicto ſcutorum 7000. pro quibus ſe obligauerat, vt indicabant verba inſtrumenti dotalis, ideo dotando potiùs cenſebatur dotem conſtituiſſe ſorori, animo extinguendi debitum, quàm donandi de bonis propriis. Ruinus *conſ. 152. num. 9. verſ. & iſtud eſt, lib. 5. & conſil. 145. num. 3. verſ. præterea ex quo, lib. 4.* Palacius Rubius *in rubr. de donat. inter virum, & vxor. §. 66. n. 13.* 3.

* de hoc articulo latè Durand dec. 224. ferè per totam.

Et maximè, ſtante clauſula, quòd Ioanna deberet eſſe contenta dicta dote, & nihil aliud prætendere poſſet, quo caſu dos cenſebatur ſolùm pro rata illorum bonorum, quæ aliàs petere potuiſſet, ſuper bonis paternis. Socinus *conſil. 121. num. 12. lib. 1.* Menochius *de arbitrar. caſu 88. num. 41. verſic. vel ſi ipſa mulier.* 4.

Pactum de liberanda, conſeruanda, & reſtituenda dote, iuxta formam ſtatutorum vrbis, non proderat Dominis Mareſcotis, quia præterquam quòd nullum adeſt ſtatutum diſponens, dotem redire * ad fratres, qui non dotarunt de propriis bonis, pactum poterat verificari in aliis ſtatutis, loquentibus de facienda dotis reſtitutioue: vt *in cap. 77. & 79. lib. 1.*

* adde Cau. dec. 168. n. 5. & 6. & deciſ. 318. n. 5. & Rotam rec. p. 1. dec. 710. n. 1.

Non obſtabat, quòd Rainutius præmiſerat ſoluere dotem de bonis propriis, & in ſolutum dederit bona quædam immobilia, à ſe empta; quia reſpondebatur, quòd cùm eſſet debitor ſorori, dotis conſtitutio potius credebatur facta, ad debitum, extinguendum, quàm ad ſoluendum de proprio; & præſertim in hoc caſu, in quo Rainutius retinuerat penes ſe bona ſorori debita, quaſi dando à ſe empta, permutaſſe potiùs cenſeretur, Decius *conſil. 555. num. 10.* Tiraquellus *de retractu conſanguinit. §. 1. gloſſ. 1. num. 19. & ſeq. & §. 30. gloſſ. 1. n. 2. & ſeq.* 5.

Et propterea, non placebat Dominis, quod aſſerebat vnus ex Aduocatis Dominorum de Mareſcotis, videlicet, data in dotem debuiſſe reſtitui, quamuis remaneret actio apud Ioannem, pro conſecutione legati, & aliorum iurium, quia ex deductis conſtabat, dotem fuiſſe datam animo extinguendi debitum.

Quod tempore conſignationis dotis non extaret ampliùs ligatum, quod paulo antea fuerat renunciatum, ad fauorem fratris, non tollebat ſupradictam deciſionem, quia cùm renunciatio, 6.

ciatio, & dotatio in eodem inſtrumento continerentur, ad iſtum effectum inſpiciendum erat tempus promiſſionis, non autem ſolutionis, ex quo ſolutio dotis fuit facta in executionem præcedentis promiſſionis, & ob dotem promiſſam. Decius *conſil.* 606. *num.* 10. Crauetta *conſil.* 245. *num.* 3.

7. Poſtremò non obſtabat, quòd ſtatutum vrbis loqueretur de dote data à fratre, ex bonis propriis ad differentiam bonorum paternorum; quia dicebatur, quòd quamuis ſtatutum ratione eius, quod frequentiùs contingit, loqueretur de bonis paternis, eius tamen intentio eſt, quòd dos ſit data de bonis propriis ipſius fratris, ad effectum vt reuertantur ad fratrem, præſertim, cùm iuxta tenorem antiquorum ſtatutorum, filia non eſſet excluſa à ſucceſſione bonorum maternorum, ideoque illa regulariter non remanerent penes fratres, ſed eſſent potius effecta bona propria ipſius filiæ: in bonis autem paternis à quibus filia excludebatur propter dotem, non ita contingebat.

## *Viterbien. releuationis indemnitatis.*

### Die Lunæ 28. Aprilis 1597.

SVMMARIVM.

2 *Clauſula, quatenus de iure teneat, eſt reſtrictiua diſpoſitionis.*

4 *Contractus verba ſunt attendenda, vt intelligatur mens contrahentium.*

### DECISIO DCII.

1. VTraque parte informante deciſum fuit, obligationem Syndici Monaſterij, ligare ſolum Monaſterium, vſque ad ſummam principalem ſcutorum 124. & baioc. 50. quia cùm fuerit facta pro recuperandis ſcutis 124. debitis per Antonium Spretam, quæ iudex Monaſterio ſolui mandauerat, data cautione de Antonio indemni releuando, aduersùs hæredes Ninæ, occaſione animalium, à quibus proueniebant iſta ſcuta 124. vt apparebat ex tenore concordiæ, intelligi debet, pro iſta tantùm ſumma, præſertim cùm Monaſterium, ad aliam cautionem de iure cogi non potuiſſet, quod ex verbis iudicialis decreti non obſcurè colligebatur; licèt enim generaliter videretur conceptum de omni, & toto, eo, quòd occaſione ſententiæ deberi poterat,
2. deinde tamen reſtringebatur, per illa verba, *quatenus de iure teneretur*, & conſequenter, pro illis ſcutis 124. tantùm, quia de illorum recuperatione agebatur, id quod etiam manifeſtiùs apparebat ex ſerie obligationis, quæ licèt loqueretur de Antonio indemni conſeruando, id tamen intelligebatur ratione ſcutorum 124. quæ Anton. poſt obitum Cæſaris reſtituere promiſerat, vt ex diſpoſitiua potiſſimum patebat; nam in caſu moleſtiarum teneri volebat tantùm ad reſtitutionem dictorum ſcutorum 124.

3. Quod autem paulo pòſt ſubdebatur, *& ad omnia alia damna, & intereſſe*, intelligendum erat, ratione dictæ ſummæ, quoniam aliàs in caſu moleſtiarum, obligatio eſſet ad reſtitutionem omnium animalium, ſiue illorum pretium, quem intellectum ſeries obligationis excludebat, & præſertim ex illis verbis, *volens, dicta ſcuta* 124. *recuperare.* & ibi, *in euentum cuiuſcumque moleſtiæ noluit teneri ad dicta ſcuta* 124. *& damna occaſione dictorum ſcutorum* 124. ex his enim conſtabat, verba generalia narratiuæ, reſtricta fuiſſe ad prædictam ſummam, ex veriſimili mente contrahentium, quæ eſt attendenda. * Crauetta *conſil.* 33. *num.* 21. & in caſu propoſito videbatur clara, ex ſerie concordiæ, & obligationis. 4.

† adde Lud. dec. 114. n. 5. Caualer. dec. 199. n. 7. Rotam rec. p. 2. dec. 700. n. 7.

## *Veneta illegitimitatis.*

### Die Veneris 2. Martij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Actorum tranſportatio, & integer proceſſus, præſumitur ad iudicem venire, niſi contrarium probetur.*

4 *Iudex Eccleſiaſticus, & non ſecularis, cognoſcit de cauſa legitimitatis, ſi agatur circa cauſam Eccleſiaſticam.*

### DECISIO DCIII.

ROta, * vtraque parte informante cenſuit, conſtitiſſe de integra tranſportatione actorum, & iurium ad curiam Epiſcopalem Taruiſinam, quia præterquam quòd in dubio præſumitur integra actorum tranſportatio, † & proceſſus integer, niſi contrarium oſtendatur, vt Rotæ ſeruat ſtylus, & tenuit in vna Calagurritana de Narbaja die 13. Ianuar. 1595. coram R.P.D. meo Corduba, & in alia Pientana Capellæ die 7. Iunij ann. 1596. coram R. P. D. meo Litta, in hac facti ſpecie, præter iſtam præſumptionem, concurrebat peritio vtriuſque partis coram Vicario Taruiſino, (de cuius ſententiæ validitate agebatur) inſtantis, & petentis ab eo, vt ſententiam proferret, cùm iam omnes ſcripturæ hinc inde fuiſſent productæ, & in forma authentica exhibitæ: hæc enim confeſſio demonſtrabat, omnia acta ad cauſam decidendam ſpectantia, fuiſſe producta. 1.

* habetur hæc dec. impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 116. † adde Cau. dec. 43. n. 3. & Dur. dec. 15. n. 2. & deciſ. 70. n. 3. & 4. & 375. n. 7. Lud. dec. 59. n. 1. & 72. n. 1. & 118. n. 3. & 508. n. 5. & aliis ſæpe. * vide infrà deciſ. 809. & dec. 807. n. 1.

Quod verò, poſt ſententiam à Taruiſino prolatam, viderentur producta quædam iura contenta in proceſſu 25. foliorum, extracta ex alio proceſſu foliorum 160. non arguebat defectum tranſportationis actorum neceſſariorum: nam illa tantùm iura, quæ pertinebant ad cauſam legitimitatis, fuerunt extracta ex illo proceſſu, pertinente ad aliam cauſam, * ſuper hæreditate, & coram Taruiſino producta, relictis cæteris, quæ nihil commune habebant, cum hac cauſa legitimitatis, ſuper qua pronunciauerat Taruiſinus, ideoque non fuerat neceſſaria tranſportatio integri proceſſus foliorum 160. 2.

* quæ acta non ſunt tranſportāda, Durand. dec. 65. n. 8. & deciſ. 349. n. 1. nec quę ad cauſā non faciunt, vt per Lud. 300. & vide infrà deciſ. 629. n. 2.

Quod præterea opponebatur contra proceſſus tranſportatos, quaſi eſſent defectiui ex eo, quòd in illis non reperiebantur Regiſtratæ litteræ Remiſſoriales, nec conſtaret de deputatione Notariorum, nec de aſſignatione loci, & Tribunalis, & aliis neceſſariis pro executione Remiſſoriæ, facilè tollebatur ex eo, quòd non conſtabat 3.



conſtabat ſuper iſtis, aliqua acta fuiſſe confecta.

Ad alias oppoſitiones minus vrgentes, placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes, pro Alphonſo de Cataneis.

Sed illud in primis conſtituerunt, non debuiſſe Alphonſum tranſportare proceſſus factos coram iudicibus laicis, * pertinentes ad cauſam legitimitatis, cùm iſta cognitio non pertineat ad illorum iuriſdictionem.

* de hoc art. vide Ludou. deciſ. 508. & latè annota. n. 15. & 16. & infrà deciſ. 1096. n. 5.

Et propterea fuit ordinatum, vt omiſſis iſtis cautelis, & ſubterfugiis, videretur de bono iure in negotio principali, ſuper legitimitate Alphonſi.

## *Taurinen. decimarum.*

### Die Veneris 2. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Teſtes per Remiſſoriam non ſunt examinandi, nec ea concedenda, quando iam eſt publicatum in proceſſu.*

3 *Poſſeſſio præſumitur acquiſita, ex iuribus productis in proceſſu, donec non conſtet de aliis.*

### DECISIO DCIV.

1. ROta * rurſus denegauit Remiſſoriam Comitibus de Valperga, ſicut denegauerat die 8. Nouembris anni 1596. † nam cùm eam peterent, ad probandam immemorabilem poſſeſſionem percipiendi decimas, quam iam in partibus articulauerant, & plures teſtes examinauerant, cùm eam tunc non probaſſent, & atteſtationes eſſent publicatæ, * non erant iterum danda examinandi facultas, † *cap. fraternitati, de teſtib.* Seuerolus *tract. de remiſſ. litigat. cap.* 15.

* Iaſon in l. Prætor ait §. Prætor ait ff. de eden. † ſuprà dec. 553.

* adde ſuprà dec. 595. n. 4. vbi alias dec. annotaui.

2. † quod fallit, vt infrà dec. 606. n. 6.

Ex cap. etiam impoſſibilitatis probandæ immemorabilis, deneganda videbatur, quoniam ſtante inueſtitura decimarum (de quibus agebatur,) quam Comites de Valperga acceperant ab Eccleſia anno 1453. impoſſibile erat, illam probare; ex ea enim inueſtitura conſtabat, Comites habuiſſe eas decimas in emphyteoſim ab Eccleſia,
3. ad 29. annos tantùm, ideoque in dubio poſſeſſio ex eo titulo proceſſiſſe credebatur, cùm de eo conſtaret ex iuribus in cauſa productis, *l.* 2. *C. de acquirend. poſſeſſ. l. quædam mulier, ff. de rei vendic.* Alciatus *tract. de præſumpt. regula* 2. *præſumpt.* 23. Decianus *conſil.* 19. *num.* 71. *& conſ.* 124. *num.* 40. *lib.* 3.

Poſtremò aderat etiam non mediocris calumniæ ſuſpicio, vel ad cauſæ expeditionem retardandam, vel ad deciſiones Rotales eludendas, ſicut in alia deciſione conſideratum fuerat.

## *Peruſina reintegrationis.*

### Die Lunæ 5. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Statutum excludens fœminas ad ſucceſſionem, donec ſuperſunt maſculi, eſt ſuſpenſiuum, non excluſiuum earum.*

3 *Caſus pendens à lege, vel ſtatuto vetere, vel præcedente, præteritus dicitur.*

4 *Statutum nouum, non diſponens aliquid diuerſum ab alio vetere, trahitur ad illud.*

5 *Factum præteritum, ſi expectet ab euentu futuro, lex noua ipſum comprehendit.*

### DECISIO DCV.

PRæſuppoſitis deciſionibus in hac cauſa factis, & aliis vtrinque deductis, dubitaui, an eſſet locus veteri ſtatuto Peruſino *lib.* 2. *rubrica* 45. condito anno 1523. quo cauebatur, fœminas in defectum maſculorum reintegrari * debere ad bona, à quibus per exiſtentiam maſculorum fuerant excluſæ, non obſtante alienatione per maſculos, vel aliquem eorum facta; vel potiùs ſtatuto reformatorio edito anno 1563. quo declarabatur, quòd ſi bona alienata per maſculos non excederent eorum portionem, & à tertiis cum titulo poſſiderentur, non poſſent à tertiis auocari; tunc tamen ius mulieribus integrum reſeruaretur, ſi alienatio excederet portionem maſculorum, vel maſculi alienantis. 1.

* de quo ſuprà dec. 469. n. 13.

Et Rota vtraque parte informante, antiquo ſtatuto factum locum cenſuit; cùm enim opinio Bartoli *in l.* 1. *ff. ad Tertul.* dicentis ſtatutum excludens fœminas donec ſuperſunt maſculi, eſſe ſuſpenſiuum * non excluſiuum fœminarum, ſit communis, & à Rota comprobata apud Thomam de Thanis *deciſione* 50. incip. *Opinio Bartoli.* inde inferebatur, ius reintegrationis fœminarum habere originem à tempore præterito, etiam ante reformationem, ideoque ſtatutum vetus, non reformationem, fuiſſe retinendum. Gabriel *conſ.* 42. *num.* 52. *lib.* 2. quamuis enim caſus perficiatur ex futuro euentu, cùm initium trahat à tempore, & ſtatuto vetere præcidente, præteritus dicitur. Calcaneus *conſ.* 15. *num.* 12. *& ſeq.* Vincentius Hondedeus, (qui loquitur in terminis huius ſtatuti Peruſini) *conſ.* 16. *num.* 17. *& ſeq.* 2. 3.

* adde ſuprà dec. 434. n. 3.

Quod maximè dicendum videbatur in propoſita facti ſpecie, in qua cùm ſtatutum nouum non diſponeret aliquid diuerſum à vetere ſtatuto, ſed ſolùm declararet, quòd in antiquo ſtatuto virtualiter continebatur, trahendum erat ad præterita, * Felinus *in cap. quoniam, num.* 17. *de conſtit.* Gabriel *in communib. concluſ. tit. de regulis iuris, concluſ.* 5. *num.* 10. 4.

* adde Rotam diu. p. 2. dec. 142. n. 2. & ſeq.

Et quamuis ſtatutum reformatorium non fuiſſet merè declaratorium ſtatuti antiqui, adhuc tamen comprehenderet hunc caſum, ex ratione ſuperiùs explicata, quia quando factum de præterito expectat perfectionem ab euentu futuro, lex noua ipſum comprehendit. gloſſ. *in Clement.* 1. *in verb. in poſterum, de ætat. & qualit.* Felinus *in dicto cap. quoniam, num.* 11. *verſ. fallit* 5. *de conſtit.* Caſſadorus *deciſ.* 5. *num.* 16. *& ſeq. de præbend.* vnde licèt actus reintegrationis non fuiſſet perfectus, imò neque inceptus tempore ſtatuti antiqui, quia nondum venerat caſus defectionis maſculorum, licèt poſtea tempore nouæ reformationis contigiſſet, regulandus erat ex præſcripto veteris ſtatuti, & propterea, cùm ad effectum, de quo agebatur, nulla poſſet conſiderari vera, & realis differentia inter ſtatutum antiquum, & reformationem, (nam dum ſtatutum antiquum diſponebat, quòd fœminæ reintegra 5.

integra

integrarentur, non obſtantibus alienationibus bonorum, à quibus erant excluſæ, ſatis videbatur, intellexiſſe de alienatione, reſpectu portionis fœminarum tantùm, non autem reſpectu portionis maſculorum alienantium, à qua portione fœminæ non erant excluſæ, quòd poſtea magis ſpecificè declaratum fuit in reformatione, qua cauebatur, quòd fœminæ poſſent recuperare à tertiis poſſeſſoribus id ſolum, quod excederet portionem alienantis, ideo optimo iure fuit concluſum,& vtrique ſtatuto ſtandum,quia idem erat vtriuſque finis, & ſtandum fuiſſe deciſis, maximè cùm hæc ſtatuta intelligantur de reintegratione * fœminarum ad portionem, quam habituræ fuiſſent tempore excluſionis: vt fuit deciſum in cauſa Viterbien. die 22. Maij 1587. coram bon. mem. Bubalo tunc Rotæ Auditore.

*de hoc ſtatuto, vide Rotam diu. p.3.lib.3.deciſ.948. & 949.& 950.

---

## *Papien. bonorum.*

### Die Lunæ 5. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Comparitio in cauſa, facit legitimum contradictorem comparentem.*

3 *Contradictor legitimus dicitur veniens ad cauſam, ſi habet aliquod intereſſe.*

4 *Euictio inducit euincentem, ad habendum intereſſe, vt poſſit ad cauſam venire.*

5 *Teſtium examen, etiam poſt publicationem, admittitur fauore minorum.*

6 *Minor non reſtituitur ſolo beneficio minoris ætatis, niſi aliqua læſio ſequatur.*

7 *Priuilegiatus, contra pariter priuilegiatum, non gaudet priuilegio, niſi alius agat de damno vitando, quia tunc gaudet.*

## DECISIO DCVI.

1. QVoniam die 19. Martij proximè præteriti, * cenſuerat Rota, octo articulos continentes corroſionem partis territorij Barbiani, fuiſſe à Rotulo Remiſſoriæ amouendos, quia ſuper illis fuerant in partibus examinati teſtes, & eorum dicta publicata, niſi minores eſſent in cauſa, de quorum præiudicio ageretur, ideo propoſito dubio, ſtrictè ad intereſſe Petri Martyris minoris, reſponſum fuit, de illo conſtitiſſe, & propterea iſtos articulos non fuiſſe reſecandos; in partibus enim fuerat etiam mota cauſa contra ipſum, pro reconſignatione quartæ partis bonorum, de quibus agebatur; vt apparebat ex monitorio, & reſponſione partis, vnde quam-

*ſuprà dec. 595.

2. uis in ſententia Rotali non fuiſſet nominatus, nihilominus tamen, quia ad cauſam venerat, & mediante matre tutrice comparuerat, (vt conſtabat ex actis) ex quibus ſententiæ declarantur. Crauetta *conſil.* 188. *num.* 1. Paulus de Caſtro *conſil.* 376. *num.* 1. *lib.* 1. & fuit deciſum in vna Vicen. augumenti coram me die 16. Decembris 1588. * & conſequenter ſententia Rotalis eum afficere potuiſſet, ſatis dicebatur, de illius intereſſe † conſtare, & eo maximè, quia cùm ageretur pro recognatione bonorum actione locali contra deſcendentes ab inueſtitis, & Petrus Martis crederetur, ab eiſdem deſcendere: haberetque in-

*ſuprà dec. 2.n.6.

† & tertius pro ſuo intereſſe admitti debet, vt per Ludouiſ.dec. 303. n. 1. & 259. vbi latè annota. allegat plures deciſ.

tereſſe in cauſa, ratione medietatis quartæ partis, & apparebat ex aſſertione aduerſarij, ex eo quòd iudicium, & condemnatio contra omnium perſonas fieri debebat, gloſſ. *in l. in hoc iudicio, ff. famil. erciſcun.* Bartolus *in l. de vnoquoque, in princ. ff. de re iudic.* dicebatur, ſufficienter de minoris intereſſe conſtare, quod euidentiùs demonſtrabat actio euictionis, qua, vigore ſententiæ Rotalis, tenebatur minor, aliis cohæredibus, pro terris euictis, quæ ex diuiſione illi obuenerant. *l. ſi fratres. C. communia vtriuſque iudic. l. familiæ ff. famil. erciſcun.* Romanus *conſ.* 457. *num.* 2. 3.

Itaque, non obſtante teſtium examine, & publicatione * etiam poſt latam ſententiam contra alios, cùm inde poſſet minor præiudicium pati, erat admittendus ad nouum examen. Gabriel *de teſtib. concluſ.* 21. *num.* 91. *in* 32. *fallentia,* Crauetta *conſ.* 202. *n.* 21. 4.

*vide ſuprà dec.604.n.2.

Quod procedebat, licèt minor non fuiſſet ad ſententiam citatus, quia ſatis erat veniſſe ad litem, vt illa defendere debuiſſe, & ſententiam per conſequens, ſibi præiudicare potuiſſe. 5.

Neque obſtabat illa oppoſitio, quòd minor non reſtituatur ſolo beneficio minoris ætatis, niſi ſaltem ſummariè conſtet, quòd habeat nouos teſtes, quos propter fragilitatem omiſerat examinare, vel quando nullas penitus probationes fecit. Ægidius *deciſione* 38. Puteus *deciſ.* 193. *lib.* 2. Achilles *deciſione* 9. *de reſtit. in integr.* quoniam reſpondebatur, magna ex parte hæc in hac facti ſpecie contigiſſe, cùm prætenderetur in partibus, factas fuiſſe ſeparatas defenſiones maiorum, & minoris, & per maiores ſolùm, teſtes fuiſſe examinatos, minorem autem dixiſſe, ſe non teneri ad aliquid probandum, cùm eſſet reus, actoreſque non probarent, & ex his videbatur fieri locus limitationi, ad fauorem minoris, quòd eſſet reſtituendus, & admittendus ad teſtium examen, & eo præſertim nomine, quia publicatio teſtium, non dicebatur facta, ad minoris inſtantiam. 6.

Non obſtabat, quòd proceſſus eſſet cum Eccleſia, quæ cùm ſit priuilegiata, haberet locum regula, quòd priuilegiatus * non gaudiat priuilegio, contra pariter priuilegiatum; quia reſpondebatur, ei regulæ non eſſe locum, quando vnus agit de damno vitando, vt agebat Petrus minor in hac cauſa, *l. verum. §. fin. & l. ſi minor ff. de minorib.* gloſſ. *in l. fin ff. ex quib. cauſ. maiores,* Alexander *conſ.* 55. *n.* 18. *lib.* 5. & fuit deciſum in cauſa Romana vineæ de Scapucciis die 10. Martij 1578. coram D. Cardinale Blanchetto. 7.

*adde Dur. deciſ.402. n. 16.& 18. Ludouiſ. deciſ. 473.num.13. & 14.

Atque ex his ceſſabant cætera, in alia deciſione * conſiderata contra Dominos de Becchariа, de timore ſubornationis, & calumniæ, quæ reſpectu minoris, qui ad cauſam venerat, pro neceſſaria defenſione, timenda non fuerant.

*ſuprà in d.deciſ.595. n.5.

---

## *Bonon. fideicommiſſi de S. Petro.*

### Die Veneris 9. Maij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumentum authenticum, à Notario, cui à collegio data fuit facultas, illud authenticandi, facit fidem.*

2.3 *Nota Tabellionis ſi habeat omnia requiſitа inſtrumenti, facit fidem.*

6 *Fideicommiſſum non præſumitur agnitum à fideicommiſſario voluntariè, ſed à teſtatore inductum.*

7 *Notarij duo ſi ſint rogati, ſufficit ad valorem ſcripturæ, vt vnus ſubſcribat, & n.* 10.

8 *Scriptura adminiculata cum alijs circunſtantijs, inducentibus eius veritatem, facit fidem.*

9 *Teſtamentum non vitiatur per omiſſionem Notarij, inſcribendo ſignum.*

11 *Teſtamenti imperfectio non conſideratur ex accidentibus, & acceſſorijs, ſed ex defectu inſtitutionis hæredis.*

12 *Dies incipit à media nocte, more Romano.*

13 *Statutum, quod deſuetudo, vel non vſus abrogauit, non ligat.*



## DECISIO DCVII.

1. VTraque parte informante, Rota cenſuit, adhibendam fuiſſe fidem ſcripturæ teſtamenti, conditi anno 1487. à quondam Marco de Sancto Petro, authenticatæ ante motam litem, & in formam publici inſtrumenti redactæ per Notarium; cui à Collegio fuerat data facultas eam authenticandi vigore ſtatuti Bononien. Verallus *deciſ.* 351. *num.* 2. *part.* 2. Curtius iunior *conſil.* 162.

2. Tum, quia nota originalis habebat omnia requiſita à iure communi, & ſtatuti Bononien. annum * videlicet, menſem, diem, indictionem, teſtes, rogatum, & Notarij ſubſcriptionem, & clauſulam *Actum*, &c. Felinus *in cap.* 1. *de fide inſtrument.* Afflictus *deciſ.* 6. *n.* 2. Ruinus *conſ.* 90. *n.* 15. *lib.* 1. & *conſ.* 144. *n.* 4. *lib.* 4.

*adde infrà dec.633.n.3. & Cau. dec. 641.ferè per totam, Mant. dec.3.n.1. & 2. & fuit dictum in Romana dotis de Sfortia 14.Decembr. 1612. coram Manzanedo impreſſa per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.368 n.4. & 5.

Tum quia fuit reperta in filcia bene cuſtodita. Cynus *in l. contractus, num.* 14. *C. de fide inſtrument.* Pariſius *conſil.* 27. *numer.* 18. *lib.* 2. & fuit ſæpe in Rota deciſum, & præſertim in vna Albanen. bonorum coram Grato anno 1565. & in cauſa Parmenſis ſtatus, & in vna Nouarien. alienationis coram me die 2. Martij 1592. †

3.

4. Supradictis accedebat obſeruantia, * quæ licèt præciſè non reſpiceret fideicommiſſum, contentum in teſtamento, reſpectu tranſuerſalium, comprobabat tamen exiſtentiam teſtamenti, quod tanquam perfectum, & validum agnouiſſe videbantur, tam executores eiuſdem teſtamenti, quàm hæredes in eo inſtituti: nam cùm teſtator iuſſiſſet, expenſis hæreditariis affrancari duo prædia, ſita in terra Cadriani, ad commodum Iacobi, alterius ex filij hæredibus inſtitutis, Ludouicus de S. Petro, vnus de executoribus, poſt obitum teſtatoris die 28. Februar. 1588. ea prædia affrancauit, vt patebat ex inſtrumento confecto à Franciſco de Comitibus, in quo aſſerebat, id factum fuiſſe pro exequendo teſtamento Marci, de quo ipſe Franciſcus fuerat in ſolidum rogatus, cum S. Iacobo de Lorano.

† ſuprà dec. 202.

* & obſeruãtia dat robur etiã ſcripturæ informi, vt per Coccin. dec. 128. n. 7. & Mantic. dec. 82.n.2.

5. Rurſus, idem appparebat obſeruatum in mille libris legatis Monialibus S. Petri Martyris, expenſis ann. 1489. in conſtitutione parietis Monaſterij, cui affixa fuerant inſignia familiæ de S. Petro, quæ nunc etiam inibi cernuntur, ex quibus tollebatur ambiguitas, vt fabrica cenſeretur facta, non de pecuniis Monaſterij, ſed de legato à Marco, Monialibus relicto.

Præterea Vincentius alter ex filiis, & hæredibus Marci teſtatoris, de bonis hæreditariis eiuſdem Marci, elegerat pro ſua legitima, & Trebellianica, duo prædia; hæc enim electio indicabat, illum agnouiſſe fideicommiſſum, quod in ſuum præiudicium non erat veriſimile agniturum, niſi fuiſſet à teſtatore inductum. *l. cùm de indebito. ff. de probat.* Alexand. *conſ.* 3. *n.* 8. *lib.* 2.

Concurrebat poſtremò, ad obſeruantiam * eiuſdem teſtamenti, factum Cornelij de S. Petro, nepotis Marci teſtatoris, qui cùm anno 1574. ætatem ſuam ingraueſcentem agnouiſſet, adminiſtrationem bonorum conceſſerat Marco de S. Petro, eius ex fratre nepoti, vbi Cornelius præmiſſa narratiua, quod ſciebat, vigore teſtamenti Marci, conditi anno 1487. de quo fuerant rogati Iacobus de Loiano, & Franciſcus de Comitibus bona ſtabilia communia cum Mario, fuiſſe fideicommiſſo ſubiecta, & poſt mortem Cornelij Mario deberi, & illius deſcendentibus, ſi ſuperuixiſſent, ſin autem aliis nominatis in prædicto teſtamento, & conſequenter de illis non potuiſſe diſponere, propterea eidem Mario concedebat eam adminiſtrationem, quod factum, cùm ſubſequuta ſuſceptione adminiſtrationis per Marium, oſtendebat veritatem prædictæ ſcripturæ teſtamenti, præſertim cùm in fine inſtrumenti, eiuſdem conuentionis, tam Cornelius, quàm Marius conteſtarentur, omnia illic enunciata fuiſſe vera. 7.

* quæ dat robur ſcripturæ, vt annotaui ſuprà n 4.& tradit Seraph. dec. 1334.n.5 vbi in margine ad propoſitum allegatur præſens dec.

Ex his adminiculis cenſebat Rota, adeò fuiſſe roboratam prædictam ſcripturam teſtamenti, vt de illius veritate facilè dubitari non poſſet. Crauetta *conſil.* 73. *numer.* 36. Achilles *deciſione* 1. *num.* 4. *de confeſſis*, Verallus *deciſ.* 234. *num.* 2. *parte* 1. 8.

Nec fidem minuebat defectus ſigni Notarij, de teſtamento rogati, quia cùm ſignum non ſit de ſubſtantia * contractus, illius omiſſio ſecundùm magis communem opinionem, non vitiat teſtamentum. Alexander *in rubrica ff. de noui oper. nunt.* Pariſius *conſ.* 28. *num.* 62. *lib.* 2. Natta *conſil.* 46. *num.* 1. & tenuit Rota apud Chiſanenſem *deciſione* 71. incip. *Inſtrumentum, in quo eſt omiſſum ſignum.* 9.

*de hac propoſitione vide ſuprà dec. 59.n.7.& adde Lud. 454. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. licèt illam inſcribat de anno 1607.& vide annotã.ibidẽ n. 6. vbi pro hoc articulo allegat plures deciſ. & Caualer.dec. 122. n. 2. & Rotam rec. p.1.dec.628.

Quòd duo Notarij eſſent rogati de teſtamento, & vnus tantùm ex illis reperiretur ſubſcriptus, non detrahebat fidem eidem ſcripturæ: quoniam quando duo Notarij ſunt in ſolidum rogati, ſatis eſt, ſi vnus ſubſcribat. Baldus *in l. fin. §. cùm igitur, num.* 11. *C. de iure deliberan.* Rota apud Chiſanenſem *deciſ.* 102. incip. *An ſufficiat ſubſcriptio.* 10.

Quæ dicebatur de imperfectione voluntatis teſtatoris, collecta, vel ex folio quodam albo, in teſtamento inſerto, vel ex litteris inibi inductis, leuia cenſuerunt Domini, quoniam imperfectio ad effectum nullitatis teſtamenti, non conſideratur ex accidentalibus, ſeu acceſſoriis teſtamenti, ſed ex defectu inſtitutionis hæredis. Alexand. *conſ.* 105. *n.* 4. *lib.* 1. Rota *in vna Romana de Pichis* die 13. Iun. 1582. coram R.P.D. meo Seraphino.* 11.

* habetur in impreſſis Seraphin. dec. 581.

In hoc ergo teſtamento, cùm de inſtitutione hæredum non dubitaretur, non erat locus imperfectioni voluntatis.

Quum nullo pacto licebat colligere ex eo, quòd dicta ſcriptura teſtamenti diceretur notata die 5. Septembr. ann. 1487. & tamen in eadem ſcriptura notabatur, teſtatorem deceſſiſſe eadem die

die diluculo, quaſi non potuerit in tam breui temporis ſpatio relegi, & conſiderari, & conſequenter, tanquam imperfectam reſpuendam; quia reſpondebatur, quòd cùm more Romano dies incipiat à media nocte. *l. more Romano. ff. de ferijs.* Harmenopolus *in promptuario iuris, lib. 4.*
12. *tit. 3. de verbor. ſignif. §. dies*; non fuerat impoſſibile à puncto mediæ noctis, vſque ad crepuſculum matutinum, ſeu diluculum, eam ſcripturam rogari, & ſpiculatione vallari, & teſtibus muniri potuiſſe.

Denique non obſtabat ſtatutum Bononien. *lib. 2. ſtatutorum ciuil. ſub rubrica de inſtrument. & actis in ſcriptis redigen.* quo ſancitur, inſtrumenta debere protocollari, vt fidem mererentur. Quia reſpondebatur ab anno 1454. quo fuerat conditum ſtatutum, vſque ad annum 1530. potiùs conſtitiſſe de illius diſſuetudine, quàm de obſeruantia, neque enim videbatur vſu receptum, cùm ex relatione iudicis Commiſſarij, cui eam rem explorandi curam, in hac cauſa Rota demandauerat, innotuiſſet, plures Notarios conſueuiſſe inſerere inſtrumenta, de quibus rogabantur, in filciis, quàm ſcribere in Protocollis, & propterea non fuiſſe conſiderandam ſtatuti ſanctionem, quam deſuetudo, aut non vſus abrogauerat; Felinus *in cap. 1. num. 6. & 10. & 13. de treuga, & pace,* Mohedanus *deciſ. 5. de teſtament.* Achilles *deciſ. 4. de conſtit.* *tit.* Federicus de Senis *conſ. 47. num. 2.* Alexander *conſil. 216. num. 26. lib. 2.* & tenuit Rota *in vna Valentina* * *coram Fabio,* incip. *In cauſa Valentina.* vbi agebatur de priuilegiis Religionis Sancti Ioannis Hieroſolymitani. * habetur dec. 101. p. 3. lib. 3. diu.

Et eo maximè, quia huiuſmodi facultates, quæ fuerant conceſſæ bon. mem. Horatio Burgheſio, qui tempore moti iudicij erat Auditor Cameræ, erant poſteriores priuilegio Gregorij XIII. cui propterea derogabant, cùm poſteriora prioribus derogare cenſeantur, præſertim quando ſunt apta comprehendere omnes diſpoſitiones præcedentes, qualis eſſe videbatur hæc derogatio. 3. *cap. paſtoralis, de reſcript. cap. 1. de cognat. ſpirit. l. non eſt nouum. ff. de legib. l. pluribus ff. de procurat.*

Secundò, in eandem ſententiam itum eſt, quia idem A. C. particulariter fuit à fel. record. 4.
Sixto Papa V. deputatus, per Breue Apoſtolicum à Balduino obtentum, quo committebatur eidem Auditori, vt conſtito ſibi ſummariè, quòd quidam Valterius obiiſſet in poſſeſſione Canonicatus, & præbendæ menſe Maio, eundem Balduinum in illius poſſeſſionem immitteret, ex hac enim particulari deputatione apparebat, voluiſſe Pontificem, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, Auditorem Cameræ in cauſa procedere, vt propterea non poſſet de illius iuriſdictione dubitari; ideoque concluſum, geſta coram eo non fuiſſe inualida.

## *Leodien. Canonicatus.*

### Die Lunæ 12. Maij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Executor quarumcumque litterarum Apoſtolicarum conſtituitur Auditor Cameræ.*

2 *Auditor Cameræ eſt executor quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, & cum quibuſuis clauſulis.*

3 *Priuilegia poſteriora derogant prima, ſi ſint apta comprehendere diſpoſitiones præcedentes.*

## DECISIO DCVIII.

1. AD dubium * vtraque parte informante propoſitum, an geſta coram Auditore Cameræ eſſent inualida, & reuocanda? Rota reſpondit, non fuiſſe inualida, ex duplici cap. primò ex facultatibus A. C. quibus conſtituitur executor † quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, cum derogatione omnium, & quorumcumque priuilegiorum conceſſorum vniuerſitatibus, & quibuſlibet perſonis, in quacumque, etiam Cardinalatus dignitate conſtitutis, & ſub quibuſcumque tenoribus, & clauſulis, & decretis, pro quibuſcumque
2. cauſis, etiam motu proprio, & executa ſcientia, etiamſi de illis ſpecialis mentio eſſet neceſſaria, cum clauſula, *quorum tenores, ſublata,* & decreto irritante, ex his enim cenſebatur ſufficienter derogatum priuilegiis, Vniuerſitati Louanienſi, conceſſis à Martino V. Paulo II. & Gregorio XIII. vt non poſſet dici A. C. iuriſdictione caruiſſe, Antonius de Butrio *conſil. 2. num. 4.* Felinus *in cap. nonnulli, num. 23. de reſcript.* Ripa *in cap. 2. num. 55. verſ. ſed hic occurrit, eod.*

* hæc deciſio habetur penes Marcheſ. de cõmiſſ. p. 1. pag. 771. & iterũ p. 3. pag. 109. † adde Coc. dec. 169. n. 3. & 5. & Rotã diuerſor. p. 3. lib. 2. deciſ. 149. n. 3.

## *Firmana Canonicatus.*

### Die Lunæ 12. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio capta appellatione pendente, eſt attentata, & nulla.*

4 *Patronus Eccleſiaſticus, ſi præſentauerit, & præſentatus noluerit acceptare, habet aliud quadrimeſtre ad præſentandum, à die habita notitia voluntatis præſentati.*

## DECISIO DCIX.

SVper dubio dato, an ſententiæ latæ ad fauorem Antonij Magnalbi eſſent confirmandæ, vel infirmandæ? vtraque parte informante Rota primum cenſuit, ſententiam Rotæ Maceratenſis, pronunciantis ſuper attentatis, contra ſententiam Vicarij Maceratenſis, fuiſſe iuſtam: cùm enim Vicarius Maceratenſis pendente appellatione, interpoſita ab Antonio, poſt latam ſententiam ad fauorem Curtij Guerrerij, à qua poterat appellari, eidem contuliſſet poſſeſſionem, talis poſſeſſio fuit attentata, * & reuocanda. *cap. non ſolùm, de appellat. lib. 6.* Verallus *deciſione 234. lib. 1. in manuſcript.* Mohedanus *deciſione 11. titul. de præbend.* 1.
2.

* adde ſuprà dec. 167. n. 2. & 514. n. 1. & deciſ. 388. n. 13. & dec. 400. vbi annotaui alias deciſ.

Nec vitium attentatorum excludebatur, per reſcriptum Sanctiſſimi, directum Epiſcopo Lauretano, vt procederet ſuper negotio principali: quia licèt in eo adeſſet clauſula, quòd procederet reiectis attentatis, & propterea poſſeſſio Curtij non poſſet dici omnino improba, non tamen reddebatur poſſeſſio ita valida, & legitima, vt Curtius tanquam reus, & poſſeſſor poſſet vincere per non ius Antonij: ſed hoc ad ſummum operaretur illa poſſeſſio, quòd Curtio remanente in illa poſſeſſione, ſeu potius detentatione, abſque alia reuocatione ſententiarum, poſſet cauſa tractari ſuper negotio principali. 3.



Quantum ad ſententias, reſpicientes negotium principale, quoniam illarum iuſtitia pendebat ab illo articulo, an communitas Sancti Lupidij legitimè præſentauerit Odoardum, Rota cum præſuppoſito, quòd dicta communitas legitimè Odoardum præſentaſſet, pronunciauit, ſententias latas à Vicario Firmano, & Lauretano, ad fauorem Antonij fore confirmandas; quia tunc non eſſet locus gratiæ Curtij, fundata in deuolutione, cùm communitas patrona, à die quo ſciuit, Odoardum noluiſſe acceptare præſentationem de illo factam, habuiſſet * aliud quadrimeſtre, ad præſentandum. Rota *deciſ. 8. de iurepatron. in nouis,* Rochus de Curte *tract. de iurepatron. in verb. honorificum, n. 74.*

Quòd ſi non conſtaret de tali præſentatione intra quatuor menſes, tunc locus erat allegatis pro Curtio: & ideo, quia difficultas in hoc verſabatur, videndum erat particulariter, an adeſſet præſentatio, quæ foret legitima, & valida.

Sed neque reſpectu Eccleſiæ Abbatialis, poterat conſiderari præiudicium, cùm Papa (qui liberam habet beneficiorum * Eccleſiaſticorum diſpoſitionem, *cap. 2. de præbend. lib. 6. Clem. 1. vt lite pendent.*) ſciens, & prudens eam applicationem facere voluerit. 4.

* adde ſuprà dec. 22. n. 3. & deciſ. 572. n. 8.

Ad deciſionem Domini Cardinalis Blanchetti, in cauſa Peruſina Vnionis facta menſe Martio 1596. reſpondebatur, non applicari ad hanc facti ſpeciem, quoniam in ea priuabatur Abbas, ſeu Rector iure conferendi, ſibi iam quæſito contra ſuam voluntatem: ſecus autem fuiſſe hîc, cùm Abbas applicationi conſenſerit, ſucceſſores verò Abbatiam illo onere grauatam * haberent, & ſic ius cum ſua cauſa. 5.

Quæ dicebantur de præiudicio, reſpectu operum piorum, ex redditibus Abbatiæ adimplendorum, non pertinebant ad dubium propoſitum, cùm reſpicerent potiùs ſubreptionem, aut inualiditatem gratiæ, de qua erat agendum; idemque iudicium fuit, reſpectu annatæ, ſuper qua in diſcuſſione cauſæ erat videndum, an ei eſſet præiudicatum, vel deberetur annata, vel ſaltem quinquennium, ratione fructuum applicatorum.

## *Burgen. applicationis 400. ducatorum.*

### Die Veneris 16. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Præiudicium non infertur conſentienti.*

3 *Succeſſor in beneficio non poteſt conqueri de grauamine impoſito cum auctoritate Papæ, & n. 5.*

4 *Papa habet liberam diſpoſitionem beneficiorum Eccleſiaſticorum.*

## DECISIO DCX.

1. ANno 1560. fel. record. Pius Papa IV. ad petitionem Monialium S. Michaëlis de Villadiego, illarum Monaſterio perpetuò applicauit, ex fructibus Abbatiæ de Foncea, ſingulis annis ducat. 400. loco annuæ penſionis, ſiue perpetuæ reſeruationis, arbitrio Monialium, de conſenſu Garciæ de Salamanca, tunc Abbatis, cum clauſula, *ſublata facultate aliter iudicandi*; ſed quia Gregorius de Ayala, modernus Abbas, obtenta oris aperitione, commiſerat cauſam in Rota ſuper nullitate illius applicationis, in qua non fuerat derogatum regulæ de iure quæſito, dubio
2. ſuper hoc propoſito, & ſolo Abbate informante, Rota cenſuit, Monialibus non obſtare regulam, quia eius derogatio non fuerat neceſſaria, reſpectu Abbatis, qui tunc conſenſerat, cui ſolus volenti, & conſentienti, non inferebatur præiudicium. Dinus *in regula, qui tacet, de regul. iur. lib. 6.*
3. Similiter, reſpectu Abbatum ſucceſſorum non fuerat neceſſaria derogatio, quia tunc nullum erat eius ius quæſitum, cui derogare oportuiſſet. Puteus *deciſ. 264. & 265. lib. 2.* regula enim procedit in iure perfecto, & radicato.

## *Tullen. Monaſterij Sancti Manſueti.*

### Die Veneris 16. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Mandatum nunquam præſumitur datum ad delinquendum, niſi probetur.*

3 *Fides non adhibetur Monachis litigantibus contra Abbatem.*

4 *Inſtrumentum ſi referatur ad id, quod non conſtat, nihil probat.*

5 *Notarius non rogatus non conficit inſtrumentum probans.*

6 *Probationis beneficij pœna, ipſo iure non inducitur, mandanti lacerari cedulones, excommunicationis.*

7 *Periurius non eſt priuatus ipſo iure beneficio, ſed alia pœna eſt plectendus, & n. 10.*

8 *Reus à legitimo iudice interrogatus, tenetur confiteri veritatem, ſub peccato mortali.*
*Sed ſi neget, non punitur vt periurus, n. 9.*

11 *Teſtes deponentes extra interrogatoria, non probant.*

12 *Teſtis non ſpecificans caſus criminis, à quibus fama originatur, non probat.*

## DECISIO DCXI.

AGentes * contra Abbatem Nicolaum plura delicta cumulauerant, vt tandem obtinerent declarari, illum ipſo iure priuatum, vel ſaltem Abbatia priuandum, videlicet concubinatum, quem Rota cenſuit non fuiſſe probatum, die 27. Ianuarij, proximè præteriti: † item non promotionem ad ſacros Ordines, quam dixit ei non obſtitiſſe die 17. Martij: * item dilapidationem bonorum Abbatiæ, quam excluſit die 18. Aprilis: † in hac propoſitione, vna tantùm parte informante, (quoniam promouentes cauſam 1.

* habetur hæc deciſio impreſſa per Farin. tom. 1. conſ. cõſilio 80. n. 64. † ſuprà dec. 581. * ſuprà dec. 594. † ſuprà dec. 600.

ſam contra Abbatem ſæpe citati, & per Auditorem moniti, noluerunt informare) tria alia debita, dilacerationem cedulorum, periurium, & crimen nefandum, reiicienda cenſuit.

2. Quia dilaceratio cedulorum, quibus Abbas denunciabatur excommunicatus, nec probabatur facta per ipſum, nec de ipſius mandato, quod nunquam præſumitur datum ad delinquendum, * niſi concludenter probetur, & præſertim in hoc caſu, in quo ad lacerationem probandam producebatur inſtrumentum, confectum per Gerardum Vinot. Notarium, qui aſſerebat, ex informationibus Monachorum, inibi nominatorum ſibi conſtitiſſe, Abbatem cedulones lacerari mandaſſe: nam Monachis, contra Abbatem litigantibus, nulla fides fuit adhibita. Pariſius *conſil.* 152. *num.* 9. *lib.* 4. Crauetta *conſil.* 171. *num.* 7. Socinus ſenior *conſ.* 47. *num.* 15. *lib.* 4. Verallus *deciſ.* 264. incip. *Teſtes ſuſtinentes litem, parte* 3.

* adde Rotã in vna Romana pecuniaria 20. Nouembris 1587. coram Blanchetto impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 29. n. 2. & Cau. dec. 223. n. 4.

3. 4. Notario autem minus fuerat credendum, tum quia referebat, ſe ad informationes, de quibus * non conſtabat, Aretinus *conſil.* 110. *num.* 1. *verſ. nec valet ſi dicatur.* Corneus *conſil.* 57. *num.* 6. *lib.* 3. Decianus *conſil.* 121. *num.* 18. *lib.* 3. tum quia
5. non fuerat Notarius de illa laceratione rogatus. * Decius *conſil.* 118. *num.* 4. Achilles *deciſ.* 4. *de fide inſtrument.* tum poſtremò, quia eundem Notarium in hac cauſa, Rota ſuſpicabatur ſuſpectum in alio inſtrumento, quod ediderat ſuper concubinatu, vt nullam propterea fidem ei
6. cenſuerit adhibendam.

* Dur. deciſ. ſiue diſcurſu 285. n. 118.

* adde ſuprà dec. 257. n. 5. & 309. n. 3. vbi alias dec. annotaui.

Sed difficultas tollebatur, quia licèt mandatum Abbatis ad lacerandum, & dilaceratio etiam ipſa fuiſſet probata, non tamen propterea inducta erat ipſo iure priuatio, * nec veniebat priuandus: quia talis pœna ob tale delictum non reperitur iure ſancita. gloſſ. communiter recepta *in cap. fin.* vbi Abbas, & cæteri, de iurepatronatus. Decius *in cap.* 2. *num.* 3. *de reſcript.* Tiraquellus *in l. ſi vnquam, in verb. reuertatur, n.* 248. *C. de reuocand. donat.*

* quæ non inducitur ipſo iure niſi in caſibus à iure expreſſis, vt fuit dictum in Foroliuien. Canonicatus coram Mellino impreſſa per Farin. poſt tom. 1. ſuorum cõſ. dec. 134. n. 2. & 3. & infrà dec. 1570. n. 15. Seraphin. dec. 286. n. 6. Rota recen. p. 2. dec. 489. n. 2. in fine.

Periurium non probatur ex eo, quòd Abbas in cauſa criminali cum iuramento interrogatus negauerit, ſe habuiſſe concubinam, & filios ex ea ſuſcepiſſe: tum quia ex prima deciſione † in hac cauſa facta patebat, concubinatum non fuiſſe probatum, & conſequenter Abbatem non iuraſſe * falſum.

Tum præterea, quoniam periurium etiam pro-
7. batum, non operabatur hanc pœnam; quamuis enim reus à legitimo iudice, legitimè, & ſecundùm formam iuris interrogatus, veritatem ſub reatu peccati mortalis confiteri teneatur, Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. vbi Caietanus, & communiter Theologi; nihilominus, ſi reus circa proprium crimen falſum dixerit in iudicio, non punitur vt periurus, ſed Deum habet vltorem. Alexand. *ad Bartolum in additione* 2. *in l.* 1. *ff. de bonis eorum, qui ſibi mort. conſciuerunt*, Auguſtinus Berous *quæſt.* 134. *num.* 6. Ægidius Boſſius *tit. de periuro, num.* 3. Iulius Clarus *in pract. crim. quæſt.* 45. *n.* 10. *verſ. quid ergo ſi reus.* idem *in* §. *periurium, n.* 11. *verſ. ſcias etiam.*

† ſuprà in dicta deciſ. 581.

8. * & quælibet cauſa excuſat à periurio, vt fuit dictũ in Romana tutelæ de Ceulis 20. Iunij 1588. impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 34. n. 3. 4. & 5. Mant. dec. 221. n. 5. & 6.

Atque ex his ceſſabat indagatio illius difficultatis, an Clericus ob periurium poſſit priuari beneficiis obtentis, vel ſit potiùs illis ipſo iure
9. priuatus: quamuis enim communis ſit ſententia, non eſſe ipſo iure priuatum, ſed venire pri-
10. uandum, * Federicus de Senis *conſil.* 50. Felinus *in cap. ex parte, el primo, n.* 2. *& ſequent. de reſcript.* Iulius Clarus *in dicto* §. *periurium, num.* 4. *verſ. item Clericus.* Bernardinus Diaz *in pract. crimin. Canon. cap.* 92. *num.* 3. vbi Salzedus *in verb. priuandus*, ea tamen intelligitur in vero periurio, & ob periurium verè probatum, quod non aderat in hac cauſa.

* adde Seraphin. dec. 1285. n. 6. & 7. Rotam recen. p. 1. deciſ. 8. n. 2.

Poſtremò crimen peſſimum non erat probatum, tum quia omnes teſtes loquebantur de auditu. *l. teſtium. C. de teſtib.* tum quia ex ſe extra interrogatoria de illo deponebant. Bartolus *in l. ſi duo.* §. *item Iulianus, num.* 8. & *ibi* Alexand. *n.* 14. *ff. de iureiurand.* Grammaticus *deciſ.* 103. *num.* 80. tum etiam, quia ſolùm dicebant in genere, quòd publicè reputabatur pro tali peccatore, nullum tamen actum particularem exprimebant, ex quibus non reſultabat concludens probatio, qualis requiritur ad effectum priuationis. * *l. fin. C. de probat.* Marſilius *conſ.* 28. maximè cùm teſtes non ſpecificarent eos, à quibus fama originem habuerat, vt fieri oportebat, *cap. qualiter, & quando el* 2. *de accuſat.* & cùm à maleuolis, † & inimicis initium habere potuerit, tanquam vana populi vox, erat ſpernenda. 11.

* adde Seraphin. dec. 1356. n. 1.

12.

† adde ſuprà deciſ. 270. n. 18. & deciſ. 581. n. 6.

Quibus accedebat conſuetudo nationum Vltramontanarum, quæ cùm communiter Italos habeant de hoc crimine ſuſpectos, tales vocare ſolent, quamuis nullius criminis in particulari rei eſſe probentur.

---

## *Regien. Prioratus.*

## Die Mercurij 21. Maij 1597.

### SVMMARIVM.

2 *Litteræ patentes Ordinarij probant habilitatem Clerici, ad obtinendum beneficium.*
3 *Valor beneficij probatur per teſtes.*
4 *Vacatio beneficij probatur per confeſſionem partis aduerſæ.*
5 *Probare tenetur pars fundamentum ſuæ intentionis, vt obtinere poſſit.*
6 *Narratiuæ gratiæ, quæ ſunt fundamentum eius, plenè, & concludenter ſunt probandæ.*
7 *Impetrans gratiam debet probare concludenter fundamentum ipſius, etiamſi ſit concepta negatiuè.*
8 *Reſignatio cenſetur non publicata, ſi de ea non conſtat in actis.*
9 *Probatio non putatur concludens, ſi aliter poteſt eſſe, vt dicitur.*

### DECISIO DCXII.

AD dubium vtraque parte informante propoſitum, ſuper iuſtificatione gratiæ Achillis de Tacculis, Rota reſpondit, Achillis gratiam fuiſſe in omnibus iuſtificatam, præterquam in eo, quod narrauerat, Camillum Boſium, eius aduerſarium, falsò aſſeruiſſe, ſe fuiſſe à patronis præſentatum. 1.

Habilitates enim Achillis probauerant teſtes de communi reputatione, Bellamera *deciſione* 114. & litteræ patentes ſui Ordinarij, * quibus ad hunc effectum creditur, *cap.* 2. vbi Abbas, *de Cleric. peregrinis.* Doctores *in cap. poſt ceſſionem, de probat.* 2.

* adde Dur. dec. 87. n. 3. & infrà dec. 712. n. 2.





3. Valor obtentorum videtur etiam probatus ex dictis teſtium, * Bellamera *deciſione* 113. & valor ſimiliter Prioratus, cenſebatur legitimè probatus, ex confeſſione Camilli per ſex menſes antea, & ſic infra tempus eiuſdem recollectionis fructuum. Bellamera *deciſ.* 268.

* adde ſuprà dec. 399. n. 5. vbi alias dec. annotaui, & vide infrà dec. 702. n. 2. & 712. n. 6.

4. Vacationem per obitum Vincentij de Tacculis ann. 1582. fatebatur Camillus in ſua gratia, qui nitebatur † eodem modo vacandi. Oldradus *conſil.* 229. Puteus *deciſione* 300. *num.* 3. *lib.* 1.

† adde Rotã rec. p. 2. dec. 309. n. 1. vbi ad propoſitũ præſens dec. allegatur, & Durand. dec. 234. n. 2. & dec. 244. n. 1. vbi allegat alias dec.

Quantum ad narratiuam, quam Achilles pro impetranda ſua gratia propoſuerat, fel. record. Gregorio XIV. dicendo, Camillum aduerſarium non fuiſſe præſentatum à patronis, Rota primum cenſuit, Achillem teneri ad illam probandam, quia erat fundamentum * ſuæ in-
5 tentionis, Bartolus *in l. illa ff. de verbor. obligat.* Crauetta *conſ.* 112. *num* 6. quod Rota ſecuta eſt, tum in cauſa Aretina Parochialis die 25. Iunij 1593. coram R. P. D. meo Orano, & in Bononien. Canonicatus coram R. P. D. meo Pamphilio tum ſæpè aliàs.

* adde Rotã diu. p. 3. lib. 3. dec 498. & Durand. dec. 278. n. 1. & aliàs ſæpe.

6. Idque plenè, & concludenter, non quia materia eſſet obiectiua, vt putabant aliqui ex Aduocatis informantibus, hoc enim non erat verum, propter incluſum ius dantis; ſed quoniam gratia, & modus vacationis erat fundatus ſuper iſta narratiua, quo caſu non ſufficit leuis illa probatio, quæ ſolet putari ſufficiens in probandis narratiuis, & qualitatibus, quæ ſunt partes gratiæ, quales ſunt, verbi gratia, Doctoratus, valor, & aliæ ſimiles, ſed exigitur probatio * concludens, & perfecta, ex quo talis narratiua eſt abſolutè cauſa conceſſionis, ſeu cauſa conceſſionis ſub illa forma, Rota apud Puteum *deciſione* 267. *in fine, lib.* 3. & in cauſa Marſicana beneficiorum die 10. Iunij ann. 1577. * coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, & in cauſa Hiſpalen. portionis coram Domino Cardinale Blanchetto.

* adde ſuprà dec. 389. n. 7.

* habetur p. 1. in impreſſis diuer. dec. 268.

7. Quod habet locum, quamuis talis narratiua habeat implicitam negatiuam, * ſeu fuerit negatiuè concepta, quia nihilominus debet verificari, per impetrantem. Pariſius *conſil.* 138. *numer.* 1. & 2. *lib.* 4. & fuit deciſum in cauſa Legdien. coram R. P. Domino Pamphilio die 2. Iunij ann. 1589.

* adde infrà deciſ. 1274. n. 4. & Lud. deciſ. 13. vbi latè annot. & dec. 242. n. 2. & 10. & dec. 490. n 7.

Præterea, quantum ad genus probationis, quo Achilles nitebatur, Rota exiſtimauit, illud non fuiſſe ſufficiens, cùm Achilles ex eo ſolùm prætenderet negatiuam probari, quòd ex reuolutione, * & lectione proceſſus nõ apparebat Alexandrum, Iulium, & Balthaſarem, à quibus Camillus dicebat ſe præſentatum, fuiſſe patronos, quia licèt hoc probationis genus locum habeat in gratia, *ſi neutri*, propter clauſulam, *& ſi per euen-*
8. *tum litis conſtiterit, ius non competere*, &c. in qua ſi in actis non conſtiterit de iure, ſatis putatur probata clauſula relata ad litis euentum; item in gratia impetrata ob non publicationem reſignationis, in qua ex eo cenſetur probata non publicatio, quod de illa non conſtat in actis, vt fuit deciſum in vna Placentina Capellaniæ. *

* adde Lud. dec. 89. n. 3. vbi ad propoſitum cum aliis allegat hanc dec.

* ſuprà dec. 577. n. 5.

Hîc tamen non ſufficiebat talis probatio, ſed oportebat narratiuam concludenter probare, ex quo erat fundamentum Achillis impetrantis, qui ſibi imputare debuerat, ſi non poſſet negatiuam probare, in qua ſe fundauerat Pariſius *conſ.* 138. *n.* 2. *lib.* 4. Gabriel *de probationib. concl.* 6. *num.* 12.

Sed nec dicebatur, negatiuam probaſſe ex eo, quòd iam fuerat in eadem cauſa deciſum, ius patronatus ſpectare ad Ioannem Baptiſtam Cæſarem, & Gaſparem: nam non fuerat id diffinitum excluſiuè, & priuatiuè ad alios, ſed ſolùm ad ſuſtinendam præſentationem ab ipſis factam: & cùm poſſibile foret, iſtos vnà cum illis, qui præſentarunt Camillum, potuiſſe eſſe patronos, probatio non erat concludens. *l. cùm hoc, C. vnde legit.* & maximè ad excludendum Camillum reum, & poſſeſſorem. 9.

Atque ex his cenſuit Rota, Achillis gratiam, quantum ad hanc narratiuam, non fuiſſe probatam, tametſi Achilles non probata probare poſſet, ad victoriam obtinendam.

---

## *Placentina Capellaniæ.*

## Die Veneris 23. Maij 1597.

### SVMMARIVM.

2 *Impetrans beneficium per diuerſos modos vacationis, non ſe reſtringens ad vnum, ſi verificauerit vnum modum, ſufficit.*
3 *Alternatiua, vt verificetur, ſufficit vnam partem eſſe veram.*
4 *Narratiua gratiæ, quæ ponitur dubitatiuè, non eſt neceſſarium illam verificare, vt gratia ſubſiſtat.*
5 *Vacatio beneficij per obitum vnius iuſtificatur, ſi ſit poſſeſſor illius, tempore mortis.*
6 *Publicatio valida beneficij, eſt pars reſignationis.*

### DECISIO DCXIII.

QVia Iulius de Beccaria, poſt iuſtificatam ſuam gratiam, petebat cauſæ expeditionem, & Auguſtinus reus, & poſſeſſor prætendebat, Iulium teneri ad iuſtificandam negatiuam non factæ publicationis, vnâ tantùm parte informante dubitaui, an gratia Iulij eſſet iuſtificata, quoad vacationem ob non publicationem, ad effectum, vt ex hoc etiam capite poſſit capere hoc beneficium? & Rota affirmatiuè reſpondit: nam cùm gratia Iulij non fuiſſet reſtricta ad vacationem ob non publicationem, nec iſte vacationis modus fuiſſet diſpoſitiuè narratus, tanquam principale gratiæ fundamentum, ita vt poſtea ſequerentur clauſulæ generales, ſiue alio quouis modo; * vt fieri ſolet in impetrationibus principaliter obtentis ob non publicationem, ſed gratia nouæ prouiſionis Iulij, cùm gratia, *ſi neutri*, principaliter, & diſpoſitiuè fundaretur in vacatione per obitum Hieronymi, & in alia gratia, *etiam valere*, non aſſertiuè, ſed euentualiter narraretur, quod à nonnullis aſſerebatur, Hieronymum adhuc viuentem reſignaſſe, nec reſignationem fuiſſe publicatam, adeò quòd gratia præcedens valeret, licèt Capellania vacaret ob non publicationem, conſequenter inferebatur ſufficere impetranti, (qui in diſpoſitiua gratiæ ſe non reſtrinxerat ad vnum modum vacandi, ſed alternatiuè * proceſſerat, ſiue ob non publicationem, ſiue aliàs certo modo,) verificare de facto vnam de vacationibus 1. 2.

* de hoc art. vide Rotam diu p. 3. lib. 3. dec. 305. & dec. 341. n. 2. & infrà dec. 632.

* adde Coc. dec. 263. n. 2. & 3. & Mant. dec. 81. n. 4.

narratis, vt tenuit Rota *in vna Bononien. Canonicatus*, die 19. Februar. ann. 1590. *& in alia Legionen. præſtimoniorum*, die 14. Iunij ann. 1593. coram R.P.D. meo Pamphilio, & ratio eſt, quia ad

3. alternatiuam verificandam ſatis eſt, alteram * partem eſſe veram. *c. in alternatiuis, de regul. iur. lib. 6. l. ſi hæredes plures. ff. de condit. inſtit. l. ſi is qui ducenta. §. vtrùm. ff. de reb. dub.*

*adde Duran. dec. 265. n. 26. & ſuprà dec. 216. n. 4.

Prædictis accedebat, quia cùm modus vacandi, ob non publicationem narraretur dubitatiuè

4. per verbum, *vt aſſeritur*, † non erat talis narratiua iuſtificanda. Caſſadorus *deciſ. 4. num. 1. verſ. ſecus ſi dicatur, de probationib. & deciſ. 7. n. 8. verſ. ſecundo verò caſu, de iurepatronat.* Rota *deciſ. 59. de reſcript. in antiq.*

† adde Cau. dec. 503. n. 5.

5. Vacatio autem per obitum Hieronymi, ex eo cenſebatur iuſtificata, quia ille obierat in poſſeſſione, * & pro iuſtificatione ſatis erat, oſtendere vacationem per obitum de facto. Puteus *deciſ. 185. lib. 2.*

*adde Rotam rec. p. 2. dec. 605. n. 6.

6. Quam Auguſtinus volebat excludere, opponendo de anteriori titulo, ſibi per reſignationem acquiſito, neceſſe erat eum docere de valida publicatione, quæ eſt pars reſignationis, vt tenuit Rota *in vna Feleſina beneficij*, die 31. Ianuarij ann. 1594. * coram R.P. Domino meo Seraphino Rotæ Decano, *& in alia Abulen. præſtimonij*, die 30. Octobris ann. 1587. coram R. P. Domino meo Gyptio, & coram me in hac eadem cauſa die 13. Ianuarij proximè præteriti. †

* in impreſſis Seraphini deciſ. 1064. n. 5. dec. 422. n. 4. & deciſ. 1297. n. 3.
† ſuprà dec. 577. n. 5. & in antecedente deciſ. n. 8. in fine.

## *Ciuitatis Caſtelli Parochialis S. Fortunati.*

SVMMARIVM.

2 *Executor cum clauſula*, vocatis vocandis, *non eſt merus, ſed mixtus.*
*& tenetur expendere exceptiones oppoſitas à parte, num. 3.*

4 *Dilatio eſt concedenda Procuratori, vt certiorem faciat principalem, in cauſa noua.*

## DECISIO DCXIV.

1. SEntentiam Vicarij ciuitatis Caſtelli ad fauorem Ioannis Baptiſtæ Piſellini, aſſignantem eidem Piſellino Parochialem Sancti Fortunati, in cuius poſſeſſione tum reperiebatur Marcus Antonius de Paſquis, Rota cenſuit reuocandam, nam cùm mandatum Apoſtolicum, Vicario directam, haberet clauſulam, *vocatis dicto Marco Antonio, & alijs, qui fuerint vocandi*, &

2. propterea Vicarius non eſſet merus, ſed mixtus * executor, debuit partes iudicis aſſumere, nec prius procedere ad mandati Apoſtolici executionem, quàm verificatis in eo narratis. Felinus *in cap. de cætero, num. 10. de re iudic.* Rota *deciſ. 30. de reſcript. in nouis.*

*adde ſuprà dec. 473. n. 3. vbi alias dec. annotaui, & dec. 507. n. 7.

3. Tenebaturque præterea exceptiones Marci Antonij rei, & poſſeſſoris admittere, & expendere. *cap. ex parte el 2. de officio delegat.* Guido Papæ *conſ. 7. num. 4.*

4. Et maximè, cùm poſtquam citatus fuiſſet Marcus Antonius, pro eo comparuerit eius frater, qui Marci fratris abſentiam allegauit, petiuitque dilationem ad illum certiorem reddendum, quam non potuit Vicarius denegare, vt fuit dictum in illa Strigonien. violationis teſtamenti die 4. Decembris ann. 1595. coram Illuſtriſſimo Mantica * tunc Rotæ Auditore.

* in impreſſis Mantica dec. 353. n. 2.

Vnde, cùm ille Vicarius non ſeruauerit ordinem iudiciarium, nec primum videre curauerit (parte etiam non opponente) vtrùm narrata in gratia Piſellini eſſent iuſtificata, & ea præſertim, in quibus principale fundamentum gratiæ conſiſtebat, videlicet, quòd Parochialis vacauerat ob non ſeruatam formam conſtitutionis Pij V.

Nec deinde mox expenderit gratiam anteriorem Marci Antonij rei, & poſſeſſoris, ſententia fuit iniuſta, & conſequenter reuocanda.

## *Camerina ſucceſſionis.*

### Die Mercurij 28. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Soror ſorori ſuccedit, & ideo filij ſubrogantur in locum amitæ prædefunctæ, excluſis alijs tranſuerſalibus, remotionibus.*

3 *Statutum iuris correctorium ſtrictè eſt interpretandum.*

4 *Agnationis conſideratio non extenditur vltra caſum à teſtatore expreſſum.*

5 *Agnationis fauor, ſi non exprimitur in ſtatuto, ab illa arguere non licèt.*

## DECISIO DCXV.

PRopoſita cauſa ſuper eiſdem, vtraque parte informante, placuit Dominis deciſio facta die 12. Iunij * ann. 1595. à qua ex eiſdem rationibus non putarunt recedendum, ſed in primis amplexi ſunt illam rationem, quæ de iure communi ſumpta, fauet ſorori, nam cùm ſoror ſorori ſuccedat, *Authent. ceſſante, & Authent. poſt fratres. C. de legitimis hæredib.* & filij ſororis prædefunctæ ſubintrent in locum matris, ad hæreditatem amitæ, excluſis aliis tranſuerſalibus remotioribus, *Authent. vt fratrum filij. C. de legit. hæredib.* & conſequenter, ſtatutum vocans patruum, magis remotum, cenſeretur correctorium iuris communis. Tiraquellus *de vtroque retract. in præfatione, num. 31.* & ideo eſſet facienda ſtricta * interpretatio, vt quantum fieri poſſet, minus à iure communi recederetur. *Authent. quas actiones. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* propterea conſequebatur, non fuiſſe locum ſtatuto, ad fauorem filiorum fratris Anchiſis, nec liberam teſtandi facultatem, de bonis Anchiſis patris, quæ ad poſthumam peruenerant, illi fuiſſe adeptam, contra iuris diſpoſitionem. *§. diſponat. Authent. de nuptijs.* Itaque ad hoc abſurdum euitandum, intelligendum erat ſtatutum Amerinum, etiam de vna fœmina, ſicut colligebatur ex præcedente verſiculo, vbi decedentes ab inteſtato cum filiabus, excluſis fratribus, vocat vnam, vel plures, nam cùm poſtea eueniente caſu deficientiæ vnius, vel plurium fœminarum, reintegrentur fratres ad hæreditatem, debuit eodem modo intelligi, ſicut declaratum fuit in prædicta deciſione, *verſ. quibus non obſtabant.*

1. 2. 3.

* ſuprà dec. 456.
* adde ſuprà dec. 456. n. 5. & 6. vbi alias dec. annotaui, & vide infrà dec. 802. n. 6.

Quæ



4. Quæ dicebantur de ſtatuto, reſpiciente fauorem agnationis, bifariam tollebantur, primò, quia conſideratio agnationis non extenditur vltra caſum, * à teſtatore expreſſum, vt Rota ſæpe cenſuit, & præſertim *in vna Bononien. de S. Petro coram bon. mem. Domino de Rubeis.*

*adde ſuprà d. deciſ. 456. num. 12. vbi alias deciſ. annotaui.

Secundò, quoniam ratio agnationis non cenſetur principaliter conſiderata per ſtatuentes, quando in ſtatuto, poſt maſculos, fœminæ etiam ad ſucceſſionem admittuntur. Crauetta *conſ. 306. num. 4.* Mantica Cardinalis *tract. de coniectur. vltimar. volunt. lib. 6. tit. 15. num. 9.* in ſtatutis enim,

5. in quibus agnatio, ſeu eius fauor, non exprimitur, ab illa arguere non licer, Petrus Ioannes Ancharanus *lib. 2. quæſt. familiar. quæſt. 66. num. 11.* Decianus *conſil. 13. num. 20. lib. 3.* Gabriel *tit. de ſtatutis, concluſ. 1. num. 7.*

Vnde, cùm ſtatutum de quo agebatur, certis quibuſdam caſibus vocaret maſculos, non erat generaliter trahendum ad alios, de quibus ſtatutum non loquebatur.

## *Taurinen. decimarum.*

### Die Veneris 30. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Laici ſunt incapaces percipiendi decimas.*

3 *Percipere vt poſſint decimas laici, indigent priuilegio Papali, vel poſſeſſione immemorabili vna cum fama priuilegij, num. 4.*

6 *Decimas non poſſunt concedere Epiſcopi, poſt Concilium Lateranenſe.*

6 *Infeudare, vel concedere decimas, non poſſunt Epiſcopi, vel Prælati hodie.*

## DECISIO DCXVI.

1.
2. OBtinuerat Epiſcopus Taurinenſis an. 1588. duas ſententias ad fauorem menſæ Epiſcopalis ſuper iſtis decimis, contra Comites de Valperga, vnam à iudice Commiſſario, alteram à Nuntio Apoſtolico, Taurini reſidente, deinde cauſa per appellationem introducta in Rota, dubitaui, an ſententiæ eſſent confirmandæ, vel infirmandæ? Et Domini altera tantùm parte informante, confirmandas cenſuerunt: nam cùm

† adde infrà dec. 793. n. 6. & Duran. deciſ. 205. n. 12. & ſeq. Seraphin. deciſ. 1387. n. 1. & deciſ. 1424. num. 1.

3. laici omni tempore, tam ante Concilium Lateranenſe, ſeu decretum Vrbani ſecundi, quàm

4. poſt Concilium fuerint incapaces † decimarum, S. Thomas 2. 2. *quæſt. 87. art. 3.* Guidobonus *deciſ. 62.* & propterea ad effectum, vt illas poſſint percipere, indigeant priuilegio Papali, vel Epiſcopali, ante Concilium. *c. congregato 16. quæſt. 7.* Hoſtienſis *in ſumma tit. de decimis. §. tertiò quæritur, num. 13.* vel probare debent * immemorabilem poſſeſſionem, illas percipiendi vnà cum fama priuilegij Apoſtolici per teſtes teſtificantes, iuxta requiſita per gloſſ. *in cap. 1. de præſcript. lib. 6.* Guidobonus *dicta deciſ. 62.* & fuit deciſum in hac cauſa coram me die 8. Nouembr. 1596. † nec Comites de Valperga, vel priuilegium, vel immemorabilem cum fama priuilegij oſtenderunt, meritò fuerunt condemnati * ad dimiſſionem, & reſtitutionem decimarum.

* adde Seraphin. deciſ. 1102. num. 1. Rot. rec. p. 1. dec. 702. n. 1. & ſeq.
† ſuprà dec. 553. n. 1. & 4.
*adde Mant. dec. 289. n. 2. & Rot. rec. p. 1. dec. 474. n. 3. & tale priuilegium non præſumitur in hac materia, niſi probetur, vt per Dur. dec. 205. num. 15. & deciſ. 225. n. 10.

5. Neque illis ſuffragabatur antiqua conceſſio eiſdem facta anno 1453. à Ludouico, tunc Epiſcopo Taurinenſi, quia præterquam quòd illa fuit ad 29. annos tantùm, cùm eſſet poſt Concilium Lateranenſe, non potuit ab Epiſcopo fieri, * *cap. prohibemus, de decimis.*

*adde Cocc. dec. 485. n. 5. & Rot. rec. p. 2. dec. 193. n. 6. 7. & 8.

6. Eodem defectu laborabat alia recens conceſſio facta anno 1566. ab Epiſcopo, tunc ei Eccleſiæ præſidente, quoniam poſt Concilium Lateranenſe, ſeu decretum Vrbani ſecundi, non licet Prælatis, Papâ inferioribus, infeudare, ſeu concedere decimas laicis. Hoſtienſis *in ſumma tit. de decimis. §. tertiò quæritur, num. 13.* idem *in cap. cùm Apoſtolicæ, de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſen. Capituli.*

## *Vercellen. Canonicatus.*

### Die Veneris 30. Maij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Auditoris Cameræ Breue, vel monitorium, de capienda poſſeſſione, alio exiſtente in ea, reſoluitur in citationem, per comparationem.*

3 *Monitorio Auditoris Cameræ reproducto, reſoluitur in citationem, & executor debet procedere, ſeruatis ſeruandis.*

4 *Clauſula*, poſtquam conſtiterit, *requirit cauſæ cognitionem, & probationem, legitimè factam, parte citata.*

5 *Breuia de capienda poſſeſſione nomine Cameræ fundantur regulariter, in reſeruatione menſis Apoſtolici.*

6 *Poſſeſſio beneficij, in Cathedralibus, neceſſariò eſt capienda capitulariter, vt ſit valida.*

7 *Quod præcedit, etiam ſi capiatur virtute Breuis Apoſtolici, iuſſu executoris, in eo deputati.*

8 *Poſſeſſio inualida, non eſt manutenibilis.*

## DECISIO DCXVII.

1. CAnonicatum vacantem in Eccleſia Vercellen. menſe Maio ann. 1596. quem Epiſcopus die 23. eiuſdem menſis contulerat Ioanni Baptiſtæ Modenæ, cum ſubſecuta poſſeſſione * menſe Iunio mox ſequenti, tanquam à Sede Apoſtolica reſeruatum impetrauit, Michaël Beletia, qui expedito Breui de capienda poſſeſſione nomine Cameræ (in quo aderat clauſula, *poſtquam conſtiterit, quòd Ludouicus Olgiatus, in eius poſſeſſione obierit*, &c. Monitorium ab A.C. de immittendo in poſſeſſionem, cum ſolita clauſula, *alioquin ſic monitos citetis*, &c. & cum clauſula, *ſi quis*, &c. ab illius executore, non obſtante Capituli, vt Modenæ reclamatione, & proteſtatione de ſubreptione, quia menſis Maius non erat reſeruatus, in illius poſſeſſionem immiſſus fuit, quam Rota, cauſa propoſita, altera parte informante, cenſuit inualidam, * quia fuit capta vigore Breuis non iuſtificati, cum inſertione Monitorij A.C. cum dicta clauſula, *ſi quis.* quod per comparitionem citatorum, alio præſertim exiſtente in poſſeſſione, fuit reſolutum in ſimplicem citationem. † Paleothus *dec. 198. incip. Thomas impetrauit.* Pariſius *conſil. 113. num. 1. lib. 4.* ideoque reproducto monitorio, executor procedere debuerat ſeruatis ſeruandis, & Breui iuſtificato, quoad clauſulam, *poſtquam conſtiterit*, cùm ea requirat cauſæ cognitionem, & probationem,

*an poſſeſſio capta vigore Breuis non iuſtificati, poſſit validari per nouam iuſtificationem vide Rotam dec. 238. diuerſor. & Paleothum dec. 3.

* adde Seraphin. deciſ. 1041. n. 2. & habetur penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 956.

2.

† adde Dur. dec. 389. n. 1. & ſeq.

3.

4. bationem, parte citata, legitimè factam. Felinus *in cap. fin. num. 15. verſ. fallit tertiò, de præſcript.* Bellamera *deciſ.* 68. Thomas de Thanis *deciſ.* 95. Paleothus *deciſ.* 306. incip. *Prætendebatur,* Creſcentius *deciſ. 6. num. 3. tit. de reſcript.* & maximè, quia agebatur de remouendo Modena prouiſo ab Ordinario, quem propterea comitabatur bona iuris præſumptio, ſtante præſertim comparitione Capituli, & Modenæ allegantium, menſem Maium non fuiſſe reſeruatum, vigore concordiæ à Sede Apoſtolica confirmatæ; quo caſu
5. non erat locus executioni Breuis, quod veniebat intelligendum de menſe Maio, quatenus erat reſeruatus, tum, quia hæc Breuia regulariter ſunt fundata ſuper reſeruatione, * vt fuit deciſum in cauſa Salamantina Canonicatus, die 13. Maij ann. 1572. coram Ordinario, tum quia in hac facti ſpecie, Belleria nominatim & expreſsè impetrauerat hunc Canonicatum, tanquam reſeruatum.

* adde infrà dec. 853. n. 1. & 2. & fuit dictum in vna Vicen. beneficij S. Martini 21. Febr. 1600. corã D. Pamphilio, quæ habetur penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 345. & vide annota. ad dec. 53. Ludou. n. 5.

Poſſeſſio etiam cenſebatur inualida, quia non fuerat † capitulariter capta, nec conſtabat de aliqua Capituli ratificatione, ſicut eſt neceſſarium. Caſſadorus *dec. 8. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* quod procedit etiamſi capiatur vigore Breuis Apoſtolici, auctoritate, & iuſſu executoris in eo deputati. Paleothus *deciſ.* 287.

6
Poſtremò dixerunt Domini, inualiditatem iſtius poſſeſſionis non fuiſſe ſanatam per mandatum de manutenendo, poſtea conceſſum ab A. C. quia cùm poſſeſſio fuiſſet inualida, non erat manutenibilis. * Verallus *deciſ.* 234. *lib.* 1.
7.
*in manuſcript.* & fuit deciſum coram me *in vna*
8.
*Palentina.* † *Oxomen. beneficiorum*, die 18. Martij 1591.

† adde infrà dec. 871. n. 1. & 2.

* adde Lud. dec. 549. n 5. & aliàs ſæpe. † ſuprà deciſ. 137. n. 5.

## *Neapolitana prætenſæ legitimitatis.*

### Die Lunæ 2. Iunij 1597.

### DECISIO DCXVIII.

IN cauſa Neapolitana legitimitatis, quam vtraque parte informante propoſui, quia multa inculcabantur per informantes, quæ eam reddebant magis difficilem, Rota cenſuit, vt videretur, an & quanta fides eſſet adhibenda matri Annæ, & Catherinæ Manzaneræ famulæ, quorum potiſſimum teſtificatione nitebatur prætenſum matrimonium, inter Gutierrez Iunies, & Annam de Medrano: ſi enim iſtarum fides vacillaret, parum roboris conſiſtere videbatur in reliquis probationibus: quæ tamen aliàs ſubſeruire poſſent, ſi fœminæ illæ fide dignæ putarentur.

## *Turulen. penſionis.*

### Die 2. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Diſpenſationes ſunt odioſæ, & ideo reſtringendæ.*
3 *Diſpenſationes conceſſæ ad vnum effectum, non extenduntur ad alium non expreſſum.*
4 *Extenſio de caſu ad caſum non datur in diſpenſationibus, cùm ſint odioſæ, & num 6.*
5 *Obſtacula quot ſunt, tot ſunt dandæ diſpenſationes.*
7 *Impedimenta, quæ requirunt duplicem diſpenſationem, neceſſariò ſunt exprimenda.*
8 *Priuilegia militum Calatrauæ obtinent, vt vxoratus miles ſit capax penſionis.*

### DECISIO DCXIX.

ROta cenſuit, diſpenſationem fel. record. Gregorij XIII. Domino Don Martino de Alagon non ſuffragari, ad effectum vt poſſet obtinere penſionem, de qua agebatur, non ex eo, quòd non eſſet verè Religioſus, nec talis perſona Eccleſiaſtica, quæ eſſet penſionum Eccleſiaſticarum incapax, hoc enim nunquam fuit deductum in controuerſiam, ſed ex eo potiſſimum fundamento, quo deciſiones * in cauſa hac factæ nitebantur, quibus cùm eſſet conſtitutum, reſpectu huius penſionis, neceſſarium fuiſſe Clericatum, diſpenſatio Martino conceſſa, vt poſſet retinere penſiones, vnà cum aliis beneficiis ſuæ militiæ de Calatraua, & aliis quibuſcunque ſecularibus, & Regularibus, licèt ipſe iuxta ſtatuta, & conſuetudines ſuæ religionis contraheret matrimonium, non tollebat defectum Clericatus, quia cùm diſpenſationes ſint odioſæ, & ex quo recedunt à iure communi, ſtrictè debeant intelligi. † Curtius iunior *conſil. 211. num. 4. & ſeq. lib. 3.* Canoniſtæ *in cap. de multa, de præben.* & conceſſæ ſuper vno defectu, non extendantur ad alium non expreſſum, Ioannes Andreas *in cap. fin. de filijs Presbyteror. lib. 6.* Natta *conſil. 600. num. 33. lib. 3.* neque extendantur de caſu ad caſum, etiam ex maioritate rationis. * *cap. poſtulaſti.* vbi Felinus *num. 9. de reſcript.* Abbas *in cap. ad aures num. 7. eodem tit.* Natta *conſil. 179. num. 27. lib. 1.* Borgaſius *tract. de irregularit. part. 2. tit. de interpret. extinct. & reſtrict. diſpen. num. 17.* & ideo tot debeant eſſe diſpenſationes, † quot ſunt obſtacula. Geminianus *conſil. 33. num. 8.* Francus *in cap. non poteſt, de præben.* quod maximè locum habet, quando ex qualitate non expreſſa, adderetur diſpenſationi; vt in propoſita facti ſpecie, in qua informantes pro Don Martino volebant, quòd eius diſpenſatio non ſolùm operaretur, quòd poſſet retinere penſiones, licèt contraheret matrimonium, ſed etiam quòd poſſet illas retinere, etiamſi non eſſet Clericus, & propterea neceſſaria eſſet expreſſio. Geminianus *in cap. 2. num. 5. de filijs Presbyteror. lib. 6.* Rota *deciſ. 2. eodem tit. in antiq.* Conſequenter inferebatur, hanc diſpenſationem emanatam ad tollendum vnicum impedimentum, in ea expreſſum, non potuiſſe tollere aliud impedimentum, * non expreſſum, quod proueniebat ex defectu Clericatus.

1.

* ſuprà dec. 537. & 554.

2.
† adde annota. ad dec. 87. Lud. n. 17. & Rot. diu. p. 1. dec. 240. n. 2. & deciſ. 454. n. 1. 2. & 7.
3.
*adde Ludouiſ. dec. 353. n. 15.
4.
5.
† adde Lud. dec. 87. n. 6. vbi n. 16. annot. ad propoſitum allegat hanc deciſ. & dec. 109. n. 6. & Rotam diu. p. 1. dec. 333. n. 22.
6.

* adde Seraphin. deciſ. 420. n. 3.

Et hinc ceſſabat, quod dicebatur per informantes pro Don Martino, quòd eo ipſo, quo vigore huius diſpenſationis ei dabatur facultas retinendi penſiones ſuper beneficiis, etiam ſecularibus, quodammodo per æquipollens, videbatur æquiparatus Clerico, quia in materia diſpenſationum odioſa, non habet locum hoc genus argumentationis, præſertim, cùm nec conſtaret, Papam intellexiſſe defectum Clericatus, qui omnino fuerat exprimendus, cùm diſpenſatio diſpenſationi adderetur, Rot. *d. dec. 2. de filij Presb.*

7.

Quæ



8.
Quæ ſtatè proponebantur per informantes pro D. Martino *de ſtatutis, & priuilegijs militiæ, & militum de Calatraua,* quorum vigore laici etiam vxorati poſſunt retinere penſiones, non pertinebant ad hanc inſpectionem, nec Martino ſuffragabantur, non quia reuocarentur in dubium, ſed ex peculiari ratione, quam amplexa fuit Rota in hac facti ſpecie, * in qua penſio debuit transferri in Clericum, qualis erat Don Artaldus, Martini frater, cui fuerat data facultas transferendi penſionem in perſonam ſimilem, & conſequenter in Clericum, ſicut bis deciſum fuerat.

* ſuprà dec. 537. & 554.

## *Interamnen. Mercium.*

### Die Mercurij 4. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Fideiuſſio vxoris pro marito non valet, quod fallit, ſi iuramento muniatur, num. 3.*
4 *Læſio non conſideratur in his, quæ pendent ex futuro euentu.*
5 *Mulier non dicitur indotata, ſi adſint bona mariti, ſuper quibus mulieris dos ſalua conſiſtere poſſit.*
6 *Excuſſio bonorum debet fieri priùs in bonis mariti, & eius fideiuſſoris, antequam exequantur bona mulieris.*
7 *Executionem obligationis Cameralis ſolùm impedit exceptio ſolutionis, & nouæ conuentionis.*
8 *Dotis priuilegium eſt, vt inſpiciatur tempus ſolutionis, & non obligationis mariti, ſi in hoc, & non illo adſint bona mariti.*
9.10 *Læſio enormis ſi probetur, liberat mulierem ab obligatione contracta, etiam cum iuramento.*

### DECISIO DCXX.

1.
HÆredes Pauli de filiis anno 1586. vendiderant quaſdam merces Paulo Filernæ, & Euſebio, & Ricio de Gregoriis, pro pretio ſcutorum 4430. certis quibuſdam temporibus perſoluendo, pro quibus fideiuſſerunt Mutia, Pauli vxor, & Arpalices, vxor Euſebij, & Thomas Thalianus, quos fideiuſſores, Paulus, Euſebius, & Riccius emptores mercium, indemnes conſeruare promiſerunt, omneſque in forma Cameræ ſeſe obligarunt.

Accedente vltimo termino ſolutionis pretij remanentis ſcutorum 2380. venditores coram A. C. egerunt contra Euſebium, & hæredes Ricij principales, & contra Thomam, & hæredes Mutiæ, & Arpalicis fideiuſſores, & obtinuerunt ſubhaſtari illorum bona pro ſcutis 1600. Laurentius hæres Mutiæ, per appellationem cauſam in Ro-
2.
ta introduxit: & cùm adhuc ſupereſſent ſcuta 760. perſoluenda, & Laurentius opponeret de nullitate obligationis Mutiæ, pro marito fideiubentis, ex eo quòd remanſiſſet indotata, dubita-
3.
ui, an mandatum relaxatum ab A. C. eſſet exequendum, prædicta oppoſitione non obſtante.

* adde Lud. dec. 333. n. 2. & Seraphin. dec. 1187.

† adde Dur. dec. 141. n. 5. & 6. & Rot. recen. part. 2. dec. 775. n. 6. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Et Rota exequendum cenſuit, quia licèt regulariter fideiuſſio * vxoris pro marito non valeat *toto tit. ff. & C. ad Velleianum, Authent. ſi qua mulier,* vbi gloſſ. *in verb. nullatenus. C. eod. tit.* id tamen non habet locum, quando † fideiuſſio, (vt in caſu propoſito) fuit munita iuramento. gloſſ. communiter recepta *in cap. ex reſcripto, de iureiurand.* Curtius iunior *conſil. 47. num. 2. & 5. part. 1.* Tiraquellus *in l. ſi vnquam, in principio, num. 135. C. de reuocand. donat.* Theſaurus *dec. 223. num. 8.* Afflictus *deciſ. 311. num. 4.* vbi dicit gloſſ. *in Authent. ſi qua mulier. C. ad Velleian.* contrarium aſſerentem, communiter à Canoniſtis reprobari, Antonius Gomezius *tom. 2. variar. reſolut. cap. 13. num. 8.* latè Burſatus *conſil. 56. num. 15. lib. 1.*

4.
Et hanc ſententiam dicebant Domini, procedere ſine difficultate, inſpecto tempore fideiuſſionis, quo nulla poterat enormiſſima læſio, * & indotatio conſiderari, quia tunc vel maritus habebat alia bona, vel ſaltem habebat ſortem principalem mercium emptarum, ſuper qua mulier poterat eſſe tuta, quòd excludebat læſionem, quæ non conſideratur in his, quæ pendent ab incerto futuro euentu. Crauetta *conſil. 142. num. 8. & conſ. 114. num. 16.*

* adde infrà deciſ. 710. n. 10. & Ludou. dec. 363. vbi pro contraria opinione interpretatur hanc deciſionẽ procedere inſpecto iure cõmuni.

5.
Eandem etiam læſionem enormiſſimam excludebant plures releuatores, qui promiſerant, fideiuſſores indemnes conſeruare, à quibus cùm poſſet Mutia conſequi dotem ſuam, non poterat dici indotata remanſiſſe, ita vt eius fideiuſſio redderetur inualida, cùm ſufficiat adeſſe bona, ſuper quibus mulieris dos ſalua conſiſtere poſſit. Afflictus *deciſ. 311. num. 2.* Romanus *conſ. 187. num. 2.* Crauetta *conſ. 77. num. 16.*

6.
Rurſus, cùm excuſſio bonorum mariti, & releuatorum præcedere debuiſſet, antequam exceptio * læſionis proponeretur. Romanus *dicto conſ. 187. num. 2. verſ. quod autem.* ac nec de læſione propterea conſtaret, non erat executio Cameralis obligationis retardanda, † quam ſolùm impedit exceptio falſitatis ſolutionis, & nouæ conuentionis. Caſſadorus *deciſ. de mutuis petitionib.*

* exceptio læſionis non retardat executionẽ obligationis Cameralis, vt per Lud. deciſ. 120. n. 16. & 17.

7.
Quòd ſi tempus ſolutionis eſt inſpiciendum, licèt opinio Ioannis de Imola *in cap. peruenit, de empt. & vend.* quam ſecutum fuit conſilium Neapolitanum, vt teſtatur Afflictus *deciſ. 313.* incip. *Retentis terminis*, fauore dotis ſit magis æqua, nempe, ad effectum, vt vxori ſit conſultum, non ſufficere maritum habere bona, tempore obligationis factæ ab vxore, ſed requiri etiam, quòd habeat facultates, tempore quo agitur ad ſolutionem, in propoſita facti ſpecie, non videbatur habere locum, quia cùm præſupponeretur, creditum ſoluendum fuiſſe ſcutorum 760. & duas mulieres Mutiam, & Arpalitiam fideiuſſiſſe, quarum altera habebat in dote ſcuta 800. altera autem ſcuta 900. & poſt ſolutum creditum pro
8.
æquali portione, vnicuique remaneret pluſquam dimidia pars dotis, non aderat talis læſio, quæ inualidaret contractum fideiuſſionis religione iuramenti munitum, Theſaurus *deciſione 223. num. 13.*

† & fuit dictum in vna Romana executionis 2. April. 1593. coram Orano impreſſa penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 725. & adde Ludou. deciſ. 234. n. 1. vbi annota. alias dec. allegat.

9.
Nec ſupradictis refragabatur deciſio, in cauſa Romana fideiuſſionis coram Illuſtriſſimo Arigonio, tunc Rotæ Auditore die 5. Iulij an. 1593. vbi fuerat pronuntiatum, fideiuſſionem cuiuſdam Dorotheæ, ad fauorem mariti fuiſſe inua-
10.
lidam, tum quia ibi conſtabat de enormiſſima læſione vxoris, ex quo præſupponebatur, quòd ſecuta ſolutione remanebat penitus indotata. Item quia fideiuſſerat pro marito decocto, & pro debito iam antea contracto. Item quia nullus ibi pro Dorothea acceſſerat releuator, quæ non concurrebant in hoc caſu.

Dixerunt

Dixerunt tamen Domini, tantiſper fuiſſe mandati executionem ſuſpendam, vt clariùs liqueret, an aliqua ſupereſſent bona; ſuper quibus dotes tutæ conſiſterent.

## *Spoletana decimarum.*

Die Mercurij 4. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Auus neptem intra domum ſuam alere tenetur, ſed non extrà. quod intellige, vt num. 3.*

4.5 *Alimenta vt præſtare teneatur auus nepti, eſt interpellandus.*

### DECISIO DCXXI.

1. ALimenta, quæ Auguſtus Lucarinus vitricus domi ſuæ præſtiterat Baldinæ Parianæ, Franciſci Pariani ex filio nepti, ipſo Franciſco viuente conſequi prætendebat à Vincentio, Innocentio, & Valerio filiis, & hæredibus Franciſci, qui propterea introduxerant cauſam in Rota, & decreto proceſſu per Audientiam contradictarum, dato dubio, an hæredes Franciſci tenerentur reſtituere dicta alimenta, Rota non fuiſſe reſtituenda cenſuit, * quia licèt auus neptem in domo ſua alere teneatur, non tamen tenetur extra domum, ei alimenta præſtare, quando ſine legitima cauſa † ab aui domo receſſit. Romanus, & Imola *in l. ſi cùm dotem. §. transfregediamur. in fine ff. ſolut. matrim.* Guidus Pancirolus *conſ.* 7. incip. *Dominus Venerius, num.* 5.

*hæc deciſio fuit confirmata infrà dec. 656.

2. † adde Seraphin. deciſ. 1194. n. 1. & fuit dictum in vna Romana alimentorum 14. April. 1603. coram Mellino impreſſa penes Marcheſ. de commiſſ. part. 1. pag. 1175.

3. Rurſus, ſi vitricus prætendebat ſibi reſtitui alimenta, * interpellare auum debuerat, vt nepti alimenta præſtaret, & eum in mora conſtituere, quod tamen non fecerat. Theſaurus *deciſ.* 211. *num.* 19. *verſ. quod intellige*, Pancirolus *dicto conſ.* 7. *num.* 15. *verſ. quartò oportebat*, Alexander *conſ.* 72. *num.* 10. *verſ. & hæredes fuiſſent in mora, lib.* 5. Surd. *tract. de alimentis tit.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 47. Burſatus *conſil.* 83. *num.* 7. *lib.* 1. Berous *conſil.* 178. *num.* 19. *lib.* 1.

4. * adde infrà dec. 656. n. 4.

Iure autem optimo requiritur hæc interpellatio, cùm auus poſſit dicere, ſe eſſe paratum nepti ſuæ in domo propria alimenta præſtare, extra

5. domum verò non, probata legitima cauſa, cur neptis in aui domo morari non poſſit, non teneri, Paulus de Caſtro *in l.* 2. *num.* 3. *C. famil. erciſcun.* Socinus iunior *conſ.* 15. *num.* 2. *& 3. lib.* 2. & fuit ſæpe in Rota deciſum, & præſertim in cauſa Romana alimentorum de Cinciis die 13. Nouembr. 1591. coram me.*

* ſuprà deciſ. 184.

Supradictis accedebat, quia, vt ex alio iudicio in Rota agitato ſuper dote Baldinæ conſtituenda, patuerat, Auguſtinus vitricus, Baldinam non ſine doli ſuſpicione, renitente auo, & eam ſibi reſtitui poſtulante, ad domum ſuam deduxerat, nulla exiſtente cauſa nec vera, nec veriſimili, cur in auita domo morari commodè Baldina non potuiſſet.

## *Romana legati.*

Die Lunæ 9. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Legatum pium eſt ſoluendum à poſſidente bona teſtatoris.*

3 *Tranſlatio eſt ſtricti iuris, & ideo non extenditur vltra caſus expreſſos in ea.*

4 *Conſenſum in tranſactione excludit reſeruatio actus contrarij.*

### DECISIO DCXXII.

PRæſuppoſitis teſtamento bon. mem. Portiæ de Anguillaria, vxoris D. Marchionis Riani, quo moriens cauerat, vt infra ſex annos, proximè futuros, à die ſui obitus, pars decima ſuæ dotis, aſcendens ad ſummam ſcutorum 3. m. in opera pia erogaretur, 1.

Et ſtatuto vrbis *lib.* 1. *cap.* 134. per quod talis diſponendi facultas vxoribus conceditur,

Et quòd ceſſerit dies ſoluendorum legatorum, à teſtatric relictorum, dubitaui

An Dominus Paulus Æmilius Ceſſius, Marchio Riani, qui poſſidebat bona dotalia teſtatricis, deberet ſoluere legatum prædictum, vel potiùs quadam concordia iuuaretur.

Et Rota, informante ſolùm Domino Duce Ceræ filio, & hærede Portiæ teſtatricis, (nam agentes pro Marchione, ſæpe citati, informare noluerant) cenſuit, Marchionem teneri ad legati ſolutionem, *quia cùm de validitate legati, vigore ſtatuti relicti non dubitaretur, *cap. ex multa, de voto*, & Marchio poſſideret bona dotalia teſtatricis, ad ipſum proculdubio ſpectabat ſolutio. *l.* 2. vbi Baldus, & Salicetus, *C. de hæred. action.*

*hæc deciſ. fuit confirmata infrà dec. 642.

2. Quam non poterat euitare, prætextu cuiuſdam tranſactionis, initæ inter ipſum, & Ducem Ceræ, filium, & hæredem Portiæ, quia in tranſactione, nullum legebatur verbum de iſto legato, & cùm tranſactio ſit ſtricti iuris, * non extenditur vltra caſus expreſſa, Baldus *in l. ſub prætextu, num.* 7. vbi Salicetus *num.* 3. *C. de tranſact.*

3. * Duran. deciſ. 233. n. 7. Caual. deciſ. 172. n. 7. & 8. Seraph. dec. 1384. n. 9.

4. Quinimò, legatum videbatur ſatis præſeruatum ex quo poſt ſtabilita capitula concordiæ, in actu ſtipulationis fuit iſta prætenſio reſeruata, decidenda per Reuerendum Epiſcopum Tudertinum; hinc enim apparebat, nec fuiſſe tranſactum ſuper legato, nec Ducem Ceræ prætenſione ſuper legato conſenſiſſe, reſeruatio enim conſenſum (qui tempore celebrationis inſtrumenti fuerat adhibendus) penitus excludebat. Abbas *in cap. cùm acceſſiſſent, num.* 7. Felinus *num.* 30. Decius *num.* 17. *verſ. octauò limitatur, de conſtit.*

## *Placentina voti.*

Die Lunæ 9. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

4 *Conſuetudo immemorabilis, ſine fama, & aliis requiſitis, non probatur.*

*Suffragium*



5 *Suffragium Epiſcopi de iure communi æquiualet ſuffragio totius Capituli, & num.* 7.

6 *Verborum intellectus, in quibuſcunque diſpoſitionibus, ſumendus eſt ſecundum tempus prolationis ipſorum.*

### DECISIO DCXXIII.

1. IN hac cauſa, præſuppoſitis deciſionibus in ea factis, die 2. Maij, & 7. Iunij ann. 1586.

Et Bulla Adriani ſexti, ſub data 10. Calend. Aprilis ann. 1522.

Et Breui Clementis ſeptimi, ſub data 20. Februar. ann. 1525. & Bulla eiuſdem Clementis, ſub data 12. Maij ann. 1526. & aliis vtrinque deductis per informantes,

Dubitaui, an eſſet recedendum à prædictis deciſionibus, ſeu an Capitulum Placentinum fundaſſet ſuam intentionem.

Cæterùm, quia cauſa erat ſatis antiqua, & denuò diſputanda aſſumebatur, & propter varias conſiderationes, & argumenta, quibus vtebantur informantes pro vtraque parte, obſcurior reddebatur, viſum fuit Dominis, illam reſtringere, quod vt fieret commodiùs, ſtatus in quo reperiebatur, videbatur repetendus, qui ita ſe haber.

2. Cùm ſtatuto quodam fundamentali Eccleſiæ Placentinæ, iam anno 1254. edito, & per Innocentium quartum confirmato, caueretur, quòd ad portiones vacantes per Epiſcopum, & Capitulum, ſeu maiorem, & ſeniorem Capituli partem, de ſeruitoribus Chori eiuſdem Eccleſiæ, videlicet de portionariis, ad Canonicatus, & ad certas dignitates de Canonicis aſſumerentur, prætenderetque Epiſcopus, ſuffragium ſuum, tantum, quantum totius Capituli ſuffragium, valere debere; Capitulum verò diceret, in Eccleſia Placentina, ſemper fuiſſe ſeruatum, vt Epiſcopi ſuffragium non valeret pluſquam ſuffragium vnius ſingularis Canonici, ideo Epiſcopus anno 1566. cauſa introducta in Rota, anno 1568. ſententiam fauorabilem reportauit, cum reſtrictiua tamen, *ſalua conſuetudine*, ſi qua in contrarium adeſſet in Eccleſia prædicta.

3. Huius reſtrictiuæ occaſione, anno 1572. Capitulum expediuit Remiſſoriam, ad probandam conſuetudinem, in ſententia reſeruatam, & poſtquam fuit reproducta, cœpta fuerunt diſputari aliquot dubia, itaque die 2. Maij ann. 1586. reſolutum fuit, non conſtare de ſufficienti obſeruantia, quæ in hoc caſu poſſet verè, vel præſumptiuè dare intellectum, pro parte Capituli ſtatuto prædicto, (quod eſt antiquiſſimum) & immemorabilem non probari, * ſed probari ſolùm

*adde ſuprà dec. 337. n. 4.

4. quadragenariam de viſu, & auditu ſimplici à maioribus, qui dicebant audiuiſſe, & ſic ſine fama & aliis requiſitis, per gloſſ. *in cap.* 1. *de præſcriptio. lib.* 6.

Quoniam autem informantes pro Capitulo, pro titulo adducebant dictum ſtatutum fundamentale, & Bullam Innocentianam, illius confirmatoriam, ideo in eadem deciſione fuit dictum, quòd cùm ſtatutum loqueretur de Epiſcopo, & Capitulo, neque exprimeret modum circa

5. valorem ſuffragiorum, recurrendo ad ius commune, ab illo debebat recipere interpretationem, *ita vt Epiſcopus haberet medietatem ſuffragiorum, non autem vnicum tantùm ſuffragium, prout ſinguli Canonici, & cùm ab initio ſtatutum receperit iſtam interpretationem iuri communi conformem, & hæc præſumptio à condito ſtatuto, contra Capitulum militauerit, iuxta *conſil.* 6. Socini *num.* 2. *lib.* 1. nam in quibuſcunque diſpoſitionibus, intellectus verborum ab aliquo prolatorum ſumendus eſt ſecundùm tempus prolationis ipſorum, non poterat de præſenti in præteritum præſumi, nec pro titulo accipi ad fauorem Capituli, quod contra Capitulum, certam à iure accipiebat interpretationem. 6.

*adde infrà dec. 754. n. 2. & deciſ. 861. num. 4.

Rurſus, die 2. Iunij eiuſdem anni 1586. Rota approbando ſupradictum Socini conſilium, ſtetit in deciſis, & quia multa in contrarium allegabantur, ſingulatim omnibus reſpondit, vt patet in deciſione tunc extenſa.

Atque in hoc ſtatu videtur, cauſa tot annis repoſita perduraſſe, vnde conſtat, pro Epiſcopo exiſtere iuris communis præſumptionem, * pro Capitulo autem extare ſimplicem quadragenariam ſine titulo, & conſequenter cauſam reſtringendam ad hanc difficultatem, an iſta quadragenaria, abſque titulo ſuffragetur Capitulo, ſeu an verſemur in conſuetudine, vel præſcriptione. 7.

*de quo latè infrà deciſ. 754. & 861.

## *Salamantina penſionis.*

Die Veneris 13. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Penſio eſt onus reale, & ſic ſoluenda eſt ab eo, qui poſſidet beneficium, & non ab eo, qui ſe obligauit penſioni.*

3 *Obligatus cameraliter ſolutioni penſionis, licèt non poſſideat beneficium, non ex eo ab obligatione liberatur.*

### DECISIO DCXXIV.

DVbitauit R.D.P. Franciſcus Oranus in cauſa Salamantina penſionis, an Didacus Gudiel teneretur ſoluere penſionem 100. ducatorum, cui conſenſerat; & ad eam ſoluendam in forma Cameræ ſe obligauerat, & cedulam bancariam dederat, vel potiùs eam ſoluere deberet Antonius de Soria, qui vigore optionis, paulo ante prouiſionem Didaci, eundem Canonicatum fuerat aſſecutus: & Rota cenſuit, onus ſoluendi penſionem pertinere ad Antonium, quia cùm penſio ſit onus reale, conſequens beneficium cuicunque conferatur, * Gigas *conſ.* 138. *num.* 2. *cap. querelam*, vbi Abbas *num.* 3. *de elect.* conſequenter id onus pertinebat ad Antonium, qui poſſidebat Canonicatum, & illius fructus percipiebat. Rota *diuerſ. deciſ.* 102. incip. *In vna Præneſtina, in manuſcript.* & in vna Romana penſionis die Veneris 4. Iunij ann. 1595. coram Alexandro Litta, & plures refert Pariſius *de reſignatione beneficiorum lib.* 1. *quæſt.* 8. 1. 2.

* adde Lud. dec. 507. n. 1. & 2. Mantic. dec. 224. n. 1. & deciſ. 273. n. 2. quæ habetur penes Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 550.

Dixerunt tamen Domini Didacum, qui penſioni conſenſerat, non remanſiſſe liberatum ab obligatione Camerali; qua penſionem ſoluere tenebatur, licèt haberet actionem contra Antonium, Canonicatus poſſeſſorem. 3.

*Romana*

## *Romana computorum de Saluiatis.*

### Die Lunæ 17. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Probat contra ſcribentem ſubſcriptio, poſt manus recognitionem.*

4 *Peritis artis creditur in his, quæ eis committuntur.*

5.6 *Petens aliquid ſibi reſtitui de aliquibus bonis, confitetur reliqua recepiſſe.*

### DECISIO DCXXV.

1. AD dubium vtraque parte informante propoſitum, an conſtaret, bona Guardarôbbæ Dominorum Cardinalium de Saluiatis perueniſſe ad manus Proſperi Cribelli, & ad quorum reſtitutionem teneretur. Rota primum, quoad primam partem affirmatiuè reſpondit, clarum enim erat, ad manus Proſperi perueniſſe illa bona, quæ continebantur in inuentario, ab eo ſubſcripto die 8. Martij ann. 1555. ſubſcriptio
2. enim poſt manus recognitionem, (quæ hîc non controuertebatur) probat contra ſcribentem. Bartolus, quem cæteri ſequuntur, *in l. ſcripturas. C. qui potiores in pignor. habeant.* & fuit deciſum coram me in cauſa Romana pecuniaria die 8. Nouembr. 1596.*

* ſuprà deciſ. 552. n. 2. & 3. vbi alias deciſio. annotaui.

Quantum ad ſecundam dubij partem, cenſuit Proſperum teneri ad reſtitutionem earum re-
3. rum, & bonorum, quæ continebantur in petitione Dominorum de Saluiatis, iuxta tenorem laudi lati ann. 1558. per Vincentium Rentium, in quem, ad dirimendas omnes adminiſtrationis controuerſias, partes fecerunt compromiſſum, qui tandem pronuntiauit, Proſperum inter cætera teneri ad reſtitutionem nonnullorum bonorum Guardarobbæ, * in inuentario repertorum, quæ numquam reſtituerat.

* hæc reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 648.

Cæterùm, quia laudum erat reſtrictum, ad
4. quædam particularia bona, dicebatur illud fuiſſe intelligendum, iuxta relationem † Matthæi Morellæ, & Philippi Marmorei peritorum calculatorum electorum inter Saluiatos, & Proſperum, & regulandum iuxta petitionem Dominorum de Saluiatis, quorum Procurator ſpecificauit duas coopertas pani viridis, duodecim cultellos, *alla Todeſca*, & quædam alia contenta in ſumma-
5. rio Proſperi *num.* 3. Proſperumque ad illorum
6. tantùm reſtitutionem teneri, non autem ad aliam in inuentario deſcripta, quæ ex multis argumentis præſumebantur reſtituta.

† cui ſtādum eſt quando ſunt electi tales periti calculatores, vt annotaui ſuprà deciſ. 422. n. 2.

Primò, quia longo tempore Saluiati, ex bonis Guardarobbæ non petiuerunt alia, quàm contenta in dicta peritorum relatione. Afflictus *deciſ. 13. num. 3. & ſeq.*

Præterea, cùm petitio Dominorum de Saluiatis eſſet reſtricta ad res illas deficientes, conſequenter videbantur fateri, cæteras fuiſſe conſignatas, ſicut qui petit ſibi ſolui aliquid pro reſiduo, * cenſetur reliquum accepiſſe, Iaſon *in l. ſi quidem num. 4. C. de tranſact.* vbi Salicetus *num. 3.* Corneus *conſil. 33. num. 24. lib. 2.* Paulus de Caſtro *in l. 2. num. 3. C. de hæredib. inſtituen.* Berous *conſil. 192. lib. 1. num. 1.*

* adde Seraphin. deciſ. 617. n. 13. & deciſ. 1130. n. 3. & fuit dictum in Regien. penſionis 26 Iunij 1598. coram Orano impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 563. n. 2. quam repetit pag. 616.

Poſtremò, non erat veriſimile, Saluiatos, qui 7.
tam diligenter petiuerant bona particularia ſupradicta, inter quæ multa erant exigui valoris, amiſſuros petere, alia magis pretioſa, & maioris valoris, quæ, veriſimile erat, extitiſſe in Guardarobba, niſi reuera fuiſſent reſtituta. Afflictus *d. deciſ. 13. num. 22.* Menochius *de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 135. num. 22.*

Non placuit Dominis, quòd iſta non eſſent 8.
bona Guardarobbæ, ſed quædam reperta in quadam arca bon. mem. Bernardi de Saluiatis, tum Epiſcopi Sancti Pauli, & ideo non comprehenſa in laudo: quia licèt eſſent in illa arca, non docebatur, illam non extitiſſe in Guardarobba, vnde cùm Proſper ea habuiſſe fateretur, vt apparebat ex eius ſubſcriptione, ex eiſdem rationibus præſumebatur, illorum rationem reddidiſſe.

Et ex his fuit concluſum, Proſperum teneri quidem ad reſtitutionem bonorum Guardarobbæ, iuxta tenorem laudi, declaratorum tamen, & ſpecificatorum, in petitione Dominorum de Saluiatis.

## *Pampilonen. Parochialis de Illundain.*

### Die Lunæ 16. Iunij 1597.

SVMMARIVM

2 *Poſſeſſio capta extra tempus ad appellandum non dicitur attenta, vbi adeſt conſtitutio, quæ id ita diſponit.*

3 *Statutum Epiſcopi contra Canones factum, non valet, ſi non interuenerit Papæ auctoritas.*

### DECISIO DCXXVI.

EPiſcopus Pampilonenſis adiudicauit iſtam Parochialem Ioanni de Hortaſſun, tanquam præſentatio à maiori parte, & ſeniore patronorum, illique tradidit poſſeſſionem, quam Saluator de Illundain, alter præſentatus, petebat ſequeſtrari tanquam attentatam; quia fuerat capta poſſeſſio lite pendente, ſuper præſentationibus, & ſuper eo quis foret inſtituendus.

Rota cenſuit, non fuiſſe locum ſequeſtro, propter conſtitutionem ſynodalem Eccleſiæ Pampilonen. diſponentem, quòd lata ſententia ſuper beneficio, ſtatim tradatur poſſeſſio, * non obſtante quacunque appellatione, ad hoc vt Eccleſiæ & cultui diuino deſeruiatur, etiamſi ſit de iure patronatus laicorum, & mandantem, ne talis poſſeſſor perturbetur, niſi lite penitus viſa, & terminata: ſtante enim iſta conſtitutione, qui capit poſſeſſionem vigore ſententiæ, non attentata, licèt pendeat terminus ad appellandum, & etiamſi ſit appellatum, & inhibitum, quia non operatur effectum ſuſpenſiuum, ſed deuolutiuum. Anton. Auguſt. *deciſ. 9.* incip. *Vacante.* & fuit reſolutum coram Sarmit. in vna Aſtoricen. S. Auguſtini die 10. Decembr. 1563. refert Lancelotus *de attentatis part. 2. cap. 12. limitatione* 48.

1.
* idem ſeruatur in hoc noſtro Tribunali Cæſarauguſtan. vt conſtat ex omnibus proceſſibus beneficialibus, & ita obſeruaui quādo exercui munus Vicarij Generalis huius Archiepiſcopatus, maiorū meorum ſtylum inueteratum ſequendo; vt pro lata ſententia per officialem; remittit victorem in cauſa, Vicario Generali, qui ſtatim, non obſtante appellatione, confert, & immittit in poſſeſſionē, illum qui obtinuit in cauſa, & illa non ſequeſtratur, nec priuatur, donec cauſa ſit finita, ita vt conſtitutio Synodalis Pampilonen. hîc de ſtylo ad vnguem ſeruetur.

Et



2. Et licèt R. P. D. Garcias Millinus contradiceret, allegando Felinum *in c. quod ſuper his, num. 4. in prima fallentia, & num. 11. verſ. dixit etiam mirabiliter, de maioritat. & obedient.* dicentem, non valere ſtatutum Epiſcopi contra Canones, niſi ſit auctoritate Romani Pontificis confirmatum; nihilominus Rota cenſuit, dictam conſtitutionem attendendam, tanquam fauorabilem, & tendentem ad munitionem diuini cultus, ne Eccleſia in eo patiatur, & præſertim in hoc caſu, vbi poſſeſſio Parochialis erat vacans.

## *Firmana beneficij.*

### Die Veneris 20. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

3 *Præſentatio facta abſenti, intra tempus datum Patronis ad præſentandum, vt valeat, eſt ratificanda.*

4 *Præſentatio ad beneficium per litteras poteſt fieri abſenti.*

5 *Præſentatus in abſentia, ſi in termino compareat coram Ordinario, inſtituendus eſt.*

6 *Præſentatio corporalis præſentati non eſt neceſſaria, ſi præſentatus eſt notus Ordinario.*

7 *Ordinarius ſi dicat, velle conſulere ſuperiorem, ex eo non inducitur, reieciſſe actum, in quo vult conſilium.*

8 *Litteris Ordinarij in præſentatione non creditur aliquando, propter ſuſpicionem antedatæ.*

9 *Appoſitio manus SS. D. Papæ non inducit affectionem in beneficijs iuris patronatus laicorum.*

### DECISIO DCXXVII.

1. OCcaſione dubij, vtraque parte informante propoſiti, an ſententia Rotalis eſſet confirmanda, & affirmatiuè pro confirmatione ſententiæ deciſæ, plura opponebantur contra ſententiam, quibus Domini ſingulatim reſpondentes, minimè obſtitiſſe, dixerunt.

2. Primum opponebat Cæſar Gazius *de inualiditate iurium*, quibus vtebatur Fabius Angelicus, ad probandum iuſpatronatus, præſentationem factam de perſona Fabij, & illius inſtitutionem, quòd non eſſent in forma probanti; ſed hæc difficultas tollebatur, ex deciſione in hac cauſa facta die 3. Iunij 1594. coram D. Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

3. Rurſus obiiciebatur contra præſentationem, quia fuerat facta de Fabio abſente, & tamen non apparebat ratificata in tempore dato patronis ad præſentandum, * ſicut de iure fieri oportet. Abbas *conſil. 76. num. 3. in fine lib. 2.*

*adde annota ad deciſ. 177. Lud. n. 7.

Reſpondebatur tamen, de admiſſione præſentationis, & Fabij ratificatione conſtitiſſe, ex epiſtola Epiſcopi Firmani eidem Fabio directa, ex qua apparebat, Ordinarium præſentationem acceptaſſe, & à Fabio, qui id ipſum deſiderabat, & ab Ordinario obnixè petiuerat ſatis fuiſſe ratificatam.

4. Neque obſtitiſſe præſentati abſentiam, * cùm præſentatio per litteras de abſenti fieri poſſit. gloſſ. *in Clement. 1. §. ſtatuimus in verb. litterarum, de exceſſib. Prælator.* Lapus *obligatione* 75. Rota *deciſ. 3. de iurepatronat. in nouis.* & ſatis ſit, vt qui in abſentia præſentatur, in termino compareat coram Ordinario, ad effectum, vt inſtituatur. *cap.* 5.
*cùm nobis, & cap. cùm olim, & cap. fin. de elect. lib. 6.* & fuit deciſum coram me in illa Burgen. Abbatiæ de Sobazo die 19. Nouembr. 1588. * vel etiamſi non compareat, ab Ordinario inſtituere debente præſentatus admittatur, quod præſer-
tim contingit quando eſt notus † Ordinario, 6
tunc enim, non eſt neceſſaria præſentia corporalis. Abbas *in cap. ea noſcitur num. 3. de his quæ fiunt à Prælat.* idem *conſil. 76. dubio 3. lib. 3.* Rochus *de iure patron. in verb. honorificum, quæſt. 6. num. 27.* Lambertinus *de iure patronat. parte 1. lib. 2. quæſt. 11. principali art. 3.* itaque cùm Fabius eſſet Ordinario notus, non fuit neceſſaria eius præſentia corporalis.

* vide infrà dec. 1118. n. 2. & ſeq. in tomo 2.

* ſuprà deciſ. 4.

† adde infrà dec. 1118. n. 4. & Lud deciſ. 34. n. 2. vbi latè annot. n. 4. vſque in finem.

Neque rurſus obſtabat dicere, Ordinarium 7.
non admiſiſſe præſentationem, ex quo reſponderat, ſe velle conſulere D. Cardinalem Montaltum, quaſi potuiſſet contingere, quòd non inſtituiſſet: nam quantum in ſe fuit, Ordinarius præſentationem admiſerat, eo ipſo, quòd non reiecerat, præſertim cùm conſulere ſuperiorem, non ſit, non admittere, & denique ceſſabat difficultas, quia hæc omnia fuerunt facta, intra tempus ad præſentandum, & præſentationem admittendum.

Sed denuo opponebatur, quòd non eſſet cre- 8.
dendum litteris Ordinarij, propter ſuſpicionem antedatæ, in præiudicium prouiſi Apoſtolici, Rota *deciſ. 1. num. 2. de probat. in nouis.*

Veruntamen reſpondebatur, oppoſitioni tunc eſſe locum, quando adeſt præſumptio fraudis, Verallus *deciſ. 282.* incip. *Quando adeſt, lib. 1. in manuſcript.* in hac verò facti ſpecie, fraudem ceſſare, quia non agebatur de collatione Ordinarij voluntaria, ſed neceſſaria, ex quo beneficium erat de iure patronatus, cuius prouiſio non pertinebat ad Papam, nec ad liberam collationem Ordinarij.

Affectio conſiderata per informantes pro 9.
Cæſare, propter appoſitionem manus Papæ, in derogatione iuriſpatronatus non obſtabat, quia ſicut in deciſione facta die 13. Maij 1596. dictum fuerat, non habet locum in beneficiis iuriſpatronatus laicorum. *

* ſicut nec datur reſeruatio in beneficiis iuriſ. patronatus laicorū. Duran. dec. 407. n. 12. Seraph. dec. 817. n. 5. & dec. 1232. n. 5. & deciſ. 1334. n. 6. & fuit dictum in vna Tuden. Parochia 3. Decembr. 1601. coram ſacrato impreſſa per March. de commiſſ. p. 1. pag. 469. & an hoc habeat locum in iure patronatus Eccleſiaſtico, vide Lud. deciſ. 48. n. 4. & Duran. deciſ. 406. n. 5. & 6.

Poſtremò dicebant Domini, neque ipſam derogationem obſtitiſſe; quia continebatur in gratia Horatij Centaflorenij, quam cùm Cæſar teneretur iuſtificare, non iuſtificauerat.

Atque ex his fuit concorditer reſolutum, ſententiam Rotalem ad fauorem Fabij, fuiſſe confirmandam.

## *Tudertina expenſarum.*

### Die Lunæ 23. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Notarius ſubrogatus in locum alterius, præſumitur rogatus pro inſtrumentis, extrahendis de ſuo principali.*

### DECISIO DCXXVIII.

ROta cenſuit, taxationem expenſarum fuiſſe 1.
exceſſiuam, reſpectu inſtrumenti æſtimationis

tionis bonorum, non obſtante ſtatuto Tudertino, quòd ſoluantur inſtrumenta, quæ extrahuntur ad rationem vnius ducati auri de Camera pro quolibet centenario, quia licèt tale ſtatutum eſſet validum, deberet intelligi, quando quis prætenderet conſequi ſummam in aliquo inſtrumento contentam: tunc enim Notario, inſtrumentum recipiente, pro ſalario eſſet ſoluendum vnum pro centenario; in caſu autem propoſito D. Michalina Bentiuengha non curauit fieri æſtimationem, ad effectum, vt bona æſtimata conſequeretur, ſed vt videretur, vtrùm hæredes Bentiuenghi habuiſſent maiorem partem bonorum, & ideo non erat locus ſtatuto.

2. Prætetea, cùm Notarius actuarius fuiſſet rogatus de hac æſtimatione bonorum, tamquam ſubrogatus in locum Notarij cauſæ principalis, prout communiter cenſentur rogati Notarij commiſſoriales, & compulſoriales, & iudicum ſubdelegatorum pro fructibus liquidandis, & aliis ſimilibus actibus faciendis, non erat ſibi ſoluendum ſalarium, iuxta qualitatem actus, aut valorem bonorum, de quibus agebatur, ſed ſolùm ad rationem actorum proceſſus, ſeu foliorum in eo contentorum, iuxta conſuetum, & receptum ſtylum Rotæ.

## *Verdunen. repetitionis fructuum.*

Die Lunæ 23. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Appellantem, ad iudicem appellationis teneri omnia acta tranſportare, certum eſt.*
3 *Iudex appellationis iuriſdictione caret, donec omnia acta proceſſus ei ſint tranſportata.*
4 *Enuntiatiua contra enuntiantem probat.*
5 *Clauſula, quam, & quas, &c. in commiſſione appoſita, intelligitur ſuper præmiſſis.*

### DECISIO DCXXIX.

1. * Rota vtraque parte informante cenſuit, cum inſtrumentis, & iuribus hactenus per Capitulum Verdunen. productis, non potuiſſe in cauſa procedi ad vlteriora contra Decanum ſuper repetitione fructuum, & pecuniarum eidem Decano, vigore ſententiæ à Cardinale Lotharingiæ latæ ſolutarum, quia proceſſus non erat integer, & tamen notum eſt, appellantem ad iudicem appellationis, integra acta † transferre oportere. Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 20. §. præterea; aliàs enim iudex legitima iuriſdictione carere cenſetur, * vt fuit reſolutum in cauſa Valentina de Campanar menſe Ianuario 1580. coram D. Cardinale Blanchetto tunc Rotæ Auditore, & coram me in cauſa Compoſtellana Parochialis die 21. Maij 1590.†

* habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt tomū 1. conſil. dec. 114. licèt malè ſit annotata de die 20. Ianuar.

2. † adde ſuprà dec. 589. n. 7. & infrà dec. 807. n. 2. & Lud. deciſ. 620. n. 2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

* adde ſuprà dec 89. & infrà dec. 675. num. 2.

3. † ſuprà deciſ. 109.

Imperfectionem verò proceſſus apertè ſuadebant acta, continentia ſententiam Capituli Verdunen. contra Decanum latam die 29. Maij anno 1593. in qua enuntiabantur quædam acta coram Capitulo, pro expeditione cauſæ geſta, nempe comparitio, & petitio facta die 16. Martij 1593. Item reſponſio, cum omnibus concluſionibus, & aliis iuribus, & actis die penultima menſis Martij, & prima die ſequentis menſis Aprilis geſtis, quæ tamen non reperiebantur in proceſſu.

4. Cùm enim iſta eſſet enuntiatiua Capituli, ad effectum de quo agebatur, ſufficientem probationem faciebat, * quia enuntiatiua contra enuntiantem probat, *l. optimam, C. de contrahen. ſtipulat.* Puteus *deciſ.* 243. *num.* 2. *lib.* 1. Gozadinus *conſil.* 99. *num.* 6. Rota *deciſione* 1. *de fide inſtrument. in antiq.*

* adde Dur. dec. 226. n. 4. & Cocc. dec. 199. n. 10.

Neque Capitulo ſuffragatur commiſſio cauſæ, contra Decanum, cùm clauſulis, *quam, & quas,* & incidenter, & emergenter & coniunctim, vel diuiſim, quaſi propterea potuiſſet in cauſa procedi, * tanquam in prima inſtantia; omiſſo articulo appellationis, nam cùm fuiſſet commiſſa cauſa appellationis, clauſula, *quam, & quas,* intelligenda etiam erat ſuper præmiſſis, & ita † integraliter erant tranſportanda acta.

* adde Dur. dec. 61. n. 4. & ſeq. & Seraphin. deč. 1241. n. 2. & 3. Rot. recen. p. 2. dec. 546. n. 2. & deciſ. 731. n. 5. & aliàs ſæpe.

5. † & quod quando acta non ſunt tranſportata, clauſula, quā & quas, non operetur vt procedi poſſit, prout in prima dixit Rota in Fauētina fideicommiſſ. 5. Iunij 1595. coram Litta, & in Romana Saluiani interdict. 14. Decembris 1598. coram Lancelloto impreſſa per Pacific. poſt tract. de Saluian. inter. dec. 62.

Cæterùm, quamuis Rota cenſuerit, proceſſum productum fuiſſe imperfectum, non tamen cenſuit, omnia inſtrumenta, ſeu iura producta, in eo contenta, fide carere, quam putauit adhibendam, iuribus habentibus ſolemnitates requiſitas.

## *Bononien. fideicommiſſi de S. Petro.*

Die Veneris 27. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Enuntiatiuæ inſtrumentorum in antiquis probant, & num. 5.*
3 *Inſtrumenta antiqua ſufficiunt ad probandum gradus conſanguinitatis.*
4 *Filiatio probatur per nominationem patris factam in teſtamento, cum actu proportionabili, & quaſi filio debito.*
6 *Filiatio poteſt probari per teſtes.*

### DECISIO DCXXX.

1. Cvm iuſſu Rotæ vellem proponere dubium ſuper prælegatis, pro parte D. Virgineæ Coſpiæ, fuit oppoſitum, quòd non conſtabat de legitimatione perſonarum, vnde ad occludendam omnem diffugij viam, dato deſuper dubio, agentes pro D. Virginea, agnoſcentes veritatem, noluerunt informare: ſed quia recuſarunt cedere in actis, vna tantùm parte informante, illo propoſito Rota cenſuit, abundè conſtitiſſe de legitimatione perſonarum Dominorum de Sancto Petro, deſcendentia enim probatur ſufficienter, ad effectum de quo agebatur: nam quòd Ludouicus Marcus, & Florianus fuerint fratres, & filij Baptiſtæ, oſtendebatur ex multis authenticis inſtrumentis, videlicet vno diuiſionis factæ inter eos ann. 1458. altero laudi lati ann. 1460. tertio teſtamenti Marci anno 1487. in quibus iſti vocabantur fratres, à Baptiſta

2. deſcendentes, * quæ enuntiatiuæ in antiquis, vltra centum annos ſufficientem probationem faciunt. Alexander *conſil.* 90. incip. *In cauſa, & lite, num.* 10. *&* 16. *lib.* 6. Aretinus *conſil.* 37. *num.* 1. *verſic. ſecundus caſus,* Decius *conſil.* 321. *num.* 6.

* adde ſuprà deciſ. 285. & Rot. rec. p. 1. dec. 176. n. 1. & ſeq.





3. Ex Ludouico natum fuiſſe Dominicum Marium, probabant enuntiatiuæ quatuor inſtrumentorum primi, diuiſionis ann. 1498. ſecundi locationis ann. 1520. tertij emptionis ann. 1528. quarti teſtamenti eiuſdem Dominici Mariæ anno 1527. in quibus, cùm enuntiaretur filius Ludouici de Sancto Petro, iſtius deſcendentiæ gradus remanebat probatus; quia aderat vnum inſtrumentum vltra centum annos, & alia vltra 70. cùm tamen ad probandum gradus, ſufficiant inſtrumenta antiqua annorum 60. Puteus *deciſione* 518. *num.* 2. *lib.* 2. Alexander *dicto conſil.* 90. *num.* 11.

Ex Dominico Maria deſcendiſſe eius filium Vincentium de Sancto Petro probabatur primò ex aſſertione Dominici Mariæ in ſuo teſtamento condito ann. 1527. in quo nominando illum filium, inſtitueret ſuum hæredem: no-

4. minatio enim patris, iuncta cum actu proportionabili, * & quaſi filio debito, qualis eſt hæredis inſtitutio, filiationem probat, Antonius de Butrio *in cap. transmiſſæ num.* 10. *verſic. aut nominat ipſum filium,* & *ibidem* Præpoſitus *numer.* 9. *qui filij ſint legit.* Aretinus *in cap. per tuas, num.* 23. vbi Felinus *num.* 17. *de probationib.* Gozadinus *conſil.* 13. *num.* 7. Ruinus *conſil.* 53. *num.* 6. *&* 7. *lib.* 5. Pariſius *conſil.* 29. *num.* 10. *lib.* 2. & fuit deciſum coram D. Cardinale Platto tunc Rotæ Auditore in vna Peruſina bonorum die 1. Februarij ann. 1589.

* adde ſuprà deciſ. 275. & infrà deciſ. 833. n. 5. Seraphin. dec. 1282. n. 1. & dec. 131. n. 8. & Rot. rec. p. 5. dec. 472. fere per totam præcipue n. 8. & dec. 347. n. 2.

5. Supradictis accedebant vna enuntiatiua inſtrumenti locationis anni 1527. & altera alterius locationis ann. 1548. quæ licèt eſſet recens, veriſimile adminiculum præbebat veritati. Aretinus *d. conſ.* 37.

6. Poſtremò ex Vincentio deſcendiſſe Aſtorgium, Camillum, & fratres de Sancto Petro, (de quorum legitimatione in hoc iudicio agebatur) probabant quatuor teſtes * in Curia examinati, teſtificantes de actibus conſtituentibus eos in quaſi poſſeſſione filiationis, qui cenſebantur ſufficientes, ad effectum ſucceſſionis. Alexander *conſil.* 51. *num.* 5. *& ſeq. lib.* 1. Aretinus *d. conſil.* 37.

* & ad hunc effectum admittitur probatio per teſtes. Rot. rec. p. 1. in d. deciſ. 176. n. 15.

Et ita concluſum, abundè conſtitiſſe de legitimatione perſonarum Dominorum de Sancto Petro.

## *Rauenaten. donationis.*

Die Veneris 27. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

1 *Iuramento firmatur à patre filio donatio facta, quod an habeat locum in Iudæo patre, & filio, vide num. 3.*

### DECISIO DCXXXI.

1. Domini cenſuerunt ſententiam Rotalem fuiſſe confirmandam ex rationibus deductis in eadem cauſa coram R. P. D. meo Decano, die 29. Aprilis 1596. * receptiſſima enim ſententia eſt, donationem factam à patre filio in poteſtate exiſtenti, † iuramento firmari. Iaſon *in l. frater à fratre. num.* 40. *limitatione* 7. *ff. de condict. indeb.* Decius *in l. ſi donatione, num.* 13. *C. de collat.* Alexander *conſil.* 20. *num.* 2. *lib.* 3. Berous *conſ.* 15. *num.* 12. Crauetta *conſil.* 19. *num.* 1. Gabriel *conſ.* 92. *num.* 8. *lib.* 1. Iulius Clarus *in §. donatio, quæſt.* 8. *verſic. ſed quæro.*

*in impreſſis Seraphin. deciſ. 1184.
†de quo latè infrà deciſ. 637. ferè per totam.

2. Neque de recepta ſententia, putabat Rota recedendum propter ſubtiles ſpeculationes propoſitas per informantes pro D. Nicolao Paſolino, & litis conſortibus, quas licèt in ſcholis ad acuenda adoleſcentium ingenia ſæpè admittere ſoleant legum Profeſſores, in foro tamen meritò reſpuit recta iudicantium cenſura, cùm nullam difficultatem habere dicantur.

3. Sed neque rationes Felini *conſil.* 30. ſuadebant ab hac ſententia recedendum, nam primum, quatenus attinet ad donationem * factam filio Iudæo à patre Iudæo, iuramento legis Moſaicæ vallatam, peculiarem requirebat contemplationem, quæ non pertinebat ad hanc facti ſpeciem; quatenus verò Felinus *in eodem conſil.* 30. *num.* 15. *verſ. quod autem etiam inter Chriſtianos,* addebat, talem donationem inter patrem, & filium in poteſtate exiſtentem, non firmari iuramento; reſpondebatur eum manifeſtè loqui contra communem, & receptam Doctorum ſententiam.

* iuramentum ab Hebræo præſtitum, quod habeatur in conſideratione, tenuit Rota penes Caual. deciſ. 223. n. 2. vbi allegat alias deciſ.

## *Placentina Capellaniæ.*

Die Veneris 27. Iunij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Beneficij impetratio non iuſtificatur per vacationes de facto, etiam alternatiuè narratas, ſed requiritur ſaltem probatio vnius, de iure.*
3 *Gratia cum clauſula, etiam valere, purgat defectus primæ gratiæ infectæ.*

### DECISIO DCXXXII.

1. Cauſa iterum propoſita ſuper eiſdem, vtraque parte informante, Domini ſteterunt in deciſis die 23. Maij proximè præteriti, * quia licèt concederent, quòd ad capiendum beneficium impetratum, non ſufficiat iuſtificare tantùm de facto plures vacationes, etiam alternatiuè narratas, ſed oportere, vnam ſaltem de iure probare, * dicebant id non applicari themati controuerſo, in quo Iulius habebat primam gratiam cum narratiua vacationis per obitum Hieronymi, cum clauſula generali, *ſine alio quouis modo;* item habebat gratiam, *etiam valere,* cuius virtus erat, quòd prima valeret, etiam ſi beneficium vacaret ob non publicationem, & iſta erat vacatio de iure, quam Iulius, iuſtificata de facto vacatione per obitum, capiebat per clauſulas generales, niſi Auguſtinus eam excluderet, producendo publicationem validam: & quia non oſtenſa publicatione aliqua valida per Auguſtinum facta, potuiſſet dici beneficium vacaſſe ob non publicationem, ideo Iulius, hunc caſum præuidendo, obtinuit gratiam, valere, etiamſi vacaret ob non publicationem, & ſic euentualiter, videlicet; ſi contingeret Auguſtinum non docere de publicatione.

* ſuprà deciſ. 613.

2. * adde Lud. dec. 37. n. 10. & Rot. rec. p. 2. dec. 49. n. 5. vbi vtrobique ad propoſitum allegatur præſens dec.

3.

Hanc verò non publicationem, non tenebatur

tur docere Iulius,cuius gratia erat euentualis,& conſequenter non docta valida publicatione per Auguſtinum, Iulius capiebat beneficium per iſtum modum vacandi,*ob non publicationem.

Neque iſtis duabus deciſionibus obſtabat alia deciſio in eadem cauſa facta coram me die 21. Octobr.1594.† in qua fuerat dictum, hanc Capellaniam non vacauiſſe per obitum, ſed per reſignationem Hieronymi ad fauorem Auguſtini, quia placuit Dominis reſponſio data per informantes pro Iulio, quòd quando fuit facta illa deciſio, Iulius ſolùm habebat inſtitutionem, de ſe factam ab Ordinario, ad præſentationem patronorum ſuper iſta Capellania, tanquam vacante per obitum Hieronymi, qui propterea non poterat capere alios vacandi modos, quos poſtea fuit aſſecutus, vigore plurium gratiarum Apoſtolicarum,quibus Papa ei contulit Capellaniam, ſiue per obitum, ſiue ob non publicationem, ſiue alio quouis modo vacantem; vnde cùm Iulius complexus fuerit omnem vacandi modum,ſublata fuit omnis difficultas ex prioribus deciſionibus orta.

* adde Caual.dec.214. n. 2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

† ſuprà deciſ.401.

## *Brancharen. Parochialis Sancti Petri de Formariz.*

### Die Veneris 4. Iulij 1597.

SVMMARIVM.

2 *Scripturæ non recognitæ,parte citata,non faciunt fidem.*

3 *Decretum iudicis, vel inſtrumentum non continens diem, menſem, & annum, non faciunt fidem.*

5 *Archiuij ſcriptura vt faciat fidem, ante extractionem recognoſcenda eſt. & citatio præmittenda, n. 6.*

7.8 *Inſtrumentum non integrum, ſed cum, &c. non probat.*

9 *Fides non adhibetur ſcripturæ non integræ, & imperfectæ.*

10 *Recognitio ſcripturæ, ſi fiat per teſtes, vt faciat fidem,citanda eſt pars aduerſa.*

11 *Donatio facta præſumitur potius contemplatione perſonæ quàm dignitatis, quando in donatione vtrumque dicitur.*

## DECISIO DCXXXIII.

1. CVm Odoardus Cerueira præſentatus à moderno Vicecomite de Lima, ad hanc Parochialem Eccleſiam Sancti Petri de Formariz,vigore cuiuſdam prætenſi iuriſpatronatus, quod ſibi Vicecomes competere dicebat, vigore cuiuſdam donationis factæ ab aliquibus, quo ſe patronos fuiſſe prætendebant, moleſtaret Franciſcum Barboſam, ab Ordinario prouiſum, vna tantùm parte informante, quia altera ſæpiùs citata,multis modis diſputationem effugere conabatur, dubitaui, an conſtaret de donatione facta dignitati Vicecomitatus,quæ Odoardo ſuffragaretur: & Rota cenſuit,non conſtare, quoniam iura,& probationes,quibus vtebatur Odoardus, fide carebant.

2. Nam quantum ad quatuor inſtrumenta donationum,factarum annis 1526.& 1530. producta in partibus coram Ordinario, & deinde in Rota, reſpondebatur, illa non fuiſſe recognita parte citata, ſicut iure fieri oportet, & conſequenter non probare. Innocentius *in cap. 1. de fide inſtrument. num. 3.* Oldradus *conſil. 227. n.6.* Socinus ſenior *conſil.33. num.1.& 5.lib.1.* Antonius Auguſtinus *in epitome tit. communia de fide inſtrument. §. 14.* Verallus *deciſ.99.num.1. parte 2.* in impreſſis.

Donationes aſſerti iuriſpatronatus, inſertæ in proceſſu remiſſoriali, extractæ ex libris Archiuij huius Eccleſiæ, ad inſtantiam Vicecomitis, vigore decreti, parte citata à Vicario generali, Sede vacante interpoſiti, fide etiam carebant, quia decretum erat ſine die, menſe, * & anno. Baldus *in rubrica de fide inſtrumentor. num. 5. verſ. decreta cum die,* & conſequenter, poterat dici ſine citatione factum, cùm non poſſet cognoſci, an in illo die, quo fuit factum, veniret terminus citationis, vnde tanquam ſine citatione ordinatum, cenſetur penitus inualidum. *l. de vnoquoque. ff. de re iudicata.* 3.

*adde Cocc. dec.85. n. 2. & Caual. deciſ.121. n. 1. & ſuprà dec. 607. n. 2. & fallit hæc regula in ſcriptura priuata,vide ſuprà dec.552.n.9.

Supradictis acccedebat extractionis modus, & tenor iurium inſertorum, ex quibus arguebatur eorundem iurium leuitas, & inualiditas, ibi enim legebatur, quòd quidam Notarius, vigore prædicti decreti, aſſerebat, ſe acceſſiſſe ad prædictum archiuium, & in quadam area reperiſſe quendam librum, in quo inueniebatur annotatum quoddam inſtrumentum, quod dicebatur eſſe factum in Eccleſia Parochiali de Paredes, die 19. Aprilis anno 1521. per Hieronymum Rodriguez Notarium, & quod Didacus Aluarez de Paredes, Patronus verus, qui dicitur eſſe Sancti Petri de Formariz, dedit, ceſſit, & tranſtulit in perpetuum Domino Franciſco de Lima, Vicecomiti; & ſuis ſucceſſoribus totum iuſpatronatus, & ius præſentandi, quod habebat, ad dictam Eccleſiam, & petiit, quòd confirmaremus dictam donationem. 4.

Conſequebantur prætereà in eodem libro aliæ quædam ſimiles annotationes, quas Notarius, non ſeruatis ſolemnitatibus in extractione requiſitas extraxit; primum enim liber non fuit ante extractionem recognitus, * vt fieri oportuit. Veſtrius *in praxi lib.6. cap.1. n.14.* non fuit præmiſſa citatio ad videndum mandari,extrahi, Rota *deciſione 1.& 2.de fide inſtrum. in nouis.* Decretum cuius vigore fuit facta extractio, caruit die, menſe, & anno, vt paulo antè obſeruatum fuit. 5.

*& recognitio eſt neceſſaria in extractione ſcripturæ ex archiuio.Ludouiſ. deciſ. 389. n. 4. & Rota recen. p.2.dec.234.

Prætereà, non apparebat de integro tenore inſtrumentorum, notula enim in dicto libro 6.
contenta, cùm locum enunciaret ſic: *item inſtrumentum, quod dicebatur eſſe factum,* &c. nihil quoad veritatem affirmabat, nec poterat propterea dici, illud inſtrumentum donationum fuiſſe verum, nec donantes, in eo aſſertos, fuiſſe veros patronos. Ruinus *conſil.170. numer.5. lib.2.* Caſſadorus *deciſ.4. num.1. de probat. & deciſ.7. num. 6. verſ. ſecundo verò caſu, de iurepatronat.* Rota *deciſ. 60. num.2. de reſcript. in antiq.* 7.

Quantum ad alium librum, quem (vt in proceſſu remiſſoriali aſſerebatur) Odoardus exhibuit coram Vicario, quem idem Odoardus aſſerebat



rebat reperiiſſe in hac Eccleſia Parochiali, & petiit,& obtinuit, ab illo extrahi quandam confirmationem aſſertarum donationum, quam quidam Notarius aſſerebat extraxiſſe, reſpon-
8. debatur, nullam facere fidem, tum quia productio libri fuit facta coram Vicario, qui non erat iudex compulſorialis. Rota *deciſ.2.de fide inſtrument. in nouis,* tum, quia aſſerta confirmatio donationis non erat integra, cùm eius tantùm initium reperiretur inſertum in proceſſu Re-
9. miſſoriali; vnde tamquam ſcriptura imperfecta, * & nihil diſponens non merebatur fidem, gloſſ. *in l. generali, in verb. ſeruituti. C. de tabular. lib. 10.* Speculat. *tit. de inſtrument. editio. §. reſtat, in principio,* tum denique, quoniam in dicta notula confirmationis, ſimiliter apponebantur illa verba, *prout dicebatur,* quæ nihil certi affirmant, vt paulo antea dictum eſt.

*cui non adhibetur fides. Rota recen. p.2.dec.628. n.4.& 5.

10. Neque ſupradictos defectus purgabat aſſertio contenta in proceſſu remiſſoriali, quòd ſcilicet,pro parte moderni Vicecomitis coram Vicario fuerunt inducti aliqui teſtes ad recognoſcendum prædictum librum, quoniam cùm nulla præceſſerit partis citatio, * prout requiritur, Veſtrius *lib. 6. cap. 1. num. 14.* actus remanſit inualidus.

* prout requiritur. Ludou. dec. 71. n. 1. Mantic. dec.177.n.4. verſic.neque etiam literæ.

11. Cùm itaque prætenſa donatio nullo certo fundamento niteretur, iure fuit pronuntiatum, non conſtare de donatione, quæ Odoardo ſuffragaretur.

Quæ etiam (licèt iura fuiſſent in forma probante) ex eo putabatur inualida; quia non conſtabat, eos qui iuſpatronatus donauerunt Franciſco Vicecomiti, magis fuiſſe contemplatos dignitatem Vicecomitatus, quàm perſonam, & in dubio perſona, non dignitas, conſiderata præſumitur, gloſſ. *in cap.requiſiſti, in verb.præſumitur.* vbi Abbas *num.24.& 25.* & Couarr. *num.7.* vbi teſtatur de communi *de teſtament.* & fuit deciſum in hac cauſa coram Illuſtriſſimo Mantica tunc Rotæ Auditore. *

*in impreſſis Manticæ deciſ. 156. n.5. & 6.

Et quoniam ſupradicta reſpectu petitorij,non haberent difficultatem; reſpectu tamen poſſeſſorij, aliqui ex Dominis dubitabant; nam ſi antecedentes præſentationes fuerunt ſemper factæ à Vicecomite prædeceſſore, dubium erat, an poſſeſſio tranſiuerit ad ſucceſſorem; licet non conſtet de titulo iuſpatronatus,qui non requiritur ad effectum præſentationis, quando non controuertitur iuſpatronatus, & ordinarius non eſt in cauſa,ideoque libenter audirem informantes pro Odoardo.

## *Romana pecuniaria.*

### Die Veneris 4 Iulij 1597.

SVMMARIVM.

2.3 *Venditor tenetur cedere emptori omnes ſcripturas, in inſtrumento venditionis enuntiatas.*

## DECISIO DCXXXIV.

1. Curtius iunior conſil. 210.n.4. lib. 3.verſ.ſecundus caſus.deciſio Genueuit 189. n.3. ſupra dicta notula habetur in Codice originali R.P. Franciſci Peña.

* hæc deciſ. habetur impreſſa per Pacific. poſt tract.de Saluian. inter dec 166.licèt annotetur de anno 1594.

* INformante ſola Lucretia Palearia, propoſito dubio, an Franciſcus Raimundus teneretur conſignare Lucretiæ iura, & ſcripturas enuntiatas in inſtrumento venditionis domus, Rota affirmatiuè reſpondit: cùm enim Franciſcus pro parte pretij domus ſibi venditæ ceſſerit Lucretiæ creditum ſcutorum 698. quæ debere ſibi aſſeruit Albertum Palearium, Lucretiæ maritum, conſequenter tenebatur, conſignare Lucretiæ iura, & ſcripturas in dicto inſtrumento enuntiatas, *l.cùm ſeruus.ff.de condit.& demonſtrat.* 2.
Verallus *deciſ.104. incip.Ceſſio acta, part.1.* ſicut in legato nominis debitoris,debet hæres inſtrumentum crediti legatario conſignare. Baldus *in l.inſtrumenta num. 4. verſ. quæro quid ſi teſtator.* vbi Paulus de Caſtro *num. 3. verſ. ſed pone. C. de fideicomm.*

Sed neque excuſabatur Franciſcus à conſignatione ex eo, quòd dicebat, ſe indicaſſe prædicta iura, & inſtrumenta reperiri penes quendam Notarium de partibus, à quo Lucretia habere poterat, quoniam quidquid ſit in aliis caſibus,in ceſſione nominis debitoris, inſtrumentum ipſum re ipſa, & cum effectu eſt parti conſignandum, vt conſiderant Doctores *in dicta l. inſtrumenta, C.de fideicommiſſ.* quod maximè obſeruandum fuerat in hac facti ſpecie, in Lucretia nedum indicauerat domum venditam, ſed realiter etiam tradiderat. Vnde cùm ceſſio eſſet facta correſpectiuè,ad pretium domus, de reali ceſſione,quæ fit per realem iurium conſignationem, erat intelligenda. 3.

## *Vercellen. Canonicatus.*

### Die Veneris 17. Octobris 1597.

SVMMARIVM.

1 *Menſis Maius eſt ſemper reſeruatus Sedi Apoſtolicæ.*

3 *Canonicus iniuſtè carceratus, excommunicatus, aut ſuſpenſus,habendus eſt pro præſente in Eccleſia.*

4 *Regula, de iure quæſito non tollendo, non eſt neceſſaria, quando intruſus non habet aliquem titulum.*

5 *Declaratio iudicis, vel ſuperioris nihil operatur, quando nihil de nouo addit,ſed aperit id, quod latebat.*

## DECISIO DCXXXV.

ROta cenſuit, conſtare de reſeruatione huius Canonicatus, vacantis anno 1596. in 1.
menſe Maio; quia iuxta regulam 8.Cancellariæ, ſiue Epiſcopus gaudeat alternatiua, ſiue non gaudeat, menſis Maius ſemper eſt Sedi Apoſtolicæ reſeruatus, & conſequenter pronuntiauit eum deberi Michaëli Belletiæ,Prouiſo Apoſtolico,non Ioanni Baptiſtæ Modenæ, cui Vicarius Vercellenſis auctoritate ordinaria, eundem Canonicatum contulerat.

Neque huic deciſioni obſtabat concordia inita inter Epiſcopum & Capitulum Vercellen. 2.
à Sede Apoſtolica confirmata,per quam conſtituebatur menſis Maius ſpectare ad Epiſcopum pro tempore reſidentem; quia omiſſo illo fundamento de concordiæ inobſeruantia, quæ non apparebat ſatis probata, item aliò, quod ei eſſet derogatum per regulam reſeruatoriam 8. menſium,

ſium, quia hoc fundamentum patiebatur magnas difficultates, ex quo apparebat confirmata cum ampliſſimis clauſulis, vt latè deducebant informantes pro Modena, Domini concorditer amplexi fuerunt tertium argumentum, fundatum in abſentia Epiſcopi Vercellenſis; nam cùm concordia non tribueret illi facultatem conferendi, niſi reſideret, cùm non reſediſſet, concordia ei non ſuffragabatur; ſecluſa verò concordia, menſis Maius, in quo vacatio contigerat, remanebat reſeruatus, & conſequenter, Canonicatus pertinebat ad Romani Pontificis diſpoſitionem.

3. Litteræ Domini Cardinalis Alexandrini non obſtabant, quia non erant ita claræ, quin poſſent intelligi de collatione facienda dum Epiſcopus Vercellenſis detinebatur Taurini in carceribus iudicis ſecularis: cùm enim tunc illius carceratio, & abſentia eſſet de facto, meritò poterat haberi pro præſenti, vt de Canonico iniuſtè carcerato, excommunicato, * aut ſuſpenſo, notant Philippus Probus ad Ioannem Monachum *in cap.1.num.22.de Cleric.non reſiden.* ſecus autem cenſeri oportuit, poſtquam fuit apprehenſus à iudice Eccleſiaſtico; tunc enim ceſſante ratione iniuſtæ detentionis, haberi debuit pro abſente. †

*adde Rot. in vna Iacen. portionis 1. Febr. 1610. coram Ortembergo quæ habetur impreſſa penes March. de commiſſ. p.1. pag 5.0. n.1. & penes Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.280.n.1. & alias dec. relatas per Garc. de benef.7.p.c.13. n. 116. vbi latè differit de hoc art.

Denique, omnem difficultatem ſuperabat declaratio Sanctiſſimi decernentis, Epiſcopum Vercellenſem, poſt diſceſſum à ciuitate Taurini, non potuiſſe, nec debuiſſe frui gratia alternatiuæ, in collatione beneficiorum.

Et licèt iſta declaratio eſſet ſecuta, poſt collationem ab Epiſcopo, ſeu eius Vicario factam, non requirebatur derogatio regulæ, * *de iure quæſito non tollendo*. Sarnenſis *ſuper dicta regula q. 13.* quia cùm Epiſcopus ab initio, propter abſentiam, caruiſſet poteſtate conferendi, nullum potuit tribuere ius, cui eſſet neceſſariò derogandum: declaratio enim nihil noui induxit, ſed ſolùm aperuit, quod latebat. *l.adeò.§.cùm quis,ff. de acquiren.rerum domin.* Vitalinus *in Clemen.Nos itaque, num.22. de iureiuran.*

4.
5.
6.

† adde Seraphin. deciſ. 1164. n.1.& fuit dictum in Elboren. fructuum 17. Nou. 1629. coram Queipo, & in eadem 14.Maij 1631. coram Ghiſilerio, quas refert Barboſ. in tract. de canonicis, & dign.cap.22. num.2.

Et ex his reſpondebatur ad deciſionem Cæſaris de Graſſis *2.tit.de præben.num.13.& 14.* quæ cùm loquatur de ſecunda conſtitutione, ſeu declaratione, ius nouum continente, (vt apparet ex illius ſerie,) non poterat ad hanc facti ſpeciem commodè referri.

*adde Lud. dec.369.n.8. & Caualer. dec.380.n.3. & deciſ.333. n.2. Mantic. dec. 30. n.8. & aliàs ſæpe.

## *Romana pecuniaria de Bartolacijs.*

### Die Veneris 24. Octobris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Creditor poſterior tenetur reſtituere anteriori quod ei ſolutum eſt, ſi debitor eſt decoctus, vel anteriores creditores inſtant.*

3 *Turbationis ratio de ſtatu debitoris non eſt habenda, quando adeſt decretum iudicis.*

4 *Debitoris bona, quando non ſunt ſoluendo, omnes creditores veniunt pro rata, ſi omnes pariter vigilant.*

*quod limita, vt num.5.*

## DECISIO DCXXXVI.

Rota iuſſit expediri cauſam ad fauorem Dominæ Portiæ Maſſæ, cuius creditum erat de anno 1583. & ſic anterius * credito Auguſtino Zabreræ, quod erat de anno 1587. vnde cùm Zabrera tanquam creditor Bartolacij exegerit ſcuta 150. vt conſtabat ex quietantia, in actis producta, reſtituenda veniebat Portiæ creditrici anteriori. 1.

*adde ſuprà dec.567.n.3. & 4.vbi alias deciſ. annotaui.

Nec Zabreræ ſuffragabatur Afflictus *deciſione 190.* quia recipit duas limitationes, prima eſt, quando debitor eſt decoctus, * vt fuit reſolutum in cauſa Romana pecuniaria, ſeu officiorum Collegij 13. Nouembris ann. 1592. coram Domino Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ Auditore. Altera eſt, quando alij creditores inſtant. Paulus de Caſtro *conſil.446. num.3. lib. 1.* & fuit deciſum in cauſa Romana pecuniaria die 13. Nouembris anno 1573. coram S.D.N.Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore. 2.

*adde ſuprà dec.338.n.3. & 7. vbi annotaui alias deciſ.

Quas limitationes huic themati applicari cenſuit Rota, tum quia Bartolacius erat decoctus, tum quia pendebat cauſa diſcuſſionis, ad inſtantiam aliorum creditorum, & ſic Portia poterat repetere ſupradictam ſummam, Zabreræ ſolutam.

Non obſtabat, quòd non habeatur ratio turbationis ſtatus debitoris, quando adeſt decretum iudicis. Baldus *conſ.432.* incip. *Caſus talis eſt, num.1. in fine lib. 1.* & propterea Zabreram, cui fuit facta ſolutio, præcedente iudicis decreto, non teneri ad reſtituendam prædictam ſummam. 3.

Quia reſpondebatur, doctrinam Baldi non applicari; ille enim ponit regulam quòd quando bona debitoris non ſunt ſoluendo, omnes creditores veniunt pro rata, ſi omnes pariter vigilant ad ſuum conſequendum, exceptis duobus caſibus; primus eſt, quando vnus creditor vigilauit, & à ſponte ſoluente fuit eis ſatisfactum, tunc enim non tenetur communicare aliis creditoribus. Secundus caſus eſt, quando vigilauit, & præuenit per ſententiam iudicis; nam vigilando, fecit meliorem ſuam conditionem. *l.pupillus. ff. de his quæ in fraud. creditor.* nam præterquam quòd hæc doctrina Baldi videtur carere ratione, non procedit, quando pendet cauſa ſuper diſcuſſione bonorum, tunc enim non poteſt iudex præferre poſteriorem creditorem priori. 4. 5.

## *Rauenaten. donationis.*

### Die Lunæ 27. Octobris 1597.

SVMMARIVM.

1 *Donatio facta inter prohibitas perſonas, per ſimplicem aſſertionem meritorum, ſine iuramento non valet.*

2 *Iuramentum ſi eſt appoſitum in donatione facta inter prohibitas perſonas, & eſt adiectum aſſertioni meritorum, eo non obſtante, requiritur aliunde meritorum probatio.*

3 *Merita ſi in donatione non probantur, ſola aſſertio donantis non validat eam.*

4 *Iuramentum ſi apponatur donationi, propter id validatur, & non propter benemerita illius, cui donatur.*



5 *Aſſertio donantis ſufficit ad valorem donationis, ſi hæc ſubſiſtit.*

6 *Pater ſi iurat donationem ab eo factam filio, ex eo ſolo ſuſtinetur, & ſufficit eius aſſertio meritorum, & n.10.*

7 *Donans non poteſt aliter donare, quàm propter benemerita eius, cui donat.*

*quod limita, vt n.8.*

9 *Cauſæ expreſſæ, ad abundantiorem cautelam validitatis donationis factæ, non debent contrarium effectum operari.*

11 *Iuramentum vnicum appoſitum donationi, à patre filiæ factæ, poteſt ſupplere plures defectus illius.*

## DECISIO DCXXXVII.

1. Qvamuis deciſiones in hac cauſa factæ die 29. Aprilis 1596. * coram R.P.D. Decano, & die 27. Iunij proximè præteriti coram me † ſubſiſterent, & omnem tollerent difficultatem, nihilominus Ioannes Baptiſta, Iacobus, & Nicolaus fratres de Paſolinis voluerunt tertiò audiri ſuper donatione ſcutorum 1500. facta à Hieronymo Paſolino patre, Petro Franciſco Paſolino, vni ex filiis, & prædictorum fratri, quam prætendebant inualidam.

* in impreſſis Seraphini dec.1184.
† ſuprà dec. 631.

Rota apertioris doctrinæ gratia, tres caſus cenſuit diſtinguendos, primus eſt, quando in donatione, inter perſonas prohibitas fit ſimplex aſſertio meritorum * ſine aliquo iuramento, & iſte caſus eſt clarus, quòd non ſufficiat ſimplex aſſertio meritorum, ſed requiratur aliunde legitima illorum probatio, † ad effectum conſequendi donata. & in hoc caſu loquuntur Socinus ſenior *conſil.295.n.8. lib.2.* Ruinus *conſ.173. num. 4. lib.1.* Decius *conſil. 20. num. 3.* & Petrus Ioannes Ancharanus *quæſt. 12. num. 15. & ſeq. lib.2.* poſt Tiraquellum *in l. ſi vnquam, in verb. donatione largitus, num.99.C.de reuocand. donationib.* & alij allegati per informantes, contra Petrum Franciſcum; ſed iſte caſus non erat, de quo controuertebatur.

* de hoc articulo late agit Seraph. in d deciſio 1184 ferè per totam.
† adde Manticam deciſ. 49.

2. Secundus caſus eſt, quando in donatione inter perſonas prohibitas, iuramentum eſt appoſitum, ſeu adiectum aſſertioni meritorum, quòd ſcilicet ſunt vera; & in hoc caſu pariter requiritur, aliunde meritorum probatio, & in hoc loquuntur Decius *in l.ſi donatione, num.25.* & Iaſon *num.6.C. de collatio.* Socinus iunior *conſil.8.n.29. lib.4.* Tiraquellus *in dict. verb. donatione largitus, num.91.* Menochius *de arbitrar. caſu 134. num.2.* Riminaldus iunior *conſ. 295. num.67. lib.3.* & ſi qui ſunt alij, quos allegabant informantes con-
3. tra Petrum Franciſcum, & ratio eſt, quia ſi merita non probantur per ſolam aſſertionem * donantis, neque etiam per iuramentum probabantur, quia cùm non ſit in poteſtate donnantis validare ſuam donationem, ideo oportet merita probare.

* adde Seraphin. dec. 201.n.4.quæ habetur in impreſſis diuerſ.p.1.dec. 125.n.3.

4. Sed neque iſte caſus pertinebat ad hanc facti ſpeciem, quia iuramentum non erat adiectum aſſertioni meritorum, vt bene conſiderat Gratus *conſil. 63.* incip. *Viſis elegantiſſimis dubijs, num.25. & 26. lib. 2.* quando enim iuramentum
5. eſt oppoſitum ſuper donatione, tunc donatio non valet propter benemerita, ſed valet propter iuramentum, & ſtante validitate donationis, ſufficit ſola aſſertio, ſine probatione meritorum.

Tertius caſus eſt, quando donatio eſt iuramento vallata, prout erat in propoſita facti ſpecie, in qua Rota amplexa fuit opinionem Ripæ *in dicta l.ſi vnquam, quæſt.15. & reſponſo 1. num.8.* vbi de communi, *tit.de donat.cauſ.mortis*, & Grati *dicto conſil. 63. num.24. lib.2.* quòd iuramentum * reddat validam donationem inter patrem, & filium, ita vt remaneat donatio valida, & efficax, & ſufficiat ſola aſſertio, quia etiamſi non fuiſſet facta donatio propter merita, valuiſſet: & ideo ceſſat ratio communis opinionis, quòd donans non poterat aliter donare, niſi propter benemerita. Et hanc opinionem ſequuntur Antonius Gomezius *ſuper 29. Tauri, num.23.* Rolandus à Valle *conſil.98. num.51. & 54. lib.1.* Ioannes Gutierrez *tract.de iuramento confirmatorio, parte 1. cap.5. num.23.* vbi poſt Gomezium declarat, hoc procedere, dummodo remaneat legitima pro filiis, & Nicolaus Arelatanus *in additione ad Alciatum, tract.de præſumpt. regula 1. præſumptione 16. verſ.hoc indubitatè.* 6. 7. 8.

*adde Coc. dec.379.n.4. & Cau. dec. 648. n. 9. & ſuprà in d. dec.631.n.1.

Doctores autem in contrarium allegati ideo hanc communem opinionem non oppugnabant, quia non loquuntur in his terminis, ſed in duobus caſibus, ſuprà expreſſis.

Præterea, iſta communis opinio non habet locum, quando donatio ſimplex poteſt valere, abſque mentione meritorum; vt declarant Gratus, & Ioannes Gutierrez *præcitatis locis*, & reuera, valde durum videbatur, quòd expreſſio non neceſſaria, facta ad abundantem cautelam, pro actus validitate, operaretur nullitatem eiuſdem actus, ſi non probaretur, vt in his terminis fuit conſideratum, in cauſa Romana compromiſſi die 17. Aprilis ann. 1573. coram R. P. D. Decano. * 9.

* habetur in impreſſis diuerſor.lib.1. dec.125.n.7. & in impreſſis Seraphini deciſ. 201. n.13.

Allegata per D. Vrnum non tam concludebant, quòd merita deberent probari, quàm quòd donatio iurata inter patrem, & filium non valeret, quod apertè videbatur contra communem opinionem, quam etiam Rota fuit amplexa in cauſa Bononien. pecuniaria, die 6. Martij ann. 1592. coram D. Cardinale Mantica, † tunc Rotæ Auditore. 10.

† in impreſſis Manticæ dec.166. à n. 14. vſque in finem.

Addit præterea Cagnolus *in l. frater à fratre, num.339.ff.de condict.indeb.* hanc opinionem eſſe canonizatam, & temerarium eſſe ab illa recedere in iudicando, aut conſulendo, huc etiam ſpectat dictum Iulij Clari *in §. donatio. quæſt.8. in fine*, affirmantis, quòd quia hæc in practica nullam habent difficultatem, ineptus eſſet Aduocatus, qui illa vellet in diſceptationem deducere.

Denique, ad id quòd iuramentum non ſit potens, ſanare tot defectus, abundè reſponſum fuit in deciſione R.P. Domini mei Decani, * in qua fuit concluſum, vnicum iuramentum poſſe ſupplere plures defectus. Crauetta *conſil. 7. num.4. & conſil.114. num.9.* latè Seraphinus *tract. de priuileg. iuramenti, priuileg. 83. numer. 4.* Gabriel *conſil. 127. num. 34. lib.1.* & alij, quos longum eſſet recenſere. 11.

* in d. deciſione Seraphini 201.

## Caſertana Beneficij.

### Die Mercurij 5. Nouembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Quaſi poſſeſſio conferendi aliquod boneficium, magni momenti eſt, ad inducendum titulum.*

3 *Conferendi ius probatur per continuatas præſentationes.*

4 *Effectuatio præſentationum probatur per vacationem vnius, in locum alterius continuatæ.*

5 *Solutiones Canonum, & reſponſionum inducunt recognitionem, & ſubiectionem dominij.*

6 *Præiudicium non infert mihi, quòd me ignorante à tertio factum fuerit.*

7 *Ius patronatus vt tollatur, requiritur ſcientia, & patientia patroni per 40. annos.*

8 *Vltimus ſtatus in materia præſentationum beneficiorum, multum attenditur.*

9 *Conceſſiones faciendæ à laicis de iuribus patronatus, per decretum Vrbani II. ſunt ſublatæ, licèt iam factæ ante id, valere declarauerit.*

10 *Enunciatiua antiquiſſima alicuius priuilegij Pontificis coadiuuat quaſi poſſeſſionem iuris præſentandi.*

## DECISIO DCXXXVIII.

1. * adde ſuprà deciſ. 129. & ad hunc effectum acquiritur quaſi poſſeſſio ex vnico actu, vt annotaui ſuprà dec. 448. n. 3.

VAcante hoc beneficio per obitum Marcelli Viglioni, Don Zacharias de Peruſſo, Abbas Monaſterij Sancti Laurentij de Auerſa, tanquam membrum dicti Monaſterij, illud contulit Mutio Manſo, qui pacificam eiuſdem beneficij accepit poſſeſſionem; Ordinarius autem idem beneficium contulit Poſſidonio de Andrea; cauſa introducta in Rota dubitaui, quænam prouiſio fuiſſet attendenda? & Rota conformiter pronunciauit, Abbatis prouiſionem, ad fauorem Mutij, fuiſſe legitimam, & attendendam, quia reperiebatur in quaſi poſſeſſione conferendi, quæ in hac materia magni eſt momenti. *cap. conſultationibus, de iurepatronat. cap. querelam, de elect.* Rota *deciſione* 14. *de iurepatronat. in antiq.*

2.

3. † per quod tempus præſcribitur ius patronatus etiam ſine titulo. Durã. dec. 215. n. 6.

4. Quaſi poſſeſſionem * probabant multiplicatæ Abbatum præſentationes effectuatæ, & continuatæ ab anno 1509. vſque ad præſentem diem, & ſic vltra quadraginta annos, † Ripa poſt gloſſ. & alios *in cap. cùm Eccleſia Sutrina, numer.* 52. *de cauſa poſſeſſ. & proprietat.* Calderinus *conſil.* 12. *de iurepatronat.* Decius *conſil.* 129. *num.* 2.

* adde Dur. dec. 100. n. 3. & ſuprà dec. 165. n. 4. vbi alias deciſio. annotaui.

5. Effectuationem dicebant Domini clarè oſtendi ex eo, quòd vnus * fuerat prouiſus, ob vacationem contingentem, ex perſona immediatè anteceſſoris prouiſi, iuxta conſilium Oldradi 229. *num.* 21. *& ſeq.* quòd Rota in huiuſmodi materia ſemper ſequi ſolet.

† de hoc art. latè agit annota. dec. 77. Lud. n. 12. & dec. 112 n. 2. & 6. quando autem nõ ſit attendendus vltimus ſtatus circa quaſi poſſeſſionem iurispatronatus, vide infr. deciſ. 1630. per totam.

Supradictis ad fauorem prouiſionis Abbatis accedebat vltimus ſtatus; † Abbas enim anno 1568. idem beneficium contulerat Marcello Vigliano, per cuius obitum modò vacauerat, cuius effectuatio docebatur ex ſolutionibus Canonum, & reſponſionum factis Monaſterio per Marcellum, tanquam Rectorem huius beneficij, in recognitionem proprietatis, & dominij, ex quibus probatur ſubiectio, Baldus *in l. ſolent. ff. de officio Proconſul.* Abbas *in cap. bonæ, num.* 15. *de appellationib.*

Poſtremò difficultatem tollebant viſitationes, quas fecerant Abbates de anno 1579. & 1586. de quibus conſtabat per publica inſtrumenta; Abbates enim prædictum beneficium, tanquam membrum ſui Monaſterij, viſitauerant, & eiſdem viſitantibus, in ſpecie Marcellus Viglionus, tanquam Rector, litteras ſuæ prouiſionis exhibuerat, & Abbates, ſpectantia ad regimen beneficij, ei præceperant.

Vnde non fuit habita ratio cuiuſdam prouiſionis factæ ab Ordinario eidem Marcello anno 1581. poſtquam Marcellus per 13. annos antè fuiſſet iam prouiſus ab Abbate, quia Abbate ignorante, non potuerat Marcellus in eius præiudicium illam ab Epiſcopo acceptare. Rurſus ad effectum inducendi ſtatum validum conferendi contra Abbatem, collationes per 40. annos factæ, cum ſcientia * & patientia Abbatis requirebantur, Calderinus *conſ.* 12. *de iurepatronat.* Selua *tract. de beneſic. parte* 3. *quæſt.* 11. *n.* 127. & ita ſæpe Rota iudicauit in multis cauſis, vt in Tudertina Prioratus die 17. Nouembris ann. 1539. coram R. P. D. Orano, & die 14. Iunij ann. 1593. coram R. P. Domino Litta & in Parmẽn. Prioratus coràm eodem D. Litta die 28. Ianuarij ann. 1594. 6. 7.

* adde Dur. dec. 74. n. 42. Seraph. dec. 337. n. 2. Ludouiſ. deciſ. 417. n. 2.

Vnde cùm vltimus ſtatus (qui in hac materia plurimum attendi ſolet, * gloſſ. & Baldus *in l. ſi mater C. ne de ſtatu defunctor.* Rota *deciſ.* 2. *num.* 2. *de præbend. in nouis*, Decius *conſil.* 126. *num.* 1. Felinus *in cap. cùm te, in princ. de reſcript.*) faueret Abbati potius, quàm Epiſcopo, pro Abbatis prouiſione fuit ſine difficultate pronunciatum, maximè concurrente tam longa tolerantia † Epiſcoporum, qui propter annualem viſitationem præſumuntur informati de qualitatibus beneficiorum in ſua diœceſi exiſtentium. Rota *deciſ.* 6. *de iurepatronat. in nouiſſ.* 8.

* adde infrà deciſ. 823. n. 18. & Duran. dec. 208. n. 4. & deciſ. 234. n. 6.

† adde ſuprà dec. 30. n. 11. & 15. & dec. 441. n. 7. vbi alias dec. annotaui.

Hæc quaſi poſſeſſio iuris conferendi Abbatum valde muniebatur antiquis quibuſdam iuribus, in hac cauſa productis: primum enim conſtabat, Ricardum ſecundum Capuæ Principem anno 1121. prædicto Monaſterio Sancti Laurentij, dediſſe beneficium, ſeu Capellam de qua agebatur, quæ conceſſio cùm fuerit ante decre- 9.
tum Vrbani ſecundi, licèt à laico facta ſine conſenſu Romani Pontificis, vel Epiſcopi, valida cenſebatur, quia Vrbanus ſecundus in Concilio Claramontenſi, pro publica Eccleſiæ pace decreuit, ſimiles conceſſiones iam factas ſuſtineri, *cap. congregato* 16. *quæſt.* 7. *cap. Epiſcopum, vel Abbatem, in vſibus feudorum*; in poſterum verò ſimiles conceſſiones, per eoſdem laicos faciendas, ſine certis ſolemnitatibus fore inualidas.

Rurſus, antiquiſſimo Innocentij tertij pri- 10.
uilegio anni 1202. hoc beneficium, ſeu Capella numerabatur inter Eccleſias, & membra Monaſterij Sancti Laurentij: hæc verò enunciatiua, cùm eſſet antiquiſſima * in priuilegio Papæ inſerta, ſatis coadiuuabat quaſi poſſeſſionem Abbatis, Alexander *conſil.* 6. *n.* 6. *lib.* 1. Decius *conſ.* 445. *num.* 16. *verſ. & verba enunciatiua.* Gabriel

* adde ſuprà dec. 228. n. 4. vbi alias dec. annotaui.



Gabriel *de probationib. concluſ.* 2. *num.* 54. *verſ. ſecundò limita.*

## Cæſenaten. Palacij.

### Die Veneris 7. Nouembris 1597.

SVMMARIVM.

6 *Geſta extraiudicialiter non inducunt litem.*

7 *Reſoluto iure datoris, protinus reſoluitur ius acceptatoris.*

8 *Dominio directo conſolidato, poteſt dominus pro ſe liberè retinere rem.*

9 *Statutum laicorum an poſſit diſponere ſuper rebus Eccleſiæ.*

10 *Statutum, ſi habeat caſum omiſſum, recurrendum eſt ad ius commune.*

11 *Emphyteoticus contractus plurimum pendet à conditionibus, per contrahentes appoſitis, quæ omnino ſunt ſeruandæ.*

12 *Pius locus non poteſt ſuccedere in rebus datis, ad emphyteoſim.*

13 *Renunciare quis non poteſt, quod eſt ſtatutum ob publicam vtilitatem.*

## DECISIO DCXXXIX.

1. COnduxerat Virginius Tibertus anno 1577. quoddam Palatium, ſitum in ciuitate Cæſenaten. à Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ad quorum dominium ſpectabat, pro ſe, filiis, & nepotibus tantùm ex legitimo matrimonio, & recta linea deſcendentibus, cum pactis, quòd nec ipſe Virginius, nec eius ſucceſſores poſſent Palatium, vel aliquam eius partem vendere, alienare, aut in vltima voluntate relinquere alicui perſonæ, præſertim religioſæ, potenti, aut pio loco, abſque licentia dicti Capituli, & ſoluere ſingulis annis denarios quinque pro legitima recognitione, & eo deficiente, aut contraueniente in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, aut linea finita, Palacium ipſo facto, & iure Capitulum deuolutum, & vtile dominium cum directo conſolidatum intelligeretur; ita vt Capitulum propria auctoritate Palatium capere, & pro ſe retinere, vel alteri concedere poſſet, legibus, ſtatutis, conſtitutionibus, etiam Apoſtolicis, & aliis quibuſcumque in contrarium facientibus, non obſtantibus, quibus Virginius expreſsè renunciauit.

2. Deinde poſt aliquot annos, Virginius dotem ſcutorum quinque millium, quam cum Eliſa Burata, vxore acceperat, ſuper omnibus bonis ſuis aſſecurauit, & ann. 1590. ſine filiis, & nepotibus condito teſtamento, in quo ſi Eliſa vxor prognans non foret, (prout non fuit) Hipolytam matrem ſuam, hæredem vniuerſalem inſtituerat, ab hac vita diſceſſit, iure autem legati Corneliæ, eius amitæ prædictum Palatium, ſaluo iure directi dominij, reliquit: & paulo pòſt, in codicillis ordinauit, quòd Hippolyta mater, quam hæredem fecerat, poſſet diſponere de ſcutis 1500. ſicut ipſi placuiſſet ſuper Palatio eiuſdem teſtatoris, Corneliæ relicta.

Hippolyta adita hæreditate, infra duos menſes obiit, inſtituto hærede vniuerſali Hoſpitali Sanctiſſimi Crucifixi Cæſenæ, cum onere ſoluendi omnia Virginij debita, cuius morte ſequuta, Capitulum ob finitam lineam Virginij, Palatium iuxta pacta, in inueſtitura contenta, ad Eccleſiam deuolutum declarauit, & poſſeſſionem accepit.

Poſt aliquot verò annos, Capitulum publicatis edictis, Corneliæ Tibertæ, tanquam Vir- 3.
ginio proximiori, idem Palatium conceſſit, interim Eliſa, Virginij vxor, pro reſiduo ſuæ dotis mandatum quod ab A. C. obtinuerat, ſuper dicto Palatio emphyteotico exequi curauit, licèt paulo pòſt fuerit reuocatum.

Cauſa deinde commiſſa in petitorio, per 4.
ſignaturam R. P. D. Lambertino cum voto Rotæ, & dato dubio, pronunciauit Eliſæ pro dote ſua ſuper dictum Palatium nullum ius competiiſſe. Sed quia rurſus Eliſa, & Hoſpitale prætendebant, Corneliam, Palatium acceptando, legatum à Virginio relictum agnouiſſe, & conſequenter teneri ad ſolutionem ſcutorum 1500. Rurſus dato dubio, an Cornelia citra agnitionem legati potuerit inueſtituram obtinere, Rota die 15. Decembris 1595. coram R. P. D. meo Orano affirmatiuè reſpondit, & D. Lambertinus de voto Rotæ ad fauorem Corneliæ diffinitiuam ſententiam tulit; in gradu appellationis cauſa mihi commiſſa, dubitaui, an prædicta ſententia eſſet confirmanda, vel infirmanda? & Rota conformiter cenſuit, confirmandam, non obſtantibus oppoſitionibus nullitatis, ex defectu tranſportationis actorum, attentatorum, & iniuſtitiæ ſententiæ.

Nam quantum ad nullitatem, ex defectu 5.
tranſportationis actorum, reſponſum fuit, illa non obſtare, quia lis in Curia erat in prima inſtantia, & nihil fuerat geſtum in partibus, quod eſſet tranſportandum; edicta enim affixa per Capitulum, & alia geſta pro renouationis inueſtituræ ſolemnitate, quæ Capitulum ſuo iure fecerat, non pertinebant ad hanc litem.

Oppoſitio de attentatis ex eo, quòd ſenten- 6.
tia confirmabat inueſtituram, factam Corneliæ, lite pendente, facilè tollebatur ex eo, quòd non conſtabat de aliqua lite; geſta enim per Capitulum in renouatione inueſtituræ, tanquam extraiudicialiter facta, non potuerunt litem inducere.

Iniuſtitiam, quam conabantur deducere informantes pro Eliſa, & Hoſpitali, ex eo, quòd ſententia liberabat Corneliam à ſolutione æris alieni, per Virginium contracti, ex eo etiam dicebant Domini excludi, quia aut Cornelia tenebatur ex eo, quòd Palatium per ipſam poſſeſſum, fuerat obligatum à Virginio, aut ex eo, quòd agnouerat legatum Palatij cum illo onere; ſed neutro modo eam teneri Domini cenſuerunt.

Non quidem ratione obligationis Palatij, quia ſtantibus pactis in inueſtitura appoſitis, non potuit Virginius illud obligare, neque aliquo modo alienare ſine licentia Capituli; & cùm ob lineam finitam, Palatium eſſet ad Eccleſiam deuolutum, ab omnibus obligationibus, & hypothecis remanſit liberum, ex vulgari regula, quòd reſoluto iure datoris, protinus reſoluitur
ius acceptoris. *l. lex vectigali ff. de pignorib.* Paulus 7.
de Caſtro *conſil.* 68. incip. *In caſu præſenti, in fine lib.* 2. Tiraquell. *de retract. conuent.* §. 3. *gloſſ.* 1. *n.* 13. Guido Papæ *deciſ.* 428. *num.* 3. Capella Toloſana *deciſ.* 462.

8. deciſ. 462. & quemadmodum potuiſſet Eccleſia poſt deuolutionem illud pro ſe retinere, * Verallus dec. 304. part. 1. nec fuiſſet ad aliquid obligata, ſimiliter nec Cornelia, habens ius ab Eccleſia, tenetur ad aliquod onus ſubeundum. *l. emptor*, vbi Baldus, *C. de hæreditat. vel actione vendita.* Paulus de Caſtro *dicto conſil.* 68. *in fine.*

* adde infrà dec. 843. n. 7.

9. Neque huic deciſioni videbatur obſtare ſtatutum * Cæſenaten. ſub rubrica, quòd nemo audeat ſe inueſtiri facere in præiudicium deſcendentium hæredum, vel legatariorum, iuncto conſil. Ancharani 89. num. 4. quia reſpondebatur, ſtatutum habilitare legatarios, vt poſſint ſuccedere in hac emphyteoſi diſponendo, quòd Eccleſia in Epiſcoporum præiudicium non poſſit contradicere, nec alios inueſtire.

* an hoc ſtatutum ſic validũ, ex quo diſponit ſuper rebus Eccleſiæ, viden. Socinus iunior conſ. 71. n. 13. & 35. lib. 1. Mohedan. dec. 4. de conſtitut. in impreſſis, qui loquitur in terminis huius ſtatuti, & cõcludit eſſe validum. idẽ tenet Pariſius conſ. 22. n. 85. lib. 2. Ruinus conſ. 175. n. 22. in fine, & ſeq. lib. 1. Alex. conſ. 27. n. 5. lib. 6.

Ideoque obſtaret Corneliæ, ſi fuiſſet inueſtita, tanquam proximior in concurſu cum legatario, ſed quando eadem perſona eſt proximior, & legataria, ſtatutum non diſponit, quòd omiſſo titulo legati, non poſſet inueſtiri, tanquam proximior, quia iſte caſus eſt omiſſus à ſtatuto, & propterea remanet in diſpoſitione iuris communis, † iuxta quod eſt in facultate legatarij, omiſſo titulo legati, petere renouationem inueſtituræ, & ſimiliter reſpondebatur ad dictum conſilium Ancharani 89. vbi aſſeritur, res emphyteuticas, vigore eiuſdem ſtatuti, eſſe ſubiectas oneribus hæreditariis, quia hoc intelligitur procedere in terminis, in quibus ſtatutum loquitur, videlicet quando non poteſt fieri renouatio inueſtituræ proximiori, quia adeſt legatarius, vel quando eadem perſona eſt proximior, & legataria, quæ poteſt, omiſſo titulo legati, tanquam proximior petere inueſtituram.

10. † adde ſuprà dec. 496. n. 7. & deciſ. 456. n. 9. vbi alias deciſ. annotaui.

11. Cæterùm in propoſita facti ſpecie, omnis difficultas ceſſabat ex pacto, expreſsè dicto ſtatuto contrario, quòd Virginius non poſſet alienare, neque etiam in vltima voluntate, cum generali renunciatione omnium, & quorumcumque ſtatutorum, quod pactum tanquam poſitum in contractu emphyteotico, (qui plurimum pendet, à conditionibus à contrahentibus appoſitis) omnino ſeruandum eſt. Bartolus *in l. 2. num. 1. & 7. C. de iure emphyteotico.* Natta *conſ. 49. num. 18. & ſeq. & conſil. 114. num 7. & 8. lib. 1.* & latè Caldas Pereira *tract. de renouat. emphyteoſis, quæſt. 11. num. 20.* vbi concludit, quòd quando conductor promiſit dimittere rem liberam, & expeditam, & renunciauit omni beneficio legum, & iuris auxilio, renunciatio refertur ad omnia auxilia, & beneficia, licèt non expreſſa.

12. Præterea reſpectu Hoſpitalis, quòd non poſſet ſuccedere in emphyteoſi, * res non videbatur habere difficultatem, tam ex diſpoſitione iuris communis, gloſſ. communiter recepta *in cap. potuit, in verb. prohibentur, de locato,* vbi Imola *num. 25.* & Barbatia *num. 17.* Alexander *conſil. 9. num. 5. lib. 3.* Iaſon *in l. fin. num. 90. & 91. C. de iure emphyteotico,* latè Caldas Pereira *tract. de renouat. emphyteoſ quæſt. 20. num. 17. & 18.* quam ex pactis appoſitis in hoc contractu, in quo Virginius expreſsè fuit prohibitus, relinquere Palatium alicui pio loco, vel religioſo, & ratio eſt, quia cum talis locus non moriatur, Dominus rei perpetuò priuaretur iure vtilis dominij, ſublata ſcilicet ſpe conſolidationis vtriuſque dominij directi, & vtilis.

* de hoc art. Ludouiſ. dec. 520. & plura tradit annot. n. 14. & latè dec. 519. ferè per totam.

13. Poſtremò non obſtabat, quòd contra renunciationem opponebatur, dicendo, quòd cùm ſtatutum eſſet factum ob publicam vtilitatem, non potuerat Virginius ei renunciare; quia dicebant Domini, ſtatutum principaliter continere vtilitatem priuatam, cui propterea legitimè potuit renunciare. Vitalinus *tract. de clauſul. tit. an poſſit renunciari beneficio ſtatutorum,* quemadmodum iuri petendi renouationem rectè poteſt quis renunciare. Socin. iunior *conſil. 9. lib. 3.* & fuit deciſum in cauſa Ceruien. bonorum die 23. Martij anni 1583. coram R.P. Domino meo Seraphino Rotæ Decano.*

* in impreſſis Seraphini dec. 610. n. 8.

Atque ex his fuit ſine difficultate concluſum, ſententiam fuiſſe confirmandam.

---

## *Peruſina dotis.*

### Die Lunæ 10. Nouembris 1597.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula*, parito iudicato, *non releuat pauperem, ſi non probetur paupertas, vel ſit in modica quantitate.*
2 *Expenſarum ſoluendarum arbitrium non poteſt reſeruari, per iudicem in finem litis.*
3 *Expenſæ prius ſunt reficiendæ à partibus, antequam ad vlteriora litis procedatur.*

### DECISIO DCXL.

1. ROta cenſuit, clauſulam *parito iudicato*, quoad expenſas obſtare Lucretiæ, quia non erat probata paupertas narrata, quam probare oportebat. gloſſ. *in l. ſi verò. §. qui pro rei, in verb. dubitetur ff. qui ſatiſdare cogant.* Couaru. *lib. 2. variar. reſolut. cap. 6. num. 2.* & præſertim in caſu propoſito, vbi erat modica ſumma ſcutorum 27. Baldus *in Authent. Præterea, num. 4.* & Salicetus *q. 4.* vbi hoc relinquitur iudicis arbitrio. *C. vnde vir, & vxor.* Afflictus *deciſ. 179. n. 3.*

2. Et conſequenter pronunciauit, * arbitrium non intrare ad effectum reſeruandi expenſas in fine litis; quia cùm reguletur iuxta terminos iuris, Cæſar de Graſſis *deciſ. 100.* aliàs 8. *num. 2. tit. de re iudic.* nihil releuans deducebatur pro parte Lucretiæ, ad temperandum hunc iuris rigorem.

* adde ſuprà dec. 350. n. 7. & infrà dec. 749. n. 1. & Ludouiſ. dec. 189 & deciſ. 361. n. 3. & 5.

3. Et ex his præterea concluſit, expenſas prius fuiſſe reficiendas, quàm ad vlteriora procederetur; animaduerſum denique fuit, ex veritate facti in primis diluendas difficultates excitatas per informantes.

---

## *Valentina decimarum de Zueca.*

### Die Veneris 14. Nouembris 1597.

SVMMARIVM.

2.3.4 *Immemorabilis conſuetudo, quæ requiſita habere debeat, & quomodo teſtes deponere debent.*
5 *Teſtis deponens de immemorabili, non concludit, ſi includit in ſpatio 40. annorum tempus motæ litis, quod non eſt numerandum.*
6 *Teſtis de immemorabili, ſi deficiat in aliquo requiſito neceſſario, nihil probat.*
8 *Teſtis deponens per aduerbium*, ſemper, *non concludit tempus ad immemorabile neceſſarium, cùm in tribus annis poſſit verificari.*
9 *Publica vox & fama non concluditur de immemorabili, ſi teſtis deponat per verbum*, eſt.
10 *Immemorabilis poſſeſſionis vox, & fama publica, probanda eſt per verbum* eſt, *&* fuit.
11.12 *Teſtis ſi deponat de immemorabili à quadraginta annis ſine copula, & vltrà, nihil probat, & num. 16.*
13 *Conſuetudo tantum habet de potentia, quantum de vſu, & non extenditur de vno loco ad alium.*
14 *Teſtis de auditu vt concludat, debet dicere à pluribus audiuiſſe, nominando eos.*
17 *Tranſactio facta per Rectorem, non poteſt nocere Epiſcopo.*



### DECISIO DCXLI.

1. CVm Arrendatarij decimarum ſpectantium ad Archiepiſcopum Valentinum, & magnum Magiſtrum de Monteſa, & Rectorem Eccleſiæ oppidi de Zueca, ab incolis dicti oppidi integratum decimarum ſolutionem, iuxta diſpoſitionem iuris communis Concilij Tridentini, & Concilij Prouincialis Valentini, non ſolùm ex primo grani aceruo, ſed etiam ex purgamentis balletis, & reballetis, ac raſtris vulgariter nuncupatis, conſequi niterentur, & oppidani de Zueca, (non ſine fraudis ſuſpicione) maiores congerendo purgamentorum, ſeu balletorum, quàm purgati grani aceruos, ex illis decimas ſoluere recuſarent, tres ſententiæ in partibus contra incolas de Zueca latæ fuerunt, quibus executioni demandatis, incolæ cauſa introducta in Rota, Remiſſoriam ad probandam conſuetudinem non ſoluendi decimas de prædictis balletis, & reballetis obtinuerunt, qua executa anno 1588. ideſt, 13. annis completis cum dimidio, poſt litem motam, ann. 1575. tandem cauſam tanto tempore ſopitam, denuo excitantes, audiri voluerunt ſuper probationibus, quas vigore dictæ Remiſſoriæ in partibus parauerunt, vnde dato dubio, an conſtaret de immemorabili, vel quadragenaria incolarum poſſeſſione de Zueca non ſoluendi decimas de balletis, & reballetis, & aliis purgamentis, & raſtris quæ dictis incolis ſuffragaretur, ad effectum de quo agebatur, Domini concorditer negatiuè reſponderunt.

Qualiter ſit articulanda immemorabilis, Molina de primogẽ. Hiſpan. lib. 2. c. 6. n. 39. & eſt textus notabilis in l. 41. Ianuarij incip. Mandamos. vbi latè interpretes Hiſpani, hæc annotatio inuenitur in Codice originali R. P. Franciſci Peña.

2. Nam primum, quantum ad immemorabilem præſcriptionem ſpectabat, nullus ex teſtibus pro incolis inductus eam probabat, iuxta requiſita neceſſaria per gloſſ. communiter receptam *in cap. 1. in verb. memoria, de præſcript. lib. 6.* debuerant enim primò *dicere*, quòd ipſi ſemper * viderunt, & audierunt, ita eſſe.

* adde Lud. dec. 196. n. 1. & anno. litt. A. & teſtes in requiſitis gloſſæ, vt probent debent eſſe cõteſtes, idem Ludouiſ. dec. 252. n. 3. & deciſ. 434. n. 11. & deciſ. 449. n. 9.

Rurſus, quòd nunquam viderunt, vel audierunt contrarium.

Præterea quòd communis opinio, & fama eſt & fuit, quòd ſic fuerit obſeruatum, vel actum, & quòd non contrarij, vel initij memoria.

3. Et quòd ita audiuerint à ſuis maioribus, qui ſimiliter dicebant, ſe à ſuis maioribus audiuiſſe, Signorolus de Homodeis *conſ. 70. num. 19.* Natta *conſil. 636. num. 105. part. 3.* Felinus *conſ. 2. num. 8.* Verallus *deciſ. 344. parte 8. n. 1.*

4. Requiritur præterea in teſtibus, iuxta opinionem, & ſtylum, quem Rota ſeruat ad præſcriptionem, aut poſſeſſionem immemorabilem probandam ætas ad minus 54. annorum, * nam cùm teſtes debeant ſuo tempore probare continuam poſſeſſionem quadraginta annorum, neceſſe eſt, vt tempore quo videre cœperunt, eſſent doli capaces. Lapus, Abbas *in cap. 1. num. 8. verſ. quæritur cuius ætatis.* & *ibi* Francus *num. 16. verſ. ſed quærit hîc Lapus, de præſcript. lib. 6.* Pariſius *conſil. 104. num. 121. lib. 1.* Verallus *deciſione 290. parte 3. & deciſ. 283. incip. Ad probandam, lib. 1. in manuſcript.*

De hoc art. Molina lib. 2. c. 6. n. 49. de primogẽ. Hiſpan. hæc annot. habetur in Codice originali. * adde Lud. dec. 298. n. 1. & latè annota. plures deciſ. refert, Coccin. dec. 345. n. 4.

Præterea ab ætate teſtium pro incolis teſtificantium, detrahendum erat tempus † litis motæ, vt mox dicetur, quæ, vt dictum eſt, cœpit anno 1575.

† adde Lud. deciſ 434. n. 12. Coc. dec. 448. n. 13. Seraphin. dec. 1102. num. 5. Rotam rec. p. 2. dec. 248. n. 2. & deciſ. 364. n. 13.

5. Quibus ita poſitis, diſcurrendo per ſingulos teſtes, qui magis videbantur probare immemorabilem poſſeſſionem non ſoluendi prædictas decimas de balletis, & reballetis, ideſt, talem, cuius non extaret memoria, iuxta requiſita ſuperiùs annotata, nullus eam probabat: quia quartus teſtis, qui deponebat de viſu per ſpatium 53. annorum, non probabat quadragenariam completam ante litem motam: * nam ab annis 53. deducendi erant anni 13. cum dimidio litis. Bartolus *in l. Celſus, num. 27. de vſucapionib.* Ancharanus *in cap. licet cauſam, num. 24. de probationib.* Puteus *deciſ. 348. num. 1. lib. 2.* & ſic non remanebant quadraginta anni completi de viſu. Rurſus idem teſtis non coarctabat negatiuam dicendo, quòd non potuiſſet aliter eſſe quin ipſe ſciuiſſet, aut vidiſſet, ſed ſimpliciter aſſerebat, quòd nunquam vidit ſoluere decimas de balletis, aut reballetis. Denique auditum reſtringebat à patre, nec addebat, quòd non extaret memoria in contrarium. Vnde cùm deficeret in neceſſariis requiſitis, nòn probabat immemorabilem, * vt fuerat reſolutum in cauſa Sabinen. iuriſpatronatus die 26. Nouembris 1594. coram R. P. D. meo Litta.

* vide infrà deciſ. 1023. n. 2. & Seraphin. deciſ. 460. n. 2.

6. * adde ſuprà dec. 337. n. 4. & deciſ. 623. n. 4.

Quintus teſtis ponderatus ad eandem probationem immemorabilis, non ſuffragabatur incolis, quia cùm deponeret de toto tempore, quo recordabatur, quod poterat verificari in decem, vel 20. annis, probatio non erat concludens reſpectu quadraginta annorum ante litem; rurſus nec coarctabat negatiuam, nec addebat, quòd maiores audierint à ſenioribus, quod eſt vnum de requiſitis ad probandam immemorabilem, vt dictum eſt.

7. Decimuſſeptimus teſtis minus eam probare videbatur; quia cùm teſtificaretur de tempore 45. vel 46. annorum, & inde eſſent deducendi 13. anni cum dimidio, (quibus lis priùs mota fuerat) manifeſtè deficiebat in probatione de viſu per 40. continuos annos, ſicut requirunt in hac materia Doctores ſuperius allegati, idem etiam, ſicut & alij, non coarctabat negatiuam, ſed ſimpliciter dicebat, ſe nec ſoluiſſe, nec ſoluere vidiſſe.

8. Decimuſoctauus teſtis, licèt eſſet ſeptuagenarius, & diceret ſemper vidiſſe non ſolui decimas

mas de balletis, & reballetis; quia tamen non conſtabat de initio illius aduerbij, *ſemper*, nec deponebat præciſè de tempore 40.annorum, non probabat quadragenariam, cùm eius teſtificatio potuiſſet in tribus annis verificari. *l.aduerſus*, vbi gloſſ. *C.de vſuris*, Alexander *conſ.*173.*num.*5.*lib.*6.
9. *l.*1.§.*quotidiana*, vbi Bartolus, *ff.de aqua quotidian. & aſtiua*, idem non probabat publicam vocem, & famam, quia loquebatur per verbum * *eſt*, Verallus *deciſione* 9. & 413. *parte* 2. & conſequenter, non poterat probare immemorabilem, quæ inter alia requiſita, poſtulat probationem
10. per publicam vocem, & famam per verbum *fuit*, & *eſt*, gloſſ. *in dicto cap.*1.*in verb.memoria, de præſcript.lib.*6. Gabriel *de præſcript.concluſ.*1.*num.*74. vbi plures cumulat. Idem non coarctabat negatiuam, cùm ſimpliciter diceret, non vidiſſe ſolui decimas, quod non ſufficiebat, cùm ſolutio fieri potuiſſet, licèt ipſe non vidiſſet.

* adde Seraphin. dec. 469.n.2.& 4.

11. Quadrageſimuſoctauus nullam concludentem faciebat probationem, quia teſtificabantur à 40.annis citra, ſine copula &, & ſic poterat verificari in modico tempore, etiam vnius diei, *l.*1.§.*quod autem ff.de aqua quotidiana, & aſtiua.* Bartolus *in dicta l. Celſus, num.*23.*ff. de vſucapionib.* Alexander *conſil.*45. *num.*7.& *conſ.*118. *num.* 17. *lib.*2. Paulus de Caſtro *conſil.* 235. *num.*2. *lib.*2. Rurſus erat etiam detrahendum tempus litis: idem laborat defectu, quo cæteri teſtes, quia non coarctabat negatiuam.

Quantum ad quadragenariam ſimiliter fuit concluſum, non probari: nam quartus teſtis non teſtificabatur de illa, per annos 40.ante motam litem.

Quintus non deponebat de quanto tempore recordaretur.

Decimuſſeptimus non concludebat de 40.annis ante litem motam.

Decimuſoctauus non probabat totum tempus.

12. Quadrageſimuſoctauus deponebat à quadraginta citra, ſiue copula &.

Vnde nulla legitima probatio ex prædictis concludebatur, nec reſpectu immemorabilis, nec reſpectu quadragenariæ.

13. Conſuetudo oppidorum circumuicinorum, non ſoluendi decimas de balletis, & reballetis, quam incolæ oppidi de Zueca, per alios teſtes probare contendebant, non ſuffragabatur, quoniam vulgares iuris regulæ obſtabant, quibus receptum eſt, conſuetudinem * tantum habere de potentia, quantum de vſu. Item illam non extendi de vno loco ad alium: † item tantum cenſeri præſcriptum, quantum poſſeſſum. *cap.auditis*, vbi communiter Canoniſtæ, *de præſcriptionib.cap.fin.de officio Archidiac.* Alexander *conſ.*68. *num.* 19. *verſ. tamen obſtat.lib.* 2. Baldus *de præſcript.part.*2. *quæſt.*2.*num.*25. *verſ. ſed ſi quæratur*, Innocentius *in cap.in litteris, num.*7. *de reſtit. ſpoliat.* Mohedanus *dec.*7.*de præſcript.*

* adde Seraphin. dec. 1040.num.2. Mantic. dec. 10. n. 11. & dec.159.n.3. Rotam rec. p.1.dec.288. n.4.in fine.
† adde Mantic. dec.284. n.6.

14. Sed neque teſtes de oppidis circumuicinis teſtificantes probabant immemorabilem, aut quadragenariam poſſeſſionem, nam ſeptimus, de loco de Xatiua, non exprimebat aliquod tempus 40. annorum, nec probabat aliquam legitimam poſſeſſionem, cùm ſimpliciter aſſereret, quòd ipſe non ſoluerat, & quod audiuerat dici ab aliis, quod non ſoluebant.

15. Decimuſnonus de auditu tantùm dicebat, in regno Valentiæ non ſolui decimas de balletis, & reballetis. Cæterùm nihil de certo tempore deponebat, nec exprimebat aliquam cauſam ſcientiæ.

Vigeſimuſſecundus ſimiliter loquebatur de auditu in regno Valentiæ: & quamuis reſpectu oppidi de Patrax loqueretur de viſu, nihil concludebat, cùm ipſo non vidente ſolui potuerint; ſed non deponebat de publica fama, & voce; aſſerebat præterea de auditu à ſocero, non autem à diuerſis maioribus, ſicut requirit gloſſ. *in dicto cap.*1.*de præſcript.lib.*6.

Vigeſimuſtertius non concludebat quadragenariam, nec reddebat cauſam ſcientiæ, nec coarctabat negatiuam.

Vigeſimuſquintus, qui loquebatur de 43. annis, non probabat quadragenariam ante motam litem, nec coarctabat negatiuam.

Eodemque vitio laborabat vigeſimuſſextus teſtis.

Teſtis vigeſimuſſeptimus, qui loquebatur à 40. annis citra, ſine copula &, non concludebat quadragenariam, nec coarctabat negatiuam.

Vigeſimuſnonus ſimiliter non concludebat quadragenariam, cùm deponeret à quinquaginta annis citra, ſine copula &. 16.

Trigeſimuſprimus pariter deponendo à quinquaginta annis citra, ſine copula, nullam probat quadragenariam: & licèt aliqui ex prædictis teſtibus dicerent, ſe ita vidiſſe practicari, non tamen inde reſultabat probatio legitimæ conſuetudinis, cùm legitima requiſita deficerent.

Trigeſimuſſecundus non exprimebat aliquod certum tempus, ſed ſolùm dicebat, non fuiſſe petitas, nec ſolutas decimas de balletis, & reballetis, cùm tamen non coarctaret negatiuam, nullum probationis genus faciebat.

Atque ex his cenſuit Rota, per iſtos teſtes, nec oppidorum circumuicinorum probari conſuetudinem.

Ad inſtrumentum anni 1516. quo dicebatur 17.
non ſolui decimas Archiepiſcopo & Rectori, reſpondebatur, Archiepiſcopo, Capitulo Valentino, & Rectori de Zueca non præiudicare; quia tranſactio facta inter Vniuerſitatem, & Religionem de Montesa, non poterat illis nocere, * Abbas *in cap. quamuis, num.*30. *de ſentent. & re iudic.* & Innocentius *in cap. auditis, numer.* 2. *de præſcript.*

* adde Dur. dec.95.n.9.

## *Romana legati.*

### Die 14. Nouembris 1597.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſor bonorum dotalium tenetur ſoluere legata mulieris defunctæ.*
2 *Arbitrium iudicis iudicandum eſt ex regulis iuris, non autem ex vna mera voluntate.*

### DECISIO DCXLII.

VTraque parte informante, Rota cenſuit ſtandum * in deciſis die 9. Iunij proximè præteriti, ideſt, Dominum Paulum Æmilium, Marchio- 1.

* ſuprà dec. 622.



nem Riam, qui poſſidebat bona dotalia bon.mem. Dominæ Portiæ teſtatricis, de iure teneri ad ſolutionem legati. *l.*2. vbi Baldus, & Salicetus. *C.de hæredit.& actione vendit.*

2. Nec eum potuiſſe iuuari concordia, quia cùm iſte caſus non eſſet in ea comprehenſus, remanebat in diſpoſitione iuris communis, ſecundùm quod ſolutio pertinebat ad D. Marchionē: quinimo ex eo videbatur omnis difficultas ſublata, quia nedum hic caſus non erat in concordia comprehenſus, ſed potiùs apparebat expreſsè exceptus, & remiſſus decidendus arbitrio R. D. Epiſcopi Tudertini, qui ſi illum iudicaſſet, cùm debuiſſet iuris diſpoſitionem ſequi, conſequenter condemnaſſet Marchionem, bonorum dotalium poſſeſſorem, ad ſolutionem legati: * arbitrium enim iuris regulis, non mera voluntate iudicantis cenſeri debet. Bart. *in l.*1.*n.*13.& 14.*ff.de legat.*2. Menochius *de arbitrariis, lib.*1.*q.*65.& 77.

* adde infrà dec.769.n.2. & Lud. dec. 189. n. 3. & dec.221.n.1. & deciſ.465. n. 1. & aliàs ſæpe.

Teſtificatio eiuſdem Domini Epiſcopi non ſuffragabatur D.Marchioni; quia ille non dicebat, hunc caſum fuiſſe in concordia comprehen-
3. ſum, ſed partes in eum compromiſiſſe, vtrùm liceret Domino Duci Cerenſi, poſt tranſactionem deducere hanc prætenſionem, quod minimè dubium videbatur, Ducem eam proponere potuiſſe, cùm Marchio de iure ad legati ſolutionem teneretur.

4. Quòd poſt obitum bon. mem. Portiæ Marchioniſſæ, fuerint amiſſa ſcuta 2500. in quibus Marchio erat vſumfructum habiturus, leuiſſimum putatum eſt, quia ſi fuerunt amiſſa, tempore obitus, certum eſt, D.Marchionem non debuiſſe habere vſumfructum, nec propterea excuſandum à ſolutione legati.

5. Denique, neque illa prætenſio D.Marchionis legitima Dominis viſa fuit, quòd maiorem partem bonorum, in quibus habiturus erat vſumfructum, remiſerit Duci Cerenſi, quia illam remiſit, vigore tranſactionis & ex alia cauſa, quàm ex cauſa dotis: ideo non erat ſufficiens ad eximendum Marchionem ab obligatione ſoluendi legatum.

## *Peruſina executionis.*

### Die Lunæ 17. Nouembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Mandati clauſulæ generales non ſufficiunt ad ea, quæ requirunt ſaltem ſcientiam explicatam mandantis.*
3 *Conſenſus formalis in correſpectiuis actibus requiritur.*
4 *Statuta loci, vbi celebrantur contractus, ſunt ſeruanda in reſpicientibus formam, & ſolemnitates forenſes.*
*& idē procedi in cōſtitutione Procuratoris, n.*5.
6 *Impleuiſſe non dicitur, qui inualidè impleuit.*
7 *Statum præſcribens aliquam formam, vel ſolemnitatem in contractibus ſeruandum eſt.*
8 *Implementum probandum eſt ab eo, qui implere tenebatur.*

### DECISIO DCXLIII.

1. AGebant Domini de Cornea, contra Dominos de Mareſcottis, ad conſequendos fructus ſcutorum 1400.pro reſiduo non ſolutæ dotis ſcutorum 5000.ann.1546.promiſſæ: ſed quoniam in prædicta dotis promiſſione, D.Aſcanius de Cornea promiſerit quædam facere adimpleri, & inter cætera, quòd realiter, & cum effectu D.Ioanna, eius inſtrumentum dotale, & omnia alia per ipſam facta, geſta, & renunciata in alio inſtrumento, eſſet ratificatura, & approbatura, & ideo Domini de Mareſcottis ad effectum euitandi moram, & excludendi ſolutionem dictorum fructuum, exciperent de non adimplemento, dubitaui, an dicta exceptio non adimplementi obſtaret Dominis de Cornea.

Et Rota eis obſtare cenſuit, primò, quia Aſcanius promiſerat Ioannam ratificaturam, non ſolùm inſtrumentum dotale, & omnia alia per ipſam facta, geſta, & renunciata in alio inſtrumento, manu eiuſdem Notarij rogato, & tamen, in mandato dato per Ioannam ad ratificandum, ſolùm fuit actum de inſtrumento dotali, cuius tenor ei lectus fuerat: & licèt ſubderetur clauſula, *quàm etiam vigore aliorum inſtrumentorum*, 2.
&c. nihilominus, hoc mandatum non erat ſufficiens, cùm non conſtaret de ſcientia explicita ipſius Ioannæ, quantum ad contenta in aliis inſtrumentis, prout requirebatur, gloſſ. *in cap. concertationi, in verb. ſciuerit, de appell. lib.*6. Rota *in vna Cremonen. penſionis*, * die 5. Nouembris 1578. coram bon. mem. Domini de Rubeis.

* habetur in impreſſis diuer.dec.396. & adde Rotam rec.p.1. dec.621.n.1.

Nec ſuffragabatur Dominis de Cornea dicere, quòd cùm nunc ageretur de executione inſtrumenti dotalis tantùm, ſatis erat illud fuiſſe 3.
ratificatum, quia reſpondebatur, quòd cùm iſtæ omnes promiſſiones inter Comitem Rainutium, & Aſcanium fuiſſent correſpectiuæ ſi vna pars non impleuit, quod promiſit, ſi deinde agat, repellitur exceptione non adimplementi. * *l.cum proponas, la* 2. *C. de pactis.* vbi communiter Doctores, & Decius *num.*3.

* adde ſuprà dec.348.n.3. & infrà dec. 1379.Caual. deciſ.64. Seraphin. dec. 1133.n.4. & talis exceptio non implementi, etiam in minimo obſtat, vt per Lud.261. n.3.& 6.

Præterea, cùm Domina Ioanna dederit mandatum ad ratificandum in ciuitate Anconitana, in conſtitutione Procuratoris, ſeruare debuit ſtatutum Anconæ *lib.* 2. *cap.* 43. *de contractibus mulierum*, quo cauetur, vt mulieres in quolibet contractu debeant contrahere cum conſenſu viri, & duorum conſanguineorum proximiorum, & quòd aliter factus contractus, ſit ipſo iure nullus; & ratio eſt, quia in reſpicientibus formam, & ſolemnitatem actus forenſes etiam debent ſeruare ſtatuta * loci vbi celebratur con- 4.
tractus. *l. ſi fundus*, vbi Bartol. *ff. de euiction. l.*2. *C.quemadmod.teſt.aperiantur*, Alexand. *conſil.*100. *num.*15.*lib.*3. Iaſon *conſil.*48.*num.*6. *lib.*1. vbi teſtatur de communi; Oſaſcus *deciſione Pedemontana* 114. & tradunt communiter Doctores *in l. cunctos populos. C. de Summ. Trin. & fide Cathol.* & fuit deciſum in cauſa Romana fideicommiſſ. de Vrſinis die 11.Ianuarij & 15.Martij 1585.coram R. P. Domino meo Orano, quod maximè procedit in conſtitutione Procuratoris facta per mulierem, non ſolùm ad lites, ſed ad actus; in quibus poteſt lædi, tunc enim in conſtitutione Procuratoris requiruntur eædem ſolemnitates, quæ requiruntur in ipſis actibus, Puteus *deciſione* 162. incip. *Fuit dubitatum*; *lib.* 1. Vnde 5.
cùm duorum conſanguineorum conſenſus non interuenerit, conſtitutio Procuratoris facta per Ioannem fuit nulla, & inualida, & conſequenter

* adde infrà deciſ. 1100. n.4.Cau.dec. 257.n.4. Seraphin. dec. 791.n.4. & dec.343.n.1. & dec.1170. n.1.

ſequenter ratificatio fuit nulla, quia non dicitur
6. impleuiſſe, qui impleuit inualidè. *l. quoties. ff. qui ſatiſdare cogant.* Marſilius *ſingulari* 431. incip. *Dixi tibi pluries.* Alexand. *conſ.* 119. *num.* 3. *lib.* 1. *verſ. ergo ad hoc vt dicatur.*

Nec ad rem pertinebat dicere, quòd Ioanna non habuerat præſentes conſanguineos, quos adhibere potuiſſet, & quòd decretum iudicis ſuppleuerit defectum conſanguineorum, quos requirit ſtatutum; quia iſta ex forma ſtatuti probari debebant per publicum inſtrumentum, quod tamen non oſtendebatur.

7. Nec ſufficiebat probari abſentiam conſanguineorum per aſſertionem mulieris, etiam iuratam, nam cùm ſtatutum circa hoc præſcribat formam, illa eſt præcisè ſeruanda, * nec propterea erat locus præſumptioni, quòd Nuntius retuliſſet, non inueniſſe aliquos, Ioannæ conſanguineos, quia veriſimile eſt, quòd ſi talis relatio interueniſſet, de ea fuiſſet facta mentio in inſtrumento, vt fuit deciſum in cauſa Bononien. terrarum die 17. Nouembris 1578. coram bon. mem. Cantutio.

* adde Dur. deciſ. 83. à n. 3. & ſeq. & aliàs ſæpe.

8. Non placuit Dominis, quod aſſerebant informantes contra Mareſcottas, nempe ipſis incumbere onus probandi præſentiam conſanguineorum in loco contractus, quia Doctores adhuc allegati loquuntur in agente ad receſſionem contractus, ſecus autem eſſe in hoc caſu, vbi Domini de Mareſcottis excipiebant de non implemento, & propterea Domini de Cornea tenebantur probare ſe impleuiſſe, & validè ratificaſſe: implementum * enim probari debet ab illo, qui implere tenebatur. Rolandus *conſ.* 57. *num.* 9. *lib.* 1. Becius *conſ.* 45. incip. *Reuocatur in dubium, num.* 18.

* adde Seraphin. dec. 225. n. 2.

Atque ex his fuit concluſum, Dominis de Cornea obſtare exceptionem non adimplementi.

Reſeruarunt tamen Domini videndum, an intereſſet Domini de Mareſcottis, habere talem ratificationem.

---

## *Veneta illegitimitatis, ſeu fœderis matrimonij.*

### Die Lunæ 17. Nouembris 1597.

### SVMMARIVM.

1 *Leuiores probationes requiruntur ad effectum legitimitatis, ſeu legitimationis filiorum, & ſucceſſionis, quàm ad probandum valorem matrimonij.*

2 *Coniecturis, & præſumptionibus probatur legitimatio filiorum, ad effectum ſucceſſionis.*

3 *Parochi teſtificatio inducit probationem matrimonij.*

4 *Matrimonium contractum eſſe, probatur per teſtes, aſſerentes de publica voce, & fama.*

### DECISIO DCXLIV.

1. IN hac cauſa, quia non agebatur de fœdere matrimonij, nec de alterius matrimonij præiudicio, ſed ſolùm incidenter tractabatur de illo, ad effectum legitimationis filiorum, & ſucceſſionis, quo caſu leuiores probationes, * etiam ex præſumptionibus, & coniecturis deſumptæ ſufficiunt, iuxta conſilium Geminiani 27. ſæpe in Rota approbatum; licèt Domini inclinarent pro Alphonſo Cataneo; quia de matrimonio contracto inter eius patrem, & Catharinam teſtificabatur Parochus, qui ſolemnizauerat matrimonium, cui, cùm eſſet Parochus, † & loqueretur de facto proprio, multum creditur in hac materia probandorum matrimoniorum, vt de Parochi libro fuit dictum in cauſa Colonien. ſtatus coram bon. mem. Vicecomite, qui teſtis, iuncta fama abſque dubio ſufficiebat; * vt poſt Innocent. *in cap. præterea, de teſtib.* tradit Capella Toloſana *quæſt.* 173. & fuit dictum *in cauſa Parmen. ſtatus*, & in pluribus aliis cauſis, & famam, in hac cauſa, viderentur probare aliqui teſtes, aſſerentes publicè dici, Caſſadorus *deciſ.* 3. *num.* 7. *de probationib.*

* adde infrà dec. 671. n. 1. & deciſ. 729. & fuit dictũ in Romana hæreditatis 18. Aprilis 1611. impreſſa per Farin. poſt tom. 2. conſil. deciſ. 322.

2.

3.

† adde infrà dec. 729 n. 2. & deciſ 799. n. 2. & fuit dictũ in Romana matrimonij 22. Iunij 1611. impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 337.

4.

Nihilominus, quia ex aduerſo opponebatur de nullitate examinis, ordinatum fuit, vt videretur de validitate examinis teſtium, & aliarum probationum, quibus Alphonſus vti prætendebat.

* adde ſuprà deciſ. 211. n. 12. vbi alias deciſ. annotaui.

---

## *Bononien. fideicommiſſi de Sancto Petro.*

### Die Mercurij 19. Nouembris 1597.

### SVMMARIVM.

1 *Prælegata an veniant in reſtitutione fideicommiſſi, in reciproca ſubſtitutione facta filiis à patre.*

2 *Prælegata ſi præcedunt fideicommiſſo, à patre filiis relicta, includuntur in eo.*

4 *Fideicommiſſo relicto, cum prælegatis relictis omnium bonorum, hæc comprehenduntur in illo, ne reddatur eluſorium fideicommiſſum.*

5 *Verbum, ſubſtituo, eſt aptum comprehendere ſubſtitutionem fideicommiſſariam.*

6 *Teſtator ſi apponat clauſulam in ſuo teſtamento, ſaluis ſemper, & reſeruatis omnibus infraſcriptis, vult omnia ſequentia ſubſiſtere.*

7 *Dictio, alius, eſt excluſiua præcedentium.*

### DECISIO DCXLV.

CVm ex deciſionibus * in hac cauſa factis conſtaret, fuiſſe inductum reciprocum fideicommiſſum inter filios Marci de Sancto Petro, & eorum deſcendentes in infinitum, & eorum vltimo decedente ſine filiis, vel litteris maſculis, agnatos proximiores fuiſſe per fideicommiſſum vocatos, prout in teſtamento Marci latiùs continebatur, & agnati proximiores prætenderent, in prædicto fideicommiſſo comprehenſa fuiſſe prælegata in teſtamento relicta, & conſequenter, illa fuiſſe reſtituenda, contrarium verò quandoque prætendiſſet D. Virginia Coſpia & litis conſortes, dubitaui,

1.

* ſuprà dec. 559. 607. & 630.

An prælegata facta filiis in teſtamento Marci, venirent in reſtitutione fideicommiſſi?

Et Dominus de Sancto Petro ſolùm informantibus, quia agentes pro Domina Coſpia dubio ſe cedere velle dixerunt, Rota affirmatiuè reſpondit, quia licèt quæſtio illa, an prælegata * veniant in reſtitutione fideicommiſſi in reciproca

2.

* de quo agit Seraph. dec. 981. num. 1. & ſeq.



proca ſubſtitutione facta filiis à patre, ſit inter D.D. ſatis controuerſa. *in l. Marcellus, §. quidam liberis ff. ad Trebellian. & in l. Titius ex parte, ff. de legat.* 3.

Nihilominus in propoſita facti ſpecie, prælegata tanquam in fideicommiſſo incluſa, fore reſtituenda Rota vnanimiter cenſuit; quia communis eſt, quòd quando prælegata præcedunt fideicommiſſum, in ex includuntur, maximè
3. vbi in ſubſtitione fideicommiſſaria nulla fit mentio hæreditatis, prout in propoſito Marci teſtamento. Bartolus *in dicto §. quidam liberis, in ſummario, & num.* 9. quem *ibidem* Doctores communiter ſequuntur, Alexander *conſil.* 25. *num.* 9. *lib.* 1. *& conſil.* 252. *num.* 3. *lib.* 6. Socinus *conſil.* 31. *num.* 8. *lib.* 4. Decius qui aſſerit communem *conſil.* 81. *num.* 2. *& conſil.* 597. *numer.* 7. Pariſius *conſil.* 26. *numer.* 50. *lib.* 2. Rolandus *conſil.* 34. *numer.* 7. *lib.* 4. Peregrinus *tractat. de fideicommiſſ. artic.* 7. *num.* 23. Cardinalis Mantica *lib.* 7. *de coniectur. vltimar. voluntatum, tit.* 7. Boërius *deciſine* 280. *num.* 4. Hondedeus *conſ.* 71. *num.* 14.

4. Supradictis accedebat, quia teſtator in prælegatis cauſa diuiſionis factis, complexus fuit omnia bona ſua: nam prælegando diſtribuerat inter filios omnia bona mobilia & ſe mouentia, iura & credita, quo caſu, ne fideicommiſſum redderetur eluſorium, contra expreſſam voluntatem teſtatoris, prælegata etiam includuntur. gloſſ. *in l. cùm virum, C. de fideicom.* Bartolus *in d. §. quidam liberis, n.* 1. Paulus de Caſtro *num.* 2. Romanus *n.* 1. *verſ. fallit ſecundò*, Decius *conſ.* 254. *n.* 2. Alexander *conſ.* 55. *n.* 16. *lib.* 4. *& conſ.* 252. *num.* 3. *lib.* 6. Pariſius *conſ.* 63. *n.* 23. *lib.* 3.

5. Præterea ponderabatur in hoc caſu, ſubſtitutionem fideicommiſſariam fuiſſe factam per verbum, *ſubſtituo*, quod eſt aptum comprehendere fideicommiſſa, & legata ſingularia, *l.* 1. *C. communia de legatis, l. ab eo C. de fideicom.* Alexand. *d. conſ.* 252. *num.* 3. *lib.* 6. Natta *conſ.* 321. *n.* 1. *lib.* 2. latè Hondedeus *dicto conſ.* 71. *num.* 12.

6. Denique conſiderabatur clauſula, qua teſtator fuerat vſus in dictis prælegatis, videlicet, *Saluis ſemper & reſeruatis omnibus, & ſingulis infraſcriptis, inter quæ fuit ſubſtitutio fideicommiſſaria*, ex quibus verbis apertè cenſebatur, teſtatorem declaraſſe etiam prælegata voluiſſe comprehendere in ſubſtitutione fideicommiſſaria reciproca, & conſequenter noluiſſe fideicommiſſo præiudicare; præſertim cùm illa clauſula non poſſet commodè ad aliam diſpoſitionem referri, ideoque neceſſariò videbatur referenda ad tale fideicommiſſum. *l.* 2. *ff. de liber. & poſth.* Crauetta *conſ.* 296. *n.* 2.

7. Nec prædictis refragabatur, quòd teſtator ſubdiderit, *in omnibus autem alijs bonis*, &c. quaſi quòd cùm dictio, *alijs*, ſit excluſiua præcedentium, ſubſtitutio fuerit facta in aliis bonis, quàm in prælegatis, ad Bartolum *in l. ſi quis. §. fin. ff. de legat.* 1. Decius *conſil.* 653. *num.* 4. *in fine*, quoniam reſpondebatur, vigore dictæ clauſulæ non effici, quin prælegata veniant in reſtitutione, vt poſt multos quos allegat, concludit Hondedeus *dicto conſ.* 71. *num.* 44.



---

## *Montis legalis iuriſdictionis.*

### Die Lunæ 24. Nouembris 1597.

### SVMMARIVM.

1 *Iudicis compulſoris relationi non creditur in extractione ſcripturarum.*

2 *Sumpta de ſumptis non faciunt fidem.*

3 *Scripturæ vt probent, ſunt collationandæ cum originalibus.*

*& iſte defectus non purgatur, etiamſi mille Notarij atteſtentur, ſe vidiſſe originalia, n.* 4.

5 *Extractio ſcripturarum parte non citata, non valet.*

6 *Procurator ſi citandus eſt, debet conſtare eſſe legitimum vt valeat actus.*

*Nec Notario, vel iudici atteſtanti de mandato creditur, niſi de illius tenore conſtet, num.* 7.

### DECISIO DCXLVI.

VNa tantùm parte informante, Rota cenſuit, iura producta per D. Epiſcopum Cathanen. non fuiſſe in forma, primò, quia de actis factis coram iudice compulſore, & teſtibus examinatis ſuper recognitione iurium, non conſtabat niſi per relationem iudicis * compulſoris, cui non creditur. Innocentius *in cap. quoniam contra, num.* 8. & *ibidem* Felinus *num.* 34. *de probationib* Alexander *conſil.* 42. *num.* 3 *lib.* 4. Zabarella *conſ.* 72. *num.* 55. *verſ. vnde oportet*, & fuit deciſum in cauſa Burgen. Pontidij die 1. Aprilis 1585. coram R.P.D. meo Orano.

1.

Ad actum extractionis, ſi pars non fuerit citata, extractio nõ eſt valida. Verallus dec. 228. incip. Inſtrumentũ lib. 1. in manuſcript. hæc annot. reperitur in Codice originali R. F. Peña.

Præterea iura erant extracta ex libro, in quo dicebantur regiſtrata iura Capituli, qui propterea non videbantur originalia, & conſequenter tanquam ſumpta, de ſumptis † non probant. *Authent. ſi quis in aliquo, C. de edendo.*

* adde infrà dec. 681. n. 2. & deciſ. 957. num. 1. in tom. 2.

Rurſus, non apparebant collationata cùm originalibus, coram iudice compulſore, quod omnino erat neceſſarium. * Abbas *in cap. fin. num.* 2. *verſ. nota officium iudicis, de fide inſtrument.* neque talis defectus ſuppleretur, quamuis multi Notarij atteſtarentur, ſe vidiſſe originalia ſine macula, & ſumpta cum illis concordare; quia adhuc non probarent, nec facerent in iudicio fidem, præſertim parte opponente, Bartol. *in dicta Authent. ſi quis in aliquo, n.* 7. *verſ. iuxta prædicta quæro, & n.* 9. *verſ. etſi iudicis*, quem ſequitur *ibidem* Iaſon *n.* 5. *in tertia additione*, incip. *Succeſſiuè. verſ. ſubiungit tamen. C. de eden.*

2.

† adde ſuprà dec. 438 n. 2. vbi annotaui alias deciſ. & Ludouiſ dec. 432. n. 1. & 8. & deciſ. 469. n. 1. & vtrobiq; ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Deerat etiam citatio † ad videndum collationari iura extracta cum originalibus, quæ tamen ad validitatem illius actus erat neceſſaria, quod ſæpe in Rota deciſum extat, & præſertim *in cauſa Vicentina feudi die* 26. Ianuarij ann. 1574. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, & nouiſſimè in cauſa Corrigien. Gabellæ die 26. Februarij proximè præteriti coram R. P. Domino Corduba.

3.

4.

5.

* adde ſuprà dec 50. n. 13. & 14.

† adde Lud. dec. 71. n. 4. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. & Rotã rec. p. 2. dec. 22. n. 1. quæ plures deciſ. allegat circa hunc articulum.

Defectus quoque mandati comparentis pro Domino Archiepiſcopo Montis Regalis vitiabat compulſationem, quia non ſatis conſtabat, illum, qui fuerat citatus, fuiſſe Procuratorem Archiepiſcopi, & tamen de legitimo mandato conſtare

6. ſtare oportebat. Rolandus *conſil.* 15. *num.* 21. *lib.* 1. nec creditur iudici, vel Notario * atteſtante de mandato, niſi de illius tenore conſtet. Verallus *deciſione* 7. incip. *Non creditur Notario*, *lib.* 2. in manuſcript. Roland. *d. conſil.* 15. *num.* 21. *lib.* 1.

* adde Rotam rec. p. 2. in dicta dec. 22. n. 3.

## *Firmanda de Piſellis.*

### Die Lunæ 1. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Fideicommiſſi ex cauſa, non tam ſucceditur vltimo deſcendenti, quàm primo acquirenti.*

3 *Alimenta ſunt præſtanda filiæ, habenti aliquam præſumptionem bonis iuris.*

4 *Filijs de iure debentur alimenta, concurrentibus filiatione, & boni iuris præſumptione ad hæreditatem.*

### DECISIO DCXLVII.

1. PRæſupponebatur, quòd Petrus Andreas Piſellus condiderat teſtamentum, in quo aſſignata Felici filio legitima, eundem in aliis bonis hæredem inſtituerat, ita vt ſi tam dictus Felix, quàm eius filij maſculi, in infinitum decederent ſine filiis maſculis, in prædictis bonis ſuccederent filiæ natæ, & naſcituræ deſcentes ab ipſo teſtatore, & eius linea, tam maſculina, quàm fœmina, videlicet illæ, quæ teſtatori reperirentur proximiores: cùm autem obiiſſet Felix, relicto Tiburtio filio, & Tranquilla filia, & poſtea obiiſſet Tiburtius, relicta filia Oriſtella, mox Tranquilla, tanquam proximior teſtatori tempore ſententiæ, & mandati ab A. C. obtenti, in poſſeſſionem bonorum immiſſa fuit.

Oriſtella, quæ cauſam appellationis in Rota commiſerat, die 18. Martij 1596. alimenta, * & ſumptus litis ſibi præſtari, ipſa tantùm informante obtinuit.

* ſuprà dec. 508.

2. Cæterùm, quoniam ab illa deciſione Tranquilla recedendum contendebat, ex eo potiſſimum capite, quòd in hac facti ſpecie, non agebatur de hæreditate Tiburtij patris, ſed Petri Andreæ, in qua vigore fideicommiſſi, Tranquilla tanquam proximior ſuccedebat, cùm per fideicommiſſum non tam ſuccedatur vltimo decedenti, quàm primo acquirenti. *l. cohæredi. §. cum filiæ. ff. de vulgar. & pupil. l. precibus, in fine,* vbi Salicetus *num.* 5. Alexander *num.* 4. *C. de impuber. & aliis ſubſtit.* Decius *conſ.* 1. *num.* 2. Gabriel *conſ.* 130. *num.* 29. *lib.* 2.

3. Ideo, vtraque parte informante propoſita cauſa ſuper eiſdem, Rota cenſuit, ſtandum in deciſis, & Oriſtillæ alimenta præſtanda: nam cùm eſſet filia Tiburtij, cuius bona Tranquilla poſſidebat, mox fiebat locus. *l. ſi inſtituta. §. de inofficioſo. ff. de inofficioſ. teſtament.* vt filiæ aliquam boni iuris præſumptionem habenti, alimenta * ſint præſtanda. Biſnietus *deciſione* 2. *in fine, de iudic.* Afflictus *deciſ.* 11. *num.* 2. Molina *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 41. *de Hiſpanor. primogen.* Verallus *deciſione* 18. & 20. *part.* 1. Corduba *in l. ſi quis à liberis. §. ſi vel parens, num.* 47. *ff. de liber. agnoſcend.* Aluarus Valaſcus *conſultatione* 1. Rota *in vna Colonien. alimentorum die* 5. *Decembris* 1558. coram bon. mem. Domino de Rubeis.

* adde ſuprà dec 378. n. 4. & 495. n. 1. vbi alias dec. annotaui.

Duobus enim concurrentibus, videlicet filiatione, & bonis iuris præſumptione, * filiis de iure debentur alimenta, licèt non probent paupertatem, quæ præſumitur eo ipſo, quòd ſunt filij. Aretinus *conſil.* 66. *num.* 8. quod ſæpe Rota, & præſertim coram bon. mem. Oradino comprobabit; in caſu propoſito filiatio Oriſtellæ non erat controuerſa; & boni iuris præſumptio non poterat negari, ex quo ipſa agebat ad Tiburtij patris hæreditatem vendicandam. *d. l. ſi inſtituta. §. de inofficioſo ff. de inoffic. teſtament.* Biſnietus *deciſ.* 2. *de iudic.* Peregrinus *deciſ.* 1. 4.

* adde ſuprà dec. 495. n. 1.

Fideicommiſſum à Petro Andrea Piſillo inductum, (de quo adhuc non liquebat) non impediebat iſtam alimentorum præſtationem, & 5.
eo præſertim nomine, quia prætendebatur, bona per Tranquillam poſſeſſa, non fore amplius fideicommiſſo ſubiecta, ex eo quòd Petrus Andreas illa donauerat Felici filio: & licèt contra donationem multa opponerentur, nihilominus, quia diſcuſſione indigebant, donec veritas haberetur, non poterant alimenta, & ſumptus litis Oriſtillæ denegari.

Quantum ad quantitatem alimentorum, quatuor ſcilicet ſcutorum menſtruorum, quam ego ſuperioribus annis Oriſtillæ præſtanda aſſignaueram, quoniam informantes pro Tranquilla dicebant, excedere fructus bonorum per ipſam poſſeſſorum, fuit ordinatum, quòd videretur quantitas bonorum fructuum, vt illorum ratione habita, abſque nimio grauamine, Tranquillæ, iuxta alimenta Oriſtillæ præſtarentur.

De hoc articulo viden. Molina lib. 2. c. 16. n. 47. Boërius dec. 324.

## *Romana Computorum.*

### Die Lunæ 1. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Actore non probante, reus eſt abſoluendus.*

### DECISIO DCXLVIII.

AD dubium vtraque parte informante propoſitum, an cauſa eſſet expedienda, ad fa- 1.
uorem Proſperi Cribelli, & quomodo? Rota reſpondit, expediendam condemnando Cribellum, ad reſtitutionem bonorum de la Guardarobba, iuxta deciſionem in hac cauſa factam die 16. Iunij proximè præteriti, * in reliquis verò abſoluendum; quia cùm Domini de Saluiatis, nec per veras probationes, nec per iuramentum in litem, (quod illis Rota denegauerat) probauiſſent damna, & intereſſe; ad quæ teneri Cribellum prætendebant, locus erat regulæ, quòd 2.
actore * non probante, reus veniret abſoluendus. *cap. inter dilectos, in fine,* vbi gloſſ. *finalis, de fide inſtrum. §. retinendæ, verſ. commodum autem, Inſtit. de interdict.*

* ſuprà dec. 625. n. 3.

* adde ſuprà dec. 350. n. 2.

Cenſuit etiam Rota, ambas partes ab expenſis in cauſa factis, abſoluendas.





## *Tullen. Monaſterij.*

### Die Mercurij 10. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoriæ facilè à Rota conceduntur, ſi adſit aliquis articulus releuans.*

2 *Monachus pro ſuo intereſſe poteſt proſequi cauſam contra ſuum Prælatum, licèt alij illam non proſequantur.*

### DECISIO DCXLIX.

1. DVbitaui, an Ioanni Religioſo profeſſo Monaſterij Sancti Manſueti, petenti Remiſſoriam, tam ſuo, quàm aliorum Religioſorum nomine, illa eſſet concedenda: & licèt Rota ſoleat facilè concedere Remiſſorias, * præſertim quando adeſt aliquis articulus releuans, & vnus ſolus Monachus poſſit, pro ſuo intereſſe † contra Prælatum cauſam proſequi. *cap. illa præteritorum,* vbi poſt gloſſ. notant Hoſtienſis, Antonius de Butrio, Abbas, Felinus, & alij, *de accuſat.*

* adde ſuprà deciſ. 372. & 425. n. 1. & 4. & deciſ. 488. & 568. & 595. & aliàs ſæpe.

2. † adde Seraphin. dec. 631. & tunc tenetur Prælatus ſubminiſtrare expenſas Monacho, vt per Ricciũ, plures allegans, in dec. Curiæ Archie. Neapoli. p. 1. dec. 56. n. 16.

Nihilominus, quia Ioannes comparuerat nomine procuratorio, & mandatum eius habebat relationem ad quoddam memoriale, quod nondum exhibuerat, & petitio Remiſſoriæ non videbatur carere ſuſpicione calumniæ; Rota iuſſit, vt Ioannes produceret mandatum in actis, vnà cum memoriali, in eo enunciato, & videretur, an eſſet ſufficiens.

## *Portuen. reſponſionis.*

### Die Mercurij 10 Decembris 1597.

SVMMARIVM.

4 *Rota non exequitur ſententias, extra eam latas, ante cognitionem boni illius iuris.*

### DECISIO DCL.

1. DVbitaui, an ſententia Domini Cardinalis Iuſtiniani eſſet exequenda ad fauorem Archipresbyteri Cerenſis: & Rota non fuiſſe exequendam cenſuit, quia de ſententiæ iuſtitia non conſtabat, quæ deſumenda erat, ex verificatione trium requiſitorum, in quibus erat fundata, videlicet, quantitatis terrarum, quantitatis frumenti, & pretij eiuſdem frumenti, ex dictis terris collecti.

2. Et primò, quoad quantitatem terrarum, non videbatur ſententia iuſtificata, quia præſupponebat, Eccleſiam Cerenſem in terriis de S. Maria del Montarone, & del Piancereſſe, poſſidere vltra 63. rubla terrarum, & tamen die 5. Decembris ann. 1594. * fuerat deciſum coram me, ex tunc deductis, non potuiſſe firmari, maiorem quantitatem rublorum terræ, quàm 63. quam deciſionem die 27. Ianuarij ann. 1595. * Rota confirmauit, & quia Archipresbyter tunc prætendebat maiorem quantitatem, fuit dictum, quòd deſtinaretur peritus agrimenſor ad locum, pro exploranda vera quantitate terrarum, vltra prædicta 63. rubla, iam ſtabilita: vnde cùm ſententia præſupponeret maiorem quantitatem rublorum terræ, quàm 63. non poterat reſpectu maioris quantitatis videri iuſta: licèt eſſet iuſta reſpectu 63. rublorum, ſicut patebat ex prædictis deciſionibus.

* ſuprà dec. 415.

* ſuprà dec. 427.



Quantum ad quantitatem tritici, ſimiliter 3.
non apparebat ſententia iuſtificata, quia condemnatio in quantitate tritici, ſeu frumenti habebat relationem, ad quantitatem terrarum, quæ (vt dictum eſt) non iuſtificatur vltra 63. rubla.

Reſpectu pretij, quo taxatum fuerat frumen- 4.
tum, non videbatur ſententia iuſtificata; quia illud erat conſiderandum, inſpecta qualitate, & bonitate frumenti, & temporis, in quo carius procedebat annona: de quibus, cùm nondum eſſet actum in Rota, non potuit nunc pronunciare, ſententiam fuiſſe exequendam, cùm iuxta ſuum receptum, & antiquum ſtylum, non exequatur * ſententias, extra ſuum tribunal latas, antequam cognoſcat de bono illarum iure.

* adde ſuprà dec. 7. n. 5. & dec. 299. n. 2. & alias ſæpe.

Atque ex his fuit concluſum, non fore locum ſententiæ executioni.

An autem ſententia eſſet nulla, vel iniuſta reſpectu Ioannis de Surdis, & ſui fratris, non fuit aliquid reſolutum; quia factum contrauertebatur, & non dabatur ſummarium Iurium.

## *Balneoregien. bonorum.*

### Die Veneris 12. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Hæreditas aſcendentium, etiam non adita ex potentia, ſeu beneficio ſanguinis tranſmittitur ad poſteros liberos, etiam ante apertas tabulas teſtamenti.*

3.4 *Hæreditas, à matre non adita, tranſmittitur ad filios.*

5 *Reus poteſt dare de iure tertij, quando ius tertij eſt excluſiuum, iuris agentis.*

### DECISIO DCLI.

VIcinus quondam Vrſinus, ex Iulia Farneſia 1.
vxore ſua legitima, tres filios maſculos, Corradinum, Horatium, & Martium, & filiam Octauiam procreauit: Octauia nuptui tradita, cum dote ſcutorum 8. m. contra Corradinum Vrſinum, & conſortes agere cœpit, & pro ſcutis 2000. pro portione, illos tangente, dictorum ſcutorum 8. m. dotis, & hæreditatis Iuliæ matris, in poſſeſſionem mitti, & pro dictis ſcutis 2000. mandatum executiuum relaxari obtinuit, ſubſecuta tamen ſolutione ſcutorum 1600. ſine præiudicio iurium, quoad reſiduum, propterea quòd ex aduerſo fuerat probatum, Iuliam Farneſiam obiiſſe, relicta etiam Fauſtina filia, & conſequenter, portionem Octauiæ non fuiſſe quartam partem, ſed quintam detrahendam, ex dictis ſcutis 2000.

Et cùm Octauia, probatione hac non obſtante, prætenderet pro reſiduis ſcutis 400. procedendum ad vlteriorem executionem, dato dubio, & Octauia tantùm informante, Rota contrà ipſam reſpondens, non fuiſſe procedendum cenſuit; quia hæreditas aſcendentium, etiam non adita,

2. adita,ex potentia, ſeu beneficio ſanguinis tranſmittitur ad poſteros liberos, etiam ante apertas teſtamenti tabulas. *l. 1. C. de his qua ante apert. tabul.* vbi Doctores, cuius diſpoſitio habet locum in hæreditate materna, & deſcendentibus

3. ex linea materna. Alexander *in l. 1. num. 25. ff. de vulg. & pupill.* Iaſon *conſil. 201. num. 5. verſ. ſecunda eſt ſpecies tranſmiſſionis.* & fuit deciſum in cauſa ciuitatis Caſtell. ſupplementi legitimæ die 13. Ianuarij ann. 1578. coram bon. mem. Cæſare de Graſſis.*

* habetur in impreſſis diuerſor. p. 1. dec. 362. n. 1. & 11.

Vnde, cùm Iulia habuiſſet quinque filios, quinque portiones erant conſiderandæ, & propterea non erat deueniendum ad vlteriorem executionem.

4. Neque huic deciſioni obſtabat textus *in l. non pro numero. C. ad ſenatuſconſult. Orficianum*, quia limitatur, iuxta terminos *dictæ legis 1. C. de his quæ ante apertas tabulas*, quando filius non adita hæreditate matris decedit, relictis deſcendentibus, tunc enim eius portio non accreſcit fratribus, ſed tranſmittitur ad deſcendentes. Socinus *conſil. 67. num. 5. verſ. tertiò probatur.* vbi commendat gloſſam, prædicto modo limitantem dictam *l. non pro numero*, quam communiter Doctores ſequuntur, vt *ibi* notat Fulgoſius.

5. Minus obſtabat dicere, quòd hoc erat dare de iure tertij, quia reſpondebatur, reum * poſſe dare de iure tertij, quando ius tertij eſt excluſiuum iuris agentis, Pariſius *conſil. 62. num. 12. & ſequent. lib. 3.* Nam, propriè loquendo, hoc verius videtur opponere de non iure, quàm de iure tertij. Crauetta *conſil. 76. num. 6. & conſil. 191. num. 3.* & fuit deciſum in cauſa Romana pecuduum, die 13. Ianuar. ann. 1586. coram bon. mem. Reboſteria.

* adde Lud. dec. 415. n. 3. & 4. vbi latè annot. n. 6.

Poſtremò, circa aditionem hæreditatis, omnis difficultas tollebatur, ex deciſione in hac cauſa facta, coram R. P. Domino meo Pamphilio die 8. Iunij 1588.

---

## *Monopolitana bonorum, ſiue retractus.*

### Die Veneris 12. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Procurator ſubſtitutus non poteſt alium ſubſtituere, niſi fuerit dominus litis effectus.*
3 *Sententia lata, pendente ſuperſeſſoria iudicis ſuperioris, eſt nulla.*
4 *Procurator illegitimus, licèt compareat, & producat aliqua iura, non prorogat iuriſdictionem iudicis.*
5 *Mandatum ſi non exhibeatur in proceſſu, ſententia ſi feratur, eſt nulla.*
6 *Sententia lata ſine citatione partium, vel non in eorum præſentia, eſt nulla.*

### DECISIO DCLII.

1. Rota cenſuit, ſententiam Vicarij Tarentini fuiſſe nullam, primò ex defectu mandati Procuratoris Indelli, nam cùm Cæſar Piſanus, Procurator Indelli, cum facultate ſubſtituendi, Ioannem Vincentium ſubſtituerit, & Ioannes Vincentius, non aſſumpto cauſæ patrocinio,

2. Saluatorem ſubſtituiſſet, ſubſtitutio fuit inualida, quia Procurator ſubſtitutus * non poteſt alium ſubſtituere, niſi fuerit dominus litis effectus. Biſnietus *deciſ. 9. num. 1. de procuratorib.* Vantius *tract. de nullitat. defectu inhabilit. num. 109. & 131.* Rota *deciſ. 28. de procurat. in antiq. & 5. & 8. de procurat. in nouis.*

* adde Seraphin. dec. 195. n. 3.

3. Secundò, ex defectu iuriſdictionis, quia fuit lata pendente ſuperſeſſione, obtenta à præfecto ſignaturæ, per Fabium Indellum, Maranta *de ordine iudiciorum, parte 6. in tit. & demum fertur ſententia, num. 103.* & licèt Saluator, prætenſus Procurator Fabij, produxerit iura, non potuit tamen conſentire in iuriſdictionem, nec eam tribuere, vel prorogare, abſque ſpeciali

4. mandato * Fabij, Pariſius *conſil. 15. num. 3. verſ. ad ſequens dubium, lib. 4.* & ſic tollebatur, quod dicebatur, iudicem præceſſiſſe de conſenſu partium, & eo maximè, quia inſtrumentum mandati erat ſine teſtibus, † quod propterea non

* adde ſuprà dec. 28. n. 6.

5. probabat mandatum, niſi fuiſſet factum de commiſſione iudicis. Lapus *allegat. 81.* Decius, (qui teſtatur communem,) *in cap. quoniam contra, num. 78. & ſequent. de probat.* & eſt deciſio Tholomei 105.* vnde non probato mandato, ſententia † remanebat nulla.

† & vt mandatum valeat debet eſſe in forma, aliàs non prodeſt, vt fuit dictū ſuprà deciſ. 435. n. 4. & 5.
* habetur in impreſſis diuerſ. p. 3. lib. 3. dec. 859.

6. Tertiò ex defectu citationis, * quia cùm terminus pro Saluatore eſſet circumductus, per admiſſionem articulorum, & ſententia fuit lata abſque citatione, nec obſtabat, quod dicebatur de præſentia partis, ex quo, die 13. Octobris, præſente Saluatore, iudex conſignauit Notario cedulam ſententiæ, vt illam publicaret, quia iam 30. Septembris pronunciauerat, & die 13. Octobris noluit pronunciare, ſed tantùm ſententiam iam latam publicari mandauit, vnde cùm præſentia partis non interuenerit in ipſa ſententiæ prolatione, remanſit nulla, Vantius *tract. de nullitat. tit. de nullitat. defect. citationis, num. 17.*

* adde Rotā diuerſor. p. 3. lib. 3. deciſ. 325. n. 5. verſic. opponebatur etiam.
* & talis defectus eſt inſanabilis, ſuprà dec. 364. n. 4. & deciſ. 368. n. 4. & dec. 406. n. 2. & deciſ. 433. n. 5. & aliàs ſæpe.

---

## *Valentina beneficij de Ontinent.*

### Die Lunæ 15. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium in dubio præſumitur ſimplex.*
2 *Beneficium probatur, eſſe ſimplex ex præſentationibus factis.*
4 *Mors probatur, ex fide Parochi, aſſerentis ſe ſepeliuiſſe defunctum.*
6 *Clericatus probatur per litteras teſtimoniales ipſius.*
7 *Confeſſio aduerſarij ſufficit ad iuſtificationem gratiæ.*
8 *Ius patronatus dicitur laicale, ſi Patroni ſint laici, etiamſi fundator fuerit Clericus.*

### DECISIO DCLIII.

1. Rota cenſuit, gratiam Ioannis Pla, fuiſſe iuſtificatam, primum in eo, quod narrauit, beneficium, quod à Sede Apoſtolica impetrauit, eſſe



eſſe ſimplex, tum quia in dubio ſimplex præſumitur, * vt Rota ſæpè declarauit, & præſertim in vna Maceraten. Parochialis die 14. Martij 1575. coram D. Cardinale Lancellotto; † tunc quia Conſtantinus Albius, Ioannis aduerſarius, idem beneficium, tanquam ſimplex impetrauit; & conſequenter de conſuetudine non requirit reſidentiam, vt in præallegata deciſione.

* adde ſuprà dec. 449 n. 2. & deciſ. 473. n. 3. & infrà dec. 806. n. 6.
† habetur in impreſſis diuerſor. p. 1. dec. 483.

2. Secundò, erat iuſtificata reſpectu illius narratiuæ, quòd beneficium erat ex fundatione, & dotatione, quod patebat ex publico fundationis, & dotationis inſtrumento.

Tertiò erat iuſtificata in eo, quod narrabatur, ius patronatus laicorum, quod patebat ex ipſa reſeruatione iuris patronatus, quæ per ordinarium fuerat confirmata, item ex pluribus præſentationibus per laicos factis. Mohedanus *deciſ. 9. de iure patronatus.* Item ex dictis teſtium, & confeſſione eiuſdem Conſtantini, de qua in ſcriptura per ipſum præſentata.

3. Quartò, quòd ius patronatus eiuſdem beneficij pertineret nunc ad Ioannem Pla, probabatur ex pluribus teſtamentorum inſtrumentis, in actis productis, primò Melchioris Pla, fundatoris, qui Franciſcum, eius fratrem, hæredem inſtituerat.

Secundò, ex teſtamento dicti Franciſci, qui alium Franciſcum iuniorem, filium ſuum, hæredem ſibi fecerat.

Tertiò, ex teſtamento Franciſci iunioris, qui hæredem ſibi inſtituerat Ioannem Pla, filium ſuum, modernum patronum, & ſupradictis inſtrumentis accedebant teſtes, qui de prædictis filiationibus teſtificabantur.

Quintò, quòd occurrente vacatione ad prædictum beneficium, præſentari debeat Clericus de parentela, & tali Clerico non exiſtente, extraneus, probabatur ex inſtrumento fundationis.

4. Sextò, quòd beneficium vacauerat per obitum Michaëlis Caſtanoua, ſufficienter cenſebatur iuſtificatum, primò ex fide * Parochi qui Michaëlem ſepelierat. Felin. *in cap. quoniam frequenter, num. 24 vt lit. non conteſt.* Mohedanus *deciſ. 77.* Puteus *deciſ. 266. in fine lib. 3.* Guidobonus *deciſ. 144.* Thanis *deciſ. 75.*

* adde Duran. dec. 263. n. 20. & dec. 377. n. 3. & dec. 406. n. 4. & deciſ. 430. n. 4. vbi aliæ deciſ. allegantur.

5. Secundò, ex confeſſione Conſtantini, facta medio iuramento ſuper articulis, pro parte Ioannis datis; notum eſt enim, ad iuſtificationem narratorum, in gratia ſufficere † confeſſionem aduerſarij. *l. ne ſatiſdatio ff. rem ratam haberi.* Ioannes Andr. *in cap. cum impoſitionibus num. 1. de iureiuran. lib. 6.* Ægidius *deciſ. 268. & 595.*

† adde ſuprà dec. 477. n. 1. & deciſ. 612. n. 4. vbi alias deciſ. annotaui.

6. Septimò, quòd Ioannes Pla ad hoc beneficium præſentatus, foret Clericus Valentinus, patebat ex litteris Clericatus * in proceſſu productis *cap. 2.* vbi Abbas *in primo notabili, de Clericis peregrinis*, Felinus *in c. poſt ceſſionem num. 3. & 15. de probat.* Grammaticus *deciſ. 81.*

* adde ſuprà in d. deciſ. 477. n. 6. vbi annotaui.

Octauò, quòd Ioannes Pla eſſet filius alterius Ioannis, probabatur ex confeſſione Conſtantini in ſuis articulis, & ex teſtibus idem deponentibus.

7. Nonò quòd valor beneficij non excederet 24. ducat. probabatur primò ex confeſſione Conſtantini, qui idem beneficium, cum eadem expreſſione, quod non excedebat * 24. ducat. impetrauerat. Ægidius *deciſ. 268.* item ex ipſa fundatione, & dotatione librarum 15. monetæ Valentini, quæ cùm conſiſteret in cenſibus, non auxit valorem.

* adde Cocc. dec. 145. n. 1.

Decimò, quòd ipſius Ioannis patroni aſſenſus acceſſerit, patebat ex publico conſenſus inſtrumento.

Poſtremò dicebant Domini, clarum eſſe, hoc beneficium pertinere ad ius patronatus laicorum, licèt fundator fuerit Clericus, * tum quia in fundatione iuſpatronatus datum fuerat conſanguineis, & conſtabat de pluribus præſentationibus, factis per laicos: tum, quia ſucceſſores laici fuerunt, & ſunt in quaſi poſſeſſione præſentandi, & Ordinarij eorum præſentationes admiſerunt, & conſequenter, ius patronatus cenſebatur laicale, Puteus *deciſ. 218. num. 1. lib. 2.* Mohedanus *deciſ. 9. de iurepatronatus.* 8.

* adde Dur. in diſcurſu vel dec. 285. n. 64. & Coc. dec. 236. n. 5.

Nec refert, quòd fundator acquiſiuiſſet bona ab Eccleſia, quia non inde infertur ad excluſionem iuriſpatronatus laicale.

Quòd verò beneficium vacauerit per obitum, & non per reſignationem, probari videbatur ex eo, quòd patronus, debito tempore, reſignationi contradixit.

---

## *Præneſtina Caſtanearum.*

### Die Lunæ 15. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

3 *Caſus comprehenſiui, & non extenſiui, includuntur in conſtitutionibus per ſuperiorem factis.*
4 *Ratio vbi eſt eadem, debet & eadem iuris diſpoſitio procedere.*
5 *Tempus, quod alicui aufert Princeps, præter ordinem conſuetum, eſt ei reſtituendum.*
6 *Annus ſolaris fuit reductus ad verum, & naturalem curſum, ex conſtitutione Gregorij XIII.*

### DECISIO DCLIV.

In monte de Sancto Vito, poſtquam ſingulis anni Nobiles Romani de Capranica collegerunt caſtaneas, incolæ oppidi de Sancto Vito, habentes ius quoddam paſcendi, conſiſtens in Ruſpo, quod eſt illud quod remanet pro derelicto, poſtquam caſtaneæ fuerunt collectæ, ſoliciti ſunt in die feſtiuitatis omnium Sanctorum, immittere porcos in eum montem, ad paſcendum Ruſpum, & inibi permanere per vnum, duos, vel tres dies, cùm iam eo tempore caſtaneæ ſint collectæ, per Dominos de Capranica. 1.

Cùm verò collectio caſtanearum fieri ſoleret per totum menſem Octobris, & Domini de Capranica, propter conſtitutionem fel. recor. Greg. XIII. ſuper noua Calendarij reſtitutione, edita an. 1581. prætenderent, ſibi annuatim addendos decem dies, in fine menſis Octobris, ad caſtaneas in dicto monte colligendas, propter verba dictæ conſtitutionis *in §. ne verò*; quæ ſic ſe habent. *Ne verò ex hac noſtra decem dierum ſubtractione, alicui quod ad annuas, vel menſtruas præſtationes pertinet, præiudicium fiat, partes iudicum erunt in controuerſiis, quæ ſuper hoc exortæ fuerint, dictæ ſubtractionis rationem habere, addendo alios decem dies in fine cuiuſlibet præſtationis.* 2.

3. Contrarium verò prætenderent incolæ de S. Vito,dato dubio,an eſſet locus prædictæ conſtitutioni. Rota cenſuit, ei fuiſſe locum ad fauorem Dominorum de Caprunica: quia licèt in conſtitutione exprimantur duo tantùm caſus annuæ, vel menſtruæ præſtationis, noluit tamen Papa excludere alios caſus habentes eandem rationem, cùm non præſumatur, alicui voluiſſe præiudicare,*cap.quamuis, de reſcript.lib.6.* & con-
4. ſequenter ſimiles caſus, in quibus eſt eadem ratio,non extenſiuè,ſed comprehenſiuè,*dicuntur in conſtitutione comprehenſi. Riminaldus iunior *conſil.4. num. 9. & ſeq. lib. 1.* & ideo decem dies per nouam Calendarij emendationem demptæ de menſe Octobris, regulari debent eodem modo, quo præſtationis annuæ, vel menſtruæ; ita vt ſicut in illis quolibet anno reſtituuntur decem dies, ita in hoc caſu Domini de Capranica, qui ante Calendarij emendationem tenebantur dimittere Ruſpum, Calendis Nouembris non teneantur dimittere, niſi die 10. Nouembr.

* adde Surdum deciſ. 276.n.8.& 9. & Ludouiſ. deciſ. 293. n.13.& 14.

5. Supradictis accedebat, nam tempus, quod alicui à Principe aufertur, præter ſolitum,& ordinem conſuetum,eidem reſtituendum eſt, cùm ſibi præiudicari non debeat. *l. & ſi per prætorem.* vbi Albericus, & Baldus,*ff.ex quibus cauſis maiores*,& eo magis,quia incolæ Sancti Viti agebant de lucro captando, cùm per iſtam præoccupationem,vltra Ruſpum caſtaneas etiam,quæ nondum ceciderant, habuiſſent.

Et propterea dixerunt etiam Domini, quòd non tantùm ſemel,ſed toties,quoties læſio contingere poterat, erat facienda reſtauratio. *l. nec non.§.ſi quis ſæpiùs. ff.de ferijs.*

6. Nec ſupradictæ deciſioni obſtabat, quòd per conſtitutionem Gregorij,annus ſolaris fuerit reductus ad verum, & naturalem curſum, quia licèt id ſit verum, debet tamen intelligi, vt in ea exprimitur, ſine præiudicio anteriorum obligationum, ideoque debet fieri reſtitutio 10. dierum.

7. Præterea non obſtabat, quòd non ageretur de numeratione certorum dierum, ſed de immiſſione ſingulis annis facienda, in feſtum omnium Sanctorum,quia dicebatur,quòd cùm propter correctionem Calendarij, feſtum omnium Sanctorum ſingulis annis anticiparetur per decem dies, exiſta anticipatione poterat contingere,vt non reſultaret idem effectus, hoc eſt,quòd in caſu propoſito, in die omnium Sanctorum, nondum omnes caſtaneæ eſſent maturæ,ex quo, cùm præiudicium Capranicentibus poſſet cum lucro incolarum Sancti Viti inferri. Ideo ſubueniendum eis fuerat, iuxta formam traditam à conſtitutione,in annuis & menſtruis præſtationibus, addendo videlicet decem dies.

---

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 19. Decembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Filia in bonis patris, quo ad ſucceſſionem, habet fundatam intentionem de iure.*
3 *Dictio, dictus, eſt repetiua omnium qualitatum præcedentium.*
5 *Auus non tenetur dotare neptem, niſi quando pater non habet bona.*
6 *Dotare non tenetur auus neptem, niſi quando pater non habet bona, quod fallit, vt ibid.*
7 *Neptem propter filium tenetur dotare auus.*
13 *Dos debet dari tempore nuptiarum.*

### DECISIO DCLV.

Conſtitutis quibuſdam præſuppoſitis concordatis inter partes,& dato dubio,an Domina Claricia Ceulia poſſet habere coniunctim bona peculiaria mobilia Antonij Franciſci ſui patris, qui obierat ann. 1565. & dotem in bonis Hieronymi Ceuli,aui ſui paterni,qui deceſſerat ann.1579. vtraque parte informante, Rota cenſuit, illam potuiſſe conſequi bona mobilia patris, & dotem ſcutorum ſex millium, in bonis aui. 1.

Et reſpectu bonorum mobilium patris, res viſa fuit carere difficultate, nam cùm Claricia eſſet filia Antonij Franciſci,& conſequenter haberet fundatam intentionem in iure communi, non poterat à ſucceſſione iſtorum bonorum excludi, *Authent.in ſucceſſione.C.de ſuis,& legitimis. l.maximum vitium. C.de liber.præterit.* 2.

Neque Claricíæ obſtabat pactum, ſiue conuentio inita anno 1564. inter Antonium Franciſcum, eius patrem, & alios filios Hieronymi aui, quoniam conuentio loquebatur de bonis immobilibus, & propterea non cenſebatur à mobilibus excluſa,quia pactum ſiue conuentio, de illis non agebat, maximè ſtante dictione, *in* 3.
*dictis bonis.** quæ repetit omnes qualitates præcedentes. Bart.*in l.talis ſcriptura.§.fin.ff.de legat.1.* Roland.*conſil.56. num.27. lib.3.* & eo magis,quia cùm pactum, ſeu conuentio eſſet excluſiua ſucceſſionis ab immobilibus, tanquam odioſa, non erat trahenda,etiam ad mobilia,contra vulgares, & receptas regulas, omiſſum haberi pro omiſſo, & attendi merum factum, & interpretationem, contra ſe fundantem in verbis fieri debere.

* adde ſuprà dec.559.n.8. & 9.

Rursùs, neque ſtatutum vrbis *lib. 1. cap. 141.* obſtabat Claricíæ, quia illud locum habet ſolùm,quando extant deſcendentes, vt ſæpiùs fuit in Rota deciſum, & nouiſſimè in Romana legitimæ coram R.P.D. meo Pamphilio die 23. Iunij proximè præteriti. 4.

Reſpectu dotis in bonis aui,duplex inſpectio fuit conſiderata, vna iuxta diſpoſitionem iuris communis, altera ſecundùm ſtatuta vrbis.

Et iure communi inſpecto dicebatur, quòd quamuis auus * non teneatur dotare neptem,niſi in ſubſidium,quando pater non habet in bonis. Baldus *in Authent.Res quæ,num.12. C.commun. de legat.* Crauetta *conſil.219.num.3.* Decius *conſ.66.* 5.
*in fin.* Natta *conſil. 363. num. 5. lib. 2.* idque ſine difficultate procedere videatur viuente patre, ſi tamen pater auo præmoriatur, ( vt contigit in caſu propoſito, vbi Antonius Franciſcus multis annis ante Hieronymum obierat, ) tunc auum teneri ad dotandam neptem, etiam aliunde habentem, voluit Socinus iunior *conſ.79. num. 41. & 45. lib. 3.* & Alciatus *reſponſ. 49. tom.3. lib. 9.* quia mortuo auo,neptis cenſetur tenere primum locum ex perſona ſua, *l.ſi auus.* vbi Bald.*num.46. de liber. præterit.* & conſequenter in bonis aui ei debetur dos, ſiue legitima. 6.

* adde ſuprà dec.535.n.5. & ſeq. & Seraph. deciſ. 447.n.5.





Doctores verò communiter aſſerentes, auum non teneri neptem, aliunde habentem vnde ſe dotare poſſit, loquuntur viuente patre, non autem patre, auo præmoriente.

7. Ratio autem differentiæ eſt, quia cùm auus teneatur dotare neptem, propter filium, *l.dedit dotem. ff.de collat. bonor.* ſi filius habet vnde ſufficientem dotem præſtare poſſit, vel etiam neptis aliunde habeat, vnde ſe dotet, tunc ceſſat obligatio aui,propter filium priùs obligatum ad dotandum,vt bene explicat Gaſpar Baëtius *tract.de non meliorandis dotis ratione filiabus,cap.17.num.16. & ſeq.*

8. Hæc autem ratio huic themati non applicabatur, quia cùm Antonius Franciſcus, Claricíæ pater, auo eſſet præmortuus, & conſequenter Claricíæ filiæ aditum aperuerit; vt primum locum teneret in ſua linea,non erat habenda ratio illius diſtinctionis,an neptis eſſet diues, vel pauper; quia tunc, vtroque caſu auus tenetur, vel relinquere nepti legitimam, vel legitimæ loco dotem competentem præſtare; de hoc autem caſu non loquebantur Doctores ſuprà citati, & alij qui pro Domino Tiberio Ceulio allegabantur.

9. Pactum verò, ſeu conuentio ſupradicta non excludebat Clariciam ab hac prætenſione: quia (vt explicatum fuit) conuentio de bonis immobilibus tantùm loquebatur, nec Claricia petebat bona immobilia, ſed dotem ſibi debitam, ſuper immobilibus, quamuis ex bonis mobilibus patris, ſufficientem dotem habere potuiſſet.

10. Inſpecta verò diſpoſitione ſtatuti vrbis *lib. 1. cap.141.* quo cauetur,vt filiæ fœminæ,vel neptes, paterno, & auito teſtamento acquieſcant, licèt informantes pro D. Tiberio contra Clariciam agere viderentur, & informantes pro Claricia multis modis reſpondere conarentur; omiſſis cæteris reſponſionibus, placuit amplecti illam, quæ aſſerebat,ſtatutum nouum,non fuiſſe attendendum, cùm tempore mortis patris,& aui Dominæ Claritiæ nondum eſſet ſtatutum conditum,& propterea, vel hunc caſum relinqui ſub diſpoſitione iuris communis, vel regulandam inſpecto ſtatuto antiquo *lib.1.c.82.* quod per eadem ferè verba eſt repetitiua in dicto ſtatuto nouo *lib.1.cap.141.*

11. Dicebatur tamen, antiquum ſtatutum non habuiſſe locum in hoc caſu;quia antequam eſſet factus locus ſucceſſioni, Claricia, mortuo patre abinteſtato,ei decedenti, ſine maſculis ſucceſſerat, & poſtea auus deceſſerit: nam verba ſtatuti loquentis de dote data à patre, vel auo in teſtamento, vel vltima voluntate, ſeu inter viuos, in hoc caſu non verificabantur,cùm nulla dos Claricíæ data eſſet, & pater decedens ab inteſtato, videretur voluiſſe eam relinquere in terminis iuris communis, ita vt deberet etiam habere dotem,vel legitimam in bonis aui, ad effectum, vt ab hæreditate aui excluderetur,& eo magis placuit hæc interpretatio, quia in cauſa Romana de Lante coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente octauo, tunc Rotæ Auditore ann. 1586. dictum fuerat, id ſtatutum, tanquam exorbitans à iure communi, ſtrictè fore intelligendum.

12. Non obſtabat Claricíæ, quòd Hieronymus auus eam dotauerat, & expreſsè teſtamento cauerat, ne ex bonis patris, vel aui plus petere poſſet.

Quia reſpondebatur,quòd cùm tempore conditi teſtamenti per auum,Claricia per decem annos, & ampliùs iam acquiſiuerit bona paterna Antonio Franciſco,patri ab inteſtato ſuccedendo, non potuit deinde auus ei dotem relinquendo,illam priuare ſucceſſione, iure legitimo, ſibi iam quæſita.

Nec refert,quòd dos debeat dari tantùm tempore nuptiarum,quia hîc non agebatur de dote, ad excludendam filiam à ſucceſſione patris, eo quòd extarent maſculi, nam cùm nulli maſculi ab Antonio Franciſco eſſent relicti,ſed ſola Claricia, vnica eius filia ab inteſtato ei ſucceſſerit, illi fauebant iura,& doctrinæ ſuperiùs allegatæ, non obſtantibus ſtatutis, quæ non habebant locum in hac facti ſpecie. 13.

Atque ex his potiſſimum, fuit concluſum, Clariciam poſſe conſequi bona peculiaria patris, & dotem,ſex millium ſcutorum ſibi ab auo relictam.

---

## *Spoletana Alimentorum.*

### Die Veneris 19.Decembris 1597.

SVMMARIVM.

2 *Parentum mandatis tenentur filij obedire.*
3 *Parentes poſſunt cogere filios ad ſecum habitandum.*
5 *Nouercæ omnes non ſunt crudeles cum priuignis.*
6 *Suſpicioni inhoneſtatis non eſt locus, niſi inter extraneos.*
7 *Alimenta præſtandi cauſam qui allegat, tenetur eam probare.*

### DECISIO DCLVI.

Die 4. Iunij 1597. vna tantùm parte informante fuerat deciſum, hæredes Franciſci Pariani non teneri reſtituere alimenta Auguſto Lucarino,quæ ille Baldinæ Parianæ præſtiterat; in hac propoſitione, vtraque parte informante, Domini ſteterunt in deciſis, idque ex eiſdem rationibus, quibus tunc Rotæ vſa fuerat.

* ſuprà deciſ.621.

Et primò, quia pater, vel auus non tenentur alere filiam, vel neptem extra domum, quando ſine legitima,*& iuſta cauſa à paterna domo receſſit. Arias Pinellus *in l.1. part.1. num.54. C. de bonis mater.* Paulus de Caſtro *l.2.num.3. C.famil. erciſcun.* Socinus iunior *conſil. 15. num. 2. & 3.* 1.
*lib.2.* Ancharanus *conſil. 254. num. 1.* cùm enim parentum mandatis ſiue iure naturæ, quia ab illis habent eſſe,& ſubſiſtere, ſiue ratione patriæ poteſtatis obedire teneantur, & ideo parentes poſſunt eos cogere ad ſecum habitandum, con- 2.
ſequenter, ſi ſine legitima cauſa in hoc eis non obediant, inde propterea alimenta denegantur. Paulus de Caſtro *in d.l.2.num.3. C.fam.erciſcund.* Socinus iunior *conſil.15.num.2. lib.2.* 3.

*adde ſuprà dec.184.n.3. vbi annotaui alias dec.

Secundò, quia Auguſtus Lucanus, vitricus, qui Baldinæ alimenta præſtiterat, non interpellauerat * Franciſcum auum, vt nepti alimenta præſtaret, ad effectum, vt auus in mora conſtitueretur. Alexander *conſil.72.num.7. lib.5.* Panci- 4.

*adde ſuprà in d.dec.621. num.4.

rolus *conſil.7. num.* 15. Surdus *tract. de alimentis tit.5. quæſt.1. num.*47. Burſatus *conſil.* 83. *num.* 7. *lib.* 1.

Neque informantes pro Lucarino probabant legitimas,& iuſtas cauſas, propter quas Baldina, neptis Franciſci, receſſerat ab eius domo.

5. Nam prima cauſa deſumptas ex eo, quòd Franciſcus auus duxerat vxorem ſimpliciter,non putabatur ſufficiens, quia non omnes nouercæ ſunt crudeles,& terribiles,ita vt non poſſint priuigni tutò cum eis habitare, ſed qualitas perſonæ eſt conſideranda. Ruinus *conſil.* 34. *num.* 3. *lib.* 2. vnde cùm in caſu propoſito, teſtes deponerent de bona qualitate Liſſæ nouercæ,& bona fama, & integritate Franciſci aui, & ideo non conſtaret de iuſta cauſa receſſus penes auum, debuit Baldina alimenta recipere. Curtius iunior *conſ.94.num.9.verſ.cùm igitur*, Surdus *tract.de aliment.tit.*4. *quæſt.*13. *num.*18.

6. Altera cauſa, deſumpta ex periculo honeſtatis Baldinæ, ex eo quòd Liſſa nouerca habebat aliquot fratres iuuenes, qui frequentabant domum aui,non fuit viſa ſufficiens: tum, quia illi iuuenes non habitabant in domo aui, tum quia ex dictis teſtium conſtabat, illos fuiſſe probos, & honeſtos,tum etiam, quia tali ſuſpicioni non eſt locus, niſi inter extraneos, pro vt loquitur Bart.*in l.Caio.§.Imperator,num.2. ff. de aliment. & cibar.legat.*quem alij ſequuntur,& Rolandus *conſil.22. num.*11.*lib.*1.

Tertia cauſa, deſumpta ex lite, non fuit viſa ſufficiens ad iuſtificandum receſſum Baldinæ à domo aui; tum quia tempore receſſus non aderat lis, tum quia poſt litem introductam, euentus demonſtrauit,eam fuiſſe iniuſtam,cùm Franciſcus auus in Rota tres ſententias conformes contra Baldinam reportauerit: ex quo arguebatur, illam fuiſſe ſolicitatam,& perſuaſam, vt recederet ab auo ad litem inchoandam; vnde iniuſta potius,quàm iuſta, & legitima cauſa receſſus colligebatur.

7. Vltima cauſa ad iuſtificandum Baldinæ receſſum ex eo, quòd in domo aui malè tractaretur,non apparebat probata: & tamen, qui cauſam allegat petendi alimenta extra domum,eam debet plenè,& concludenter probare, Ancharanus *conſil.*154. *num.*2. Iaſon *in l. diuortio num.* 25. *verſ.quis autem.ff.ſolut. matrim.* Surdus *de aliment. tit.*4. *quæſt.*14. *num.*48.

8. Neque ex eo iuſtificabantur ſupradictæ cauſæ receſſus, quòd Franciſcus auus aliquando Baldinam inuitauerit, vel retinuerit ad prandium, quaſi propterea auus receſſiui præbuerit aſſenſum,nam reſpondebatur,ex hoc actu potiùs colligi contrarium, cùm ſe paratum auus oſtenderet,ad neptem in domo recipiendam,& alimentandam: quòd ſi recuſaſſet, iuſtam cauſam præbuiſſet Baldinæ,extra domum alimenta petendi. Corneus *conſil.*286. *num.* 6. *verſ. nihilominus non releuat, lib.*3.

Tobias Nonius *conſil.* 85. *num.* 4. non loquebatur in his terminis.

## *Senen. iuris patronatus.*

### Die Veneris 9. Ianuarij 1598.

SVMMARIVM.

4 *Ius patronatus tranſit ad filios, vocatos in locum patris mortui, & eorum præſentatio valet, num.5.*

6 *Præſentatio facta ab vno patrono de pluribus patronis non nocet alijs.*

6 *Qui facit ſolus actum, pertinentem ad plures, niſi prohibeat, & alij acquieſcant prohibitioni non nocet.*

8 *Præſentatio eius, qui eſt in quaſi poſſeſſione præſentandi, eſt attendenda.*

*Quo ad poſſeſſionem,& non quo ad petitorium n.9.*

10.11 *Præſentatio facta per vnum ex patronis vt præiudicet alteris, debet fieri animo priuandi compatronos, & cum poſſeſſione 40. annorum.*

## DECISIO DCLVII.

ACquiſiuerat Sgiſmundus Chiſius Iuſpatronatus,auctoritate Leonis X.in Eccleſia Sancti Bartholomæi pro ſe, ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus, aſſignata illi proptera menſe Iulij ann. 1521. dote competente, ſuper multis bonis ſtabilibus, in inſtrumento dotationis expreſſis. 1.

Sigiſmundo vita functo,Marius Auguſtus, & Alexander eius filij legitimi,& naturales, hæreditatem paternam, nulla facta mentione dicti iuriſpatronatus inter ſe diuiſerunt, obiit deinde Marius, relictis filiis Fabio,Flauio,Angelo, Fortunio, & Octauio. 2.

Anno 1568. vacante prædicta Eccleſia per reſignationem Marij Bronconij,Alexander, Sigiſmundi filius,nomine proprio,& Auguſti fratris, pro quo de rato promiſit, nulla facta mentione de prædictis filiis Marij nepotibus ſuis ad prædictam Eccleſiam, quendam Lazarum Dominicum præſentauit, & præſentatio effectum habuit.

Rurſus, ad prædictam Eccleſiam vacantem, Alexander ſolus ſuperſtes, ex filiis Sigiſmundi, primi iuriſpatronatus fundatoris, nulla facta mentione prædictorum filiorum Marij, & Auguſti, iam defuncti, quendam Ioannem Baptiſtam Hennazinum præſentauit, qui cùm eandem Eccleſiam anno 1594.in manibus Ordinarij reſignaſſet, idem Alexander, & pro eo Curtius, filius eius, ad eandem Eccleſiam Hieronymum Fabium præſentauit, quòd cùm intellexiſſent filij Marij, & Auguſti, eodem anno 1594. Auguſtinus filius Auguſti, & Flauius, filius Marij, nomine aliorum fratrum, Bartholomæum quendam Barbettum præſentauerunt. 3.

Vicarius Senen. in hac controuerſia, Hieronymum Fabium, ab Alexandro præſentatum inſtituendum pronuntiauit, nepotes verò Sigiſmundi,Marij,& Auguſti filios,non potuiſſe præſentari declarauit, quia non erant in quaſi poſſeſſione præſentandi; cauſa propoſita in Rota, Domini Vicarij ſententiam reuocandam cenſuerunt,quia mortuo Sigiſmundo,iuſpatronatus æqualiter tranſiuit in eius filios, * Alexandrum, Marium, & Auguſtum, & poſt illorum mortem,in eorum filios,& hæredes,& ſucceſſores, gloſſ. & *ibi* communiter Doctores *in cap.* 1. *de iure patronatus, in verb. non debeat*; & conſequenter filij, & hæredes Marij, & Auguſti per- 4.

*adde Franciſci Marcum deciſ. Delph.1135. n. 4. & ſeq. part.1.



5. inde atque Alexander, præſentare potuerunt, *cap. conſultationibus*, vbi Abbas *de iure patronat.* Rochus *eodem tract. in verb. competens, quæſt.* 20. Lambertinus *de iure patronat. in* 8. *num.* 1. *tertiæ quæſtionis princip.1.partis lib.*2.

6. Et reſpectu filiorum Auguſti, res videbatur carere difficultate, quia Alexander anno 1564. alium etiam Auguſti fratris nomine præſentauerat,& propterea non poterat ignorare ad fratres etiam ſpectaſſe iuſpatronatus,nec dici,quòd præſentauit animo priuandi alios ſuo iure, & conſequenter, potiùs intelligebatur præſeruatum * ius aliorum, licèt præſentatio non eſſet facta communi nomine. Calderin. *conſil.*15. *de iure patronat.verſ.& confirmatur*, Thanis *deciſ.*97. incip. *Si vnus ex patronis*, & fuit ſæpiùs in Rota reſolutum; & ratio eſt, quia ſi quis ſolus facit, quod aliis etiam licet, non acquirit poſſeſſio-

* adde Rot. diuer.part.1. dec.229.n.5.

7. nem,reſpectu aliorum,* niſi prohibuerit, & illi ſcienter acquieuerint. Ruin.*conſil.*28. *num.*12.*& ſeq. lib.* 2. Ægidius *conſil.* 7. Baldus *tract. de præſcript.4. part.5. partis principalis quæſt.5.num.*3. *& ſequent.*

*adde Lud. dec.417.n.9. & latè annota.n.15.

8. Neque ſupradictis obſtabat, quòd filij Marij, & Auguſti, nunquam præſentauerint, nec eſſent in quaſi poſſeſſione præſentandi,in qua reperiebatur ſolus Alexander, cuius præſentatio propterea videbatur attendenda, * *cap.conſultationibus, de iure patronatus, cap.querelam, de elect.*

* adde Rot. recen.part.2. dec.726.n.3. Dur. dec.87. n.11.& deciſ. 199.n.1.

Quoniam reſpondebatur, quòd cùm ex fundatione, ſeu dotatione huius iuriſpatronatus conſtaret de bono iure filiorum Marij,& Augu-

9. ſti in proprietate † & conſequenter petitorium abſolueret poſſeſſorium, præſentatus à vero patrono ante inſtitutionem præfertur alteri præſentato, ab exiſtente in quaſi poſſeſſione * præſentandi. Abbas *in d. cap. conſultationibus, num.9.* Decius *conſil.* 149. *num.* 2. Paulus de Cittadinis *tract.de iure patronat. part.6. art.3. num.*16. Tholomæus *deciſ.*47.& fuit deciſum in cauſa Alatrina Capellaniæ die 27.Octobris 1586. coram R. P.D.meo Pamphilio.

† adde Rot. diuer.part.2. dec.167.n.8. vſque ad finem, & rec. p.2.dec.274. n. 6. & 7. & Ludou.deciſ. 452.n.16.

* vide infrà deciſ. 1630. n.4. in tom. 2. vbi alias deciſ. annotabo.

Poſtremò dicebant Domini, quòd ad effectum, vt præſentationes factæ per Alexandrum præiudicarent compatronis,duo requirebantur.

10. Primò quòd eſſent factæ animo†priuandi compatronos, quod in dubio non præſumitur, Ruinus *conſil.50. num.*10. *lib.*5. Creſcentius *deciſ.*27. & fuit reſolutum *in vna Papien. iuriſpatronatus*, die 9. Maij 1594. coram R. P. D. meo Millino.

† adde Rot. rec.p 2. in d. dec.274.n.5. & Lud.deciſ. 452.n.10. & ſeq.

11. Alterum quod requiritur,eſt poſſeſſio 40.annorum,*vt fuit reſolutum *in cauſa Florentina iuriſpatronatus*, die 27. Februar. 1575. coram Sanctiſſimo Domino Noſtro, tunc Rotæ Auditore, quæ cùm non concurrerent in hac cauſa, præſentatio facta à ſolo Alexandro non poterat ſuſtineri.

* adde Rot. recen.part.2. dec.251.n.4.

## *Tullen. Monaſterij Sancti Manſueti.*

### Die Veneris 9. Ianuarij 1598.

SVMMARIVM.

3 *Gratia non iuſtificata caret omni effectu.*

4 *Probationes liquidiſſimæ requiruntur in cauſis criminalibus.*

5 *Beneficij priuatio ſi petatur ciuiliter, propter aliquod crimen,requirit plenam, & concludentem probationem.*

6 *Probatio per formam & vocem publicam,non ſufficit ad priuationem beneficij.*

7 *Concubinatus pœnæ euitantur, ſi concubinarius, poſt monitionem dimittat concubinam.*

8 *Simonia, vel confidentia vt probetur per remiſſoriam,requiritur maximus fumus,vel ſemiplena probatio.*

## DECISIO DCLVIII.

VT ſatisfecerim Domino Nicolao Lombart, dedi dubium,an cauſa eſſet expedienda? & Rota vtraque parte informante,ad fauorem Nicolai Abbatis S. Manſueti expediendam cenſuit: quoniam pro parte Nicolai Lombart nihil releuans proponebatur, quod non eſſet abundè ſublatum in deciſionibus in hac eadem cauſa factis, nam quoad prætenſum concubinatum, abundè fuit reſponſum die 27. Ianuarij ann. 1597. * 1.

* ſuprà deciſ.581.

Prætenſio non promotionis, fuit ſublata in alia deciſione facta die 17. Martij proximè præteriti, * & ſimiliter fuit ſublata obiectio ſuper dilapidatione bonorum Abbatiæ die 18. Aprilis eiuſdem anni 1597. †

* ſuprà deciſ.594.

† ſuprà deciſ.600.

Et denique in alia deciſione facta die 16.Maij eiuſdem anni,* fuit deciſum,non obſtitiſſe Abbati tria alia delicta, quæ ſibi fuerant obiecta, videlicet, lacerationem cedulorum, periurium, & crimen nefandum.

* ſuprà deciſ.611.

Quæ verò in hac propoſitione deducebantur,non erant probata,ita vt vel cauſæ expeditio eſſet retardanda,vel proferenda ſententia ad fauorem Nicolai impetrantis, nam quòd Abbas commiſerit ſimoniam,ob conuentionem factam cum patre cuiuſdam Nouitij, promittente Abbati prædicto 400. francos pro admiſſione dicti Nouitij in Monaſterio, & partem dictæ ſummæ iam exegerit, non erat probatum in actis, ſicut non erat probatum, quod non detulerit Tonſuram, & habitum Clericalem, ad effectum incidendi in pœnas contentas in conſtitutione fel. record. Sixti V. Ideoque meritò veniebat abſoluendus: tum quia actore non probante,reus abſolui debet, tum quia gratia, & eius narratiua non iuſtificata, caret omni effectu. * Verallus *dec.39.part.* 2. 2. 3.

* adde ſuprà dec.611.n.6. vbi alias dec. annotaui.

Neque ſupradictis obſtabat, quòd licèt probationes adductæ contra Abbatem Nicolaum non forent ſufficientes in cauſa criminali, in qua requiruntur exactiſſimæ, & liquidiſſimæ probationes, † *l.ſciant, C.de probat*; ſufficere tamen poterant in hac cauſa, quam Nicolaus Lombart tractabat ciuiliter. 4.

† adde infrà dec.861. n.1. & 2.& in tomo 2. deciſ. 1019.n.2.

Quia

Quia reſpondebatur, primò coram D.Cardinali Burgheſio,hanc cauſam ciuiliter etiam fuiſſe tractatam,& tamen Rota cenſuit,probationes adductas non fuiſſe ſufficientes.

5. Secundò reſpondebatur, quòd quando agitur ad priuationem, propter aliquod crimen, etiam ſi agatur ciuiliter,requiritur plena,* & concludens probatio, gloſſ.*in cap.veniens*, *el* 1. vbi Abbas *num*.4. & Decius *num*.8. *de teſtib*. Natta *conſil*.299. *num*.15. *in fine lib*.2. Mohedanus *deciſ*. 4. *num*.2. & 4. *tit. de probat*. & fuit deciſum *in cauſa Calaguritana confidentiæ*, die 23. Iunij 1593. coram R.P.D.Pamphilio.

* adde ſuprà dec.581.n.5. vbi alias deciſ.allegaui.

6. Quod maximè procedit, quando Papa principaliter concedit gratiam, fundandi ſe in narratiua alicuius delicti; nam tunc ad canonizationem gratiæ, requiritur plena, & concludens probatio. Ægidius *deciſ*.76. *num*.6. Creſcent. *deciſ*.202. Puteus *dec*.10.*lib*.3.& conſequenter non ſufficiunt teſtes de publica voce, & fama, nec probatio per famam ſufficit.

7. Denique dicebant, quòd neque ſupradicta ſufficiebant, ad effectum, vt Nicolao Lombart eſſet concedenda Remiſſoria; nam reſpectu concubinatus, licèt concederetur, & vigore illius probaretur,non releuabat,cùm Abbas poſſet moneri, iuxta ordinem datum per Concilium Tridentinum, & monitus, dimittendo concubinam, euitare pœnas latas contra concubinarios, vt fuit dictum, in prima * deciſione huius cauſæ.

* ſuprà in d. deciſ. 581. n.23.& 24.

8. Reſpectu ſimoniæ non poterat de iure concedi, quia ad concedendam Remiſſoriam, ad probandam ſimoniam,vel confidentiam,requiritur maximus fumus, ſeu ſemiplena probatio. Paleothus *deciſ*. 334. incip. *Vacauerat Archidiaconatus*. Rota *in cauſa Calaguritana confidentiæ*, die 26.Nouembr.ann.1593.coram R.P.D.Pamphilio, & iterum *in cauſa Imolen. confidentiæ*, die 4. Decembris 1596. coram R. P. Domino Orano.

In caſu autem propoſito, nec ſemiplena probatio, nec ſufficiens fumus videbatur adeſſe.

## *Poſtnanien. Parochialis.*

### Die Veneris 16. Ianuarij 1598.

#### SVMMARIVM.

1 *Spolij iudicium poteſt intentare, qui eſt in poſſeſſione, & turbatur in ea.*
2 *Ordinarij prouiſio eſt titulus coloratus.*
3 *Spoliatus ante omnia eſt reſtituendus, nec agi poteſt de petitorio donec id fiat.*
4 *Exceptio delicti, ab ſpoliatore interpoſita, non impedit reſtitutionem.*
5 *Promouendus infra annum, per diſpoſitionem Tridentini, ſi non promoueatur, non eſt piuandus Parochiali ſine citatione.*

## DECISIO DCLIX.

1. SEntentias vltimo loco latas ab Archiepiſcopo Gineſnen.& Epiſcopo Permiſlien. contra Matthæum Priſcoreuium,Rota cenſuit fuiſſe reuocandas; cùm enim Matthæus introduxiſſet iudicium ſpolij ſuper poſſeſſorio, & de vtroque extremo conſtitiſſet, * de primo videlicet per inſtrumentum adeptæ actualis, & realis poſſeſſionis die 22. Auguſti ann. 1589. quod ſufficit, alio in poſſeſſione non exiſtente; & de ſecundo, ex litis ſuſtentatione, Verallus *deciſione* 369. *part*. 2.

* adde Dur. dec.89. n. 1. & 2.Coccin. dec.312.n.1. & ſeq.

Et inſuper etiam, ex prouiſione Ordinarij Poſnanien. ad fauorem eiuſdem Matthæi appareret de titulo colorato, quem ſolent producere* Ordinariorum prouiſiones,Lapus *allegat*.16. *num*. 2. & *allegatio*. 103. *num*. 3. Mohedanus *deciſ*.337.incip. *Vicarius*, quæ eſt tertia,*de offic. Vicarij, in impreſſ*. Abbas *in cap. cùm noſtris num*.23. *de conceſſ.præben*. Paulus de Caſtro *conſil*.253. incip.*Ad confirmationem,num*.4. *lib*.1. Non potuerunt iudices, omiſſa cauſa poſſeſſorij, in petitorio pronuntiare, ſed debuerunt in primis, & ante omnia, Matthæum ad ſuam antiquam poſſeſſionem reſtituere, per regulam quòd ſpoliatus eſt ante omnia reſtituendus, † *c.in litteris,de reſt. ſpoliator. l. ſi quis ad ſe fundum. C. ad legem Iuliam de vi publica*, Gabrielius *tit.de reſtit.ſpoliat.concl*.1. *num*. 1. 2. 3.

* adde Lud. dec.500.n.4. & latè annota. litt.B. & fuit dictum in vna Bracharen. Parochialis 17. Maij 1589. impreſſa per Farinac. poſt tom.1. conſ. dec.67.n.2.

† adde infrà dec.865.n.7. & aliàs ſæpe.

Non obſtabat exceptio homicidij,quod Matthæo opponebatur, tum quia de illo plenè non conſtabat, tum etiam, quia exceptio delicti ab ſpoliatore oppoſiti, regulariter non impedit reſtitutionem in ſpolio, *cap.item cùm quis, de reſtit. ſpoliat*. Puteus *deciſ*. 250. *in fine lib*.1. quod maximè procedit, quandò delictum oppoſitum non inducit vacationem ipſo iure. Abbas *in dicto cap. cùm noſtris*, *n*.23. quale eſt homicidium, Decius *conſ*.166. incip. *Ego Philippus, num*.2. Franciſcus Marius *deciſione Delphinal*. 398. incip. *Quæritur an homicida, part*.2.& Bernardinus Diaz *in pract. canonic.cap*.94. *num*.2. vbi latè Salzedus. 4. 5.

Minus obſtabat exceptio non promotionis infra annum,* iuxta *cap.licèt canon. de elect.lib*.6. quoniam non propterea poterat Epiſcopus, Matthæo non citato, † & audito, alium in poſſeſſionem Parochialis inducere. *cap.licèt Epiſcopus,de præben.lib*.6. vbi gloſſ.*in verb. te non vocato*. Oldradus *conſil*.227. incip.*De toto,num*.2. Maximè cùm Matthæus legitimam excuſationem,ſeu impedimentum,aut non promouendi licentiam, proponere potuiſſet,qua durante,non tenebatur infra annum promoueri. Rota *deciſ*.38.*de præben. in antiq*. 6.

* adde Rot. diuer.part.3. lib. 3. deciſ. 167. quæ loquitur in fortioribus terminis, & de hoc artic. vide ſuprà dec.594.ferè per totam.

† adde Rot. diuer.part.3. lib. 3. deciſ. 1087. & fuit dictũ in vna Bracharen, Archidiaconatus 31. Martij 1529. coram Cocc. Decano.

Rurſus, non obſtabat defectus Clericatus, ſiue quòd Matthæus eſſet laicus, quia neque id probabatur ex ſua confeſſione, † neque ſententiæ contra eum latæ fundabantur in hoc capite; vltra quòd multa hîc concurrebant, qui clericatum indicare videbantur, primò factum Epiſcopi Poſnanien.qui Matthæo tanquam Clerico contulerat*hanc Parochialem,& ipſe illius poſſeſſionem fuerat adeptus.

* adde ſuprà dec.50. n.9. & Rot.diuer. p.3.lib.3.deciſ.866. ferè per totam, & præcipuè n.3.

† quod requiritur ad effectum, vt exceptio impediat iudicium ſpolij, Seraph. dec. 448.n.3.Rota recen. p.2. dec.741.n.5.

Secundum,quia diuerſi Epiſcopi,diuerſis temporibus, eidem Matthæo, tanquam Clerico enuntiabantur, feciſſe diuerſas collationes.

Poſtremum, quia aliqui teſtes deponebant, Matthæum deputatum fuiſſe Clericum.

Denique, nuſquam apparebat, quòd Matthæus fuiſſet concubinarius.

Et cùm iſta omnia reſpicerent petitorium, in primis fuerat reſtituendus, † & conſequenter meritò. Rota cenſuit, ſententias contra ipſum latas, fuiſſe reuocandas.

* & non eſt præſumendum, Epiſcopum admittere aliquem ad beneficium ſine requiſitis, vt per Ludouiſ. dec.57.n.7.

† adde Lud. dec.500.n.9.

*Regien.*



## *Regien. Prioratus.*

### Die Lunæ 19. Ianuarij 1598.

#### SVMMARIVM.

2 *Alimenta ſunt præſtanda patrono ex beneficio, quando ad inopiam vergit.*
3 *Paupertas patroni ſufficit, ad conſequendum alimenta ex beneficio.*
4 *Penuriam habere dicitur, quando non poteſt quis ſeſe commodè ſuſtentare.*
6 *Inops dicitur,qui nihil habet, pauper verò qui aliquid, quod intellige, vt num*.7.
8 *Egeſtas ſumma non requiritur in patrono, vt poſſit conſequi alimenta, ex beneficio, num*. 11. 12.& 13.

## DECISIO DCLX.

1. PRopter deciſionem in hac cauſa, coram me factam die 15.Iulij 1596.* in qua fuerat dictum, quòd ad effectum vt patronus conſequi poſſit alimenta ab Eccleſia, quam ipſe, vel ſui maiores fundarunt,& dotarunt, ſufficiat probare talem paupertatem, quæ conſideratis circunſtantiis locorum,perſonarum,& rerum ſuadeat, illum indigere, nec requiri ſummam egeſtatem, informantes pro Camillo Boſio contrarium prætendentes, obtinuerunt diſputari dubium, quæ, aut qualis egeſtas requiratur ad dictum effectum conſequendi alimenta ab Eccleſia.

* ſuprà deciſ.541.

Et vtraque parte informante, Rota cenſuit, non requiri ſummam egeſtatem, * ſed ſufficere, quòd Patronus vergat ad inopiam, & ideo ſtandum fuiſſe in deciſis.

* adde Rot. rec.p.2. dec. 554.n.1.& 2.

2. Ratio potiſſima fuit, quia iura de hac materia loquentia *in cap. quicunque* 16. *quæſt*. 7. & *in cap. nobis, in fine, de iurepatronat*. non expreſſerunt, requiri ſummam egeſtatem, quinimo *in dicto cap.nobis*, ſolùm diſponitur,tunc locum eſſe præſtationi alimentorum, quando Patronus ad inopiam vergit: quæ verba propriè intelliguntur, ſi Patronus incipiat effici inops, & conſequenter repugnant ſummæ egeſtati,vt bene conſiderauit Ioannes Nicolaus Delphinus *tract. de iure patronatus, lib*.2. *num*.119.

3. Et in terminis, quòd ſufficiat paupertas, ſeu inopia ſimpliciter (quæ tunc contingit, quando patronus ex propriis facultatibus, vel ex arte, & induſtria non poteſt ſuis neceſſitatibus ſubuenire) voluerunt Abbas *in dicto cap. nobis num. 6*. Paulus de Citadinis *tractatu de iure patronatus, part.6. art. 4. num*. 6. Lambertinus *eodem tractat. lib*.3. *quæſt.3. principali, art*.3. *num*. 4. & 5. Ioannes Nicolaus Delphinus *præcitato loco*, & Gregorius Lopez *in l*.1. *tit*. 15. *partita* 1. *gloſſ*. 1. vbi ait ſufficere, quòd Patronus tendat ad magnam paupertatem, * per gloſſ.*in cap*.1. §.*ſanè, de ſtat. regular. lib*. 6. aſſerentem, tunc quempiam dici venire ad penuriam, quando non poteſt commodè ſuſtentari. 4.

* adde ſuprà dec.541.n.2. & 3.

5. Neque ſupradictis obſtabat gloſſ. *in dicto cap. quicunque, in verb.ad inopiam* 16. *quæſt*.7. quæ requirit ſummam egeſtatem, ad effectum, vt Patronus conſequatur alimenta ab Eccleſia, quoniam reſpondebatur, Dominis magis placuiſſe opinionem contrariam,tanquam magis æquam, & magis conformem ſacris canonibus, & Doctorum placitis, vt paulo pòſt dicetur.

Rurſus, non obſtabat diſpoſitio fundatoris, qui expreſsè ann. 1170. teſtamento cauerat, vt ſi ſui ſucceſſores venirent ad inopiam, ab Eccleſia reciperentur, & ſuſtentarentur, & conſequenter illum voluiſſe non aliter alimenta præſtari debere niſi patroni venirent ad inopiam, id eſt, ad ſummam egeſtatem, cùm inops dicatur, qui nihil habet, & pauper, qui parum habet, vt voluit Archidiaconus *in cap.quo iure* 8. *diſtinct*. & alij in hac cauſa allegati in dicta deciſione facta die 1.Iulij 1596. 6.

Quoniam reſpondebatur, iſtam differentiam inter inopiam,& paupertatem non videri de iure veram, quinimo, tanquam ſynonyma ſæpe confundi, & vnum pro alio accipi, *l.ſi Procuratorem*. §.*ſi ignorantes, ff.mandati. l. ſi creditores*. §. *fin. ff.de priuileg. credit*. per quæ iura, dictam differentiam reprobarunt Alexander *in l, ſi conſtante, num*.15. *ff.ſolut. matrim*. & *ibi* Iaſon *num*. 144. idem Alexander *in l.ſi verò.§.quod pro rei,num*.10. *ff.qui ſatisdare cogantur*, idem Iaſon *in l. ſi quis ab arbitro num*.14. *ff.eodem*, Decius *in cap.quæ in Eccleſiarum, num*. 15. *de conſtit*. & *in cap.ex ratione, num*.20.& 22. *de appell*.& Franciſcus Marcus *deciſ*.805. *num*.3. *part*.2. 7.

Minus quoque obſtabat prætenſa communis opinio, pro Camillo Boſio allegata; quia inſpectis ſingulorum Doctorum ſententiis, in contrarium allegatis,non videbatur adeſſe communis opinio,quæ aſſerat,requiri ſummam egeſtatem; nam Baldus *in l. finali. C. de reuocan. donationibus*, ſolùm dicit, patronum qui magnam fecit Eccleſiæ donationem, non qui parum dedit,eſſe alendum, iuxta gloſſ.*in d.cap. quicunque, in verb.aliquid* 16. *quæſt*.7. 8.

Surdus *tract.de alimentis tit*. 1. *quæſt*. 54. opinionem Pauli de Citadinis amplecti videtur, tum quia illam vltimo loco recitat, tum quia addit, ſe extremam inopiam intelligere, non quia aliter Patronus honeſtè ali non poſſit, ſed etiam, quia non habet alium ſibi ad alimenta obligatum, & conſequenter ſentire videtur,non requiri extremam egeſtatem, ſed ſufficere, quòd alium non habeat ad alimenta obligatum, & non poſſit honeſtam artem exercere. 9.

Corduba *in l.ſi quis à liberis*. §.*ſolent. num*. 20. & *ſequent. ff. de liberis agnoſcen*. ſimpliciter refert gloſſ.*in dicto cap.quicunque* 16. *quæſt*.7. neque diſputat articulum ex profeſſo, quemadmodum Lambertinus, & Paulus de Citadinis, & alij ſuprà allegati. 10.

Atque ex prædictis fuit concluſum, ſummam quidem egeſtatem non requiri, ſed ſatis patronos eſſe adcò pauperes, ſeu inopes, vt ex redditibus, ſeu facultatibus quas habent, ſecundùm conditionem ſuam modeſtè, & condecenter viuere non poſſint. Alexand. *conſil*.223. *num*. 8. *lib*.6. Cornel.Benincaſius *de paupertate, quæſt*. 1. *num*. 40. 11.

Et licèt hoc iudicis arbitrio * remitti ſoleat, vt voluerunt. Couarr.*lib*.2. *variar. reſolut.cap*.6. *num*. 8. & alij relati per Menochium *de arbitrar. caſu* 65. Iudex tamen in hac re, arbitrium regulare debet, conſiderata qualitate perſonæ, an ſit nobilis, vel plebeia, & aliis circunſtantiis. Bartolus *in l. ſi conſtante num*. 14. *ff. ſolut. matrimon*. Albenſis *conſil*.69. *num*. 5. & 6. Franciſcus Mar- 12.

*adde Caualer. dec.220. n.1. & habetur impreſſa penes. Marcheſ.de commiſ.p.1. pag. 543. & vide infrà deciſ. 680. n. 1. & dec.691.n.5.

cus *dicta deciſ.* 805. *num.* 1. Benincaſius *de paupertate quæſt.* 6. *num.* 26. Rota *in vna Romana portionis hæreditatis*, die 5. Maij 1574. coram bon. mem. Cæſare de Graſſis. *

*habetur deciſ. 202. p. 2. in impreſſis diuerſor.

Item conſideratis facultatibus Eccleſiæ donatis, nam ſi parum quis Eccleſiæ dedit, non poterit ea prætendere, quæ potuiſſet ſi multum
13. dediſſet. gloſſ. *in d. c. quicunque* 16. *quæſt.* 7. *in verb. aliquid*, vbi Doctores, & gloſſ. *in d. c. nobis, in verb. modeſtè, de iurepatronatus*, vbi Canoniſtæ.

## *Burgen. Abbatiæ de Sobarzo.*

### Die Veneris 23. Ianuarij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Præſentari poſſunt ad beneficium pueri, mulieres, & non vxorati.*

3 *Facultatiua, ſi non probetur prohibitio, per non vſum non præiudicant.*

5 *Teſtibus de affirmatiua, magis creditur, quàm de negatina.*

6 *Conſuetudo inductiua vt probetur, debet eſſe cùm contradictione eorum, quibus præiudicatur.*

## DECISIO DCLXI.

1. DAto dubio, quænam obſeruantia probaretur, circa præſentationem ad hanc Abbatiam, illius vacatione occurrente; vtraque parte informante, Rota reſpondit, non probari obſeruantiam, quòd pueri, mulieres, & non coniugati, non haberent vocem: cùm enim Lucas de S. Petro, à præſentatione facta ad fauorem Petri Velez excludere niteretur pueros, mulieres, & non coniugatos, & conſequenter ageret de probanda conſuetudine correctoria iuris communis, cuius diſpoſitione inſpecta, omnes iſti poſſunt præſentare, ſicut poſſunt maiores maſculi, & vxorati. Caſſadorus *deciſ.* 1. *num.* 2.
2. & 3. *de iurepatronat.* Lambertinus *de iurepatron. lib.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 14. *num.* 1. *& ſeq. & lib.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 2. *art.* 9. *num.* 8. Paulus de Cittadinis *eod. tract. part.* 9. *quæſt.* 1. *princip. num.* 3. *ampliatione* 3. concludenter, & plenè eam probare tenebatur, nec ſufficiebat probare nudum factum, quod ſupradictæ perſonæ, occurrente vacatione,
3. non præſenrauerint, ſed quòd volentes præſentare, fuerint prohibiti, * & alij priuatiuè quoad iſtos præſentauerint, iuxta *conſil.* Abbatis 54. *num.* 3. *part.* 1.

* & facultatiuo actu nō poteſt fieri fundamentum niſi cum cōtradictione acquirentis, & tolerantia alterius, vt ſuprà dec. 408. n. 7. & Lud. deciſ. 162. n. 10. & 11. & latè annot. n. 16.

Talis autem concludens probatio non adducebatur, quia teſtes (quoniam dicta latè expendebantur per informantes,) in ſumma hoc tantùm dicebant, quòd in vltima præſentatione ſupradictæ perſonæ non interuenerant, & quòd nunquam viderant, vel audiuerant dici, quòd præſentaſſent, ſed an fuerint excluſæ à præſentatione, nullus ex teſtibus ſciebat, quinimò interrogati dicebant, ſe ignorare, quòd non ſuf-
4. ficiebat ad prædictam conſuetudinem plenè
5. probandam, maximè cùm in contrarium adeſſent teſtes de affirmatiua teſtificantes, quòd omnes deſcripti in memoriali, inter quos numerabantur pueri, mulieres, & non coniugati, communiter reputabantur pro veris patronis, quibus tanquam affirmantibus, * conformia iuri communi deponentibus, magis credendum erat. Gabriel. *tit. de teſtib. concluſ.* 4. *num.* 1. & 26.

* adde ſuprà dec. 206. n. 2. & 370. n. 6. & infrà deciſ. 818. n. 4.

Denique, ad effectum excludendi fœminas, pueros, & non coniugatos ab iſto iure præſentandi, non ſufficiebat obſeruantia interpretatiua ex prædictis: conſuetudo autem inductiua non concurrebat, cùm debuiſſet probari cum contradictione eorum, quibus præiudicatur. Ripa *reſponſ.* 4. *circa fin. C. de diuerſ. reſcript.* & fuit reſolutum in cauſa Romana Eſtitij extimatoriatus die 9. Octobr. 1580. coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore. 6.

## *Vercellen. Canonicatus.*

### Die Veneris 23. Ianuarij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Litteræ patentes Epiſcopi, probant Clericatum.*

3 *Origo alicuius probatur per teſtes, de voce, & fama publica.*

4 *Præſentia alicuius in loco probatur per teſtes ſingulares.*

## DECISIO DCLXII.

VTraque parte informante, Rota cenſuit, 1.
gratiam Michaëlis Belletiæ in omnibus fuiſſe iuſtificatam, præterquam, quoad valorem Canonicatus, & annexorum: nam primò de legitimitate, & Clericatu ipſius conſtabat, 2.
ex litteris patentibus * ſui Epiſcopi, cui creditur in his, quæ ſpectant ad ſuum officium, Rota *deciſ.* 11. *num.* 2. *de iure patronat. in nouis*, & fuit deciſum *in vna Leodien. Canonicatus*, die 26. Februarij 1597. coram R. P. Domino meo Giptio.

* adde ſuprà dec. 477. n. 6. & deciſ. 653. n. 6. vbi alias deciſ. annotaui.

De origine eius, ex diœceſi Taurinenſi, te- 3.
ſtificabantur aliquot teſtes * de publica voce, & fama, & communi reputatione, per quam probatur origo, Angelus *conſil.* 194. incip. *Viſis proceſſibus*, *numer.* 1. Boërius *deciſione* 13. *num.* 16.

* adde Dur. deciſ. 263. n. 18. & Mantic. dec. 132. n. 6. & infrà dec. 806. n. 9.

De narratiua vacationis, in menſe Maij, ſiue de reſeruatione Canonicatus, conſtabat ex deciſione in hac cauſa facta, die 17. Octobris 1597. *

* ſuprà deciſ. 635.

Quòd Belletia eſſet præſens in Curia, menſe
Auguſti 1596. probabant duo teſtes, vnus de 4.
viſu, & alter de auditu à pluribus, quæ probatio putata fuit ſufficiens, quia præſentia alicuius in loco, † per teſtes ſingulares probatur, Gabriel. *tit. de teſtib. concluſ.* 2. *num.* 55.

† & per coniecturas Coc. dec. 487. n. 4. Dur. in d. deciſ. 263. n. 19.

Valorem autem Canonicatus, & annexorum non probabant teſtes pro Belletia examinati, vt bene deducebant informantes, pro Modena.

*Romana*



## *Romana de Cecchinis.*

### Die Lunæ 26. Ianuarij 1598.

SVMMARIVM.

5 *Alienare vbi quis prohibetur, & iam prohibetur actum facere, per quem alienatio ſequi poſſet.*

6 *Contractus pro parte acceptari poteſt, & pro parte non.*

## DECISIO DCLXIII.

1. IN hac cauſa, quam vna tantùm parte informante propoſui, & Domini remiſerunt ad piſces, ex his, quæ deducebantur pro parte creditorum, tria potiſſimum dubia oriebantur, & ex illis pullulabat alia.

Primum erat, an donatio facta inter Simonem & domitium de Cecchinis, veniet reſcindenda.

Pro cuius declaratione videbatur primò inquirendum, an bona donata ſubiacerent diſpoſitioni Dominici ſenioris de Cecchinis, primò fideicommittentis, & vtrùm in toto, vel in
2. parte.

Alterum erat, an in aliqua parte ſubiacerent diſpoſitioni Domitij, ſecundò fideicommittentis, cùm fieri poſſet, quòd bona vinculata per Domitium, non forent illa, quæ priùs vinculauerat Dominicus, vel Domitius alia bona habue-
3. rit, quæ, vt ſibi placuerat, potuerat vinculare.

Tertium erat, an in aliqua parte ſubiacerent diſpoſitioni Ioannis Baptiſtæ, cùm ipſe quoque potuerit alia bona habere, præter vinculara à
4. Dominico, & Domitio, de quibus Ioannes Baptiſta potuerat arbitrio ſuo diſponere. Dato autem, quòd alia bona non habuerit præter vinculata à Dominico, & Domitio, videndum rurſus erat, an potuit duriori fideicommiſſo illa ſupponere, in præiudicium deſcendentium, pro vt fe-
5. ciſſe videtur.

Quibus firmatis videndum erat, an donatio *(de qua agebatur) potuerit in præiudicium aliorum vocatorum, ex dictis fideicommiſſis fieri, ita vt ſaltem vita donantis durante valuerit, vel potiùs, an eo ipſo fuerit factus locus fideicommiſſo prædictorum teſtantium, ad fauorem prædictorum vocatorum.

* & pro reſolutione vide dec. 480. p. 1 diu. & infrà dec. 676.

Et eo firmato quòd valuerit, vita donantis durante, poterit videri, an creditores Domitij, ex eo quòd etiam ſunt creditores Iulij, qui decoctus eſt, & qui eſt de vocatis in dictis fideicommiſſis, poſſint ſaltem ex perſona Iulij prætendere reuocationem alienationis factam, mediante dicta donatione, quatenus concernit præiudicium Iulij vocati, & conſequenter præiudicium creditorum Iulij.

6. Eſſet inſuper videndum, an ex quo filij Domitij donatarij nituntur hac donatione, cuius contemplatione donatarius aſſumpſit in ſe onus ſoluens debita donantis, teneantur ipſi ad ſolutionem eorum, cùm pro parte acceptari non poſſit contractus & pro parte non, & res regulariter tranſire debeat cum ſua cauſa, & onere, vel ſaltem ex eo teneantur ad dicta debita donantis, quòd ſunt illius hæredes, & ſimul hæredes donatarij, ſintque etiam ipſi donatarij, cùm facta fuerit dicta donatio Domitio, & filiis illius, fueritque eorum nomine acceptata, & ipſi hodie ea nitantur.

Illud verò dubium, reſpectu officij empti à Domitio, in caput Franciſci filij, reſeruata tamen ſibi facultate, fructus percipiendi, ac de illis ad libitum diſponendi.

Aliquibus ex Dominis videbatur facilè, quia officium reſpéctu dominij vtilis, fuit acquiſitum Domitio; & perſona Franciſci filij ſolùm fuit nominata, in dicta acquiſitione, pro periculo vitæ, & conſequenter, officium videbatur potuiſſe obligari creditoribus Domitij, nec morte Domitij videbatur acquiſitum Franciſco, ſed remanſiſſe in hæreditate, & bonis Domitij, ſuper periculo tamen vitæ Franciſci, ſicut emptum fuerat, quod bene probare videbantur deciſiones allegatæ per informantes pro creditoribus.

## *Bononien. fideicommiſſi de S. Petro.*

### Die Veneris 3. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Identitas fundi, vel domus, probatur per teſtamentum, & num. 4.*

3 *Domus, vel fundi identitas probatur, per confrontationes, & denominationes.*

## DECISIO DCLXIV.

VNa tantùm parte informante Rota cen- 1.
ſuit, conſtare de identitate dimidiæ partis domus ſitæ in Capella Sancti Ioannis in Monte, in contrada Caſtillionis, iuxta flumen Apoſæ, & vias publicas, & Thadeum, vel hæredes Thadei, & ſimiliter de identitate creditorum Theſaurariæ: nam licèt informantes pro Domina Virginia Coſpia hoc concederent Dominis de S. Petro, ipſi nihilominus ſuper ea re deciſionem habere voluerunt.

Identitas itaque præfatæ domus, quòd fuerit 2.
in hæreditate Marci de S. Petro, probabatur ex teſtamento eiuſdem Marci, & ex contrada. Aretinus *conſil.* 103. *num.* 3. *verſ. idem videtur dicendum*, Siluanus *conſil.* 57. *num.* 36. & fuit dictum *in cauſa Bononien. de Felicinis*, die 10. Maij 1596. coram me. *

* ſuprà dec. 516. n. 3.

Item ex laudo, ex tribus alienationibus, in 3.
quibus denominabatur domus poſita in contrada Caſtillionis, in Capella Sancti Ioannis in monte iuxta Apoſam, & viam publicam, & ex inuentario † bonorum Marci confecto per Dominam Virginiam, in quo ponebatur domus in 4.
contrada Caſtillionis, in Capella S. Ioannis in monte, nam cùm conueniret denominatio contradæ, & Capellæ, identitas remanet probata. * Corneus *conſil.* 280. *num.* 5. *lib.* 3. Aretinus *dicto conſil.* 103. *numer.* 3. Siluianus *conſil.* 52. *num.* 36.

† adde ſuprà dec. 500. n. 2.

* quæ probatur ex duabus demonſtrationibus, vt ſuprà deciſ. 573. n. 2. & 3. vbi annotaui alias dec. & in emphyteuſi ex vnica, vt ſuprà dec. 263. n. 3. & deciſ. 516. n. 5.

Identitas creditorum Theſaurariæ, librarum 312. & quòd fuerint in bonis Marci, apparebat primò ex diſpoſitione facta in teſtamento Marci, Natta *conſil.* 235. *num.* 12. *lib.* 2. Item ex libro Comploni, eiuſdem Theſaurariæ: ex quo probatur

batur dominium contra Theſaurariam. Alexander *conſil.*10.*num.*6.*lib.*4. Iaſon *in l.decem num.*36. *ff.de verb.obligat.* Hieronymus de Monte *tractatu de finibus cap.*64. *num.*6.

5. Eadem verò credita perueniſſe ad ſucceſſores Marci vſque ad Marium, & Virginiam, apparebat ex eodem Camplono, & inuentario bonorum Marci.

Neque obſtabat, quòd prædictæ libræ 312. deſcriberentur ſub nomine diuerſorum, [nam cùm illa diſtributio fuerit facta ab eodem Mario, ex eo, quòd cùm quilibet creditor haberet ſuffragia in creatione Theſaurarij, ipſe haberet plura ſuffragia, & non ob aliam cauſam, propter talem diuiſionem, non excludebatur probatio identitatis. Natta *d. conſil.* 235. *num.* 15. Decius *conſ.*109.*num.*3. & fuit dictum coram me *in cauſa*
* ſuprà dec. 500.n.5. *Bononien. de Felicinis*, die 16. Februarij 1596. *

Quantum ad identitatem tertiæ partis Molendini, Domini dixerunt, quòd expectaretur finis dilationis.

---

## *Spoletana dotis.*

### Die Veneris 3. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Conſuetudo patriæ ſemper eſt obſeruanda in ſolutione dotium mulierum.*

4 *Monaſterium eſt tutior locus, ad cuſtodiendam puellam, donec matrimonio tradatur.*

### DECISIO DCLXV.

1. ROta cenſuit, dotem duorum millium Baldinæ ſoluendam, cum aliqua dilatione, iuxta patriæ conſuetudinem, ſicut continebatur in ſententia, in hac cauſa lata, quòd inſpecta qualitate perſonarum, & aliis circunſtantiis in hac facti ſpecie, Domini ſic declararunt, vt in principio cuiuſlibet anni quadringenta ſoluerentur, vſque ad integram ſolutionem, idque in mone-
*adde Lud. dec.63.n.10. & 11. & Mantic. dec.329. num.8. ta argentea, tum quia patriæ conſuetudo,* quæ in hoc attendi debet. Decius *conſil.* 26. *num.* 4. Ruinus *conſil.*56. *num.* 18. *& conſil.* 152. *num.* 5. *lib.* 5. Crauetta *conſil.* 226. *num.* 3. talis eſſe vi-
2. debatur.

3. Quantum ad arredium, licèt Rota cenſuerit, danda Baldinæ ſcuta 2000. pro omni, & toto eo, quod à Franciſco Pariano auo, eiuſque hæredibus, prætendere poterat, & conſequenter, ſub huiuſmodi generalitate comprehenderetur etiam prætenſio arredij, Socinus iunior *conſil.*122. *num.*21. *lib.*2. Gabriel *tit. de legitima, concluſ.*8. *num.* 14. nihilominus tamen, quia ex patriæ conſuetudine, arredium dari ſolere apparebat, & iuxta pàtriæ conſuetudinem, dandum dixerunt, Alexander *conſil.*75. *num.* 10. *lib.*5. Theſaurus *deciſ.* 195. *num.*5. *verſ.tertiò moneor.* Domini conſiderata dotis magnitudine, quinquaginta ſcuta pro arredio, & fructibus dotis non ſolutis, ſemel tantùm præſtari Baldinæ voluerunt.

4. Eamque de Monaſterio, in quo erat, educendam in actu celebrationis matrimonij per verba
*adde ſuprà dec.497.n.5. de præſenti, cùm donec marito puella tradatur, non poſſit reperiri tutior * locus ad puellas honeſtè cuſtodiendas, quàm Monaſterium. Gabriel *conſil.*23. *num.*18. *lib.*1.

---

## *Carthaginen. penſionis.*

### Die Veneris 10. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione ſunt conferenda.*

3 *Penſionarius tenetur iuſtificare narrata ſuæ reſeruationis, præcipuè in eo, qui non conſentit penſioni, num.*4.

5 *Penſionario poteſt opponi de nullitate penſionis, etiam ſi ſit in quaſi poſſeſſione, exigendi.*

6 *Titulari incumbit onus probandi nullitatem penſionis, quando penſionarius exiſtit in quaſi poſſeſſione exigendi, ſi agatur in indicio poſſeſſorio.*

7 *Penſionario incumbit onus probandi, ſi agatur iudicio petitorio, & titularis opponat de nullitate.*

8 *Valor verus in reſeruatione penſionis, non eſt neceſſariò exprimendus.*

### DECISIO DCLXVI.

IN hac cauſa, in qua procedebatur per Audientiam contradictarum, Rota cenſuit, tanquam 1.
iuſtam, confirmandam ſententiam Epiſcopi Carthaginen. latam ad fauorem Don Ferdinandi de Foces, Canonici Eccleſiæ Carthaginen. per quam Epiſcopus liberauit Ferdinandum à ſolutione penſionis 300. ducat. reſeruatæ Don Emanueli Enriquez, ſuper fructibus Canonicatus, & præbendæ pœnitentiarij officio Eccleſiæ Carthaginen. vnitorum, niſi Emanuel iuſtificaret gratiam ſuam; cùm enim titulari aſſiſtat diſpoſitio iuris communis, iubentis Eccle- *adde ſuprà dec.569.n.2. & 3.
ſiaſtica beneficia * ſine diminutione conferri, *tit. & cap.*1. *vt Eccleſ. benef. ſine diminutione conferant.* & *ibi* communiter Canoniſtæ, & conſe- 2.
quenter, habeat fundatam intentionem in li- 3.
bertate beneficij, ſufficit ſibi allegare nullitatem penſionis, & penſionarius debet iuſtificare narrata in litteris ſuæ reſeruationis, vt ſæpe Rota decreuit, & ſignanter *in vna Paduana penſionis*, die 16. Decembr. ann. 1579. coram bon. mem. Domino de Rubeis, *& in Salamantina penſionis*, die 16. Decembr. ann. 1589. coram bon. mem. Domino de Bubalis, *& in Vercellen. penſionis*, die 26. Iunij ann. 1592. coram Illuſtriſſimo Mantica,* *& in alia Salamantina penſionis*, die 26. Martij anno 1593. coram R.P.D. meo Gyptio. *habetur in impreſ. Mantic. dec.196. & fuit dictũ in vna Rauennaten. penſionis 28. Iunij 1598. coram Litta impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag.614.

Quod procedit ſine difficultate in eo, qui non 4.
conſenſit reſeruationi penſionis, †vt in caſu propoſito, in quo non Don Ferdinandus, ſed ſuus Prædeceſſor, ei prætendebatur conſenſiſſe. † adde infrà dec.752.n.2. & deciſ.964. n.3. & Seraphin. deciſ. 1122.n.1.

Et huic receptæ Rotæ ſententiæ conſentit ſtylus ſignaturæ; vbi frequentiſſimè conceduntur reſcripta, ſuper nullitatibus penſionum, cum clauſula, *non retardata ſolutione.* Nam quamuis 5.
penſionarius ſit in quaſi poſſeſſione * exigendi, poteſt titularis ſoluendo penſionem, opponere nullitatem, & niſi penſionarius iuſtificet gratiam ſuæ reſeruationis, penſio pronuntiabitur nulla, & poſt cauſam legitimè terminatam, titularis non tenebitur ampliùs ad ſolutionem. *adde Rot. in vna Paduana penſionis 16. Decembr. 1579. corã Rubeo impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag.513.

Rota



*adde Rot. in vna Salamantina pẽſionis 26. Martij 1593. corã Giptio quæ habetur penes Marcheſ. de commiſſ. p.1. pag. 526. licèt illam annotet coram Mantica, nam in eius impreſſ. non reperitur, & reperitur allegata in dicta Rauenaten.

Rota enim in hac materia * duos caſus diſtinguere cenſuit, iuxta duo iudicia, poſſeſſorium ſcilicet, & petitorium, quæ circa ſolutionem, vel non ſolutionem penſionum, ſolent intentari.

Primus caſus eſt, quando agitur iudicio poſſeſſorio, † & tunc onus probandi incumbit titulari, quia quaſi poſſeſſio releuat penſionarium ab onere probandi, cùm non teneatur exprimere cauſam ſuæ poſſeſſionis, ideoque debet in ea manuteneri,* donec contra eum ſit in petitorio pronuntiatum. Abbas *in cap. querelam num.* 2. *de elect.* Ruinus *conſil.*154. *num.*4. *verſ. ſicut ergo, lib.*4. & notat gloſſ. per illum textum *in l. ſicut autem.* §. *ſed ſi quæritur*, vbi Paulus de Caſtro *num.*9. *ff. ſi ſeruit. vendicetur.*

6. Secundus caſus eſt, quando agitur iudicio petitorio, & titularis negat ſe debere penſionem,
†adde annotationem ad dec.57. Lud. vbi plura tradit ad materiam à n. 11. vſque in finem. quia dicit penſionis reſeruationem fuiſſe nullam, vel aliàs prætendit fuiſſe extinctam, & conſequenter non teneri ad eius ſolutionem; & tunc onus probandi incumbit penſionario, † quia cùm agitur ſuper proprietate iuris percipiendi, cauſa exprimi debet ab eo, qui dicit ſibi penſio-
*adde ſuprà dec.214.n.3. nem deberi: nec quaſi poſſeſſio exigendi penſionem releuat, ab onere probandi. Abbas *in dicto*
7. *cap. querelam*, *num.*2. *de elect* gloſſ. & Paulus de
†adde Cocc. dec.40. n. 6. & dictam Salamantinam penſionis proximè allegatam, coram Gyptio n. 2. Caſtro *num.*8. *& 9. in d.l. ſicut autem*, §. *ſed ſi quæritur. ff. ſi ſeruit. vendicetur*, & Ruinus *d.conſ.*154. *num.*4. *lib.*4.

Neque prædictis obſtabat deciſio Veralli 299. incip. *Penſionem reſeruatam, part.*2. vbi ait, Re-
8. ctori, ſeu titulari infringere volenti penſionem, reſeruatam ſuper beneficio, ex eo quòd excedit fructuum medietatem, incumbere onus probandi exceſſum, quia procedit, vbi quis agit ad nullitatem penſionis, propter non expreſſionem veri valoris, factam in regreſſu, quia hoc caſu tenetur probare exceſſum valoris expreſſi: nam cùm in reſeruatione penſionis non requiratur expreſſio valoris beneficij, ſuper quo eſt impoſita penſio, agens ad illius nullitatem, ob non expreſſionem veri valoris, factam in gratia regreſſus, tenetur probare valorem beneficij: nec penſionarius tenetur iuſtificare dictum valorem; quia (vt dictum eſt) in reſeruatione penſionis non eſt neceſſaria expreſſio veri valoris, niſi tantùm in regreſſu, ob non ſolutionem penſionis, & ſic intellexit, & declarauit Rota, dictam deciſionem Veralli *in dicta cauſa Salamantina penſionis*, coram bon. mem. D. Bubalo die 16. Decembr. ann. 1589.

---

## *Placentina liquidationis.*

### Die Veneris 17. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Inſtrumentum publicum, probationem probatam continere dicitur.*

### DECISIO DCLXVII.

1. COndemnato Vlyſſe Blanco, in fructibus perceptis à die intruſionis, in qua permanſerat, à die 24. Septembr. 1591. vſque ad menſem Iunium ann. 1593. vt patebat ex inſtrumento ſuæ



poſſeſſionis, & inſtrumento appoſitionis ſequeſtri, die 11. menſis dicti Iunij, in quo aderat decretum, quòd Vlyſſes in poſſeſſione exiſtens, inde amoueretur, & expelleretur, ſolo Martinello informante, dubitaui ad quam ſummam fructus forent liquidandi, & Doctores iuxta inſtrumenta perceptionum, de quibus in actis, liquidationem faciendam pronuntiarunt *in lib.* 903. *f.* 5. 2.
quoniam inſtrumenta publica * probationem probatam continere dicuntur. Gratus *conſ.* 122. *num.*7. *lib.*2. Decianus *conſ.*66. *n.*59. *lib.*3. Alexand. *conſ.*37. *num.*16. *lib.*2. *adde infrà dec.771. n 3. & 780. n. 3. & 811. n. 8. & 839. n. 7. & 877. n. 3. & aliàs ſæpe.

---

## *Romana cenſus.*

### Die Veneris 17. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2.3 *Obligatio de liberando, & faciendo conſentire omnem perſonam, intelligitur dummodo non patiatur detrimentum is, in cuius fauorem eſt facta, & num.*5.

4 *Cenſus ſi imponatur cum clauſula, quòd hypotheca non eſt alijs cenſibus grauata, & ille ſuſtineri non poſſit, dabitur mandatum ad recuperandam ſortem.*

### DECISIO DCLXVIII.

* CVm anno 1584. D. Cæſar Cincius impo- 1.
ſuiſſet annuum cenſum ſcutor. 214. pro pretio ſcut. 3300. ſuper caſali Falcoguiano, rublorum 300. excedente valorem ſcutorum 30. m. illumque vendidiſſet D. Horatio Bartolano cum aſſertione, quòd caſale prædictum pleno iure ad ſe pertinebat, fuiſſetque liberum ab omni alio cenſu, canone, & reſponſione, & ab omni onere impediendi hanc cenſus impoſitionem, & venditionem; & quòd in eam, tanquam validam faceret conſentire omnes perſonas, ius habentes, aut quomodolibet habere apparentes ſuper dicto caſali, & anno mox ſequenti, Bartolanus cognouiſſet caſale fuiſſe multis aliis perſonis obligatum, conuenit Cæſarem, coram A.C. prætendens, illum cogendum ad faciendum conſentire D. Iuſtinianam vxorem ſuam, nec non fratres, & filios, & alias perſonas habentes priora iura, ſuper dicto caſali, aliàs relaxari mandatum pro recuperanda ſorte principali; cùm verò D. Cæſar, prædictas perſonas non feciſſet conſentire, & A. C. contra ipſum mandatum executiuum, pro ſorte principali relaxaſſet, & Cæſar appellaſſet, propoſito dubio in Rota, an prædictum mandatum executiuum A. C. eſſet exequendum, Domini negatiuè non eſſe exequendum reſponderunt, nam cùm caſale excederet valorem 30. m. ſcutorum, & omnes obligationes, & onera, quibus erat ſubiectum, non conſumerent * tot valoris partes, vt non eſſet relictus locus prædicto cenſui, non erat deueniendum ad actum reſtitutionis ſortis principalis, cùm 2.
Bartolanus emptor cenſus, † non pateretur aliquod damnum, vt fuit deciſum *in cauſa Romana Palatij*, die 7. Maij 1590. coram bon. mem. Bubalo, *& in cauſa Auximana bonorum*, die 2. Iunij 1595. coram D. meo Mellino, *& in cauſa Romana*

*habetur hæc dec. impreſſa per Farin. poſt tomum 2. conſ. deciſ. 126. & per Cencium poſt tract. de cenſibus dec. 56. licèt malè annotetur de ann. 1600.

*adde Rot. in vna Romana cenſus de Palutij 20. Nouemb. 1600. coram Sacrato impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag.864. vbi n. 2. ad propoſitum allegat hanc dec. licèt illam inſcribat de anno 1600. & ſimiliter apud Rot. rec. p.1. dec.559. n.9.

† adde Lud. dec.295. n.3. & latè annotata n. 5. vbi cum aliis ad propoſitum allegat hanc deciſ.

*mana non adimplementi*, die 17. Nouembr. 1597. coram R.P.D.meo Decano.*

* in impreſſ. Seraph. dec. 1243. n.5. & adde ſuprà dec.532.

Non obſtabant clauſulæ, in inſtrumento venditionis cenſus appoſitæ, quas longo ſermone ponderabant informantes pro Bartolano, quia
3. omnes reſtringuntur ad intereſſe reale ipſius emptoris cenſus. Baldus *in l.ex his prædijs, num.*4. *C. de euict.* vnde cùm ex deductis pro parte Bartolani emptoris cenſus, nondum conſtaret, prædictum caſale fuiſſe tot obligationibus obno-
4. xium, & hypothecis grauatum, & huius cenſus impoſitio ſuſtineri non poſſet, non erat locus executioni dicti mandati.

5. Minus obſtabat obligatio, ſeu promiſſio de faciendo † conſentire omnem perſonam, iuxta gloſſam *in l.qui rem,* vbi Baldus *num.*1. *C. de euiction.* quia idem Baldus *ibidem num.*4. reſpondit, hoc procedere dummodo emptoris interſit, vnde cùm ex ſupradictis conſtaret, nullum verſari damnum Bartolani, ceſſabat obiectio. & ſic etiam reſpondet Rota *in dicta cauſa* * *Romana, non adimplementi.*

† promittens factum alienum quando teneatur, vide per Caualer.dec.64.& latè annota. ad dec.241. Lud. n. 7. & ſeq.

* apud Seraphin.in d.deciſ.1243.n.5.

Poſtremò non obſtabat, quòd Cæſar aſſeruerit, caſale eſſe liberum, & tamen repertum fuit aliis obligatum, & conſequenter, obſtare exceptionem periurij. *l. ſi quis maior, C. de tranſactionib.*

Quia reſpondebatur, hoc procedere, quando promiſſio eſt doloſa, † & alteri præiudicialis. Caſſadorus *deciſ.2.num.*7. *de iureiurando,* & conſequenter ceſſabat deciſio *in cauſa Romana cenſus*, coram R. P. D. meo Decano die 15. Martij ann.1577.*

† adde infrà dec.810.n.6. & Ludou.deciſ.505. n.4. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

* in impreſſ. Seraphin.deciſ.321. n. 9. & 10.& vide ſuprà deciſ. 532.

## *Valentina beneficij de Ontinent.*

### Die Lunæ 20. Aprilis 1598.

### SVMMARIVM.

2 *Patroni habent quadrimeſtre, ad contradicendum permutationi, vel reſignationi beneficij patronatus.*

4 *Tempus contradicendi patronis competens non currit ante reſignationem, & à die ſcientiæ eius.*

5 *Præſentandi tempus non currit patronis, niſi ſecuta vacatione, & à die ſcientia.*

## DECISIO DCLXIX.

1. ROta cenſuit, Ioannem Pla, huius beneficij patronum, legitimo tempore contradixiſſe, quoniam admiſſio reſignationis, de qua agebatur, erat ſub data Idibus Aprilis Pontificat. Domini Noſtri Clementis VIII. ann.2. & conſequenter menſe Aprilis ann.1593.

2. Contradictio verò fuit die 28. Iunij eiuſdem anni 1593. & conſequenter intra quadrimeſtre, competens de iure patronis laicis, ad contradicendum permutationibus, vel reſignationibus * factis de beneficiis patronatis, abſque conſenſu patronorum, Felinus *tractatu, quando litteræ Apoſtolicæ noceant patronis Eccleſiarum, num.* 11. *verſ. limitatur decimò,* Couarruuias *in practicis quæſtionib.cap.*36. *num.*9.

* quæ non valent ſine conſenſu patronorum, Rot. rec.p.2. dec.4.n.2.

Non obſtabat, quòd Ioannes Patronus ante dictam reſignationem, illius notitiam habere videretur, vt conſtabat ex mandato, quo vtebatur Conſtantinus ad ſuam prætenſionem probandam; quia reſpondebatur, quòd præterquam quòd mandatum erat generale, nec reſtrictum, ad aliquam reſignationem, tempus contradicendi Patronis competens, non debet currere ante reſignationem, ſed ſolùm poſt reſignationem, 3.
& à die ſcientiæ admiſſionis reſignationis: ſicut nec tempus Patronis competens ad præſentandum currit eiſdem, niſi ſecuta vacatione beneficij iuriſpatronatus, & à die ſcientiæ vacationis. 4.
**cap.quia diuerſitatem, de conceſſ.præben.* Geminianus *conſil.*38. *num.*12. 5.

* & hæc debet eſſe certa & non præſumpta, vt infrà in tom. 2, dec. 1226. n. 2. & 3. & adde Seraph. dec.380.n.1. & 2.Rot.rec. p.2.dec.323. n.2.Caualer. dec.489.n.1. & 2.& annot. ad dec. 177. Lud.n.9.

## *Romana deuolutionis domus.*

### Die Lunæ 20. Aprilis 1598.

### SVMMARIVM.

2 *Alienatio facta ſaluo, & reſeruato conſenſu Domini directi, & non aliàs, valet & præſeruat incurſionem deuolutionis.*

3 *Caducitas non inducitur, ſi Domino directo nullum præiudicium infertur, & num.5.*

4 *Conſenſus Domini requiritur ad venditionem rei in qua eſt impoſitus cenſus.*

6 *Traditione rei vendita, in qua eſt impoſitus cenſus, inducitur caducitas.*

8 *Res vendita, tanquam libera, cùm habeat cenſum, incidit in caducitatem.*

## DECISIO DCLXX.

EMerat D.Andreas Bellius ann.1593. à Ioanne Baptiſta Angelotto, quandam domum liberam, præterquam ab annua reſponſione ſcutorum decem monetæ, cum dimidio ſoluen. Eccleſiæ S.Saluatoris in Campo, cum clauſula, *ſaluo ſemper, & reſeruato conſenſu dictæ Eccleſiæ, & non aliàs,* & cum pacto de retrouendendo, infra triennium proximum. 1. 2.

* adde Seraphin. deciſ. 1063.n.12.

Cum verò Prior, & Monachi dictæ Eccleſiæ ad conſentiendum venditioni, recipiendum laudemium, & canonem aliàs videndum deponi, pro vt depoſitum factum fuit, id facere noluiſſent, & anno 1596. coram Vicario vrbis, ad dimittendam poſſeſſionem dictæ domus, tanquam deuolutæ ob alienationem factam ſine eorum conſenſu, & obitum Ioann.Baptiſtæ emphyteutæ, eundem Andream Bellium conueniſſent, Vicarius declarando, vtile dominium fuiſſe per obitum Ioann.Baptiſtæ conſolidatum cum directo, domum deuolutam ad Eccleſiam, & Monachis reſtituendam pronuntiauit. 3.

Cùm verò cauſa in Rota propoſita quæſiuiſſem, an dicta ſententia eſſet confirmanda, vel infirmanda, Domini conformiter infirmandam cenſuerunt.

Quoniam alienatio facta fuit ſaluo, & reſeruato conſenſu Domini directi, & non aliàs. Curtius ſenior * *conſ.*8.*num.*7. Iulius Clarus *in* §. *emphyteuſis, quæſt.* 13. *verſ. item quæro quid ſi emphyteuſis.* Nam ſtante clauſula, *& non aliàs,* † non inducitur caducitas, cùm Domino directo nullum præiudicium inferatur, Ripa *in c.cùm M.Ferrarienſis*

† nam actus eſt conditionalis.Rot.recen. p.2. deciſ.286. n.2. & fuit dictũ in Hiſpalen. & Caurien. permutationis 10. Martij 1597. impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag. 114. & aliàs ſæpe; vnde cũ caducitas non inducatur ex actu conditionali. Lud. dec.388.n.3. & habetur in recen.part.2. dec.232.meritò fuit declaratum in præſenti, non fuiſſe locum caducitati.



*rienſis n.*8.*de conſtit.* Roland. *conſ.*51.*n.*30.*lib.*2. & fuit deciſum *in cauſa Senogalien.bonorum,* die 2. Iunij ann.1597. coram R.P.D.meo Orano.

4. Nec venditio poterat cenſeri inualida, ob non præſtitum conſenſum* per Monachos, qui conſentire tenebantur, & cùm nulla adeſſet cauſa legitima diſſentiendi, non potuerunt agere ad caducitatem, quaſi quòd cõnſenſus eorum fuerit ſpretus. Salicetus *in l.fin.n.*3.*&* 15. & *ibidem* Iaſon *n.*16.*C. de iure emphyteotico.* Gratus *conſil.*80.*n.*4. *lib.*1. Corbulus *de cauſis priuation.ob alienationem irrequiſito Domino, limitat.*5.

* qui eſt neceſſarius ad valorem venditionis rei, emphyteoſæ ſubiectæ, Coccin. dec. 75.n.1.

5. Neque ex perſona Angeletti, videbatur prohibita alienatio, quia ex verbis inſtrumenti conſenſus præſtiti, per Eccleſiam ad fauorem eiuſdem Angeletti, id ei licere videbatur, dum Angelettus promiſit ſoluere Canonem, dum dictam domum per ſe, vel per alios retineret; vnde cùm alienata domo in Bellium, non fuerit Eccleſiæ præiudicatum, non erat locus caducitati.

6. Neque ſupradictis obſtabat, quòd fuerit deuentum ad traditionem * domus, & conſequenter videretur incurſa caducitas. Deçius *conſ.*160. *num.*4. Iaſon *in l.fin.num.*142. *C.de iure emphyteutico.* quia reſpondebatur, clauſulam, *ſaluo, & reſeruato conſenſu Eccleſiæ & non aliàs*, impedire deuolutionem, etiam † traditione ſecuta. Iulius Clarus *in dicto* §. *Emphyteoſis, quæſt.* 13. *verſ. item quæro*, Curtius ſenior *dicto conſ* 8. *num.*7. & fuit dictum *in dicta cauſa Senogallien.bonorum,* coram R.P.Orano.

* quæ debet eſſe actualis ad inducendam caducitatem, vt latè per annot. ad d. deciſ. 388. Ludou. n.9.

† de hoc art. vide Ricciũ in collectan. dec.p.3. collecta.526.

7. Præterea, cùm poſſeſſio ſubſequuta fuerit, in effectuationem conſtituti in inſtrumento appoſiti, per quod tranſlata poſſeſſio fuit in emptorem, dicta tranſlatio recipit eandem conditionem, in inſtrumento appoſitam; videlicet, *ſaluo, & reſeruato conſenſu Eccleſiæ, & non aliàs, nec alio modo.*

8. Præterea non obſtabat; quod prætendebant informantes pro Monachis, videlicet domum incidiſſe in commiſſum, non obſtante clauſula, *ſaluo, & reſeruato conſenſu*, ex eo quòd fuerat vendita, tanquam libera. * Decianus *conſil.*4. *num.*11.*lib.*1.

* adde Rotã rec.p.1. dec. 261.n.6.verſ. vltra quod.

Quia reſpondebatur, in caſu Daciani non fuiſſe factam mentionem libelli annui ſoluendi: in hac autem facti ſpecie, expreſſam factam fuiſſe mentionem de Canone annuæ reſponſionis ducat.decem, cum dimidio.

Cætera leuiora viſa fuerunt, quàm vt reſponſionem mererentur, & propterea concluſum, ſententiam fuiſſe reuocandam.

## *Neapolitana legitimitatis.*

### Die Veneris 24. Aprilis 1598.

### SVMMARIVM.

1.2 *Leuiores probationes ſufficiunt, quando agitur ad valorem matrimonij, quoad ſucceſſionem, quàm quoad inualiditatem.*

3 *Teſtes omni exceptione maiores non requiruntur in cauſa matrimoniali, ſed ſufficit, ſi ſint idonei.*

4 *Teſtis eſſe poteſt mater pro filia, in cauſa matrimoniali, & num.*6.

5 *Domeſtici ſunt teſtes idonei in cauſa matrimoniali, & num.*7.

8 *Teſtes habens aliquod commodum ex teſtimonio, repellendus eſt, & num.*10.

9 *Teſtis varius nihil probat.*

11 *Teſtis vilis, & pauper, non præſtat fidem integram.*

## DECISIO DCLXXI.

SVperiori anno * fuit reſtricta hæc cauſa ad hunc articulum, an & quanta fides eſſet adhibenda Catharinæ, matri Annæ, & Catharinæ Manſanellæ, eius famulæ, quia ex harum potiſſimum teſtificatione, cauſæ deciſio pendere videbatur. 1.

* ſuprà dec. 502.& 618.

Super hoc autem dubio trifariam partita fuerunt Dominorum ſuffragia: quidam ſimpliciter obtinebant, fidem fuiſſe iſtis teſtibus adhibendam, primò quoniam non agebatur de probando matrimonio, ad effectum infringendi aliud matrimonium, ſed tantùm ad effectum ſuccedendi, quo caſu ſufficiunt leuiores probationes, * iuxta conſil. Geminiani 27. ſæpe in Rota approbatum. 2.

* vide infrà deciſ.729. & ſuprà deciſ. 644 n.2. vbi annotaui alias dec.& in dec.210.n.6. & deciſ.211. n 4.& ſeq.

Rurſus, quia in cauſa etiam matrimoniali, non requiruntur teſtes omni exceptione maiores, ſed idonei † tamen ſufficiunt. Decius *conſil.*163.*num.*13.*verſ.ſecundò reſpondetur,* Ferretus *conſil.*48. *num.*1. *verſ. ſed contraria opinio*, & fuit deciſum *in cauſa Papien. Matrimonij,* die 17. Maij 1596. coram Illuſtriſſimo Mantica * tunc Rotæ Auditore. Poſtremò reſpectu matris id aſſerendum putabatur; quia mater in cauſa matrimoniali, non repellatur à teſtimonio pro filia ferendo, præſertim quando agitur de matrimonio contracto inter pares nobilitate, diuitiis, & potentia. *cap.ſuper eo el 2.de teſtib.* Verallus *dec.*276. *num.*9.*part.*3. 3.

† adde Lud. dec.351.n.2. & ſeq. quæ conducit ad materiã huius dec.

* habetur in impreſſis Manticæ deciſ.572.

In caſu autem propoſito, Annam, & Gutterium, inter quos prætendebatur contractum matrimonium, vnde nata fuerat Eleonora, non probari concludenter, fuiſſe diſpare. 4.

Idemque fuiſſe ſentiendum, reſpectu Catharinæ famulæ, cùm domeſtici idonei † teſtes cenſeantur in cauſa matrimoniali. *cap. in litteris, de teſtib.* Verallus *dicta deciſ.* 276. *num.* 10. *parte* 3. 5.

† adde Lud. in d.dec.351. n.35.& 36.& Rotam rec. p.2.dec.772. n.3.

Alij contrarium aſſerebant, quia licèt ad probandum matrimonium recipiantur mater, * & famuli, & generaliter conſanguinei, *cap videtur; qui matrimonium accuſ. poſſ. & dicto cap. ſuper eo el 2.de teſtib.* Couarruuias *ſuper* 4. *decret.parte* 2. *cap.* 8. §.12. *num.*8. id tamen non habet locum, quando interuenit copula carnalis, cùm enim propter illam copulam & matri, & totæ familiæ iniuria illata fuerit, ideo illorum teſtimonium, tanquam ſuſpectum, & inimicum, non admittitur. Decius *conſil.*310. *num.*1. *verſ. & hoc maximè*, Alciatus *tract. de præſumpt. reg.* 1. *præſumpt.*2.*num.*4. Pariſius *conſil.*58.*num.*17. *& conſil.*152.*num.*10. *lib.*4. Gabrielius *tit.de teſtib. concluſ.*9.*num.*22. 6.

* adde Mãtic. dec.112. n.2.& 12.

Rurſus, reſpectu matris dicebatur, eam fuiſſe à teſtimonio repellendam, quia habitabat ſimul cum filia, vt tradunt Canoniſtæ *cap. in litteris, de teſtibus,* & legiſtæ *in l.*2.*C.eodem tit.* & in terminis cauſæ matrimonialis, tenuit Abbas *in dicto cap.ſuper eo, notab.*3. 7.

8. Poſtremò, diſparitas etiam prætendebatur ex parte Guttierij, quo caſu propter magnum commodum, * & illuſtrem honorem, quem ex tali matrimonio ſperabat mater, non erat in teſtem admittenda. Felinus *dicto cap. ſuper eo, num. 6. in fine,* Alexander *conſil. 153. num. 6. lib. 5.* Pariſius *cenſil. 55. num. 34. lib. 4.* Decius *dicto conſil. 310. num. 1.* Gabrielius *tit. de teſtib. dicta concluſ. 9. num. 26.*

* adde ſuprà dec. 206. n. 5. & deciſ. 323. n. 3. vbi annotaui alias dec.

9. Reſpectu Catharinæ famulæ, idem videbatur aſſerendum, tum quia interfuit tractationi matrimonij, tum quia erat varia in teſtimonio, tum poſtremò, quia fuerat mediatrix, quo caſu, altero contradicente, non admittitur. *cap. 1. de teſtibus, lib. 6.*

10. Aliorum denique (in quorum ſententiam cæteri deinde Domini non inuiti iuerunt) ſuffragia erant, vt matri, & famulæ arbitrio Dominorum daretur fides, cum diminutione tamen, quia negari non poterat, quin tam mater, quàm famula, magnas exceptiones paterentur.

Nam reſpectu matris, res erat clara, cùm enim in examine dixiſſet, ſe ſolicitaſſe hanc cauſam, vt ex ea ſuum honorem * conſequeretur, & conſequenter deſideraret declarationem primi matrimonij, non poterat ei, niſi cum diminutione credi: contra eam enim videbantur multum vrgere rationes Dominorum, qui negatiuam ſententiam ſequebantur.

* Durand. deciſ. 128. n. 13. & 14.

11. Reſpectu famulæ, res quoque videbatur difficultate carere, quia cùm eſſet vilis, * & pauper, non merebatur integram fidem. Alexander *conſil. 150. num. 4. verſ. quæ eſt inferioris conditionis.* Ruinus *conſ. 149. n. 32. lib. 5.* Decius *dicto conſ. 310. num. 5. circa medium.*

* adde Seraphin. dec. 1330. n. 3.

Atque ex his fuit concluſum, prædictis duabus teſtibus, non niſi cum diminutione, fidem fuiſſe adhibendam.

## *Tiburtina Caſtri Arſularum.*

### Die Veneris 24. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Valor pretij dicitur, quod communiter in oppido venditur.*

3 *Communis æſtimatio rerum ex foro habenda eſt.*

4 *Frumenti valor deſumendus eſt ex pretio, quo venditur in foro.*

## DECISIO DCLXXII.

1. PRopoſito dubio, ad quam ſummam aſcenderet valor frumenti molendinorum, caſtri Arſularum anno 1574. ſolo Domino Fabritio de Maximis informante, Rota reſpondit, valorem aſcendiſſe ad vigintiquatuor Iulios, pro quolibet rublo, nam plures teſtes conformiter teſtificabantur, prædicto anno communiter, & generaliter eo pretio vendi, & emi conſueuiſſe, in oppido Arſularum, & conſequenter probabant communem valorem. * Bartolus communiter receptus, *in l. pretia rerum, num. 3. verſ. quæro qualiter. ff. ad l. falcid. & in l. 2.* vbi gloſſ. & Cagnolus, *num. 250. C. de reſcindend. vendit. & ibidem* Arias Pinellus *parte 3. cap. 4. num. 17. & 18.* Aluarus Valaſcus *tomo 1. conſultatione 43.* Afflictus *deciſ. 316. n. 5. & ſequent.* Boërius *dec. 68. n. 6.* Verallus *dec. 264. n. 4. & 9. parte 3.*

2. * adde ſuprà dec. 510. n. 5. & Mant. dec. 239.

3. Neque obſtabat, quòd teſtes non deponerent de venditione facta in foro publico, ſicut videtur voluiſſe Bartolus *in l. ſeptem diebus. C. de erogat. militar. anno. lib. 12.* quia reſpondebatur, non eſſe neceſſarium, quòd teſtes deponerent de publico foro, licèt in dicta lege ſeptem diebus, de publico foro mentio fiat, ratione facilioris æſtimationis; cùm faciliùs ex tali loco communis æſtimatio habeatur. Cagnolus *in d. lege 2. n. 252. C. de reſcindent. vendit.* quod maximè verum eſt, quando frumentum non ſolùm in loco publico, ſed alibi etiam vendi, & emi ſolet, & difficultas tollebatur, ex eo, quòd teſtes reddebant bonam rationem, quia videlicet tali pretio * viderunt emi, & vendi, & ipſi quoque teſtes tanto pretio eodem tempore emerunt, & vendiderunt, Baldus *in l. ſolam, num. 4. verſ. quia vidi tantùm vendi. C. de teſtib.*

4. * adde Mautic. dec. 220. n. 4.

Et quamuis informantes pro D. Lepido Zambeccario, huic deciſioni non repugnarent, quia videbant teſtes benè probare prædictum valorem; tamen quia prætendebant, eos pati multas exceptiones, ideo Domini de exceptionibus particulariter videre voluerunt.

## *Firmana de Piſellis.*

### Die Lunæ 27. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Teſtatoris verba in ſucceſſione ſunt attendenda.*

3 *Vocati proximiores gradu, ſunt præferendi remotioribus, etiamſi ſint in linea.*

4 *Fideicommittentis reſpectu, quoad ſucceſſionem, proximitas non eſt attendenda, ſed reſpectu grauati.*
*quod intellige, vt n. 5.*

## DECISIO DCLXXIII.

1. PEtrus Andreas Piſellus, vltimo ſuo teſtamento ita diſpoſuit: In omnibus autem ſuis bonis hæredem vniuerſalem inſtituit, & eſſe noluit, Felicem Piſellum filium ſuum legitimum, & naturalem: cui iure directo ſubſtituit filios eius maſculos, ex ipſo legitimè natos, & naſcituros, ac nepotes, & deſcendentes maſculos ordine ſucceſſiuo, per lineam maſculinam deſcendentes in futurum, in infinitum, & in perpetuum ſine detractione alicuius legitimæ, ſeu Trebellianicæ; ſi de iure venerit diuerſis temporibus detrahenda, quòd filios maſculos dictorum ſubſtitutorum, & cuiuſcumque ipſorum nepotes, & deſcendentes maſculos per lineam maſculinam inuicem ſubſtituit, vulgariter, pupillariter, & fideicommiſſum, ſalua tamen gradus prærogatiua.

Quòd ſi præfatus inſtitutus, vt ſubſtituti maſculini deficerent ſine linea maſculina, in totum voluit, & diſpoſuit, quòd in dictis bonis ſuccedant filiæ fœminæ natæ & naſcituræ, legitimæ, & deſcendentes ab ipſo teſtatore à linea maſculina ſiue fœminina, illæ tamen quæ erunt proximiores,



ximiores, illo tempore ipſi teſtatori, & ſic ſtipiti, & illis non extantibus, illa, vel ille, quæ ſuperuenerint proximiores illi, vel illis maſculis, in quo, vel quibus deficeret dicta linea maſculina dicti teſtatoris, &c.

Cùm autem obiiſſet Felix primus inſtitutus, relicto Tiburtio filio, & Tranquilla filia, & deinde obiiſſet Tiburtius, relicta filia Oriſtilla, dubitaui, cui deberentur bona Petri Andreæ, primi fideicommittentis, ſeu quænam ex ipſis duabus fœminis, Tranquilla, & Oriſtilla in ſucceſſione eſſet præferenda.

2. Et Domini vtraque parte informante, Tranquillam præferendam Oriſtillæ cenſuerunt; quoniam cùm tempore obitus Tiburtij nepotis ipſius teſtatoris, reperiretur Tranquilla nepotis teſtatoris ex Tiburtio, & ideo, Tranquilla vno gradu reperiretur proximior ſtipiti, * conſequenter ex diſpoſitione teſtatoris, vocantis fœminas proximiores ſtipiti, deficiente in totum linea maſculina, Tranquilla veniebat in ſucceſſione præferenda, quia cùm verba teſtamenti in perſona Tranquillæ, non autem Oriſtillæ verificarentur, ei competebat diſpoſitio teſtatoris, *l. 4. §. toties, ff. de damno infect. l. quod conſtitutum ff. de teſtament. milit.*

* de hoc art. vide Caual. dec. 465. n. 1. & ſeq.

3. & cùm teſtator vocaret proximiores gradu, donec erat locus primis ſubſtitutis, non patebat aditus remotioribus ſubſtitutis, *l. quandiu prior ff. de acquirend. hæredit.* Alexand. *conſil. 109. num. 6. lib. 7.* Ruinus *conſil. 158. num. 9. lib. 2.*

4. Huic verò deciſioni non obſtabat regula, quòd in fideicommiſſis inſpici debeat proximitas reſpectu grauati, * non autem reſpectu fideicommittentis, *l. cùm ita. §. in fideicommiſſo,* vbi gloſſ. *ff. de legat. 2.* Socinus ſenior *conſil. 51. n. 31. lib. 4.*

* adde Dur. dec. 115. n. 5. & Rotam recen. p. 1. dec. 460. n. 3. & ſequẽt. & de hoc art. videnda eſt deciſ. 72. p. 1. diuerſ.

Quoniam reſpondebatur, regulam habere locum in caſu dubio, ſecus autem eſſe, vbi teſtator † contrarium diſpoſuit, tunc enim proximitas, quam teſtator expreſſit, inſpicienda eſt. Ruinus *conſil. 142. num. 15. lib. 8.* Ripa *in l. filiusfamilias, §. Diui, n. 121. ff. de legat. 1.* Peregrinus *tract. de fideicommiſſis, art. 20. num. 1.*

5. * adde Dur. dec. 151. n. 2. & Rotam recen. p. 2. dec. 627. n. 5.

De donatione autem facta Tiburtio, à Petro Andrea, per quam prætendebantur hæc bona, ab onere fideicommiſſi liberata, domini particulariter videre voluerunt.

## *Tullen. ſubſidij Charitatiui.*

### Die Mercurij 29. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

2 *Subſidij charitatiui ſolutio eſt de lege Diœceſana.*

3 *Monaſteria ſunt exempta à lege Diœceſana.*

4 *Iuriſdictio probatur per citationem, comparitionem, & ſimilia.*

5 *Monaſteria ſunt ſubiecta Epiſcopis, quoad legem iuriſdictionis.*

6 *Monaſteria non tenentur ſoluere Epiſcopis charitatiuum ſubſidium.*

7 *Iuriſdictionis à lege non infertur ad legem Diœceſanam.*

## DECISIO DCLXXIV.

IN hac cauſa die 24. Martij 1597. * fuit reſeruatum dubium videndum, an Monaſterium Sancti Apri ita ſubeſſet iuriſdictioni Epiſcopi Tullen. vt ad ſolutionem ſubſidij charitatiui teneretur, quod in hac propoſitione, informante ſolùm Abbate Sancti Apri, Rota negatiuè reſoluit, videlicet non teneri, quia cùm exactio ſubſidij charitatiui ſit de lege Diœceſana, * gloſſ. *in cap. dilectus, in verb. iuriſdictionis,* vbi Antonius de Butrio *num. 12.* & Zabarella *num. 4. de offic. Ordinar.* gloſſ. *in ſumma 10. quæſt. 1.* Bellenzinus *tract. de charitatiuo ſubſidio, quæſt. 28. & 29.* & fuit deciſum in hac cauſa coram D. Cardinale Blanchetto, tunc Rotæ Auditore, nec probaretur, Monaſterium Sancti Apri ſubiectum Epiſcopo Tullen. quoad legem Diœceſanam, * conſequenter non tenebatur ad ſolutionem ſubſidij charitatiui, maximè cùm regulariter Monaſteria à lege Diœceſana ſint exempta. *cap. ne pro cuiuſlibet, 16. quæſt. 1. cap. quàm ſit.* vbi gloſſ. *18. q. 2. cap. 2. de ſtatu Monachor.*

1. * ſuprà dec. 598. in fine.

2. * de hoc articulo ſuprà dec. 566. n. 5.

3. * quod fallit ſi adſit Parochia, cuius ratione ſubſidium charitatiuum eſt ſoluendum, vt fuit dictũ ſuprà deciſ. 579. n. 3. & dec. 598. n. 3.

Neque ſupradictis obſtabant teſtes, dicentes Abbatem Sancti Apri, non eſſe exemptum à iuriſdictione Epiſcopi, quia reſpondebatur, eos nihil depoſuiſſe de charitatiuo ſubſidio, exceptis 13. & 11. qui tamen affirmabant, illud non fuiſſe ſolitum ad Abbatem S. Apri, quamuis fuiſſet ab Epiſcopo petitum.

4. Reſpondebatur præterea, quòd licèt deponerent de quibuſdam actibus iuriſdictionalibus, videlicet de citationibus, comparitionibus, & aliis ſimilibus in cauſis ciuilibus, quæ ſunt de lege iuriſdictionis. *cap. dilectus,* vbi Antonius de Butrio *num. 11.* & *ibidem* communiter Canoniſtæ, *de offic. Ordinar.* Innocentius *in cap. 1. num. 3. de ſtatu regular.* non tamen loquebantur de actibus pertinentibus ad legem Diœceſanam.

5. Neque enim infertur ex actibus iuriſdictionis; ad actus legis Diœceſanæ; nam ſi de vnis ad alios liceret argumentari, cùm omnia Monaſteria ſint Epiſcopis ſubiecta quoad legem iuriſdictionis, vt ſuprà dictum eſt, conſequenter etiam eſſent ſubiecta, quoad legem Diœceſanam, & in ſpecie quoad charitatiuum ſubſidium;

6. quod tamen verum non eſt, cùm contrarium expreſsè iure cautum reperiatur, *cap. 1. 10. quæſt. 1. cap. inter cætera, 10. quæſt. 3.*

7. Quòd autem à lege iuriſdictionis non inferatur ad legem Diœceſanam, ſatis probari videtur ex textu *in cap. dilectus, de officio Ordinar.*

## *Britonorien. bonorum.*

### Die Mercurij 15. Aprilis 1598.

SVMMARIVM.

1. 2 *Sententia dicitur nulla, ſi in gradu appellationis pronuncietur, ſine transportatione integrorum actorum.*
*Iuriſdictionem non habet iudex ad quem, donec integra non transportantur, ibid.*

3 *Aliàs ſententia eſt nulla, etiamſi ſit iuſta, præcipuè parte opponente.*

4 Nullitate

4 *Nullitate ſententiæ oppoſita à parte, prius eſt pronuntiandum de ea, antequam procedat iudex ad quem, ad vlteriora.*

## DECISIO DCLXXV.

1. DAto dubio, an ſententia A.C. eſſet confirmanda, vel infirmanda; Rota vtraque parte informante, infirmandam cenſuit, *ex cap. nullitatis*, ob non tranſportationem * integrorum actorum. Bart. *in l.2.num.5.* & *ibidem* Iaſon *n.5.* & Decius *num. 33. C. de edendo.* Felinus *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, num.17. de conſtit.* Gabrielius *de appellat. concluſ.5. num. vltimo.* Concilium Trident. *ſeſſ.24. de reform. cap.20. §. præterea ſi quis.* integris enim actis, non tranſportatis à iudice à quo, ad iudicem ad quem, iudex ad quem non habet iuriſdictionis † exercitium, nec cauſa ad ipſum deuoluta cenſetur. *cap. Romana. §. ſi verò, de appellat. lib.6.* & alij, quos refert, & ſequitur Veſtrius *in praxi, lib.8. cap.2. num.1. circa finem, verſ. dixi autem.*

Hæc deciſio habetur impreſſa per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.125. *hæc deciſio habetur penes March. de commiſſ. p.3. pag.155. vbi adducit alias dec. ad materiã nullitatis ſentẽtiarũ ob non tranſportationem actorum vſque ad pag. 159. & adde Coc. dec.174.

2. Quod procedit parte præſertim opponente, * (vt in caſu propoſito) licèt talis ſententia eſſet iuſta. Cæſar de Graſſis *deciſ. 9. num. 5. de cauſ.*
3. *poſſeſſ. & propriet.* Francus *in cap. debito, num.25. verſ. vlterius, de appell.*

4. Quoniam opponente parte ſuper nullitate, eſt priùs pronunciandum, Cæſar. *dicta deciſ.9. in fine*, Crauetta *conſil.270. circa finem.*

† adde Dur. dec.7. n. 18. & deciſ. 35. n.3. Cau. dec. 414. n. 1. & aliàs ſæpe. * adde ſuprà dec.589. n.7. & 8. Ludou. deciſ. 485. n.11.

Quòd verò integer proceſſus non fuiſſet tranſportatus, ex eo dicebant informantes pro Ronconis, contra Palmerias, quod A.C. pronunciauerat ſuper extractu imperfecto, in quo continebantur hæc formalia verba: *& omiſſo calculo, ſententia, & executione nominata.* Quæ tamen omnia integra, & extenſa extabant in proceſſu
5. Foroliuien. & in extractu de partibus. Vnde cùm ſententia A. C. eſſet lata ſuper tali extractu imperfecto, reuocanda videbatur.

6. Rurſus, ex eo etiam cenſebatur imperfectus extractus, quia in ſententia Vicarij Theoderini de libris 1533. fiebat mentio libelli, & tamen libellus non reperiebatur in extractu, ſuper quo pronunciauit A.C.

7. Præterea, cùm propter maiorem ſatisfactionem Palmeriorum, & meam, die 24. Maij mox ſequentis, eandem cauſam propoſuiſſem ſtrictè, an ſententia Auditoris Cameræ eſſet nulla, reſpectu ſententiæ calculi, & exequutionis nominatæ, quæ prætendebantur reperiri extenſa in proceſſu Foroliuien. & in extractu, ſuper quo Auditor Cameræ pronunciauit, deſiderari, Domini ſteterunt in deciſis; quia cùm Auditor Cameræ pronunciaſſet ſuper ſententia lib. 1533. & ſuper ſententia lib.666. latis per Commiſſarium Theoderini, & ſuper declaratione rei iudicatæ, facta per Vicarium Foroliuienſem, omneſque prædictas ſententias nullas, & inualidas declaraſſet, vt apparebat ex tenore eiuſdem ſententiæ Auditoris Cameræ, vtique debuit videre libellum præcedentem, ſententiam lib. 1533. & ſimiliter calculum, quæ erant fundamentum ſententiarum, & declarationis ſuper re iudicata, & tamen nec libellus, nec calculus reperiebantur in dicto extractu, & conſequenter, non poterat ſententia Auditoris Cameræ à nullitate defendi, cùm non habuiſſet, nec vidiſſet acta fundamentalia, quæ reuocauit, & annullauit.

---

### *Romana de Cecchinis.*

### Die 4. Maij 1598.

SVMMARIVM.

3 *Fideicommiſſo conditionali grauatus, poteſt bona fideicommiſſo ſubiecta alienare, donec adueniat conditio.*

4 *Corruente vno, alterum debet corruere, in relatiuis.*

5 *Scienti, & volenti, non fit iniuria.*

## DECISIO DCLXXVI.

CVm anno 1594. bon. mem. Simon Cecchinus, titulo donationis inter viuos, Domitio Cecchino, fratri germano, & eiuſdem Domitij filij, & deſcendentibus maſculis in infinitum, & ipſis deficientibus, quibuſcumque eorum hæredibus, & ſucceſſoribus, donaſſet tertiam partem caſalis Bucioni, ac tertiam ſimiliter partem domorum, & cenſuum, & reſponſionum, quolibet anno prouenientium ex quibuſdam vineis, & domibus, & Domitius viciſſim Simoni donatori, illius vita durante, promiſiſſet, annuatim ſoluere ſcuta 600. monetæ, & quoſdam cenſus redimere, & paulo pòſt, Simon donator, condito teſtamento, in aliis ſuis bonis, & iuribus filios Domitij donatarij inſtituiſſet, ac obiiſſet, & anno 1596. Domitibus quoque donatarius, ab hac vita migraſſet, & creditores Domitij, pro ſuo intereſſe, iudicio introducto comparuiſſent, & productis tribus teſtamentis Dominici aui, & Domitij ſenioris patrui, & Ioannis Baptiſtæ patris de Cecchinis, docere niterentur, bona immobilia paterna, & donata, fuiſſe ſubiecta fideicommiſſis, & conſequenter, donationem prædictam fuiſſe inualidam, propoſito dubio in Rota in hac cauſa, quæ extra Rotam agebatur, an dicta donatio veniret reſcindenda, * Domini, eam ſuſtineri in præiudicium Domitij iunioris, reſponderunt: cùm enim dubium, inſpecto fine, ſeu effectu, duobus potiſſimum modis potuiſſet intelligi, primo reſpectu Ludouici, & Iulij de Cecchinis, fratrum donantis, qui ad bona donata per Simonem, poſt illius obitum, vigore antiquorum fideicommiſſorum, ſimul cum domitio prætendebantur vocati. 1.

* de quo ſuprà dec.663.

Secundò autem, reſpectu creditorum ipſius Domitij, qui poſt dictam donationem (cuius vigore Domitius in ſe aſſumpſerat onus ſoluendi debita Simonis donantis) cum eo contraxerant, omiſſo intereſſe vocatorum, & conſiderato intereſſe creditorum Domitij; ideo donatio potuit ſuſtineri, quia etiam grauatus fideicommiſſo conditionali, poteſt ſubiecta bona fideicommiſſo alienare, * alienatio ſuſtinetur, donec purificata eſt conditio. *l. fin. §. ſin autem auaritiæ*, vbi Paulus de Caſtro, *C. commun. de legat. l. cùm pater §. libertis*, vbi Bartolus, & alij, *ff. de legat. 2.* 2. 3.

* adde Cau. dec.141. n.5. & deciſ. 20. n.5. quæ habetur in rec. p.2. dec.215. & de hoc art. latè agit Rota diuerſ. p.2. dec. 49. præcipuè à n. 36. cum pluribus ſeq.

Et conſequenter, ſtante validitate donationis, valida etiam fuit obligatio Domitij, ad fauorem Simonis donantis. *l. obligationum ſubſtantia, ff. de actionib. & obligatio.* Decianus *conſ.32. num.1. lib.3.*



4. Quibus non obſtabat, quòd donatio deuenerat ad caſum, à quo incipere non poterat, ideoque ea reſoluta, ſimiliter euaneſcere debuiſſet obligatio facta donanti, per donatarium, per regulam, quòd in correſpectiuis, vno corruente, alterum corruere debeat, *lege fin. C. acceptilat. l. etiam. §. ex cauſa. ff. de donationib.* Crauetta *conſil.179. num.13.*

5. Quia reſpondebatur, quòd cùm tam donans, quàm donatarius habuiſſet ſcientiam prædictorum fideicommiſſorum (quoniam ex inſtrumento donationis conſtabat, eos vidiſſe, & conſideraſſe verba teſtamentorum, quibus continebatur fideicommiſſum) imputare ſibi Domitius donatarius debuit, ſi illis non obſtantibus, voluit ſeſe obligare, ad ſoluenda debita donantis; cùm ſcienti, & volenti, non dicatur fieri iniuria.

6. Sed difficultas ex eo potiſſimum dicebatur etiam ceſſare, quia cùm Simon non donaſſet ſimpliciter tertiam partem prædicti caſalis, quam pro indiuiſo poſſidebat cum Domitio fratre, ſed iuxta formam dictorum teſtamentorum, vt patebat ex principio inſtrumenti donationis, ibi, *iuxta teſtamentorum prædictorum diſpoſitionem*, & Domitius donatarius ſic eam acceptaſſet, & in illius exequutionem ad debita donantis perſoluenda ſe obligaſſet, non poterat cenſeri deceptus, nec videri ſublata eius obligatio.

---

### *Vercellen. Canonicatus.*

### Die Lunæ 4. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Annexio ad beneficium eſt quid facti, & ideo non præſumitur niſi probetur.*

3 *Annexionem prætendens tenetur eam probare, cùm ſit quid facti.*

6 *Reſeruatio & gratia, in annexis, & Canonicatui debitis, locum habet, ſed non in ſeparatis, & Canonicatui non debitis.*

7 *Vnus teſtis productus à parte, ſi deponat contra eum, probat.*

8 *Vnio, vel annexio duorum beneficiorum non concluditur ex eo, quòd ab vno poſſideantur.*

9.10. *Regula Cancellariæ reſeruans beneficia, & tollens conſuetudinem optandi, non loquitur de membris menſæ Capitularis, nec de ſeparatis.*

## DECISIO DCLXXVII.

1. IMpetrauerat menſe Maio 1596. Michaël Belletia Canonicatum Diaconalem, in Eccleſia Vercellen. & Præbendam in Careſana nuncupatam, vnà cum membris Acottæ, & Pecianæ, ac aliis illi forſan annexis, & quia Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Vercellen. qui prætendebant prædicta membra eſſe ſeparata, & diſtincta, & optabilia, pro ſuo intereſſe venerant ad cauſam, dubitaui, an prædicta membra Acottæ, & Pecianæ eſſent annexæ Canonicatui, & Præbendæ, quæ Belletia impetrauerat, ita vt in Breui, & Gratia Belletiæ intelligerentur comprehenſa.

Et Rota vtraque parte informante cenſuit, non probari membra Mottæ, & Pecianæ eſſe annexa Canonicatui, & Præbendæ (de quibus agebatur;) cùm enim annexio * ſit quid facti, nec præſumatur, niſi probetur. *l. in bello. §. facti ff. de captiuis, & poſtlim. reuerſ.* ideo Belletia, qui eam prætendebat, probare † tenebatur. *cap. quia ſæpe, præbend. lib.6.* Felinus *conſ.2. num.5. verſ. in tem pluralitas*, Decius *conſ.233. num.2. verſic. his præmiſſis, & conſil.275. num.3. in fine*, Alexander *conſ.70. in principio, lib.3.* 2.

* annexio vt probetur, nõ ſufficiũt duo teſtes ei de publica voce, & fama, etiã in cauſa ſpolij Rota diu. p 3. lib.1. dec. 52. quæ etiam tranſcribitur lib. 2. dec.119.

Ex his autem, quæ proponebantur, potiùs apparebat de contrario, vt ſcilicet prædicta membra eſſent diſtincta, & ſeparata, nec vlli Canonicatui, vel Præbendæ annexa, vel debita, conſtabat enim in territorio Pecianæ, & alibi eſſe quindecim proprietates diſtinctas, & ſeparatas, vulgò, *li membri de Viano.* nuncupata, à quindecim Canonicis, antiquioribus optari, & obtineri ſolitas, non ratione huius, vel illius Canonicatus, & Præbendæ, ſed ſecundùm prærogatiuam, & antiquitatem Canonicorum. 3. 4.

† adde Dur. dec.331 n.5. & Rotam recen. p.1. dec. 331. n. 5. & diuerſor. p 3. lib. 3. deciſ. 557. n. 3. ex quibus autẽ probetur annexio, vel vnio, vide Seraphin. dec. 886 & 1246. & 1272. & Rotam rec. p.1. dec.626. & p.2. deciſ. 724. n. 1. & ſeq.

Quod probabatur, tum ex quibuſdam optionum inſtrumentis, tum ex decretis Epiſcopi Martoranen. Nuncij, & Apoſtolici viſitatoris in toto dominio Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ: tum ex deciſionibus Verallis 281. incip. *Optio habet locum, & dec.282.* incip. *Optari non poſſunt, part.2.* vbi loquitur de membris ſeparatis Canonicatuum, & Præbendarum Eccleſiæ Vercellen. tum denique ex dictis teſtium pro parte Belletiæ examinatorum, qui cùm diſtinguerent præbendas à membris, dicebant, dicta membra eſſe ſeparata, diſtincta, & optabilia, & conſequenter non comprehendebantur in Breui, & Gratia Belletiæ, cùm ipſe tanquam annexa impetraſſet. 5.

Neque erant reſeruata, quia reſeruatio, & gratia in annexis, & Canonicatui debitis, locum habet, non in ſeparatis, * & non debitis, quamuis eſſent poſſeſſa ab vltimo Canonico, per cuius obitum Canonicatus impetratur. Rota *deciſ. 9.* incip. *Nota quòd in quadam Eccleſia, numer. 3. verſ. non obſtat, de conſuetud. in antiquis*, Æneas de Falconibus *tract. de reſeruat. effect. 39. num.1. in fine.* 6.

* adde Cau. dec.116. n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & latè annot. ad deciſ.478. Lud. n.6. lit.B.

Et reſpectu membrorum Mottæ, & Pecianæ, de quibus controuertebatur, quòd eſſent ſeparata, & debita ratione antiquitatis, non autem annexa alicui Canonicatui, deponebat quintus teſtis, à Belletia inductus, qui propterea contra eundem Belletiam producentem * probari dicebatur. Romanus *conſil.104. in fine*, Socinus iunior *conſil.69. n.12. lib.1.* Gabrielius *tit de teſtib. concluſ. 1. num. 14. verſic. contrarium.* Cæſar de Graſſis *deciſ.129.* aliàs *2. num.3. tit. de his quæ fiunt à maiori parte*, cui ſuffragabantur teſtes examinati coram executore, & delegato Apoſtolico, Bartolus *in l. admonendi, num. 45. de iureiurand.* Cæſar de Graſſis *deciſ.36.* aliàs 8. *num.9. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* 7.

* teſtis vnicus quando probet cõtra inducentem, vide Ludou. dec.215. n.5. & latè annota n.9.

Neque ſupradictis obſtabat, quòd prædicta membra fuiſſent poſſeſſa per Ludouicum Olgiatum, per cuius obitum Belletia impetrauerat Canonicatum; quoniam reſpondebatur primò, non concludi vnionem, aut annexionem duorum, aut plurium beneficiorum, ex eo, quòd ab vno poſſideantur, *c. in præſentia, de probationib.* 8.

Rurſus

9\. Rurſus non obſtabant regulæ Cancellariæ, reſeruantes omnia beneficia vacatura,& tollentes conſuetudinem * optandi pinguiores præbendas,& priuilegia de eis diſponendi.

*adde ſuprà dec.597.n.5. vbi annotaui alias dec.

Quia reſpondebatur, non loqui de membris menſæ capitularis, nec de ſeparatis, † quæ non
10\. comprehendentur ſub reſeruatione, Æneas de Falconibus *quæſt. 1. principali, num. 1. tract. de reſeruation.*

† adde Cau. in d.dec.116. n.2.& annot. ad dec. 478. Lud.lit.B.

Poſtremò non obſtabat alia deciſio in cauſa Vercellen. Canonicatus facta coram me die 27.
11\. Iunij 1594. *quia intelligebatur de membris annexis, & debitis Canonicatui, non autem de ſeparatis, & ſolitis obtineri, ratione antiquitatis.

*ſuprà dec. 396.n.3.

## *Caſertana beneficij.*

### Die Mercurij 13. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Tranſumptum antiquum vltra centum annos, non indiget recognitione.*

3 *Inſtrumentum, vt dicatur publicum, debet habere diem, menſem, & annum Pontificatus, ſimul cum clauſula, actu, & teſtibus, & num.5.*

4 *Scripturæ extractæ per Archiuiſtam deputatum, per quem inſtrumenta publicari poſſunt, faciunt fidem.*

7 *Solemnitates requiſitæ in tranſumptione inſtrumenti, licèt non probantur, præſumuntur obſeruatæ in inſtrumento antiquiſſimo.*

8 *Falſitatis ſuſpicione carere inſtrumentum probatur, cum oculari inſpectione.*

## DECISIO DCLXXVIII.

1\. VTraque parte informante Rota cenſuit, iura & inſtrumenta producta pro parte Abbatis Monaſterij Sancti Laurentij de Auerſo, ſeu Mutij Manſi, ab eo prouiſi, fuiſſe in forma probante, cum hac diſtinctione, quòd recentia inſtrumenta recognoſcerentur; tranſumptum ve-
2\. rò Innocentij III. quia erat antiquum, vltra centum annos, non indigebat recognitione.*

*adde Lud. dec.3.n.2. & latè annota. n.5.& ſequ. & Cau. dec. 122.n.2.& 3.

Nam ex ſeptem inſtrumentis productis, ad docendum prouiſiones factas per Abbates, de hoc beneficio primum, quartum, & quintum ſine dubio erat in forma probante, quia fuerant producta ipſamet originalia, cum ſigillis, & ſubſcriptionibus Abbatum. Habebant præterea
3\. cætera requiſita ad publicum inſtrumentum, nempe diem, † menſem & annos Pontificatuum, & clauſulam, actum, & teſtes. Couarruuias *in practicis quæſtion.cap.19. num.3.* Iaſon *in l. publicati, num.4.C.de teſtament.* Abbas *in cap. Albericus, num.6. circa principium, de teſtib.* Ruinus *conſil.159. numer. 2. lib. 4.* & communiter Canoniſtæ *in cap. cùm P. Tabellio, de fide inſtrument.*

† adde ſuprà dec.633.n.3. & Cocc.dec. 358.

4\. Secundum inſtrumentum, de prouiſione facta anno 1541. per D.Ignatium, eiuſdem Monaſterij Abbatem, etiam iudicatum fuit, eſſe in forma probante, non obſtante, quòd fuerat extractum lite pendente, ſine iudicis cauſæ auctoritate, & partis citatione, quia fuit extractum ab Archiuiſta * deputato, per quem inſtrumenta publicari poſſunt. Cinus *in l.contractus, num.14. C.de fide inſtrument.* Alexander *conſil.14.num.18. lib.6.* Curtius iunior *conſil.162.num.5.lib.2.* Chiſanen. *dec.71.*incip.*Inſtrumentum.*

*adde infrà dec.837.n.3. & 4. & Dur. deciſ.337.n. 60. Coccin. dec.450.n.3. Rotam rec. p.2.dec.581. n.4.

Circa tertium inſtrumentum anni 1562. ex quo apparebat, Ioannem Mariam de hoc beneficio prouiſum, anno 1541. recognouiſſe, illud eſſe de menſa Monaſterij, cùm haberet diem,
5\. menſem, † annum, & clauſulam, actum, & teſtes, Domini, iuncta obſeruantia non abrogabant omnino fidem; licèt eſſet extractum lite pendente, ſine iudicis auctoritate, & partis citatione.

† adde infrà deciſ. 1215. n.2. in tõ. 2. quæ clauſula in ſcriptura priuata, ſi deficiat nõ reddit illã nullam, vt fuit dictum ſuprà dec.552.n.9.

6\. Septimum inſtrumentum, continens viſitationem factam per Abbatem anno 1579. licèt haberet requiſita ad publicum inſtrumentum, non erat in forma probante, cæterùm cùm ſine iſto inſtrumento, intentio Abbatis remaneret optimè probata, non fuit multum elaboratum.

7\. Sextum inſtrumentum, ſumptum, ſeu exemplatum anno 1371. ex antiquiſſimo priuilegio Innocentij III. anni 1222. abſque recognitione, fuit receptum pro Authentico, * & fidem faciente, licèt non probarentur ſolemnitates requiſitæ, in tranſumptatione, ſeu exemplatione interueniſſe, quia ex temporis diuturnitate, præſumuntur adhibitæ Innocentius, & Hoſtienſis, quos alij ſequuti ſunt, *in cap. Albericus, de teſtib. & in cap. finali, de fide inſtrument.* Iaſon *in Authent. ſi quis in aliquo, C.de edend.num.5.verſ. Nonò fallit, & in l.publicati, num.5. C.de teſtam.* Decius *conſil.445.num.15.* Pariſius *conſ.104.num.55.lib.1.* Crauetta *de antiquit. tempor. part.3. §. vidimus in genere, num.2.* Couarruu. *in pract. quæſtionib.c.21. n.7.* Puteus *deciſ.336.n.5.lib.2.*

*adde infrà deciſ. 1215. n.2. & deciſ. 1286.n.1. in tomo 2.

8\. Et circa hoc inſtrumentum difficultas etiam ceſſabat ex oculari inſpectione, nam facies ipſa inſtrumenti oculis Dominorum propoſiti, perſuadebat, illud eſſe authenticum, & omni prorſus falſitatis ſuſpicione carens, quod genus probationis, per ocularem inſpectionem ad dandam fidem ſcripturis magni momenti eſſe non dubitabatur, *cap. ad noſtram el 3.* vbi gloſſ. *in verb. requirit, in fine, de iureiurand. cap. accepimus, de fide inſtrument. & ibi* gloſſ. *in verb. non valeant.* Socinus iunior *conſil.61.num.1.lib.3.* Afflictus *dec.216. num.3.* Albenſis *conſil.16.num.8.lib.1.* Gozadinus *conſil. 34. num. 10.* Pariſius *conſil. 67. num.11. & conſ. 95. num.19. lib.1.* & Rota plurimum commendare ſolet, & in multis cauſis ſæpe ſeruauit, vt in Romana Caſtri Orciani die 4. Februarij 1575. coram bon.mem. Cotta, & in Firmana iuriſpatronatus die 29. Ianuarij 1590. coram * me, & ſæpe aliàs.

## *Gerunden. Vini.*

### Die 13. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Iudicem compulſorialem, in partibus datum, poteſt pars recuſare, tanquam ſuſpectum, licèt de conſenſu Procuratoris ſit in Curia deputatus.*

3 *Notarij in officio ſucceſſores, abſque compulſatione, poſſunt inſtrumenta extrahere.*





4 *Notario de ſua deputatione, vel commiſſione ad extrahenda inſtrumenta atteſtanti, datur fides.*

## DECISIO DCLXXIX.

1\. IN cauſa Gerunden. vini, in qua fuerat datum dubium, an proceſſus eſſet nullus, & iura in forma probante, Rota vtraque parte informante, reſpectu proceſſus, negatiuè cenſuit reſpondendum, quia cùm Capitulum Gerunden. ad tollendam omnem difficultatem, & impedimentum quod ex parte Præpoſitorum oriri poterat, obtinuiſſet nouas litteras compulſoriales, & Rota peculiarem iudicem, & Notarium deputaſſet, ad denuo extrahenda iura Capituli, & propterea ſubſequutæ etiam fuiſſent citationes requiſitæ, proceſſus erat validus, quia de iuriſdictione iudicis compulſoris, dubitari non poterat.

2\. Et quamuis iudex compulſorialis fuerit in partibus, tanquam ſuſpectus recuſatus, quod fieri poteſt per principalem, licèt de conſenſu Procuratorum ſit in Curia deputatus. Mohedanus *deciſ. 1. de offic. delegati*; nihilominus tamen quia reſpectu iuſtæ, vel iniuſtæ recuſationis, ſtatur arbitrio iudicantis; Lanfrancus *tractat. de recuſationibus. §. ſed quæro, num.13.* & tenuit Rota *in vna Gerunden. adminiſtrationis Epiſcopatus*, die 6. Octobris 1574. * coram bon. mem. Reboſterio; in hac cauſa Rota arbitrata eſt; recuſationem ſpernendam, quoniam non videbatur calumniâ caruiſſe, tum quia præpoſiti, alios iudices † ad eundem effectum compulſandi, iura, (de quibus agebatur) aliàs datos, etiam ſuſpectos allegauerat, tum etiam, quia cauſæ recuſationis allegatæ ſatis friuolæ * videbantur, cùm de aliqua nimia amicitia iudicis compulſoris cum Epiſcopo, vel Capitulo non conſtaret, & deducta ex eo, quòd iudex compulſor fuerat in dignitate, quam obtinebat, conſeruatus opera ipſius Epiſcopi, quamuis eſſet probata, ſatis leuis putaretur.

*habetur in impreſſis diuerſ.p.1.dec. 93.

† adde annota. ad deciſ. 327. Ludou. n.15. vbi aliæ dec. allegantur.

*adde Lud. dec.466.n.7.

3\. Reſpectu autem iurium affirmatiuè reſpondit, ea fuiſſe in forma probante, quia fuerat extracta per Notarios in officio ſucceſſores, † qui quandocumque abſque compulſatione poſſunt inſtrumenta extrahere, vt fuit deciſum in pluribus cauſis, & ſignanter *in vna Dertuſen. iuriſconferendi*, die 24. Maij 1596. coram R.P. Domino meo Pamphilio, & in Caſale Præpoſituræ die 4. Martij eiuſdem anni coram R.P. D. meo Gyptio.

† adde ſuprà deciſ.461. & infrà deciſ. 927.n.3. in tom.2.& Ludou. deciſ.3. n.4. & deciſ. 59.n.5.& Seraphin. dec. 1334. n.4. & vtrobique ad propoſitum allegant hanc dec. & Coccin. dec. 219.n.6.

Neque obſtabat, quòd de iſta ſucceſſione Notariorum in officio non conſtaret, niſi ex eorundem Notariorum aſſertione, quia No-
4\. tario de ſua deputatione, * ſeu de commiſſione ſibi facta atteſtanti, Rota adhibet fidem, Verallus *deciſ. 245. parte 2. & deciſ. 325. lib.1.* in manuſcriptis, & fuit deciſum *in dicta cauſa Dertuſen. iuris conferendi*, coram Domino Pamphilio, & omnis difficultas ceſſabat ex dictis teſtium, qui Notariorum aſſertionibus conformia teſtificabantur.

*adde Rotã rec.p.2. dec. 581.n.3.& 4. & Lud. dec. 454.n.2. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ.



## *Peruſina dotis.*

### Die Veneris 15. Maij 1598.

SVMMARIVM.

1 *Paupertatis cognitio, iudicis arbitrio relinquitur.*

2 *Clauſula,* Arbitrio Rotæ, *eſt temperatiua vigoris iuris, & n.5.*

3 *Eleemoſynam quærens ad victum, pauper dicitur.*

4 *Paupertas ſi allegatur à parte, ad effectum differendi ſolutionem expenſarum, probanda eſt taliter, quòd præſtet legitimum impedimentum ſolutionis.*

## DECISIO DCLXXX.

VTraque parte informante, Rota cenſuit, conſtitiſſe de paupertate Lucretiæ, cùm 1.
enim huiuſmodi probatio paupertatis, iudicis arbitrio * relinquatur, gloſſ. *in Authent. Præterea in verb. locuples. C. vnde vir & vxor.* Bartolus *in l. ſi conſtante, num. 14. & ibi* Ripa *num.30. ff. ſoluto matrim.* Couarruuias *lib. 2. variar. reſolut. cap. 6. num. 8.* in caſu propoſito ex deductis pro Lucretia, ſatis videbatur probata paupertas, ad effectum vt poſſet audiri, & in cauſa reſtitutionis in integrum ad vlteriora procedere, non ſolutis expenſis, præſertim cùm commiſſio reſtitutionis in integrum non eſſet ſimpliciter ſignata cum clauſula, *conſtito de paupertate*, ſed cum additione, arbitrio Rotæ, 2.
quibus verbis iuris rigor temperari * ſolet. Creſcentius *deciſ.287.* aliàs 4. *tit. de teſtib.* & ſæpe Rota cenſuit, & ſignanter *in vna Leodien. Parochialis*, die 16. Decembris 1594. coram R.P. D. meo Litta.

*adde ſuprà deciſ.660. n. 12.& Rotam rec.p.2. dec. 233. n.6. in fine.

*adde infrà dec.865.n.5. & latè annota. ad deciſ. 189. Ludou. n.8. & Seraphin. deciſ. 448.n.1. dec. 1154.n.1.

Locum autem in hoc caſu fuiſſe arbitrio, vt expenſæ de quibus agebatur, ob paupertatem † Lucretiæ reſeruarentur in fine litis; teſtes pro Lucretia inducti inſinuabant, ex quorum dictis conſtabat; ipſam tanquam pauperem, eleemoſynam quærere ſolitam, vt ſe ſuſtentare valeret, cùm pauper * ille dicatur, qui 3.
pro victu eleemoſynam quærit. *l. ſi quis ad declinandum, C. de Epiſcop. & Cler. l. paupertas ff. de excuſabit. tutor.* gloſſ. *in l. item paupertas, C. eodem tit.* Angelus *in l. ſi verò. §. qui pro rei, num.6. ff. qui ſatiſd. cogant.*

† adde annota. ad dec. 361. Lud. n.5. quæ allegat alias deciſ.& Coccin. dec. 496.n.7.& 8.

*paupertas ex quibus probetur, vide Durand. dec. 98.n.9. & 10.& Rotam rec. p.1. dec.573.n.3. & p.2. deciſ. 532. n. 2. & ſequent.

Quibus non obſtabat, quòd quando tractatur de paupertate, reſpectu alicuius certi, & determinati effectus, qualis eſt differre ſolutionem fructuum, vel expenſarum, in quibus victus eſt condemnatus, oporteat talem paupertatem probare, quæ præſtet legitimum ſolutionis impedimentum. Baldus, & Salicetus *in dicta Authent. Præterea, num. 4. C. vnde vir, &* 4.
*vxor*, & in terminis condemnationis fructuum fuit deciſum *in cauſa Portuenſ. reſtitutionis*, die 4. Februarij 1577. coram bon. mem. Cantuccio, & iterum *in vna Auerſana decanatus*, die 16. Martij 1580. coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, & in terminis fructuum, & expenſarum *in cauſa Placentina Parochialis de Malpartida*, die 26. Martij 1594. coram Domino meo Orano, & rurſus in eadem, die 27. Iunij, eiuſdem anni coram me.*

*ſuprà dec. 395.

5. Quia reſpondebatur, in illis cauſis ſimpliciter adfuiſſe conditionem, *ſi conſtaret de paupertate*, & ideo neceſſarium fuiſſe, illam concludentiùs probare: in caſu autem propoſito, aderat clauſula, *arbitrio Rotæ*, quæ (vt dictum eſt) temperat iuris rigorem; concurrebat præterea modicum præiudicium, ex quo agebatur ſolùm de differentia tantiſper modicarum expenſarum ſolutione.

## *Montis Regalis iuriſdictionis.*

### Die Veneris 15. Maij 1598.

SVMMARIVM.

1 *Bullæ repertæ in regeſtro Bullarum Romæ, & per Archiuiſtam tranſumptatæ, danda eſt fides.*
2 *Acta originalia ſi non tranſportantur, ſed relatio iudicis compulſorialis, vel Notarij, non facit fidem.*
3 *Iudici compulſori ſolùm pertinet, vt totus proceſſus compulſationis legitimè fiat.*
4 *Compulſor iudex non poteſt cognoſcere, an teſtes concludant, vel an ſcripturæ ſint in forma probante.*

### DECISIO DCLXXXI.

1. PRopoſita cauſa ſuper deciſis, die Lunæ 24. Nouembris 1597. * Rota vtraque parte informante cenſuit, Bullam Eugenij, fuiſſe in forma probante, quia facta diligentia in Curia, fuerat reperta in Regeſtro Bullarum, & ab Archiuiſta tranſumpta; & in Rotulo de more ſigillata, iuxta ſtylum Curiæ, mihi aperienda præſentata, & in actis producta, cui propterea in Curia erat danda fides. Creſcentius *deciſ.* 50. *lib.* 1. Cotta *deciſ.* 292. & reſpectu huius Bullæ Domini receſſerunt à deciſis.

* ſuprà dec. 646.

2. Cætera verò iura dixerunt, non eſſe in forma probante, & conſequenter ſtandum in deciſis, quia non fuerunt tranſportata ipſamet acta, facta coram iudice compulſore, ſed relatio tantùm actorum, cui ſiue ſit iudicis compulſoris, ſiue Notarij, non creditur. * Alexander *conſ.* 42. *n.* 3. *lib.* 4. Paulus de Caſtro *conſ.* 38. incip. *Super eo, quod quæritur, n.* 2. *lib.* 2. Imola *in cap. quoniam contrà n.* 15. *de probationib.*

* adde ſuprà in d. deciſ. 446. n. 1.

3. Nec difficultas ceſſabat ex eo, quòd iudex compulſor in relatione affirmabat, conſtitiſſe ſibi per dicta teſtium, iura fuiſſe ſufficienter recognita, quoniam hæc cognitio non ſpectat ad iudicem compulſorem, ſed ad iudicem negotij principalis, qui cognoſcere debet, an iura fuerint legitimè recognita, & teſtes legitimè examinati, & cætera iuridicè geſta: ad iudicē enim compulſorem pertinet, curare, vt totus proceſſus compulſationis, & examinis legitimè fiat, non autem iudicare * iſta omnia fuiſſe legitimè acta, cùm id onus ad iudicem negotij principalis ſpectet. *dicto cap. quoniam contrà, de probationib.*

* adde Mantic. dec. 199. n. 2.

Etſi iſta praxis introduceretur, facilè perturbarentur omnia cauſarum iudicia, & in maiores difficultates coniicerentur.

Atque ex his potiſſimum fuit concluſum, iſta iura non eſſe in forma probante, quamuis cæteri actus, reſpectu citationis, mandati & iuriſdictionis ſuſtineri potuiſſent, quos tamen, ſtante prædicto defectu, non oportuit expendere.

## *Verdunen. iuriſdictionis.*

### Die Lunæ 18. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Commiſſione à ſignatura data Auditori Rotæ, ſtatim iuxta formam eius procedit, inhibendo.*

### DECISIO DCLXXXII.

ROta cenſuit, inhibitiones Rotales non fuiſſe moderandas, ſed Capitulum Verdunen. quod prætendebat earum moderationem, adire debuiſſe Signaturam. 1.

Cùm enim Rotæ Auditor, vigore commiſſionum à Signatura habitarum, iuxta earum formam inhibuiſſet, quod nunquam de ſtylo in Curia denegari ſolet. Antonius Papazonus *in additione ad deciſ.* 2. *de reſcript. in nouis, num.* 28. & 29. non tenebatur vlteriùs quærere, an eſſet locus moderationi, * præſertim in hoc caſu, in quo vt pars aduerſa allegauerat, quòd Signatura noluerat dictas inhibitiones moderari. 2.

* vide infrà deciſ. 1440. n. 3. in tō. 2. & Rotam diuerſ. p. 3. lib. 1. dec. 22.

## *Romana pecuniaria, ſiue conſignationis ſcripturarum.*

### Die 18. Maij 1598.

### DECISIO DCLXXXIII.

HÆc cauſa fuit propoſita die 4. Iulij 1597. * & tunc Lucretia Palearia tantùm informante, Rota cenſuit, Franciſcum Raymundum teneri conſignare Lucretiæ iura, & ſcripturas, enunciatas in inſtrumento venditionis domus.

* ſuprà dec. 634.

Iterum autem die 17. Octobris eiuſdem anni cauſa, vtraque parte informante, ſuper eiſdem iterum propoſita, nihil fuit reſolutum, quibuſdam ex Dominis pro deciſione ſentientibus, aliis non à deciſis recedendum opinantibus; ordinatum tamen tunc fuit, vt Raymundus in manibus Auditoris exhibuiſſet inſtrumenta, quæ Lucretia videre poſſit, & copiam illorum habere, ſicut factum fuit.

Cæterùm, quia Lucretia non putabat ſibi ſatisfactum, Domini ordinarunt, vt iterum ſuper eiſdem cauſa proponeretur, quo facto, cùm neque in hac propoſitione Domini conſenſiſſent ſuper deciſione iam facta, in eam tamen ſententiam conformiter itum fuit, vt Franciſcus Raymundus, in partibus Procuratorem conſtitueret, ad effectum, vt ipſo citato, poſſent fieri diligentiæ, pro reperiendis ſcripturis indicatis, & aliis actibus faciendis.

*Maceraten.*



## *Maceraten. hæreditatis, ſiue Firmana Spolij.*

### Die Lunæ 18. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Iudicium manutentionis prius eſt terminandum, quàm reintegrationis ex capite ſpolij intentati.*
3 *Spolij remedium, & reintegrationis ad naturalem poſſeſſionem, ſimul poteſt intentari.*
4 *Spoliator non poteſt petere manutentionem, nec ſuper ea eſt audiendum.*

### DECISIO DCLXXXIV.

1. CVm die 13. præſentis, informantibus Aſcanio Vico, & hæredibus Capitanei Franciſci Vici, & Pellicano, ſuper memoralibus, tunc datis, & dubiis petitis, Domini ordinaſſent, quòd prius diſputaretur dubium ſuper ſpolio, quod prætendebat Aſcanius Vicus, & deinde dubium petitum à Pellicano ſuper manutentione, in prædio Sancti Crucis, & tertio loco dubium ſuper immiſſione, & manutentione hæredum Capitanei Franciſci Vici, & hæredes dicti Capitanei acquieſcere noluiſſent, iterum prædictis informantibus, facto verbo in Rota, Domini dixerunt, prædictum Ordinem fuiſſe retinendum.

2. Neque obſtabat prætenſio prædictorum hæredum Capitanei Franciſci, quòd cùm ipſi niterentur commiſſione ſuper manutentione, priùs deberet terminari iudicium manutentionis, quàm iudicium reintegrationis, ex *cap. iudicij ſpolij*, intentati per Aſcanium Vicum.

3. Quoniam reſpondebatur, iudicium ſpolij inchoandum, præcedere debuiſſe, ſtante præſertim prætenſione Aſcanij Vici, quòd prætenſa poſſeſſio hæredum Capitanei erat vitioſa.

Sed cùm neque prædictis reſolutionibus hæredes Capitanei acquieſcere voluiſſent, iterum die Lunæ 20. Aprilis vtraque parte informante, & datis memorialibus, prætenſiones ſuas deducentibus, Domini cenſuerunt, vt prædictus ordo in diſputatione duorum ſeruaretur, nam cùm Aſcanius cœpiſſet diſputare ſuper manutentione, reſpectu ciuili poſſeſſionis, & hodie peteret reintegrari ad naturalem, * qua ſe prætendebat facto iudicis, nulliter procedentis fuiſſe ſpoliatum, de hoc primò agendum erat, præſertim cùm iſta duo remedia, ſimul cumulari poſſint. † Paulus de Caſtro *conſil.* 78. *num.* 1. *verſ. his non obſtantibus, lib.* 2. Mohedanus *deciſ.* 173. Menochius *tract. de adipiſcenda, remedio* 4. *num.* 507. *verſ. declarari tamen.*

* nam agens ſpolio non videtur dimittere poſſeſſionem ciuilē, & ideo poteſt agere pro recuperatione naturalis, Rota rec. p. 1. dec. 561. n. 5.
† imò manutentio, & ſpolium ſunt repugnantia, Rota diuerſ. p. 1. dec. 616. n. 1. & p. 3. lib. 3. deciſ. 482.

4. Quibus non obſtabat, quòd Aſcanius intentando remedium ſpolij, videretur fateri, * hæredes Capitanei eſſe in poſſeſſione, & conſequenter, priùs fuiſſe videndum ſuper manutentione.

Quia reſpondebatur ſpoliatorem nec poſſe petere manutentionem, nec ſuper manutentione audiri, † ſed ſpoliatum ab hærede, ante omnia eſſe reſtituendum. Verallus *deciſ.* 213. incip. *Statutum, parte* 3.

* adde Rotā rec. p. 1. dec. 661. n. 2. & dec 704. la 2. n. 1. & ſeq.
† adde Coc. dec. 311. n. 4. & deciſ. 496. n. 1. Rotam rec. dec. 433. n. 1. & diuerſ. p. 3. lib. 3. deciſ. 473. & aliàs ſæpe.



## *Caurien. bonorum.*

### Die Mercurij 20. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Subreptio, & obreptio tollitur per clauſulā iritantē.*
3 *Verba conceſſionis, quando ſunt clara, de illis non eſt dubitandum.*
4 *Generaliter ſi loquatur diſpoſitio, generaliter comprehendit, quæ in ea cadunt.*
6 *Expenſæ ſunt ſoluendæ ab eis, qui habent emolumentum commune.*

### DECISIO DCLXXXV.

DIſmembrationem factam per Epiſcopum Aurien. ann. 1552. de conſenſu Rectoris S. Petri de Quintanas, & Comitis de Monterey, Patroni eiuſdem Eccleſiæ, de duabus tertiis partibus fructuum, vulgò *deſtros*, nuncupatis, & applicationem eidem Collegio, pro illius dote, remanente reliqua tertia parte fructuum, cum pede Altaris, & oblationibus, pro congrua ſuſtentatione Rectoris; quam Sedes Apoſtolica anno 1581. confirmauit, Rota in hac propoſitione cenſuit, fuiſſe validam, & ſtabilem remanere debere, ſtante clauſula, de qua in litteris Apoſtolicis, quòd non poſſet dari de ſubreptione, vel obreptione, vel defectu intentionis Papæ, iuncta clauſula, *ſublata, & decreto irritante*, ex quibus tollitur poteſtas * aliter iudicanti. Pariſ. *conſ.* 15. *n.* 133. *lib.* 4. Ruinus *conſ.* 21. *n.* 16. *lib.* 1. 1. 2.

* adde ſuprà dec. 470. n. 3. & 5. & Seraphin. deciſ. 351. n. 1. Cau. dec. 404. n. 1. Dur. dec. 74. n. 55. Rotam rec. p. 2. dec. 180. n. 2.

Vnde, ſtante diſmembrationis validitate, non dubitabatur, quin duæ tertiæ partes fructuum Parochialis Eccleſiæ Sancti Petri de Quentanas, pertinet ad Collegium de Monterey, cùm verba diſmembrationis adeò clara ſint, vt de illis dubitari † non poſſit, *l. ille, aut ille. §. cùm in verbis ff. de legat.* 3.

Neque obſtabat, terras, (de quarum fructibus agebatur) fuiſſe per Rectorem à colonis recuperatas, tempore primæ diſmembrationis, & conſequenter, diſmembrationem, & applicationem fore intelligendas reſpectu terrarum, ex quibus eo tempore fructus percipiebantur, non autem illarum, quæ poſtea venerunt ad Eccleſiæ poteſtatem, & dominium. 3.

† adde infrà dec. 709. n. 4. & deciſ. 751. n. 5. & Seraphin. deciſ. 762. n. 1. Rotam rec. p. 1. dec. 45. n. 5.

Quia reſpondebatur, quòd cùm diſmembratio, & applicatio generaliter * loqueretur de omnibus fructibus terrarum, fructus cōprehenduntur, quæ iudicatæ fuerunt ad Eccleſias pertinere, *l.* 1. *§. generaliter ff. de legat. præſtan.* & maximè, cùm tempore vltimæ diſmembrationis factæ anno 1579. ſuper qua fuit inita concordia, ſub beneplacito Sedis Apoſtolicæ anno 1580. terræ controuerſæ fuiſſent redactæ ad iura Eccleſiæ, & Rectoris poteſtatem. 4.

* adde ſuprà in d. deciſ. 470. n. 5.

Rurſus non obſtabat, quòd iſta tertia pars Rectori Eccleſiæ Parochialis reſeruata, non videretur ſufficere pro eius congrua ſuſtentatione, quoniam reſpondebatur primò, ex teſtibus pro parte Rectoris inductis id cōcludenter non probari, nam licèt teſtificarentur, tertiam partem decimarum, pro congrua non ſufficere, tamen non deponebant aliis iuribus, & emolumentis, quæ ad Rectorem peruenire poterant, videlicet pede Altaris, offertoriis, ſeu obligationibus & aliis, vnde poteſt congrua ſuſtentatio comparari. 5.

Secundò reſpondebatur Collegium offerre ſe
paratum, ad ſupplendum de ſuis duabus parti-
bus, id quod Rectori pro ſua congrua defuerit.
6. Addiderunt præterea Domini, teneri Colle-
gium ad contribuendum pro ſua rata in expen-
ſis factis per Rectorem Eccleſiæ in recuperatio-
ne terrarum, ita vt non priùs emolumentum,
quod prætendit, conſequatur, quàm dictis ex-
penſis perſolutis, cùm fuerint in re communi
* adde ſuprà dec.499.n.3. * factæ, pro quibus competit & retentio, & re-
petitio. gloſſ. *in cap.cùm pro cauſa, in verb.propter
hanc, de Procurator.* gloſſ. *in l.ex parte, & ibi* com-
muniter ſcribentes, *ff.famil.erciſcundæ.*

## *Papien. bonorum.*

Die Lunæ 25. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Pontificia priuilegia ſi ſint dubia, recurrendum eſt ad Summum Pontificem.*

### DECISIO DCLXXXVI.

1. HAnc cauſam propoſui vtraque parte infor-
mante, & Domini dixerunt, quòd partes
adirent Sereniſſ. Dominum noſtrum, quia cùm
occaſione dubij propoſiti ageretur de emphy-
teuſi bonorum Eccleſiaſticorum, delata Franci-
ſco Maria Scrofigno, Mutij Mariæ Scrofigni fi-
lio naturali, & conſequenter, talis emphyteuſis
incapaci, propter conſtitutionem fel. record.
Pij Papæ V.

Et ex aduerſo pro parte Archidiaconi Papien-
ſis obiiceretur, Franciſcum fuiſſe legitimatum,
ab vno ex doctoribus Collegij Mediolan. quod
2. licèt habeat priuilegium legitimandi, ex conceſ-
ſione ſibi facta à Pio Papa IV. eam tamen illi
non ſuffragari, quoniam per conſtitutionem
Pij V. quoad iſtam partem, priuilegium præten-
debatur ſublatum, & rurſus pro parte Franciſci
replicaretur, priuilegia Collegio Doctorum Me-
diolan. conceſſa, per Sixtum Papam V. etiam ad-
uersùs conſtitutionem Pij V. fuiſſe confirma-
tam, & in hoc conflictu, vltra intereſſe partium
litigantium, ageretur de Apoſtolicorum priuile-
giorum intellectu, & præiudicio dicti Collegij
Mediolan. ideo conſulto Rota cenſuit, vt partes
Summum Pontificem conſulerent.

## *Carthaginen. Penſionis.*

Die Lunæ 25. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Curator an ſit dandus minori, in ſpiritualibus, & beneficialibus.*
3 *Minores, etiam inuiti, tenentur recipere curatorem ad litem.*
4.5 *Pupillorum, vel minorum tutores, & curatores ſunt citandi in cauſis eorum.*

### DECISIO DCLXXXVII.

1. ANtequam expedirem iſtam cauſam, iuxta
deciſionem in ea factam die 10. Aprilis,
proximè præteriti, * in qua procedebatur per * ſuprà dec. 666.
audientiam contradictarum, cùm reuoluendo
proceſſum inueniſſem, D. Emanuelem Manri-
que fuiſſe adhuc minorem, & in partibus coram
Ordinario ſibi fuiſſe datum curatorem, cum
quo fuit cauſa tractata, & tandem ſententia lata
contra Don Manuelem, dubitaui, an poſſem hîc
in Curia contra ipſum pronunciare, non dato
ſibi curatore? & facto ſuper hoc verbo cum Do-
minis, & intellecto, quòd citatio Rotalis fuit in
partibus contra eundem curatorem executa,
& eidem etiam Don Emanueli notificata de
mandato Nuntij, vt compareret in Curia Ro-
mana, * ad cauſam ſuam defendendam, Domi- * ſed minor non poteſt, trahi ad iudicium extra patriam, vt per Lud.dec. 43.n.3.& habetur in rec. p.2.dec.53.
ni reſponderunt potuiſſe abſque vitio nullita-
tis, & iniuſtitiæ crimine cauſam contra Ema-
nuelem expediri, non dato ſibi in Curia nouo
curatore: nam omiſſo illo articulo, an minor
† in ſpiritualibus, & beneficialibus, & ab eis
dependentibus, habeatur pro maiore, *cap. fin.
de iudic. lib. 6.* ſufficere putauerunt, curatorem 2.
* in partibus datum, præſertim cùm tam ille cu- † de quo vide Ricci. in collect. dec. p. 5. collect. 1629.
rator, quàm principalis per citationem, & in-
timationem habuerint notitiam huius iudicij,
in Romana Curia agitandi, & notum ſit in
iure, minores † etiam inuitos recipere cura- 3.
tores ad lites, §.1. *Inſtitution. de curator.* & cùm * quando nõ ſit neceſſariũ citare curatorem, vide Rotam rec.
curatores defendunt abſentes minores, omni-
no coguntur litem in ſe recipere. *l.1.§. ſufficit.ff.
de adminiſtrat.tutor.*

Nec dicatur, iuris diſpoſitionem contraria
conſuetudine ſublatam; quia verius eſt de ge- 4.
nerali conſuetudine, nedum curatores, ſed tu- † adde Cau. dec.585.n.3. & Lud.deciſ. 43.n.9.
tores etiam citari, cùm hoc ſit pupillis fauo-
rabilius. Albericus *in dicta l.1.§. ſufficit ff. de ad-
miniſtrat.tutor.* Ioannes Faber §.1. *Inſtitution. de
his per quos ager. poſſ.* Vrſillus ad Afflictum *deciſ.*
262. latè Paulus Montanus *tract. de tutelis, c.14.
num.12. & cap.30.num.143. & ſequent. & cap.31.
num.22. & ſequent.*

Et difficultas ceſſare etiam videbatur in hoc
caſu, quoniam deputatio curatoris erat ampliſ-
ſima, ad hanc litem, & cauſam, ſine limitatione,
ad aliquam inſtantiam.

## *Valentina Gabellæ.*

Die Lunæ 25. Maij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Gabella impoſita per ciuitatem non comprehendit Eccleſiaſticas perſonas, non ſeruata iuris Canonici forma.*

### DECISIO DCLXXXVIII.

DIe 13. præſentis, vtraque parte informan- 1.
te, & ſuas prætenſiones in memorabilibus
tunc datis deducentes, Rota ordinauit, vt ſerua-
retur terminus ad ſentẽtiam pronunciandam, ad
fauorem Capituli, & Cleri Valentini, & interim,
daretur Domino Doctori Ioanni Baptiſtæ Vi-
ues, Procuratori ciuitatis Valentini, copia iu-
rium exhibitorum per Procuratorem Capituli,
& Cleri, & quoniam prædictus Procurator in-
ſtabat, concedi inſtrumentum noui termini
Remiſſoriæ, aliàs conceſſæ, vt Domini Iurati
ciuitatis Valentinæ poſſent deducere ſuas præ-
tenſiones, viſum fuit, iterum ſuper hac re facere
verbum cum Dominis, & rurſus vtraque parte
informante Rota conceſſit, quòd mutarentur
iudices pro exequenda remiſſoria in partibus, &
daretur nouus terminus ſex menſium, pro illius
executione, ſine retardatione tamen proceſſus, &
expeditionis cauſæ in hac ſecunda inſtantia: &
cum clauſula in hoc decreto noui termini po-
nenda, vt Domini iurati non poſſent exequi re-
miſſoriam, niſi priùs parito, iuxta deciſiones in
hac cauſa factas coram R.P.D. Pamphilio die 4.
2. Decembris 1595. & die 29. Ianuarij 1596. quibus
fuit deciſum, ne lite pendente exigerent ab Ec-
cleſiaſticis, ſiſam, ſiue gabellam, de qua ageba-
tur, ex quo nondum conſtabat, ita fuiſſe impoſi-
tam, vt iuxta requiſita à ſacris Canonibus com-
prehenderet etiam perſonas Eccleſiaſticas.

## *Vrbeuentana bonorum.*

Die Lunæ 25. Maij 1598.

SVMMARIVM.

5 *Sententia iudicis, fundata in falſa cauſa, eſt reuocanda.*

### DECISIO DCLXXXIX.

1. ANno 1570. Hieronymus Mancinus condi-
to teſtamento, hæredes ſibi inſtituit Tho-
mam, Modeſtum, Eraſmum, & Guarinum, ſuos
filios, eorumque deſcendentes in infinitum, in-
uicem ſubſtituit, paulo pòſt eodem anno, idem
Hieronymus propter lites, quas aſſerui t inter
prædictos filios fuiſſe ortas, vnicuique ex præ-
dictis filiis, partem bonorum conceſſit, & conſi-
gnauit, quam donationem, & conſignationem
dixit ſe facere, cum pacto, & declaratione, quòd
per huiuſmodi concordiam, ſeu tranſactionem,
non intelligeretur, in aliquo præiudicatum fidei-
commiſſo, paulo antea ſuo teſtamento inducto.
2. Anno mox ſequente 1571. idem Hieronymus
poſt narratam diuiſionem, & conſignationem
bonorum prædictam, & aſſerendo, ſe obtinuiſſe
abſolutionem à iuramento, aliud teſtamentum
condidit, in quo vnicuique filio certam partem
bonorum aſſignauit, mandauitque ne partibus
per ipſum factis, poſſent filij contrauenire, etiam
ſi eſſent inæquales, & filios ſibi ſimpliciter in-
ſtituit.
3. Non multo pòſt, orta lite inter prædictum
Hieronymum, actorem ex vna, & Modeſtum, &
Eraſmum ex altera parte, ſuper validitate, vel
inualiditate diuiſionis, & tranſactionis ſupra-
dictæ, Gubernator Vrbeuentanus, anno 1573.
pronunciauit, inſtrumentum diuiſionis, & tranſ-
actionis à filiis Hieronymi acceptatum, fuiſſe ir-
reuocabile, illudque non obſtante vltimo teſta-
mento, per Hieronymũm facto, ſuum effectum
ſortiri debuiſſe.

Rurſus, cùm anno 1587. Thomas vnus ex
filiis Hieronymi, Monaſterium ingredi cupe-
ret, in congregatione Canonicorum Sancti Sal-
uatoris, omnia ſua bona eidem congregationi
donauit.
4. Cæterùm, cùm Modeſtus, & Eraſmus vigore





fideicommiſſi paterni, coram Vicario Vrbeuen-
tano, iſtos Canonicos regulares conueniſſent,
petentes bona Thomæ, in quorum poſſeſſione
Canonici exiſterent, & Canonici bonam fidem
tunc agnoſcentes, iſtos de Mancinis immitti in
poſſeſſionem bonorum donationem conſenſiſ-
ſent, & Vicarius inſuper 1590. per ſuam ſenten-
tiam declaraſſet, bona donata per Thomam, Ca-
nonicis fuiſſe fideicommiſſo ſubiecta, & conſe-
quenter, donationem à Thoma factam, fuiſſe
nullam, & inualidam, & Canonici poſtea inue-
niſſent ſecundum teſtamentum Hieronymi an-
no 1571. conditum, prætendentes, per illud fuiſſe
reuocatum fideicommiſſum, inductum in primo
teſtamento condito anno 1570. cauſam in Rota
commiſerunt, & dato dubio, an ſententia Vica-
rij Vrbeuentani eſſet conformandæ, vel infir-
manda, Rota vtraque parte informante, reuo- 5.
candam cenſuit, tanquam in falſa cauſa * fun- * adde Seraphin. dec. 988. n. 2. & Caual.deciſ. 280.n.3. Ludou. deciſ.2. n. 4. & aliàs ſæpe.
datam, *c.1. de ſent. & re iudicata*, Felinus *c.inter cæ-
teras, n.5. & ſeq. eodem tit.* Decius *conſ.*475. *n.*14.
cùm enim Hieronymus vltimo teſtamento nul-
lum fideicommiſſum fecerit, fideicommiſſum, de
quo in primo teſtamento, euanuiſſe cenſetur. §.
*poſteriori, Inſtit.quibus mod.teſt.infirm.* quod maxi- 6.
mè dicendum videbatur in hac cauſa, quia ex
narratione, & declaratione Hieronymi teſtatoris
in hoc ſecundo teſtamento apparebat, teſtato-
rem primum teſtamentum, in quo onus fidei-
commiſſi ſcripſerat, emendare, & corrigere vo-
luiſſe, & conſequenter, ſententia in falſa cauſa
fundata, tanquam iniuſta debuit reuocari.

## *Parmen. Prioratus.*

Die Veneris 29. Maij 1598.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes duo, ſi ſint ſine exceptione, probant.*
2 *Clericalis habitus probat clericatum, præſumptione.*
3 *Clericatus præſumitur, per habitum clericalem, & probatur per habitum, famam, & reputationem.*
*& per vnum teſtem, n.4.*
5 *Iuris patronatus narratiua gratiæ iuſtificanda eſt.*
6 *Litis mentio, cum derogatione ſententiæ, eſt facienda in gratia, obtenta beneficij litigioſi.*

### DECISIO DCXC.

ROta cenſuit, gratiam Santini Syluæ, fuiſſe 1.
in omnibus iuſtificatam præterquam, quo-
ad valorem Prioratus impetrati, & beneficiorum
obtentorum, nam reſpectu familiaritatis, in gra-
tia narratæ, quòd ipſe eſſet familiaris quondam
Cardinalis Fachinetti, deponebant quatuor te-
ſtes optimè probantes, Santinum illius Cardina-
lis fuiſſe familiarem, cùm tamen minor nume-
rus ſufficeret, *l.vbi numerus.ff.de teſtib.*

Clericatus etiam erat probatus per eoſdem 2.
teſtes, deponentes de geſtatione habitus Cleri-
calis, & tonſura, & communi reputatione, & fa-
ma, cum aliàs ſolus habitus Clericalis ſufficere
videatur, ex quo quis præſumptiuè conſtituitur,
in quaſi poſſeſſione Clericatus. *c.ſi index.§.final.
de ſent. excomm. lib.6.* Aufrerius *ad Capellam To-
loſanam deciſ.* 117. Grammaticus *deciſ.*81. *num.*6.

3. & clericatum probari per habitum, famam, & reputationem, * admittit inueteratus Rotæ ſtylus, Bellamera deciſ. 114. Rota deciſ. 14. *de probat. in antiq.* & ſufficit etiam illum probare per vnum teſtem. Rebuffus *tract. nomination. quaſt. 22. n. 14.* Gabriel *de præſumptionib. concluſ. 1. n. 16.* Guidobonus *dec. 132. incip. Licèt in probando.*

* adde ſuprà deciſ. 509. & infrà deciſ. 836. n. 4. vbi alias dec. annotabo, & Ludou. dec. 394. n. 2.

4. Narratiua iuriſpatronatus, licèt iuſtificari debeat. † Chiſanen. *deciſ. 100. incip. Si in vna*
5. *prouiſione.* & præſertim, quando eſt concepta per verba, *vt aſſeruit.* Caſſadorus *deciſ. 4. num. 1. de probat.* in hac facti ſpecie, non erat verificanda, quia, vt ex Bulla apparebat, narratiua iuriſpatronatus non erat diſpoſitiuè concepta, ſed per verba dubitatiua, *vt aſſeruitur*, quæ per errorem ſcribentis fuerant, in Regeſto omiſſa.

† adde ſuprà dec. 100. n. 7.

6. Reſpectu valoris Prioratus, & beneficiorum obtentorum, gratia non erat iuſtificata; nec ſuffragabatur Santino reſcriptum Sanctiſſimi, ſibi indulgentis, vt ad vlteriora, & cauſæ expeditionem procederetur, perinde ac ſi valor Prioratus, & obtentorum iuſtificatus fuiſſet.

Quoniam reſpondebatur, reſcriptum fuiſſe ſubreptitium, ob non factam mentionem, quod ſuper lite narrata fuerat lata ſententia * per R. P. D. meum Oranum, de qua explicata mentio erat facienda, non enim ſufficit, facere mentionem de pendentia litis, cùm expreſſa ſententiæ derogatio requiratur. Felinus *in cap. ſuper litteris. n. 12. ampliat. 3. verſ. & vlterius amplia, & n. 14. verſ. ſeptima regula, de reſcript.* vbi gloſſ. *in verb. litteras.* Decius *conſ. 296. n. 3.* Alexand. *conſ. 94. n. 2. verſic. immo nec reſcriptum, lib. 2.*

* adde Coc. dec. 413. n. 4. & Seraphin. dec. 493. n. 3.

## *Regien. Alimentorum.*

### Die Lunæ 1. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Patronus non poteſt petere alimenta ex beneficio, ſi habeat aliunde, vnde viuere poſſit.*
3 *Alimenta patrono ſunt præſtanda, non ex capitibus beneficij, ſed ex redditibus.*
5 *Alimenta ſunt præſtanda arbitrio iudicis, conſideratis varijs circunſtantijs.*
6 *Ius petendi alimenta tanquam patronus, eſt perſonaliſſimum, & ſolùm reſpicit deſcendentes Patroni, & non alios.*
8 *Penſionarius an teneatur pro rata ſua, concurrere ad onus alimentorum, Patrono perſoluendum.*

### DECISIO DCXCI.

1. CVm in hac cauſa die 19. Ianuarij præſentis anni * eſſet deciſum, non requiri ſummam egeſtatem, ad effectum, vt Patronus ab Eccleſia patronata alimenta conſequatur, ſed ſufficere, quòd non habeat, vnde ex fructibus bonorum propriorum commodè viuere poſſit, iuxta perſonæ ſuæ qualitatem, idque arbitrio iudicantis relictum eſſe. Angelus *in l. ſi verò. §. qui pro rei, num. 5. ff. qui ſatiſd. cogant.* In hac propoſitione, de duobus fuit videndum, primò, an conſtaret de Patronorum huius Prioratus paupertate.

* ſuprà dec. 660.

2. Secundò, ad quam ſummam eis forent alimenta taxanda.

Et reſpectu primæ inſpectionis pronunciatum eſt, ſatis conſtare de paupertate * iſtorum Dominorum de Tacculis, huius Prioratus Patronorum; nam licèt reſpectu Achillis, vnius ex Patronis, non cenſeretur probata paupertas, ex quo ex beneficiis Eccleſiaſticis habebat redditus annuos 40. ſcutorum, & inſeruiendo alicui Eccleſiæ, (prout de præſenti inſeruiebat) & Miſſas celebrando; (cùm eſſet Presbyter,) poſſet condecenter, & abſque ſuæ nobilitatis dedecore ſuſtentari, quo caſu non erant ei ab Eccleſia patronata alimenta * præſtanda. Lambertinus *de iurepatron. 4. artic. tertiæ quaſt. num. 2. verſic. notandum eſt, lib. 3.* Bartolus *in l. ſi quis à liberis. §. ſed ſi filius ff. de liber. agnoſcend.* Decius *conſ. 576. num. 3.*

* adde ſuprà dec. 541. n. 2. & 4.

* adde Rotam rec. p. 2. dec. 454. n. 3.

3. Reſpectu tamen Antonij Mariæ, & Gaſparis, negari paupertas * non poterat, nam ex teſtibus productis conſtabat, eos poſſidere ad ſummum, bona valoris 2. m. ſcutorum, multo tamen ære alieno grauata, contracto etiam ante litem motam, ex quorum redditibus impoſſibile erat, vt condecenter viuerent, iuxta eorum conditionem, maximè cùm eſſent antiquæ nobilitatis, neque ex capitali deſtituto, ſed ex redditibus alimenta peti debeant. *l. ius alimentorum. §. modò autem. ff. vbi pupill. educari deb.* Abbas *in cap. ſtablubriter, notab. 1. verſic. de vſur.* Salicet. *in l. quod in vxorem, n. 1. verſic. & intelligo. C. de negot. geſt.*

* adde ſuprà in d. deciſ. 660. n. 2.

Neque obſtabat, quòd aliqui teſtes dicerent, quòd ſi Antonius Maria, & Gaſpar mediante induſtria aliquid acquirerent, poſſent condecenter viuere vnà cum bonis poſſeſſis. Quoniam reſpondebatur, per eoſdem teſtes non probari, Antonium Mariam, & Gaſparem talem induſtriam habere, vel habuiſſe, & conſequenter ſuper ea non poterat fieri fundamentum. 4.

Reſpectu ſecundæ inſpectionis, Domini maturè conſideratis rerum circunſtantiis, nempe nobilitate Dominorum de Tacculis, temporum qualitate, & loci natura, regulis tamen iuris, quantum fieri potuit, inhærentes, ſicut fieri oportet in arbitrio * regulando, cenſuerunt, Gaſpari, & Antonio Mariæ, hoc eſt, cuilibet quinque ſcuta monetæ menſtrua, decem Iuliorum, ſeu Paulorum pro quolibet ſcuto, in moneta argentea Regia, anticipatè à Rectore Prioratus fuiſſe perſoluenda, idque habita etiam ratione ad fructus, & redditus ipſius Prioratus. *l. ius alimentorum ff. vbi pupill. educar. deb.* Verallus *deciſ. 21. part. 1.* gloſſ. *in cap. Epiſcopus 10. quaſt. 2. in verb. victum,* gloſſ. & Doctores *in cap. nobis, in verb. modeſtè, de iurepatron.* fructus enim prioratus ſatis pingues videbantur, cùm valor annuus octingentos ſcutos excedere diceretur. 5.

* adde ſuprà dec. 184. n. 9. & deciſ. 660. n. 12. & dec. 680. n. 1.

Neque ſupradictis obſtabat, quòd cùm ius petendi alimenta ſit perſonaliſſimum, & ſolùm Eccleſia teneatur alere deſcendentes * à fundatore, & non alios, qui alio titulo cauſam à patronis habent. Abbas *in cap. præterea el 2. in fine, de iurepatron.* Rochus de Curte *tractat. de iurepatronat. §. vtile, num. 152.* Surdus *tractat. de aliment. titul. 7. quaſt. 32. numer. 13.* conſequi videbatur, non deberi aliqua alimenta iſtis de Tacculis, non probantibus deſcendentiam ab Achille fundatore, ſed ſolùm ab Antonio, qui fuit poſt 200. ferè annos ab Achille. 6.

* adde Rot. rec. p. 2. in d. dec. 354. n. 2.

Quia



7. Quia reſpondebatur, ex deciſionibus * in hac cauſa factis conſtitiſſe de deſcendentia, & ius etiam patronatus competiuiſſe Dominis de Tacculis ex immemorabili quaſi poſſeſſione præſentandi, excedente 200. annorum metas, quo caſu patronus poteſt allegare quemcunque titulum velit, etiam fundationis, & dotationis, & legitimæ deſcendentiæ, à fundatore, & dotatore, quamuis in articulis deductum non fuerit. Puteus *deciſ. 58. num. 9. & deciſ. 205. num. 2. & ſeq. lib. 1.*

* ſuprà in d. deciſ. 541. & 660.

8. Poſtremò non obſtabat, quòd beneficium eſſet grauatum annua penſione 200. ducatorum. Quoniam omiſſo nunc illo articulo, an penſionarius pro rata ſua concurrere teneatur ad onus alimentorum, Patrono perſoluendum, vel an penſio ſuſtineatur in præiudicium Patroni, petentis alimenta, de quo per Gambaram *lib. 6. de auctoritat. Legat. de latere*; reſpondebatur vnico verbo, omiſſis iuris articulis, ex facto ceſſare difficultatem, nam cùm beneficium eſſet ſatis pingue; illud ſufficiebat, & pro ſolutione penſionis, & pro ſolutione alimentorum.

9. Addebatur poſtremò, non eſſe iſtam controuerſiam ſuſcipiendam cum Patronis, contra penſionatium, ſed Rectorem beneficij agere poſſe, ſi vellet contra penſionatium, cùm Patroni conditio videretur melior, tum propter anteriorem hypothecam, tum quia ius alimentorum magis priuilegiatum exiſtit.

## *Romana ſubſtitutionis.*

### Die Lunæ 1. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

1 *Subſtitutus ſubſtituti, dicitur ſubſtitutus inſtituti.*
*Quod limita in ſubſtitutione nominatim facta, qua tamen non procedit in pia cauſa, n. 3. niſi adſint verba reſtrictiua teſtatoris, n. 4.*

### DECISIO DCXCII.

1. DIe 17. Martij 1597. * licèt in hac cauſa firmata fuiſſet regula, quòd primo ſubſtituto deficiente, ſecundus ſubſtitutus admittatur; ſubſtitutus enim ſubſtituti, dicitur ſubſtitutus inſtituti, ita vt ſublato primo gradu ſubſtitutionis, ſecundus ſubſtitutus efficiatur primus. *l. ſi Titius, & l. cohæredi. ff. de vulgar. & pupill.*

* ſuprà deciſ. 593.

2. Nihilominus, quia ſupradicta regula ſolet limitari, quando onus reſtitutionis fuit nominatim iniunctum illi ſubſtituto, in cuius perſona ſubſtitutio euanuit. * Ruinus *conſil. 99. num. 16. lib. 2.*

* adde ſuprà in d. deciſ. 593. n. 7.

Item quando eſt ſubſtituta pia cauſa, cuius contemplatione fideicommiſſum relictum ab vno, debet præſtari ab alio. Tiraquellus *tract. de priuileg. pia cauſa, priuil. 36.* & in dicta deciſione fuerat reſeruatum videre de veritate iſtarum limitationum, ideo in hac propoſitione, vtraque parte informante, articulo maturè diſcuſſo, Domini non obſtante prædicta reſeruatione, regulæ inhærentes, ſteterunt in deciſis.

3. Omiſſis enim aliis reſponſionibus, & difficultatibus, quæ oriri poſſent ſuper illa limitatione, quando onus eſt nominatim iniunctum illi ſubſtituto, in cuius perſona ſubſtitutio euanuit, Rota neglecto prædicto Ruini conſilio, amplectitur ſublimitationem, quia fauore piæ cauſæ illi limitationi non ſit locus; ita enim cenſuit *in vna Romana fideicommiſſi*, die 16. Ianuarij 1581. coram bon. mem. Domino de Rubeis, * *& in alia Romana de Meis*, die 17. Februar. 1581. coram Cantuccio, & die 12. Iunij 1582. per doctrinam Alexandri *in l. licèt Imperator, num. 10. ff. de legat. 1.* & Iaſonis *in l. ſi duo. §. hæres, num. 14. & 15. ff. de legat. 1.* quod etiam tenuerunt Gratus *conſil. 5. num. 24. lib. 2.* Decius *conſil. 182. num. 2. & conſ. 273. num. 1.* & Tiraquellus *præcitato priuilegio 36.* vbi alios in eandem ſententiam refert, quibus addebatur Menochius *lib. 4. præſumpt. 65. num. 22. & 24.* & Zanchus *in repetitione. §. cùm ita, parte 2. num. 39. & 40.* quod optima ratione conſtitutum eſſe videtur, quia teſtator ſubſtituendo piam cauſam, fauore animæ cenſetur voluiſſe, vt ſua diſpoſitio omni ſcrupuloſitate relicta adimpleatur, cùm ſalutem animæ ſuæ cæteris prætuliſſe videatur, quamuis ſecus eſſet dicendum, quando adeſſent verba reſtrictiua, quibus ſignificaretur, teſtatorem eo caſu, & non aliter voluiſſe ſubſtitutionem fieri. Alciatus *conſil. 492. num. 23.* Menochius *conſil. 326. num. 16. lib. 4.* quæ verba reſtrictiua deeſſe in caſu propoſito conſtabat, & conſequenter, concorditer fuit deciſum, non eſſe locum prædictæ limitationi, quando eſt ſubſtituta pia cauſa. 4.

* habetur in impreſſ. diu. p. 1. dec. 648.

## *Capritana ſi in euidentem.*

### Die Lunæ 1. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Vtilitas euidens Eccleſiæ dicitur, ſi ex fructibus terræ meliorem fecerit ſuam conditionem.*
3 *Alienatio rerum Eccleſiarum valida eſt, ſi redundet in meliorem, & maiorem vtilitatem eius.*
5 *Euidens vtilitas Eccleſiæ ſufficit, quòd interueniat à principio contractus, vt valeat, licèt poſtea melior ſit effecta res.*

### DECISIO DCXCIII.

INformantibus ſolùm Ioanne Baptiſta Auenadro, & litis conſortibus, Rota cenſuit, inſtrumentum cum ipſis celebratum, fuiſſe confirmandum, quia ceſſerat in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, cùm enim terrena, de quibus agebatur, eſſent priùs ſyluoſa, & aquoſa, ita vt Monaſterium S. Iacobi, ciuitatis Capritanæ, Ordinis Carthuſienſis, quod erat in quaſi poſſeſſione iuris percipiendi decimas ex dictis terris, vix reciperet octo Ducatos, & poſt inſtrumentum celebratum percipiat quinquaginta quolibet anno vſque ad decennium, & poſt decennium integras decimas, ſatis euidens Eccleſiæ vtilitas oſtendebatur eo ipſo, quòd conditionem ſuam fecerat meliorem. * *cap. ad aures, & cap. vt ſuper. §. poſſeſſiones, de rebus Eccleſia non alienan.* Curtius iunior *conſil. 130. num. 3. verſic. ſecunda cauſa eſt.* Rodoanus *tract. de rebus Eccleſia non alienan. rubrica 19.* 1. 2.

* adde infrà dec. 778. n. 4. & ſeq. Dur. dec. 250. n. 6. Ludou. deciſ. 343. n. 2.

3. *brica 19. num.54. & 62. 91. & 95. & rubrica 25. num.27.verſ.in alienatione*,& in terminis de terris aquatis, ad culturam reductis * cum aliqua reſponſione ad vtilitatem Eccleſiæ,extat doctrina Beroi *conſ.*88. *num.*26. *lib.*1.

*adde Cocc. dec.445.n.5.

Neque ſupradictis obſtabat, quòd exſiccatio, & exboſcatio dictarum terrarum eſſet facta ante

4. ſummi Pontificis beneplacitum,* & quòd conductor, antequam iudex Apoſtolicus acceſſiſſet ad explorandum, an contractus fuiſſet factus in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, iam fecerat expenſas,& melioramenta,ita vt tempore, quo iudex acceſſit, non appareret aliqua Eccleſiæ vtilitas, quemadmodum iudex retulit.

*quod de iure communi non eſt præciſè neceſſarium ſtante euidente vtilitate Eccleſiæ,Rota diu. part.3. lib.2. dec.225.n.3.

Quoniam reſpondebatur, læſionem, & vtilitatem Eccleſiæ,ad iſtum effectum,ab initio tem-

5. pore contractus, † non autem poſt facta melioramenta,eſſe conſideranda. Calderinus *conſil.*5. *verſ.non obſtat.tit. de rer. permut.* Ruinus *conſil.*35. *num.*35.*in fine lib.*1. Iaſon *conſil.*54. *num.*20. *lib.*1. Cagnolus *in l.2.num.*213.*& ſeq.C.de reſcind.vendit.* & ſufficit,vtilitatem à principio interuenire, licèt poſtea per ſolicitudinem colonorum, res melior effecta fuerit. gloſſ. *in d. cap. ad aures, in verb.tunc, de rebus Eccleſ.non alienan.* Decius *conſil.*109. *num.*3. *verſic.& ſufficit tale onus.*

† adde Caual. dec.228. n.5. & Seraphin. deciſ. 1125. n.5. & fuit dictum in vna Romana cenſus de Palutiis 20.Nouemb. 1600. coram Sacrato impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag.864.n.3.

Conſiderabatur poſtremò, iniquum eſſe, vt Monaſterium locupletaretur, cum notabili iactura mercatorum, cum quibus contractum ce-

6. lebrauerat,qui pro cultura, & bonificatione terrarum expenderant ſcuta 20. m. ex quo etiam colligebatur euidens vtilitas Monaſterij, cùm non potuiſſet tantam impenſam facere, pro ſimili bonificatione.

---

## *Viterbien. Affectus.*

### Die Veneris 5. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Locationis tempore durante, an liceat locatori recedere à locatione, inuito conductore.*

3 *Conductor an poſſit expelli à locatore ante tempus, ob non ſolutam penſionem.*

4 *Colonus in ſoluendo moroſus, poteſt ad tempus expelli,quouſque penſionem ſoluat, ſed non ita locator, ſi non ſit appoſitum pactum reſolutiuum.*

6 *Locatio eſt contractus nominatus, qui per non adimplementum non reſoluitur.*

7 *Conductoris, vel locatoris ceſſante conſenſu, non poteſt reſolui locatio legitimè facta.*

## DECISIO DCXCIV.

1. ROta, vtraque parte informante, cenſuit, bon.mem. Cardinalem Farneſium, & Rodomontem Marcellinum, habentem cauſam ab eo, potuiſſe recedere à die dictæ locationis, per eum factæ Ioan.Antonio Salendio, die 16.Octobris anno 1579.ad quatuor annos à die 1.Octobris 1580.inchoandos, de Commenda S.Ioannis in Sylua, Viterbien. diœceſis, & reuera à dicta diſdicta receſſiſſe (ad effectum, de quo agebatur,) quia commiſſis nunc difficultatibus, per

2. informantes pro vtraque parte excitatis, an durante tempore locationis, ſit licitum locatori, recedere à locatione, inuito conductore, de qua per Doctores *in cap. final. de locato*, & vtrùm', ob non ſolutionem penſionis, * conductor poſſet ante tempus expelli, *l.eadem. C. locati*, & an Salendius ſtante obligatione in forma Cameræ potuerit purgare moram incurſam, ex quo non ſoluit penſionem, tempore conuento, ex ſerie facti conſtabat, Cardinalem locatorem die 19. Octobris 1582. declaraſſe, Salendium affictuarium in pluribus ſolutionibus defeciſſe,& caducitatem incurriſſe, ſeque nolle amplius in dicta locatione perſeuerare, & Procuratorem à Cardinali conſtitutum mox die 20.ſequenti eiuſdem menſis Octobris, realem poſſeſſionem dictæ Commendæ domorum, & grani apprehendiſſe. 3.

* de hoc art. vide Seraph. dec.415.n.7. & 9.

Cæterùm,quia eodem die 20.Octobris,claues domorum & grani fuerunt reſtitutæ Benedicto Vado, factori Salendij affictuarij, qui nomine Salendij,& ſociorum affictum continuauit,conſequens videbatur,illam declarationem caducitatis, & apprehenſionem poſſeſſionis bonorum locatorem fuiſſe verbalem, aut ſaltem Cardinalem ab illa deſdicta locationis recedere potuiſſe, quinimo reuera receſſiſſe, quod ſatis apertè demonſtrabat factum ſubſequutum, quia affictuarius continuauit prædictum affictum, & idem Cardinalis dedit Marcellino facultatem, reuocandi quaſcunque declarationes à ſe factas, & Marcellinus vigore facultatis à Cardinale ſibi tributæ, ad abundantiorem cautelam, reuocauit prædictam declarationem Cardinalis, ſuper caducitate, & declarauit, quòd ipſe tanquam ceſſionarius Cardinalis volebat locationem Salendio factam continuari, & effectuari per integrum quadriennium; ex quibus omnibus apparebat,Cardinalem pœnituiſſe,& receſſiſſe à prædicta eiectione,& conductorem non conſenſiſſe prædictæ declarationi caducitatis; & propterea contractum locationis in eiſdem terminis remanſiſſe, quia licèt verum ſit, colonum in ſoluendo moroſum, poſſe ad tempus expelli, quoaduſque ſcilicet penſionem ſoluat, locator tamen non poteſt in toto reſoluere locationem, quando in inſtrumento, ſeu contractu locationis,non eſt appoſitum pactum reſolutiuum,cùm locatio ſit contractus nominatus,* qui per non adimplementum non reſoluitur,vt fuit deciſum in vna Peruſina executionis die 11. Maij 1582. †& in alia Romana de Manelis die 19.Nouemb. eiuſdem anni coram D. meo Seraphino, & maximè in hoc caſu, cùm Cardinalis à diſdicta receſſerit incontinenti, antequam, vel conductor habuiſſet notitiam declarationis factæ per Cardinalem, vel antequam eam acceptaſſet, & tamen regulariter, ſine locatoris, & conductoris conſenſu locatio ſemel legitimè facta, * reſolui non poteſt,Purpuratus *conſ.*368.*num.*2. Corneus *conſil.*306. *num.*4. *lib.*3.

4. 5. 6.

* de hoc art. vide Ludou. deciſ.130. & annot.6.
† habetur in impreſſis Seraphin. dec. 577.& deciſ. 581.n.8.

7.
* adde Lud. dec.235.n.3.

Ex quibus inferebatur, hypothecam contentam in inſtrumento locationis, per Cardinalem Farneſium factæ, non fuiſſe extinctam, & conſequenter, vel prædictum Cardinalem, vel eius ceſſionarium potuiſſe conſequi ſatisfactionem affictuum decurſorum anno 1583. & 1584. ex fructibus recollectis de bonis locatis ann. 1582. iſte enim erat potiſſimus effectus huius diſputationis.

*Vercellen.*



---

## *Vercellen. Canonicatus.*

### Die Veneris 5. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

3 *Gratiæ iuſtificatio probatur per teſtes, de publica voce & fama.*

## DECISIO DCXCV.

1. DIe 23. Ianuarij proximè præteriti * fuit deciſum in hac cauſa coram me, gratiam Belletiæ fuiſſe in omnibus iuſtificatam, præterquam quoad valorem Canonicatus, & annexorum; & difficultas oriebatur ex eò,quòd in gratia Belletiæ dicebatur, quòd fructus Canonicatus,& Præbendæ,& membrorum Mottæ,& Pecianæ ei annexorum, non excedebant valorem 24. Ducator. computatis verò diſtributionibus quotidianis 150. & quia teſtes non concludebant valorem dictorum membrorum,ideo Rota cenſuit, valorem non probari.

* ſuprà dec. 662.in fine.

2. Cæterùm, quia paulo pòſt, die 4.Maij proximè præteriti, * fuerat deciſum, non probari membra Mottæ, & Pecianæ eſſe annexa huic Canonicatui,& Præbendæ,nec comprehendi in gratia Belletiæ,conſequenter remanſerat ſolùm probandus valor Canonicatus, & Præbendæ, nec comprehendi in gratia Belletiæ,conſequenter remanſerat ſolùm probandus valor Canonicatus, & Præbendæ, quem Domini in hac propoſitione ſufficienter probari dixerunt ex dictis duorum teſtium,aſſerentium, valorem Canonicatuum Eccleſiæ S. Euſebij Vercellen. vnà cum eorum Præbenda, communiter non excedere ſummam Doctorum 24.& computatis diſtributionibus quotidianis Ducator.150.*l.vbi numerus. ff.de teſtib.* Rota *deciſ.5.num.3.de reſcript.in nouis*;

* ſuprà deciſ.677.

3. maxime cùm ad effectum iuſtificationis gratiæ, ſufficiant teſtes de publica voce,* & fama reſpe-

4. ctu valoris beneficij impetrati. Rota *in vna Legionen.præſtimoniorum*, die 26.Martij 1593.coram Domino meo Pamphilio,*& in alia Toletana Parochialis de Alcaudeta*, die 10. Maij 1596. coram Illuſtriſſimo Cardinali Arigono,tunc Rotæ Auditore. Accedebant præterea alij teſtes de publica voce, & fama ;item de auditu, addebantque,quòd quando iſte Canonicatus impetratur, valor ſolet exprimi in 24.ſcutis, & computatis diſtributionibus quotidianis in 150.

*adde infrà dec.824.n.2. Dur. dec.85. n.4. & deciſ. 234. n.4. vbi alias dec. allegat, Mant. dec.132.n.4. & deciſ.228. n.1. & deciſ. 317. n. 2. & ſeq. Coccin. dec.87. n. 1. & deciſ.458. n. 3. & aliàs ſæpe, quod extende vt etiam probetur valor per vnum teſtem, & per teſtes deponentes de eorum credulitate, vt per Duran.deciſ. 172. n. 4. & dec.38.n.4.

---

## *Romana cenſus.*

### Die 8. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Alienatio rei Eccleſiaſtica vt valeat, duo requiruntur, ſolemnitas & iuſta cauſa, ita quòd ſi vnum deficiat, totum corruat,& num.*4.

3 *Solemnitas ſi deficiat in impoſitione cenſus Eccleſiaſtici, non valet impoſitio.*

5 *Teſtibus deponentibus in rebus prohibitis, vt in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, non creditur.*

6 *In alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, beneplacitum Apoſtolicum non præſumitur, niſi probetur.*

## DECISIO DCXCVI.

1. * PRæſuppoſito inſtrumento annui cenſus ſcut.72.cum dimid.auri in auro,ſub die 25. Februar.1561.Alemano de Romulis venditi pro pretio ſcutorum 1050.ſimilium.

* habetur hæc dec.impreſſa per Cenc. poſt tract.de cenſib. deciſ.18. licèt non ſit tam extenſum factum.

Ac alio inſtrumento ſolutionis pretij, ſupradicti cenſus ab illo de Romulis exburſati, factæ D. Archipreſbytero, pro extinctione alterius cenſus eiuſdem pretij, vt aſſerebatur aliàs ſub 1. Iunij 1551. impoſiti ad fauorem duorum fratrum eiuſdem Archipreſbyteri.

Nec non re iudicata, tam ex conformitate duarum conformium Rotalium, ſuper nullitate prædicti cenſus, ſub 21. Februarij 1561. impoſiti, quàm etiam ex lapſu fatalium appellationis,

Et lapſu temporis,ad petendam reſtitutionem in integrum,

Et alio inſtrumento annui cenſus ſcutorum 84. ſimilium ſub 1.Iunij 1551. ad fauorem duorum fratrum prædicti Archipreſbyteri, per ipſum Archipreſbyterum, & quinque Canonicos ſupradictæ Eccleſiæ impoſiti, nouiſſimè producto,

Et commiſſione manu Sanctiſſimi ſignata, vltimo loco in actis præſentata,

Et aliis vtrinque deductis,

Dubitaui, an conſtaret de bono iure Domini Iuliani de Romulis, ita vt aliquo remedio, contra Eccleſiam Sancti Celſi foret ei ſuccurrendum.

2. Et Rota vtraque parte informante, * negatiuè reſpondit, cùm enim ad validitatem alienationis rerum Eccleſiæ, vel grauaminis ei imponendi, duo copulatiuè requirantur,† ſolemnitas videlicet,& iuſta cauſa,ita vt ſi alterum deficiat, contractus, ſeu alienatio reddantur prorſus inualida. *C.de reb.Eccleſiæ non alienandis lib.6. Clement.1.eodem titulo*, Abbas *in cap.1.num.17. de reſtit. in integr.* Bactazia *conſil.*40. *num.*1. *lib.*1. Geminianus *conſil.*48.*num.*3. Affirmantes hanc eſſe communem opinionem, quam Rota ſemper fuit etiam amplexa,& pro ſolemnitate,beneplacitum Apoſtolicum * interuenire debeat; vt *in Extrauag.Pauli II. incip. Ambitioſæ, tit. de rebus Eccleſiæ non alienan.* Nauarrus *in Commentario de alienat.rerum Eccleſiar.num.*14.

* vide infrà in hac eadem cauſa dec.778.
† adde Dur. dec.250.n.1. & deciſ.459. num. 2. & 3. Cocc. deciſ. 445. n. 1. & Seraph. dec. 508. n. 1. & deciſ. 1490. n.1. Rot.rec. p.2.dec.430. n. 1. & 8. & aliàs ſæpe.
* adde Duran.dec.238. n. 25. & ſeq. Seraph. dec. 1307. n.1. & Rot.rec. p.2. dec.473.n.3. & deciſ.631. num.1.

Et in caſu propoſito,cùm non conſtaret,quòd in impoſitione ex dictis cenſibus, adhibita fuerit prædicta ſolemnitas, & conſequenter cenſus eſſent inualidi,non poterat de bono iure Iuliam conſtare. Couarruuias *lib.2.variar.reſolut.cap.17. num.2.* & fuit ſæpe in Rota deciſum.

3. Et ex hoc cap. dicebatur, quòd quamuis pro

4. parte Iuliani doceretur de iuſta cauſa impoſitionis cenſuum,quia tamen non conſtabat de legitima ſolemnitate, conſiſtere cenſus non poterant; & ex hoc potiſſimum fundamento ſuſtinebantur deciſiones, hucuſque in hac cauſa factæ, & ſententiæ Rotales pro Eccleſia Sancti Celſi latæ.

Supradictis accedebat, quia neque de cauſa iuſta impoſitionis cenſuum conſtabat, facta videlicet pro extinguendo cenſu maioris ſummæ, quia neceſſe erat,vt pro parte Iuliani probaretur

verſio

verſio pecuniarum, in cauſam Eccleſiæ. Couarruuias *d.cap.*17.*num.*3.

5. Rurſus reſpectu cenſus ſcut. 24. idem fuit iudicatum, quia licèt in inſtrumento reperto diceretur, cenſum fuiſſe impoſitum pro ſoluendis Eccleſiæ debitis, de his tamen non conſtabat, niſi ex aſſertione Archipreſbyteri, & quinque Canonicorum, * quorum aſſertioni non creditur in materia prohibita. Tiraquellus *in leg. connubial.gloſſ.*5.*num.*113.114.*&* 116.idem *in l.ſi vnquam, in verb.donatione largitus num.*89. *&* *ſeq. C. de reuocan.donat.*

* quod extende etiam in aſſertione Epiſcopi, vt per Caualer. dec.439.n.6.

6. Ex antiquitate temporis non poterat præſumi iuſta cauſa, quia nondum elapſum fuerat tantum tempus. † Alexander *conſil.*50.incip *In cauſa, & lite, num.*6. *&* 7. *lib.* 5. Decius *conſil.* 442. *num.* 22.

†ſcilicet 30. anni, Ludou. dec.52. n. 2. Mantic. 101. n. 2. Seraph. deciſ. 1073. n.2. & deciſ. 1125.n.3.

Neque præſumebatur beneplacitum Apoſtolicum, quia vltra quod non fuerat in impoſitione cenſus reſeruatum, ab anno 1561. vſque ad annum 1584. quando Canonici cœperunt excipere de nullitate, non fuerant lapſi niſi 24. anni, & tamen 30. anni requirebantur.

Denique, placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes, pro Eccleſia Sancti Celſi.

---

## *Veneta fœderis matrimonij.*

### Die Lunæ 8. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

1.2.3 *Citatio eſt neceſſaria, ad videndum iurare teſtes, niſi pars ſit præſens, vel ſeſe reſeruauerit opponere contra dicta eorum.*

5 *Iudex remiſſorialis non poteſt alteri committere examen teſtium.*

6 *Solemnitas adhibita in vno actu, intelligitur repetita in actu immediatè ſequenti.*

7 *Teſtes debent iurare, tactis Scripturis, ſed ſtandum eſt conſuetudini regionis, num.*9.

8 *Examen teſtium valet, licèt Notarius non dicat, quòd teſtis iurauit, tactis Scripturis.*

10 *Notarius ſi dicat teſtem iuratum reſpondiſſe, ſufficit ad valorem teſtimonij.*

11.12 *Solemnitas iuramenti cenſetur obſeruata in examine teſtium, ſi Notarius dicat teſtem iuratum.*

13 *Actus præſumitur factus ad inſtantiam illius, cuius fauorem reſpicit.*

14 *Teſtes nulliter examinati faciunt fidem contra producentem.*

## DECISIO DCXCVII.

1. * VTraque parte informante, Rota cenſuit, examen teſtium fuiſſe validum, non obſtantibus quinque potiſſimum nullitatibus, quæ opponebantur.

* habetur hæc dec. impreſſa per Poſt.tract.de manuten.deciſ.83.

Nam quantum ad primam deductam ex defectu citationis, ad videndum iurare teſtes ſicut iura requirunt, *cap.*2.*de teſtib.l ſi quando, C.eodem,* reſpondebatur, ex eo defectum ceſſaſſe, & examen de iure ſuſtineri potuiſſe, quòd pars aduerſa fuerat præſens, * quando Parochus, coram quo celebratum fuerat matrimonium, de quo agebatur, receptus in teſtem iurauit, & admiſſus, & examinatus fuit, cùm interrogatoriis partis contrariæ, nam conſequenter, eius præſentia omnem citationis defectum * purgauit. Boërius *deciſ.* 235.*num.*3. Archidiaconus *in cap. propoſuiſti* 82. *diſtinctione num.* 4. Abbas *in cap. bonæ el* 1. *num.*17. *de election.* quod eo etiam nomine affirmandum videbatur, quia reſeruauerat ſibi in examine exceptionem contra teſtes, & eorum dicta, vnde receptionem, & examen approbaſſe procul dubio cenſebatur, quod ipſum intelligendum etiam fuerat, reſpectu cæterorum teſtium, tunc examinatorum, cùm pars indiſtinctè reſeruauerit ſibi exceptionem contra perſonas, & dicta teſtium, illa enim reſeruatio indicabat, in reliquis receptioni conſenſiſſe. *l.cùm prætor. ff.de iudicijs.*

2.

* vide infrà deciſ. 1404. n.2.in tom.2.

3.

*adde infrà dec.722.n.2. & 3. & ſuprà dec.84. n. 3. vbi alias deciſ.annotaui, & Duran.deciſ.198.n.18. & deciſ.205. n.1. & 2.

4. Ad ſecundam nullitatem, deductam ex eo, quòd non aderat citatio ad videndum collationari exemplum proceſſus, tranſmiſſi ad iudicem delegantem, fuit reſponſum, exemplum proceſſus fuiſſe extractum ab eodem Notario actuario, vnde non poterat de fide illius dubitari, cùm eo ipſo cenſeretur eſſe in forma probante, abſque aliqua partis citatione, & iudicis auctoritate, nam illud cenſetur originale, *l. vnum*, cum ibi notatis, *ff. de teſtam.* Abbas *in cap. Albericus num.* 5. *verſic. & in hoc caſu, de teſtib.* Doctores communiter *in Authent.ſi quis in aliquo,* vbi Alexander *num.*5. Decius *num.*15. Cagnolus *num.*65. *C.de eden.* Couarr. *in pract. quæſt. cap.*19. *num.* 3. Rota *deciſ.*1. *de fide inſtrument.* quod ſæpe etiam Rota iudicauit in pluribus cauſis, & ſignanter *in vna Dertuſen.iuris conferendi,* die 24. Maij 1596. coram R.P.D. meo Pamphilio, *& in Caſalen.præpoſituræ*, die 4. Martij eiuſdem anni coram R. P. D. meo Gipſio, & nouiſſimè coram me in vna Gerunden. vini die 13. Maij proximè præteriti. *

* ſuprà deciſ. 679.n.3. vbi alias deciſ.annotaui.

5. Ad tertiam nullitatem oppoſitam ex eo, quòd teſtes non fuerant examinati per iudicem Remiſſorialem, ſed per alium ab eo deputatum, reſpondebatur, quòd cùm ex ſex teſtibus examinatis coram Adrien. quatuor primi fuerint recepti, & iurati coram ipſomet iudice Remiſſoriali, vt colligebatur ex depoſitione primi teſtis in principio examinis, ibi, *monitus, & examinatus,* per Vicarium, & iudicem commiſſarium, licèt in examine aliorum trium teſtium non reperenrentur eadem verba, ex quo tamen fuerant examinati eodem die, & loco; nec apparebat de mutatione iudicis, maximè veriſimilis erat præſumptio, quòd ab eodem iudice fuerunt examinati, tum quia non conſtabat de contrario, tum quia perſeuerantia præſumitur, & non mutatio. Alciatus *tract.de præſumpt.regul.*2.*præſumpt.*1. *&* 20. Menochius *conſil.*1. *num.*121. *lib.*1.

6. tum quia ſolemnitas adhibita in primo actu, intelligitur repetita in actu immediatè ſequenti. Bartolus *in l.ſi quis ex argentarijs.§.ſi initium, num.*2.*ff.de edendo.* Alexander *conſil.* 59. *num.*5. *verſic. non obſtat, ſecundùm eum lib.*2.

7. Quarta prætenſa nullitas collecta ex eo, quòd * teſtes non enuntiabantur iuraſſe tactis Scripturis, pro vt requirit Verallus *deciſ.*123. incip. *Iuramentum teſtis, part.*2. *&* *deciſ.*246. incip. *Notarius ſi in iuramento, eadem parte* 2. *&* *deciſ.*295. incip. *Teſtis non probat. part.* 3. cùm ſolùm Notarius diceret teſtis iuratus, vel teſtis iuratus, monitus, & examinatus, medio ſuo iuramento, tollebatur

* videtur Caſſan. conſil. 7. n. 18. Bellon. conſil.4.n.3. Aſinius tract.de execut. §. 8. cap. 2. & 29. hæc annota. reperitur in Codice originali R. P. D. Penna.



lebatur † per Dominos ex eo, quòd Rota in multis cauſis, publicæ vtilitatis gratia, pro ſuſtinendis proceſſibus, præſertim in partibus confectis, recedendo à prædictis Veralli deciſionibus tenuit, ac tenet, valere teſtium examen, licèt Notarius non dicat, quòd teſtis iurauit tactis Scripturis, ſed ſufficere, quòd enuntiet, vel teſtes iuraſſe, vel iuraſſe dicere veritatem; vel monitum, & iuratum depoſuiſſe; vel medio iuramento depoſuiſſe, vel eum præſtitiſſe iuramentum in forma, vel reductum ei fuiſſe ad memoriam iuramentum: vel teſtis, &c. iuraſſe, vel monitum fuiſſe de viribus, & importantia iuramenti.

†De hoc art. vide infrà dec.1404. in tom.2.& latè annota. ad dec.39. Lud. ann.4.& ſeq. & Caual. deciſ.322.n. 4. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

8. Ita enim fuit deciſum *in vna Beneuentana Notariatus*, anno 1564. coram Groperio, *& in alia Vicen. Feudi*, die 27. Ianuarij 1574. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, *& in alia Cluſina penſionis*, die 30. Martij 1576. coram Blanchetto, *& in alia Calaguritana Beneficij*, die 5. Decembr. 1586. coram Domino meo Seraphino Razalio Rotæ Decano, & iterum *in alia ciuitaten. fabricæ, ſeu conſtructionis Capellæ*, die 20. Februarij 1589. * coram eodem, & nouiſſimè *in vna Cathanien. illegitimitatis*, die 29. Maij proximè præteriti coram Domino meo Orano, quas deciſiones amplexi etiam fuimus Auditores Rotæ, deputati in cauſa canonizationis S. Iacinthi Poloni, & iterum in relatione canonizationis Beati Raymundi de Peniafort. anno 1597.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 257. à n. 85. cum ſeqq.

9. Quamuis enim notum ſit, teſtes per Deum, & Euangelia, vel Scripturas ſacras corporaliter tactas iurare debere, *cap.hortamur* 3. *quæſt.*9. nihilominus tamen vltra quòd in his inſpici ſolet regionum conſuetudo, ſi Notarius prædictis modis enuntiet * teſtes iuraſſe, ſufficit pro examine ſuſtinendo, quia præſumitur, & Notarium, & iudicem ſeruata regionis conſuetudine, à teſtibus iuramentum exegiſſe; maximè cùm recentiora iura ab illa antiqua formula quodammodo receſſiſſe videantur, *cap.qualiter, & quando, §.formam verò, & cap. cùm dilecti. §. quia verò, de accuſat.*

*licèt contrarium videatur deciſum coram Cocc. deciſ. 182. n. 4. & habetur penes March. de commiſſ. p.3.pag.92.

10. Couarruuias *lib.*2.*variar.reſolut.cap.*13. *num.*2. licèt tutius eſſe dicat, ſi Notarius expreſſim ſcribat ipſius iuramenti formam, & ſolemnitatem, nihilominus fatetur ſufficere, ſi Tabellio ſcripſerit, Titium teſtem iuratum reſpondiſſe, per doctrinam Bartoli *in l.Theopompus.ff.de dote prælegat.*

Poſtremò in hoc caſu omnis difficultas ceſſare videbatur, quia teſtes erant examinati coram iudice, & conſequenter creditur Notario enuntianti, teſtis iuratus depoſuit,

Et ſupradicta locum habent, ſi iudex, ſiue Notarius ex iudicis commiſſione teſtes examinauerit, ſi quidem pro Notario præſumitur, quòd tempore examinis adhibuerit ſolemnitatem actui congruentem, *cap. ad audientiam, de præſcript. l.ſi quis decurio.C.de falſis.* Baldus *in l.Imperator.ff.de ſtatu hominum.*

11. Etiamſi non ſcribat extensè, ſub qua forma. Baldus *in l.iuriſiurandi, num.*6. *verſ.ſolue.* vbi Salicetus *num.*4. *C.de teſtib.* Marſilius *in l.*1. *§.ſi quis dicatur, num.*6. *ff. de quæſtionib.* & fuit deciſum *in dicta cauſa Toletana decimarum*, die 21. Iunij 1583. coram Domino Blanchetto.

12. Et ſupradicta omnia procedunt, ſiue Notarius de iuramento teſtis faciat mentionem, enuntiatiuè dicendo, *teſtis iuratus depoſuit*, ſiue affirmatiuè dicendo, *teſtis iurauit*, vel *teſtis præſtitit iuramentum.* Rota enim non ſeruat doctrinam gloſſæ *in cap.vt circa, in verb.præſtito, de elect.lib.*6. neque Lanfranci de Otiano *in cap. quoniam contra, de probat.in verb.teſtium depoſitiones, num.*254. *verſ.vnde Notarius*, in qua fundantur ſupradictæ deciſiones Veralli.

Quinta, & poſtrema nullitas deducta ex eo, quòd non repeririretur quis teſtes produxerit, tollebatur ex facto; ex proceſſu enim conſtabat, teſtes fuiſſe productos ad inſtantiam Alphonſi principalis, & Procuratoris in cauſa reſpectu fratrum. 13. Præterea dicebatur, quòd licèt de hoc conſtaret, adhuc cenſerentur ab Alphonſo producti; cùm actus præſumatur factus ad inſtantiam illius, cuius fauorem reſpicit. *cap.conſtitutis el* 1. vbi Abbas *num.*3. *de teſtib.*

Poſtremò dicebatur, quòd cùm lis ageretur inter Alphonſum ex vna, & Dominos de Cathaneis negantes matrimonium ex altera parte, & teſtes iſti in hoc iudicio reperirentur examinati, neceſſe erat fateri, eos fuiſſe productos ab altera ex partibus, & conſequenter, ſi ad inſtantiam Alphonſi erant producti, nec teſtes, nec proceſſus poterant ab ipſo impugnari: ſi autem fuerunt producti ad inſtantiam Dominorum de Cathaneis, minus patebat impugnationi locus, 14. cùm teſtes etiam nulliter examinati, fidem contra producentem faciant, & circa hoc ceſſabat difficultas, ex quo reperiebatur factum examen, cum interrrogatoriis partis, vt dictum fuit.

---

## *Romana fideicommiſſi.*

### Die 12. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Mors ciuilis naturali æquiparatur.*

3 *Monaſterium an comprehendatur in conditione, ſi ſine filijs deceſſerit.*

4 *Monaſterium incapax ſucceſſionis, facit locum ſubſtituto.*

5 *Theatinorum religio eſt incapax ſucceſſionis.*

## DECISIO DCXCVIII.

BAlthaſar Florent us anno 1548. condito teſtamento, vniuerſalem hæredem inſtituit Rodulphum Florentium, filium ſuum legitimum, & naturalem, cui ſine filiis legitimis, & naturalibus decedenti, vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum ſubſtituit Claudiam, & Clementiam, Rodulphi ſorores; mortua deinde Clementia ſine filiis, Rodulpho religionem Theatinorum S. Syluestri de Vrbe ingreſſo, & profeſſo, Claudia vnica Balthaſaris filia ſuperſtes, ad fideicommiſſum vocata, anno 1577. coram A. C. contra Dominos Iulium Octauium, & Federicum de Pamphiliis, tanquam detentores cuiuſdam vineæ, quam Balthaſar, dum vixit, & deinde poſt illius obitum Rodulphus, Balthaſaris filius, & hæres poſſederat, & in prædictos Pamphilios alienauerat, lite mota, viuente adhuc Rodulpho, ſententiam contra ſe reportauit; ſed propoſito dubio in Rota, an prædicta ſententia 1.

rentia eſſet confirmanda, vel reuocanda; Domini quatenus religio Theatinorum omnino eſſet * incapax acquiſitionis bonorum, reuocandam cenſuerunt, quoniam per ingreſſum Religionis Rodulphi, & ſic per mortem ciuilem, quæ æquiparatur naturali. † *l. Deo nobis. C. de Epiſc. & Cleric. c. placuit* 13. *quæſt.* 1. purificatum fuerat fideicommiſſum; licèt enim anceps, & controuerſa quæſtio ſit, an Monaſterium comprehendatur in conditione, *ſi ſine filijs deceſſerit*, & receptiori Doctorum calculo comprobata videatur affirmatiua opinio, quòd Monaſterium excludat ſubſtitutum, * *Authent. niſi rogati. C. ad Trebellian.* Alexander *conſil.* 121. *num.* 11. *lib.* 2. Couarruuias *lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 19. *num.* 11. & alij, quos refert Michaël Graſſus *in §. fideicommiſſum, quæſt.* 40. *num.* 1.

* vide infrà deciſ. 739. in hac eadem cauſa.

2\. † intellige hanc regulam procedere in caſibus à iure expreſſis, vt per Rot. diu. p. 2. dec. 92. n. 9. vſque in finem; & rec. p. 1. dec. 240. num. 7.

3\. * quod fallit quando pia cauſa fuit ſubſtituta, vel ſi teſtator reſpexit ad familiam conſeruandam, vt per Mantic. dec. 32. n. 2. & 3.

Nihilominus, quando Monaſterium eſt incapax ſucceſſionis, communis opinio eſt, ſubſtitutum admitti. Baldus *in cap. in præſentia num.* 13. *de probation.* Alexander *conſil.* 13. *lib.* 3. *num.* 1. Decius *conſil.* 259. *num.* 6. *verſ. & ideo in Monaſterio.* Pariſ. *conſil.* 66. *num.* 10. *lib.* 2. Oſaſcus *deciſ. Pedemontana* 126. *num.* 26. Ripa *in l. ex facto num.* 12. *ff. ad Trebell.* Emanuel à Coſta *in cap. ſi pater, in verb. abſque literis, num.* 61. *circa finem, de teſtam. lib.* 6. Sfortia Oddus *tractat. de compendioſa ſubſtitutio. partic.* 6. *art.* 6. *limitatione* 7. *verſ. an legitimi tantùm, concl.* 8. Illuſtriſſimus Cardinalis Mantica *lib.* 11. *de coniect. vltim. volunt. tit.* 7. *num.* 8. idem Graſſus *in d. quæſt.* 40. *num.* 7. Molina, (qui plures refert) *de Hiſpanor. primogen. cap.* 9. *num.* 41. Gregorius Lopez *l.* 10. *tit.* 4. *partita* 6. *gloſſ.* 8. *quæſt.* 2.

Vnde, ſi Religio Theatinorum ſit ſucceſſionis incapax, per ingreſſum, & profeſſionem Rodulphi, Claudia non fuit à fideicommiſſo excluſa, & conſequenter ſententia A.C. veniebat reuocanda, & vinea Claudiæ reſtituenda.

Facta diligentia, per Florentium, R.P.D. Generalis Theatinorum tranſmiſit ad me tenorem conſtitutionis ſuæ religionis, quæ ita habet:

*Parte 2. Conſtitutionum cap. 1.*

Licèt nos, neque per poſſeſſionem, neque per ſacros Canones, annuos redditus in communi poſſidere prohibeamur, imò decreto Concilij Tridentini nobis id expreſsè concedatur; nihilominus voluntariè, abſque vllo obligationis vinculo, quo nullo pacto aſtringi volumus, ab illis abſtinemus, quo & à ſecularibus negotiis, & tumultibus, magis reddamur alieni, & imitemur paupertatem Ieſu Chriſti Domini noſtri, Sanctorum Apoſtolorum, ac multitudinis illorum, quibus cor vnum, & anima vna fuiſſe legitur, omnem ſpem noſtram in Chriſti Domini verbis collocantes; qui ait: *Nolite ſoliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.*

---

## *Vercellen. vnitatis Capituli.*

### Die Veneris 12. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

1. *Vicarij deputatio per mortem Epiſcopi, eſt actus Cathedralitatis, pertinens ad Canonicos, & num.* 9.
3 *Iuriſdictionalia tranſeunt ad Capitulum, Sede Epiſcopali vacante.*
4 *Vtentis cauſa quando eſt vniuerſalis, tunc per vnum actum particularem vniuerſalis poſſeſſio quo ad alia acquiritur.*
5 *Cauſa actus, quando eſt vniuerſalis, magis attenditur cauſa, quàm exercitium.*
6 *Epiſcopatus poſſeſſio acquiritur per inſtallationem in loco deputato dignitati.*

## DECISIO DCXCIX.

CVm orta lite inter Canonicos Eccleſiæ S. Euſebij, & Canonicos S. Mariæ Maioris ciuitatis Vercellen. Nuntius Apoſtolicus Taurinenſis ad fauorem Canonicorum S. Mariæ Maioris pronuntiaſſet, & cauſa per appellationem fuiſſet in Rota introducta, dubitaui, an Eccleſiæ S. Mariæ Maioris eſſe dandum mandatum de manutenendo; & Rota vtraque parte informante, dandum fuiſſe cenſuit, quo ad omnes actus, etiam iuriſdictionales, competentes aliis Canonicis Eccleſiæ S. Euſebij. 1.

Ex pluribus enim actibus poſſeſſoriis, ſpectantibus ad Canonicos Eccleſiæ Cathedralis apparebat, Canonicos S. Mariæ, tanquam Canonicos Eccleſiæ Cathedralis ſe ſe geſſiſſe, & conſequenter, pro talibus habendos, reputandos, & manutenendos fuiſſe. Primum enim conſtabat, 2.
quòd Sede Epiſcopali vacante, ſimul cum Canonicis S. Euſebij, concurrunt in deputatione Vicarij, qui actus Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis tantum competit, * cùm iuriſdictionalia ad Capitulum tantùm Eccleſiæ Cathedralis, Sede Epiſcopali vacante, tranſeant. *cap. cùm olim, de maior. & obedien. cap. vnico, eod. tit. lib.* 6. gloſſ. *in Clement.* 1. *§. propter quod, in verb. Capituli, de hæret. & ibi* Zabarella *in verb. duro, num.* 11. Vitallinus *num.* 46. Federicus Senen. *conſil.* 16. *num.* 2. 3.

* adde infrà dec. 813. n. 5. & ſuprà dec. 128. n. 22. vbi alias dec. annotaui & Rotam rec. p. 1. dec. 346. n. 2.

Et quamuis iſte actus videretur eſſe vnicus, & particularis; nihilominus ex eo dicebatur acquiſita quaſi poſſeſſio, quoniam quando cauſa vtentis eſt vniuerſalis, * tunc per vnicum actum particularem acquiritur vniuerſalis poſſeſſio quo ad alia, & ratio eſt; quia magis attenditur cauſa actus, quàm ipſius actus exercitium. Baldus *in repetit. l.* 1. *num.* 24. *verſ. tu dic. C. de emancipat. liberor.* Oldradus *conſil.* 3 *r* 2. *circa finem, num.* 2. Felinus *in cap. auditis num.* 19. *verſic. dicit Baldus, de præſcriptionib.* & fuit deciſum *in vna Toletana annatar.* * die Februarij 1581. coram bon. mem. Cantuccio, & iterum *in vna Tudertina Prioratus*, die 17. Nouembris 1589. coram Domino meo Orano. 4.

* adde Dur. dec. 424. n. 4. Ludou. deciſ. 557. n. 4. & latè annota. n. 10.

5.

* habetur deciſ. 139. p. 2. in impreſſis diuer.

Supradictis etiam accedebat, quia Epiſcopi Vercellenſes in adeptione poſſeſſionis Epiſcopatus, perinde ſtallabantur in Sede Eccleſiæ S. Mariæ, ac in Sede S. Euſebij, qui actus tanquam ſignificatiuus, quòd Eccleſia S. Mariæ ſit etiam Epiſcopalis, arguebat iuſtam prætenſionem Canonicorum S. Mariæ ſaltem reſpectu poſſeſſorij, de quo agebatur, cùm poſſeſſio Epiſcopatus acquiratur per inſtallationem, in ſede, * vel loco deputato dignitati Epiſcopali, Innocent. *in cap. in litteris, num.* 7. *verſic. credimus autem, de reſtitut. ſpoliat.* Baldus *in l.* 2. *num.* 54. *verſic. reſpondeo ad primum. C. de ſeruitutibus, & aqua.* 6.

* adde infrà dec. 761. n. 5.



7\. Quæ omnia clariora reddebantur ex litteris Innocentij III. Gregorij IX. & Vrbani IV. ex quibus apparebat, Eccleſiam S. Mariæ, & S. Euſebij, quæ Cathedralem, & Epiſcopalem ſedem complectuntur, ſimul conſtituere Capitulum Vercellen. & ambas Cathedrales, & vnum corpus exiſtere, & vtriuſque Eccleſiæ Canonicos, ab Epiſcopo ad communes tractatus eſſe conuocandos.

8\. Poſtremò non diſplicuit, quòd ex Iacobo de Voragine Genuenſe Archiepiſcopo commemorabatur, in vita S. Euſebij, quem (cùm primùm fuit Epiſcopus conſtitutus,) narrat, vrbem Vercellen. ingreſſum, ante oſtium maioris Eccleſiæ, quæ eſt, (inquit) B. Mariæ, genua flexiſſe, hinc enim apparebat, antiquiorem fuiſſe Eccleſiam B. Mariæ, quàm S. Euſebij, neque in Cathedralem erectam, niſi poſtquam ille glorioſum Martyrium conſummauit.

9\. Neque ſupradictis obſtabat, quòd vtriuſque Eccleſiæ Capitulum faceret actus particulares; quia ſatis erat, quòd vtraque Eccleſia conſtitueret vnum corpus, & vnum Capitulum, quoad gubernationem vniuerſalem, ſub quo comprehenduntur omnia concernentia cathedralitatem.

Et ex hoc ceſſabat obiectio, quòd actus Canonicorum S. Mariæ Maioris forent æquiuoci: nam actus electionis Vicarij, qui eſt iuriſdictionalis, adeò erat ſignificatiuus, & clarus, vt non poſſit in dubium reuocari: & propterea, conformiter fuit concluſum, mandatum de manutenendo, Canonicis Beatæ Mariæ fuiſſe concedendum.

---

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 16. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

3 *Stylus Rotæ non admittit, diſputare de veritate vnius, vel alterius rationis deciſionis, ſi in ea potiſſimum non fundatur.*

## DECISIO DCC.

1\. AGentes pro Domino Tiberio Ceulio, inſtanter, & ſæpe petiuerant diſputari hoc dubium, an voluntas bon. mem. Hieronymi Ceuli, aui Dominæ Clariciæ Ceulæ fuerit, quòd claricia haberet pro eius dote, loca 50. montium, & fructus, caſu, quo ipſa contraueniſſet Hieronymi diſpoſitioni, & voluntati, & quia dubitabant Domini de effectu, iuſſi fuerunt declarare, quid prætenderent concludere ex eo dubio; & poſt multa dixerunt, effectum diſputationis tendere ad hoc, quòd Domina Claricia non eſſet habitura prædicta 50. loca, & fructus, caſu, quo contraueniſſet, attento, quòd prædicti Hieronymi voluntas in caſu contrauentionis fuit, vt haberet ſcuta 600. item diſputationem tendere ad effectum defendendi voluntatem ſui patris, quem Dominus Tiberius, pro ſuo intereſſe, defendere prætendebat.

Quoniam autem informantes pro Claricia dicebant, hanc diſputationem eſſe doloſam, ex quo talis effectus iam aliàs fuerat diſputatus, & declaratus coram R.P.D. meo Orano, die 2. Decembris 1587. & die 9. Iunij 1589. Domini ordinauerunt, dari copiam prædictarum deciſionum, quibus viſis, vtraque parte informante, cenſuerunt, ne præfatum dubium diſputaretur, quia reuera effectus prætenſus à Domino Tiberio, iam erat deciſus, quod non negabant eius Aduocati; licèt replicarent, quòd prioris deciſionis ratio non ſubſiſtebat, & quòd intendebant, vt ab illa recederetur, propter dictum effectum. Nam dicebant Domini, non eſſe de ſtylo Rotæ, diſputare de veritate vnius, vel alterius rationis deciſionis, quando in ea potiſſimum deciſio non fundatur, cùm ſatis ſit, vnam eſſe firmam. 2. 3.



Quibus accedebat, quia in hac cauſa, die 18. Septembr. 1597. reſcripto ſuo Sanctiſſimus præcisè ordinauerat, his verbis, *ne ſi torni in maniera alcuna à rediſputare*, * *le coſæ deciſæ.* & die 22. eiuſdem menſis, in Congregatione habita apud Sapientiam, Rota viſo dicto reſcripto iuſſit, quod ad vnguem iuxta illius formam procederetur.

* adde infrà dec. 728. n. 2. & deciſ. 822. num. 2.

4\. Neque ei obſtare aliud poſterius reſcriptum, à Sanctiſſimo obtentum, à Domino Tiberio, vt procederetur in cauſa, pro iuſtitia. Quia intelligebatur de vlteriori proceſſu, in caſibus non deciſis.

Et ex ſimili petitione ſuſpicabatur Rota, quòd iſta prætenſio potius, quàm partis aduerſæ tendebat ad protelationem cauſæ.

---

## *Anconitana dotis.*

### Die Veneris 12. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Clauſula*, ſine præiudicio legitimæ executionis, *reſtringit omnia contenta in reſcripto.*

## DECISIO DCCI.

EQues Fanellus vigore commiſſionis mihi præſentatæ, obtinuerat inhiberi, ne Dominus Comes Iulius Cæſarnappus ipſum moleſtaret coram A.C. vigore obligationis, ſuper dote ſoluenda; cæterùm, quia in commiſſione aderat clauſula, *ſine præiudicio legitimæ executionis*, & Comes Nappus agebat, vigore apochæ, quæ vigore ſtatuti Anconitani *tit. de execut. publicor. inſtrument. rub.* 8. habet executionem paratam, Rota cenſuit declarandam inhibitionem, *vt ſtaret ſine præiudicio legitimæ executionis*, & Comitem Nappum, pro conſequendis aliis terminis dotis promiſſæ, potuiſſe agere contra Equitem Fanellum, vel coram A.C. vel coram me. 1.

Non obſtat clauſula, *quam, & quas*, & clauſula, *cum annexis, & connexis, totóque negotio principali*, per quas prætendebat Eques Fanellus, mihi fuiſſe commiſſum vniuerſum negotium, * ita vt ſolus procedere deberem, & per conſequens potuerim inhibere A. C. ne procederet.

* adde Dur. dec. 60. n. 33. & ſeq. & deciſ. 240. n. 4. Ludou. deciſ. 270. n. 4. & 5. & annot. n. 11. & deciſ. 399. n. 6. Caual. dec. 292. n. 2. & 3. Rot. recen. part. 1. dec. 360. n. 3. & diuer. p. 2. dec. 187. n. 6.

Quia fuit reſponſum, prædictas clauſulas fuiſſe reſtrictas, & limitatas per clauſulam, *ſine præiudicio*

* adde Rot. diuer.part.1. dec.349.n.1.

*iudicio legitimæ executionis*, per quam reſtringuntur omnia contenta in reſcripto,*vt fuit dictum in cauſa Strigonien. violationis teſtamenti, coram Domino meo Iuſto, die 5.Maij 1595.

---

## *Firmana beneficij.*

### Die Veneris 19. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Valor beneficij probatur per ſemiplenam probationem.*

3.4 *Iuſtificare tenetur ceſſionarius beneficij gratiam anteceſſoris,ſi iſte non ſit poſſeſſor triennalis.*

## DECISIO DCCII.

1. ROta vtraque parte informante cenſuit gratiam R. P. D. Diaz non fuiſſe iuſtificatam, nam omiſſis notis qualitatibus eiuſdem Domini, de quibus non erat controuerſia, valor beneficiorum S. Ioannis Baptiſtæ in Monaſterio, ſeu Eccleſia S.Franciſci exiſtentis, & alterius beneficij S. Mariæ Miſericordiæ, ad quæ ius habere narrauit, quòd non excederent 60. ſcutos, non erat iuſtificatus, nam teſtes non concludebant non exceſſum, ſicut concludere eos oportebat, reſpectu alterius beneficij S.Mariæ, exiſtentis in Eccleſia S. Abundij, non erat iuſtificata gratia, quia teſtes non deponebant de aliquo certo valore frumenti, nec dicebant, quòd beneficium non haberet alios fructus, nec relatio ad arrendamenta ſuffragabatur, cùm illa non probarentur.

2. Valor beneficij impetrati narratur non excedere 80.Ducatos,* licèt per ſemiplenam probationem poſſit iuſtificari. Ægidius *deciſ.*624.& in hoc caſu adeſſet confeſſio Gerardini aduerſarij, quæ in ſuis litteris eundem valorem expreſſerat, & conſequenter diceretur benè probatus, Ægidius *deciſ.*268.non tamen ſuffragabatur,quia non erat de eodem anno, nec probationes erant de tempore gratiæ.

* adde ſuprà dec.399.n.3. vbi alias deciſ.annotaui.

3. Reſpectu etiam iuris Domini Diaz,gratia eius videbatur pati multam difficultatem, nam ipſe veniebat, vigore ceſſionis ſibi factæ à Cæſare Galio, qui de eodem beneficio fuerat prouiſus, tanquam vacante, per contractum matrimonij Horatij Centofloreni.& conſequenter Dominus Diaz tenebatur iuſtificare gratiam Galij, non ſecus ac Galius ipſe tenebatur * ipſam iuſtificare, ſi voluiſſet obtinere contra Alexandrum Gerardinum, vt fuit deciſum *in cauſa Firmana beneficij*, die 13. Maij 1596. coram Domino meo Pamphilio, quæ concluſio generaliter, & indiſtinctè vera eſt, quoties auctor ſubrogati, ſiue

* adde Rot. recen.part.2. dec.160.n.3. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

4. ceſſionarij, † non fuit triennalis pacificus poſſeſſor, vt in dicta deciſione firmatur:& cum gratia Galij(quæ eſt propter vacationem huius beneficij,ob contractum matrimonium Centofloreni, cui nullum ius competebat, vt coram D. meo Orano reſolutum fuit,) propterea iniuſtificabilis videretur, ideo gratia Domini Diaz multam videbatur habere difficultatem, præſertim ſi ipſe non poſſit prætendere maius ius, quàm Galius habebat: clauſula etiam, *quouis modo*, quæ allegabatur pro Domino Diaz, ſatis videbatur excludi, ex deductis per informantes pro Gerardino.

†adde Cocc. dec.475.n.3. & Rot. rec. p.2.dec.309. n.1.

5. Et ſi reſpectu iſtius iuris non erat locus gratiæ Domini Diaz,non erat ampliùs neceſſarium, illam iuſtificare reſpectu valoris beneficiorum, de quo particulariter erit agendum.

---

## *Romana penſionis.*

### Die Lunæ 22. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

3 *Penſionem ſoluere tenetur Canonicus à die conſtitutionis penſionis.*

4 *Creditor penſionis dicitur penſionarius ex die impoſitionis.*

5 *Penſio ſoluenda eſt reſpectiuè ad annum, per poſſeſſores beneficij.*

6 *Res cum ſuo onere,ad quemcumque tranſire debet.*

7 *Succeſſor in beneficio, poſt acceptationem, tenetur ad ſolutionem penſionis.*

## DECISIO DCCIII.

1. COllatus fuerat Illuſtri Domino Comiti,Ioſepho Gotifredo de Iſeis, Canonicatus Baſilicæ S.Petri, die 28.Maij 1591.cum reſeruatione annuæ penſionis 300.ſcutorum auri in auro, R. P. D. Marcello Veſtrio, in duobus terminis perſoluendæ, nempe in feſto Natiuitatis B.Mariæ Virginis, ideſt, die 8.Septembris, & in feſto Annuntiationis eiuſdem B. Mariæ, hoc eſt, die 25.Martij, & ſic deinceps ſequentibus annis.

Poſſedit Canonicatum Comes Gotifredus quatuor annis, duobus menſibus, & quinque diebus, vſque ad diem ſcilicet 3. Auguſti 1595. quo toto tempore penſio integrè ſoluta fuit.

2. Cæterùm, quia Comes Gotifredus eodem die 3.Auguſti ad fauorem Domini Tiberij, Ricciardelli, cum expreſſa, & indiuidua mentione reſeruationis prædictæ penſionis, Canonicatum in manibus Papæ reſignauerat,& Dominus Veſtrius coram A. C. contra Comitem mandatum executiuum pro rata temporis relaxauerat, & orta controuerſia ſuper liquidatione iſtius ratæ temporis(quam Dominus Veſtrius prætendebat, eſſe tot menſium,quo fluxerunt à die 25.Martij, vſque ad diem 3. Auguſti: contrà verò Comes aſſerebat,eſſe tot menſium,& dierum quo fluxerunt à die 28.Maij,vſque ad diem 3.Auguſti) Reuerendiſſimus Dominus meus Seraphinus Rallalius,Rotæ Decanus, in quem partes conſenſerant,mandatum A.C.declarando,Comitem Gotifredum reſignantem non teneri ad ratam prædicti termini,niſi pro diebus 67. tranſactis,à die reſeruationis, videlicet 28.Maij, vſque ad diem reſignationis, 3. ſcilicet Auguſti, & pro reſiduo teneri Ricciardellum reſignatarium,pronuntiauerat,*&Ricciardellus prætendens,ſe grauatum appellauerat, dubitaui, an ſententia, ſeu decretum A.C.eſſet confirmandum,vel infirmandum; & Rota vtraque parte informante, ad fauorem Comitis Gotifredi, confirmandum cenſuit:cùm enim hæc penſio eſſet annua, ſicut cæteræ, quæ ſimiliter reſeruari ſolent,& annus inciperet à die conſtitutæ penſionis,nempe à die 28.Maij, conſequens erat, vt Comes Gotifredus, qui ad ſol- 3.

*adde Cocc. dec.327.n.1. & Caual. deciſ. 129. n.1. & 2. & vtrobique ad propoſitum allegãt hanc deciſ.



uendum terminum, de quo agebatur, per decretum A. C. pro rata temporis fuerat condemnatus,non teneretur,niſi pro tempore,quo poſſederat Canonicatum,* & ſic cùm à die 28.Maij anni 1595.vſque ad diem 3.Auguſti eiuſdem anni, ſolùm excurriſſent menſes duo, & dies ſeptem,pro hac ſolùm temporis portione,tenebatur ad ſolutionem penſionis, pro reliquo verò tempore, quo iam ad Ricciardillum pertinebat Canonicatus,†Ricciardellus erat ad ſolutionem penſionis condemnandus; illa enim verba, *pro rata temporis*, non ad tempus deſtinatæ ſolutionis,ſed ad diem reſeruationis penſionis,Rota in hoc caſu referenda cenſuit, cùm verè & propriè quis penſionarius efficiatur poſt diem reſeruationis, à quo tempore incipit penſionarius verè & propriè eſſe penſionis creditor,& habet actio-

* adde Dur. dec.448.ferè per totam, & præcipuè n. 34. vbi cum aliis allegat hanc deciſ.& de hoc artic. latè agit Garc. de benef. p.1.c.5. & n. 190. ad propoſitum allegat hanc deciſ.

*adde Mant. dec.224.n.1.

4. nem contra eum,qui poſſidet beneficium: vnde cùm in caſu propoſito, ratione termini, de quo agebatur, Dominus Veſtrius eſſet creditor penſionis,non poterat exigere à Comite Gotifredo, pro maiori tempore, quàm Comes poſſederat Canonicatum, ſed pro reliquo, contra ſucceſſorem in Canonicatu agere oportebat,cùm penſio debita dicatur, reſpectiuè ad annum, vt fuit de-

5. claratum per Rotam *in vna Placentina penſionis*, die 4.Iulij 1567.coram D.meo Seraphino.*

* habetur in impreſſis Seraph.dec.24.

Nec Ricciardellus, in Canonicatu ſucceſſor, poterat hoc onus ſoluendi penſionem pro rata temporis, prædicto modo declarata, recuſare, cùm Canonicatum onere penſionis grauatum acceptauerat,& res cum ſuo onere ad quemcunque tranſire ſoleat.*l.ſi debito.C.de diſtract.pignor.* Crauetta *conſil.*112.*num.*2. & *Clement.*1.*de cenſibus.* *l.Marcellus.* *ff. ad Trebell.* & notum præterea ſit,* ſucceſſorem in beneficio teneri ad ſolutionem penſionis, ſaltem poſt acceptationem beneficij decurſæ. Verallus *deciſ.*13.*part.*1.

* adde ſuprà dec.614.n.2. vbi alias deciſ.annotaui.

Neque obſtabat,quòd Ricciardellus non acceperit poſſeſſionem Canonicatus,niſi poſt terminum maturatum, quia cùm Comes ante maturatum terminum præſtiterit conſenſum, id Ricciadello imputandum fuerat, Creſcentius *dec.*3. *de cauſ.poſſeſſ. & propriet.* vel ſatis erat, iam tunc vigore reſignationis Canonicatum Ricciardello fuiſſe debitum.

Atque ex his fuit concluſum, ſententiam, ſeu decretum A.C. ad fauorem Comitis Gotifredi fuiſſe confirmandum, ſine vllo tamen R. P. D. Veſtrij præiudicio, qui integrum terminum erat ab vtroque conſecuturus.

---

## *Alexandrina beneficij Sancti Stephani.*

### Die Lunæ 22. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Vnio beneficij vt probetur, debet conſtare per immemorabilem, vel quadragenariam poſſeſſionem, cum titulo, & num.*5.

3 *Vnio non effectuata cenſetur, ſi conſtat de contraria poſſeſſione.*

4 *Immemorabilis ceſſat, quando conſtat de actibus contrarijs.*

6 *Locationis actus non inducit dominium in locatore.*



8 *Vnio non probatur per ſolam vocem, & famam publicam.*

9 *Præſumptioni non eſt locus, quando actus inducunt contrarietatem.*

## DECISIO DCCIV.

1. BEneficium,de quo agebatur, vigore Concilij, fuerat aliàs vnitum ſeminario Alexandrino, & cùm vacaſſet anno 1588. ſeminarium illius accepit pacificam poſſeſſionem,quam cum fructuum perceptione hucuſque continuauerat.

Sed, quoniam Congregatio oblatorum Mediolanen. prætendens illud eſſe vnitum Abbatiæ S.Iuſtinæ, loci Sexadij, Aquen.diœceſis, quæ dicitur eorum Congregationi vnita,in iudicio deſuper moto à R.P.D. meo Litta,Congregatione oblatorum tantùm informante) obtinuit ſententiam fauorabilem,in gradu appellationis,dubitaui, an ſententia Rotalis foret confirmanda, vel infirmanda.

2. Et Domini, vtraque parte informante, ex nouiter deductis,reuocandam cenſuerunt,quia non conſtabat de vnione facta Abbatiæ per immemorabilem, * vel quadragenariam, cum titulo prout requiritur, iuxta *conſil.*Felini 2. quod ſæpe Rota approbauit,& doctrinam Rebuffi in praxi beneficiali *tit.de vnion.* quinimo ex nouiter deductis apparebat,ab an.1537.vſque ad ann.1558. hoc beneficium fuiſſe poſſeſſum, tanquam liberum à Cardinale S.Crucis, & poſtea ab Abbate S. Iuſtinæ, tanquam diſtinctum, & ſeparatum.

* adde Rot. recen.part.2. dec.58. n. 1. Seraph. dec. 886.n.1.Lud. dec.196. vbi latè annota. n. 3. & vide ſuprà deciſ. 337. & Rot. recen.part.1. dec.233.n.5.

3. Vnde dicebant Domini, prætenſam vnionem non habuiſſe effectum,cùm non effectuata cenſeatur, quando conſtat de contraria poſſeſſione, Calderinus *conſ.*13.*de reb.Eccleſ.non alienan.* Rota *deciſ.*4. *eodem tit.in antiq.* & *deciſ.*3. *de rer.permut. in antiq.* Guido Papæ *conſil.* 124. *in* 3. *requiſito.* Boërius *dec.*46.*n.*2.Thomas de Thanis *dec.*43.

4. Vel ſaltem, iſta interruptio poſſeſſionis de hoc beneficio,tanquam de libero operabatur,vt ſtatus præcedens vnionis non eſſet conſiderabilis,tunc enim ceſſat etiam immemorabilis,quando probantur actus contrarij.†Socin.ſenior *conſil.*7.*num.*11. *lib.*1. Puteus *deciſ.*436. *lib.*2. & fuit deciſum *in cauſa Caputaquen.vnionis*, die 27. Nouembris 1587. coram bon.mem. Bubalo,& rurſus *in eadem*,coram me die 27.Nouemb.1593.*

† adde Lud. dec.51. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. ſed non eſt intitulanda Eugubina. *ſuprà deciſ. 337. & adde Ludou.deciſ. 298. n.13. & deciſ.434. n. 10. vbi alias dec.allegat.

Atque ex his reſpondebatur,ad rationes conſideratas in deciſ. R. P. D. mei Littæ, nam titulus tunc conſideratus ex ſententia lata an.1526. ceſſabat, ex nullitate ſententiæ, propter defectum citationis, & mandati.

5. Quadragenaria non ſuffragabatur propter interruptionem poſſeſſionis, † vt patebat ex prædictis deciſionib.in cauſa Caputaquen.vnionis.

† adde ſuprà dec.366.n.2. & deciſ.376. n.3.

6. Ex locationibus terrarum, & bonorum, ſpectantibus ad hoc beneficium, factis per Abbatem, præterquam quòd non probatur dominium, nec poſſeſſio,* *cap.inter dilectos, de fid.inſtrum.* Alex.*conſil.*12.*num.*4.*lib.*4. Afflictus *dec.*14. *num.*8. Crauetta *conſ.*157.*n.*5. Verallus *dec.*280. *num.*5.*part.*1.non poterat reſultare,niſi præſumpta probatio vnionis, quæ non eſt ſufficiens in hac materia,vt Rot.cenſuit *in dec.Caputaq.vnion.*

* Seraph.deciſ.896. n.2. Rot.diu.p.2. dec.116.n.2. Cocc. deciſ. 266.n.2.

7. Non obſtabat poſſeſſio,capta per Raphaëlem Curtium Abbatem S.Iuſtinæ anno 1539.

Quia illa non apparebat affectuata, ex quo, die 24.Iunij eiuſdem anni, Cardinalis S. Crucis

Tt 2 accepe

acceperat poſſeſſionem eiuſdem beneficij, tanquam liberi.

In teſtibus deponentibus de publica voce, & fama, non poterat fieri fundamentum, quia vltra
8. quòd vnio non poteſt probari per publicam vocem, * & famam, ſed vel per immemorabilem, vel per quadragenariam cum titulo, Felinus *dicto conſil.*2. cùm eſſent nulliter examinati, ſine citatione partis, non faciebant aliquem gradum probationis, immo neque aliquod adminiculum, *cap.*2.*de teſtib.l.ſed vt ſi quis. C. eodem tit.* Bartolus *in l.ſi maritus, num.*3. *ff.de quæſtion.* Aretinus *conſil.*163. *num.*1.

* fallit hæc regula in antiquis Rota recen. part.1. dec.626.n.4.

9. Poſtremò dicebant Domini, potiſſimum fundamentum, quo nitebantur deciſiones factæ pro Congregatione oblatorum, deſumptum ex continuatione poſſeſſionis, quæ præſumitur probatis extremis, facilè ceſſare, propter prædictam interruptionem, quæ tollit præſumptionem continuationis. gloſſ. & Bart. *in l.ſiue poſſidetis. C.de probat.* Rota *deciſ.*4. *de probat. in nouis.* Bartolus *in l. Celſus num.*22.*ff.de vſucap.* Menoch. *de præſumpt. lib.*6. *præſumpt.*64.

## *Parmen. Prioratus.*

### Die Veneris 26. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

1 *Subreptitia dicitur gratia, ob non factam mentionem ſententiæ latæ.*

2.3 *Gratia dicitur ſubreptitia, quoties ex narratiua Papa poteſt intelligere contrarium, quàm pro vt eſt.*

4 *Subreptio inducitur ex taciturnitate eorum, quæ difficiliorem redderent Pontificem, ad eam concedendam.*

5 *Clauſula,* ſtatum, & merita cauſæ, *refertur ad expreſſa, & non ad tacita gratiæ.*

## DECISIO DCCV.

1. ROta cenſuit, commiſſionem vltimo loco productam, tanquam ſubreptitiam, Santino Syluæ non ſuffragari, nam omiſſo illo capite, an eſſet ſubreptitia, * ob non factam mentionem ſententiæ, latæ per R.P.D. meum Oranum, quia hoc videbatur pati difficultatem, tum propter deciſionem Biſnieti 4. *de reſcript.* tum denique, propter alia deducta per Dominos Nicolaum Angelium, & Sertorium Theophilum, Aduocatos Domini Santini, tum etiam, propter deciſionem Achillis 9. *de reſcriptis*, ex eo non poterat
2. euitari ſubreptio, quia Santinus in commiſſione obtenta, non modò non narrauit Papæ depoſitiones teſtium, probantium exceſſum valoris obtentorum, & prioratus, ſed expreſſit potiùs contrarium, narrando, quòd probatio iſtius valoris erat difficilior, propter locorum diſtantiam, & quia ipſe facilè probationem inuenire non poterat. gloſſ. *in c.ſuper litteris, in verb. litteras de reſcript.* gloſ. *in c.prudentia.§.ſexta nobis, in verb. aliam iuſtam, de offic. & poteſt.iud.deleg.* & cùm ex tali narratiua Papa potiùs potuerit intelligere contrarium, videlicet, non fuiſſe examinatos teſtes, nec eos facilè potuiſſe inueniri, & conſequenter probationem reddi difficilem, ideo conceſſit, quod aliàs conceſſurus non fuiſſet, quod ſufficit ad inducendam ſubreptionem, cùm ex
3. omiſſioue narrationis eorum, * quæ difficiliorem redderent Principem, ad concedendum, etiam inducatur. Felin. *in c.ſuper litteris num.*8. *& in c.poſtulaſti.de reſcript.* Canoniſtæ communiter *in cap.ſi motu proprio, de præben.lib.*6.

*de quo vide Seraph. dec. 493. n. 3. & Cocc. deciſ. 413.n.4.

Romanus conſ. 326. n. 6. Grat. conſil. 31. n. 1. lib. 1. ſupradicta annot. reperitur in Codice originali R. P. D. Franciſc. Peña.

*adde Cocc. dec.328.n.1. & 2. Mantic. dec.214.n.2. Seraph. dec. 734.n.7. Rotam rec. p.1. dec.418.n.2. & aliàs ſæpe.

5. Nec Santino ſuffragabatur clauſula, *ſtatum & merita cauſæ*, quia iſta clauſula ad expreſſa, non ad ea reticentur, referri ſolet, vt fuit deciſum *in cauſa Oriolen. Canonicatus*, die 22. Martij 1594. coram Illuſtriſſ. Blanchetto, *tunc Rotæ Auditore.

* habetur p.1. diuerſor. dec.275.

## *Tiburtina Caſtri Arſularum.*

### Die Veneris 26. Iunij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Valor fructuum, ad effectum probandi læſionem, conſiderandus eſt à tempore contractus.*

3 *Sed Rota cenſuit, ſe aliquot annis præcedentibus, & ſubſequentibus, eſſe faciendum computum.*

4 *Rerum mobilium valor, ad effectum læſionis, conſiderandus eſt, de tempore contractus.*

5 *Non ſic de rebus immobilibus.*

6 *Beneficij valor per quinque annos antè, & pòſt, numerandus eſt.*

## DEGISIO DCCVI.

1. CVm anno 1574. D. Fabricius de Alaximis emiſſet à bonæ mem. Flaminio Zambecario caſtrum Arſulatum, Tiburtinæ diœceſis, pro pretio ſcut.17. m. & Lepidus Zambecarius, Flaminij hæres, ageret contra Fabricium ad reſcindendam venditionem, quam prætendebat fuiſſe læſiuam, tanquam factam minus iuſto pretio, & propterea aliquod teſtes examinaſſet, ad probandum valorem frumenti, & aliorum fructuum dicti caſtri, quos prætendebat, meliùs probare, quia deponebant de longiori tempore, quàm teſtes Fabricij, ideo vtraque parte informante dubitaui, de quo tempore eſſet conſiderandus valor fructuum caſtri, ad probandum illius valorem.

2. Informantes pro Fabricio nitebantur perſuadere, quòd cùm ageretur ad reſciſſionem contractus, ex capite læſionis, valor fructuum caſtri debeat ſolùm probari de tempore * contractus, & ſic de an.1574. quo fuit facta venditio. Bartol. *in l.*2.*n.*16.*C.de reſcind.vend.* vbi Paul. de Caſtr. *in fine*, & Cagnol. *n.*218. Pariſ. *conſ.*128.*num.*35.*lib.*1. Aldobrand. *conſ.*60.*n.*24. Gratus *conſ.*12.*n.*35.*lib.*1.

* adde Seraphin. deciſ. 1125.n.2. Rotam rec. p.1. dec.85. n. 4. & p.2. deciſ. 684.n.6.

3. Rota tamen, in æſtimandis fructibus, ad effectum de quo agebatur, cenſuit, habendam fuiſſe rationem, non præcisè valoris currentis tempore contractus, ſed aliquot annorum præcedentium, & ſubſequentium.

4. Et pro clariori notitia huius materiæ, duos caſus conſiderabantur. Primus fuit, reſpectu probationis valoris rerum mobilium, & præſertim victualium; in quo ex doctrina Bartoli communiter recepta *in l.vnica n.*31. *C.de eo quod intereſt*, quem ſequitur *ibi* Rebuff. *n.*503. dicebatur, valorem eſſe probandum præcisè de tempore venditionis, ad effectum reſciſſionis, quia in his facilè intra paucos dies (vt docet experientia) pretia variantur: non tamen eſt neceſſe, quòd teſtes referant in indiuiduo, ad diem contractus.

Alter



5. Alter caſus fuit, reſpectu probationis valoris rerum immobilium, & in iſto caſu, quamuis dici ſoleat in probanda læſione inſpiciendum eſſe tempus contractus, * vt deducebant informantes pro Fabritio; Domini tamen dicebant, id non debere intelligi de illo tempore præcisè, quo celebratus fuit contractus, ſed tempus etiam anterius, & poſterius per aliquot annos eſſe conſiderandum. Bartolus *in l.pretia rerum, ad l.falcidiam, num.*3. vbi Alexander *num.*10. idem Bartolus *in l.ſi ſeruus la* 2. *num.*7.*ff.de condict.furtiua, & in l.*1.*num.*31.*C.de eo quod intereſt.* Aretinus *in cap. cùm cauſa, notab.* 1. *de teſtibus*, Cremenſis *in l.*2. *num.*245.*C.de reſcinden.vendit.* Afflictus *dec.*316. *num.* 6. & tenuit Rota *in cauſa Romana caſalis Tunicellæ*, die 10. Martij 1578. coram bon.mem. Cantuccio, * & ratio eſt, quia ſi probatio pretij reſtringeretur ad tempus contractus, ſequeretur, pretium ex momento temporis conſtitui, cùm contractus momento temporis celebretur, quod eſſet contra textum *in d.l.pretia rerum.*

* adde ſuprà dec.479.n.7. & ſeq. Lud. deciſ. 406. n.15. & dec. 570.n.5. Caual. dec.358. n.4. & deciſ. 448.n.3. Rotam rec. p.1. dec.577.n.4.

* habetur in impreſſis diuer. p.2. deciſ.65. n. 13. & ſeq.

6. Et quamuis Bartolus *in d.l. pretia rerum*, rectè dixerit, tempus anterius, & poſterius per multos annos, eſſe conſiderandum, & in valore beneficij probando, non ſoleat inſpici valor vnius anni tantùm, ſed antè, * & pòſt per 5. annos, Achilles *deciſ.*24. *de probat.* Puteus *deciſ.*373. *num.*2. *lib.*3. Sarnen. *in regul. de valore, quæſt. vltima*, quod tutiſſimum eſſe cenſuit Mandoſius *in regul.* 22. *de vnionibus quæſt.*5. *num.*2. Domini noluerunt modò ad iſtos quinque annos cauſam reducere; cùm enim id ferè ſit arbitrarium, vt voluit Gregorius Lopez *tit.*5.*part.*5.*l.*56.*gloſſ.*5.*&* 6. ſatis eſſe cenſuerunt, habendam eſſe rationem aliquot annorum præcedentium, & ſubſequentium, vt facta compenſatione, & comparatione anni fertilis, cum ſterili, diiudicari poſſit probabilis valor, vt inde æſtimetur iuſtum pretium.

*adde Caualer. dec.387. n.4.

## *Barchinonen. iuriſdictionis.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Epiſcopi poſſunt viſitare loca exempta, ſed non mutare eius ſtatum, num.*3.

4 *Attendat qui pendente appellatione aliquid innouat.*

5 *Præſentationes de beneficijs nihil proſunt, ſi non probetur, eſſe effectuatas.*

6 *Viſitatio non poteſt impediri Epiſcopo, nec eſt attentata lite pendente, niſi in caſibus per Tridentinum expreſſis.*

## DECISIO DCCVII.

1. REuerendiſſimum D. Epiſcopum Barchionen. potuiſſe viſitare Eccleſiam Parochialem oppidi de Octauiano in ſua diœceſi exiſtentem, non obſtantibus prætenſionibus Abbatis
2. S.Cucufatis, deciſum fuerat in Rota coram me die 28. Februarij 1597. * quamuis enim Abbas ex multis priuilegiis Apoſtolicis doceret de pleniſſima exemptione, ea tamen non ſuffragabatur ei, ad effectum impediendi Epiſcopum, ne poſſet viſitare, † iuxta decreta ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ.*7.*cap.*8. *ſeſſ.*21. *cap.*8. *ſeſſ.*24. *cap.*10. *de reformat. & ſeſſ.*25. *cap.*11.*de regular.* & conſequenter, in hac poſitione non dubitabatur de poteſtate Epiſcopi, reſpectu viſitatationis, ſed de exceſſu, an ſcilicet viſitando attentaſſet, excedendo limites viſitationis: & Domini vtraque parte infor-
3. mante, affirmatiuè reſponderunt, eum attentaſſe, fines viſitationis excedendo; nam licèt ſtante præſertim moderatione inhibitionis, abſque vitio attentatorum, viſitare potuerit, non debuit tamen, quaſi immutando ſtatum dictæ Eccleſiæ Parochialis de Octauiano, declarare eam vacare, nec proponere concurſum, & ex concurrentibus perſonam eligere, cui de nouo Eccleſia conferretur, ſed debuit conſeruando ſtatum Eccleſiæ, quem repererat, viſitationem exercere, iuxta decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 11. & maximè in hoc caſu, in quo prætenditur, Eccleſiam Parochialem de Octauiano, * tanquam vnitam Monaſterio Sancti Cucufatis eſſe illius membrum, & ſolere regi per duos Hebdomadarios, ad nutum Abbatis amouibiles, quo caſu abſque vitio attentato-
4. rum, & ſtante præſertim Abbatis appellatione, * non potuit Abbas in actu viſitationis tali iure priuari, Rota *deciſ.* 44. *de appellat. in nouis*, Lancellotus *tract. de attentatis part.* 2. *limitatione* 3. *num.* 1.

* ſuprà deciſ.590.

† adde Seràphin. deciſ. 1067. n.1. & ſuprà in d. dec.590. n.2. & 4. vbi alias deciſ. annotaui.

* adde Lud. dec.304.n.1. & ibi annot.

* adde Dur. dec. 86. n.1. & ſeq.

5. Neque iſta attentata poterant excuſari, vigore trium prouiſionum, & collationum, quas vltimo loco produxerant agentes pro Epiſcopo, quia præterquam quòd non apparebant in forma probanti, non conſtabat de illarum effectuatione, * ſicut oportebat, vt legitimum effectum operarentur. Calderinus *conſil.*12. *de iure patron.* Verallus *deciſ.*132.*part.*2. Puteus *dec.*136.*num.*2. *&* 3.*lib.*3.

* adde ſuprà dec.448.n.3. Dur. dec.62. num.1.

6. Non placuit Dominis, quod dicebant informantes pro Abbate, Epiſcopum videlicet attentaſſe, ex quo lite pendente viſitauit, tum quia moderata fuerat inhibitio, tum quia pro parte Abbatis non fuerat oſtenſum, ſe eſſe in vno ex caſibus exceptis à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de regular. cap.*11. vt fuit etiam deciſum in cauſa coram me die 28. Februarij 1597. *quo caſu, cùm Epiſcopo aſſiſteret ius commune, *cap. cùm perſonæ, de priuil.lib.*6. Verallus *deciſ.*306. incip. *Epiſcopus, parte* 1. *& deciſ.* 201. incip. *Manuteneri, part.*2. & clara præterea diſpoſitio Concilij Tridentini, *præcitato loco*, non poterat impediri eius viſitatio.

* in d. deciſ. 590. & adde Rot.rec. p.2. dec.501.n.1. & ſeq.

Neque obſtabant deciſiones in contrarium allegatæ, & præſertim illa coram Illuſtriſſimo Mantica *in cauſa Conchen. iuriſdictionis*, die 4. Decembr. 1592. *

*in impreſſis Manticæ deciſ.102.

Quoniam reſpondebatur, eſſe intelligendas, quando is qui ſe fundat in exceptione, eſt in poſſeſſione, vt bene deducitur ex deciſione Rotæ 10. *de appellat. in antiquis*, quod non poterat ad fauorem Abbatis in caſu propoſito adduci, cùm pro eius parte non probaretur, Eccleſiam de Octauiano eſſe in poſſeſſione non viſitandi ab Epiſcopo Barchinonen. in cuius diœceſi exiſtit.

Deducta per informantes pro Epiſcopo, ad docendum, Abbatem attentaſſe, Rota reſpicit, cui placuerunt reſponſiones datæ, per informantes pro Abbate.

## *Cæſarauguſtana Canonicatus.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio dicitur manutenibilis,ſi de ea conſtat per inſtrumentum.*

3 *Inſtrumentalis poſſeſſio eſt manutenibilis, alio non exiſtente in ea.*

4 *Nullum quod eſt,nullum præſtat impedimentum.*

### DECISIO DCCVIII.

1. Infrà deciſ.585.

VAcantem Canonicatum in Eccleſia Collegiata S. Mariæ maioris oppidi de Alcagniz, per obitum Thomæ Portoles,Camerarius Eccleſiæ Metropolitanæ Cæſarauguſtan. ( ad cuius prouiſionem prædictæ Eccleſiæ Canonicatus pertinere dicuntur , ) contulit Ioanni Garziæ,qui vigore ſuæ prouiſionis,& collationis die 12.Nouembris 1595.capitulariter dicti Canonicatus accepit poſſeſſionem,cúmque à Petro Perez de Peralta,qui eundem Canonicatum à Sede Apoſtolica impetrauerat , & Breue de capienda poſſeſſione nomine Cameræ Auditori directum impetrauerat,moleſtaretur, cauſa in Rota commiſſa,in primis petebat, manuteneri, ſuper quo, dato dubio,Rota cenſuit, eidem Ioanni Garziæ dandum fuiſſe mandatum de manuten.* in poſſeſſione Canonicatus , & Præbendæ , de quibus agebatur ; nam cùm tempore, quo acceperat poſſeſſionem,illa eſſet vacans,per obitum Thomæ,† ex inſtrumento poſſeſſionis probatur poſſeſſio manutenibilis. *l. prædia* , vbi Bartolus , *ff. de acquir. poſſeſſ.l.non idcirco. C.de fide inſtrument.* Abbas *in cap. cùm nobis, num.5.* vbi communiter Canoniſtæ, *de præſcript.* Faſolus *dub.*41. Romanus *conſil.*482.*num.*2. Socinus *conſ.*205. *num.*5. *in fine lib.*2. Rolandus *conſil.*46.*num.*18.*lib.*1.Puteus *deciſ.*360. *num.*8.*lib.*1. Verallus *deciſ.*334. *num.*6. *part.*2. & eſt receptum in Rota, quòd poſſeſſio inſtrumentalis , capta alio non exiſtente in poſſeſſione , eſt manutenibilis , & operatur effectus legitimæ poſſeſſionis.

* ab hac reſolutione fui receſſum infrà deciſ. 785. ex eo quod Garcia habuit ſe pro ſpoliato.

2.

† adde ſuprà dec.578.n.2. & infrà dec. 740. num. 2. & 771.n.4.& Cocc.dec.14. n. 4. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & dec. 113. & 212. n.6. & deciſ. 233.n.1.& 6. Caual.dec.2. n.2. & deciſ. 432. n. 2. & paſſim ſeruat Rota , quod extẽde,etiãſi poſſeſſio ſit capta per Procuratorem.Coccin. dec.486.n.1. & annotaui ſupra deciſ. 473.

Non obſtabat poſſeſſio Petri , capta vigore Breuis , & ſententiæ A. C. quia ex deductis per informantes pro Ioanne ſententia videbatur Dominis nulla , & inualida , ex eo potiſſimum capite , quòd fuerat lata , non iuſtificata priùs gratia Petri,vt fuit deciſum *in cauſa Oueten.beneficij* , die 8. Aprilis proximè præteriti coram R. P.D. meo Lancellotto : vnde cùm quod nullum eſt , nullum præſtet impedimentum,* *l.4. §.condemnatum.ff.de re iudic.*talis ſententia non præiudicabat Ioanni.

3.

4.

* adde infrà dec.1144. in tom 2.& Rotam rec. p.1. dec.572.n.9.

## *Romana pecuniaria.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1598.

SVMMARIVM.

3 *Conductor ſecundus fundi non tenetur ſoluere, niſi pro rata, pro qua conduxit.*

4 *Verba legis ſi ſint clara , non eſt locus ſubtilibus interpretationibus.*

5.6 *Generaliter ſi loquatur lex , intelligenda eſt generaliter.*

8 *Statutum particulare , etiam ſi ſit exorbitans à iure communi,nihilominus ſeruandum eſt, maximè ſi ſit per Pontificem confirmatum.*

### DECISIO DCCIX.

LOcauerat Domina Flauia Nara de Gabrielibus,tutrix Antonij ſui filij,ann.1587. Honorio Trincio , ad nouem annos caſale, nuncupatum *Cornolano* , pro annua reſponſione ſcutorum 960.certis temporibus perſoluenda : Honorius verò Trincius anno 1595. idem caſale ſublocauerat Dominis Benedicto , & Hieronymo de Spinolis,cùm verò paulo pòſt Honorius premente fortuna,foro ceſſiſſet,& Dominus Antonius Gabrielius prætenderet,ratione affictus remanſiſſe creditor ſcut. 800. pro annis decurſis, vigore ſtatuti artis agriculturæ *cap.* 73. coram Conſulibus eiuſdem artis,contra Spinolas iudicium mouit , pro conſequendis ſcutis 800. quæ Trincium priorem conductorem debere ſibi prætendebat. 1.

Cùm autem in hoc iudicio Spinolæ ſuccubuiſſent , & reuiſores conſulum ſententiam confirmaſſent , & Spinolæ prætenderent , ſe fuiſſe grauatos, habito recurſu ad Sanctiſſimum, obtinuerunt iterum audiri ab Illuſtriſſimo Vrbis ſenatore,cum ſuffragio Rotæ : itaque dato dubio, an mandata,ſiue ſententiæ conſulum, & reuiſorum agriculturæ eſſent reuocanda , vel confirmanda,ad effectum de quo agebatur : Rota cum duobus præſuppoſitis,quòd Spinolæ ſubconduxerint à Trincio totum caſale,& quòd Antonius Gabrielius ſufficienter docuerit de prætenſo ſuo credito,ſententiam,& mandata Conſulum agriculturæ confirmanda cenſuit , quamuis enim agnouerit, ſtatutum eſſe nimis rigidum,& aſperum , quatenus diſponit , licere Domino territenimenti , pro ſatisfactione affictus , ſeu penſionis, agere contra animalia paſcentia, & commorantia , vel quomodocunque affidata , vel ſata frumenta in dicto tenimẽto;& Conſules,ad inſtantiam petentis debere dicta animalia,vel ſegetes, & frumenta in tenimento locato exiſtentia arreſtari, ſeu remitti facere, donec Domino tenimenti integraliter, de eius credito,ratione locationis,ſeu venditionis fuerit ſatisfactum;quia de iure communi ſecundus conductor non tenetur niſi pro rata ; * pro qua conduxit,& pro ea tantùm bona inuecta ſunt obligata. *l.ſolutum.§.ſolutum*,vbi Bartol.*num.*8.Salicetus *num.*6.& Aretin. *num.9.notab.4.ff.de pignor.actio.* Paulus de Caſtro *in l.ſi in lege. §.ſi colonus. ff. locati,* Gomezius *in §. item Seruiana, Inſtitut.de action.num.*15. 2.

3.

* adde Rot. in vna Romana affictus 20. Nouembr.1606. coram Marque Montio impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pagin. 767. & infrà deciſ. 1213. in tom.2.

Nihilominus , verba ſtatuti viſa fuerunt Dominis adeò clara , vt non eſſet locus aliis ſubtilibus† interpretationibus,quas commemorabant informantes pro Spinolis,*l.ille,aut ille.ff.de leg.*3. Aretin.*conſ.*115.*n.*2. Natta *conſ.*318.*in princ.lib.*2. ſtatutum enim,animalia,vel ſegetes,& frumenta in tenimento locato exiſtentia , obligata eſſe vult, & arreſtari debere , donec integraliter Domino tenimenti de ſuo credito fuerit ſatisfactum;cùm enim integraliter ſatisfieri iubet,omnem diminutionem excludit, quam vigore iuris communis prætendere poſſent ſubconductores. *l.pœnàles. §.finali. ff. ad l.falcid.* Pariſius *conſil.*93. *num.*45. *lib.*2. Ruinus *conſil.*65. *num.*6. *lib.*1.

4.

† adde ſuprà dec.685.n.3. vbi alias deciſ.annotaui.

5.

Neque enim placuit intellectus indicatus per informan- 6.



informantes pro Spinolis , quod ſtatutum deberet intelligi ſolùm pro eo tempore , quo ſubconductor poſſidet caſale, ſeu tenimentum;tum quia ſtatutum loquitur generaliter , & indiſtinctè,& conſequenter cùm generaliter * ſit intelligendum , non eſt reſtringendum ad illum caſum tantùm, *l.3.§.generaliter ff.de legat.præſtand.* tum etiam , quia ſtatutum hoc modo intellectum eſſet eluſorium , nam ſi conductor ſublocauit tenimentum pro toto tempore , non eſt dubium,quin ſubconductor teneatur,ad ſoluendas penſiones,etiam pro toto tempore.

* ſuprà dec. 469.n.11.

7. Argumentum ex obſeruantia ſtatuti ſubſecuti , vt pro toto tempore affictus , ſecundus conductor teneatur Domino tenimenti , ſi fuiſſet probata , difficultatem omnem ſuſtuliſſet, quamquam ex prædictis apparebat , non oportuiſſe niti obſeruantia ; quia verba ſtatuti ſunt clara.

8. Et quamuis ſtatutum ſit exorbitans à iure communi , nihilominus tamen ſeruandum eſt, maximè cùm fuerit à Summo Pontifice confirmatum , cum prædictis tamen præſuppoſitis, quòd totum tenimentum,ſeu caſale ſublocetur, & quòd dominus tenimenti de ſuo credito ſufficienter docere teneatur ; iniquum enim eſſet, vt quando pars tenimenti ſublocaretur,ſubconductor ad penſiones totius tenimenti decurſas teneretur , & quòd dominus tenimenti non teneretur de ſuo credito ſufficienter docere ; cùm inde poſſent fraudes , & colluſiones facilè oriri.

## *Peruſina dotis.*

### Die Mercurij 1. Iulij 1598.

SVMMARIVM.

5 *Executio bonorum ſi fiat , ex ſtatuto Peruſino, ante ſubhaſtationem , vel venditionem bonorum mobilium, expectandi ſunt 30.dies.*

6 *Subhaſtatio bonorum eſt inualida, ſi non ſeruatur forma ſtatuti.*

7 *Statuti forma non ſeruata, corruit actus.*

8 *Pretium manualiter ſoluendum eſt in venditione facta, aliàs eſt ſuſpecta.*
*quod fallit, vt num.9.& 3.*

10 *Fideiubente muliere , ſi ex fideiuſſione remanet indotata, non valet fideiuſſio.*

11 *Reſtitutio in integrum , eſt locus , etiam poſt lapſum quadriennij , pro reſtitutione dotis mulieris læſa.*

### DECISIO DCCX.

1.

* habetur hæc dec.impreſſa per Pacificũ poſt tract.de Salui. interdict. dec.116.

ANno 1559. * Lucretia Bertoccia nupſit Matthæo Copulo , cum dote Florenorum 1000. ex quibus Matthæus 500. recepit à Iulio Cæſare,& alios 500. à Sinibaldo Bartoccio, Lucretiæ patre , & ideo anno 1563. Sinibaldum quietauit , & pro reſtitutione dictæ dotis omnia ſua bona obligauit.

Anno 1579.Franciſcus Balleonus,aſſerens ſe creditorem Matthæi, illum tanquam ſuſpectum de fuga, carcerari fecit : Franciſcus verò Almena , auctor Dominorum de Gogis , aduerſariorum Lucretiæ,fideiuſſit pro Matthæo,illius marito,quòd non diſcederet de Palatio, ſine licentia Balleoni ; & huic fideiuſſioni Lucretia acceſſit,promittens ſub die 26.Auguſti 1579. conſeruare indemnem Almenam.

Poſtea cùm Troilus Signorellius requiſiuiſſet Balleonum , vt vellet Matthæo impartiri licentiam recedendi à Palatio , idem Balleonus die 10. Decembris 1579. reſcripſit Signorellio, quòd ſi Matthæus recederet pro ſeruitio Signorelij,non foret illum moleſtaturus. 2.

Matthæo ergo , quaſi ſine licentia à Palatio recedente , Balleonus contra Almenam fideiuſſorem agere cœpit , & credito ſuo vtrumque liquidato,ad florenos 1000.die 7. Iunij 1580.omnia iura ſua Almenæ fideiuſſori ceſſit , & Almena vigore ceſſionis egit contra Lucretiam , vt illum à moleſtiis liberaret ; & tandem eodem anno 1580. ſententias,& mandatum pro florenis 1000. obtinuit , quod fuit executum ſuper bonis dotalibus Lucretiæ , quæ fuerunt ſubhaſtata , & deliberata Iacobo Zano pro florenis 1100. quos idem Zanus Almenæ ſoluere , aut eidem remittere iura ſuper dictis bonis promiſit. 3.

Vnde idem Zanus die 16. Nouembris 1580. agnoſcendo bonam fidem , eadem bona retroceſſit Almenæ , quæ Almena anno 1585. ad haſtam publicam vendidit Dominis de Gogis, Lucretiæ aduerſariis pro ſcutis 910.

Tandem pro parte Lucretiæ obtenta in integrum reſtitutione , & cauſa introducta in Rota, dubitaui,an ſubhaſtatio, & executio ſuſtinerentur,ita vt foret , vel non foret locus reſtitutioni in integrum, & Domini,Lucretia tantùm informante, non ſuſtineri ſubhaſtationem, & executionem , reſponderunt * ex duplici capite , tum quia non fuit ſeruata forma ſtatuti Peruſini , tum quia Lucretia remanſit penitus indotata. 4.

* hæc reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 862.n.1.

Nam reſpectu non ſeruatæ formæ , res videbatur clara , quia in ſecundo volumine ſtatutorum Peruſij, *rub.*29. de executione inſtrumentorum,ſententiarum,& laudorum *§. ſi verò placuerit* , ſub pœna nullitatis cauetur , vt ante venditionem bonorum immobilium, quæ pro executione capiuntur , facta executione , expectetur debitor per 30.dies, & deinde ante ſubhaſtatiotionem , eidem aſſignetur terminus peremptorius,quo finito, bona ſubhaſtentur, diuerſis diebus , ad minus quinque vicibus , & vendantur plus offerenti, & ſatisfacto creditore , reſiduum reponatur infra 15. dies. 5.

Vnde in caſu propoſito, cùm poſt ſententiam latam fuerit facta venditio infra 15. dies , non expectato termino 30. dierum, nec præfixo termino peremptorio , nec facto depoſito de reſiduo conſequenter , ſubhaſtatio fuit inualida, Baldus *in l. ordo, num.*8. *verſic. nota quòd ſi ſtatutum, C.de execut.rei iudic.* cùm enim ſtatutum det formam in ſubhaſtatione , & deliberatione facienda , vtique ea non ſeruata , actus corruit. * *l. cùm hi. §. & ſi prætor ff. de tranſact.* & tenuit Rota *in vna Senogallien. prædij* , die 15. Martij 1596. coram Illuſtriſſimo Blanchetto,tunc Rotæ Auditore. 6.

7.

* adde Dur. dec. 83. n.4. & ſequent.& deciſ.121.n. 33. & 34. & infrà in d.deciſ.862. n.2.

8.

Subhaſtatio etiam dicebatur nulla , quia videbatur facta habita fide pretio,cùm tamen pretium manualiter † ſolui debuiſſet. *l. à Diuo Pio. §.ſi emptor ff. de rei venditat.* & fuit reſolutum in

† adde Dur. deciſ.257. n.10.& ſeq.Ludouiſ. deciſ. 319. n. 4. & dec. 23. n. 1. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.

9. vna Faventina bonorum die 25. Iunij 1593. & die 10.Maij 1594.coram R.P.Domino meo Littà, quamuis * hoc non procedat, creditore conſentiente venditioni, & ſubhaſtationi, habita fide de pretio, vt Rota declarauit die 5. Decembris 1594. in vna Vrbeuentana domus, coram Domino meo Pamphilio.

* vide infrà dec.1111.n.3. & latè annotata ad d. dec. 23. Lud. n.5. vbi pro hoc artic. plures dec. allegat.

10. Reſpectu alterius capitis de Lucretia indotata † remanente, res etiam videbatur clara, nam cùm Lucretia fideiuſſerit pro integra dote, propter fideiuſſionem, fuit enormiter læſa, ex quo remanſit penitus indotata, & conſequenter fideiuſſio fuit nulla. Pariſius *conſil.75.num.14.& ſeq. lib.3.* Decius *conſil.*180. *num.4. circa medium,* Alciatus *in cap.cùm contingat,num.223.de iureiurand.* & fuit reſolutum coram Illuſtriſſimo Arigonio die 21. Iunij 1593. in cauſa Romana fideiuſſionis.

† de hac materia, fuit latè actum, in cauſa Interamen. Mercium, die 4. Iunij 1597. ſuprà deciſ. 620. & addè Ludouiſ. dec. 333. n. 7. & plura tradit ibidem annota.

11. Quibus ita conſtitutis, Rota cenſuit, locum fuiſſe reſtitutioni in integrum, non obſtante lapſu quadriennij. Oddus *tract. de reſtit. in integr. parte 1.quæſt.19.artic.7. num.66.& quæſt.43.art.1. num.15.*

## *Curculen. Canonicatus.*

### Die 1. Iulij 1598.

### DECISIO DCCXI.

1. Domini viſis deciſionibus in hac cauſa factis coram R. P. D. meo Pamphilio die 1. Decembris 1597.* & die 3.Aprilis 1598.ex quibus apparebat, gratiam Raphaëlis fuiſſe iuſtificatam, & conſequenter canonizandam, ordinauerunt, vt eam expedirem, ex eo præſertim nomine, quia ex aduerſo nihil opponebatur, quod cauſam poſſet, aut deberet retardare.

* quæ ſunt duæ ſequentes diuiſiones.

## *Circulen. Canonicatus.*

### Lunæ 1. Februarij 1597. coram Pamphilio.

SVMMARIVM.

1 *Gratia Epiſcopi facit ſemiplenam probationem, ad eius iuſtificationem.*

2 *Ordinarij teſtimonio multum defertur, vt quis idoneus reperiatur, ad obtinendum beneficium.*

3 *Executori aſſerenti, quem eſſe approbatum per examinatores Synodales, ad obtinendum beneficium, creditur.*

5 *Dictio, nuper, modicitatem temporis deſignat.*

6 *Valor beneficij ſemiplenè probatur.*

### DECISIO DCCXII.

1. Dixerunt Domini, * gratiam Raphaëlis eſſe ſufficienter iuſtificatam, ſtante depoſitione Epiſcopi Curculen. quæ facit ſemiplenam probationem, præſertim, cùm ſit adminiculata, gloſſ. & Doctores *in l. admonendi,* vbi Iaſon *num.92.ff. de iureiur.* & ſufficit pro iuſtificatione narratiuè, Ægid. *deciſ.* 113. & 114. & 416. *cum vulg.*

* hæc deciſio & ſequẽs coram Pamphilio reperitur in Codice originali R.P.Peña, & ita volui inter ſuas enumerare, cùm præcedens de his duabus faciat mentionem.

Quantum enim ad habilitates Raphaëlis, & quòd ipſe ſit idoneus ad obtinendum Canonicatum, teſtatur Epiſcopus, & eius ordinarius cui multum eſt deferendum, * quoad qualitates ſui ſubditi, præſertim ſibi notis, cùm aſſerat, illi contuliſſe omnes Ordines ſacros, quod abſque diligenti examine, ſtante diſpoſitione Concilij Tridentini, factum fuiſſe credendum non eſt, vltra quod pro idoneo ad hunc Canonicatum præuio examine per examinatores Synodales, approbatus fuit ab executore, cui in hoc credi ſolet, Rota *deciſ.7.de offic.de leg.in antiq.* & tenuit Rota *in cauſa Iadren. Primiceriatus,* coram me ſub die 24. Maij 1595. & ſæpiùs in aliis cauſis. 2. 3.

* adde ſuprà dec.612.n.2. quando autè non credatur ordinario atteſtanti de examine, vide Durand. dec.74.n.17. & 23.

Quòd Canonicatus vacauerit, ex perſona Petri Letis, qui de menſe Maij 1594. obiit in poſſeſſione Canonicatus, probat idem Epiſcopus ſuper 4. & 5. cuius dictum adminiculatur ex atteſtatione * Vicarij Curculen. in collatione facta Raphaëli, in executione litterarum Apoſtolicarum, Rota *deciſ. 16. de probat. in antiq.* & ex eo, quòd in prouiſione Capituli, facta Franciſco die 27. Maij, aſſeritur, quòd Petrus nuper deceſſit, quæ dictio modicitatem temporis deſignat, & intelligitur de paucis diebus. *l. nuper conſtitutum ff.leg.3.§.fin.Inſtit.de vſucap.cap.cauſam quæ el 2.de teſtibus,* cum vulgat. 4. 5.

* & talis atteſtatio probat obitum in poſſeſſione, vt per Seraphin. dec. 422.n.3.verſic. ſed hæc probatio.

Quòd valor Canonicatus non excedat 24. ſimiliter probatur ex dicto eiuſdem Epiſcopi, qui tanquam veriſimiliter informatus, cùm præfuerit Eccleſiæ per ſpatium 24. annorum, & adhuc præſit, ſolus ſufficeret, vt fuit reſolutum *in cauſa Hiſpalen. penſionis,* die 14. Iunij 1574. coram Domino Cæſare de Graſſis, & multo magis, iuncta atteſtatione viſitatoris Apoſtolici; qui aſſerit, ſe in dicta Eccleſia non potuiſſe inſtituere ſemiplenarium, qui facta inquiſitione diligenti, & examine deſuper habito, inuenit fructus Canonicatus eſſe adeò tenues, vt ex illis ſinguli Canonici vix percipiant ſummam duodecim ducatorum, vltra quod concurrit etiam atteſtatio aliorum Canonicorum, qui dicunt, illorum fructus non excedere valorem 24. ducatorum, ex quibus omnibus ſatis concludenter remanet probatus valor, qui tamen ſufficit, quòd ſemiplenè probetur. * Ægidius *deciſ.*675. Puteus *deciſ.*29. *lib.*1. Caputaquen. 277. *num.*8. *parte* 1. 6.

* adde ſuprà dec.702.n.2. & deciſ.399. n.5.vbi alias deciſ. annotaui.

Non obſtant deducta pro parte Franciſci; quia, vt bene reſpondetur, per informantes vel non probant, vel non concernunt ad dubium, de quo agitur.

## *Curculen. Canonicatus.*

### Veneris 3. Aprilis 1598. coram Pamphilio.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes nulliter examinati, nihil probant.*

2 *Beneficij qualitas indicanda eſt ex ſtatu vltimo.*

DECI



### DECISIO DCCXIII.

1. Stante reſolutione * facta ſuper iuſtificatione gratiæ Raphaëlis, fuit dictum, illam eſſe canonizandam, non obſtante prætenſa electione Ardentini, facta per Capitulum, quia de eius iure eligendi non conſtat, niſi ex diſpoſitione teſtium nulliter examinatorum, qui nihil * probant, & ex depoſitione Epiſcopi, qui nullam ſui rationem reddit, & loquitur de tempore antiquo vltra ducentos annos, vſque ad annum 1591. à quo tempore citrà probat contrarium ſtatum, quòd non obſtantibus electionibus Capituli, prouiſiones Apoſtolicæ ſortitæ fuerunt
2. effectum ſuum, etiam in contradictorio iudicio, & notiſſimum eſt, in indicanda qualitate beneficij attendi ſolere vltimum ſtatum. * *C. cùm de beneficio,* cum *ibi* notatis, *de præbend.in 6.* Baldus *l. ſi pater. C. ne de ſtat. defunctorum,* Rota *in nouiſſ. dec.2.de præbend.* Decius *conſil.126.in princip. cum vulg.*

* ſuprà in dec. antecedente.

* adde ſuprà dec.452.n.2.

* adde ſuprà dec.638.n.8. vbi alias dec. annotaui.

## *Caurien. bonorum.*

### Die Lunæ 6. Iulij 1598.

SVMMARIVM.

4 *Procurator dominus litis effectus, non poteſt per mortem reuocari.*

### DECISIO DCCXIV.

1. Tria opponebantur, ad retardandam cauſæ expeditionem, primum erat, quia ſtantibus nullitatibus ſententiarum latarum ad fauorem Collegij de Monterey, quas Rota iudicauerat fuiſſe nullas, non poterat proferri ſententia, niſi priùs reuocatis dictis nullitatibus.

2. Sed placuit Rotæ reſponſio data per informantes, pro dicto Collegio; quia cùm fuiſſet in actis ceſſum, & renunciatum dictis ſententiis, & earum nullitatibus, & ſolutæ omnes expenſæ, ceſſabat prædicta oppoſitio, & maximè, quia pro parte Collegij non impediebatur pars habere ſententiam ſuper dictis nullitatibus, ſi illam habere cupiebat.

3. Alterum obiectum erat, quia cùm per dimiſſionem Eccleſiæ Parochialis, & aſſecutionem Canonicatus, fuiſſet exinctum mandatum Procuræ, quod dederat Ioannes Fejo, Rector Anteceſſor ad hanc cauſam non poterat nunc in ea pronuntiari, contra modernum Rectorem, & ipſo non citato.

4. Sed placuit Dominis reſponſio, quòd cùm Procurator conſtitutus à Ioanne Fejo eſſet effectus dominus litis, propter ſeruatos cum eo terminos ſubſtantiales. Rota *deciſ.* 122. & 146. *in nouis.* Corneus *conſil.*86. *num.*7.*lib.*2. potuit cum eo etiam defuncto principali, * iudicium agi, & ſententia promulgari. Rota coram Tholomæo *deciſ.* incip. *Videbatur* † *quòd*, & maximè, quia non conſtabat in actis de aliqua Parochialis dimiſſione, vel alterius beneficij aſſecutione.

* adde Seraphin. dec. 1188. n.2. & Mantic. dec. 113.n.4.

† habetur 3. part. diuerſ. deciſ. 1046. lib.3.

Poſtrema oppoſitio erat, quia in diſmembratione bonorum Parochialis, non remanebat congrua pro Rectore, cùm non haberet tertiam partem liberam, ſed ſolùm dimidiam tertiæ partis fructuum.

Placuit tamen reſponſio, quia ex confeſſione Rectoris, qui diſmembrationi conſenſerat, conſtabat, quòd tertia quæ remanſerat pro Rectore, ſufficiebat pro illius congrua ſuſtentatione. Idem apparebat ex aſſertione Ordinarij, dicentis, ſe feciſſe informationem, & vidiſſe, quòd remanebat congrua pro Rectore, computatis oblationibus, & aliis emolumentis, quæ Hiſpani vocant, *el pie del Altar.* Quibus conſideratis, fuit ordinatum, quòd expedirem cauſam, ad fauorem Collegij de Monterey.

## *Toletana Adelantatus.*

### Die Lunæ 20. Iulij 1598.

SVMMARIVM.

2 *Teſtium dicta non ſunt edenda, nec ſummarium dictorum dandum parti aduerſæ, donec ſit publicatus proceſſus, propter timorem ſubornationis.*

### DECISIO DCCXV.

Licèt ſæpe dixerint Domini, non fuiſſe dandum ſummarium teſtium nondum publicatorum, Procuratori Archiepiſcopi Toletani, ſed quòd vel ipſe accederet ad officium Notarij; vel Notarius ad domum ipſius, ad effectum legendi dicta teſtium, vt poſſet deliberare de vlteriori proceſſu in cauſa: nihilominus, in Congregatione habita apud Sapientiam, ſiue in Gymnaſio Vniuerſitatis Romanæ, facto iterum verbo ſuper eodem Articulo, Rota cenſuit, ſummarium potuiſſe dari, præſtito iuramento per Procuratorem Archiepiſcopi, de non abutendo dictis teſtium. 1.

Ratio fuit, quia cùm teſtes eſſent examinati ante multos annos, videlicet coram bon. mem. 2. Puteo, nec aliquis iam ſupereſſet, qui poſſet ſubornari, hoc periculo ceſſante, ceſſare debuit cauſa prohibitionis edendi dicta teſtium. *cap.fraternitatis, & cap. cùm veniſſet, & cap.cauſam quæ, de teſtib.* & ſtante præſertim cautione iuratoria, quam paratus erat præſtare Procurator Archiepiſcopi, de non abutendo dictis teſtibus, quorum dicta habere volebat, ad effectum, vt in hac cauſa, quæ erat antiqua, ſciret quomodo eſſet ad vlteriora procedendum, cùm neque vllus Procurator, neque Aduocatus in illa eſſet inſtructus.

## *Bononien. cenſus.*

### Die Lunæ 19. Octobris 1598.

SVMMARIVM.

4 *Procurator, etiam cum clauſula,* ad faciendum quidquid dominus, *&c. non cenſetur ex eo datum mandatum, ad faciendum aliquid contra dominum præiudiciale.*

5 *Perſonalis debet eſſe prima citatio incohatiua cauſæ, præſertim in criminalibus.*

6 *Delictum*

6 *Delictum ſi ſit probatum, procedi poteſt per contradictas, contra delinquentem.*

7 *Veritas probatur ex inſtrumento.*

8 *Probatio concludentiſſima eſt neceſſaria contra inſtrumentum.*

9 *Teſtes examinati ex officio, in cauſa criminali, reo non citato, non faciunt fidem.*

10 *Mercator, qui conſtituit quem creditorem in ſuo libro, ex eo præſumitur accepiſſe pecuniam crediti.*

## DECISIO DCCXVI.

1. Hæc deciſio habetur impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. deciſ. 128. & per Cencium poſt tractat. de cenſ. dec. 133.

TRanſmiſerat Stephanus Garbanius, Nobilis Genuenſis, Bononiam notabilem pecuniarum ſummam, ad Dominos de Scappis, Mercatores Bononienſes, vt emerent tot annuos cenſus.

Scappi, die 17. Februarij ann. 1593. opera Ioannis Andreæ, ſui inſtitutoris, ab Antonio Spontono, ciue Bononienſi, iuxta mandatum receptum, emerunt annuum cenſum ccc. ſcutorum auri in auro, impoſitum ſuper nonnullis ipſius bonis ſtabilibus, pro pretio ſcutorum quatuor millium auri in auro, cui venditioni, tanquam principalis, principaliter, & in ſolidum acceſſit Valerius Faſaninus, indeque fuit confectum publicum inſtrumentum, continens omnes qualitates, pro validitate cenſus requiſitas, iuxta formam conſtitutionis Pij Papæ V.

2. Anno 1596. Antonio Spontono decocto, Valerius Faſaninus, porrecta coram Auditore Turrone, Curiæ criminalis Bononien. querela contra Antonium Spontonum, eo quòd ſuper rebus alteri obligatis, & hypothecatis, cenſum impoſuiſſet, & contra Stephanum principalem, & Ioannem Andream inſtitorem, eo quòd contractus cenſus fuiſſet initus, abſque reali numeratione pecuniarum, ab eodem Auditore, procedente per edictum, ſeu affixionem ad valuas, vigore depoſitionis duorum teſtium, pro informatione Curiæ examinatorum, ſuper non muneratione pecuniarum, ſententiam fauorabilem reportauit, qua continebatur condemnatio, contra prædictum Antonium, iuxta tenorem querelæ, & contra Stephanum declaratio prædicti cenſus inualidi, & fœneratitij, ob non numerationem pecuniarum.

3. Cauſa per appellationem in Rota introducta dubitaui, an prædicta ſententia eſſet confirmanda, vel reuocanda, & Rota, vna tantùm parte informante, ex capite nullitatis, & iniuſtitiæ, nemine diſcrepante, reuocandam cenſuit.

Nullitas erat clara, ex defectu iuriſdictionis, & citationis nam reſpectu Stephani principalis, qui pecunias tranſmiſerat, nullum crimen aderat, cùm non dediſſet mandatum, ad creandum
4. cenſum contra formam conſtitutionis Pij V. vel aliter delinquendum, * *l. ſi Procurator*, vbi Bartolus, *ff. de condict. indeb.* Alexander *conſil.* 32. *n.* 7. *& conſ.* 33. *num.* 6. *lib.* 2. *& conſil.* 83. *num.* 4. *lib.* 3. quod procedit, quamuis in mandato adeſſet clauſula, *Cum libera*, & clauſula, *quòd Procurator poſſet facere omnia, quæ dominus, ſi præſens eſſet, facere poſſet*, ex his enim non cenſetur data poteſtas faciendi aliquem actum Domino pœnalem, aut præiudicialem. Gratus *conſil.* 99. *num.* 1. *lib.* 1.

* adde Rotã in vna Albinganen. confidentiæ 6. Mart. 1607. coram Marcho Montio impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 134 n. 4.

Defectus citationis erat etiam patens, quia
fuit proceſſum contra Stephanum principalem per edictum, & tamen prima citatio perſonaliter * fieri debuit, in cauſa præſertim criminali, Paulus de Caſtro *in l. ſeruum quoque. §. publicè, num.* 12. *ff. de Procurator.* Caſſadorus *dec.* 2. *de dolo, & contumacia, num.* 3. 5.

* adde ſuprà dec. 328. n. 8. & deciſ. 435. n. 3. vbi alias deciſ. annotaui.

Nec ſanabatur iſte defectus vigore ſtatuti
† Bononienſis, ſancientis, delinquentes poſſe per contradictas citari, quoniam (vt mox dicetur) nullum Stephani delictum fuerat legitimè probatum, & conſequenter, non potuit iudex criminalis contra ipſum ſententiam ferre, ſuper cenſus nullitate. *l. ſolemus §. latrunculator ff. de iudicijs*, Creſcentius *deciſ.* 5. *numer.* 1. *&* 3. *de iudicijs.* 6.

† adde Seraphin. dec. 1276. n. 4. & 5. & habetur poſt tom. 2. conſil. Farin. dec. 127.

Iniuſtitia ſententiæ erat manifeſta, ex defectu probationis, nam cùm ſuper iſto contractu cenſus, eſſet formatum publicum inſtrumentum, cum omnibus ſolemnitatibus requiſitis, & Notarius de eo rogatus teſtificaretur de numeratione integri pretij coram eo, & teſtibus inſtrumentariis facta, & conſequenter adeſſet probatio probata, & veritas apparens, reſultans ex dicto publico inſtrumento, Baldus *in l. Imperator ff. de ſtatu homin. num.* 10. Grammaticus *dec.* 45. 7.
*num.* 9. Crauetta *conſil.* 31. *num. final.* ad iudicandum contra dictum inſtrumentum, concludentiſſima probatio requirebatur, parata ſaltem per teſtes idoneos, qui ſufficiant ad reprobandum inſtrumentum, vt cenſuit Rota *in cauſa Parmen. ſtatus*, die 5. Iunij 1596. coram R.P.D. meo Seraphino, * vbi fuit reprobata ſententia Philippi Probi, ad Ioannem Monachum *in cap.* 1. *num.* 11. *lib.* 6. aſſerentis tales teſtes debere eſſe omni exceptione † maiores, nam in hac cauſa, duo illi teſtes neque idonei dici poterant, nam præter exceptiones, quas patiebantur, cùm eſſent examinati, ex iudicis officio, pro informatione * Curiæ, in cauſa criminali, ſine partis citatione, nullum faciebant probationis gradum, Bartolus *in l. fin. in fin. ff. de quæſtionib.* Boſſius *tit. de delinquente, num.* 6. Abbas *in cap. graue, num.* 9. *de præbend.* Rota *in vna ciuitatis Caſtelli bonorum de* 8.
*Vittellis*, die 16. Decembris 1577. coram R.P.D. Seraphino, † imò neque aliquod ex eorum atteſtationibus oriebatur indicium, Rota *in vna Tullen. ſimoniæ*, die vltima Ianuarij, & die 21. Aprilis 1597. coram R.P.D. Orano, opus enim erat, hoc caſu, citare partem, & exquirere, an vellet habere teſtes pro rectè, & ritè examinatis, aliàs repetendi * erant, vt fidem facerent. Rota *in vna Romana de Rambolietis*, die 2. Aprilis 1590. † *& in eadem*, die 24. Maij 1591. coram Illuſtriſſimo Mantica, tum Rotæ Auditore. 9.

* habetur in impreſis Seraphini dec. 1191, n. 4.

† adde Lud. dec. 459. n. 5. vbi ad propoſitum allegat hãc deciſ. licèt eam inſcribat 13. Nouemb. nã eſt 19. Oct.

* adde Rotã in vna Conimbricé. Decanatus 19. Nouembris 1593. coram Mellino impreſſa per Farin. poſt tõ. 1. conſ. dec. 95. n. 3. vbi annota. litt. D. & infrà dec. 742. n. 7.

† habetur in impreſſis Seraphini dec. 374. n. 11.

* adde infrà dec. 972. n. 8.

Præterea, ex partitis librorum Dominorum de Scappis colligebatur, venditorem cenſus recepiſſe pecunias, ſub eodem die, quo fuit celebratus contractus, & die ſequenti, eas ad banchum reportaſſe, & poſtea integrum pretium
fuiſſe ſolutum, diuerſis creditoribus venditoris, quemadmodum venditor mandauerat: vlteriùs etiam apparebat, Antonium Spontonum, prædicti cenſus venditorem fuiſſe in dictis libris mercantilibus, ſcriptum creditorem tantæ ſummæ, quàm fuerat cenſus pretium, ex quibus quoque aliunde quàm ex tenore dicti inſtrumenti conſtabat, venditorem cenſus habuiſſe effectualiter integrum pretium. 10.

* habentur in impreſſis Manticæ deciſ. 103. n. 1. & 145. n. 1.

Vnde, quamuis totius pretij numeratio non

appa



apparuiſſet, aut probata non fuiſſet facta, in ipſo contractu, realis tamen interfuiſſe dicebatur numeratio, per depoſium pecuniarum in bancho, maximè cùm venditor fuerit contentus depoſito, & mercator ipſum creditorem in partitis conſtituerit; ex his enim numeratio, & ſolutio ſufficienter inducebantur. Iaſon *in l. qui in aliena, num.* 41. *& ſeq. ff. de acquirend. hæredit.* Socinus iunior *conſil.* 12. *num.* 13. *lib.* 4. *& conſil.* 39. *num.* 53. *in fine, lib.* 3. ex hac etiam tam apparente veritate, arguebatur iniuſtitia ſententiæ.

---

## *Zamoren. penſionis.*

### Die Veneris 23. Octobris 1598.

SVMMARIVM.

1 *Quaſi poſſeſſio ſi probetur per vnum teſtem, ad effectum obtinendi manutentionem, ſufficit.*

2 *Penſionis exigendi quaſi poſſeſſio ab anteceſſore tranſit paſſiuè in ſucceſſorem.*

3 *Poſſeſſio penſionarij in exigenda penſione tranſit contra beneficij ſucceſſorem.*

4 *Titulus penſionis in pecunia, de conſenſu partium ad fructus, loco pecuniæ ſubrogari poteſt.*

## DECISIO DCCXVII.

1. VTraque parte informante, Rota cenſuit, Petro de Ponte dandum fuiſſe mandatum de manutendo, in exactione penſionis, de qua agebatur, quia conſtabat de quaſi poſſeſſione eam exigendi, per duos teſtes probantes, ante concordiam initam cum Andrea Sanchez (qui Parochialem, ſuper qua fuerat reſeruata penſio, poſſederat ante Hieronymum de Sanniguel,) eidem Petro per Andream fuiſſe ſolutam, & tamen, ad effectum manutentionis ſufficiebat probare poſſeſſionem per vnum teſtem. * Menochius *de retinen. remed. vltim. n.* 34.

* adde Lud. dec. 438. n. 2. & annot. ad dec. 160. n. 3.

Nec refert, quòd non doceretur de quaſi poſſeſſione exigendi penſionem à Hieronymo, qui
2. Andreæ ſucceſſerat in hac Parochiali; quia reſpondebatur, poſſeſſionem exigendi penſionem ab anteceſſore, paſſiuè tranſire in ſucceſſorem. * Guido Papæ *deciſ.* 629. *in principio*, Gigas *tract. de penſionib. quæſt.* 47. *num.* 10. Puteus *deciſ.* 151. *lib.* 3. & ratio eſt, quia ex perſona ſucceſſoris poſſeſſio penſionarij perdi, vel mutari † non poteſt, niſi penſionarius habuerit ſe pro ſpoliato, & ſic intelligitur prædicta deciſio Putei 151. aſſerentis, competere penſionario contra ſucceſſorem, remedium recuperandæ: nam ſi pro ſpoliato ſe
3. non habuerit, ſemper competit remedium retinendæ: vt tenuit Rota *in vna Pacten. penſionis*, coram R.P.D. meo Pamphilio die 5. Decembris 1594. *& in cauſa Burgen. applicationis*, die 24. Nouembris 1595. coram Illuſtriſſimo Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

* adde Lud. dec. 275. n. 1. & Cau. deciſ. 379. n. 3. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ. & vide ſuprà deciſ. 214.

† adde Rotã rec. p. 2. dec. 287. n. 3. vbi ad propoſitũ allegat hanc dec.

4. Iam non obſtabat, quòd penſio fuiſſet reſeruata in pecunia, & Petrus exegiſſet fructus, nam cùm fructus loco penſionis fuerint exacti, perinde cenſebantur, ac ſi penſio in pecunia fuiſſet ſoluta, cùm parum referat, quid exigatur, pecunia, vel res pecuniæ æquiualentes, dummodo fraus ceſſet. *l.* 2. *C. de conſtit.* pecunia præſertim, cùm titulus penſionis in pecunia, de conſenſu partium, ad fructus, loco pecuniæ * ſubrogatos, extendi poſſit; Romanus *conſil.* 328. *num.* 11. Decianus *conſ.* 52. *num.* 33. *& ſequent. lib.* 1.

* adde Coc. dec. 31. n. 10.

5. Poſtremò, prætenſa exceſſiuitas reſeruationis penſionis in Ducatis 350. non impediebat manutentionem, quoniam de illa erat agendum in iudicicio petitorio, & donec vel inualidas, vel exceſſiua iudicaretur penſio, non poterat Petro manutentio denegari, Puteus *deciſ.* 34. *num.* 5. *lib.* 1. quod procedit quamuis eſſet commiſſa cauſa nullitatis penſionis cum clauſula, *Arbitrio Rotæ*, etiam reſpectu ſolutionis penſionis, & fuit dictum in vna Romana Palatij Campi Floræ 17. Decembris 1588. * Rota *in vna Romana penſionis*, die 25. Martij 1596. coram Illuſtriſſimo Blanchetto; item *in alia Romana penſionis*, die 13. Iunij 1597. coram R.P. Domino meo Pamphilio, quod fuit iterum confirmatum coram eodem die 17. Februarij proximè præteriti, præſentis anni 1598.

* ſuprà dec. 3. n. 2. vbi annotaui alias dec.

---

## *Romana de Naris.*

### Die Lunæ 28. Octobris 1598.

## DECISIO DCCXVIII.

1. VTraque parte informante ſuper dubio de ordine Rotæ dato, an loca montium poſita ſub periculo vitæ bon. mem. Hieronymi Nari, & aliorum, ad liberam, & totalem diſpoſitionem Domini Franciſci, comprehenſa eſſent in ſententia A.C. ad effectum, vt Franciſcus teneretur ſoluere ſuam partem pretij Ioanni Antonio, iuxta formam dictæ ſententiæ; Rota affirmatiuè reſpondit, in ſententia fuiſſe comprehenſa, tum propter verba ipſius ſententiæ, tum propter veriſimilem mentem iudicantis.

Propter verba quidem, quia Franciſcus fuit condemnatus ad ſolutionem partis pretij locorum montium, in eius perſona poſitorum, & per ipſum tempus motæ litis poſſeſſorum, exploratum autem erat, huiuſmodi loca montium à Franciſco tempore motæ litis fuiſſe proceſſa.

2. Propter veriſimilem autem mentem iudicantis, quoniam cùm hæc loca ex communibus pecuniis fuiſſent empta, & omnia bona, iura, & actiones fuiſſent æqualiter inter ipſos fratres diuidenda, idem iudicium erat faciendum de his locis montium, quod factum fuerat de cæteris bonis iuribus, & actionibus; præſertim cùm non poſſet commoda diuerſitatis ratio aſſignari, quare ſcilicet cæteris, inter ipſos fratres diuiſis, hæc ſola loca montium, ad ſolum Franciſcum pertinere deberent.

Poſtremò A. C. qui ſententiam tulerat, facto ipſo in eundem modum videbatur ſuam ſententiam interpretatus, dum in calculo facto, huiuſmodi loca montium computari mandauit, & pro illis etiam mandatum relaxauit.

De aliis locis montium, conſtitutis ad diſpoſitionem Ioannis Antonij, ſeu per eum poſſeſſis, ſeorſum agendum erit; quia præſens dubium ſolùm quærebat de locis ſpectantibus ad diſpoſitionem Franciſci.

Romana

## *Romana adminiſtrationis bonorum de Cuppis.*

### Die Veneris 30. Octobris 1598.

SVMMARIVM.

5 *Fideicommiſſario habenti qualitates requiſitas à teſtatore, danda eſt hæreditas.*
6 *Habitu laicali incedens etiamſi ſit tonſuratus, non eſt Clericus.*
8 *Filia comprehenditur in clauſula teſtatoris, ſi filios habuerit.*
9 *Filij, vel filia, ſi vocentur à teſtatore, in vno filio, vel filia, verificatur conditio.*
10 *Tranſactio non poteſt præiudicare tertio non tranſigenti.*
12 *Conuentio ſemper inſpicit cauſam, propter quam fit, & iuxta eam eſt regulanda. nam ea ceſſante, & illa ceſſat, n.14.*

## DECISIO DCCXIX.

1. Bon. mem. Cardinalis Tranenſis in ſuo vltimo teſtamento inter cætera diſpoſuit, vt ex omnibus ſuis filiis, & deſcendentibus, ſemper natu maior laicus, filios habens, adminiſtraret, gubernaret, & poſſideret, ac conſeruaret omnia eius bona ſtabilia, ita vt nullo modo quoad proprietatem, & adminiſtrationem, vllo vnquam tempore, etiam inter ipſos fratres, aut deſcendentes, diuidi poſſent, ſed integraliter omnia, maior natu laicus, filios habens, adminiſtraret, gubernaret, regeret, conſeruaret, & poſſideret: de fructibus autem dictorum bonorum ſtabilium debitas portiones aliis cohæredibus ſuis aſſignaret, & cum effectu diſtribueret.

2. Mortuo Hieronymo hærede inſtituto, & Ioanne Dominico filio natu maiore, Septimius, Ioannis Domini frater, qui nec vxorem duxerat, nec filios habebat, & propterea adminiſtrationem bonorum, iuxta tenorem teſtamenti prædicti, petere non poterat, ſuper eorundem bonorum adminiſtratione, cum Domina Conſtantia, prædicti Ioannis Dominici vxore, & filiorum ſuorum adminiſtratrice, tranſegit, vt de partium conſenſu, eorundem bonorum adminiſtrator aliquis deputaretur, ſicut deputatus fuit.

3. Cùm verò paulo pòſt, Dominus Septimius vxore ducta, filiam ſuſcepiſſet, & iuxta tenorem teſtamenti prædicti, adminiſtrationem bonorum peteret ſibi decernendam, dato ſuper ea re dubio, cum quibuſdam præſuppoſitis, Rota vnanimiter cenſuit, Septimio adminiſtrationem fuiſſe dandam; quia in eo concurrebant qualitates à teſtatore requiſitæ: erat enim reſpectu cæterorum fideicommiſſariorum, & ſubſtitutorum ſuperuenientium, natu maior, habebat filios, & erat laicus, has enim qualitates teſtator in ſuo teſtamento requiſiuerat, & propterea ſibi veniebat adminiſtratio bonorum decernenda, *l.4. §. toties. ff. de damno infect. l. quod dictum, ff. de pactis.* Decianus *conſ.57.num.24.lib.1.*

4. Neque huic deciſioni obſtabant multa, quæ proponebantur per informantes.

Ad primum, non obſtabat Septimio Clericatus, quem arguebat penſio Eccleſiaſtica, ſibi reſeruata, quia Domini omiſſo illo articulo, an prima tonſura ſit Ordo Cardinalis,* imprimens characterem, ita vt per illa homo deſinat eſſe laicus, de quo Canoniſtæ *in cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* & Theologi *lib.4. ſententiarum diſtinct.24. & ibi* præceteris Dominicus Sotus *concluſ.7. quæſt.1.* & Michaël de Palatio *diſputatione 1. concluſ.8. verſ. prima verò tonſura.* Reſpondebant, intentionem Cardinalis Tranenſis teſtatoris, volentis bona ſua per laicos ſemper adminiſtrari, feciſſe excludere eos Clericos, qui non poſſent ducere vxores, quales non ſunt, prima tonſura, & quatuor minores initiati, qui abſque diſpenſatione vxores * ducere poſſunt. Vnde quamuis Septimius eſſet Clericus, cùm vxorem duxiſſet, ac ducere quidem potuiſſet, ſatis poterat venire, appellatione laicorum, per quos teſtator bona fideicommiſſo ſubiecta ſemper adminiſtrari mandauit. 5.

* de quo videnda eſt deciſ.731. p.1. diuerſ.
* adde Rotã diu. in d.dec. 731. n.14. p.1.

6. Rurſus cùm Septimius incederet in habitu laicali, & vxorem haberet, tanquam purus laicus erat reputandus, *cap.2. de Cleric. coniug. cap. vnico, eodem tit. lib.6.* Ripa *in cap. decernimus, num.1. verſ. contrarium credo verius, de iudic.*

7. Rurſus non obſtabat, quòd Septimius non haberet filios, ſed vnicam tantùm filiam, quaſi propterea ſibi non conuenirent verba teſtatoris, iubentis, quòd adminiſtraret laicus, filios habens, nam ex quo diſcretiuè locutus fuerat de maſculis, & fœminis, perpetuò has excludendo, illos verò vocando, appellatione filiorum non veniebant fœminæ. Decianus *conſil.12. num.28. & conſil. 28. numer.26. lib.1. & conſil. 22. num.3. lib.1.*

8. Quoniam reſpondebatur primò, verba illa, *filios habens*, in vnica filia poſſe verificari. *l. ſi quis ita. ff. de teſtament. & l. ſi quis ita ſcriptum. ff. de legat.2.* Romanus *conſil.148. num.2.* Alexand. *conſil.55. num.9. lib.3.* Corneus *conſil.202. num.8. lib.3.* Berous *conſil.110. num.26. lib.2.* Belogninus *conſil.32. num.1.* Ioannes Andreas *in cap. Rainutius, de teſtam. num.8.* & fuit deciſum coram me *in vna Camarinen. fideicommiſſi*, die 13. Nouembr. 1595. * nec refragabatur locutio in numero plurali, quia nihilominus in vno filio, & vna filia poteſt verificari. *l. non eſt ſine ff. de verb. ſignif.* ibi, *non eſt ſine liberis, cuius vnus filius, vndue filia eſt.*

* ſuprà dec. 471. n. 3. & ſeq. vbi alias deciſ. annotaui.

9. Secundò reſpondebatur, quòd qualitas filiorum, de quo agebatur, ad effectum, ſufficienter verificatur in vnica filia, latè Tiraquellus *in l. ſi vnquam. in verb. ſuſceperit liberos, num.241. & pluribus ſequent. C. de reuocand. donation.*

10. Præterea non obſtabat tranſactio, cum deputatione adminiſtratoris ſubſecuta, quia reſpondebatur, quòd cùm tempore initæ tranſactionis, nullus extaret * de vocatis ad fideicommiſſum, cui qualitates à teſtatore expreſſæ competerent, impunè potuerunt intereſſe habentes paciſci ſuper adminiſtratione bonorum, etiam tertio adminiſtrationem bonorum conferendo; tranſactione tamen ceſſante, ſi temporis ſucceſſu aliquis ex tranſigentibus fiat habilis, & qualificatus illum admittendum; pactio enim & tranſactio rebus ſic ſtantibus † intelliguntur. *l. quod iuris ff. de condiction. ob cauſ.* Tiraquellus *in præfatione. l. ſi vnquam, num.167. C. de reuocand. donat.* latè Natta *conſ.125. n.16. lib.3.* Corneus *conſ.180. num.3.* 11.

* & tranſactio non poteſt nocere præterrtranſigentibus, Dur. dec.95. n.9. Lud.418. n.10. & 11. & 16. & fuit dictum ſuprà dec.104. n.2. & ſeq.
† adde infrà deciſ.771. n.11.



*num.3. & conſ.189. num.6. lib.2.* Pariſius *conſ.88. num. 30. lib.1.* & tenuit Rota *in vna Cæſarauguſtana alimentorum*, die 23. Ianuar. 1574. coram R. P.D. meo Seraphino, * in contractibus enim, & conuentionibus, ratio ſemper, & cauſa propter quam fiant, debent potiſſimum conſiderari, & iuxta eam regulari. *l. legata inutiliter ff. de legat.1. l. item quia conuentiones. §. fin. ff. de pact.* Iaſon *in l. qui quadringenta, ff. ad Trebell. num.2.* Cephalus *conſ.548. num.4. lib.4.*

12. * habetur in impreſſis Seraphini dec. 211. n.2. & 3.

13. Opponebatur etiam Septimio exceptio periurij, quam tamen facilè diluebant informantes, quia ipſe ante inchoatum iudicium obtinuerat abſolutionem à iuramento, de qua conſtabat in actis.

14. Non obſtabat eidem Septimio diſpoſitio textus *l. ſi diuerſa. C. de tranſact.*

Quia cùm per ſuperuenientem habilitatem Septimij tranſactio expirauerit, ceſſante cauſa, non poterat aliqua contrauentio conſiderari.

15. Præterea quæ in tranſactione remittebantur Septimio, non fuerunt ei remiſſæ contemplatione adminiſtrationis, ſed ratione eorum, quæ mutuo conceſſa fuerunt filiis Ioannis Dominici, vt patebat ex narratione facti.

16. Poſtremò non obſtabant Septimio deducta in querela criminali, porrecta contra ipſum ab aduerſariis, ad oſtendendum, illum fuiſſe effectum indignum adminiſtratione bonorum.

17. Quoniam reſpondebatur, nullum apparuiſſe probatum Septimij dolum, aut fraudem, propter quæ, adminiſtratione cenſendus foret indignus.

18. Atque ita fuit concluſum, recedendum fuiſſe à deciſione facta die 28. Iunij 1596. quo tempore Septimius nullos habebat filios, & ex deductis in hac propoſitione ei fuiſſe adminiſtrationem bonorum concedendam.

---

## *Montis Regalis iuriſdictionis.*

### Die Mercurij 4. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

1 *Manutentio ſolùm datur poſſidenti.*
2 *Manutentio datur Epiſcopo, in rebus, & iuribus Epiſcopalibus, propter aſſiſtentiam iuris, & num.6.*
3.4.5 *Epiſcopo danda eſt manutentio, etiam non probata poſſeſſione, ad viſitandas omnes Eccleſias ſuæ diœceſis.*
*Metropoliticum ius, in quo conſiſtat, ibid.*
7 *Aſſiſtentiam iuris qui habet, manutenendus eſt.*

## DECISIO DCCXX.

1. Vtraque parte informante, Rota cenſuit, D. Archiepiſcopo Montis Regalis non potuiſſe dari mandatum de manutenendo, ad exercendum ius Metropoliticum in Eccleſiam, & EpiſcopumCathanienſem, quod cùm non detur, niſi poſſidenti, * *§. retinendæ, Inſtit. de interdict.* & pro conſeruatione ſtatus, qui erat tempore motæ litis, vt ſæpe Rota declarauit, eſtque notiſſimum, ex receptis iuris regulis, in caſu propoſito non apparebat, in qua poſſeſſione eſſet Archiepiſcopus manutenendus.

* de hoc articulo plures dec. allegat Poſti. de manu. obſer.17. n.1. cum ſequent.

Quamuis enim in erectione Archiepiſcopatus Montis-Regalis, Eccleſiæ Cathanienſis fuerit ei aſſignata in ſuffraganeam, vt fuerat deciſum *in hac cauſa*, die 25. Octob. 1596.* coram me, & conſequenter, Archiepiſcopo habenti fundatam intentionem de iure communi, propter eiuſdem iuris aſſiſtentiam, abſque probatione poſſeſſionis, videretur competere manutentio † in vniuerſa eius Prouincia, Verallus *dec.306. p.1. & dec. 201. & 202. p.2.* & fuit ſæpe in Rota deciſum, & præſertim *in cauſa Bonon. S. Petronij*, anno 1595. coram Illuſtriſſimo Mantica,* tunc Rotæ Auditore, & die 28. Martij 1596. *in cauſa Veronen. iuriſdictionis*, coram R.P.D. meo Pamphilio. 2.

* ſuprà dec. 546.
† adde Dur. dec.226. n.2. & 3. & deciſ. 320. n. 3. & dec.446. n.2. & ſeq. Canal. dec.193. n.1. & deciſ.506. & 617. & aliàs ſæpe.

3. Nihilominus, cùm pro parte Archiepiſcopi non doceretur, Archiepiſcopos Montis Regalis, aliquos vnquam actus poſitiuos Metropoliticos in Eccleſiam, & EpiſcopumCathanienſem exercuiſſe, ex ſola iuris aſſiſtentia, † non fuerunt auſi Domini Archiepiſcopum manutenere, conſtituendo ipſum in exercitio prædicti iuris Metropolici, in quo non probabantur per multa annorum centenaria, fuiſſe eius anteceſſores, & maximè cùm ex aduerſo, pro Epiſcopo Cathanienſi, multa deducerentur, ex quibus illa iuris aſſiſtentia reddebatur ſatis turbida.

* habetur in impreſſis Manticæ deciſ.322.
† adde Rotã rec.p.1. dec. 423. n.3. vbi ad propoſitum allegatur præſens dec.

4. Primum enim, (vt dictum eſt) non docebatur pro parte Archiepiſcopi, quòd vel ipſe, vel ſui anteceſſores aliquem actum iuris Metropolici, in Eccleſiam Cathanienſem exercuerant.

Rurſus, in Bulla Eugenij IV. Eccleſia Cathanienſis enuntiabatur, immediatè ſedi Apoſtolicæ ſubiecta, quod ipſum iterum enuntiabatur in alia Bulla Gregorij XIII. ann.1574.

5. Præterea, aliquot teſtes etiam affirmabant, ſemper ſe vidiſſe, & audiuiſſe, Epiſcopum Cathanienſem ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum.

Poſtremò, Epiſcopus Cathanienſis ab antiquo tempore, nempe ab anno 1417. vſque ad præſens, cognoſcebat cauſas in prima, & ſecunda inſtantia, in quibus potiſſimum actibus conſiſtit ius Metropoliticum.

Vnde cùm ex his redderetur obſcura, & turbida præſumptio illa, quæ oritur ex iuris communis aſſiſtentia, non ſolet Rota in tali caſu manutentionem concedere.

6. Atque ita placuerunt Dominis, quæ in hac cauſa adnotaueram die 20. Decembris 1596. * quando vtraque parte informante, Rota ſubſtitit in relaxando mandato de manutenendo, ad fauorem Archiepiſcopi Montis Regalis, quod ipſum deinde in aliis cauſis approbauit, nempe *in vna Vliſbonen. iuris conferendi*, die 1. Decembr. 1597. coram R.P.D. meo Litta, & iterum *in cauſa Luzen.* * *iuriſdictionis*, die 4. Maij proximè præteriti huius anni 1598. coram R.P.D. meo Seraphino Raſcalio, Rotæ Decano.

* ſuprà dec. 571.
* habetur in impreſſis Seraphini dec. 1278. n.1.

7. Neque ſupradictis refragabatur textus *in cap. cùm perſonæ, de priuil. lib.6.* quia reſpondebatur, quòd licèt regula ſit, quòd habens aſſiſtentiam iuris communis manutenere * debeat; illa tamen habet aliquot limitationes, in quibus vna eſt, quando iuris communis aſſiſtentia, ex aliquibus redditur turbida, vt in caſu propoſito, in quo Rota conſueuit, omiſſo iudicio poſſeſſorio, aggredi merita cauſæ, & diſcutere petitorium.

* adde ſuprà dec.546. n.8. in hac eadem cauſa, & Durand. dec.46. n.5. & aliàs ſæpe.

## *Bononien. Pecuniaria de Calderinis.*

### Die Veneris 4. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

3 *Sententia, licèt ſit iuſta, poteſt eſſe nulla, & num. 6.*

4 *Nulla dicitur ſententia, ſi feratur, non ſeruata forma commiſſionis.*

5 *Negatiua non ſeruatæ formæ, in ſententia lata, probatur ex proceſſu.*

7 *Actiones perſonales, ſpatio 30. annorum præſcribuntur.*

8 *Fidem bonam probare tenetur, qui ſe fundat in præſcriptione.*

9 *Mala fides actoris, ſucceſſori alleganti præſcriptionem nocet.*

10.11 *Iuramentum perpetuat actionem, vſque ad 40. annos.*

12 *Iuramentum non venit in generali diſpoſitione, ſed in ſpecifica.*

13 *Debiti ſolutio non præſumitur, ex tarditate creditoris, in petendo.*

15 *Coniecturis, ſi decidatur lis, vigentiores debent præualere.*

16 *Solutionem, ſine apocha non præſumitur eſſe factam.*

17 *Solutio partis debiti, ſi oſtendatur, tollit præſumptionem ſolutionis reſidui.*

18 *Coniectura ſolutionis debiti præſumitur, ex iuramento viri nobilis, & honeſti.*

19 *Soluere difficile ſolent homines ante tempus, quia potius differunt, quàm properant ſolutionem.*

## DECISIO DCCXXI.

1. DVxerat Cornelius de Sancto Petro vxorem Helenam de Calderinis, anno 1535. cum dote librarum 7500. ſibi ſoluta in pecunia numerata, vt patebat ex duobus inſtrumentis authenticis, quibus Cornelius promittebat eam dotem Helenæ, eiuſque fratribus, illorumque hæredibus, & ſucceſſoribus, ſaluo lucro medietatis prædictæ dotis, reſtituere iuxta formam ſtatutorum Bononienſium.

2. Mortua verò Helena ſine filiis anno 1559. & conſequenter, facto loco reſtitutioni medietatis dotis, ad cuius computum, ex quietantia in actis inſerta conſtabat de ſolutione librarum 1700. facta per Cornelium, Dominis de Calderinis, rurſuſque vita functo Cornelio, Helenæ marito anno 1578. cùm Domini Comites, Ludouicus, & fratres de Calderinis hæredes illorum, qui dotem Helenæ Cornelio perſoluerant, à Domina Virginia Coſpia hærede mediata, prædicti Cornelij de Sancto Petro anno 1591. reſtitutionem medietatis dotis peterent, iuxta tenorem publicorum inſtrumentorum, ſuper dicta promiſſione, & poſt reclamationem à laudo, ſuper hac re lato, cauſa de partium conſenſu fuiſſet commiſſa Prætori Bononien. cum ſuffragio Rotæ eiuſdem ciuitatis, & Vicarij Bononien. & Prætor die 23. Iunij anno 1592. ex ſuffragio aliorum Auditorum ſententiam tuliſſet, condemnando Dominam Virginiam ad ſoluendas libras 2050. in gradu appellationis cauſa in Rota commiſſa dubitaui, an prædicta ſententia, per Prætorem lata, eſſet confirmanda, vel infirmanda.

3. Rota verò vtraque parte informante, infirmandam cenſuit, ex capite nullitatis; * iuſtam tamen eſſe pronuntiauit. Nullitas apparebat eo eo, quia cùm cauſa fuiſſet commiſſa Prætori, cum voto Auditorum Rotæ Bononien. & Vicarij decidenda, & reperiretur lata abſque voto Vicarij, nullitati ſubiacebat, cùm non fuiſſet ſeruata commiſſionis forma, † quam præciſè ſeruare oportet, *cap. cùm dilecta, de reſcript.* vbi Felinus *num.* 12. Rota *deciſ.* 8. *in fine, de dolo, & contumac. in nouis*, Verallus *deciſ.* 111. *num.* 4. *part.* 1. *& deciſ.* 250. *num.* 4. *parte* 3.

* hæc nullitas fuit ſublata ex deductis infrà deciſ. 741. in hac eadem cauſa.

4. † adde Lud. dec. 1. n. 1. & dec. 518. n. 3. & Rotam in vna Ferrarieñ. bonorum 24. Ianuar. 1600. coram Corduba impreſſa per Marcheſ. de cõmiſſ. part. 3. pag. 121.

Illam verò negatiuam, quòd ſine voto Vicarij Prætor pronuntiaſſet, dicebant Domini ſufficienter probari, ex reuolutione, * & inſpectione proceſſus, cùm nuſquam appareret, Vicarium dediſſe ſuffragium. Ripa *in l.* 4. *§. condemnatum, num.* 12. *ff. de re iudic.* Vantius *de nullitate ex defectu iuriſdictionis, num.* 152. *& ſequent.* Grammaticus *deciſ.* 59. *num.* 16. Crauetta *conſil.* 138. *num.* 5. Herculanus *tract. Quis teneatur probare negatiuam, num.* 167.

5. * adde annota. ad dec. 416. Lud. n. 8. vbi aliæ dec. allegantur.

6. Quod verò ad iuſtitiam Domini eandem ſententiam iuſtam fuiſſe agnouerunt, tanquam fundatam in duobus authenticis inſtrumentis, ex quibus conſtabat de ſolutione dotis aſſignatæ, & promiſſione reſtitutionis illius, eueniente reſtitutionis caſu, & conſequenter, pro integrali reſtitutione prædictæ dotis, Dominam Virgineam condemnandam in libris 2050. non obſtantibus exceptionibus, & coniecturis, quibus vtebantur informantes pro Domina Virginia, ad euitandam prædictam ſolutionem, quibus Domini recto ordine breuiter reſponderunt.

7. Ad primam enim exceptionem, fundatam in præſcriptione iuris communis annorum 30. fuit primò reſponſum, quòd licèt actiones perſonales (qualem in caſu propoſito prætendebant informantes pro Virginia intentaſſe Calderinos) ſpacio 30. annorum regulariter præſcribantur. *l. ſicut, & l. cùm notiſſimi. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* in caſu tamen propoſito non videbantur concurrere requiſita ad legitimam præſcriptionem inducendam, nempe legitimus temporis curſus, ante litem motam completus, & bona præſcribentis fides, quæ probari oportet ab eo,
8. qui ſe fundat in præſcriptione. Curtius iunior *conſ.* 90. *n.* 2. *lib.* 1. Hieronym. Gabrielius *conſ.* 145. *num.* 4. *& ſeq. lib.* 1. Rolandus *conſ.* 89. *num.* 6. *lib.* 2. *Pedemontan. deciſ.* 101. *num.* 4. *&* 27. & cùm reſpectu Cornelij debitoris non poſſet conſiderari bona fides, cùm verè eſſet debitor, nec poterat
9. adeſſe in Virginia, à Cornelio cauſam habente, cùm mala fides auctoris, ſucceſſori * alleganti præſcriptionem noceat. Rota *in vna Romana fideicommiſſi de Caſizucchijs*, die 10. Maij 1596. coram Illuſtriſſimo Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

* Lud. dec. 249. n. 1. & ibi annota. n. 6.

10. Secundò reſpondebant aliqui ex Dominis, quòd cùm promiſſio, & obligatio Cornelij, de reſtituenda dote fuiſſet iuramento roborata, non ſufficiebat curſus 30. annorum, ſed quadragenarius requirebatur, iuramentum enim actionem perpetuat vſque ad 40. annos. Bartolus, Angelus, & communiter Doctores *in l. nam & ſi poſtea. §. ſi is qui. ff. de iureiurand.* Felinus *in cap. finali, in quarta declaratione, verſic. limita ſecundò, num.* 7. *de præſcript.* Gratus *conſil.* 41. *num.* 5. *verſ. ſecundò conſidera, lib.* 1. Crauetta *conſil.* 71. *num.* 2. latè Seraphinus *tractat. de priuil. iuramenti, priuil.* 51. *num.* 1. *&* 8. in caſu autem propoſito, ſi curſus temporis inciperet à morte Helenæ, vſque ad annum 1591. quo mota fuit lis, ſolùm excurriſſe 32. annos, ſi autem à morte Cornelij, ſolùm tranſactos fuiſſe tredecim, & conſequenter, neque reſpectu bonæ fidei, neque reſpectu temporis, locum fuiſſe præſcriptioni.



11. Ad ſecundam exceptionem, fundatam in præſcriptione ſtatutaria decem annorum, iuxta formam ſtatuti Bononien. ſub rubrica *de præſcript.* confirmati à Iulio II. expreſsè diſponentis, quòd ſi debitor per decennium diſtulerit petere ſuum creditum, excludatur à petitione, ſi debitor illius iurauerit, debitum fuiſſe ſolutum, iuxta cuius formam, Domina Virginia paratum ſe iurare offerebat: Domini, omiſſis aliis reſponſionibus, amplexi ſunt opinionem aſſerentium, prædictum ſtatutum non habere locum in debito iurato, quale erat hoc, de quo agebatur,
12. tum quia iuramentum perpetuat actionem vſque ad 40. annos; tum quia communis regula eſt, iuramentum non venire in generali diſpoſitione, ſed ſpecifica mentione indigere, vt in terminis huius ſtatuti reſponderunt Gratus *conſil.* 41. *lib.* 1. *num.* 14. & Laurentius de Pinu *conſ.* 90. *numer.* 3. & Garzaria *patrocinio* 10. *num.* 12. qui cùm eſſent Doctores Bononienſes, credendum videbatur, tanquam verſatis in iure patrio Bononienſi maximè, cùm eorum ſententia grauiſſimo, & numeroſo Iuriſconſultorum ſuffragio niteretur, aſſerentium, ſimile ſtatutum non habere locum in debito iurato, quos referebat Seraphinus *tractat. de priuil. iurament. priuil.* 22. *numer.* 53. *& priuil.* 51. *num.* 2. & Gabriel *tit. de ſtatutis concluſ.* 11. & tenuit Rota *in cauſa Romana penſionis domus*, die 16. Ianuarij præſentis anni 1598. coram R. P. Domino meo Lanzelloto.

13. Ad coniecturas, quibus vtebantur informantes pro Domina Virginia, ad perſuadendam ſolutionem, placuerunt Dominis reſponſiones datæ per informantes pro Dominis Calderinis. Ad illam verò, quæ primarium locum obtinere videbatur, de taciturnitate * Calderinorum, qui nec iubente Cornelio, nec aliis duobus ſuis hæredibus debitum petiuerunt, quaſi expectauerint tempus, in quo nemo eſſet de negotio informatus, qui reſpondere potuiſſet, dixerunt, tarditatem creditoris in petendo, quod ſibi debetur, non ſufficere ad præſumendam ſolutionem, cùm aliàs fruſtratoria eſſet præſcriptio, vt tenuit Rota *in cauſa Romana extinctionis cenſus*, die 7. Maij 1584. coram Domino meo Seraphino, † *& in vna Burgen. fructuum*, die 5. Iulij 1593. coram Domino Litta.

* vide Rotã rec. p. 2. dec. 292. n. 3. & dec. 516. n 3. & diuerſ. p. 1. dec. 788. n. 2.

† habetur in impreſſis diuer. dec. 788. n. 12. p. 1.

14. Ad alteram coniecturam, deſumptam ex tribus partitis ſolidatis à Ioanne de Calderinis, patre Dominorum de Calderinis, anno 1560. adnotatis in lib. familiari Domini Cornelij, de datis, & receptis, quibus computatis, ſolùm remanebat reſiduum librarum 542. reſpondebatur, ſidem libri vacillaſſe ex eo, quòd non conſtabat plenè, vtrùm eſſet liber Cornelij, vel cuiuſdam molendinarij, maximè cùm liber non videretur legitimè confectus, & cuſtoditus ad effectum, vt ei aliqua fides potuiſſet adhiberi.

15. Denique dicebant Domini, quòd ſi coniecturis lis dirimenda fuiſſet, plures, fortiores, validiores, & ſpecialiores concurrebant pro Calderinis, quàm pro Domina Virginia, & conſequenter his potiùs inhærendum fuiſſe. Neuizanus *conſil.* 81. *numer.* 24. Gigas *conſil.* 38. *num.* 49. Natta *conſil.* 67. *num.* 7. *lib.* 1.

16. In his prima erat, quaſi ſolutio fuiſſet facta, & Cornelius, aut eius hæredes habuiſſet apocham * receptionis, Riminaldus iunior *conſil.* 489. *numer.* 9. *lib.* 5. maximè cùm ſimilis apocha, & quietantia de eo, quod ſoluerat, eſſet in actis producta.

* Lud. dec. 195. n. 13. & dec. 253. n. 1. & ſolutio ſine quietãtia nõ præſumitur, idem Ludouiſ. deciſ. 188. n. 3. Rota recen. p. 2. dec. 158. n. 3.

Altera erat, quia oſtenſio ſolutionis † partis tollit præſumptionem ſolutionis reſidui. Crauetta *conſ.* 313. *num.* 5.

17. Tertia colligebatur ex libris Dominorum de Calderinis, more mercantili factorum, in quibus non apparebat talis ſolutio, cùm tamen diſtinctè continerent data, & accepta, Menochius *de præſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 6. *num.* 4.

† addè Rotam rec. p. 2. dec. 511. n. 1.

18. Quarta ſumebatur ex aſſertione Comitis Nicolai, qui iuramento affirmauerat, huiuſmodi pecunias non fuiſſe ſolutas, Seraphinus *tractat. de priuil. iurament. priuil.* 40. *num.* 8. cui credendum videbatur, cùm eſſet vir nobilis, & honeſtus, Menochius *conſil.* 30. *num.* 13. Rolandus *conſ.* 19. *num.* 8. *lib.* 3.

Supradictis denique accedebat generalis præſumptio, fundata in communi, & recepto hominum more, qui libentius differunt ſolutionem, quàm ad ſoluendum properent. Mandellus *conſ.* 789. *num.* 4. *lib.* 4.

Atque ex prædictis cenſuit Rota, ſententiam fuiſſe iuſtam.

## *Veneta prætenſæ illegitimitatis.*

### Die Veneris 6. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

3 *Citatio partis, ad videndum iurare teſtes, non eſt neceſſaria, ſi in commiſſione præfigatur terminus ad perficiendum examen.*

4 *Pars ſi compareat, purgat defectum citationis.*

## DECISIO DCCXXII.

1. PRopter nimiam, & importunam inſtantiam Dominorum de Cathaneis Rota ordinauit, vt iterum ipſos audirem, ſuper examine quinque teſtium die 27. Februarij ann. 1563. in ciuitate Adriæ examinatorum, quòd informantes pro Cathaneis prætendebant, fuiſſe nullam ex defectu citationis ad videndum iurare teſtes, nam in remiſſoria aderat forma præciſa, quòd citaretur Ludouicus Cathaneus, ad videndum iurare teſtes, & tamen Alphonſus,

ſus, non citato Ludouico, neque aliis de Cathaneis, prædicto die 27. Februarij, dictos quinque teſtes examinare curauit, addebantque informantes pro eiſdem Cathaneis, non potuiſſe prædictum examen cenſeri validum ex eo, quòd poſtea in examine facto die 11. Martij eiuſdem anni 1563. in oppido de Cauazane, Notarius aſſerebat, quòd dum ipſe examinabat vltimum teſtem, ſuperuenerat Camillus Cathaneus, & petiuerat, eos diligenter interrogari, ſaluo remanente ſibi iure opponendi contra perſonas, & dicta teſtium, quoniam hoc examen factum alio die, & alio loco, & coram alio iudice, non potuit conualidare prædictum examen quinque teſtium, quod ab initio prætendebatur nullum.

2. Rota tamen, vtraque parte informante, & vtriuſque partis informationibus diligenter viſis, & diſcuſſis, cenſuit, examen fuiſſe validum, & propterea ſtandum in deciſis, die 8. Iunij proximè præteriti, * quia aderat citatio generalis, facta coram iudice delegante, pro intereſſendo coram iudice Remiſſoriali, ad videndum iurare teſtes, eorum dicta recipi, & alia fieri, quæ ſufficit, & durat pro termino in litteris remiſſorialibus contento, nec eſt opus alia citatione, poſtquam tale decretum

* ſuprà dec. 697. & adde Rotam rec. p.2.dec.284. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.

3. iudicis delegantis fuit parti, vel Procuratori illius intimatum, † Rota *in vna Calagurritana iuris votandi*, menſe Ianuarij 1590. coram R. P. Domino meo Orano, *& in cauſa Toletana decimarum de Sazedon. coram me*, die 16. Ianuarij eiuſdem anni, * *& in cauſa Calagurritana oblationum*, die 26. Martij 1590. coram Comitulo, nunc Epiſcopo Peruſino, *& in alia Burgen. fructuum*, die 28. Maij 1590. coram R.P. Domino meo Pamphilio, & nouiſſimè *in cauſa Cathanien. illegitimitatis*, die 29. Maij præſentis anni 1598. coram R. P. Domino meo Orano.

† adde Lud. dec. 27. n.3. & latè annota.n.9 & ſeq. Coccin. dec. 216.n.26.Seraphin. dec. 654. n. 1. & ſequ. & dec. 1297.n.1. & deciſ. 1441. n. 4. & aliàs ſæpe.

* adde ſuprà dec. 84. n.4. & deciſ.697. n. 2. & infrà deciſ.937. in tom.2.

Quòd maximè videbatur Dominis conſtituendum in hac cauſa, tum quia Camillus Cathaneus, vnus ex fratribus habentibus intereſſe in cauſa, comparuit in fine examinis, co-
4. ram receptore, & non fuit conqueſtus, propter defectum citationis, ſed ſolùm ſibi reſeruauit exceptiones contra perſonas, & dicta teſtium, argumento *l. cùm prætor ff. de iudic.* Verallus *deciſ.* 116. *parte* 1. quinimo ex comparitione cenſebatur habuiſſe notitiam citationis: tum etiam, quia hæc nullitas per 30. annos, & ampliùs non fuit oppoſita, niſi hoc nouiſſimo tempore, quo mortuis iam teſtibus, iterum examinari non poterant. Vnde videbatur nimis affectatè propoſita, ad iudicium differendum.

5. Accedebat etiam, quòd teſtes de quibus agebatur, fuerant ter examinati. Primùm coram iudice laico, ad perpetuam rei memoriam, Dominis de Cathaneis contradicentibus.

Secundò cum interrogatoriis partis, & interprete coram Duce Venetiarum, ad inſtantiam Cathaneorum.

6. Poſtremò autem coram Iudice Eccleſiaſtico, pariter cum interrogatoriis partis, ex quibus actibus purgabatur defectus citationis. Boërius *deciſ.* 235. *num.* 3. cum aliis allegatis ſuper hoc articulo, in alia deciſione * facta in hac cauſa die 8. Iunij proximè præteriti.

* ſuprà dec. 697.n.3.

Atque ex prædictis Domini tenuerunt pro validitate examinis, & ſteterunt in deciſis.

---

## *Bononien. Euictionis.*

### Die Veneris 13. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Hæres tenetur de euictione teſtatoris.*
3 *Euictionis obligatio à teſtatore facta, tranſit in hæredem.*
4 *Hæres non tenetur vltra vires hæreditarias, ſi adiuit cum beneficio inuentarij.*
5 *Hæreditatem adeundo hæres cum creditoribus, dicitur quaſi contrahere.*

## DECISIO DCCXXIII.

VNa tantùm parte Dominorum de Ballis 1.
informante, nam illa de Rouerellis ſæpiùs citata, & monita, vt informaret, dilationibus ſtudebat, dubitaui, an Comes Rouerellus, hæres bon. mem. Comitis Hieronymi de Rouerellis, venditoris bonorum, de quibus agebatur, teneretur de illorum euictione, & Rota affirmatiuè reſpondit, eum teneri, quatenus vires hæreditatis * paterentur, nam ſicut Comes Hieronymus, qui hæc bona vendiderat Dominis de Ballis, ſequuta illorum actuali euictio-
ne, ob mandatum executiuum à Rota relaxa- 2.
tum, ſi viueret, de euictione emptoribus teneretur, tum ex natura contractus *l. ſi in venditione ff. de euiction. l. non dubitatur. C. eodem titul.* tum, quia in inſtrumento venditionis, diſertis verbis eam promiſit. *l. ſed & ſi ſtipulatio, & l. ſciendum, & l. ſi per imprudentiam. §. ſi Titius. ff. de euiction.* ita etiam Comes Rouerellus hæres à Comite Hieronymo fratre inſtitutus,
qui illius hæreditatem, cum beneficio legis, & 3.
inuentarij adiuerat, de euictione * tenebatur; hæc enim obligatio, vnà cum hæreditate, ad ipſum tranſiuit, *l. hæredem. ff. de reg. iur. l. pro hæreditarijs. C. de hæreditar. action.*

* adde Cau. dec 430.n.5. & 6.

* adde Coc. dec. 36. n.1. vſque ad 5.

Neque ab iſta obligatione excuſabatur Co- 4.
mes Rouerellus ex eo, quòd eſſet hæres cum beneficio legis, & inuentarij, nam licèt hoc beneficium operetur, vt hæres non teneatur vltra vires hæreditarias, * *l. final. §. & ſi prædictam, C. de iure deliberand.* non tamen operatur, vt non ſit verè & propriè hæres, & conſequenter de euictione teneatur ſuper bonis hæreditariis, *l. quidam ex parte, ff. de euict. l. 2. C. eodem.* Bertrandus *conſil.* 235. *numer.* 8. *lib.* 4.
Iulius Clarus *in §. feudum, quæſt.* 42. *numer.* 14. 5.
*&* 43. *num.* 2. hæres enim adeundo hæreditatem, cum creditoribus dicitur quaſi contrahere, † *l. apud Iulianum. §. final. ff. ex quibus cauſ. in poſſeſſ. eatur. §. hæres, Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi contrar. naſcuntur.*

* adde Dur. dec.1. n. 30. & deciſ.347. n.2. Lud.dec. 418.n.6.& 7. & latè annota.n.15.

† adde Cau. dec.272.n.2. & Rotam recen.p.2. dec. 477.n.4.





---

## *Maceraten. bonorum, ſeu Firmana ſpolij.*

### Die Lunæ 16. Nouembris 1598.

## DECISIO DCCXXIV.

1. SVper dubio dato de ordine Rotæ, an Aſcanio Vico foret dandum mandatum de reintegrando, ad poſſeſſionem bonorum exiſtentium in terra, & territorio Ciuitanouæ, propoſui cauſam die 19. Iunij proximè præteriti, & quia Domini non fuerunt concordes, fuit remiſſa ad Kalendas, & die 4. Nouembr. iterum propoſita, fuit dilata ad ſecundam, denique die 16. eiuſdem menſis, partibus informantibus, cauſa iterum propoſita, maior pars Dominorum inclinabat, quòd conſtabat de ſpolio.

Verùm, quia hæc deciſio aliquibus ex Dominis, in aliquibus contradicere videatur deciſionibus antea factis, quando Rota erat plenior, ideo ordinarunt, vt firmo remanente ſequeſtro, per modum prouiſionis, de pecuniis ſequeſtratis darentur D. Aſcanio Vico, ſcuta 50. menſtrua, & quòd diſputaretur dubium ſuper negotio principali.

---

## *Veliterna locationis caſalis.*

### Die Lunæ 16. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

6 *Contractus nouus ſi fiat, etiam ſi ſit eiuſdem ſpeciei, extinguitur primus.*
7 *Obligatio prima extinguitur per nouationem contractus.*
8 *Contractus primus efficitur diuerſus à ſecundo, vel ratione penſionis, vel perſonarum, vel pactorum in ſecundo contentorum.*
9.10 *Fideiuſſor liberatur per nouationem contractus.*
11 *Obligationis pœna vt liberetur, ſufficit ſi pars adimpleat per æquipollens, dummodo ſequatur effectus.*
12 *Mulier extraiudicialiter poteſt eſſe procuratrix.*
13 *Locationis actus poteſt fieri extraiudicialiter.*
14 *Mulier ſine ſolemnitatibus iuris pro ſe contrahere non poteſt, ſecus quando contrahit tanquam actrix pro alio.*
15 *Pupillus, ſi meliorem fecerit ſuam conditionem, valet contractus in fauorem eius celebratus.*
16 *Ratificatio contractus retrotrahitur ad tempus celebrationis eius.*
17 *Debitum ad tempus, dicitur purum adueniente termino.*

## DECISIO DCCXXV.

1. ILluſtriſſ. Dominus Euander de Comitibus, auctoritate Martij Cecij tutoris ſui, ann. 1596. locauit Simoni Malcotto ſuum caſale, nuncupatum *della Caſa*, rubiorum 275. ſitum in territorio Turriculæ, ad nouem annos pro annua penſione Iuliorum 25. pro quolibet rubio, & Simon promiſit ratam partem penſionis ſoluere in fine cuiuſlibet quadrimeſtris, & pro eo fideiuſſerunt Ioannes Petrus Balena, & Thomas de Matthæis: deinde verò inter Simonem, Ioannem Petrum, & Thomam ſuper conductione dicti caſalis cum pactis, & conditionibus, de quibus in inſtrumento deſuper confecto, ſocietas inita fuit.

Deinde ortis diſcordiis inter iſtos ſocios, 2.
Conſules Agriculturæ die 2. Aprilis huius anni 1598. pronuntiarunt, ſocietatem finitam, & caſale integrum ad Simonem ſpectare, liberatis tamen Ioanne Petro, & Thoma, à quibuſcumque promiſſionibus, & obligationibus factis, ratione dicti caſalis, & ſocietatis: item data cautione de ſoluendo eiſdem Ioanni Petro, & Thomæ, intra decem dies omni eo, quod per Conſules iudicaretur, aliàs prædicto termino elapſo, & prædictis per Simonem non adimpletis, ipſe remaneret excluſus à commodo ſocietatis dicti caſalis, & prædictum Conſulum decretum intelligeretur factum ad fauorem Ioannis Petri, & Thomæ, & ipſis deficientibus, in præſtandis conditionibus in decreto appoſitis, caſale diuideretur in tres partes.

Simon pro adimplemento à Domina Vio- 3.
lante Farneſia de Comitibus, matre, & procuratrice Domini Lotharij de Comitibus, curatoris Martij Cecij adiuncti, conſtituta etiam ad effectum locandi, & diſlocandi dictum caſale, nouam locationem ſibi fieri procurauit, & Domina Violante, prædicto Simoni, & Marco Antonio Baldino, & cuilibet eorum in ſolidum, pro remanente tempore nouennij, quod die ſexto Decembr. 1596. fuerat inchoatum, prædictum caſale locauit pro annua penſione Iuliorum 26. monetæ pro quolibet rublo, quam in tribus terminis in moneta argentea ſoluere promiſerunt.

In hac locatione vlteriùs Domina Violante promiſit, non moleſtare, nec facere moleſtare prædictos Ioannem Petrum, & Thomam in primo inſtrumento locationis ratione fideiuſſionis obligatos.

Dominus verò Lotharius hanc locationem 4.
ſuo conſenſu, & voluntate factam reuerſus à Bello Ferrarienſi ratificauit: & Simon, parendo decreto Conſulum, die 10. Aprilis idoneum fideiuſſorem præſtitit de ſoluendo Ioanni Petro, & Thomæ omni eo, quod Conſules iudicaſſent; & inſuper die 11. eiuſdem menſis, Simon eoſdem Ioannem Petrum, & Thomam, indemnes conſeruare promiſit, ab omnibus ſupradictis promiſſionibus, & obligationibus, & huic obligationi acceſſerunt prædictus Marcus Antonius, & Rutilius Purus.

Cæterùm, quia Ioannes, Petrus, & Thomas, 5.
prætendebant, Simonem non adimpleuiſſe contenta in decreto Conſulum Agriculturæ, de partium conſenſu, præſuppoſito decreto Conſulum, & inſtrumento locationis factæ per Dominam Violantem, & aliis vtrinque deductis, propoſui dubium in Rota, an Simon pro parte ſua adimpleuerit; vel potiùs Ioannes Petrus, & Thomas? & Domini pro maiori parte, Simonem adimpleuiſſe cenſuerunt.

In decreto enim Conſulum Agriculturæ duo 6.
potiſſimum continebantur. Primum, quòd Si-

mon intra decem dies daret cautionem de ſoluendo Ioanni Petro,& Thomæ, omni eo, quod Conſules iudicaſſent, & hoc factum fuiſſe in tempore, conſtabat ex ſerie facti, & ſummario iurium.

7. Alterum erat,quòd Simon liberaret Ioannem Petrum, & Thomam à quibuſcumque promiſſionibus, & obligationibus, quod etiam videbatur adimpleuiſſe. Primò, quia cùm fuiſſet factus nouus contractus locationis cum Simone, & Baldino, cum noua penſione 26. Iuliorum pro quolibet rubio, ſoluenda in moneta argentea, & cum nouis pactis, eo ipſo Ioannes Petrus, & Thomas remanſerant liberati * à priori obligatione locationis, facta ad fauorem Domini Euandri, Socinus ſenior *conſil.*62. *num.*23. *lib.* 4. Decius *conſil.* 107. *num.* 1. Baldus *in l. tam mandatori,num.*12.*verſic.ſecundò & tertiò.C.de non numer. pecun.*

* adde Lud. deciſ.76.n.1. & Rotam recen.p.1. dec. 149.n.6.

8. Nec de diuerſitate ſecundi contractus à primo poterat dubitari,quia diuerſitas perſonarum * contrahentium,diuerſitas penſionis, & diuerſitas pactorum, manifeſtam diuerſitatem ſecundi contractus à primo arguebant. Baldus *conſil.* 318.*num.*4.*lib.*1. Decius *conſ.*400. *n.*9.*verſ. & his ſtantibus,& conſ.*464.*num.*4.

* adde Rotã rec. p.1. dec. 435.n.10.

9. Aderat præterea in ſecunda locatione, expreſſa promiſſio non moleſtandi Ioannem Petrum, & Thomam, per quam à principali factam fideiuſſor * dicitur liberatus. Baldus *in d. l. tam mandatori, numer.* 11. *C. de non numer. pecun.*

* adde ſuprà dec.297.n.1. vbi alias dec. annotaui.

10. Supradictis accedebat, quia Simon cautionem dederat de ſoluendo, eo quòd per Conſules iudicatum foret, & ad abundantiorem cautelam, & ad tollendas omnes difficultates, ex eo quòd nondum erat notum, quas obligationes, & promiſſiones Ioannes Petrus, & Thomas feciſſent, illos indemnes releuare promiſit. Alexander *in l. ſi pater, num.*2.*verſic. quod facere debeant. C. de collationib.* vbi Paulus de Caſtro *num.* 3. *verſ. dicunt Doctores*, Salicetus *verſ. quod debet offerre*, & Baldus *ibidem in fine, verſic. eodem modo*; qui licèt loquantur, quando creditor requiſitus non vult liberare fideiuſſorem, idem tamen videbatur dicendum, in hac facti ſpecie, in qua Simon ob incertitudinem generalis promiſſionis, non potuit requirere creditores, eadem enim ratio hoc ſuadere videtur maximè,cùm ſupradicti Doctores aſſerant,iſtam obligationem eſſe intelligendam eo modo, quo fieri poteſt, aliàs enim ſemper Ioannes Petrus, & Thomas potuiſſent obiicere, ſe non fuiſſe liberatas ab omni obligatione, & cùm Conſules Agriculturæ effectum potius liberationis,
11. quàm modum conſiderauerint, ad euitandam pœnam,ſufficit ſi adimpleatur per æquipollens, dummodo idem ſequatur effectus. Socinus iunior *conſil.*82. *num.*13. *lib.*4. *& conſil.*39. *num.*54. *lib.*3.

12. Neque ſupradictæ deciſioni refragabatur, quòd iſtam ſecundam locationem feciſſet Domina Violante, ex eo, quòd mulier non poſſit eſſe procuratrix.

Nam reſpondebatur, quòd cùm fuiſſet actrix
13. à Domino Lothario, tutore Domini Euandri, conſtituta, & actus locationis extraiudicialiter poſſet celebrari, bene potuit per talem mulierem fieri.Decius *in cap.cùm dilecta,num.*31.*verſic. & hac ratione, de confirmat.vtili, vel inutili*, & *ibidem* Abbas *n.*12.Bartolus *in l.*2.*ff.de reg. iur.verſ. ſi verò eſt.* & conſequenter prædicta locatio ex eo, quòd fuerat à muliere celebrata ſine ſolemnitate ſtatutaria, non fuit inualida, quia licèt
ſi mulier pro ſe contraxiſſet, ſolemnitatem 14.
* ſeruare debuiſſet,ſecus dicendum eſt, quando pro alio,tanquam actrix contractus ſine ſolemnitate geſtus valet, Angelus *in l. apud Iulianum, §.ſi pupillus,*& *ibi* Alexander *in Apoſtilla ad Bartolum, in verb. dicit ſtatutum, verſic. ſed an ſtante. ff.quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur.* Pariſius *conſil.*98. *num.*37.*lib.*1.

* quando poſſit mulier contrahere ſine ſolemnitatibus ſtatutariis, vide Rotam rec. p.2.dec.619. n.5.

Et quamuis iſta locatio cuiuſdam alienationis ſpecies eſſe videretur, propter remiſſionem fideiuſſorum primæ locationis; quia tamen in ſecunda interuenerunt etiam alij fideiuſſores idonei, cum maiori affictu, & vtilitate pupilli, non fuit neceſſaria alia ſolemnitas. *l. neque tutores*, & *ibi* Baldus *C. de contrahen. ſtipulat.* quod maximè procedit, ſi minor locationi ſtare velit, prout in hoc caſu, vbi Dominus Euander deſiderabat, locationem remanere penes Simonem, cuius fidem, & beneuolentiam erga domum, & familiam ſuam, per multos annos exploratam habebat, Ruinus *conſil.*35.*num.*31. *lib.*1. Puteus *deciſ.*310 *lib.*1. 15.

Et ceſſabat difficultas ex ratificatione Domini Lotharij, cum eodem pacto, & promiſſione, non moleſtandi eundem Ioannem Petrum, & Thomam, nam cùm ratificatio retrotrahatur, *perinde erat,ac ſi Dominus Lotharius tutor,ab initio cum eiſdem pactis locaſſet.Pariſius *conſ.*78.*num.*11.*lib.*3, 16.

* ratificatio enim operatur,quòd cõſenſus cenſeatur àprincipio præſtitus. Seraph. deciſ. 1198. n.8. & deciſ. 20. Mantica dec.13.n.11.

Præterea non obſtabat, quòd adeſſent debita iam pura, & in ſpecie debitum ex cauſa ſocietatis, ad fauorem Alexandri Vantij initæ die 2. Maij 1597. ad ſex menſes, & quòd cum tempore decreti facti per Conſules Agriculturæ die 3. Aprilis 1598. eſſent iam lapſi ſex menſes; debitum erat purum, & ſolutione extinguendum, non autem data cautione, vel releuatione. Baldus *in l.qui autem. §. ſed ſi quis in antiqua lectura, verſ. quid igitur. ff. de conſtit. pecun.* Alexander *in l.ſi pater,num.*2. & *ibidem* Corneus *num.*3. & Curtius iunior *num.*4. *verſ. iſtam deciſionem.C.de collation.* 17.

Quia fuit reſponſum primò,huic obligationi ex dicta cautione data per Simonem, fuiſſe ſatisfactum.

Secundò dicebatur, quòd cùm ſocietas illa nondum eſſet diſdicta, & ſemeſtris tunc currentis pretium eſſet ſolutum, finis eius erat ſpectandus.

Poſtremò non obſtabat, quòd Simon non adiuerit Martium Cecium tutorem Domini Euandri teſtamentarium, quemadmodum Ioannes Petrus, & Thomas pro obtinenda liberatione illum adiuerant;quia reſpondebatur,quòd cùm eo tempore Martius tutelæ munere tanquam ſuſpectus eſſet interdictus, viſuſque ab adminiſtratione abſtinere, prudenter fecit Simon Dominam Violantem adeundo, cum ipſa contrahere. 18.

Portu



## *Portugallien. Vicariæ.*

### Die Veneris 20. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Vicarias perpetuas vniuit Pius V. Abbatibus Reformatorum, quas obtinebant in Regno Portugalliæ.*

3 *Manutentio vt detur, attendendus eſt vltimus ſtatus motæ litis.*

4.5 *Manutentio non eſt danda poſſeſſori clandeſtino, nec ſi aliàs ſit in poſſeſſione, quando fuit capta ab eo, qui petit manutentionem.*

6 *Poſſeſſio, mortuo Rectore, per Eccleſiam retinetur.*

## DECISIO DCCXXVI.

1. PEtebat Amator Pintus mandatum de manutenendo, in Vicaria S.Saluatoris de Nouellas,annexa Monaſterio de Butello,diœceſis Portugallenſ.quam à Sede Apoſtolica impetrauerat, & cuius poſſeſſionem ſe accepiſſe prætendebat: ſed quum ex aduerſo Abbas de Butello à ſuo conſeruatore, ad quem recurſum habuerat, & ſententiam fauorabilem reportauerat, prætenderet contrarium, dubitaui, an Pintus eſſet manutenendus.

2. Et Rota vtraque parte informante,manutentionem Pinto denegauit; quia reſpectu perpetuæ Vicariæ,prædictæ Parochialis Eccleſiæ,manuteneri non poterat, cùm talis perpetua Vicaria non extaret, ex eo quòd fel.record. Pius Papa V.inſtituta Congregatione Monachorum reformatorum titulos Abbatiales perpetuos huius Ordinis reduxerat ad triennales, & omnia Monaſteria dicti Ordinis in Regno Portugalliæ exiſtentia vniuerat prædictæ Congregationi, illo etiam addito, vt fructus menſæ Abbatialis cuiuſlibet Monaſterij, quandocunque illud vacauiſſet,ſpectarent ad dictam Congregationem: vnde cùm Congregatio, vigore prædictæ annexionis accepiſſet poſſeſſionem prædicti Monaſterij S. Michaëlis de Buſtello, cui erat annexa hæc Parochialis Eccleſia S. Saluatoris, & tanquam filialis ad ipſum pertinebat, & illius propterea cura exercebatur per Capellanum, ſeu Curatum, cum certo ſalario, ad nutum eiuſdem Monaſterij amouibilem, & conſequenter nulla adeſſet perpetua vicaria, qualem Pintus impetrauerat, non poterat ei competere manutentio.

3. Neque Pinto ſuffragabatur erectio perpetuæ vicariæ, factæ per Epiſcopum Portugallenſem ann.1588.cum aſſignatione certi ſalarij, & quadam domo, & prædio.

Quoniam reſpondebatur, illam erectionem fuiſſe inualidam, tanquam factam de Eccleſia vnita, & Congregationi annexa, eamque non habuiſſe effectum, quinimo apparebat, quòd poſtea,& eo præſertim tempore,quo Pintus obtinuerat mandatum de immittendo,fuerat erecta per Vicarios amouibiles, & conſequenter non poterat manuteneri in ſtatu vicariæ perpetuæ, quia ad effectum manutentionis, vltimus ſtatus de tempore * motæ litis eſt attendendus. Rota *deciſ.*49.*de reſcriptis,in antiq.*ibi,*item quia vltimus,* Biſnietus *deciſ.*5. *de præben.* Thanis *deciſ.* 3. Calderinus *conſil.*23.*de præben.*Felinus *in cap.in noſtra num.* 43. *de reſcript.* Paulus de Caſtro *conſil.* 3. *num.*2. *lib.* 2. Couarruuias *in pract. quæſt. cap.* 17. *num.*5. & fuit reſolutum in cauſa * ciuitatis Caſtelli bonorum die 8. Nouemb. 1589. coram R. P.D.meo Pamphilio.

* adde Caual. dec.589. n.1. & deciſ. 242. num.1. Coc. dec.52. n.4.Ludouiſ. dec.569.n.3. & annot.n.6.

*habetur penes March. de commiſſ. p.1.pag.698. & adde Rot. in vna Robien. Canonicatus coram Gipſio, & in alia Legionen. confirmationis coram Lancellotto,quæ habentur penes eundem March. in d. p.1.pag.961. & 987.

Præterea non poterat Pintus manuteneri vigore immiſſionis in poſſeſſionem, ſibi conceſſæ ab Epiſcopo Portugallenſi, cui Pintus litteras ſuæ prouiſionis præſentauerat,quia cùm Monachi non fuiſſent citati,nec ſe habuiſſent pro ſpoliatis, & eſſent in poſſeſſione, ipſis potiùs competebat † manutentio in ſtatu,in quo erant tempore dictæ immiſſionis. Angelus *in l. qui vniuerſas.§.item prætor*, vbi Alexander *num.*5.*ff.de acquiren.poſſeſſ.* Sarnen.*in reg. de Annali quæſt.*95. Put. *deciſ.*419. *in fine lib.*2.

Rurſus, cùm tempore quo Pintus acceperat poſſeſſionem, Monaſterium poſſideret, Pinti poſſeſſio non erat manutenibilis. *l.peregrè. ff. de acquir.poſſeſſ.*Decius *conſil.*400.*num.*9.Gozadinus *conſil.*86.*num.*10. 4.

† adde Dur. dec.138. n.3. & 4.& deciſ. 84.n.4.& deciſ.330. n.3. & 389. n. 6. Caual. deciſ. 209.n.1.

Reſpectu fructuum,vel portionis Ducatorum 80. non poterat Pintus manuteneri; quoniam non probabat,ſe fuiſſe in poſſeſſione*perceptionis eorum.*§.retinendæ,*vbi Ioannes Faber *num.*16. *Inſtitutionib.de interdict.* 5.

Denique,non poterat Pinto concedi mandatum de manutenendo, reſpectu aliorum bonorum, nempe domus, & prædij: quia Monaſterium,cui erat annexa,dicebatur,tunc etiam prædicta bona poſſidere. Rota *in vna Bergomen.bonorum*, die 28. Ianuar. 1594. coram Illuſtriſſimo Blanchetto, *& in alia Alben. plebis de Poliano,* die 17. Maij 1595. coram R. P. D. meo Seraphino. * 6.

* adde Lud. dec. 40. n.5. & ſeq.& dec. 549.n.3.& 4. Mantic. dec. 191. & 227. & 272. n.2.

* habetur in impreſſis Seraphin.deciſ. 1127. n.2. & 4.& adde Ludou.246. vbi annot.n.2. & dec.438.n.3.

## *Brixien. Parochialis.*

### Die Veneris 20. Nouembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Viuere commodè aliud eſt, quàm viuere ſine penuria.*

3 *Commodè viuere aliquem, eſt arbitrandum, conſiderata qualitate locorum, & perſonarum.*

4 *Reſignationis tempus, & non præſens, eſt conſiderandum, ad iudicandum, ſi reſignans habet vnde viuere poſſit.*

5 *Vicarij congrua, conſideratur in* 50.*ſcutis.*

## DECISIO DCCXXVII.

REſignauerat Petrus de Beſutiis annò 1586. 1.
Parochialem Eccleſiam, de qua agebatur, ad fauorem Orlandi de Barutiis, reſeruata ſibi penſione ſcutorum 30. auri, & cùm litteræ reſignationis eſſent directæ Ordinario Brixien. cum clauſula, quòd prædictam Parochialem conferret Orlando, conſtito tamen priùs quòd Petrus aliunde haberet, vnde commodè viuere poſſet; Ordinarius Brixienſ. negotio examinato, & viſo inſtrumento patrimonij Petri, Parochialem Orlando,idoneo reperto,contulit. Cæterùm, quia nunc poſt multos annos Petrus opponebat de nullitate reſignationis ex eò, quòd


non

non eſſet verificata conditio, in litteris poſita, dummodo priùs conſtaret, quòd Petrus haberet vnde commodè viuere poſſet, dubitatum, an reſignatio prædicta fuerit valida, & Rota vno conſenſu validam eſſe cenſuit. Ratio potiſſima fuit,quoniam ex deductis pro Orlando patebat, Petrum ex bonis patrimonialibus habuiſſe à patre aſſignatos pro victu ſuo ſuper bonis ſtabilibus Ducatos 25.qui vnà cum 30.nomine penſionis reſeruatis, conficiebant ferè ſummam ſcutos 60. ex quibus commodè viuere poterat,nam licèt Papa in litteris reſignationis voluerit,quòd Petrus non ſolùm haberet, vnde viuere poſſet, ſed vnde commodè viuere poſſet, & aliud ſit,viuere ſine penuria,†aliud verò commodè viuere, Domini arbitrati ſunt Petrum cum iſtis,55. Ducatis commodè viuere potuiſſe, maximè accedente iudicio Ordinarij,* qui negotio examinato, reſignationem admiſit, & Petrum commodè viuere potuiſſe putauit,cuius arbitrio, ideo ſtandum videbatur, quoniam conſiderata qualitate locorum, & perſonarum, † ita iudicauit Geminianus *conſ.*85.*num.*25. *verſic.in iſto dico*, Ripa *in cap. ad aures num.* 2. *de reſcriptis*, nec conſiderandum ſit tempus præſens, ſed tempus dictæ reſignationis. Verallus *deciſ.*330.*part.*3. notant Canoniſtæ *in cap. ſi eo tempore, de reſcript. lib.*6. Alexander *conſil.* 42. *num.* 7. *lib.* 4. Oldradus *conſil.* 58.

† penuriam habere dicitur,qui commodè ſe ſuſtentare non poteſt vt fuit dictum ſuprà dec.660.n.4.

3.

* cui in hac materiamultum deferetur. Ludouiſ. dec.483.n.7. Seraph. dec. 173. n. 1. & dec.550.n.1. Rota recen. p.1.dec.420. n.10.

4.

Supradictis accedebat, quia cùm Rota ſolita ſit aſſignare ſcuta 50.* pro congrua Vicarij, ſimiliter pro congrua ſuſtentatione iſtius Petri videbantur 55. ſcuta ſufficere.

† & inopiæ vel paupertatis probatio iudicis arbitrio relinquitur, vt fuit dictum ſuprà deciſ. 680.n.1.

Non obſtabat prætenſio Petri, quòd in hac congrua non eſſet computanda penſio ſcutorum 30. ſibi ſuper Parochiali reſeruata, ex quo in litteris reſignationis aderat conditio, dummodo aliunde habeat, vnde commodè viuere poſſit,quoniam verbum *aliunde*, poſitum fuit ad excluſionem beneficij reſignati, non autem ad excluſionem penſionis.

5.

6.

Et eo magis in hanc ſententiam ventum eſt, quoniam reſignatio habuerat effectum per decem annos, & ampliùs.

*de quo art. vide Seraph. dec.173.n.6. Mant. deciſ. 269. Coccin. dec.5.n.1.

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Mercurij 2. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

5 *Donatione facta à patre filio emancipato, ex ea transfert dominiumin filium.*

6 *Loca montium poſſunt reſignari in fauorem cuiuſuis perſonæ, & reſignatarij ſuccedunt in locis.*

7 *Debitoris, vel creditoris nomen acquiſitum, eſt quoddam ius incorporeum, & ideo cancellatur per deletionem nominis creditoris, & tranſlationis in alterum.*

13 *Bonorum donatorum à patre filio, ſi ille accipiat redditus, tenetur reddere rationem.*

14 *Teſtes deponentes de rebus, quæ ſenſu corporeo non poſſunt percipi, nihil probant, num.*27.

15 *Libri mercatoris, continentes partitas crediti, & debiti, non probant ſolutionem.*

21 *Statutum requirens conſenſum conſanguineorum ad alienationem, ex bonis minorum, vel mulierum,efficit vt dominium transferant alienantes, non verò conſanguinei.*

22 *Donationes de hæreditate patris à filio,ſunt inutiles,ſine conſenſu ipſius patris.*

24 *Confeſſio mariti de dote accepta, conſtante matrimonio probat, voluiſſe donare ſi eam non acceperit.*

27 *Confidentia, & ſimulatio ſunt de genere eorum, quæ conſiſtunt in animo.*

28 *Cauſa ſimulationis ſi non probetur,non præſumitur ſimulatio.*

29 *Ceſſio ex cauſa donationis, non præſumitur ſimulata.*

## DECISIO DCCXXVIII.

CVm Domina Claricia Ceula,tanquam hæres Antonij Franc. ſui patris, inter alia petierit à Domino Tiberio Ceulo, pretium locorum 75. Montis Pij recuperati, & fructus illorum,quæ ad manus bon.mem.Hieronymi Ceuli peruenerant, & Dominus Tiberius Ceulus hæc montium loca ad Antonium Franciſcum pertinuiſſe negaret,coram R.P.D.Orano, tunc huius cauſæ iudice, concordatis multis præſuppoſitis, datum fuit dubium, an pretium redactum ex venditione dictorum locorum decem montis,& aliorum 65.in perſona bon.mem.Antonij Franciſci poſitorum,& illorum fructus ad hæreditatem dicti Antonij Franciſci pertinerent,ita quòd deberentur Dominæ Clariciæ,vel potiùs ad Dominum Hieronymum ſpectarent, in caſu & ad effectum,de quo agebatur, & tunc Rota die 14. Martij 1590.vtraque parte informante,pro maiori parte affirmatiuè reſpondit. 1.

Cæterùm, quum Dominus Tiberius non acquieſceret, obtinuiſſetque, idem dubium iterum diſputari, Domini die 1. Februarij anni mox ſequentis 1591. pro maiori etiam parte, in deciſis ſtandum cenſuerunt.

Dominus verò Tiberius, tum ſub prætextu, quòd nondum tunc fuiſſet veritas facti optimè intellecta, tum ſub prætextu iurium de nouo repertorum(tametſi à Sanctiſſimo emanauiſſet reſcriptum, ne deciſa iterum * retractarentur,) à Rota(licèt ægrè)tertiò ſuper eodem dubio audiri obtinuit. 2.

* adde ſuprà dec.700.n.3.

Præſuppoſitis igitur antiquis, in hac poſitione repetitis, & nouis quibuſdam additis, vt videlicet,

Partitis librorum banchi Hieronymi Ceuli, articulatis pro parte Domini Tiberij,

Dictis teſtium, ſuper dictis articulis examinatorum,

Inſtrumento conuentionum,inter filios Hieronymi factarum menſe Aprili anno 1564.

Fide Secretarij montis Pij recuperati pro parte D.Clariciæ vltimo loco producta,

Et aliis hinc inde deductis,

Datóque dubio, an eſſet, vel non eſſet recedendum à prædictis deciſionibus in hac cauſa factis, eóque vtraque parte informante, ſæpe propoſito, videlicet die 8. Aprilis, & die 26.Iunij, & die 13. & 27. Nouembris præſentis anni 1598.poſt longam, & acrem diſcuſſionem, Rota pro maiori parte in deciſis ſtandum cenſuit.Ratio deciſionis potiſſima fundabatur in duabus veris iuris concluſionibus, quæ oriebantur ex facto claro, à partibus non controuerſo. Primum 3.



mum enim conſtabat, Antonium Franciſcum, Clariciæ patrem,anno 1547.fuiſſe à Hieronymo patre emancipatum,vnà cum Rainerio,Fabio,& Mutio, fratribus.

4. Rurſus ex ſexto, & ſeptimo antiquis præſuppoſitis apparebat,Hieronymum Ceulum,die 26. Ianuarij 1564. ex locis 1400. dicti montis recuperationum,ſibi per Cameram in ſolutum datis, poſuiſſe in perſona filiorum ſuorum loca montium ſequentia,videlicet in perſona Tiberij, loca 70.in perſona Raynerij loca 40.& in perſona Antonij Franciſci loca 65. eundemque Hieronymum, in iſta montium aſſignatione, expreſsè reſeruaſſe ſibi diſpoſitionem locorum 40. & locorum 65. aſſignatorum Raynerio, & Antonio Franciſco,nullam ſibi reſeruaſſe diſpoſitionem.

Denique in effectuationem præmiſſorum, Antonium Franciſcum in libris montis, fuiſſe deſcriptum creditorem, in prædictis locis montium ſibi à patre ſimpliciter reſignatis, apparebat.

5. Ex hoc enim facto oriebantur duæ iuris concluſiones, quas neque informantes pro D.Tiberio negare audebant.

Prima erat, quia quando pater donat, vel aſſignat aliquid filio emancipato, ſine reſeruatione, per talem aſſignationem, ſeu donationem, cenſetur ei donare, & in illum transferre dominium. * *l.filiæ. C.famil. erciſc.* Angelus *in l. ſi donatione,num.*5. vbi Alexander *in principio*, & Decius *num.*38.*verſic.ſecundò limitatur. C. de collationib.* & in terminis de iſtis locis montium, tenuit Romanus *conſ.* 291. *num.* 10. & fuit iam in hac cauſa bis reſolutum. Vnde, cùm Hieronymus Ceulus iſta loca montium Antonio Franciſco aſſignauerit, conſequenter Antonius Franciſcus fuit effectus verus illorum dominus, & eo moriente, ſpectauerunt ad illius hæreditatem.

* adde Rot. recen.part.1. dec.527.n.1. & ſeq.

6. Altera iuris concluſio erat, velut ſuperioris declaratoria,& roboratoria, nam cùm Antonius Franciſcus, Clariciæ pater, poſt aſſignationem iſtorum locorum ſibi factam, fuerit deſcriptus creditor totidem locorum in libris montis, abſque aliqua reſeruatione,vel modificatione,conſequenter fuit factus, & declaratus verus illorum dominus, tum ex verbis conſtitutionis Pij IV.qui anno 1562. erexerat montem piæ recuperationis, tum ex diſpoſitione iuris communis, ex verbis quidem conſtitutionis, quia Pius IV. in erectione conſtituit,quòd iſta loca eſſent reſignabilia,& vacabilia pro perſonis,quæ in eo ponerent ſuas pecunias,conceſſitque,vt perſonæ prædictæ loca dicti montis, in fauorem cuiuſuis perſonæ reſignare, ac per viam reſignationis de illis liberè diſponere poſſent, ita vt reſignatarij, in locis ſibi reſignatis, per eandem reſignationem ſuccedere, & admitti deberent.

7. Ex diſpoſitione autem iuris communis, quia ex vi deſcriptionis, quæ in iſtis nominibus debitorum,concurrentibus terminis habilibus, eſt loco traditionis, arguebatur vera acquiſitio dominij, in perſona Antonij Franciſci, quia in nomine creditoris, quod eſt ius quoddam incorporeum, non poteſt conſiderari meliori modo traditio, & effectuatio tranſlationis dominij, quàm faciendo cancellari proprium nomen, & deſcribendo alium, in quem volumus transferri dominium illius nominis. Ancharanus *conſ.* 32. *num.*2. Socinus *conſil.*6. *num.*8. *lib.*4. & fuit deciſum *in vna Romana montium*, die 8. Nouembris 1579. & conferunt, quæ de libro cenſuali, dixit Bartolus *in l.rura.C.de omni agro deſert. lib.*11.

Contra iſtas duas veras, & firmas concluſiones pro Domina Claricia conſtitutas,informantes pro Domino Tiberio non habebant alias ſimiles, quas opponerent, ſed ſolis præſumptionibus, & coniecturis nitebantur, quas omnes, tribus ex cauſis, Domini non fuiſſe releuantes cenſuerunt. 8.

Primò, quia ex illis non inducebatur retrodonatio, ſeu retrotranſlatio dominij dictorum locorum, in Dominum Hieronymum, & conſequenter concluſiones pro Claricia firmatæ remanebant firmæ.

Secundò,quia omnibus deductis pro Tiberio, probabiliter reſpondebatur per informantes, pro Domina Claricia.

Tertiò, quia pro Claricia extabant etiam multæ vehementes præſumptiones,& coniecturæ, quæ nedum obſcurabant coniecturas adductas pro Domino Tiberio, ſed firmiùs etiam roborabant concluſiones firmatas pro Claricia. 9.

Diſcurrendo autem per maiores, & grauiores coniecturas pro Tiberio allatas, ad primam, quòd Hieronymus reſignauerit in confidentiam, ad euadendum periculum perdendi loca montium, per obitum ſuum, reſpondebatur primò, hoc periculum potuiſſe euitari, reſignando loca montium, reſeruata ſibi diſpoſitione, pro vt fecit in locis ceſſis Iulio Cæſari, & Tiberio. 10.

Secundò reſpondebatur,quòd neque loca illa à primæua erectione vacabant per obitum, per integrum triennij ſpatium. 11.

Ad ſecundam coniecturam in hac propoſitione deductam,quòd Hieronymus reſignauerit ad fugiendum periculum ſibi imminens ex perſecutione Minalis Theſaurarij, reſpondebatur trifariam, primò illam non probari, cùm de ea deponeret vnus tantùm teſtis. Secundò, quia neque teſtis exprimebat cauſam, & ſpeciem perſecutionis, vt poſſet cognoſci, an perſecutio potuiſſet euitari per reſignationem dictorum locorum, in perſonis filiorum Hieronymi.

Tertiò hæc coniectura ex eo videbatur omni prorſus fundamento carere, quia Hieronymus multa loca reſignauerat filiis, & aliis perſonis, reſeruata ſibi diſpoſitione; & propterea, in his non euitabatur periculum ex reſignatione. His accedebat, quòd cùm idem metus potuiſſet incuti Antonio Franciſco, ſicut Hieronymo, licèt eſſet probatus, non tamen erat ſufficiens. 12.

Ad tertium, quòd Hieronymus Ceulus, poſt reſignationem Antonio Franciſco factam, exegerit fructus locorum, reſpondebatur, difficultatem ceſſare ex inſpectione exactionis, ex qua apparebat Hieronymum pro Antonio Franciſco exegiſſe, * & conſequenter eum teneri ad reddendam rationem de exactis, vt in terminis de patre adminiſtrante bona, donata filio emancipato, tradidit Rodericus Suarez *in diſputatione quæſtionis, in materia maioricatus num.*38. *verſic.ad prædicta tenebis vnum menti.* 13.

*& ceſſat ſuſpicio fraudis, & ſimulationis, vbi actus potuit fieri, verè & ſine fraude, Ludou.deciſ. 459. n. 9. & habetur penes Farinac. poſt tom. 2. conſil. deciſ.282.

Ad quartam deſumptam ex eo, quòd Hieronymus fuerit deſcriptus creditor in libris banchi,tam de fructibus exactis,quàm de pretio locorum 75. venditorum (ex qua informantes pro Tiberio,

Tiberio,iunctis dictis teſtium,prætendebant deſumi magnum fundamentum,ad probandam reſignationem confidentiariam,) * dicebatur primò, nihil ex deſcriptione inferri contra Antonium Franciſcum,habentem fundatam ſuam intentionem in præcedente donatione, ad ſuum fauorem effectuata, nec teſtibus fuiſſe credendum, tanquam deponentibus de his, quæ ſenſu corporeo non percipiuntur.

* adde Rot. in vna Imolen. bononorum 16. Iunij 1595. coram Orano impreſſ. per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 99. n. 3.

Et quamuis pro parte Domini Tiberij fuiſſet data fides, qua nitebatur oſtendere, quòd etiam illi, qui exigunt fructus locorum montium, in perſonis aliorum poſitorum, cum reſeruatione diſpoſitionis emptorum, exigant pro illis, in quorum perſonis loca montium exiſtunt:ex huiuſmodi tamen fide non ſubuertebatur reſponſio Dominæ Clariciæ,quod ſcilicet Hieronymus exegerit pro Antonio Franciſco, cùm eodem modo Procuratores exigere ſoleant dictos fructus pro Dominis locorum. Vnde cùm ex libris montis conſtaret, Hieronymo non fuiſſe reſeruatam diſpoſitionem locorum emptorum,& reſignatorum Antonio Franciſco, iure conſequebatur, Hieronymum exigentem, nomine Antonij Franſciſci exegiſſe,tanquam patrem,ſeu Procuratorem,& conſequenter,de fructibus exactis teneri rationem reddere.

15. Et eo præſertim nomine, quia illa adnotatio in creditum Hieronymi, in libris banchi, non denotat aliquam ſolutionem & acquiſitionem ſummæ deſcriptæ ad fauorem Hieronymi: nam libri mercatorum * continentes partitas crediti,& debiti,cum verbis, *deue dare*, & *deue habere*, non probant ſolutionem,ſed retinent in ſuſpenſo debitum,& creditum,ad faciendam compenſationem in ſolidatione computorum. Alexander *conſil*. 85. *num*. 2. *&* 3. *lib*. 3. quod maximè verum apparebat in hoc caſu, in quo (vt pòſt dicetur)Hieronymus eodem modo fuit deſcriptus creditor pretij quinque locorum emptorum ex pecuniis dotalibus Antonij Franciſci (quod tamen iure ad illum non pertinebat,)ac pretij aliorum locorum.

*quando adhibenda ſit fides libris mercatorũ, in partitis debiti,& crediti,vide Rotam diu. p. 3. lib. 3. deciſ. 284. n. 4.

Rurſus reſpondebatur, quòd licèt Hieronymus ex eo quòd reperiebatur ſcriptus creditor, potuerit diſponere de ſummis extractis ex fructibus, ex pretio locorum Antonij Franciſci, propterea tamen Antonius Franciſcus non amiſit dictas ſummas, nec verum illarum dominium; & cùm concludentes pro parte Tiberij non probaretur, Hieronymum rehabuiſſe dominium, ſemel in Antonium Franciſcum tranſlatum, ex hoc facto potiùs arguebatur, Hieronymum teneri ad illas pecunias Antonio Franciſco reſtituendas,vnà cum fructibus, quàm quòd illas fuerit ſuperlucratus.

Quæ dicebantur pro parte Domini Tiberij, de nouis quibuſdam partitis, ſpectantibus ad Mutium,& Rainerium,aliena viſa fuerunt à propoſita facti ſpecie, in qua agebatur tantùm de locis 75. ad Antonium Franciſcum ſpectantibus.

16. Ad quintam coniecturam, deſumptam ex inſtrumento conuentionum celebrato anno 1564. inter filios Hieronymi, cum conſenſu eiuſdem Hieronymi,in quo fuerat conuentum,quòd credita montium remanerent penes filios; ex quo informantes pro Domino Tiberio conabantur inferre, quòd ſine tali conſenſu dicta credita remanſura fuiſſent libera in eius hæreditate; item quòd cùm etiam conuentiones eſſent reſtrictæ ab inteſtato,ſignificabatur,Hieronymum de eiſdem creditis diſponere potuiſſe in teſtamento, & ad hunc effectum, in diſpoſitione prædictorum creditorum,conceſſa filiis,fuiſſe reſeruatum conſenſum Hieronymi, ex quibus denique prætendebatur conſtare, dominium dictorum locorum ad ipſum Hieronymum ſpectauiſſe, & conſequenter,reſignationem Antonio Franciſco, & aliis factam, fuiſſe confidentiariam.

17. Reſpondebatur primò, difficultatem ceſſare ex inſpectione inſtrumenti, in quo legebatur, prædictos filios, cum conſenſu Hieronymi patris feciſſe ſibi inuicem mutuas, & reciprocas donationes,de bonis exiſtentibus in ciuitate Piſana,& de bonis ipſius Hieronymi patris,à quibus tamen expreſsè exceperunt, & ſibi reſeruauerunt officia, & credita montium, in perſonis cuiuſlibet ipſorum filiorum exiſtentium. Vnde meritò inferebatur, non fuiſſe verum in facto, quòd conſenſus Hieronymi præſtitus, ſeſe extenderet ad credita montium dictorum filiorum, & hinc conſequenter ceſſabant conſequentiæ, & illationes, quas conabantur inferre informantes pro Domino Tiberio, quòd ſine tali conſenſu, credita montium remanſiſſent in hæreditate Hieronymi, & quòd de illis potuiſſet in teſtamento diſponere.

18. Conſiderabatur præterea,hinc detegi cauſam, propter quam dictæ donationes factæ fuerunt ab inteſtato, videlicet, quia fuerunt reſtrictæ ad bona,vel potiùs ad iura filiis competitura in bonis paternis,ratione legitimæ,& ſucceſſionis, & tunc Hieronymus conſiderabat teſtamentum,& reſeruauit ſibi facultatem de bonis,& hæreditate ſua diſponendi, & propterea donationes continebant bona, ſeu iura in bonis paternis ab inteſtato: & cùm credita montium non fuerint comprehenſa in reciprocis illis donationibus, factis de conſenſu patris, ſatis dicebantur ceſſare præſumptiones, pro D. Tiberio inductæ, & remanebat firma declaratio per filios facta,circa officia, & credita montium, cum verbis, clarè dominium indicantibus, vt patebat, tum ex ſupradictis, tum etiam ex ſequentibus.

19. Neque obſtabat, quòd in dicto inſtrumento interuenerit D. Tiberius, qui non habebat dominium montium, ſibi aſſignatorum, quoniam vel ipſe ex conſenſu Hieronymi patris, in illo contractu adhibito, acquiſiuit dominium ſuorum creditorum; vel (quod verius videbatur) prædicta declaratio ipſius credita non comprehendebat,cùm loqueretur de ſuis,id eſt,filiorum officiis, & creditis montium, & conſequenter excluderet credita, quæ ſua non erant, maximè cùm dicta declaratio non fuiſſet facta nominatim de creditis filiorum, ſed indefinitè, vt poſſit commodè conſiſtere non comprehenſis creditis Domini Tiberij. Ex ſupradictis etiam fundamentis tollebatur alia conſideratio,deſumpta ex illis verbis, cum conſenſu tamen Domini Hieronymi, quoniam ſi (vt notatum fuit,) filij erant domini creditorum montium, & de illis diſponere poterant, conſenſus patris requiſitus in diſpoſitione filiorum, adhibitus potiùs apparebat ad prouidendum illorum imbecillitati, inſtar ſtatuti requirentis conſenſum conſanguineorum, in alienationibus mulierum,& minorum,in quibus, 20.



bus,qui præſtat conſenſum,non transfert dominium, ſed alienat. Tiraquellus *de leg. connubial. gloſſ*. 8. *num*. 177. Lambertengus *tract. de contractib. gloſſ*. 7. *quæſt*. 31. *num*. 83. & conſequenter, reſeruatio, aut præſtatio conſenſus Hieronymi non arguebat ipſum habuiſſe dominium.

22. Ad eandem quintam coniecturam, reſpondebatur etiam ſecundò, conſiderando quòd in illo contractu conuentionum, Hieronymus pater non interuenerat, vt pars contrahens, ſed tanquam pater, pro authorizandis filiis, præſertim exiſtentibus in ſua poteſtate,qualis erat Dominus Tiberius; & pro præſtando conſenſu, ad effectum, vt filij potuiſſent donare iura eis ab inteſtato competentia ſuper bonis paternis,præſertim cùm ſine tali conſenſu * donationes de hæreditate inutiles forent. *l. fin. C. de pact*. diligenter autem inſpectis verbis inſtrumenti, Hieronymus præter conſenſum, nihil promiſit, nec conceſſit filiis, nec è diuerſo filij aliquid promiſerunt, vel conceſſerunt Hieronymo patri, & conſequenter, ex dicto contractu, nullo modo poterat inferri, Antonium Franciſcum retroceſſiſſe Hieronymo patri credita montium, ad ſe pertinentium,minuſque dici poterat,eum declarauiſſe, ad fauorem Hieronymi patris, ſe dominium prædictorum creditorum non habuiſſe; & ex hac reſponſione videbatur diſcuti omnis difficultatis obſcuritas, quæ ex dicto conuentionum inſtrumento oriri poterat, quia verum erat ex tota inſtrumenti ſerie, non potuiſſe firmiter colligi, quòd Antonius Franciſcus remanſiſſet excluſus à dominio, ſibi ſemel quæſito, vt patebat ex duabus concluſionibus,ſuprà poſitis. Ad

* adde Seraphinum deciſ. 150. n. 2.

23. ſextam deſumptam ex eo, quod Hieronymus in teſtamento diſpoſuerat de officiis, & creditis montium, exiſtentibus in perſonis filiorum, facilè reſpondebatur, tum ex eo, quòd non diſpoſuit de credito Antonij Franciſci, tum ex eo, quòd cùm inſtituiſſet alios filios hæredes, potuit de illorum bonis diſponere, tum quia Claricia non impugnabat illam teſtamentariam diſpoſitionem, ſed petebat ſibi reſtitui pretium, & fructus locorum 75. qui ad manus Hieronymi pertinuerant; tum denique,quia non potuit diſponere in præiudicium Dominæ Clariciæ de rebus ad ipſam iure hæreditario paterno pertinentibus.

Ad ſeptimam, deductam ex partitis in debitum, & creditum Hieronymi, valoris, & pretij locorum montis, filiis reſignatorum per hæc verba, *per contanti*, iunctis diſpoſitionibus teſtium, quod hoc fuit, *vngiramento di parti te alli vſanza, di mercanti, ſenza che vi correſero danari.*

24. Reſpondebatur primò, illam teſtium depoſitionem probare pretium locorum(de quo agebatur) in illis partitis non fuiſſe ſolutum per filios, eidem Hieronymo; ſed deciſiones (de quarum confirmatione, vel impugnatione tractabatur) firmaſſe, Hieronymum donaſſe loca montium (de quibus agebatur) Antonio Franciſco,& conſequenter,confeſſionem de recepto, non verò de qua in partitis, non excludere, ſed potiùs coadiuuare donationem, de qua in deciſionibus.

Atque ex his reſpondebatur ad illud fundamentum, quòd ſcilicet iſta annotatio receptionis pretij locorum 65. ab Antonio Franciſco,excluderet donationem, ad Antonium de Butrio *conſil*. 38. *num*. 5. quoniam ſi Dominus Tiberius articulauerat, contenta in dictis partitis non fuiſſe vera, *ma vn giramento di partita ad vſanza di marcanti*;conſequenter non poterat inde oriri aliqua coniectura contra donationem, imò ex iſta confeſſione receptionis pretij arguebatur donatio, inſtar confeſſionis mariti de dote recepta, conſtante matrimonio, quæ præſumitur ſimulata,& facta animo donandi,*l*. 1. *&* 3. *§. ſciendum. ff. de donat. inter vir. & vxor*. Socinus *in l*. 1. *num*. 70. *& ſeq. ſolut. matr.*

Iam ſi Hieronymus voluiſſet pretium locorum Antonio Franciſco reſignatorum, non feciſſet ſe in libris ſcribi debitorem, pro tot receptis, ſed potiùs iuſſiſſet ſcribi debitorem Antonium Franciſcum pro locis reſignatis, & in ſimili deſcriptione filiis debitoris impenſarum, pro eo factarum, loquitur Antonius de Butrio *d. conſil*. 38. *num*. 5.

Ad octauam deductam ex obſeruantia, ex eo quòd Hieronymus diſpoſuerit de pretio, & fructibus locorum, & ex eo, quòd dum vixit, nihil ab eo fuit petitum, reſpondebatur primò, nullam apparuiſſe probatam obſeruantiam, contra intentionem Dominæ Clariciæ, fundatam in claris, & veris iuris concluſionibus. 25.

Secundò reſpondebatur,quòd cùm ann. 1565. deceſſerit Antonius Franciſcus relicta Claricia tunc infante,& Hieronymus tunc habuerit omnia bona,& ſcripturas filij tunc defuncti,& Claricia anno 1584. nuptui tradita, omnia iura ſua in dotem dederit, & confeſtim litem mouerit, nulla contra ipſam potuit induci legitima obſeruantia.

Tertiò dicebatur, quòd ſi ex iſtis factis clanculò geſtis, & pro arbitrio habentium bona, & libros, adnotatis, in præiudicium tertij induceretur legitima obſeruantia, facili negotio poſſent homines à iuribus ſuis cadere.

Ad vltimam coniecturam, ſeu probationis ſpeciem, deſumptam ex dictis teſtium, pro Domino Tiberio examinatorum, ex quorum dictis prætendebatur probare,reſignationem locorum fuiſſe confidentiariam, & ſimulatam, reſpondebatur primò, quòd illis (quidquid dicerent, aut 26.
probare nimis affectatè conarentur,) non erat credendum, cùm non deponerent de his, quæ ſenſu corporeo percipiuntur, confidentia enim, & ſimulatio,ſunt de genere eorum, quæ in animo conſiſtunt, nec redderent ſufficientes rationes cauſæ ſcientiæ,Lanfrancus de Orano *in cap. quoniam contrà, in verb. teſtium depoſitiones n*. 92. *de probationib*. Rota *deciſ*. 1. *de donationibus, in nouis.* 27.

Secundò reſpondebatur, nullam ex eorum dictis oriri probationis ſpeciem, ad inducendam ſimulationem, cùm cauſa ſimulandi non probetur, nec ſufficiat proponere ſimulationem, niſi cauſa ſimulandi legitimè doceatur.* *l. patronum. ff. de probationibus*, ita Ancharanus *conſil*. 227. *n*. 2. Bartolus *conſil*. 65. incip. *Factum tale, num*. 4. *lib*. 1. idem *in l. poſt contractum, num*. 3. *verſ. ſecunda præſumptio, ff. de donationib*. Alexander *conſ*. 28. incip. *In cauſa,& lite, num*. 12. *lib*. 5. & fuit ſæpe in Rota reſolutum,& ſignanter *in cauſa Romana donationis*,de Grandis die 27. Aprilis 1592. * nam cauſa pro parte Domini Tiberij articulata, ob imminentem perſecutionem Minalis, ad effectum, vt Hierony 28.

*adde ſuprà dec. 258. n. 2. & deciſ. 446. n. 2. & deciſ. 530. n. 2.

* ſuprà dec. 215. à n. 4.

Hieronymus fuerit motus ad ſimulatè donandum, non erat probata. Rurſus,quamuis fuiſſet vera, non tamen poterat cenſeri concludens ad ſimulandum, cùm potuiſſet eſſe impulſiua, & nihilominus pater verè donauerit, & dominium locorum filio donatorum,in filium tranſtulerit, maximè cùm ceſſio ex cauſa donationis non ſoleat præſumi ſimulata.

29. Tertiò non diſplicebant Dominis aliæ reſponſiones datæ per informantes pro Domina Claricia,contra dicta eorundem teſtium, in quibus vna erat hæc, nam ſi Hieronymus, vt fugeret talem perſecutionem, ſimulatè donauit,imprudenter fecit, reſeruando ſibi diſpoſitionem locorum, Iulio Cæſari, & Tiberio reſignatorum.

Alia verò cauſa ſimulandi, ad euitandum periculum amiſſionis locorum, per mortem Hieronymi, ex ſupradictis remanebat ſufficienter ſublata.

30. Atque ex his patebat, nullam pro Tiberio proponi coniecturam, cui non potuiſſet ſufficienter, & commodè reſponderi, & conſequenter iure recedi non debuiſſe à deciſionibus in hac cauſa factis, fundatis in prædictis duabus iuris concluſionibus.

Quibus præterea accedebant multæ & vehementes præſumptiones, conſideratæ per informantes pro Domina Claricia, ex quibus maior lux veritatis, propoſitæ obſcuritati opitulabantur, & prædictæ duæ concluſiones firmiùs probationis robur accipiebant, in quibus potiſſimum locum obtinebant ſequentes.

31. Prima erat, quia cùm Hieronymus eodem die reſignaſſet plura loca montium, Rainerio, Antonio Franciſco, & Fabio filiis emancipatis, ac Iulio Cæſari,& Tiberio filiis,in poteſtate ſua exiſtentibus, illis ſcilicet emancipatis, abſolutè reſignauit ſine vlla reſeruatione diſpoſitionis, iſtius verò exiſtentibus in poteſtate, ceſſit reſeruata ſibi locorum reſignatorum, & fructuum omnimoda diſpoſitione.

32. Altera coniectura erat, quia, quando Hieronymus dominium locorum dicti montis,poſitorum in perſonis filiorum, etiam emancipatorum, ſibi reſeruare voluit, id exprimere ſolitus fuit, ſicut fecit in emptore 20. locorum, in perſona Mutij,in qua reſeruauit ſibi diſpoſitionem tam locorum, quàm fructuum.

33. Tertia coniectura erat,quia prima decem loca montis, empta in perſona Antonij Franciſci, ſine dubitatione pertinebant ad eundem Antonium Franciſcum, quia quinque fuerunt empta ex pecuniis dotis, quam habuerat ab vxore, & alia quinque fuerunt vendita à Hieronymo,tanquam Procuratore eiuſdem Antonij Franciſci:& tamen pretium tam iſtorum decem, quàm aliorum 65. locorum,ab Antonio Franciſco,& Hieronymo venditorum, eodem modo fuit deſcriptum in libris banchi, in creditum Hieronymi, cum declaratione, *per prezzo di tanti luoghi de Monte di Antonio Franceſco.* Ex qua indiſtincta locorum annotatione arguebatur, quòd ſicut partitæ pretij decem locorum non ſignificabant, pretium fuiſſe in dominio Hieronymi, pariter adnotatio pretij aliorum locorum non inferebat, Hieronymum fuiſſe effectum illorum dominium.

34. Quarta coniectura erat, quia cùm Antonius Franciſcus fuiſſet emancipatus anno 1547. ac ipſe vſque ad annum 1565. omnia paterna negotia geſſiſſet,& ſi teſtibus Domini Tiberij, aliqua fides danda eſt, nihil lucratus fuiſſet, valde veriſimile erat, Hieronymum patrem, in recognitionem laborum tot annis ſuſceptorum illi 65.loca montium donare voluiſſe.

Quinta erat, quia cùm Hieronymus, tam in donatione, quàm in teſtamento reliquerit Dominæ Clariciæ 50.loca montis fœderis,cum hac tamen conditione, quòd nihil petere poſſet de bonis patris, & aui, ſatis apertè ſignificauit, eo tempore extitiſſe bona Antonij Franciſci, patris Dominæ Clariciæ: & cùm hactenus alia præter hæc 75. loca montis reperiri non potuerint, veriſimile erat, de his ſenſiſſe teſtatorem, niſi Dominus Tiberius, penes quem ſunt omnes ſcripturæ, illis oſtenſis, de aliis bonis, non de iſtis, teſtatorem fuiſſe locutum probauerit. 35.

Sexta coniectura erat, quam colligebant informantes pro Domina Claricia, ex prædicto inſtrumento conuentionum, inter fratres anno 1564. celebrato,in quo præſente, & conſentiente Hieronymo, filij eius conuenerunt,quòd quilibet ipſorum ſibi retineret,& haberet credita montium, in eorum perſonis poſita, adeò quilibet de ſuis creditis montium liberè diſponere poſſet, & fructus illorum percepti, & percipiendi, penes ipſos remanerent, ac cuiuſlibet ipſorum eſſent; ex quibus verbis inferebatur, dictum inſtrumentum fuiſſe confirmatorium donationum, antea filiis factarum, & indicatorium tranſlationis dominij, in ipſos transfuſi. 36.

Poſtrema coniectura erat,quia cùm Antonius Franciſcus ſemper fuiſſet negotiatus,& Theſaurariam Camerini conduxiſſet, & nobilem præterea fœminam Octauiam Maphæam, cum honeſta dote duxiſſet vxorem, multum veriſimile erat,multa ipſum acquiſiuiſſe,multaque propria bona habuiſſe, & reliquiſſe,præſertim cùm eſſet filius prouidus, & Hieronymo patri valde dilectus: Clariciam tamen filiam, nihil iſtorum oſtendere potuiſſe, quia cùm, illo vitâ functo, omnia bona,& ſcripturæ remanſerint penes Hieronymum,ac deinde penes Dominum Tiberium, nec vna quidem ſyllaba ab Antonio Franciſco ſcripta, videri potuit à Claricia filia, vel haberi, vt propterea indicatum etiam fuerit, in dubio interpretationem fuiſſe faciendam, ad fauorem Clariciæ potius, quàm Domini Tiberij, & præſertim in propoſita facti ſpecie, in qua pro Domino Tiberio ſolæ afferebantur coniecturæ, & præſumptiones: pro Claricia autem non ſolùm aderant præſumptiones, ſaltem æquè vrgentes, ſed etiam veræ iuris concluſiones. 37.

---

## *Veneta prætenſæ illegitimitatis.*

### Die Veneris 4. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Parochus aſſerens ſe celebraſſe tale matrimonium, conſtituit ſemiplenam probationem.*

3 *Teſtis vnus de viſu, cum alijs de voce, & fama publica, probant matrimonium contractum eſſe.*

4 *Mendacium in confeſſione non præſumitur dicere pœnitentem.*

5 *Confeſſariorum dictis, in rebus confeſſionis, multum defertur.*

6 *Matrimonium argui ſolet ex ſimultanea cohabitatione, & ex tractatu maritali, numer. 7.*

8 *Teſtes de auditu ab illis, qui interfuerunt matrimonium, probant illud.*



## DECISIO DCCXXIX.

1. POſt habitas diſputationes, ſuper validitate proceſſuum examinis teſtium, iuſto ordine ſequebatur videndum de negotio principali, videlicet de matrimonio, inter quondam Dauid de Cathaneis, & Angelam. Itaque dato dubio, an conſtaret de fœdere matrimonij inter prædictos, Rota vtraque parte informante affirmatiuè reſpondens, conſtare cenſuit, cùm enim ageretur de probando matrimonio,non ad effectum diſſoluendi aliud matrimonium, ſed ad effectum ſuccedendi; leuiores probationes * requirebantur. Salicetus *in l.non nudis num.6.C.de probat.* Pariſ.*conſil.*57. *num.*41. *lib.*4. Ioannes Ferretus *conſil.*49. *num.*1. per conſ.Geminiani 27. *n.*8. quod ſemper Rota in ſimilibus caſibus amplecti ſolet.& fuit dictum *in vna Neapolitana* † *legitimitatis*, 24.Aprilis 1598.

* adde ſuprà dec.644.n.1. vbi alias deciſ.annotaui.

† ſuprà deciſ.671.

2. In caſu propoſito, pluſquam leues probationes habebantur; primum enim Ioannes Maria Paganinus Parochus in villa Cauazanæ examinatus, & interrogatus cum iuramento affirmabat, ſe celebraſſe prædictum matrimonium † inter Angelam, & Dauid de Cathaneis, qui licèt eſſet vnicus, ſemiplenam tamen faciebat probationem, præſertim cùm deponeret de actu à ſe geſto. * Cephalus *conſil.*170. *num.* 42. & de his, quæ pertinebant ad ſuum officium. *cap. poſt ceſſionem, de probation.* Puteus *dec.*151. *num.*2. *lib.*2. Ruinus *conſil.*56. *num.*5. *lib.* 1. & fuit deciſum *in cauſa Ianuen.matrimonij*, die 16.Maij 1583.coram Domino meo Seraphino. †

† adde ſuprà d.deciſ. 644. n. 3. vbi annotaui alias deciſ.& infrà dec.799.n.2.

* adde infrà dec.818.n.3.

* eſt dec.diuerſor. 750. n.10.p.1.

Dicto Parochi adſtipulabantur teſtes aſſerentes, quòd publicè dicebatur in oppido Cauazanæ, quòd Dauid Cathaneus vxorem duxerat

3. Angelam, hæc enim famæ probatio, iuncta vnico teſti de viſu, plenam operatur matrimonij probationem,vt fuit deciſum *in vna Calaguritana Theſaurariæ*, die 10.Ianuar.1578.coram bon.mem. Cæſare de Graſſis.

4. Præterea quidam frater Conſtantinus, & Naſimbonus Cathaneus, qui curam animarum exercuerant in oppido Lendinariæ, in Parochia S.Blaſij,& S.Sophiæ teſtificabantur,ſe in confeſſione ſacramentali audiuiſſe, Angelam aſſerentem à Dauide Cathaneo fuiſſe ductam vxorem, eamque fuiſſe abſolutam, & Sacro Euchariſtiæ Sacramento refectam,addebatque Naſimbonus, quòd cũ dubitaret de aſſertione Angelæ,ei dixerat:*fate,che il voſtro marito M.Dauid venga a dirme queſto iſteſſo,che dite voi,è coſi ſubito M.Dauid venne e dice: confeſſatela & abſoluetela, & communitate, la detta Maria Angela,perche è mia moglie;* quibus auditis, Parochus fecit officium ſuum, abſoluendo, & communicando dictam Angelam. Vnde cùm in tanto præſertim Sacramento non præſumantur Angela, & Dauid propriæ ſalutis immemores dixiſſe mendacium, Felinus *in cap. cùm acceſſiſſent, num.* 11. *verſic. & ſi priùs, de conſtitut.* pluſquam veriſimile videbatur, eos fuiſſe legitimos coniuges, præſertim cùm dictis Confeſſariorum multum deferri ſoleat, Rota *in vna Toletana profeſſionis*, die 15. Decembris 1595. coram R. Patre Domino meo Decano. † 5.

† habetur in impreſſ. Seraph. deciſ. 1166.n.1.

Denique eadem probatio coadiuuabatur multis adminiculis, per informantes pro Alphonſo relatis, nempe ex ſimultanea cohabitatione Dauidis, & Angelæ, ex qua ſolet argui matrimonium. Puteus *deciſ.*103. *lib.*2. 6.

Item ex tractatu maritali, * de quo teſtificabantur aliquot teſtes, & in primis quædam Bartola, aſſerens, *e vero che M.Dauid, è Magdalena Angela ſi teneuano, & reputauano, è ſi tratauano da veri, & legitimi marito, & moglie.* Antonius de Butrio *in cap. illud*, vbi Abbas *num.* 8. *de præſumptionib.* Bartolus *in l. ſi vxor. §. ſed & ſi ea. ff. de adulter.* Ruinus *conſil.*128. *num.*7. *lib.*4. Pariſius *conſ.*13. *num.*17. *lib.*2. Cephalus *conſ.*435. *num.*56. *lib.*3. Puteus *deciſ.*103. *lib.*2. 7.

*de hoc art. vide Ludou. deciſ.247. & dec.248.precipuè num.4. Caualer. deciſ.444. n.2. Mantic. deciſ.372.n.19.

Item ex teſtibus de auditu ab illis, qui interfuerunt celebrationi matrimonij. Puteus *dec.*13. *lib.* 2.

Poſtremò ex arbore affinitatis, in quo reperiebatur deſcriptus Alphonſus, tanquam ſucceſſibilis, aliquod etiam deſumebatur adminiculum. 8.

Atque ex ſupradictis omnibus cenſuerunt Domini, ſatis conſtare de fœdere matrimonij inter Angelam, & Dauidem de Cathaneis, ad effectum, de quo agebatur, videlicet ad effectum ſuccedendi in bonis, de quibus erat controuerſia.

Cæterùm, quia contra teſtes, quibus nitebatur ſupradicta probatio, informantes pro Cathaneis opponebant multas, & conſiderabiles exceptiones, ideo Domini voluerunt, vt de illis * particulariter videretur. 9.

* de quo infrà dec.746.

---

## *Oſcen. Portionum.*

### Die Veneris 11. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Declaratio eſt danda contra non parentes mandatis Apoſtolicis.*

3.4 *Notarius cauſæ, ſi ſit negligens in annotationibus actuum, ſi aliunde conſtat, ſupplenda eſt negligentia eius.*

## DECISIO DCCXXX.

CVm Petrus Luis Lopez,& Michaël Saruiſe fuiſſent auctoritate Apoſtolica prouiſi, de duabus portionibus in menſe reſeruato vacantibus, per obitum Ioannis de Clauiſo, & Marij Caſanouæ, in Parochiali Eccleſia oppidi de Auieno, Oſcen. diœceſis, & expeditis litteris in forma Dignum, cum derogatione iuriſpatronatus in totum, quatenus Eccleſiaſticum & pro medietate quatenus laicale ex fundatione, & dotatione,ac præſentatis litteris Ordinario Barbatien. executore in eis deputato, obtinuiſſent, præmiſſo examine, & ſeruata forma dictarum 1.

litterarum, debitam collationem, & pacificam poſſeſſionem, paulo pòſt, à quibuſdam Michaële Guarga, & Petro Aries, prætendentibus ſe fuiſſe præſentatos à Rectore dictæ Eccleſiæ, dictarum portionum patrono, moleſtari cœperunt, & ab Epiſcopo Ilerdenſi, cui cauſa fuerat commiſſa, poſſeſſionem, & fructus dictarum portionum ſequeſtrari obtinuerunt: à quibus actibus, cùm Petrus, & Michaël Apoſtolici prouiſi appellaſſent, & cauſa introducta in Rota docuiſſent de legitima poſſeſſione, ab eadem Rota obtinuerunt mandatum de manutenendo, cum inſtrumento relaxationis ſequeſtri, & fructuum conſignationis, quibus intimatis, tam Michaëli Guarga, & Petro Aries, quàm ſequeſtratorio, & Rectori, & Portionariis dictæ Eccleſiæ, eiſque minimè obedientibus, & intimatione reproducta, pro parte Petri Lopez, & Michaëlis peteretur declaratoria, contra Guargam, & Ariem, Rectorem, & Portionarios, ac ſequeſtratarium, dato deſuper dubio, & vtraque parte informante, Rota dandam declaratoriam cenſuit, quia conſtabat de contumacia * parere nolentium. Mohedanus *deciſ.1.de ſentent.excommunicat.* & eſt vſitatus ſtylus Rotæ.

*adde ſuprà dec.561.n.3. & infrà deciſ.844.n.1.

Neque obſtabat exceptio oppoſita de non
2. integra tranſportatione actorum, quoniam ex inſpectione proceſſuum, fuit ſublata difficultas; conſtabat enim, acta etiam coram Illerdenſi fuiſſe integrè tranſportata.

3. Et quia rurſus opponebatur, quòd non conſtabat de productione dicti proceſſus in actis Notarij Rotæ, quam Notarius non notauerat in manuali, & Regeſtro, ideo facto verbo ſuper hoc cum Dominis die 23. Decembr. reſponſum fuit, de legitima productione conſtare exequentibus.

Primò, quia ex libro receptorum eiuſdem Notarij apparebat, menſe Decembri 1597. fuiſſe ſoluta Notario ſcuta tria pro rubricatura dicti proceſſus.

4. Rurſus, ex libro accommodatorum eiuſdem Notarij conſtabat, die 14. eiuſdem menſis Decembris, fuiſſe proceſſum accommodatum Procuratori Michaëlis, & Petri, ad effectum videndi.

Denique, quoniam conſtabat de citatione per contradictas facta die 23. Ianuar. 1598. ad dicendum contrà, & conſequenter per tres menſes ante decretum mandatum de manutenendo, quod fuerat factum, & relaxatum die 10. Aprilis 1598. ex quibus ſatis viſum fuit, conſtare de productione, * licèt per negligentiam Notarij non fuerit notatus dies productionis.

* quæ non debet parti nocere, vel præiudicare, dec.1115.n.5. Cocc. deciſ. 373.num.10. Rota recen. p.1.dec.502. n. 10. & 15. in fine.

## *Romana adminiſtrationis bonorum de Cuppis.*

### Die Veneris 14. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Tranſactio eſt actus reciprocus, vltro citróque obligatorius, licèt ſit vnicus contractus, & reſoluta in vno capite ſi ſit, corruunt omnia.*

4 *Licèt contrahentes poſſint inter ſe aliter conuenire.*

## DECISIO DCCXXXI.

1. CVm die 30. Octobris proximè * præteriti Rota cenſuiſſet, tranſactionem cum deputatione adminiſtrationis ſubſecuta, & in tertiam perſonam delata, non obſtitiſſe Domino Septimio, quominus ipſe deinde ſuperuenientibus ſibi qualitatibus à teſtatore requiſitis, firma remanente tranſactione, adminiſtrationem petere, & exercere potuiſſet, quia tranſactio intelligebatur rebus ſic ſtantibus, * *l.quod iuris. ff.de condict.ob cauſ.* Natta *conſ.525.num.16.lib.3.* cum aliis tunc allegatis in dicta deciſione.

* ſuprà dec. 719.n.10.

*adde Seraphin. deciſ. 211.n.1. & ſuprà deciſ. 719.n.10. & 11. & infrà dec.771.n.11.

Hinc ſumpta occaſione, agentes pro filiis, & hæredibus bon. mem. Ioannis Dominici de Cuppis prætendebant, tranſactionem vtrinque
2. fuiſſe reſolutam, ac in omnibus capitibus euanuiſſe, & præſertim in capitulo principaliori, concernente adminiſtrationem bonorum. Licèt enim tranſactio ſit vnicus contractus, cùm tamen diuerſa habeat capitula, eaque vltro citróque obligatoria, & correſpectiua, *l. 1.* cum *ibi* notatis. *C.de tranſact.* Mohed. *deciſ.* 212. conſequenter non videbatur potuiſſe annullari, reſpectu vnius capituli, niſi reſpectu etiam omnium, propter correſpectiuitatem euanuiſſet. * *l. final. ff.de acceptilat. l.filio ex parte. §.matrim. ff.de aliment.legat.* Fulgoſius *conſil.223.in principio,* Cumanus *conſil.179. num.3.* Puteus *deciſ.357. in fine lib.3. & deciſ.340.num.2.lib.1.* Verallus *deciſ.316. & 317. num.2. & 3. part.3.* Gabriel *de tranſactionibus concluſ.1. num.4.*

*ſuprà deciſ.348.n.2.

3. Atque ex his conſequenter inferendum putabant idem informantes pro filiis Ioannis Dominici, quòd cùm tranſactio euanuiſſet reſpectu capituli principalis, reſpicientis bonorum adminiſtrationem, quæ vigore tranſactionis tertio fuerat commiſſa, reſpectu quoque cæterorum debuiſſet cenſeri reſoluta.

Vnde dato ſuper hac difficultate particulari dubio, Rota vtraque parte informante, tranſactionem, non fuiſſe reſolutam reſpondit, imò verò ex tacita contrahentium mente, pleniùs fuiſſe roboratam, & perfectam: cùm enim tempore tranſactionis nullus ex fideicommiſſariis habuiſſet qualitates, à teſtatore requiſitas, vt poſſet adminiſtrare, ideo contrahentes tunc tertiæ perſonæ committendam adminiſtrationem conuenerunt.

4. Noluerunt tamen, ſe ab ea adminiſtratione abdicare, ſi decurſu temporis, alicui ex ipſis, ſuperueniſſent qualitates, à teſtatore requiſitæ. Vnde cùm hæc intelligeretur fuiſſe tacita contrahentium mens, & Septimius, cui ſucceſſu temporis qualitates ad adminiſtrandum requiſitæ obuenerant, adminiſtrationem ſibi adiudicandam petiuiſſet, non intelligebatur, veniſſe contra tranſactionem, ſed potiùs illius obſeruantiam curauiſſe. Socinus *conſil.215. num.7. verſic. præterea & tertiò, lib.2.* Alciatus *de præſumpt.reg.2. præſumpt.16. num.1.*

Atque ex his diluebantur deducta per informantes contra Septimium, omnia enim procedebant cum præſuppoſito, quòd ille contraueniſſet; quod tamen ſecus erat, nedum ex veriſimili mente tranſigentium, ſed etiam teſtatoris, quem certum eſt noluiſſe quòd adminiſtratio bonorum perpetuò remaneret penes tertium.





## *Vrbeuentana bonorum.*

### Die Lunæ 14. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Subſtitutio, vel diuiſio facta per tranſactionem iuratam valet, vt tranſit in vim contractus irreuocabilis, inter viuos.*

3 *Diuiſio bonorum facta à patre inter filios, dicitur naturam vltimæ voluntatis habere.*

5 *Præſeruatiuæ clauſulæ natura eſt, vt nihil de nouo inducat, ſed præſeruet in ſuo eſſe.*

## DECISIO DCCXXXII.

1. DEciſum fuerat in hac cauſa, die 25. Maij proximè præteriti, * ſententiam Vicarij Vrbeuentani, tanquam fundatam in falſa cauſa † fuiſſe reuocandam, quoniam Vicarius fundauerat eam in fideicommiſſo facto in primo teſtamento, quod per aliud poſtea factum, fuerat reuocatum; cæterùm, quia tunc Domini de Mancinis prætendebant, dictum fideicommiſſum in primo teſtamento factum, non potuiſſe reuocari, ex eo quòd tranſiuerat in contractum, & quoniam pater diuidendo bona ſua inter filios, expreſsè præſeruauerat in inſtrumento diuiſionis prædictum fideicommiſſum, ideo dato ſuper hac prætenſione particulari dubio, vna tantùm parte informante, Rota negatiuè reſpondit. *

* ſuprà deciſ.989. † quod extende etiam ad trãſactionem, fundatam in falſa cauſa, Seraphin. deciſ. 275. & 976. Caual. deciſ. 644.n.5.

*hæc reſolutio fuit confirmata infrà dec.738.n.2.

Quamuis enim aliqui tenuerint, ſubſtitutionem, vel diuiſionem factam per tranſactionem, aut concordiam iuratam, validam eſſe, & tran-
2. ſire in vim contractus inter viuos, nec poſſe reuocari, *Pedemontan. deciſ.125.num.4.verſ.præmiſſis tamen.* Gratus *conſ. 7. num.12. lib.2.* Caccialupus *in repetit. l.frater à fratre, quæſt.25. num.100. ff. de condict.indeb.* Pariſius *conſ.33.num.17. & ſeq.lib.3.* Abbas *conſil.66.num.3.verſ.quia duo, lib.2.* Puteus *deciſ.132. part. 2.* Verallus *deciſ. 275. part.1. deciſ.105. & 288. part.2.*

3. Nihilominus reſpondebatur, hanc inſpectionem non pertinere ad propoſitam facti ſpeciem, quia in diuiſione non continebatur aliquod fideicommiſſum, nec vocabantur ſuperſtites ad portionem deficientis, vel alienantis, ſed pater ſimpliciter aſſignabat vnicuique filio portionem ſuam, quod pro parte Monaſterij non reuocabatur in dubium, ſed ſolùm petebat portionem Thomæ de Mancinis, quam vigore fideicommiſſi, Domini de Mancinis prætendebant, quibus tamen, fideicommiſſum cùm eſſet reuocatum, non poterat ſuffragari, maximè cùm diuiſio bonorum, facta à patre inter filios, ſortiatur naturam vltimæ voluntatis, & conſequenter ſit reuocabilis. Abbas *d.conſ.66. lib.2.*

4. Neque ſupradictis obſtabat, quòd in inſtrumento diuiſionis bonorum à patre inter filios factæ, appoſita fuerit clauſula præſentatiua, ſine præiudicio fideicommiſſi, iam facti.

5. Quia reſpondebatur, iſtam clauſulam fuiſſe tantùm præſeruatiuam, * non autẽ noui iuris inductiuam, ideóque non facere tranſire fideicommiſſum, appoſitum in teſtamento, in naturam contractus, ſed illud in ſua natura præſeruare; hic enim eſt effectus clauſularum præſeruatiuarum, vt nihil de nouo inducant, ſed præſeruent in ſuo eſſe, Caſſadorus *deciſ.2. num.3. de reſeruat.* potuit igitur fideicommiſſum appoſitum in primo teſtamento, per ſecundum diuiſorium reuocari, non obſtante dicta clauſula præſeruatiua. *§.poſteriori, Inſtitut. quibus modis teſtam. infirmentur.*

* adde Puteum deciſ. 197.n.23. & infrà in d. dec.738.n.3.

Poſtremò, non obſtabat iuramentum, de quo opponebant contra Monaſterium Domini de Mancinis.



## *Vercellen. fructuum.*

### Die Lunæ 14. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

5 *Fructus præbendarum vacantium, ex Bulla Pij V. debentur fabricæ Eccleſiæ, pro rata ſex menſium, à die vacationis.*

6 *Præbendarum vacantium fructus poſſunt applicari fabricæ Eccleſiæ, vſque ad proceſſionis adeptionem.*

7 *Impeditus adipiſcendæ poſſeſſionis beneficij, non dicitur negligens, vt priuetur fructibus.*

8 *Beneficij litigioſi fructus ſunt reſeruandi, ſi lis ſit contra Capitulum.*

## DECISIO DCCXXXIII.

VTraque parte informante, dubitaui, an Capitulo Vercellen. eſſet dandum mandatum de manutenendo, in quaſi poſſeſſione percipiendi fructus Canonicatus, & Præbendæ vacantis, & vſque ad quod tempus. 1.

Et Rota, Capitulo deberi fructus ſex menſium tantùm, iuxta conſtitutionem Pij V. * reſpondit non obſtantibus, quæ pro Capitulo Vercellenſi conſiderabantur.

* habetur in Bullar. Cherubini tom. 2. in conſtit. Pij V. conſt. 104.§.2. fol. 310.

Tribus enim ſtatutis vtebantur informantes pro Capitulo Vercellenſi, ad probandum, indiſtinctè fructus, de quibus agebatur, ad Eccleſiam pertinere. 2.

Primum erat conditum anno 1279. quo diſponebatur, vt nullus Canonicus de nouo prouiſus poſſet percipere fructus, donec eſſet in Ordine requiſito conſtitutus, & in dicto Ordine ſuam primam faceret laudabilem ſeptimanam, à Capitulo approbatam.

Alterum erat, quo cauebatur, vt pendente lite inter duos, vel plures, ſuper Canonicatu, & Præbenda, litigantes nihil perciperent, vel habere poſſent, donec quæſtio per ſententiam, vel alio modo terminaretur, ſed fructus ipſius Præbendæ, per Capitulum colligerentur, in vtilitatem ipſius Eccleſiæ conuertendi. 3.

Poſtremum erat, per quod idem cauebatur, addebaturque, vt fructus primi anni, poſtquam quis poſſeſſionem pacificè adeptus fuiſſet, & ſeptimanam in Ordine requiſito feciſſet, ad ipſam Eccleſiam ſpectarent.

Et quamuis informantes pro parte Capituli niterentur etiam oſtendere prædictorum ſtatutorum obſeruantiam, Rota tamen, ſupradictæ deciſioni illa ſtatuta non obſtare, cenſuit. 4.

Nam quantum ad primum, & tertium clara aderat conſtitutio fel.record.Pij V.* incip. *Durum nimis*, qua cauetur huiuſmodi fructus beneficiorum vacantium, qui aliàs vigore ſtatutorum deberentur fabricæ Eccleſiæ, in poſterum tantummodo debeantur pro rata ſex menſium à die vacationis, ex qua etiam conſtitutione ceſſabant, eadem ſtatuta, diſponentia, quòd nullus de nouo prouiſus fructus perciperet, donec in ordine requiſito conſtitutus ſuam faceret ſeptimanam:

*in d.conſtitut.104. §.2. apud Cherubinum vbi ſuprà, & eſt ampliatio Tridentini ſeſſ.24. c.14. & adde Seraphin. decis. 1053.

6. quamuis enim ſtatuto reſeruari poſſent fructus eiuſmodi Capitulo, vel fabricæ, vſque ad poſſeſſionis adeptionem, vt in eadem conſtitutione *in §.caterùm indicatur*; id tamen fit, propter negligentiam prouiſi, non curantis percipere poſſeſſionem, vel facere reſidentiam, quæ in hac facti ſpecie conſiderari non poterat, cùm per

7. Michaëlem Belletiam non ſtetiſſet, quominus prædicta adimpleuiſſet, quinimo proteſtatus fuiſſet, ſe fuiſſe paratum prædicta adimplere, niſi à† Capitulo, & à Modena, ab Ordinario prouiſo fuiſſet impeditus: ex quibus, quo ad hunc effectum pro adimplente cenſeri debuit. *l. iure ciuili. ff.de condit. & demonſtr. l.in iure ciuili. ff. de reg. iuris*, vbi notant Decius, Cagnolus, & alij. Romanus *conſil.* 85. *num.*1. *& conſil.*434. *in tertio dubio.*

†adde ſuprà dec.556.n.3.

8. Ad ſecundum ſtatutum, quòd fructus Canonicatuum litigioſorum pertinerent ad Capitulum, reſpondebatur fuiſſe intelligendum de litibus inter plures prouiſos ventilatis, non autem de litibus cum Capitulo, aliàs enim facilè fieret fraus prouiſis, quæ fuit potiſſima cauſa & ratio finalis conſtitutionis Pij V. incip. *Cordi nobis eſt*,* vt circa hoc diſponeret, conſtituendo, vt huiuſmodi fructus, pendente lite, apud perſonam idoneam deponerentur, reſtituendi ei, cui poſtea de iure reſtituenda forent.

* habetur in Bullar. Cherubini in tomo 2. in conſtitut. Pij V. conſt.57.fol. mihi 252.

Nec obſtabat, quòd Capitulum non intulerit litem Belletiæ, niſi ſuper quibuſdam præbendæ membris.

Quia reſpondebatur, quòd præterquam quòd Capitulum renuerat tradere Belletiæ poſſeſſionem, ſatis erat, non ſtetiſſe per Belletiam, quominus prædicta adimpleuiſſet.

Ad dicta teſtium, quibus vtebantur informantes contra Belletiam, placuerunt Dominis reſponſiones datæ, pro parte Belletiæ.

---

## *Montis Regalis iuriſdictionis.*

### Die Veneris 18. Decembris 1598.

SVMMARIVM.

2 *Eccleſiæ principalis capta poſſeſſione reſpectiuè cenſetur capta aliarum ſubiectarum, & annexarum.*

3 *Iuramentum ſubiectionis Epiſcopi, tanquam ſuffraganei, probat ſubiectionem in Archiepiſcopum Metropoliticum.*

8 *Enuntiatiua vnica nihil probat, & maximè ſi non ſe fundat in ea, num.*9.

10 *Titulus non dicitur legitimus ex enuntiatiuis priuilegij, maximè ſi in eo non ſe fundat concedens illud.*

11 *Argumentum non valet de vno caſu particulari, ad alios vniuerſales.*

12.13 *Priuilegium, per non vſum amittitur.*

14 *Poſſeſſio non acquiritur ex actu negatiuo, in facultatiuis.*

15 *Scripturis non poteſt probari immemorabilis.*

## DECISIO DCCXXXIV.

1. AD dubium de ordine Rotæ datum, an cauſa eſſet expedienda * ad fauorem Archiepiſcopi Montis Regalis, Rota vtraque parte informante, affirmatiuè reſpondens, expediendam cenſuit: cùm enim in creatione Archiepiſcopatus Montis Regalis, per Lucium tertium facta, Epiſcopatus Cathanienſis ei fuerit aſſignatus pro ſuffraganeo, nec de poteſtate erigentis dubitare liceret, *c.ſicut vnire, de exceſſib.prælat.* & tam erectio, quàm ſubiectio huiuſmodi ſortitæ fuiſſent effectum, vt apparebat, tum ex poſſeſſione

* habetur hæc dec.impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p.1. pag.1048. & pag.369. vſque ad verſiculum, reperitur ſcriptus.

2. capta per Archiepiſcopum, tempore erectionis promotum, & per alios illius ſucceſſores; nam capta poſſeſſione Eccleſiæ principalis, reſpectiuè cenſetur capta poſſeſſio ſubiectarum, & annexarum. Felinus *in cap. auditis num.*19. *de præſcript.* Baldus *conſ.*439.*num.*7.*circa finem*, Crauetta *conſil.* 54. *num.* 14. & fuit reſolutum *in cauſa Placentina decimarum*, * die 9. Februar. 1582. coram Domino meo Seraphino Rotæ Decano; tum ex eo, quòd in libro Prouinciali Romano, Epiſcopus Cathanienſis reperitur ſcriptus ſuffraganeus, Archiepiſcopi Montis Regalis; talis enim liber probat ſubiectionis effectuationem, & obſeruantiam. Mohedanus *deciſ.*5.incip. *Archiepiſcopus, de fide inſtrument.* tum ex eo, quòd idem Luzius tertius, Epiſcopo Cathanienſi, ad inſtantiam Archiepiſcopi Montis Regalis, prohibuerat vſum Pallij, per quem actum Archiepiſcopus videbatur acquiſiuiſſe effectuationem ſubiectionis, reſpectu iuris Metropolitici. *cap.ad ſupplicationem. §.final. de renuntiat.* tum ex iura-

* habetur in impreſſis Seraphin. dec. 561. n. 2. & adde Ludou. 557.n.4.

3. mento fidelitatis præſtito Archiepiſcopo Montis Regalis à Leone Epiſcopo Cathanienſi, tanquam ſuffraganeo, huiuſmodi enim iuramentum probat ſubiectionis effectuationem, *cap. ſi diligenti*, vbi hoc notant Canoniſtæ, *de præſcript.* Socinus ſenior *conſil.*187.*n.* 12.*lib.*2. tum ex aliis deductis *in alia deciſione in hac cauſa facta*, die 25. Octobris 1596.* & conſequenter Archiepiſcopus de iure communi haberet fundatam ſuam intentionem, ad exercendum in Eccleſiam Cathanienſem, ſibi ſuffraganeum ius competens, ratione prædictæ ſubiectionis, non poterat ſuper hac prætenſione, tam claris fundamentis ſubnixa, ſibi iuſtitia denegari.

*ſuprà dec. 546. n. 3. 4. & 5.

4. Supradictis accedebant aliorum Pontificum enuntiatiuæ, quibus eadem ſubiectio firmiùs roborari videbatur: nam Clemens tertius Prouinciam Eccleſiæ Metropolitanæ Montis Regalis augens, eidem aſſignauit Eccleſiam Siracuſanam in ſuffraganeam, eo modo quo Eccleſia Cathanienſis ſibi fuerat ſubiecta, & tamen ſubiectio, reſpectu Eccleſiæ Siracuſanæ, effectum ſortita fuerat.

5. Rurſus, Bonifacius Papa IX. quadam conſtitutione enuntiabat, Archiepiſcopum Montis Regalis, tanquam Metropolitanum, ac iure deuolutionis, contuliſſe beneficium quoddam Sanctæ Agathæ, diœceſis Cathanienſis.

Clemens



6. Clemens præterea VII. litteras prouiſionis Epiſcopatus Cathanienſis dirigebat Archiepiſcopo Montis Regalis, tanquam illius Metropolitano, & in eis ſimiliter enuntiabat, Eccleſiam Cathanienſem ſuffraganeam.

Quod ipſum & Pium etiam V. feciſſe apparebat ex iuribus in hac propoſitione productis.

7. Ex quibus tam clarè videbatur conſtare de bono iure Archiepiſcopi, vt cauſa foret ad ſuum fauorem expedienda.

Neque obſtabant in contrarium allegata pro Epiſcopo Cathanienſi, & primum enuntiatiua, contenta in litteris Eugenij IV. in qua Eccleſia Cathanienſis enuntiabatur Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta.

8. Quia reſpondebatur, eam enuntiatiuam, tanquam vnicam, * & directò contrariam litteris ſubiectionis Lucij tertij, fuiſſe ſpernendam, & maximè, quia emanauerant ad inſtantiam Capituli, & Papa in ea non ſe fundauerat, vnde non poterat ex ea induci exemptio à Metropolitana Montis Regalis, & ſubiectio ad fauorem Sedis Apoſtolicæ, Romanus *conſil.*180.*num.*3. *&* 4. In-

*adde Lud. dec.77. n. 4. & deciſ.407. n. 1. & latè annot.n.6. & infrà deciſ. 1373.n.6. in tom. 2. & aliàs ſæpe.

9.

10. nocentius *in cap.inter dilectos, num.6.verſ hæc verba, de fide inſtrument.* Gabriel *de probation.concl.*2. *num,*50. *verſ. & propterea*, & conſequenter, cùm huiuſmodi litteræ Eugenij non diſponerent, ſed ſolùm enuntiarent, non poterant deſeruire pro titulo putatiuo, Felinus *in cap. de quarta num.*35. *verſ. ſecundò conſidera, de præſcript.* Verallus *deciſ.*361. *num.*4. *part.*2.

Et quamuis pro Cathanienſi, plures adeſſent enuntiatiuæ antiquæ, illæ tamen cedere debebant claræ, & indubitatæ erectionis qua nitebatur Archiepiſcopus Montis Regalis, præſertim in hac facti ſpecie, in qua poſt enuntiatiuas, emanatas ad fauorem Epiſcopi Cathanienſis, ſubſecutæ fuerant aliæ Clement. VII. & Pij V. ad fauorem Archiepiſcopi Montis Regalis, idque ad inſtantiam Epiſcoporum Cathanienſium,* quibus Eccleſia Cathanienſis ſuffraganea Montis Regalis aſſerebatur.

*& enuntiatiuæ habentium inter eſſe nihil probant, vt fuit dictum ſuprà deciſ. 337.n.6.

Rurſus non obſtabat, quòd Epiſcopus Cathanienſis, ab antiquo tempore, nempe ab an.1417. vſque ad præſens prætenderet, ſe cognouiſſe cauſas in prima, & ſecunda inſtantia.

Quia reſpondebatur, quòd præterquam quòd hoc nondum fuerat pro parte ſua concludenter probatum, cùm iura quibus vtebatur, non eſſent in forma probanti, vt fuerat reſolutum in hac cauſa; licèt id eſſet verum, non tamen licebat inde arguere, ad vniuerſalem exemptionem, à

11. ſuperioritate Eccleſiæ Montis Regalis, ſed tan-

12. tùm ad caſum in ſpecie exercitatum, vel præſcriptum. Romanus *conſil.*368.*num.*11. Mohedanus *deciſ.*7. *de præſcript.*

*adde Seraphin. deciſ. 1410.n.27.& fallit hæc regula ſi non veniat caſus vtendi priuilegio, vt per Caual. deciſ. 80.n.6.& Seraph. deciſ. 1043.num.3. & 4.

Neque obſtabat ſimiliter, quòd priuilegium * per non vſum amittatur.

Quia reſpondebatur, Archiepiſcopum non niti priuilegio, ſed clara, & euidenti erectione, & nihilominus, ad retinendum priuilegium ſufficere, ſi doceatur de vſu, reſpectu alicuius rei, vel actus, in erectione comprehenſi, cùm cauſa vtentis ſit vniuerſalis. Felinus *in cap.auditis, num.*19.*de*

13. *præſcript.* & tenuit Rota *in vna Toletana annatarum*, die 16. Februar. 1581. coram bon. mem. Cantuccio.†

†eſt dec.139. in impreſſis diu.part.2.

In caſu autem propoſito, ex ſupradictis conſtabat de poſſeſſione, & vſu reſpectu aliquorum actuum.

Non obſtabat præterea Archiepiſcopos Montis Regalis nunquam viſitaſſe Eccleſiam Cathanienſem, nec conuocaſſe Epiſcopos ad cilia prouincialia.

Quia reſpondebatur, ex actu negatiuo, in his, quæ ſunt meræ facultatis, non acquiri poſſeſſionem, aut non vſum in contrarium. Verallus *deciſ.*306.*num.*7.*part.*1. & præſertim, cùm non conſtaret de probatione, & patientia Archiepiſcoporum, ſine quibus non acquiritur libertas à ſubiectione. Alexander *conſil.*136. *num.*19. *lib.*2. Purpuratus *conſil.*665. *num.* 3. nec ſufficeret docere de non vſu ſubiectionis, niſi probaretur, præterea ſubiectionem fuiſſe alteri quæſitam, cùm reſpectu ſuffraganei libertas videatur impræſcriptibilis, niſi alteri acquiratur. Verallus *d. deciſ.*306. *num.*7. *part.*1. 14.

Poſtremò non obſtabat præſcriptio, quia deberet eſſe immemorabilis, & hæc non probabatur per teſtes deponentes * ad ſummum de 25. vel 30. annis citra, & tamen debebant deponere, iuxta requiſita explicata à gloſſa *in cap.*1. *in verb. titulum de præſcription. lib.*6. per ſcripturas autem licet eſſent in forma probanti, † immemorabilis probari non poterat. Alexander *conſil.*16.*num.*17. *lib.*5. & fuit deciſum *in cauſa Veronen. iuriſdictionis die* 18. *Martij* 1596. *coram Domino meo Pamphilio.* 15.

* de hoc art. latè agit Ludou.dec.196. n.1.& annot. lit. A. & deciſ. 252. n.3. & 15. & deciſ.449.n.9. † adde Lud. dec.51. n. 4. quando autem probetur immemorabilis per ſcripturas, vide ibidem in annot.n.6.

---

## *Corduben. gabellæ.*

### Die Sabbati 23. Ianuarij 1599.

SVMMARIVM.

4 *Subrogatio iudicis tantum durat, quantum iuriſdictio primi, in cuius locum fuit ſubrogatus.*

5 *Excommunicatio pro delictis futuris non poteſt imponi.*

6 *Executoriales antiquæ Rotæ de ſtylo non exequuntur, niſi priùs examinato eorum proceſſu.*

## DECISIO DCCXXXV.

ANno 1516. bon. mem. Mercurius Vipera, Rotæ Auditor, procedendo per audientiam contradictarum contra gubernatorem, vulgo *Corregidor*, & Rectores, ſeu iuratos, vulgo *veinte y quatro*, appellatos, ciuitatis Cordubenſis, ad fauorem Decani, & Capituli Eccleſiæ Cordubenſententiam tulit, eo quòd anno 1512. impoſuerant quandam gabellam, *ſiſam* nuncupatam, & voluiſſent perſonas Eccleſiaſticas ad illius ſolutionem compellere, qua tranſeunte in rem iudicatam, decretæ fuerunt litteræ executoriales, & prædictis Gubernatori, & iuratis intimatæ, quibus cùm nedum non paruiſſent, ſed aliam quandam ſiſam ſuper vino, carne, oleo, & aliis pro victu neceſſariis impoſuiſſent, & perſonas Eccleſiaſticas ad contribuendum coëgiſſent, Capitulum, & clerus nouam commiſſionem obtinuerunt, tam ſuper incurſu cenſurarum, & pœnarum, in litteris executorialibus contentarum, & per Romanos Pontifices impoſitarum, quàm ſuper vexationibus, & damnis; præmiſſorum occaſione eiſdem perſonis illatis, 1.

latis, & inferri comminatis, ac paulo etiam pòſt, alia commiſſione obtenta, manu propria Sanctiſſimi ſignata, eidem Auditori, & ſubrogato, ac ſubrogando committi obtinuerunt, vt conſtito ſibi ſummariè de prædicta ſententia, & executorialibus, & illarum intimatione, niſi prædicti Gubernator, & iurati, à moleſtiis clero illatis, ſuper exactione ſiſæ, verè & realiter ceſſarent, eos excommunicatos declararet, aggrauaret, & reaggrauaret.

2\. Et quamuis Capitulum, & clerus ad redimendam vexationem, ad quandam concordiam, cum prædictis Gubernatore, & iuratis deueniſſet, illa tamen non fuit obſeruata, nec à Sede Apoſtolica confirmata, quinimo prædicti miniſtri laici contrauenientes, & nouam gabellam imponentes, ac perſonas Eccleſiaſticas in ea fuiſſe comprehenſas, declarantes, cauſam dederunt, vt Capitulum, & clerus nouam commiſſionem impetrarent, per quam cauſa fuit commiſſa bon. mem. Iacobo Puteo, vti ſubrogato in locum Mercurij Viperæ; huius commiſſionis vigore, Puteus ad vlteriora procedendo, mandatum de exequendo prædictas litteras executoriales conceſſit, quibus notificatis, miniſtris prædictis, & ſucceſſiuè anno 1542. ſeruatis terminis ſubſtantialibus, ad docendum de paritione, ea non oſtenſa, ſententia declaratoria fuit contra eos lata, ac proceſſum ad vlteriora, vſque ad brachium ſeculare, cui tandem Gubernator, & iurati paruerunt.

3\. Modi verò, poſt tot annos elapſos, cùm Gubernator, & iurati ciuitatem nunc regentes, aliam gabellam impoſuiſſent, & perſonas Eccleſiaſticas, ad contribuendum compellere voluiſſent, & Capitulum, & clerus prædictas antiquas litteras executoriales eis intimaſſent, & reproducta notificatione, & non ducto de paritione, à me tanquam ſubrogato in locum Viperæ, & Putei, petiuiſſent eoſdem Gubernatorem, & iuratos, ob non paritionem excommunicatos declarari, dato ſuper ea re dubio, Rota declaratoriam denegauit, ex ſequentibus.

4\. Primò, quia executoriales ſemel habuerunt effectum, & decuriones tunc Putei ſententiæ paruerunt, quæ cùm fuerit executioni demandata, expreſsè putabatur, iuriſdictio competens vigore commiſſionis Puteo datæ, cùm ſubrogatio * non videatur habere locum, niſi durante iuriſdictione primi iudicis, in cuius locum ſubrogatur ſecundus.

*ſubrogatus enim nihil plus iuris habere poteſt, quàm ille, in cuius locum ſubrogatur, Ludou. deciſ. 544. n. 38. & fuit dictum in Hiſpalen. præeminentiarum 24. Iunij 1614. coram Sacrato, impreſſa per March. de commiſſ. p. 2. pag. 497. num. 6.

Secundò, quia ſententiæ Viperæ, & Putei videbantur reſtrictæ ad impoſitiones gabellæ, tunc factas ibi, *de & ſuper impoſitione, atque exactione certarum Datia gabellæ ſuæ nuncupatæ*, & ibi, *moleſtationes præſtitas, & ſic de præterito*.

Tertiò, quia in ſententiis legebatur, quòd futuri Decuriones poſſent excommunicari, vigore executorialium, propter exactionem gabellarum imponendarum, id quod nec iure quidem fieri poterat, *cap. Romana. §. caueant, ibi pro futuris culpis, de ſentent. excommun. lib. 6.* vbi gloſſa *in verb. futuris*, rectè admonet, ſtatutum condi poſſe pro futuris delictis, puniendi delinquentes, pœna excommunicationis,
5\. † ſententiam autem eodem modo proferri non poſſe.

† adde infrà dec. 803. n. 3.

Poſtremò conſiderabatur, iſtas executoriales fuiſſe antiquas, & conſequenter iuxta Rotæ ſtylum, non debuiſſe executioni demandari, niſi priùs examinato eorum proceſſu, vt fuit deciſum *in cauſa Tudertina bonorum*, coram bon. mem. Domino de Rubeis anno 1567. *& in cauſa Beneuentana decimarum*, die 15. Maij 1592. * coram me. 6.

* ſuprà dec. 286. & adde Seraph. dec. 138. n. 6.

Concluſerunt itaque Domini, vel nouum iudicium firmandum, ſuper noua gabellæ, ſiue ſiſæ impoſitione, vel nouam commiſſionem obtinendam, exemplo maiorum, quæ in hac cauſa multas commiſſiones obtinuerunt, vt patet ex prædictis.

---

## *Toletana penſionis.*

### Die Lunæ 1. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria datur in quacunque inſtanti etiam ſine fumo, dummodo ſit releuans.*

2 *Remiſſoria non datur contra propriam confeſſionem.*

3 *Confeſſio anteceſſoris in beneficio non nocet ſucceſſori, ſi non fiat in iudicio.*

4 *Errorem ſuæ confeſſionis ad probandum, conceditur Remiſſoria.*

5.6 *Anteceſſoris in beneficio confeſſio non nocet ſucceſſori.*

## DECISIO DCCXXXVI.

Rota cenſuit Remiſſoriam fuiſſe concedendam Gaſpari Morales, Rectori Eccleſiæ de Tomeloja, ad probandum penſionem Ducatorum 250. fuiſſe extinctam per Melchiorem Cornel, ſuum in prædicta Rectoria anteceſſorem: tum, quia cauſa agebatur in tertia inſtantia, & in profanis datur Remiſſoria * in quacunque inſtantia, etiam ſine fumo, dummodo ſit releuans, tum quia articuli, ſuper quibus petebatur, erant releuantes, cùm articularetur, penſionem fuiſſe extinctam per Melchiorem. Verallus *deciſ. 68. part. 3.* 1.

* adde ſuprà dec. 649. n. 1. vbi alias dec. annotaui.

Non obſtabat quòd Remiſſoria dari non debeat, contra propriam confeſſionem, † quo fundamento Rota *in hac eadem cauſa*, coram Domino meo Litta die 29. Maij anni præteriti 1598. Remiſſoriam denegauerat; quia Melchior in teſtamento confeſſus fuerat, * ſe non extinxiſſe penſionem. 2.

† vide Mant. deciſ. 39. & Dur. dec. 214. n. 3. & ſeq.

* confeſſio defuncti nocere non poteſt ſucceſſori, qui non conſtat eſſe hæredem, Cocc. deciſ. 343. n. 2.

Quia reſpondebatur, quòd cùm non ipſe Melchior, ſed Gaſpar in Rectoria ſucceſſor, Remiſſoriam peteret, confeſſio anteceſſoris, præſertim non facta in iudicio contentioſo, nec Melchiori ſucceſſori, † nec Eccleſiæ nocere poterat. Abbas *in cap. final. num. 44. verſ. ſecus ſi per viam*, & *ibidem* Pariſius *num. 54. In tertia concluſione, de præſcript.* & ſicut principali non denegaretur Remiſſoria, ad probandum errorem ſuæ confeſſionis. * Puteus *deciſ. 6. tit. de dilationib. in manuſcript.* Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de Remiſſoria. §. 17.* incip. *Ad reuocandam*; eodem modo, ac multo minus denegari debuit ſucceſſori, ad probandam falſitatem declarationis factæ in teſtamento, per Rectorem anteceſſorem. 3. 4.

† adde Rot. recen. part. 1. dec. 700. n. 6. & deciſ. 334. n. 2. & deciſ. 480. n. 4. & Rotam diu. part. 3. lib. 3. dec. 46. n. 5.

* adde Lud. dec. 523. n. 4. & 5. quia cõfeſſio erronea non præiudicat, Duran. dec. 314. n. 12. Cocc. dec. 305. n. 3. Rot. diu. p. 1. dec. 83. n. 2.

Minus obſtabat, quòd in partibus fuerant plures teſtes examinati, * & eorum dicta publicata cum prædeceſſore. Quoniam reſpondebatur, Gaſparem Rectorem, agentem nomine ſuæ Eccleſiæ, ad eam ſoluendam ab onere penſionis reſtituendum, ad faciendas legitimas probationes, Innocentius *in cap. auditis, num. 2. de reſtit. in integr.* Gabriel *de teſtib. concluſ. 21. n. 46. & 47.* & fuit reſolutum *in cauſa Vigleuanen. locationis*, die 5. Maij 1593. coram Domino meo Corduba.



5\. *quo caſu denegatur remiſſoria propter ſuſpicionẽ calumniæ, vt per Mantic. dec. 374. n. 4. & ſuprà dec. 376. n. 2. vbi alias dec. annotaui.

6\. Poſtremò, optima ratio ſuadebat, in ſimilibus caſibus, vel Remiſſoriam, vel facultatem probandi concedendam; nam ſi ſub prætextu declarationis, ab aliquo factæ denegaretur, in poteſtate cuiuſlibet eſſet, faciendo declarationem ad ſuum fauorem, adimere legitimam probandi facultatem: & maximè in hoc caſu, in quo multæ præſumptiones adducebantur, ad probandam falſitatem prædictæ declarationis, factæ per Melchiorem.

---

## *Dertonen. iuriſpatronatus.*

### Die Lunæ 8. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

4 *Deuolutum non dicitur beneficium, ſi lis inter præſentatos extinguat tempus.*

5 *Deuolutio beneficij non inducitur per dilationem iudicis, in conferendo, ſi intra tempus fiat præſentatio.*

## DECISIO DCCXXXVII.

1\. Vacante Capellania de iurepatronatus laicorum Sancti Antonij, in Eccleſia Sancti Germani in Ripanazaria, die 23. Nouembr. 1597. tres patroni Antonium Mariam Bonamicum, ſex verò compatroni Antonium à Sancto Nazario, vnum de Patronis, & quædam Argentina Loſta, Carolum Antonium Loſtam, ad eam intra terminum quatuor menſium præſentarunt.

2\. Lite inter præſentatos orta, eaque diu coram ordinario Dertonen. agitata, quamuis ſæpe fuiſſet ab eo petitum, vt ſuper ea pronuntiaret, expectato tamen lapſu quatuor menſium, idem Ordinarius eandem Capellaniam, tanquam ad ſe deuolutam, non Antonio Mariæ tres voces habenti, neque Antonio à Sancto Nazario à ſex patronis præſentato, ſed Carolo Antonio Loſtæ, qui vnicam vocem habuerat, contulit.

3\. Antonius Maria Bonamicus, à prædicta collatione appellauit, & cauſa commiſſa in Rota, & decreto proceſſu per audientiam contradictarum, præſuppoſito iurepatronatus, & prædictis præſentationibus, datóque dubio, an fuiſſet locus deuolutioni, ad effectum, vt collatio Caroli Antonij Loſtæ ſuſtineretur, Rota vnanimiter non ſuſtineri cenſuit: ratio fuit, quia cùm non eſſet controuerſia ſuper exiſtentia iuriſpatronatus, ſed lis agitaretur inter præſentatos, * in tempore à iure patronis ad præſentandum conceſſo, ad effectum vt intelligeretur, quis eorum eſſet præferendus, non erat hoc caſu Ordinario inſtituere debenti, præfixum à iure aliquod tempus, quo elapſo, fieret locus deuolutioni ad eius * fauorem. gloſſa *in cap. cùm in cunctis. §. 1. de electione*, Lapus *allegat. 78. num. 15.* Lambertinus *de iure patronat. lib. 2. parte 2. art. 9. primæ quæſtionis principalis, num. 14.* & Rebuffus *in praxi beneficiali tit. de deuolutione, num. 6.* 4.

*adde infrà decis. 804. & 890. in hac eadem cauſa vbi fuit confirmata hæc reſolutio.

* adde infrà dec. 896. n. 6.

5\. Ratio verò iſtius rationis æquiſſima in promptu eſt, quoniam ſi hac ratione fierent deuolutiones, in poteſtate collatorum Ordinariorum eſſet, differendo tempus, & lites prolongando, præiudicare patronis, in tempore præſentantibus, & Clericis ab eis præſentatis, inducendò deuolutionem per lapſum temporis, à iure præſcripti, ad effectum liberæ collationis. Lapus *dicta allegatione 78. num. 15.* & Lambertinus *loco præcitato, num. 20. & 24. & art. 11. num. 7.* quod maximè in facti ſpecie aſſerendum fuerat, in qua, ſæpe petitum fuerat ab Ordinario, vt pronuntiaret, nec aliquid poſſet imputari patronis, qui in tempore præſentauerant, qui propterea non debuerunt, ſui iuris & præſentationis fructu priuari.

---

## *Vrbeuentana bonorum.*

### Die Veneris 12. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Fideicommiſſum in contractibus fieri poteſt.*

3 *Præſeruatio in contractu appoſita, nihil de nouo in eo inducit.*

4 *Clauſula*, cum pacto, *appoſita in ſtipulatione, inducit contractum.*

5 *Clauſula*, omnia & ſingula, *&c. appoſita in ſcriptura, ad deducta in contractu eſt reducenda.*

## DECISIO DCCXXXVIII.

In hac cauſa fuerunt factæ duæ deciſiones, prima die 25. Maij 1598. * in qua fuit dictum, ſententiam Vicarij Vrbeuentani, tanquam fundatam in falſa cauſa, nempe in fideicommiſſo reuocato, fuiſſe reuocandam: altera die 14. Decembris * proximè præteriti, in qua fuit dictum, diuiſionem factam à patre inter filios non tranſiuiſſe in contractum, neque propter expreſſam reſeruationem prædicti fideicommiſſi iam reuocati, contentam in inſtrumento diuiſionis, fuiſſe iuſtificatum fideicommiſſum ſemel extinctum, & annullatum, quia in diuiſione non continebatur aliquod fideicommiſſum. 1.

* ſuprà dec. 689.

* ſuprà dec. 732.

2\. Cæterùm, quia hæc poſterior deciſio fuerat facta, vna tantùm parte informante, ideo propoſita iterum cauſa ad inſtantiam Dominorum de Mancinis, & vtraque parte informante, Rota in deciſis permanendum cenſuit; quia licèt fideicommiſſum in contractibus * fieri poſſit, *l. vt hæredibus. §. 2. ff. de legat. 2. l. quoties. C. de donation.* Baldus *conſil. 249. lib. 2. verſic. ſubſtitutio enim proculdubio.* Dominus Cardinalis Mantica *lib. 7. de coniectur. vltimar. volunt. tit. 8. num. 30.* Crauetta *conſil. 19. num. 8. lib. 1.* Decianus *conſil. 41. num. 17. lib. 1.* cum aliis in vltima deciſione allegatis, & diuiſio hæc contineret contractum, cùm concurreret denominatio contrahentium ſtipulatio, obligatio, & irreuocabilitas, quæ vltimæ voluntati ambulatoriæ vſque ad mortem penitus repugnant, vt fuit

* adde ſuprà in d. deciſ. 732. n. 2. & infrà deciſ. 814. n. 2.

fuit deciſum *in cauſa Vrbeuentana Caſtrorum*, die 24. Ianuarij 1575. coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore.

3. Placuit tamen ratio deciſionis, quia in caſu propoſito nihil erat diſpoſitum reſpectu fideicommiſſi, ſed ſolùm præſeruabatur, & præſerua-
* adde ſuprà in d. deciſ. 732.n.5. tio * nihil de nouo inducit.

Neque obſtabat relatio ad fideicommiſſum, quia illa cenſebatur facta ſolùm ad effectum præſeruandi, non autem diſponendi.

4. Rurſus non obſtabant illa verba, *cum pacto*, quibus indicari videbatur, idem illud fideicommiſſum in hoc contractu fuiſſe inductum, Crauetta *conſ.* 14.*num.*6.*&* 14. Mandellus *conſil.*459. *num.*6.*& ſeq.lib.*3.

Quia ſimiliter dicebantur intelligi de pacto præſeruandi, vt paulo pòſt in eodem inſtrumento diuiſionis exprimebatur.

5. Poſtremò non obſtabat clauſula, *omnia & ſingula*; quia illa non ampliat, ſed referebatur ſolùm ad præſeruationem fideicommiſſi, ad effectum, vt non poſſet opponi, per diuiſionem fideicommiſſo fuiſſe renunciatum.

---

## *Romana Vineæ, ſeu fideicommiſſi.*

### Die Veneris 12. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

1 *Monaſterium comprehenditur ſub conditione,* ſi ſine liberis deceſſerit, *& excludit ſubſtitutum.*
3 *Theatini ſunt capaces ſucceſſionis in communi, & num.*5.*&* 6.
4 *Succeſſionis incapax dicitur ille, cui expreſſa prohibitio retinendi proprium datur.*
5 *Obligationem non inducit actus voluntarius.*
7 *Succeſſionis videntur incapaces Theatini.*
8 *Actus humani menſurantur ex voluntate, & poteſtate.*
9 *Abſtinere ſe ab aliquo actu, de iure idem eſt, ac omnino repudiare illum.*
10 *Subſtitutio fideicommiſſaria continet vulgarem, ſi non potuerit. vel noluerit adire.*
11 *Adire non poſſe, vel nolle hæreditatem, paria ſunt.*

## DECISIO DCCXXXIX.

1. * ſuprà dec. 698. DIe 12. Iunij ſuperioris anni 1598. * Rota cenſuit, ſententiam latam per A. C. ad fauorem Dominorum de Pamphiliis fuiſſe reuocandam, ſi Religio Theatinorum eſſet ſucceſſionis incapax, quoniam licèt recepta ſententia ſit,
* adde ſuprà in d. deciſ. 698. n. 4. & infrà deciſ. 870.n.10. Monaſterium comprehendi ſub conditione, *ſi ſine filijs deceſſerit*, & excludere ſubſtitutum, * ea tamen non habet locum, quando Monaſterium, ſeu religio eſt incapax ſucceſſionis, tunc enim excluſo Monaſterio ſubſtitutus admittitur.

2. Vnde ſi in caſu propoſito, Religio Theatinorum erat incapax ſucceſſionis, Claudia Florentia, vigore fideicommiſſi cenſebatur ad hanc vineam vocata, quia Rodulphus, Claudiæ fra-ter, per ingreſſum huius Religionis, ſucceſſionis incapacis, cenſebatur mortuus ciuiliter.

Quia verò difficultatis huius ſolutio pendebat à regula Theatinorum, ideo habita illius copia, Dominis data fuit, ſed cauſa propoſita, ſuffragiis diſſentientibus reſolutio capi non potuit.

Domini enim, qui confirmandam ſententiam 3.
opinabantur, verbis regulæ adhærebant. nam *parte* 2. *conſtitutionum cap.* 1. *§. licèt nos*, cautum extat, quòd licèt Theatini, neque per profeſſionem, neque per ſacros Canones annuos redditus in communi poſſidere prohibeantur, imò decreto Concilij Tridentini id expreſsè illis concedatur, nihilominus tamen, vt magis à negotiis ſecularibus reddantur alieni, & Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem imitentur, voluntariè tamen, & abſque vllo obligationis vinculo, à poſſidendis bonis in communi abſtinent. Vnde cùm conſtitutio non inhabilitet Theatinos, conſequitur eorum religionem eſſe ſucceſ-
ſionis capacem: nam ad effectum, vt ſit incapax, 4.
expreſſa prohibitio retinendi proprium erat neceſſaria. Francus *in cap.*1. *§. confirmatos, verſ. ſed etiam quòd ſit, num.*4.*de religioſ. dom.lib.*6. Berous *conſ.*19.*num.*30.*lib.*1. Gabriel *conſ.*28. *num.*2.*verſ. mendicantes verò ſunt, lib.*1.

Præterea, cùm conſtitutio ſit in mera volun- 5.
luntate fundata, expreſséque vinculum obligationis excludat, non poteſt dici, Theatinorum religio ſucceſſionis incapax, quia actus voluntarius non inducit obligationem. *l.* 1. *§. ſi tibi fundum. ff. de itinere, & act. priuat. l. voluntariè*, & gloſſ. *in verb. voluntariè.C.de excuſ.tutor.* Crauetta *conſ.*317.*num.*5.

Poſtremò, obſeruantia etiam ſubſecuta vide- 6.
batur excludere incapacitatem, quia informantes pro Pamphiliis, commorabant, eos fuiſſe ſolicitos exigere vnum Canonem, ſuper hac eadem vinea, & alios etiam exigere: ex aduerſo autem Domini, qui profitebantur contrariam ſententiam, nitebantur ſequentibus rationibus.

Prima, quia cùm Theatini ſponte de capaci- 7.
bus, & habilibus, reddiderint ſe incapaces, & inhabiles, conſequenter facti ſunt inſucceſſibiles, cùm ex voluntate, & poteſtate, actus humanos metiamur. Rolandus *conſil.* 39. *num.*20. *&* 21. *lib.*1.

Secunda, quia pro hac etiam parte allegaba- 8.
tur antiqua obſeruantia, per quam iſta religio ſemper voluit abſtinere à ſucceſſoribus bonorum immobilium, abſtinere autem de iure, omnimodam repudiationem videtur ſignificare. *l. is poteſt. ff. de acquirend. hæreditat.* vbi Bartolus *num.*4.*verſ. fallit in his.* & in terminis eorum, qui voluerunt paupertatem, idem Bartolus *in l. ſi in metallum, num.*2.*. ff. de his quæ pro non ſcriptis*, vbi concludit, quòd eo caſu hæreditas defertur ad venientes ab inteſtato.

Tertia, quia ſufficit, religionem ex ſola con- 9.
ſuetudine fieri incapacem. Boërius *deciſ.* 354. *num.*8.*&* 11.

Poſtrema ratio erat, quia iſta recuſatio Thea- 10.
tinorum ſatis ſufficiens videbatur, vt fieret locus ſubſtitutioni fideicommiſſariæ, cùm iſta vulgarem contineat, ſi non potuerit, aut adire noluerit, *l. iam hoc iure*, cum *ibi* notatis, *ff. de vulgar.& pupill.ſubſtit.*

Et



11. Et propter hanc præcipuè rationem, aliqui ex Dominis tenebant hanc ſententiam, etiam circunſcripto articulo incapacitatis, vt ſcilicet ſubſtitutus admitti ad ſucceſſionem debeat ex capite noluntatis, quia paria ſunt non poſſe, vel nolle. *l.*3.*C. de hæredit. inſtituend.*

---

## *Alexandrina Sancti Stephani.*

### Die Lunæ 15. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio inſtrumentalis, alio non exiſtente in poſſeſſione, eſt manutenenda.*
4 *Ratificatio mandato æquiparatur.*

## DECISIO DCCXL.

1. VTraque parte informante, dubitaui, an mandatum de manutenendo datum oblatis, eſſet reuocandum, concedendumque ſeminario Alexandrino? & Rota reuocandum cenſuit, quia licèt aliàs coram Domino meo Litta, oblatis conceſſum fuerit, eo potiſſimum nomine, quòd de eorum poſſeſſione inſtrumentali conſtabat, capta die 11. Martij 1583. & inſtru-
2. mentalis poſſeſſio, alio non exiſtente in poſſeſ-
* vt fuit dictum ſuprà dec. 708.n.2. vbi alias dec. annotaui. ſione, ſit manutenibilis: * nunc tamen huic fundamento non erat locus, ex quo pro parte ſeminarij oſtenſum fuerat, ſe tunc in poſſeſſione fuiſſe, quam ceperat anno 1581. & conſequenter poſterior oblatorum poſſeſſio inſtrumentalis, non poterat manuteneri, *l. peregrè. §. quibus. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Decius *conſil.* 400. *num.*9. *verſic. quarto & vltimo*, Gozadinus *conſ.*86. *n.*10. quod ex communi, & recepta Rotæ obſeruantia, nullam habet difficultatem.

3. Neque obſtabat, quòd non conſtaret de mandato illius, qui nomine ſeminarij acceperat poſſeſſionem, quoniam reſpondebatur, ſeminarium
* adde Dur. dec.64.6. poſſeſſionem ſuo nomine captam, multis * actibus poſitiuis ratificaſſe, nempe fructus percipiendo, & Miſſam in feſtiuitate Sancti Stephani
4. celebrando, & aliam Miſſam in qualibet heb-
* adde Cau. dec.630.n.7. dec.642.n.6. Coccin. dec. 378. n. 6. & infrà deciſ. 1253.n.3. in tom.2. quod extende, etiã ſi ſit neceſſarium mandatum ſpeciale, vt per Ludouiſ.dec. 295.n.4.&6. & deciſ.525. n. 4. & 5. & Rotam rec. p.1.dec.275. n.4. domada celebrari curando; ratificatio * enim mandato æquiparatur. *l. finali. C. ad Macedon.* Decius *conſil.*58.*num.*1. & per ratificationem acquiri poſſeſſionem voluit Decius *conſil.* 226. *num.*6.*& num.*16.*verſ. & ita ex omnibus*, per textum *in l. communis ſeruus. §.*1. *ff. de acquirenda poſſeſſione.*

Præterea non obſtabat, quòd cùm beneficium, de quo agebatur, eſſet vnitum Abbatiæ Sanctæ Iuſtinæ, & ab illa poſſideretur, tanquam membrum, non potuit ſeminarium acquirere validam poſſeſſionem, quia reſpondebatur, adhuc de vnione non conſtare, & conſequenter non poſſe in eo fieri fundamentum.

Atque ex his fuit concluſum, mandatum conceſſum oblatis fuiſſe reuocandum.

An autem ſit concedendum ſeminario, Domini particulariter videre voluerunt.

---

## *Bononien. Pecuniaria de Calderinis.*

### Die Lunæ 15. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

3 *Commiſſio nullam tribuit iuriſdictionem.*

## DECISIO DCCXLI.

DIe quarta Nouembris ann. præteriti 1598. 1.
* Rota vtraque parte informante cenſuit, * ſuprà dec. 721.
ſententiam Prætoris Bononienſis fuiſſe infirmandam, ex capite nullitatis, ex eo, quòd cùm cauſa fuiſſet commiſſa Prætori cum voto Auditorum Rotæ Bononien. & Vicarij Curiæ Archiepiſcopalis Bonon. decidenda, reperiebatur lata abſque voto Vicarij: iuſtam tamen ſententiam Prætoris hoc tribunal pronuntiauit; cauſa tamen propoſita, Domini, quoad nullitatem ſen-
tentiæ Bononien. à deciſis receſſerunt: * reſpe- * adde infrà dec.777. vbi confirmata hæc reſolutio.
ctu autem iuſtitiæ, iterum proponendum, & diſputandum voluerunt.

Nullitas enim ex defectu requiſiti ſuffragij à
Vicario tollebatur ex inſtrumento, in forma 2.
probante exhibito, & ab eodem Notario cauſæ extracto, ex quo apparebat, quòd menſe Martij 1596. ante prædictæ ſententiæ prolationem fuerat præſentata alia commiſſio, vt idem Prætor procederet, & cauſam terminaret, cum voto ſuorum coadiutorum tantùm, abſque voto dicti Vicarij.

Neque huic deciſioni obſtabat, quòd non fue- 3.
rit citata Domina Virginia Coſpia, ad dicendum
contrà, prout erat neceſſarium, * cùm aliàs nec * adde Coc. dec.169.n.4. Ludouiſ.dec. 127. n. 1. & dec.137.n.1. † ſuprà dec. 224.n.2.
commiſſio fiat de actis, nec aliquam tribuat iuriſdictionem. Caſſadorus *deciſ.*7. *in fine, de appellat.* & fuit deciſum coram me *in cauſa Placentina fideiuſſionis*, die 22. Maij 1592. † verſ. quam limitationem.

Quia reſpondebatur, ex relatione Nuntij conſtitiſſe, Dominam Virginiam, ad inſtantiam Dominorum de Calderinis fuiſſe citatam, ad informandum ſuper ſignatura danda commiſſioni, & ad alia; &c. inter quæ aderat petitio dictæ comiſſionis, cum mentione ad contradicendum, quod Dominis viſum eſt ſufficere, ad prætenſum defectum tollendum.

---

## *Bononien. cenſus.*

### Die Lunæ 10. Februarij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Cenſus impoſitio, vt ſit legitima, requiritur, vt interueniat pecunia numerata, coram Notario, & teſtibus.*
*& aliter facta, eſt vſurarius contractus, num.*3.
4 *Cautelam ad conſtructionem cenſus inuenies.*
5 *Pecuniæ numeratio actualis requiritur in impoſitione cenſus.*
6 *Notarij aſſertio dicentis, pecuniam numeratam*

interue

*habetur hęc dec. impreſſa per Cēcium, poſt tr. de cē. ſi. dec. 127. n. 1. & 2. per Farinaciū poſt tom. 2. conſ. dec. 732.
† ſuprà dec. 716.

*interueniſſe in impoſitione cenſus, veram numerationem probat.*

9 *Alienationes facta à decoctis per vnum annum, & 15. dies ante decoctionem, præſumuntur ficta.*

10 *Præſumptio, & ſimulatio tollitur ex veritate rei.*

## DECISIO DCCXLII.

1.
* habetur hæc cōſtitutio in Bullar. Cherubini tō. 2. in cōſt. Pij V. conſt. 79. §. 2. fol. mihi 270.

DIe 19.*Octobris anni præteriti 1598.† hæredibus Stephani Garberini ſolùm informantibus, Rota ex cap. nullitatis, & iniuſtitiæ, nemine diſcrepante, ſententiam latam ab Auditore Turroni, Curiæ criminalis Bononien. reuocandam cenſuit.

2.
† adde Rot. in impreſſis per Duardū poſt tom. 2. commen. ad d. conſtitut. Pij V. deciſ. 118. num. 2. & dec. 120. n. 2. & ſeq.

In hac autem propoſitione, vtraque parte informante, in deciſis permanendum etiam pronuntiauit.

Et quia circa caput nullitatis tunc deductæ, deciſio placuit Dominis, circa iniuſtitiam facta fuit diligens diſceptatio.

3.
* adde Coc. dec. 208. n. 3. & Rotā rec. p. 2. dec. 219. n. 2. & vtrobiq; ad propoſitum hæc dec. allegatur, & vide eandem Rot. rec. p. 1. dec. 468. n. 4. & 5.

Et quoniam informantes pro Valerio Faſauino, inhærentes conſtitutioni * fel. record. Pij Papæ V. ſuper creandis cenſibus editæ, requirentis pro fama, quòd in actu conſtitututionis cenſuum interueniat pecunia numerata † coram Notario, & teſtibus, ex dicto potiſſimum inſtrumento conabantur oſtendere, non interueniſſe veram numerationem, * conſequenter inferebant, ab initio cenſum non valuiſſe, quoniam conſtitutio, contractus cenſuales aliter celebratos inualidos, illicitos, & fœneratitios declarat; quòd autem in caſu propoſiro non interuenerit actualis pretij numeratio, informantes pro Valerio ex eo deducere conabantur, quoniam in inſtrumento nullum aderat de numeratione † pecuniarum verbum; imò verò, ad oſtendendam non numerationem, non potuiſſe Notarium melius formare inſtrumentum, quàm formauit, apponendo ſcilicet verba, quæ id ſignificare viderentur, iuxta cautelam Bartoli *in l. ſingularia, num. 23. ff. ſi certum pet.* vbi inſtruit Notarios, ne dicant *numerauit*, niſi interueniente numeratione, quam cautelam laudarunt alij, Bartolum ſecuti, nempe Iaſon *in d. lege, ſingularia, num. 53.* Alexander *conſil. 179. num. 4. in fine, & num. 6. lib. 2.*

4.
† de quo art. vide Rotā in vna Panorm. ſeu Agrigēti. reſciſſionis contract. 13. Iun. 1575. corā Blanchet. impreſſa, per Far. poſt tō. 1. conſ. dec. 10. n. 10. & immediatè ſequentē inibi coram Litta quæ incipit, Demum coram Litta.

Cæterùm Domini, omiſſo nunc illo articulo, an ſufficiat numeratio per depoſitum penes mercatorem, * ita vt conſtitutioni ſatisfieri poſſit, per æquipollens, circa quem maior pars Dominorum in negatiuam ſententiam inclinabat, quia conſtitutio pro forma requirit numerationem, † & ad tollendas fraudes, non videtur admittere alios modos ad ſoluendum pretium pro cenſu, quàm per realem, & actualem pretij numerationem * in ipſo actu confectionis inſtrumenti, & celebrati contractus.

5.
* licèt non interueniat pecunia numerata, ſi tamen conſtat pretium perueniſſe realiter ad manus creditoris, ſuſtinetur impoſitio cenſus in terminis conſtitutionis, vt declarauit Rota, & habetur in impreſſis per Duardum in commentar. ad Extrauag. Pij V. poſt tomum 2. dec. 92. n. 6.
† adeo, vt partes non poſſint renunciare numerationem pecuniæ in impoſitione cenſus, vt per Caual. dec. 406. n. 3.

Ex duobus tamen putabant, in contractu, de quo agebatur, veram & realem numerationem pretij, in actu celebrationis prædicti contractus interueniſſe; primò, quia Notarius aſſeruerat, Ioannem Andream pretium dediſſe, & manualiter ſoluiſſe, his verbis: *interueniente pretio ſcutorum 4. m. quod quidem pretium, totum & integrum Ioannes Andreas, vti agens Stephani Garberini, de pecunijs Stephani, in tantis bonis ſcutis aureis, exiſtentibus penes banchum Dominorum de Scappis, ad banchum dedit, & manualiter ſoluit Antonio de Spontibus præſenti, in tantis bonis monetis aureis boni auri, & iuſti ponderis, ad dictam, & tantam ſummam aſcendentibus, prout ſic illas recipiens,* &c. *dixit,* &c. *& renuntiauit,* &c.

Iſta enim verba aſſertiua erant Notarij, & non ſolam confeſſionem, (vt ex aduerſo prætendebatur,) ſed veram numerationem * probare videbantur. Baldus *in l. ſi ex cautione, n. 14. verſ. & ideo probant veram numerationem. C. de non numer. pecun.* Bartolus *in l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus, num. 3.* quem ſequitur *ibi* Alexander *n. 14. verſ. quia quando Notarius, ff. de verbor. oblig.* & fuit deciſum coram Domino meo Millino *in cauſa Florentina bonorum,* die 17. Aprilis 1592. 6.

* adde Mantic. dec. 302. n. 1. & latè Loter. de re ben. lib. 1. q. 38. n. 117. vbi ad propoſitū allegat hanc dec. & Lud. dec. 459. n. 4. & dec. 355. n. 5. & latè annot. n. 7. & dec. 157. n. 6. & deciſ. 375. n. 2. & vtrobiq; ad propoſitum allegat hanc dec. licèt annotetur die 24. Aprilis 1600. quia in illa diuerſus articulus fuit diſputatus.

Secundò, idem multo magis ſuadebatur ex illis inſtrumenti verbis, *prout illas ſic recipiens,* &c. *dixit,* &c. *& renuntiauit,* &c. quoniam iſtæ dictiones cæteratæ, in ſimilibus inſtrumentis, in ciuitate Bononienſi, (vt conſtitit ex formulario extenſionum clauſularum Bononiæ, impreſſo anno 1582. & Dominis oſtenſo,) ita extendi ſolent. *Recipiens, ad ſe trahens, & penes ſe retinens, dixit, aſſeruit, confeſſus fuit, & publicè recognouit illud tot, & tantum fuiſſe, & eſſe, totumque integrum habuiſſe, & recepiſſe, & ad abundantem cautelam, renuntiauit exceptioni non numerati, & penes eum, non dimiſſi, & non relaxati dicti pretij, & alteri cuicumque, quàm in prædictis quomodolibet opponere poſſet.* Hactenus ibi; ex his enim dicebant Domini, concludenter probari pecuniam, pro pretio cenſus ſoluendam, fuiſſe præſentem; quia non potuiſſet recipiens ad ſe illam trahere, niſi præſens fuiſſet. Neque obſtabant ſubſequentia verba renunciationis, non numeratæ pecuniæ, quia illa (vt ex practicis notum erat) apponi ſolent, etiam vbi pecunia numerata interuenit, vt in caſu propoſito. 7.

Non obſtabant teſtes, quibus Auditor Turroni contra Garberinos pronuntiauit, quia cùm fuiſſent examinati, pro informatione Curiæ, nihil probabant, vt in deciſione * dictum fuerat, & fuerat etiam deciſum *in cauſa Coimbrien.* † *Decanatus,* die 19. Nouembr. 1593. coram Domino meo Millino.

* ſuprà in d. dec. 716. n. 9.
† habetur in impreſſis per Farinac. poſt tom. 1. conſ. dec. 95. n. 3.

Rurſus non obſtabant illa verba, *in tantis bonis ſcutis aureis exiſtentibus penes banchum,* quia ſignificabant, ſolutionem fuiſſe factam de pecuniis habitis à bancho, & quæ priùs erant in bancho; quoniam non poterat aliàs conſiſtere, quod Notarius aſſerebat, ſolutionem fuiſſe factam in tot ſcutis, manualiter Antonio ſolutis, & Antonium recepiſſe, ſi illa pecuniarum ſumma tunc non erat præſens, ſed in bancho. 8.

Præterea non obſtabat ſtatutum vniuerſitatis mercatorum ciuitatis Bononien. ſub rubrica 72. quo cauetur, alienationem * bonorum, rerum, & iurium decoctorum factam à decoctis, per vnum annum, & 15. dies, ante decoctionem, præſumi fictam, & ſimulatam, & creditoribus non nocere. 9.

* adde Rotā in vna Bononien. bonorū 14. Iun. 1600. coram Sacrato impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſil. deciſ. 157.

Quia reſpondebatur primò, in caſu propoſito non fuiſſe probatam decoctionem Antonij Spontoni intra annum.

Secundò reſpondebatur, præſumptionem ſimulationis, ex ſtatuto reſultans, fuiſſe ſublatam ex veritate, * & vera pretij ſolutione, Crauetta *conſil. 6. n. 70. & conſ. 35. n. 5.* quo caſu non erat locus ſtatuto, fundato in præſumptione, vt colligebatur ex eodem ſtatuto, in quo ita ſcriptum legebatur, *non apparendo altra proua, che giuſtificaſſè le predette coſe, eſſer fate veramente, & non per ſimulatione, nelle predetti caſi.*



10.
* adde Lud. deciſ. 157. n. 19. & deciſ. 195. n. 10. & ſeq. & deciſ. 459. n. 7. & habetur impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. dec. 282.

Ad alias leuiores obiectiones, propoſitas per informantes pro Valerio Faſanino, placuerunt Dominis reſponſiones datæ, per informantes pro Garbarinis.

---

## *Lucana Parochialis.*

### Die Lunæ 1. Martij 1599.

SVMMARIVM.

3 *Epiſcopus tenetur conferre Parochialem, magis idoneo ex approbatis ab examinatoribus.*

5 *Mores, & vitam appoſitoris ad Parochialem, tenetur Epiſcopus ante examen inquirere.*

6 *Beneficium vnitum perdit ſuam primæuam naturam, & aſſumit illam quam habet, cui eſt vnitum.*

## DISCVRSVS DCCXLIII.

1. NIhil fuit reſolutum, quia vtrinque aderant difficultates.

Vna erat, an concurſus eſſet factus ſeparatim, vel ſimul ad Parochiales vnitas: nam licèt edictum eſſet clarum, quòd concurſus deberet fieri pro omnibus ſimul vnitis: tamen in contrarium exhibebatur atteſtatio Ordinarij, & examinatorum, quam comprobabat obſeruantia ſubſecuta, quia ſtatim poſt concurſum Epiſcopus contulit vnam Parochialem Ioanni Granduccio, & poſtea contulit alteram Marco, qui eam ſine contradictione acceptauit.

2. Altera erat, vtrùm ex quo concurſus non fuit factus, pro omnibus ſimul vnitis, potuerit deinde Epiſcopus omnes conferre Ioanni: nam quum Marcus approbatus, tanquam magis idoneus, vnam acceptauerit, & conſequenter ſuper ea videretur acquiſiuiſſe ius conſiderabile, non potuit Epiſcopus illam Eccleſiam illi auferendo, alteri conferri.

3.
* de hoc art. vide Ludou. dec. 11. & latè annot. lit. E. & dec. 538. n. 1. & 6. Rotam rec. p. 1. dec. 40. præcipuè n. 4.
† ſeſſ. 7. c. 13. & ſeſſ. 24. cap. 18.

Tertia difficultas erat, an iudicium Epiſcopi fuiſſet irrationabile, ex quo, præferendo Marco Ioannem minus idoneum, ei contulit Parochiales: ex eo autem videbatur irrationabile, * quia Marcus fuerat ab examinatoribus iudicatus magis idoneus, & Epiſcopus examinatorum iudicium approbauerat, & conſequenter auferendo ei Eccleſiam, videbatur feciſſe contra formam Concilij Tridentini, † & conſtitutionis fel. record. Pij V. *

4.
* habetur in Bul. Cherub. tō. 2. in conſ. Pij V. conſt. 33. pag. mihi 219.

Neque obſtabant deciſiones in cauſa Rauenatenſi, & aliæ allegatæ contra Marcum, quia non procedebant in terminis, poſt approbationem ſemel factam ab Epiſcopo, & Eccleſiam approbato collatam.

Neque obſtabant, quæ dicebantur de moribus, & vita, quia Epiſcopus ante prouiſionem debuit de his inquirere, vt dicunt Canoniſtæ *in cap. licèt Canon. de elect. lib. 6.* 5.

Quarta difficultas erat, an Marco eſſet ius quæſitum, nam ſi Eccleſia ſibi collata erat alteri vnita, & vnio ſubſiſtebat, non videbatur acquiſiuiſſe aliquod ius, quia Eccleſiæ alteri vnitæ, & conſequenter non exiſtentis, non potuit acquiri ius, cùm non entis non ſint qualitates. *l. eius qui in Prouincia. ff. ſi cert. petat.* natura enim beneficij alteri vniti ſupponitur, & extinguitur per vnionem, & fuit prædium illius, * cui vnitur. *cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit.* gloſſa *in Clement. litteras, de præbendis*: ſecus autem erat, ſi Eccleſia Marco collata erat illa, cui aliæ fuerunt vnitæ, licèt hoc non procederet, ſi diſſolutio Eccleſiarum, facta per Epiſcopum, fuit valida. 6.

* adde Dur. dec. 303. n. 3. Ludouiſ. dec. 112. n. 5. Seraphin. dec. 645. n. 2.

Hæc dixerunt Domini diſcurrendo ſuper difficultatibus iſtius cauſæ, vt reſtringeretur ad aliquem articulum, ex quo poſſet faciliùs terminari.

---

## *Papien. bonorum.*

### Die Veneris 5. Martij 1599.

SVMMARIVM.

4. 5 *Canonem fundi qui ſoluit, tacitè fatetur illum poſſidere.*

6 *Probatio vaga, dubia, & æquiuoca rei, non debet excludere probationem concludentem actoris.*

## DECISIO DCCXLIV.

AD elidendam, & euertendam Eccleſiæ intentionem, fundatam in locationibus, & ſucceſſiuis affictuum ſolutionibus, & in duabus propalationibus, ſeu indicationibus factis in Cataſto anno 1552. & 1565. quibus Domini de Beccaria indicarunt, ſe pro bonis ſitis in territorio Reæ, ſoluere huic præbendæ lib. 7. & ſolitos decem pro perticis 980. & in aliis deductis, primò coram Domino meo Millino, & deinde coram Domino meo Decano, ex quibus fuit concluſum, conſtare de dominio Eccleſiæ, & bonorum identitate; Domini de Beccaria obtinuerunt Remiſſoriam, quam prætendebant docere, particularem acquiſitionem omnium bonorum, quæ poſſident in dicti territorio, vt inde concluderent, inter iſta bona non poſſe extare bona Eccleſiæ. 1.

Et propterea reproducta Remiſſoria, & dato dubio, petito per Dominos de Beccaria, an probaretur, eos & eorum maiores habuiſſe, & acquiſiuiſſe terras, & quòd in caſu, de quo agebatur, eoque vtraque parte informante propoſito, Rota cenſuit, probationem Dominorum de Beccaria non fuiſſe releuantem, cùm enim Eccleſia haberet fundatam intentionem in deciſionibus factis, & ſententiis ad ſuum fauorem latis, Domini de Beccaria, rei conuenti, ad euitandam reſtitutionem bonorum ab Eccleſia petitorum, concludenter probare tenebantur, ſe alio iure, & titulo poſſidere in Territorio Reæ bona, de quibus erat controuerſia. Ruinus *conſil. 50. num. 14. & 18. & 20. lib. 1.* Natta *conſil. 3. num. 8. lib. 1.* 2.

Ex

3. Ex inſtrumentis autem productis,pro Dominis de Beccaria non probabatur concludenter, bona per ipſos poſſeſſa in territorio Reæ, certo aliquo particulari titulo, qui intentionem Eccleſiæ neceſſariò excluderet poſſidere, nam quòd maiores Dominorum de Beccaria acquiſiuerint, vel habuerint plura bona in territorio Reæ, ante tempus inueſtiturarum ab Eccleſia conceſſarum,non excludebat Eccleſiæ intentionem iam firmiter ſtabilitam,tum quia illa etiam poſt acquiſitionem alienare potuerunt, tum quia ſemel alienata, aut alio titulo, vel cauſa amiſſa, deinceps non recuperauerunt: tum denique, quia cùm pro bonis remanentibus, & poſſeſſis, ſolitum Canonem Eccleſiæ perſoluiſ-
4. ſent, neceſſariò confiteri, & admittere videbantur, ſe Eccleſiæ bona * in dicto territorio exiſtentia verè poſſidere, *l. ad rem mobilem, ff. de Procurator.*

* cum feudale præſumatur totum quando maior pars eſt feudalis, vel bona sũt ſita intra eoſdem fines, Caual. dec. 93. n.6. & 11. & ferè per totam.

Præterea, quamuis per Dominos de Beccaria probaretur,bona per ſuos Anteceſſores, in dicto territorio acquiſita, ad ipſos iure hæreditario perueniſſe, adhuc iſta probatio non ſuffragaretur, niſi præterea oſtenderetur, eadem illa bona eſſe, quæ hodie per ipſos poſſidentur, cùm poſſibile ſit, eos hæreditaria bona libera alienaſſe,
5. emphyteutica verò retinuiſſe, quod poſtremum reuera factum fuiſſe arguit ipſa Canonum penſio,Eccleſiæ perſoluta.

6. Cùm itaque non probet hoc eſſe, † quod ab hoc contingit abeſſe, *l. neque naturales. C. de probat.* meritò iſta probatio tanquam vaga, dubia, & æquiuoca inſufficiens cenſebatur ad actoris intentionem, legitimè probatam, excludendam. Decius *in cap.in præſentia, num.*48. *verſ. nec ſufficit. de probat.* Crauetta *conſil.*218. *in fine.* Afflictus *deciſ.* 116. *num.*5. Paleothus *deciſ.* 305. incip. *Fuit propoſitum.*

† adde Coc. deciſ.104. n. 11.Seraphin. deciſ. 1372. n.1.
* probatio enim dubia non probat, Mantic. dec. 11.n.7. & 8. Ludouiſ.dec. 405.n.2.& 3. Caualer.dec. 97.n.8. Coc. dec.289.n.2. & alias ſæpe.

Illud poſtremò, quod ad excludendam intentionem Eccleſiæ, per informantes pro Dominis de Beccaria adducebatur, eos ſcilicet in territorio Reæ plura bona per fluminis alluuionem acquiſiuiſſe, ſatis leue, & inconſtans pro-
7. bationis genus viſum fuit, tum quia iſta acquiſitio non excludebat bona Eccleſiæ inibi exiſtentia: tum etiam, quia quo tempore petebant Remiſſoriam, commemorabant, eiuſdem fluminis corroſione bona Eccleſiæ pro maiori parte fuiſſe deperdita.

## *Romana dotis.*

Die Lunæ 8. Martij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Dos ſi fuerit relicta à patre filiæ,prout mater aſſignauerit, non tam à matre, quàm à patre accipit eam.*

5 *Dos non debetur purè, ſed ſub conditione, ſi maritabitur, & ſuccedit loco legitimæ.*

## DECISIO DCCXLV.

1. VNa tantùm parte informante, propoſui dubium aliàs de ordine Rotæ datum, quanta dos, & quomodo eſſet Dominæ Dianæ de Coſciaris aſſignanda; & Rota cenſuit, dotem ſcutorum 4000. vltra legatum matris, aſſignaudam Dominæ Dianæ, in pecunia numerata, & ad hunc effectum, vendenda fuiſſe bona, vt ex illorum pretio emerentur tot loca montium non vacabilium, eidem Dianæ pro dicta dote conſignanda, tempore nuptiarum.

Primum, reſpectu quantitatis viſum fuit Dominis, rem non habere difficultatem, quoniam 2.
Ludouicus de Coſciaris, Dianæ pater, in teſtamento condito anno 1578. ordinauerat, de bonis ſuis dotari filias arbitrio Hieronymæ vxoris, matris Dianæ, ac aliarum filiarum, quæ anno 1596. inhærens verbis teſtatoris, arbitrata fuerat, Dianam dotandam in ſcutis 4000. monetæ, quod matris arbitrium æquum videbatur,iuxta qualitatem perſonarum, & quantitatem bonorum, & quia hæc dos non excedebat quantitatem alteri filiæ relictam, hæc enim dotis conſtitutio perinde habenda erat, ac ſi ab eodem patre profecta fuiſſet. *l.* 3. *C.de dotis promiſ. l.quæro, & l.cùm poſt.§.gener. ff.de iure dotium, l.ſi filiæ ff.de legat.*3.

Eadem verò quantitas iudicio Marci Anto- 3.
nij, & fratrum de Coſciariis approbata cenſebatur, ex quo conſenſerant venditioni tot bonorum immobilium, pro dicta dote Dianæ conſtituenda.

Alterum de eadem dote, non in bonis, ſed in 4.
pecunia numerata conſtituenda,tum ex arbitrio matris conſtituentis dotem ſcutorum 4000.monetæ, tum ex iudicio fratrum obligantium ſe, ad hanc dotem præſtandam in pecuniis, redigendis ex pretio bonorum immobilium vendendorum, non obſcurè colligebatur. *l. cùm à matre. C. de rei vendic.* Afflictus *deciſ.* 285. *num.*11.

Tertium de inueſtiendis prædictis ſcutis 4000. monetæ in tot locis montium non vacabilium, ex fratrum obligatione oriebatur.

Poſtremum de conſignanda dote Dominæ 5.
Dianæ,tempore nuptiarum,res videbatur deciſa in cauſa Albanen. legitimæ die 22. Maij 1579. coram Illuſtriſſimo Blanchetto * tunc Rotæ Auditore, vbi attento vrbis ſtatuto fuit dictum, locum eſſe primo capiti diſtinctionis Pauli de Caſtro *in l. Titio centum. §. Titio genero. ff. de condit.& demonſtr.* quòd dos non debetur purè, ſed ſub conditione, ſi maritabitur, & quòd ſuccedit loco legitimæ † diminutæ in tempore, & ideo non deberi ante contractum matrimonium.

Interim tamen,alimenta erant Dominæ Dianæ præſtanda, & dos prædicto modo conſtituenda, vt honorificè collocari matrimonio poſſet.

* habetur in impreſſis diuerſ.p.1.dec. 540. & adde Durand.dec. 224. n.24.& deciſ.339.n. 44. & latè Ludouiſ.dec. 346.n.2.& 5. annot.litt.A. & deciſ.495. n.14.& 16.
† adde ſuprà dec.479.Mantic. dec.342. n.4. noſtrum eruditiſſimũ Regentem Seſſe tom.1. ſuarum dec. deciſione26. à n. 50. cum ſequenti; & quando dos ſuccedat loco legitimæ iuxta diſtinctioné Pauli de Caſtro, vide Ludou. dec.565.n.2. & 3. & latè annot.n.11.

## *Veneta illegitimitatis.*

Die Lunæ 8. Martij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Citatio eſt neceſſaria ad videndum iurare teſtes, aliàs examen eſt nullum.*

3 *Citatio eſt neceſſaria ad dicendum contra articulos, aliàs datur nullitas.*

4 *Teſtes ſunt examinandi per Notarium, in actu iuridico, aliàs datur nullitas.*

5 *Teſtes*



5 *Teſtes examinati à non habente iuriſdictionem, nihil probant.*

6 *Iudex non poteſt examinare teſtes, ſi functus fuerit officio ſuo.*

## DECISIO DCCXLVI.

1. QVoniam in deciſione in hac cauſa facta, die 14.Decemb.anni præteriti 1598.* Domini reſeruarunt videndum, ſuper exceptionibus oppoſitis contra teſtes, quibus probatum fuerat matrimonium inter Angelam & Dauidem de Cathaneis; ideo dato dubio particulari, an teſtes menſe Nouembri anni 1563. per Dominos Cathaneos examinati, ad reprobandum teſtes Alphonſi,de quibus in proceſſu ſignato cc. fuiſſent nulliter examinati. Rota in hac propoſitione reſpondit, prædictos teſtes reprobatorios coram Vicario Adriani, ad quos informantes pro Alphonſo ſe in hac propoſitione reſtrinxerunt,nulliter,& inualidè examinatos fuiſ-
2. ſe. Primò ex defectu citationis ad videndum iurare teſtes, * de qua non conſtabat in proceſſu, *cap.in nomine Domini, de teſtib.* Iaſon *in l.properandum.§.ſin autem,n.*5.*C.de iudicijs,* Pariſius *conſ.*83. *n.*14.*lib.*1.Verallus *dec.*274.*part.*3.

* ſuprà dec. 719.n.9.

Secundò ex defectu citationis ad dicendum contra † articulos Veſtrius *in praxi, lib.*6. *cap.*2. *num.*5.

Tertiò, quia non apparebat fuiſſe à Notario examinatos.*cap.quoniam contrà,de probation.*

Quartò, ex defectu iuriſdictionis, nam quamuis à Vicario Adrien.dicatur factum*examen,non conſtabat tamen, niſi de vnica illa facta delegatione die 10. Februar.1563. cum termino 20.dierum. Vnde cùm examen reperiretur factum die 2. Nouembris eiuſdem anni, ob terminum elapſum expirauerat iuriſdictio, & conſequenter examen fuerat nullum, Bartolus *in l. mancipiorum,n.*5. *de optione legata.* Lanfrancus *in cap.quoniam contrà,n.*1. *de probat.* Felinus *in cap. licèt cauſam,n.*18.*de probat.*

* adde ſuprà deciſ.193. n. 19. & deciſ. 445. n. 2. & dec.452 n.3. & 4.& an talis citatio debeat eſſe perſonalis, vide Coccin. deciſ.216. n. 22.& 23.
† adde Rot. in vna Leodien. ſalarij 14 Nouemb. 1603. coram Litta impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.3. pag. 93. n.2. Mantic. dec. 352.n.9.
*adde Mant. dec.190.n.1. Seraph. dec. 1018.n.5.

Et tollebatur difficultas, quia ex ſummario dato pro Dominis de Cathaneis conſtabat,longè ante hoc examen, nempe die 10. Iulij 1563.
6. tranſmiſiſſe ſuum proceſſum remiſſorialem, & ideo, quia ſemel fuerat functus officio, non poterat iterum die 2. Nouembr. eiuſdem anni examinare, *l.iudex poſteaquam,de re iudic.*

Neque examen reddebatur validum ex datione interrogatoriorum, quia non conſtabat, Alphonſum ad hoc examen interrogatoria dediſſe.

7. Non obſtabat, quòd Alphonſus, quia hunc proceſſum produxerat, per productionem cenſeretur hos teſtes approbaſſe, quia reſpondebatur,productionem fuiſſe per compulſum,& conſequenter per productionem non fuiſſe inductam approbationem.

8. Poſtremò non obſtabat Alphonſo taciturnitas, ex eo quòd ſpatio 30. annorum non oppoſuerat contra iſtos teſtes.

Quia reſpondebatur, eum non habuiſſe notitiam iſtius examinis, ante annum 1591. quo tempore,in menſe Auguſto Cathanei hos teſtes exhibuerunt coram Vicario Taruiſino, iudice in prima inſtantia.

## *Virdunen. Iuriſdictionis.*

Die Mercurij 10. Martij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Compulſoriales ſpeciales de ſtylo non conceduntur, niſi pro ſcripturis releuantibus.*

3 *Scripturarum ſimplex copia, & informis eſt exhibenda, vt concedatur compulſoria ſpecialis.*

## DECISIO DCCXLVII.

ROta cenſuit, Domino Nicolao Mario, De- 1.
cano Eccleſiæ Virdunen. non fuiſſe concedendas compulſoriales ſpeciales, quia cùm de ſtylo non ſoleant concedi, niſi pro certis ſcripturis * releuantibus, Verallus *deciſ.*169.*part.*1. Caſſadorus *deciſ.* 3. *de dilation.* Veſtrius *in praxi, lib.*3. *cap.*1. *num.*12. *verſ. altera ſpecialis*, de releuantia in caſu propoſito non conſtabat, imò multarum irreleuantia ex eo arguebatur, quia nihil commune habebant cum cauſa in Rota pendente.

* adde Dur. dec.376.n.1. & 2. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.

Quibus accedebat,quia omnes ferè ſcripturæ 2.
indicatæ, erant incertæ, cùm Decanus vellet videre extrauagantia Regeſta, librum ſtatutorum, & volumen rubrum,& tamen ſpecialis compul-
ſoria non conceditur, niſi pro ſcripturis infor- 3.
mibus, & releuantibus * formiter extrahendis. Verallus *dicta deciſ.* 169. *num.* 2. *parte* 1. ſolet enim ad obtinendas compulſoriales ſpeciales exhiberi copia ſimplex, & informis ſcripturarum, quæ deſiderantur haberi, & extrahi in forma probanti, quas ſi Rota iudicat releuantes, tunc concedit Remiſſoriam ſpecialem, quod in hac cauſa minimè factum fuit.

* adde Dur. in d. deciſ. 376.n.1.

Non obſtabat, quòd dicebatur pro Decano, quòd aliàs non poterat in cauſa procedi, ex quo deficiebant iſta acta.

Quia reſpondebatur,primò non probari defectum iſtorum actorum.

Rurſus dicebatur, multum inueriſimile eſſe, producta fuiſſe in actis multa, quæ ſunt impertinentia,& ad cauſam minimè ſpectantia.

Addebant denique aliqui ex Dominis, iſtam petitionem,calumniæ ſuſpicione non carere.

## *Toletana penſionis.*

Die Lunæ 15. Martij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Sequeſtratio pendente lite regulariter eſt prohibita pro penſione,quæ litigatur.*

3 *Dilapidationis,ob timorem allegatum à parte,non eſt concedenda ſequeſtratio.*

4 *Succeſſor beneficij non tenetur ſoluere penſiones, decurſas anteceſſoris, niſi conſtito de priuilegijs factis,contra anteceſſorem.*

5 *Cautionem de iudicato ſoluendo, non tenetur præſtare reus,vel actor lite pendente, n.*8.

6 *Executoriales non conceduntur, niſi poſt tres ſententias conformes, vel vnam quæ tranſierit in rem iudicatam.*

## DECISIO DCCXLVIII.

1. PEtebat Didacus de Laſarte, ſibi de aliquo remedio prouideri ſuper penſione, quam prætendebat ſuper fructibus Eccleſiæ de Tomeloſa, donec Gaſpar Morales, eiuſdem Eccleſiæ Rector, remiſſoriam ſibi à Rota conceſſam expediret, & propterea dato ſuper hoc particulari dubio, Rota reſpondit, vt Didacus cauſæ expeditionem ſollicitaret, quia de nullo alio remedio poterat ſibi de iure prouideri.

2. Primò enim non poterat ſibi prouideri per ſequeſtrum, quia, pendente lite, regulariter prohibita eſt ſequeſtratio. *l.1.C.de prohibit. ſequeſtr.* & præſertim in hoc caſu, in quo non conſtabat, Gaſparem Eccleſiæ Rectorem dilapidare bona, immo nec aliqua dilapidationis, aut diſſipationis ſuſpicio afferebatur, & conſequenter non erat locus ſequeſtro.* *cap.final.de ſequeſtr.poſſeſſ. l.Imperatores, de appellat.* Guido Papæ *deciſ.* 246. incip. *Index non debet, num.*5. Puteus *deciſ.*166. *lib.* 2. præſertim, cùm propter ſolum timorem dilapidationis per partem aduerſam allegatum, non ſit concedenda ſequeſtratio. † Paulus de Montepico *conſ.*64.*n.*4. & fuit reſolutum *in cauſa Virdunen. Epiſcopatus die* 15.*Octobr.*1593.

*adde Rot. rec.p.2. dec. 654.n.4. vbi ad propoſitũ allegat hanc dec. & ſuprà dec.394.n.2. & fuit dictũ in vna Segũ. fructuum 25. Iunij 1607. coram Scoto impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.2. pag.574.

Per cautionem, à Gaſpare præſtandam, non poterat Didaco de remedio prouideri, pro terminis penſionis decurſis, & decurrendis, nam pro decurſis tempore ſuorum anteceſſorum, non tenebatur Gaſpar præſtare cautionem, ſicut nec
3. ſoluere penſionem decurſam pro tempore, quo
4. non poſſedit beneficium, non conſtito de diligentiis * factis contra anteceſſores, iuxta opinionem, & ſtylum, quem Rota ſeruat.

† adde Cau. dec.324.n.3. & 4. Seraph. deciſ. 1126. n.1.Rot.rec. p.2.dec.727. n.1.

Nec pro decurſis tempore ſuo, nec decurrendis, tenebatur Gaſpar cauere, † quia non reperitur iure cautum, quòd reus, vel actor lite pendente, cautionem de iudicato ſoluendo, præſtare
5. teneatur, §.*ſed hodie*, vbi communiter ſcribentes, *Inſtitution. de ſatiſdation.* & in terminis de penſione tenuit ſæpe Rota. Verallus *in vna Cæſarauguſtana penſionis*, die 6. Maij 1562. Cotta *in vna Eugubina penſionis*, die 9. Iulij 1567. *& in vna Spoletana penſionis*, die 23. Februar. 1600. coram D. Pamphilio.

* adde Lud. dec. 507.n.3. vbi ad propoſitum allegat hãc deciſ. inter alias, & Coc. dec.327.n.3. & fuit dictũ in vna Alexanen. pẽſio. 12. Februar. 1610. coram Marquemõ. impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.1. pag.605.

Per relaxationem executorialium, minus poterat Didaco de aliquo remedio prouideri, quia cùm cauſa agitaretur in tertia inſtantia, lite, & appellatione pendente, non erat locus relaxationi executorialium, quibus non eſt locus niſi poſt tres ſententias * conformes, vel rem iudicatam.

† vide infrà dec.1164. n. 8.in tom.2.

* adde Cau. dec.208.n.2.

### *Brixien. Penſionis.*

### Die Lunæ 15. Martij 1599.

SVMMARIVM.

3 *Clauſula*, ſine retardatione ſolutionis penſionis, *ſemper durat, & eſt communis omnibus inſtantijs.*
4 *Clauſula*, non aliàs, aliter, *&c. eſt reſtrictiua ad diſpoſitionem.*
6 *Penſionis exigendi ius, animo retineri poteſt.*
7 *Clauſula*, arbitrio Rotæ, *intelligenda eſt, prout de iure.*

## DECISIO DCCXLIX.

DOminus Leander Lana, penſionem librarum 450. monetæ Brixien. anno 1565. ſibi 1. reſeruatam ſuper fructibus Parochialis Eccleſiæ Sanctorum Michaëlis & Syluestri, oppidi de Caluiſano Diœceſis Brixien. vſque ad annum 1579. pacificè exegerat, donec eodem anno quidam Vincentius de Aleriis, eiuſdem Eccleſiæ Rector, ſuper nullitate penſionis coram Ordinario Brixien. cauſam, cum clauſula tamen, *ſine retardatione ſolutionis penſionis*, commiſit.

Poſt nonnullos actus iudiciales, & poſtquam 2. Ordinarius pronuntiauerat, quòd Rector retentis ſibi Ducatis 100. liberis, de reliquis fructibus penſionem ſolueret, & Leander appellaſſet, & cum eadem clauſula, *ſine retardatione*, cauſam in Rota committi obtinuiſſet, tandem Vincentius, & Leander concordauerunt, vt prædicta penſione caſſata, noua penſio librarum 200. ad fauorem Scipionis Lanæ validè reſeruaretur, quam concordiam, ambobus fel. record. Gregorius XIII. anno 1584. confirmauit, & Scipio poſtea vſque ad annum 1590. eam penſionem exegit.

Cùm verò Scipio eam penſionem in Federicum Lanam tranſtuliſſet, & Simeon Gattus, in Rectoria ſucceſſor, opponendo de nullitate tranſactionis penſionis, eam Federico, (contra quem fuerat in Rota die 19. Decembris 1597. coram Domino meo Millino facta reſolutio,) ſoluere denegaſſet, & propterea Leander pro ſuo intereſſe veniſſet ad cauſam, & petiiſſet ad priſtinum ſtatum reſtitui, vigore clauſulæ, quòd validè reſeruaretur penſio in fauorem Scipionis, & non aliàs, & ſententiam fauorabilem à Domino meo Millino die 3. Aprilis 1598. reportaſſet, & Simeon, poſt interpoſitam appellationem, & datos ſibi Apoſtolos refutatorios, tacitis præmiſſis, cauſam mihi cum clauſula, *abſque retardatione*, committi obtinuiſſet, & rurſus Leander, vtraque parte ſignaturam informante, aliam commiſſionem obtinuiſſet, cum clauſula, *ſine retardatione, arbitrio Rotæ*; dubitaui, an eſſet locus arbitrio, ita vt procedendum eſſet cum clauſula, *ſine retardatione*, & Rota, Leandro tantùm informante, locum fuiſſe arbitrio, * ad effectum procedendi ſine retardatione ſolutionis † penſionis cenſuit, quia cùm conſenſus Leandri fuiſſet conditionalis, ſi penſio validè, & irreuocabiliter acquireretur Scipioni, & non aliàs, & penſio non fuerit validè, & irreuocabiliter Scipioni acquiſita, cauſa remanſit in terminis antiquis, perinde ac ſi non fuiſſet facta penſionis caſſatio; dubium autem non erat, quin ante caſſationem procedendum eſſet cum clauſula, *ſine retardatione*, ſtante præſertim quaſi poſſeſſione Leandri: nam clauſula, *ſine retardatione*, ſemper durat, & eſt communis * omnibus inſtantiis, Caſſadorus *deciſ.8.num.2. de reſcript.* Ptolomæus *deciſ.* 30. *lib.*1. *in manuſcript.* Puteus *deciſ.* 426. *num.*2. *lib.*2. & maximè, quia altera clauſula, *& non aliàs, aliter, nec alio modo*, ad fauorem Leandri appoſita indicabat eum non habuiſſe animum † amittendi ſuam poſſeſſionem, niſi penſio validè tranſlata fuiſſet, gloſſa *in cap. cùm olim, verſ. & tamen conditione,* de

* hæc reſolutio fuit confirmata infrà deciſ. 766.

† adde Cau. dec.249.n.1. & 2.

3.

* adde Cau. dec. 11. n.4. quæ habetur penes Marcheſ. de com. miſſ.p.1.pag. 620. & fuit dictum in Abulen. penſionis coram Pirouano impreſſa per eũdẽ March. in d.1.p.pag. 536.n.4.

4.

† adde Seraphin. dec. 114 n.1.Rotam rec. p.1. dec.286.n.2.



*de reſtitut. ſpoliator.* Innocentius *in cap. inter cæteras, in principio, de præbend.* Mohedanus *deciſ.* 83. *&* 91. Sarnenſis *deciſ.* 1. Simonetta *deciſ.* 39. Accorambonus *deciſ.* 37. *lib.* 1. *circa medium.*

5. Neque prædictis obſtabat mora Leandri, qui tanto tempore penſionem exigere diſtulerat; quia reſpondebatur primò vſque ad ann. 1590. Scipionem exegiſſe, & conſequenter non effluxiſſe ſpatium decem annorum.

Rurſus dicebatur, Leandrum non fuiſſe negligentem, quia eius prætenſio dependebat à validitate, vel inualiditate reſeruationis penſionis: nam ſi penſio erat validè reſeruata, non po-
6. terat agere, & conſequenter debebat expectare hunc exitum, ad quem effectum ſatis erat, eum non amiſiſſe animum exigendi, vt fuit deciſum in eadem cauſa coram Domino meo Millino die 10. Aprilis 1593.

Poſtremò non obſtabat, quòd dicta clauſula, *ſine retardatione ſolutionis penſionis*, eſſet modifi-
7. cata, cum clauſula, *arbitrio Rotæ*; quia cùm arbitrium debeat * intelligi, prout de iure, Cæſar de Graſſis *deciſ.* 7. *num.* 7. *& deciſ.* 7. *num.* 2. *de ſentent. & re iudic.* Peregrinus *deciſ.*239. *lib.*2. & conſtaret de quaſi poſſeſſione Leandri, ius ſuadebat, procedendum ſine retardatione ſolutionis, vt fuit deciſum *in cauſa Burgen. penſionis*, die 24. Nouembris 1595. coram Cardinali Blanchetto, tunc Rotæ Auditore; nam hoc caſu clauſula, *arbitrio Rotæ*, non tollebat efficaciam alterius clauſulæ, *ſine retardatione*, præſertim, cùm ex ſententia, quam Leander obtinuit in ſpolio, videretur etiam de eius bono iure conſtare.

* adde Lud. dec.221.n.1. & deciſ.466. n.1. & deciſ. 189.n.2. vbi ad propoſitũ allegat hanc dec.& Cocc. dec.293.n.1. & ſuprà dec. 350. n. 9. & dec.680.n 2. & infrà dec. 865.n.5.

### *Cæſarauguſtana Capellaniæ de Mirambell.*

### Die Lunæ 22. Martij 1599.

SVMMARIVM.

4 *Fundationis Capellaniæ tenor eſt attendendus in præſentatione.*
5 *Sacerdos ſi eſt præſentandus ad Capellaniam, non datur locus alijs, non Sacerdotibus.*
6 *Miſſam cantans dicitur Sacerdos.*
8 *Ordinarius non poteſt prouidere beneficia iuriſpatronatus.*
9 *Qualitatem requiſitam à teſtatore, ſi non inueniatur aliquem habere ad Capellaniam, præſentandus eſt alius, & licèt poſtea ſuperueniat, qui eam habuerit, non ex eo eſt priuandus primus.*

## DECISIO DCCL.

1. PEtrus Ybañes, & Margarita eius vxor anno 1407. in Eccleſia Parochiali oppidi Mirambell, Capellaniam fundarunt, diſponentes quòd eueniente vacatione, Rector prædictæ Eccleſiæ, & eiuſdem oppidi Iurati, ad eandem Capellaniam Clericum Miſſamcantantem de linea, & parentela teſtatorum, ab Ordinario inſtituendum, præſentarent.

In vltima vacatione, contingente per obitum cuiuſdam Melchioris Figueræ, in menſe Aprilis 2. 1596. Rector Eccleſiæ, iuxta teſtatoris diſpoſitionem, Ludouicum de Torres Presbyterum ad eandem Capellaniam præſentauit, Iurati verò Gabrielem Royo, Clericum ætatis 14. annorum nominarunt. Archiepiſcopus verò Cæſarauguſtanus, ignorans Capellaniam eſſe de iure patronatus, vigore alternatiuæ eam contulit cuidam Dominico Clerico. Denique quidam Ludouicus Moliner, non facta mentione de dicta præſentatione, eandem à Sede Apoſtolica impetrauit, Ludouicus Torres tanquam præſentatus à Vicario, & Capellaniæ patrono ex diſpoſitione teſtatoris ſibi prouideri obtinuit.

Cauſa primum coram Ordinario agitata, & 3. deinde in Rota introducta, dubitaui, an Ludouico eſſet Capellania adiudicanda? & Rota, vnà tantùm parte informante, Ludouico adiudicandam cenſuit. Primò, quia fuit præſentatus à Rectore Eccleſiæ, Capellaniæ patrono, iuxta ordinationem teſtatoris in defectum deſcendentium de linea, & parentela teſtatorum.

Secundò, quia cùm ex eadem fundatione 4. conſtaret, Clericum ad Capellaniam præſentandum, debere eſſe Miſſamcantantem, id eſt, qui actu tempore præſentationis eſſet Sacerdos, Rectoris præſentatio, tanquam factam de illo, in quo hæc potiſſimum qualitas Sacerdotij à fundatoribus requiſita reperiebatur, cæteris erat præferenda, cùm fundationis * tenor attendi debeat. Ancharranus *in Clement. quia contingit, notab.*9. *de religioſis domib.* Rochus de Curte *tract. de iurepatron. in verb. ipſe velis, n.*19. *verſ. & moueatur*; nam quando præſentandus eſt Sacerdos, non eſt locus aliis non Sacerdotibus, † Cardin. *conſ.* 69. *n* 4. Bellamera *conſ.*26. *n.*4. Barbatia *conſ.*33. *n.*8. *lib.*2. & tenuit ſæpe Rota, & ſignanter *in vna Gerunden. beneficij*, die 27. Martij 1596. coram Domino meo Iuſto, *& in alia Alexandrina Decanatus*, die 12. Iunij 1598. coram eodem.

*adde Cau. dec 640.n.6. & Rotã rec. p.1.dec.496. ferè per totam, & p. 2. dec.254.n.2.

* adde Dur. dec.290.n.4. Seraph. dec. 871. n. 1. & latè Rot.rec. p.2.dec.216. ferè per totam, vbi ad hunc articulum plures dec. allegat.

In caſu propoſito, teſtatorem requiſiuiſſe actu Sacerdotem, ad Capellaniam præſentandum, indicabant illa verba, *Miſſamcantantem.* quibus, ex 5. idiomate Regni Aragoniæ ſignificatur is, qui in 6. actu eſt Presbyter, quemadmodum, ex idiomate Regni Valentiæ per illa verba, *Miſſacantant.* ſignificabatur etiam actu Presbyter, vt cenſuit Rota *in vna Valentina beneficij, ſiue iuriſpatronatus*, die 20. Martij 1589. coram Domino meo Orano.

Atque ex his potiſſimum excludebantur alio- 7. rum præſentationes, nam præſentatio Gabrielis, non Sacerdotis, facta per Iuratos non ſubſiſtebat, tanquam facta contra diſpoſitionem fundatoris, requirentis actu Sacerdotem.

Prouiſio Ordinarij facta de Dominico, Cleri- 8. co ſimplici non valebat, tum ex præcitato capite, tum ex eo, quòd prouiderat de beneficio iuriſpatronatus, * abſque legitima præſentatione Patroni, *cap. paſtoralis, de iurepatron.*

* adde Dur. dec.74.n.51.

Denique non erat locus impetrationi Ludo- 9. uici Moliner, tanquam ſubreptitiæ, ex eo quòd de prædicta præſentatione legitimam mentionem non fecerat, & patiebatur præterea eundem Sacerdotij defectum.

Neque obſtabat, quòd pro parte Ludouici non eſſet probatum, ſe fuiſſe de linea, & parentela teſtatorum; quia reſpondebatur, tempore vacationis non fuiſſe repertum aliquem de

linea, & parentela teſtatorum, habentem qualitates à fundatoribus requiſitas & conſequenter, ex eorundem teſtatorum ordinatione * potuiſſe præſentari alium Clericum, Miſſam cantantem.

*quæ omnino ſeruanda eſt. Durand. dec.8.n.4. & dec. 25. n.1. & 3.

## *Romana Saluiani interdicti.*

### Die Lunæ 22. Martij 1599.

SVMMARIVM.

4 *Saluianum interdictum habet locum, ſi prætendens illud, probet poſſeſſionem, hypothecam, & creditum.*

5 *Verba clara ſi adſint in inſtrumento, non eſt locus ſubtilibus interpretationibus.*

6 *Hypotheca generalis omnium bonorum comprehendit bona, etiam poſt hypothecam acquiſita, & in eis habet locum Saluianum interdictum.*

7 *Præſcriptio ſtatutaria non habet locum in actione reali.*

8 *Præſcriptio ſtatutaria non habet locum in fideiuſſore, qui ſoluit, & habet ceſſionem.*

9 *Emphyteutica domus non poteſt cadere ſub hypotheca.*

## DECISIO DCCLI.

1\. IOannes Barginus * anno 1577. pro pretio ſcutorum 5400. monetæ quandam domum vendidit Philippo Ghiſlerio, & pro euictione fideiuſſores dedit Syluestrum de Pichis, & Iacobum Antonium Riccobonum.

*hæc deciſio habetur impreſſa per Pacificum poſt tract. de Saluian. inter. dec.9.

Eam venditionem Iacobus, & fratres de Porta, iure congrui ſuccedentes in locum Ghiſlerij emptoris, paulo pòſt retraxerunt.

2\. Eodem anno Hieronymus Gabrielius, & ſucceſſiuè Carolus Gabrielius, eius hæres, Dominos de Porta, domus prædictæ emptores, occaſione quorundam cenſuum ſuper dicta domo impoſitorum, & ſibi debitorum moleſtare cœperunt, & ab A. C. mandatum executiuum contra illos de Porta, pro ſumma ſcutor. 3773. obtinuerunt, & conſequenter illi de Porta egerunt primum contra bona Bargini venditoris, & deinde contra Dominicum de Pichis, hæredem Sylueſtri fideiuſſoris, ad effectum, vt facerent conſentire dictæ venditioni, Carolum Gabrielium eos moleſtantem, & obtinuerunt mandatum executiuum contra eundem Dominicum, pro dicta ſumma ſcutorum 3773. ac demum anno 1593. Dominicus cum illis de Porta concordando, permiſit eis, vt intra ſex annos Gabrielij cenſus extinguere poſſent.

3\. Anno verò 1596. idem Dominicus, tanquam ceſſionarius iurium Dominorum de Porta, coram A.C. aduersùs Ioannem Baptiſtam de Sancto Petro, interdictum Saluianum intentauit ſuper quadam domo, quæ olim fuerat dicti Iacobi Antonij Riccoboni, confideiuſſoris Sylueſtri, petendo ſe immitti in poſſeſſionem illius, donec ſibi ſatisfieret de ſcutis 1895. pro rata Riccobonum confideiuſſorem Sylueſtri tangente. Cùm verò A. C. pro Dominico contra Ioannem Baptiſtam de S. Petro ſententiam diffinitiuam protuliſſet, mandatumque de immittendo in poſſeſſionem dictæ domus conceſſiſſet, & Ioannes Baptiſta appellando de nullitate dictæ ſententiæ oppoſuiſſet, vtraque parte informante dubitaui, an ſententia A. C. in Saluiano lata eſſet infirmanda, vel confirmanda; & Rota confirmandam cenſuit, niſi conſtaret, quòd domus eſſet emphyteotica cum expreſſa prohibitione alienandi, cùm enim conſtaret de tribus requiſitis Saluiani, * videlicet poſſeſſiobe Riccoboni, ex teſtibus pro ipſo examinatis, hypotheca, & credito ex inſtrumento † obligationis, & de euictione ſubſequuta, locus erat Saluiano, * Menochius *tract. de recuper. poſſeſſ. remed. 3. in princip.* & fuit deciſum *in cauſa Romana domus de Androſillis*, anno 1596. coram Domino meo Orano.

4\. *adde Lud. dec.491.n.1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & Dur. dec.401.n.1. & deciſ.461. & Rotam recen.p.2. dec. 324.n.3.

Non obſtabant fundamenta, quibus vtebantur informantes pro D. Ioanne Baptiſta de Sancto Petro; nam ad primum, quòd ceſſio facta per illos de Porta, Dominico de Ricchis, non comprehenderet iura competentia, contra Riccobonum, & eius bona, reſpondebatur ceſſionem fuiſſe ampliſſimam cum verbis valde prægnantibus, ita vt comprehenderet omnia iura, quæ competebant cedenti, † talia qualia erant, contra quaſcumque perſonas; nam illa generalitas verborum comprehendebat iura competentia, etiam contra Riccobonum, & quemcumque alium. *l. ſi chorus. ff. de adminiſtrat. tutor.* Quare ſtantibus verbis tam claris, & tam latè patentibus, & aptis comprehendere hunc caſum, non erat locus ſubtilibus * interpretationibus.

5\. † adde Rot. rec.p.1. dec. 634.n.2. vbi ad propoſitũ allegat hanc dec. & infrà dec.1518. in tom.2. & eãdem Rotam rec.p.2. dec. 669.n.2. vbi etiã allegat hanc dec. * fuit dictũ in Romana Salu. 8. Maij 1601. coram Ortembergo impreſſa per Pacificũ poſt tr. de Salu. inter dec.29. & dec.23.

Ad ſecundum, quòd non conſtaret de hypotheca, ſine qua non eſt locus Saluiano, vt fuit deciſum *in cauſa Romana Vineæ*, die 26. Iunij 1598. coram Domino meo Seraphino, † quia non oſtendebatur Dominicum de Pichis habuiſſe hypothecam ſuper iſta domo, reſpondebatur, ex latitudine ceſſionis (vt dictum fuit) colligi non obſcurè hypothecam.

6\. † adde Dur. dec.401.n.4. & dec.40. n. 23. Rot. rec. p.1. dec.294. n.2.

Ad tertium de præſcriptione ſtatutaria, ex qua informantes pro Ioanne Baptiſta de Sancto Petro conabantur excludere Saluianum, reſpondebatur primò, præſcriptionem ſtatutariam non habere locum in actione reali, * Gabriel qui alios allegat *tit. de reſcript. concluſ. 4. num.* 17. Romanus *conſil.* 201. & tenuit Rota *in vna Romana vineæ*, ann. 1576. coram bon. mem. D. Bubalo, *& in alia Romana extinctionis cenſus*, die 22. Octobris 1582. coram bon. mem. Cantuccio, *& in alia Romana cenſus de Caffarellis*, die 9. Nouembris 1587. coram Domino meo Gypſio.

7\. * adde ſuprà dec.709.n.4. † in impreſſis Seraph. dec. 1290. à n.2. vſque ad 6. & adde Dur. dec.176.n.2. & deciſ.268. n.1. & deciſ. 309. n. 1. & aliàs ſæpe.

Secundò reſpondebatur, præſcriptionem ſtatutariam non habere locum in fideiuſſore, qui ſoluit, & habet ceſſionem, vt eſt in terminis deciſio Achillis 1. *de reſcript.* vbi ſubditur, id habere locum in quolibet ſoluente pro tertio.

8\. *nec in mixta, vt per Ludouiſ. deciſ. 489.n.16. & annot. n.23.

Vltimum fundamentum, quòd cùm iſta domus eſſet emphyteotica, non poterat cadere ſub hypotheca, † ex latè deductis *in cauſa Romana vineæ*, die 26. Iunij 1598. coram Domino meo Seraphino, * viſum fuit Dominis conſideratione dignum, & ideo in hac deciſione exceptum, vt particulariter videretur; nam ſi pro parte Ioannis Baptiſtæ de Sancto Petro oſtenſum fuerit, domum eſſe emphyteoticam, cum expreſſa prohibitione alienandi, quamuis ex aliis capitibus ſententia A. C. non poſſet dici inualida, ex ſolo hoc, tanquam inualida reuocabitur.

9\. † de hoc art. infrà deciſ. 792.n.3. * in impreſſis in d. dec. 1290.



## *Lauden. Penſionis.*

### Die Lunæ 29. Martij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Penſionarius ſi agat contra ſucceſſorem beneficij, tenetur iuſtificare gratiam.*

3 *Anteceſſoris quaſi poſſeſſio exigendi penſionem, vt releuet ſucceſſorem ab onere iuſtificandi, debet eſſe 30. annorum.*

4 *Clauſula,* arbitrio Rotæ, *operatur, vt ſi procedatur ad executionem penſionis, per aliam clauſulam,* ſine retardatione, *&c. debeat retardari, ſi non probetur quaſi poſſeſſio, vel quòd agens expediuerit litteras reſeruationis.*

## DECISIO DCCLII.

1\. ANno 1578.* fel. record. Gregor. XIII. annuam penſionem ſcutorum 120. auri in auro, ſuper fructibus Præpoſituræ S. Laurentij Laudenſis reſeruauit, ad fauorem Herculis de Creſcimbenis, eandem præpoſituram vacantem anno 1592. Sanctiſſimus D.N. Clemens VIII. contulit D. Octauio Sarraceno, cum expreſſione, quòd fructus dictæ Præpoſituræ non excedebant annuum valorem Ducatorum 120. auri de Camera; Hercules verò penſionem ſibi reſeruatam, quandiu vixit exegit: cùm autem idem Hercules ann. 1596. vigore priuilegij à fel. record. Sixto V. conclauiſtis conceſſi, eam penſionem 120. Ducatorum in Angelum Creſcimbenum, Clericum nepotem ſuum transtuliſſet, & Octauius penſionem ſoluere recuſaſſet, & coram A.C. ad aliquot actus contra Octauium fuiſſet proceſſum, cauſamque in Rota committi obtinuiſſet, cum clauſula, *non retardata ſolutione penſionis, arbitrio Rotæ,* &c propterea propoſito dubio, an foret locus arbitrio, vtraque parte informante, Rota cenſuit, non fuiſſe locum arbitrio ad effectum, vt procederetur ſine retardatione ſolutionis penſionis. Ratio potiſſima fuit, quia Angelus tranſlatarius non erat in quaſi poſſeſſione exigendi penſionem, & cùm ageret contra ſucceſſorem in beneficio qui penſioni non conſenſerat, gratiam Herculis transferentis * iuſtificare tenebatur, Gigas *de penſionib. q.* 85. *n.* 8. *verſic. ſeptimus caſus eſt.* Gomezius *in compendio vtriuſque ſignat. q.* 16. *n.* 87. *in fine, verſic. & idem eſſet,* & fuit deciſum *in cauſa Brixien. penſionis*, die 17. Maij 1543. coram Domino meo Millino.†

* habetur hæc deciſio penes Marcheſ. de commiſſ. p.1. pag. 566.

2\. * vide infrà dec.964.n.3. & ſuprà dec. 666.n.4. † habetur penes Marcheſ. de cõmiſſ. p.1. pag. 558. & in eadem coram eodem penes March. in d. p.1. pag. 561.

Nec Angelo tranſlatario ſuffragabatur poſſeſſio exigendi Herculis reſeruatariis, quia Hercules ſolùm exegerat per decem & octo annos, ad effectum autem, quòd quaſi poſſeſſio anteceſſoris releuet ſucceſſorem in penſione ab onere iuſtificandi, & probandi, debet eſſe longiſſima, nempe 30. annorum, vt fuit deciſum in dicta cauſa Brixien.*

3\. * vbi ſuprà pag.558.n.3. & adde Rot. rec.p.1. dec. 122. n. 5. & Ludouiſ. dec. 57.n.5. & vtrobique ad propoſitum allegant hãc dec.

Placuerunt etiam Dominis quæ deducebantur per informantes pro Octauio Sarrazeno, quia pro parte Angeli non erat probatum, penſionem non excedere tertiam partem fructuum Præpoſituræ. Ex quibus fuit concluſum, non fuiſſe locum arbitrio Rotæ, vt procederetur in cauſa, ſine retardatione ſolutionis penſionis, * nam ad effectum, vt in ſimili caſu ſit locus arbitrio, alterum de duobus requiritur, vel quòd penſionarius ſit in quaſi poſſeſſione exigẽdi, Put. *dec.* 34. *lib.* 1. & fuit deciſum *in cauſa Brugen. penſionis*, die 19. Februar. 1596. coram Illuſtriſſ. Cardinali Blanchetto, tunc Rotæ Auditore, vel quòd litteras reſeruationis penſionis expediuerit, & iuſtificauerit, Gigas *de penſionib. q.* 35. Staphileus *de commiſſ. Iuſtitiæ, §. in primis, n.* 84. & fuit deciſum *in vna Romana penſionis*, die 23. Martij 1596. coram eodem Illuſtriſſimo Blanchetto.

4\. * de hoc art. vide Rotam rec.p.1. in d. dec. 122. ferè per totam.

Vnde cùm in caſu propoſito, Angelus nec de ſua quaſi poſſeſſione docuerit, nec litteras reſeruationis penſionis iuſtificauerit, non erat locus arbitrio ad ſuum fauorem.



## *Romana adminiſtrationis bonorum de Cuppis.*

### Die 29. Martij, & 26. Aprilis 1599.

SVMMARIVM.

2 *Teſtator ſi ſimpliciter mandat aliquid, eodem modo tenetur adimplere hæres.*

3 *Obſeruantia ſubſecuta dat formam diſpoſitioni.*

4 *Tutor teſtamentarius non tenetur ſatiſdare.*

5 *Adminiſtrator bonorum, incognitus à teſtatore, tenetur ſatiſdare.*

7 *Pater ære alieno granatus non poteſt eſſe adminiſtrator bonorum filij.*

## DECISIO DCCLIII.

PRæſuppoſito teſtamento Cardinalis Tranen. & deciſionibus in hac cauſa factis, dubitaui, an Dominus Septimius de Cuppis teneretur præſtare cautionem, vel fideiuſſores dare, antequam ſuſciperet adminiſtrationem bonorum, fideicommiſſo ſubiectorum, vel potiùs ſufficeret eius obligatio in forma Cameræ, iuxta formam teſtamenti prædicti Cardinalis Tranen. & cauſa bis propoſita, bis Domini fuerunt diſcordes, quidam enim ſimpliciter tenebant, Septimium non teneri ad aliquam cautionem, vel fideiuſſionem præſtandam, quoniam Cardinalis Tranen. in teſtamento ſolùm cauerat, vt filius natu maior, filios habens, cui reliquerat adminiſtrationem bonorum fideicommiſſo ſubiectorum, de fructibus dictorum bonorum debitam, ſeu debitas portiones aliis cohæredibus ſuis aſſignaret, & cum effectu diſtribueret, ad quod modis omnibus, etiam in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ, obligatus eſſet, & compelli poſſet. 1.

Vnde cùm teſtator ſimpliciter mandauerit, hæredem futurum adminiſtratorem cauere debere, regula erat pro Septimio, vt intelligeretur nuda promiſſione abſque fideiuſſione, & pignore. *l. ſancimus, C. de verb. ſignif.* vbi notant Bartolus, Baldus, & communiter ſcribentes; quibus accedebant clara teſtatoris verba, qui expreſſerat qualitatem obligationis, videlicet in forma Cameræ, conſequenter enim omnis alia cautio cenſebatur excluſa, *l. cùm Prætor, ff. de iudic. cap. nónne, de præſumpt.* 2.

* cui in hac materia multum eſt deferendum, Rota recen. p.2.dec.463. n.2.in fine.

Denique Septimio fauebat obſeruantia * ſubſequuta; quia Ioannes Dominicus de Cuppis, qui ante Septimium adminiſtrauerat, nullam præſtiterat cautionem cum fideiuſſore. *l.ſi de interpretatione,ff.de legib.* Crauetta *conſ.*101.

Domini verò, qui contrarium ſentiebant, mul-
4. tis rationibus vtebantur: in his principem locum obtinebant ſequentes. Prima, quia non verſabamur in tutore teſtamentario dato, & cognito à teſtatore, cuius fidem cùm ſequutus fuerit teſtator, ideo non tenetur ſatiſdare, *l.* 1. *& l. in dubium. C. de tutor. & curator.* §. 1. *Inſtitut. de ſatiſdat. tutor.* ſed in bonorum adminiſtratore, relicto à Cardinale Tranenſi ſibi incognito, qui propterea videtur obligatus ad cautionem cum fideiuſſoribus præſtandam. Corneus *conſil.*3. *num.*13. *verſic. vtrùm autem, lib.*2.

6. Altera ratio erat, quia quidquid eſſet de iuris rigore, de conſuetudine tamen videbatur Septimius ad ſatiſdandum compellendus. Practica Papienſis *tit. de forma libel. ad redden. rationem, verſic. in ſuo vltimo teſtamento, num.*23.

7. Tertia & poſtrema, quæ magnum pondus Dominis habere viſa eſt, illa fuit, quia cùm Septimius, qui vigore teſtamenti Cardinalis Tranen. petebat ſibi decerni bonorum adminiſtrationem, eſſet ære alieno grauatus, & cum pupillis cohæredibus litigaret, & propterea videretur effectus inexigibilis, ſatiſdare tenebatur, per textum *in l. liberto.* §. *largiùs, in fine,* iuncta gloſſa *in verb. viuente. ff. de annuis legat.* vbi Bartolus *num.* 4. ſi enim teſtator ſciuiſſet, aut præſumpſiſſet, adminiſtratorem futurum, facultatibus, & opulentia deſtituendum, tempore quo ſuſcepturus erat adminiſtrationem, reuera de opportuno remedio prouidiſſet: neque enim veriſimile eſt, prouidum teſtatorem, tali homini liberam adminiſtrationem bonorum fuiſſe relicturum, vt in fortioribus terminis de patre, adminiſtratore bonorum filij, conſuluit Corneus *conſ.*267. *n.*8. *lib.*4. quem voluit ad ſatiſdandum teneri.

8. Cùm ergo vtrinque rationes militarent, & Domino Septimio eſſet ſignificatum, vt ſi fidelem ſe adminiſtratorem exhibere volebat, opportunum remedium adhiberet, & ipſe ſe ſuper hoc iudicio Dominorum ſubieciſſet, Rota ordinauit, quòd ipſe deputaret idoneum mercatorem, in cuius manu fierent ſolutiones de ſuo ordine, Septimius verò hanc ordinationem acceptando D. Tiberium Ceulum mercatorem in vrbe diuitem, & opulentum deputauit.

---

## *Placentina voti.*

### Die Lunæ 26. Aprilis 1599.

### SVMMARIVM.

3 *Immemorabilis vt probetur, ſunt probanda requiſita gloſſ.* in cap.1.de præſcript.in 6.

4 *Epiſcopi ſuffragium tantum eſt, quantum totius Capituli in his, quæ ad Epiſcopum pertinent, & Capitulum ſimul.*

5 *Præſcriptioni, & non conſuetudini locus datur, in his quæ deriuant à iure communi. quod habet locum in Collegio, n.6.*

7 *Præſcriptio, & non conſuetudo eſt, quando qui illa vti vult, non poteſt ſuper illa ſtatuere.*

8 *Capitulum non poteſt ſtatuere in præiudicium Epiſcopi.*

9.10.11 *Conſuetudo, abuſiuè pro præſcriptione ſumitur.*

12 *Pretium ſuccedit loco rei.*

15 *Epiſcopus eſt caput Capituli, & Canonici membra.*

16 *Præſcriptio ius inductum tollit: conſuetudo verò ius quærendum inducit.*

## DECISIO DCCLIV.

1. CVm ſtatuto quodam fundamentali Eccleſiæ Placentinæ, iam anno Domini 1254. edito, & per Innocentium IV. confirmato, caueretur, quòd ad portiones vacantes per Epiſcopum, & Capitulum, ſeu maiorem, & ſeniorem Capituli partem, de ſeruitoribus Chori eiuſdem Eccleſiæ, videlicet de portionariis ad Canonicatus, & ad certas quaſdam dignitates de Canonicis aſſumerentur, prætenderetque Epiſcopus, ſuffragium ſuum tantum, quantum totius Capituli ſuffragium, valere debere; Capitulum verò diceret, in Eccleſia Placentina ſemper fuiſſe ſeruatum, vt Epiſcopi ſuffragium non valeret pluſquam ſuffragium vnius Canonici; ideo Epiſcopus ann. 1566. cauſa introducta in Rota, anno 1568. ſententiam fauorabilem reportauit, cum reſtrictiua tamen ſalua conſuetudine, ſi qua in contrarium adeſſet in prædicta Eccleſia.

2. Huius reſtrictiuæ occaſione, anno 1572. Capitulum Remiſſoriam accepit, ad probandam conſuetudinem, in prædicta ſententia præſeruatam, eaque reproducta cœpta fuerunt diſputari aliquot dubia. Et quoniam informantes pro vtraque parte multa cumulabant, quæ cauſam reddebant magis difficilem, & agentes pro Epiſcopo proponebant, quòd cùm prædictum ſtatutum loqueretur de Epiſcopo & Capitulo, neque exprimeret modum circa valorem ſuffragiorum, recurrendo ad ius commune, ab illo debebat recipere interpretationem, ita vt Epiſcopus haberet medietatem ſuffragiorum, non autem vnicum ſuffragium tantùm, prout ſinguli Canonici; agentes verò pro Capitulo die 2. Maij 1586. obtinuiſſent in Rota declarari, quòd licèt non conſtaret de ſufficienti obſeruantia, quæ in hoc caſu poſſet verè, vel præſumptiuè dare illum intellectum prædicto ſtatuto, quem Capitulum prætendebat, & immemorabilem non probari, ſed probari ſolùm quadragenariam de viſu, & auditu ſimplici à maioribus, qui dicebant audiuiſſe, & conſequenter ſine fama, & aliis requiſitis, * per gloſſam *in c.*1.*de præſcript.lib.*6. atque ex totius cauſæ diſcurſu, pro Epiſcopo adeſſet

*& ideo non probatur immemorabilis, vt ſuprà decıſ.480. n. 34. & deciſ. 505. n. 3. & aliàs ſæpe.

3. iuris communis præſumptio; pro Capitulo au-
4. tem extaret ſimplex quadragenaria abſque titulo, ſuffragaretur Capitulo, ſiue an verſaremur in conſuetudine, vel præſcriptione: & vtraque parte informante concluſum fuit, in præſcriptione, non autem in conſuetudine verſari negotium. † Cùm enim notum ſit in iure fundamentum, quòd in his quæ pertinent ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, tanta eſt vox Epiſcopi * ſolius, quanta totius Capituli, ex communi Canoniſtarum opinione, *in cap. poſtulaſtis, de conceſſ. Prebend.* vbi Hoſtien. *num.*2. *verſic. hoc eſt de iure communi.* Collectarius *in principio, & n.*1. Calderinus

† hæc reſolutio confirmata fuit infrà dec. 861. de qua vide latè per Garc. de ben. 5. p. c. 4. ferè per totum, & n. 98. allegat hanc dec.

* adde ſuprà dec.623.n.5. & 7.



Calderinus *quæſt.*7. Antonius de Butrio *num.*11. *verſ. ſi verò interſit.* Ancharanus *num.* 9. Abbas *num.*14. Imola *num.*15. Selua *tract. de benefic. p.*2. *quæſt.*1. *art.*28. *num.*1. *&* 2. & conſequenter Epiſcopus habet fundatam intentionem in iure communi, & Capitulum prætendens, Epiſcopum ſolum habere debere vnicam vocem, qualem habent ſinguli Canonici. *tract. de auferendo*
5. *iure, Epiſcopo competenti*, locus fit præſcriptioni, * & non conſuetudini, ex altera communi opinione, quam tenent Canoniſtæ *in cap. final. de conſuetud.* vbi Ancharanus *quæſt.*8. *num.* 11. Antonius de Butrio *num.* 39. *verſic. vnde cùm tangatur præiudicium*, Abbas *num.*20. *verſic. ſi Epiſcopus acquirit vt ſolus poſſit corrigere*, Imola *num.*29. *verſ. primò, quia per præſcriptionem*, Felinus *in cap. ſtatuimus, num.*2. *limitat.*1. *de maiorit. & obed.* Aretinus *conſil.*23. *num.*11. *verſ. ſed dubium facit*, Decius *conſ.*134. *num.* 5. *verſ. non obſtat cap.* 1. Corneus *conſ.*268. *num.*16. *lib.*4. Balbus *de præſcript. quæſt.*10. *num.*3. Crauetta *de antiquit. tempor. part.*4. *num.*11. Puteus *deciſ.*188. *num.*5. *& deciſ.*387. *num.*4. *&* 5. *lib.*2. *& deciſ.*252. *num.*3. *lib.* 3. Antonius Auguſtinus *in epitome tit. de præſcript.* §.34. Couarruuias *in reg. poſſeſſor, part.*2. §.3. *num.*2. & fuit reſolutum coram bon. mem. Oriolen. *in cauſa Caietana præcedentiæ, anno* 1563. *& in cauſa Toletana redecimarum,* die 21. Maij, & die 27. Iunij anno 1586. coram D. meo Pamphilio.

* adde infrà dec.1145. in tom.2. & Ludou. dec.191. n. 4. & latè annota. n. 6. Caual. deciſ. 650. num. 4. Mantic. 51. n.3. & deciſ. 56.n.9. & deciſ.284.n.9.

6. Quæ communis opinio locum habet, etiam quando agitur de auferendo iure ab vno ſingulari, & acquirendo alicui Collegio, vel Vniuerſitati, quia nihilominus eſt præſcriptio, & non conſuetudo; nam Collegium, & Vniuerſitas vicem vnius habent. Abbas *in d. cap. fin. num.*20. *& in cap. cùm dilectus, num.*21. *de conſuetud. & in cap. cùm Eccleſia, num.*45. *de cauſa poſſeſſ.* Puteus *deciſ.*188. *lib.*2. Aretinus *d. conſ.*123. *in fine,* Molina *de Hiſpan. primog. lib.*2. *cap.*6. *num.*10. *& ſeq.*

7. Supradictis accedebat, quia non conſuetudo, ſed propriè præſcriptio eſt, quando qui illa vti volunt, non poſſunt ſuper illa ſtatuere. Barthol. *conſil.*136. incip. *Capitaneus patrimonij num.*2. *&* 3. Alexander *conſil.*173. *num.*12. *lib.*6. Balbus *de præſcript. part.*5. *quæſt.*10. *num.*7. Crauetta *de antiquit. temp. part.*4. *different.*5. *num.*6. Curtius iunior *conſil.*171. *num.*12. *lib.*2.

8. Vnde cùm in caſu propoſito, Capitulum non haberet poteſtatem ſtatuendi * in præiudicium Epiſcopi, conſequens erat, vt iſta præſcriptio eſſet potius, quàm conſuetudo cenſenda.

* adde ſuprà dec.390.n.9. & 10. & Coc. dec.283.n.1. & deciſ. 307. num.1.

Non obſtabat, quòd iſta *in cap. cùm Eccleſia*
9. *Vulterana, de elect.* conſuetudo appelletur, quia reſpondebatur, ex ſententia Abbatis *ibid. num.*6. propriè eſſe præſcriptionem, licèt textus, vocabulo abutendo, * conſuetudinem appellaret.

* adde infrà dec.861.n.5.

10. Non obſtabat textus *in l. venditor.* §. *ſi conſtat. ff. communia prædiorum*; vbi Vlpianus agens de conſuetudine extrahendi lapides ex fundis alienis, illam appellat conſuetudinem, & non præſcriptionem, licèt in auferendo verſetur.

11. Quia reſpondebatur primò, ex ſententia Abbatis *in cap. fin. num.* 20. *de conſuetud.* quod licèt ibi auferatur à particularibus, non acquiritur particularibus, ſed vniuerſo populo in communi.

12. Secundò reſpondebatur, & meliùs, quòd ibi nihil auferebatur à dominis prædiorum, cùm daretur pretium pro lapidibus ablatis, quod ſuccedebat locò rei. *l. ſed, & ſi lege. ff. de petit. hæredit.*

Ad Geminianum *conſil.*123. *num.*2. reſpondebatur, illud facere, pro hac parte, cùm ille firmet, 13.
eſſe præſcriptionem, & non conſuetudinem, ſi patroni vnius Eccleſiæ, ex vſu volunt acquirere contra Patronos ius præſentandi cum Patribus in ſolidum; ſic enim eſſet in caſu propoſito, vbi Canonici prætendebant conferre in ſolidum contra Epiſcopum, relicta ſibi vna ſola voce.

Ad *conſil.*6. Mariani Socini, *num.*2. *lib.*1. de con- 14.
ſuetudine remota ab actu, reſpondebatur aliàs in hac cauſa fuiſſe conſideratum, quando non agebatur de conſuetudine ſimpliciter, ſed de conſuetudine relata ad ſtatutum Eccleſiæ, vt videretur, an ſtatutum potuiſſet ſeruire Capitulo, de titulo interpretatiuo, ad effectum præſcriptionis, nunc autem aliam reſpicere conſiderationem.

Poſtremò ad deciſionem in cauſa Hiſpalen. 15.
voti reſpondebatur primò, rationem ibi fuiſſe longè diuerſam ab hac, de qua agebatur in hac facti ſpecie, quia ibi erat reciproca conſuetudo inter Canonicos; iſta autem reciprocatio non cadebat inter Capitulum, & Epiſcopum, quorum vnus * eſt caput, alij membra corporis Eccleſiæ: *cap. nouit. de his quæ fiunt à Prælatis.*

* adde Lud. dec.284.n.2. quod extende etiam ad Eccleſiam regularem, vt per Cocc. dec.157.n.1. & deciſ.316. num.1. & deciſ.360.

Secundò reſpondebatur, quòd ibi conſuetudo auferens votum familiari, antecedebat ius Canonici ſuperuenientis, & illud qualificabat potius, quàm auferebat; hîc verò præſcriptio auferens ſuffragium Epiſcopi, ſubſequitur poſt ius mediæ vocis Capituli, quæſitum Epiſcopo: præ-
ſcriptio † autem ius inductum tollit, conſuetudo 16.
verò ius quærendum inducit, Baldus *de præſcript. in principio, quæſt.*10. *num.*3.

† vide infrà deciſ. 1145. num.3.

---

## *Bononien. Euictionis.*

### Die Veneris 30. Aprilis 1599.

## DECISIO DCCLV.

ROta cenſuit, in ſententia ferenda ad fauo- 1.
rem Dominorum de Ballis, nominatim fuiſſe exprimendas ſummas infraſcriptas, & pro illis fuiſſe relaxandum mandatum exequutiuum exequendum ſuper bonis hæreditariis Comitis Hieronymi Rouerelli venditoris.

Primò ſummam librarum 2050. actualiter ſolutam per emptores in actu primæ venditionis.

Item ſummam lib.4596. ſolutam per empto- 2.
res in actu ſecundæ venditionis.

Item ſummam lib.2000. & ſecundò lib. 1332. & tertiò ſummam lib.1332. & quartò aliam ſummam lib. 1336. dummodo conſtaret de ratificatione Dominæ Lauræ; quoniam apparebat, fuiſſe ſolutas non ipſi Lauræ, ſed cuidam Paſqualetto, de cuius mandato non conſtabat.

Item ſummam lib.4190. quam conſtabat fuiſ- 3.
ſe ſolutam in actu tertiæ venditionis.

Item ſummam lib.1660. ſolutam in actu vltimæ venditionis.

Alia quædam ſumma lib.2550. non videbatur exprimenda, quia non conſtabat de actuali ſolutione, niſi per confeſſionem de recepto.

4. Alia ſumma lib. 754. ſimiliter non videbatur exprimenda, quia Comes ſolùm enuntiabatur debitor Dominorum de Ballis, de quorum credito non conſtabat aliter, quàm per ipſam confeſſionem.

Quantum ad depoſitum lib. 4150. dictum fuit, quòd exprimeretur in ſententia, & partes erant concordes, quòd reſtitueretur depoſitum, & Ballis conſignaretur.

---

## *Romana de Naris.*

### Die Veneris 30. Aprilis 1599.

SVMMARIVM.

2 *Donatio eſt nulla, ſi deficiant ſolemnitates requiſitæ ab ſtatuto vrbis.*

## DECISIO DCCLVI.

1. AD dubium datum, an tria loca montis fidei, cum vno quinto alterius loci, ceſſa per Pompilium Nauum ad fauorem Ioannis Antonij Nari, forent comprehenſa in ſententia A.C. ad effectum, vt Ioannes Antonius teneretur ſoluere partem pretij dictorum locorum, Domino Franciſco Naro eius fratri, Rota affirmatiuè reſpondit, ea tanquam communia, in ſententia fuiſſe comprehenſa, ratio fuit, quia cùm Ioannes Antonius prætenderat, iſta loca montium ad ſe pertinere vigore donationis ſibi factæ à Pompilio Naro, & donatio propter defectum ſolemnitatum à ſtatuto vrbis, requiſitarum *lib.4.c.22. & lib.5.cap.18.* in antiquis videretur nulla, Corneus *conſ.185.num.4.& 5.lib.2.* de quibus in ſententia, tamquam in ea comprehenſa, veniebant communicanda. Sed audiam iterum Ioannem Antonium ſi velit audiri, cùm agatur de intelligentia ſtatutorum in re graui.

Hæc deciſio non fuit habita in conſideratione, tum quia fuit facta vna tantùm parte informãte, & cauſa non multum diſcuſſa: tum quia in contrarium extabant duę deciſiones coram R. P. D. Seraphino in cauſa Romana montium die 8. Febr. 1574. & die 19. Nouembr. 1584. hæc annotatio reperitur in codice originali R. P. Penna; & prędictas deciſiones Seraphini reperies in eius impreſſ. dec. 216. & 679.

---

## *Gerunden. vini.*

### Die Mercurij 5. Maij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Dominium antiquiſſimum probatur per indicia, & coniecturas.*

4 *Dominium probatur ex actu recognitionis, facto inter recognoſcentem, & illum cui fuit recognitio.*

5 *Dominium arguitur ex voluntaria diſpoſitione.*

6 *Cuſtodes, & non domini dicuntur temporales adminiſtratores.*

7 *Dominium faciliùs probatur, quando agitur ad rei vendicationem, ſed ad alium effectum, & num. 12.*

9 *Beneficiarij conſenſus eſt neceſſarius ad aliquid innouandum circa beneficium.*

10 *Beneficij titulus licèt mutetur, non tamen mutatur dominium bonorum.*

11 *Dominium non probatur per inſtrumenta donationum, ſi non probetur, donantem eſſe dominium rei donatæ.*

## DECISIO DCCLVII.

* CApituli, & Canonici Eccleſiæ Gerunden. cum interuentu Epiſcopi, tanquam vnius de Capitulo, die 14. Aprilis 1586. præſupponentes dominium bonorum (quæ adminiſtrantur à Præpoſitis eiuſdem Eccleſiæ, & de quorum fructibus Præpoſiti quilibet in ſuo menſe ſolent neceſſaria Canonicis, & Capitularibus, pro ſua ſuſtentatione miniſtrare) ad ſe pertinere conſtituerunt, quòd Præpoſiti in futurum traderent vinum in ſpecie, iuxta quandam menſuram antiquam, quæ hactenus conſeruatur in dicta Eccleſia Gerunden. quemadmodum iidem Præpoſiti tradebant, antequam ab eodem Capitulo emanaſſet quædam alia ordinatio, ſeu ſtatutum, quo cauebatur, vt iidem Præpoſiti de cætero traderent certam pecuniarum quantitatem, loco prædicti vini: & quoniam Præpoſiti huiuſmodi ſtatutum anno 1586. factum impugnabant, negantes, Capitulo competere facultatem ſtatuendi ſuper fructibus dictorum bonorum, & cauſa introducta in Rota, & dubio generali propoſito, die 1. Februar. an Præpoſiti tenerentur tradere Epiſcopo, & Capitularibus, & aliis miniſtris, portiones Canonicales recipere ſolitas, & in ſpecie, vinum iuxta ordinationem vltimo loco factam, & viſum tunc fuit Dominis, dubium generale reſtringere ad aliud magis particulare, an conſtaret de dominio Eccleſiæ Gerunden. reſpectu bonorum de quibus agebatur; in hac propoſitione, vtraque parte informante, Rota cenſuit * de dominio Eccleſiæ conſtare ex his, quæ proponebantur per informantes pro Eccleſia Gerunden. Primum conſideratum fuit in hac facti ſpecie, difficultatem verſari circa dominium antiquiſſimum vltra 200. ferè annos, ideoque ad illud probandum, ſufficere indicia, & coniecturas. † Baldus *in l. indicia num. 5. C. de rei vendicat.* Socinus *conſil. 205. num. 3. lib. 2.* Decius *conſil. 146. num. 12.* Pariſius *conſil. 104. num. 102. lib. 1.* Riminaldus iunior *conſil. 23. num. 279. lib. 1.* Caſſadorus *deciſ. 2. num. 2. & 3. de probatio.* Verallus *deciſ. 238. & deciſ. 275. lib. 2. in manuſcript.*

1\. * habetur hæc deciſ. in recen. part. 2. dec. 12.

* adde Lud. dec. 29. n. 1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & vide infrà deciſ. 814. & deciſ. 868.

2\. † adde Rot. recen. part. 1. dec. 400. n. 1. Caual. deciſ. 93. n. 2. & 3. Seraph. dec. 453. n. 6.

3\. In caſu autem propoſito plura concurrere videbantur, ad prædicti dominij probationem. Primum, quia ex vetuſto quodam ſtatuto, ab Epiſcopo, & Canonicis edito anno 1302. (de cuius fide Rota non dubitabat) conſtabat, Præpoſitos, iam tunc iuxta conſuetudinem antiquam, & approbatam, ſolitos fuiſſe recipere adminiſtrationem temporalem à Capitulo, fideiuſſores de fideliter adminiſtrando dediſſe, & promiſiſſe præſtare onera impoſita, & imponenda, plurimaque alia, quæ etiam tempore præſenti facere, & præſtare reperiebantur, ex quibus apparebat, Præpoſitos Capitulum, tanquam Dominum recognouiſſe, ex actu enim recognitionis * probatur dominium inter recognoſcentem, & illum cui fit recognitio. Paulus de Caſtro *in l. ſi aliquam rem,* vbi Ripa *num. 38. ff. de acquirend.* Ancharanus *conſil. 310. num. 2.* Guido Papæ *deciſ. 272. num. 2.* Crauetta *conſil. 20. num. 11.* & fuit in ſimilibus cauſis deciſum *in Cæſarauguſtana alimentorum,* die 20. Februar. 1573. coram Domino meo Decano, † *& in cauſa Vicen. augmenti,* die 14. Decembris 1587. coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

4\. * adde Seraphin. deciſ. 1424. n. 2. & 3. Caual. deciſ. 267. n. 2. Rot. rec. p. 1. in d. dec. 400. num. 6.

† habetur in impreſſis Seraphini dec. 196. & ſupradicta regula fallit ſi agatur actione perſonali cõtra tertium poſſeſſorem, vt fuit dictum ſuprà dec. 121. n. 6.

Conſtabat



5\. Conſtabat præterea, Capitulum antiquiſſimis temporibus liberè, & ſine aliqua contradictione ſolitum fuiſſe diſponere de bonis, & fructibus Præpoſiturarum, diſmembrando ab vna, & alteri applicando, augendo etiam, & minuendo onera, prout temporum qualitas, & Canonicorum neceſſitas exigebat, ex quibus actibus arguebatur etiam dominium. * gloſſ. *in l. quidam in ſuo, in verb. amoueri, verſ. item nota argum. ff. de condit. inſtitut.* Baldus *conſil. 486. num. 4. & 5. lib. 1.* Aretinus *conſil. 15. num. 3.* Crauetta *conſil. 293. num. 1.*

*adde Cocc. dec. 242. n. 6. & ſeq.

6\. Tertiò, dominium Eccleſiæ magis confirmabat † excluſio dominij Præpoſitorum, ex eo potiſſimum deducta, quia cùm antiquitus Præpoſiti eſſent miniſtri temporales, ex quo deputabantur ad certum tempus, à ratione alienum videbatur, penes illos extitiſſe dominium, cùm ex temporali deputatione, cuſtodes potius, & adminiſtratores, quàm Prælati, & Domini conſtituti cenſerentur. Romanus *conſil. 350. num. 1.* Alexander *96. num. 2. lib. 4.*

† adde Seraphin. deciſ. 196. n. 1.

7\. Poſtremò, in hanc ſententiam eo faciliùs venerunt Domini, quia olim iſtæ Præpoſituræ in Eccleſia Gerunden. non erant tituli beneficiales, & collatiuæ, ſed ſimplices adminiſtrationes, quæ ad Epiſcopi, & Capituli arbitrium liberè concedebantur, ex quo etiam arguebatur concedentium dominium, *l. in re mandata. C. mandati,* & præſertim in hac facti ſpecie, in qua non agebatur de probatione dominij ad rei vendicationem, * ſed ad alium effectum, & conſequenter probationes leuiores ex coniecturis, & præſumptionibus collectæ ſufficiebant, Paulus de Caſtro *conſil. 4.* incip. *In cauſa mota, num. 1. verſ. tamen quia dominium, lib. 2.* Boërius *deciſ. 42. num. 8.* Socinus *conſil. 112. num. 23. lib. 4.* Verallus *deciſ. 280. num. 4. part. 1.*

* adde Rot. recen. part. 1. dec. 150. n. 1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & vide infrà n. 12.

8\. Neque prædictis obſtabant deducta per informantes, pro Præpoſitis, & primum, quòd diſpoſitiones per Capitulum factæ de dictis Præpoſituris non proceſſerunt indiſtinctè, ſed Præpoſituris tantùm vacantibus, & conſequenter ex hoc non poſſe argui aliquod Eccleſiæ dominium.

Quia reſpondebatur primò, dictas diminutiones, & detractiones ideo vacantibus Præpoſituris fuiſſe factas, quia durante tempore locationis, propter correſpectiuitatem inter fructus, & terras aſſignatas, & onera Canonicis perſoluenda, & alias conuentiones initas inter Canonicos, concedentes Præpoſituras, & Præpoſitos eaſdem Præpoſituras accipientes in adminiſtrationem, tales mutationes, & innouationes fieri non poterant.

9\. Secundò reſpondebatur, vacantibus Præpo-

10\. ſituris, fuiſſe factas à Capitulo prædictas diminutiones & mutationes liberè, nullóque conſtituto à Præpoſitis defenſore, aut exacto eorum conſenſu, quod fieri non potuiſſet, ſi Præpoſiti fuiſſent Domini, *c. 1.* cum *ibi* notatis, *ne ſede vacan. cap. 1.* vbi gloſſa, & Canoniſtæ, *de reb. Eccleſ. non alienan. lib. 6.*

* adde Lud. dec. 29. n. 2. vbi allegat hanc dec. ad propoſitum, & vide infrà dec. 814. n. 2. & 3. & Duran. dec. 340. n. 11. qui loquitur in terminis Præpoſiturarum de quibus in præſenti.

Præterea non obſtabat, quòd Præpoſituræ deinde fuiſſent factæ collatiuæ; * & nunc in ſtatu collationis reperirentur; quia reſpondebatur, quòd licèt titulus fuiſſet mutatus, non tamen cenſebatur mutatum dominium bonorum, & in Præpoſitos tranſlatum, cùm non præſumeretur, Papam propter ſuas collationes, dominio Capituli præiudicare voluiſſe, & collationes fuiſſe admiſſas cum ſuis honoribus, & oneribus, vt aliàs Rota reſponderat *in cauſa Vicen. augmenti,* die 4. Decembr. 1587. coram Domino Cardinali Blanchetto; licèt enim tituli transferrentur de vno in alium, dominium tamen bonorum, quod nunquam vacauit, non cum titulis fuit in Præpoſitos tranſlatum. Corneus *conſil. 225. num. 1. & ſeq. lib. 1.*

Rurſus non obſtabat, quòd per inſtrumenta donationis non probetur dominium, niſi præterea doceatur donantem † fuiſſe dominum. Afflictus *deciſ. 40. num. 3.* 11.

† adde ſuprà dec. 466. n. 4. Mant. deciſ. 198. n. 1. & 2.

Quia reſpondebatur, id procedere in rei vendicatione, * non autem quando agitur de dominio ad alium effectum, prout in caſu propoſito, in quo non agebatur de auferendis bonis à Præpoſitis, ſed de ſuſtinendis oneribus, eis impoſitis, vel imponendis iuxta antiquam conſuetudinem, quo caſu, ad probandum dominium, leuiores probationes ſufficiunt. Afflictus *deciſ. 23. num. 4. & 5.* cum aliis ſuprà allegatis. 12.

* quia tunc dominium probandum eſt concludenter, Coc. dec. 69. n. 1. & 2. Rot. rec. p. 1. dec. 290. n. 6. & deciſ. 150. n. 1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Non obſtabat præterea, quòd non probaretur identitas bonorum donatorum Eccleſiæ, cum bonis poſſeſſis à Præpoſitis, quia reſpondebatur, in iſtis antiquiſſimis ſatis videri probatam identitatem, tum ex ſupradictis, tum ex eo, quòd adhuc Præpoſituræ retinent nomen illorum bonorum, Eccleſiæ donatorum, tum denique, quia non docebatur alia bona ab illis diuerſa à Præpoſitis poſſideri. 13.

Similiter non obſtabat, quòd in quibuſdam locationibus, à Præpoſitis factis, diceretur, *ſaluo iure directi dominij Præpoſiturarum.* 14.

Quia reſpondebatur primò, id non potuiſſe nocere Capitulo abſenti, & ignoranti.

Secundò reſpondebatur, ſimiles aſſertiones intelligendas, de dominio directo Præpoſiturarum, à Capitulo olim inſtitutarum, penes quod erat, atque eſt directum bonorum dominium: Præpoſiti enim ea locarunt, non tanquam Domini, ſed tanquam Præpoſiti, & adminiſtratores.

Atque ex his fuit concluſum, conſtare de dominio Eccleſiæ Gerunden.

An autem Capitulum potuerit * reuocare ſtatutum factum anno 1313. ex eo quòd prætenderetur factum in vim contractus, & ſtante conſenſu Præpoſitorum, Domini particulariter videre voluerunt.

* de quo infrà dec. 868.

---

## *Romana deuolutionis domus.*

### Die Veneris 7. Maij 1599.

SVMMARIVM.

5 *Emphyteuſis eſt contractus ſtricti iuris, & ideo quod non eſt expreſſum, cenſetur omiſſum, & num. 7.*

6 *Emphyteuſis non comprehendit ius nominandi, vel eligendi, niſi expreſsè dicatur.*

8 *Clauſula generalis inſtrumenti non refertur ad ea, quæ ſpecialiter ſunt conuenta.*

9 *Conceſſio facta intelligitur ſecundùm formam petitionis.*

DECI

## DECISIO DCCLVIII.

1. CApitulum Baſilicæ S. Petri, domum ſitam in vrbe, in Regione Pontis, in emphyteuſim conceſſerat Aloyſio Sermeliori, ad tertiam nominationem, pro annuo Canone ſcutor. 20. monetæ.

2. Aloyſius, cùm nullos ſuſcepiſſet filios, anno 1565. eandem domum donauit Sarræ de Alexiis, ſuo genero, & de conſenſu eiuſdem Capituli, omnia iura conceſſionis ſibi competentiæ, in eum tranſtulit; Sarra deinde moriens, duos reliquit filios, Horatium, & Alexandrum, & in diuiſione hæreditatis Sarræ, Horatius habuit domum, & Alexander Religionem fuit profeſſus.

3. Cùm Horatius ære alieno eſſet grauatus, & vigore cuiuſdam mandati executiui, ſuper dicta domo executi.

Eadem domus Angelo Carpino, tanquam plus offerenti, pro pretio ſcutorum 500. fuiſſet adiudicata, idem Horatius ab eodem Capitulo petiit, & obtinuit, transferri periculum vitarum Horatij, & Alexandri in vitam prædicti Angeli pro ſecunda generatione, & pro tertia, & vltima in perſonam Laurentij, eius filij, Laurentio deinde vitâ functo, quia idem Angelus condito teſtamento, Octauium Bombinum ad prædictam domum nominauerat, & Capitulum ob finitam lineam domum ad ſe deuolutam prætendebat, ad litem dirimendam, Rotæ ſuffragium petitum eſt: dubio igitur, an Angelo competeret ius nominandi, ſæpe in Rota propoſito, nempe die 23. Ianuarij, & die 20. Martij præſentis anni, eoque ob diſſentientes Dominorum ſententias, non reſoluto, denique die 7. Maij, Rota cenſuit, Angelo ius nominandi non competiuiſſe.

4. Quia licèt domus eſſet ſubhaſtata, & adiudicata Angelo Carpino, emphyteuſis tamen penes Sarram de Alexiis, & eius generationes remanebat, & ſimiliter penes eos erat ius, ſeu facultas nominandi, quæ cùm non eſſet expreſſa in conceſſione Angelo facta, non erat cenſenda comprehenſa, quia cùm emphyteuſis ſit contractus

5. ſtricti iuris, * quidquid non eſt in ea expreſſum, cenſetur omiſſum. *l. quidquid adſtringendæ. ff. de verbor. obligat. l. ſi cùm dotem, ff. ſolut. matrim.* Pariſius *conſil.* 117. *num.* 6. *lib.* 1. & in terminis contractus emphyteutici, tenuit Rolandus *conſil.* 58. *num.* 63. *lib.* 3.

* addo infrà deciſ. 1066. n. 6. & Dur. dec. 300. n. 1.

6. Præterea, ius nominandi, aut eligendi, non venit in emphyteuſi, † niſi expreſsè dicatur. Berous *conſil.* 106. *lib.* 1. vnde cùm in inſtrumento conceſſionis, Angelo factæ, ſolùm legeretur, Capitulum conceſſiſſe domum ad vitam Angeli, pro ſecunda generatione, & ad vitam Laurentij filij, pro tertia generatione, & nihil exprimeretur de conceſſa facultate ad nominandum, non debuit conceſſio, de generatione loquens, ad nominationem extendi, cùm in hoc contractu, ſtandum ſit in puris terminis verborum, Iaſon *in l. ſi quis id quod, paulo ante finem, ff. de iuriſdict. omn. iud.* Corbulus *tract. de emphyteuſi tit. de cauſa priuat. ob lin. finitam, num.* 4.

† quia tota ſubſtantia emphyteuſis pendet ex tenore inueſtituræ, Rota recen part. 1. dec. 669. n. 4. in fine.

7. Neque prædictis obſtabant illa verba, poſita in inſtrumento conceſſionis, cum pactis, conditionibus, & promiſſionibus, in inſtrumento primæ conceſſionis contentis, quaſi nominatio etiam hìc cenſeretur repetita, cùm in primo conceſſionis inſtrumento eſſet expreſſa. Quia re- 8.
ſpondebatur primò, iſtam clauſulam generalem non referri ad ea, quæ ſpecialiter fuerant conuenta. *l. talis ſcriptura. ff. de legat.* 1. Socinus *conſil.* 22. *num.* 5. *lib.* 3. Pariſius *conſil.* 36. *num.* 20. & *conſil.* 53. *num.* 37. *lib.* 2.

Secundò dicebatur, iſtam clauſulam declarari 9.
à petitione Angeli, qui petiuerat ſolùm ſibi conceſſionem, pro ſe, & Laurentio filio, quod intelligebatur reſpectu conceſſionis ad ſuam, & Angeli filij ſui vitam, ſecluſo iure nominandi, quod ab Angelo petitum non fuerat, cùm reſponſio, ſeu conceſſio, facta intelligatur ſecundùm formam petitionis. *l. vt reſponſum. C. de tranſact. l. ſi defenſor. §. qui interrogat. ff. de interrog. action.* Alex. *conſil.* 84. *n.* 7. *lib.* 1. hanc autem fuiſſe intentionem Angeli, apparebat etiam ex ſerie inſtrumenti conceſſionis, quia Angelus ſemper locutus, & ſtipulatus fuerat pro ſe, & Laurentio filio tantùm, non autem pro aliquo nominando.

Præterea non obſtabat, quòd Capitulum 10.
conſenſerat ſubhaſtationi, & deliberationi domus, in qua veniebat etiam ius nominandi.

Quia reſpondebatur, per ſubhaſtationem, & deliberationem non fuiſſe tranſlatum ius generationum, & nominationis, ſed commoditatem tantùm, durantibus generationibus, & nominatione.

Dicebatur etiam quòd licèt verum eſſet, quòd 11.
in deliberatione, ſeu adiudicatione domus veniebant generationes, & nominationes, quæ competebant debitori, id intelligebatur, quòd penes creditorem permanebat domus, donec durabant generationes, & nominationes debitoris, ſi debitor nominaſſet; iſta tamen iura non transferebantur in perſonam, & vitam creditoris, & eius filij, ideóque cùm Angelus cuperet, quòd vitæ debitori competentes mutarentur, & transferrentur in vitas ipſius Angeli, & Laurentij filij, ad hoc vt Capitulum faciliùs concederet, ſolùm petiuit transferri vitas: de nominatione autem non videtur curaſſe.

---

### *Cæſarauguſtana penſionis.*

### Die Veneris 7. Maij 1599.

## DECISIO DCCLIX.

SVper dubio dato, an proceſſus factus coram 1.
A. C. ſuper manutentione exigendi penſionem, ad fauorem Matthiæ Pujades, eſſet nullus, & iniuſtus, vel potiùs validus & iuſtus, quia Domini non fuerunt concordes, & nullitates videbantur turbidæ, pro faciliore cauſæ expeditione, ordinatum fuit, quòd Matthias peteret à Rota mandatum de manutendo.*

* de quo infrà dec. 780.

---

### *Romana domus.*

### Die Lunæ 10. Maij 1599.

### SVMMARIVM.

3.4 *Qualitates duæ requiſitæ in hærede per teſtatorem, ſi deficiant, non eſt capax hæres ad eam habendam, licèt vnam habeat.*

*Emphy*



5 *Emphyteuſis relicta pro ſe, & conſanguineis, & hæredibus, deficiente vna parte, deuoluitur res ad Dominos directos.*

## DECISIO DCCLX.

1. ANno 1541. data fuerat domus in emphyteuſim Carolo Saraceno Annæ illius vxoris, & eorum hæredibus, & ſucceſſoribus vſque ad tertiam vtriuſque ſexus generationem, ab adminiſtratoribus Hoſpitalis Eccleſiæ S. Ludouici, cum pacto, quòd prima generatio à Carolo, & Anna inciperet, cum clauſula, * *ad habendum.*

*emphyteuſis conceſſa cum clauſula, ad habendum, quid operetur, vide Rot. rec. p. 1. dec. 287. & 438. n. 2.

Ex Carolo, & Anna primis acquirentibus nati fuerunt Carolus Sarracenus iunior, & Claudia, & ex Claudia, & Raynaldo frater Ludouicus, Monachus Sanctorum Ioannis, & Pauli, & Angela Monialis Sanctæ Mariæ Ordinis Sanctæ Claræ.

2. Carolus Sarracenus domum poſſedit, dum vixit, & moriens vniuerſalem hæredem inſtituit Hieronymum Armettum, qui ſimiliter poſſeſſionem domus accepit.

Cùm verò, defuncto Carolo, Eccleſiæ S. Ludouici ad deuolutionem domus, ob lineam finitam egiſſet contra prædictum Hieronymum, Vicarius deuolutam domum declarauit, & Eccleſiam in ipſius poſſeſſionem immittendam cenſuit.

3. In gradu appellationis dubitaui, an prædicta ſententia eſſet confirmanda. Et quamuis pro Eccleſia adducerentur multa fundamenta, ad probandum, locum factum fuiſſe deuolutioni, nempe quòd domus cenſeretur deuoluta ob finitas generationes, & perſonas in emphyteuſi comprehenſas, de quarum numero non erat Hieronymus, in quo non concurrebat vtraque qualitas, * quia licèt eſſet hæres, tamen non erat de generatione. Bartolus *in l. vt iuſiurandi, § ſi liberi, verſ. quia conceſſio, num.* 4. *ff. de oper. libert.* Alexander *conſil.* 44. *num.* 1. *lib.* 1. Iulius Clarus *in §. emphyteuſis quæſt.* 37. *num.* 2.

* de hoc art. ſuprà deciſ. 294. n. 4. & 5.

4. Item Ludouicum Monachum, & Angelam Monialem non eſſe habendos in conſideratione, quia licèt eſſent de generatione, non tamen erant hæredes. Iaſon *in l. ſi non ſortem. §. libertus num.* 35. *ff. de condict. indeb.* Iulius Clarus *in §. emphyteuſis, quæſt.* 18. *verſic. aut verò erat ſolita, num.* 6.

5. Item quia non verſabamur in emphyteuſi priuata, ſed Eccleſiæ, cum clauſula *pro ſuis hæredibus,* * quo caſu videbatur Monaſterio acquiſita, ſed ad Eccleſiam deuoluta. Burſatus *conſ.* 199. *num.* 13. & 14. *lib.* 2.

*adde Caualer. dec. 316. n. 4. & 5. & Seraph. dec. 703. n. 1.

Hæc tamen fundamenta, & alia pro Eccleſia S. Ludouici adducta, tanquam vel incerta, vel multis iuris difficultatibus inuoluta, non placuit Dominis, ſed cauſam reſtrinxerunt ad caducitatem.

---

### *Montis Regalis iuriſdictionis.*

### Die Lunæ 10. Maij 1599.

### SVMMARIVM.

1 *Eccleſia erecta in Metropolitanam, cùm aſſignatione alterius, hæc deſignata dicitur ſuffraganea.*

2 *Metropoliticum ius Eccleſiæ eſt incorporale, & ſolùm transfertur ex priuilegio Apoſtolico.*

3 *Archiepiſcopalis iuriſdictio transfertur ex pallij traditione.*

4 *Pallij vſus eſt ſignum Archiepiſcopalis iuriſdictionis.*

5 *Poſſeſſione apprehenſa in Eccleſia principali, apprehenditur in tota diœceſi per Epiſcopum.*

6 *Apoſtolicæ prouiſiones cùm effectum ſint ſortitæ, inducunt effectuationem gratiæ.*

8 *Priuilegium continens diuerſas partes, ſi probetur vſus reſpectu vnius, conſeruatur reſpectu aliarum.*

10.11 *Reſeruatio beneficij ſine aliquo hominis miniſterio operatur executionem.*

12 *Papa ſi eximit, aut liberat aliquem à iuriſdictione alterius, confeſtim hæc diſpoſitio trahit ſecum executionem.*

## DECISIO DCCLXI.

PRopoſito dubio, an conſtaret de effectuatio- 1.
ne erectionis, Rota vtraque parte informante, conſtare cenſuit. Primò, quoniam eo ipſo, quod à Lutio tertio fuerat Eccleſia Montis Regalis in Archiepiſcopalem erecta, cum aſſignatione Eccleſiæ Cathanienſis in ſuffraganeam, cenſebatur ſecuta effectuatio, & tranſlata poſſeſſio, ita vt Eccleſia Montis Regalis ius & exercitium ſuperioritatis in Cathanienſem fuerat conſecuta. Baldus *in cap. cæterùm, num.* 8. *de iudic.* Natta *conſil.* 398. *num.* 21. & 27. *lib.* 2. Socinus iunior *conſil.* 94. *num.* 5. *lib.* 2. Iaſon *in l. quoties num.* 5. & 6. *C. de rei vendic.* idem *conſ.* 148. *num.* 7. *verſic. ſi verò Princeps, lib.* 4.

Præterea, cùm ius Metropoliticum non eſſet 2.
penes Eccleſiam Cathanienſem, nec penes aliquem alium Archiepiſcopum eiuſdem, aut alterius Prouinciæ, ſed penes Romanum Pontificem, cui Eccleſia Cathanienſis immediatè erat ſubiecta, per conceſſionem iuris Metropolitici, quod Papa à ſe abdicando, tranſtulit in Archiepiſcopum Montis Regalis, non ſolùm fuit acquiſitum eidem Archiepiſcopo ſimplex ius, & dominium iuris Metropolitici, (quod cùm ſit incorporale, ſolo priuilegio transfertur,) ſed etiam quaſi poſſeſſio ipſius iuris. Innocentius *in cap. cùm noſtris, num.* 3. *de conceſſ. præben.* Baldus *in l. vt inter diuinum num.* 14. *verſic. adde quòd. C. de ſacroſanct. Eccleſiis.* Capicius *deciſ.* 121. *num.* 9. Grammaticus *deciſ.* 54. *num.* 44.

Atque iſtius iuris acquiſitionis confirmatio- 3.
nem roborabant actus, & euentus ſubſecuti, quoniam à tempore erectionis Eccleſia Montis Regalis habita, & nominata fuit Archiepiſcopalis, & Eccleſia Cathanienſis, tanquam illius ſuffraganea, fuit deſcripta in libro Prouinciali, quem Romana ſeruat Cancellaria, & in libro taxarum, & iuramentorum, quem ſeruat Camera Apoſtolica, Archiepiſcopis etiam Montis Regalis, qui pro tempore præfuerunt,* pallium (in quo plenitudo iuriſdictionis Archiepiſcopalis confertur, *cap. niſi ſpecialis,* vbi communiter Canoniſtæ, *de auctorit. & vſu pallij,*) ſemper fuit traditum, & quod amplius eſt, vſus eiuſdem pal- 
lij, quod antea Cathanienſi, tanquam immedia- 4.
tè Sedi Apoſtolicæ ſubiectæ, tradebatur, fuit

* adde ſuprà dec. 734. n. 2. & 3. & ferè per totam.

interdi

interdictus,ita vt Epiſcopis Cathanienſibus amplius pallio vti non licuerit. Vnde cùm vſus pallij ſit pars iuris Metropolitici, reſpectu totius Prouinciæ, *cap.1. de auctor.& vſu pall.* & Archiepiſcopi Montis Regalis eo fuerint vſi priuatiuè quoad Epiſcopos Cathanienſes, per hos quoque actus, videbatur nedum effectuata, ſed fortiùs etiam roborata quaſi poſſeſſio iuris Metropolitici, Innocentius *in cap. dilectus num.2. de Capell. Monachor.* Antonius de Butrio *in cap. fin. de reſtit. ſpoliat. num.19.* vbi notabiliter ait, vtentem iure competente dignitati, de qua fuit prouiſus, acquirere quaſi poſſeſſionem totius iuris vniuerſalis.

5. Ac ſupradictis etiam accedebat, quoniam capta poſſeſſione dignitatis, aut Eccleſiæ, in ipſa Eccleſia principali, conſequenter cenſetur apprehenſa quaſi poſſeſſio omnium iurium, ad ipſam dignitatem, & Eccleſiam pertinentium, * quæ per alium non poſſidetur. Bartolus, Aretinus, & communiter ſcribentes, *in l. cùm hæredes. ff. de acquir. hæred.* Abbas *in cap. cùm ſuper num.20. in fine, de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Antonius de Butrio *in dicto cap. fin. num.19. de reſtit. ſpoliat.* Bertachinus *tract. de Epiſcop. lib.3. part.1. quæſt.16.*

*adde ſuprà dec.699.n.6. & deciſ.734. n.2. Caualer. dec.240.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Denique ad eundem effectum probandi effectuationem erectionis, placuerunt Dominis deducta in deciſione, in hac cauſa facta die 18. Decembr. 1598. *

* ſuprà deciſ.734.

6. Ad ea verò quæ pro parte Epiſcopi Cathanienſis proponebantur, facilis erat reſponſio.

Nam ad primum, quòd non conſtaret de effectuatione aſſignationis prouinciæ, dicebatur non ſubſiſtere, quia ex priuilegio erectionis Eccleſiæ Montis Regalis in Metropolim, cum ſubiectione Cathanienſis, plenè & ſufficienter conſtabat de prædicta aſſignatione, cum effectuatione quoque ſubſecuta, quam agnouiſſe etiam videbantur Romani Pontifices Nicolaus V. Sixtus IV. Clemens VII. & Pius V. ex quorum patentibus litteris, in forma authentica productis apparebat, eos de Eccleſia Cathanienſi, tanquam de ſuffraganea Eccleſia Montis Regalis prouidiſſe, ac diſpoſuiſſe, quorum prouiſiones cùm effectum eſſent ſortitæ, manifeſtiùs effectuationem erectionis arguebant, Natta *dicto conſ.398. num.27.*

Rurſus non obſtabant quæ dicebantur de non vſu iuris Metropolitici.

7. Quia reſpondebatur primò, vſus reſpectu quorundam iurium Metropoliticorum, non fuiſſe controuerſum, ſicut non erat controuerſus, reſpectu Epiſcopi Siracuſani.

8. Secundò reſpondebatur, ad retinendum vſum priuilegij, ſufficere conſtare de ipſius vſu, reſpectu alicuius rei, * vel actus. Felinus *in cap. auditis num.19. de præſcript.* & fuit iam deciſum *in hac cauſa*, die 18. Decembr. 1598. †

*adde Seraph. deciſ. 1043. n.4. & annot. ad deciſ.557. Lud. num.9.

† ſuprà deciſ.734. n.12. & 13.

Tertiò reſpondebatur, quòd cùm Archiepiſcopus haberet pro ſe clarum erectionis priuilegium, cum ſubiectione Eccleſiæ Cathanienſis, nec pro parte Cathanienſis doceretur de legitima exemptione, aut præſcriptione à prædicto
9. iure Metropolitico, non erat ius Archiepiſcopi in controuerſiam amplius deducendum, imò ipſe liberè eo vti poterat, quamquam non oſtenderet, (quod ad ipſum minimè pertinebat) Archiepiſcopos ſuos anteceſſores eo iure in Epiſcopos, & Eccleſiam Cathanienſem, fuiſſe vſos.

Et omnem difficultatem tollebat diſtinctio gratiarum, & diſpoſitionum à ſummis Pontificibus, vel Principibus, vel à iure factarum, & conceſſarum, ex quibus quædam non ſtatim ſecum trahunt executionem, ſed aliquo hominis miniſterio indigent: quædam verò ſtatim ſine aliquo hominis miniſterio executionem ſecum trahunt, ac omiſſis primis, quæ non pertinent ad hanc ſpeculationem, poſterioris generis ſunt (exempli gratia) liberationes, *l.1. §. ſi debetur, ff. vt in poſſeſſionem legat. cat. cap. excommunicationis, cap. paſtoralis, §. verum.* vbi gloſſa *in verb. cùm executionem, de appellat.* Seruitutes quoque, & exemptiones eiuſdem ſunt naturæ, quamprimum enim Papa reſeruat beneficia, reſeruatio ſine aliquo hominis miniſterio operatur executionem, Mandoſius *ſuper reg.9. de reſeruat. quæſt.4.* Similiter cùm Papa dicit, *eximimus, & liberamus*, confeſtim hæc diſpoſitio trahit ſecum executionem, neque opus eſt alio conſtitutionis vſu, ſed ei qui vult talem conſtitutionem impugnare, neceſſe eſt, vt proferat contrarios actus ei liberationi, aut exemptioni. 10. 11. 12.

Vnde cùm in caſu propoſito, Papa Eccleſiam Cathaniemſem, Sedi Apoſtolicæ ſubiectam, in erectione Eccleſiæ Montis Regalis in Archiepiſcopalem, eidem tanquam ſuffraganeam aſſignauerit, cum plena iuris Metropolitici poteſtate, ſtatim hæc aſſignatio, vigore Apoſtolicæ conceſſionis, executionem ſuam fuit ſortita: ita vt Archiepiſcopus iure ſibi conceſſo, liberè vti poſſit, abſque eo quòd docere teneatur de aliquibus actibus, vigore facultatis ſibi conceſſæ factis. 13.

Ex prædictis denique patebat reſponſio ad Caſſadorum *deciſ.7. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* quæ non applicabatur ad hanc facti ſpeciem, cùm enim erectionis priuilegium eſſet ſuper ſtatu ſubiectionis, & Epiſcopus Cathanienſis ſoli Sedi Apoſtolicæ, non alteri Metropolitano eſſet ſubiectus, per ipſam conceſſionem deſiit Papa poſſidere, & erectio Pontificis ſimul traxit ſecum executionem effectuationis. Bartolus *in l. miles. §. qui indicati. num.5. verſ. ſed ſi eſt ſciens peto. & num.9. verſic. quintò quæro. ff. de ſentent. & re iudic.* 14.

---

## *Virdunen. Iuriſdictionis.*

### Die Mercurij 14. Maij 1599.

SVMMARIVM.

1 *Compulſoriales conceduntur pro ſcripturis proceſſus, vnà cum citatione, & inhibitione.*

2 *Appellanti incumbit onus tranſportandi proceſſum.*

3 *Compulſoriales, quæ dantur initio cauſæ, ſunt generales, & ideo comprehendunt omnia neceſſaria ad cauſam.*

4 *Modus compulſandi ſcripturas, debet eſſe cum monitorio contra Archiuiſtam, qui certis diebus, & horis tenetur aperire archiuium.*

## DECISIO DCCLXII.

AD dubium ſuper iuribus, & ſcripturis contentis in memoriali Decani Eccleſiæ Virdunen. 1.



dunen. an omnia, vel aliqua eſſent extrahenda, & quomodo; Rota, vtraque parte informante, affirmatiuè reſpondit, concedendas fuiſſe compulſoriales generales, pro extrahendis dictis ſcripturis in memoriali contentis; quia reſpectu ſcripturarum, quæ erant de actis, & proceſſu (pro quo extrahendo ab initio cauſæ, vnà cum citatione & inhibitione dantur compulſoriales,) non poterant modò denegari, quæ dandæ erant etiam pro actis, & ſcripturis, concernentibus cauſam reſtitutionis fructuum, quos prætendit Decanus.

2. Et licèt onus tranſportandi pertineret ad Capitulum Virdunen. appellans, * ipſo tamen non tranſportante, Decanus qui volebat proſequi cauſam, poterat tranſportare.

* Caual. dec. 43. n.1. & 2.

3. Quantum verò ad alias ſcripturas, quæ non erant de actis, nec de proceſſu, reſponſum fuit extrahendas quoque fuiſſe, quia erant communes, † maximè cùm compulſoriales, quæ dantur initio cauſæ, ſint generales pro omnibus iuribus.

*adde Cocc. dec.424. n.4.

4. Modus autem eſt, cum monitorio contra Archiuiſtam, qui certis horis, & diebus debeat teneri apertum archiuum, & ſcripturas prædictas permittat compulſari.

Quantum ad clauſulam, *ſublata*, & alias, de quibus in diffinitione controuerſiarum facta per fel. record. Gregorium XIII. dicebatur de ea non conſtare, & Decanum etiam offerre ſe paratum, illi acquieſcere.

---

## *Burgen. beneficij de Sobarzo.*

### Die Lunæ 17. Maij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Iuſpatronatus pertinens ad diuerſas familias, computantur vota in ſtirpes, & non in capita.*

3.4 *Suffragia plura non habent in iure patronatus familiaris, quot ſunt capita, ſed quot ſtirpes.*

## DECISIO DCCLXIII.

1. VTraque parte informante, dubitaui, an vota, ſeu ſuffragia Patronorum deberent computari in capita, vel in ſtirpes, ad effectum,
2. de quo agebatur, nempe vtrùm Lucas de Sancto Petro, vel Petrus Velez, eſſet præferendus, & Rota in ſtirpes cenſuit computanda, * iuxta textum *in Clement. plures, de iure patron.* Lambertinus *de iure patron. lib.1. part.2. principali art.26. num.5. verſ. ſed nos habemus*, Rochus *in verb. ipſe vel is, num. 2.* Caſſadorus *deciſ. 2. de iure patron.* Gabriel *conſil.196. num.3. & 4. lib.2.* & fuit ſæpe in Rota deciſum, & ſignanter *in cauſa Taurinen. iuriſpatronatus*, die 11. Ianuar. 1585. coram Domino meo Pamphilio.

*de hoc art. ſuprà deciſ. 32. & infrà dec.934. n.6. & 7. & Garc. diſcep. foren. c.521. n. 13. & ſeq. vbi n. 16. ad propoſitum allegat hanc deciſ.

3. Hæc autem deciſio, iuſta ratione munita videbatur, quia ſi primi acquirentes iuſpatronatus fuerunt duo, & vnus procreauit multos filios, alter verò pauciores, iniquum eſſet, vt plures illi quorum pater vnicam habuit vocem, plura haberent ſuffragia, quam habituri forent filij pauciores alterius compatroni, † quare iuſtitia ſuadente, cùm iſti ſuccedant duobus æqualibus ſtipitibus, æqualia ſuffragia habere debent. Lambertinus *de iurepatronat. lib.1. part.2. quæſt. 1. artic.25. num.8.* & conſequenter hoc caſu ſuffragia non in capita, ſed in ſtirpes veniunt computanda. *

* cum non debeat attēdi maior numerus patronorum in abſtracto, ſed eorũ qui realiter præſentant, vt per Duran. deciſ. 199. n.10. & ſeq.



*adde Riccium in praxi Curiæ Archiep. Neap. p.2. dec.120. vbi n. 4. ad propoſitum allegat hanc deciſ. licèt malè ſit annot. die 16. Iunij 1586.

Quod in hac facti ſpecie ſine difficultate receptum fuit, reſpectu quatuor familiarum principalium, nempe de Quintanilla, de Mediauilla, de Pomarejo, & Sanchez del Cotero, de quibus fuit dictum in hac cauſa coram me die 16. Iunij 1589. † nam omnes de vna familia, tanquam conſtituentes vnum corpus, diuerſum ab alia familia, habebunt vnam vocem: omnes autem de alia familia habebunt aliam vocem. 4.

† ſuprà dec. 32. n.11. & 12.

Reſpectu autem quinque familiarum dependentium, videlicet de los Pietros, & la Piada, del Dueſo, de Somauilla, & de Aluado; viſum etiam fuit, vt ad Abbatiam, (de qua agebatur) maior pars cuiuſlibet domus, ſeu familiæ principalis, & alterius ab ea dependentis, vnicum haberet ſuffragium, ita vt ille, qui plures habuerit voces, ex prædictis familiis, prædicto modo computatis, alteri eſſet præferendus, quod iuri conſonum videbatur, ne familiæ dependentis maius eſſet priuilegium, quàm principalis, quod contingeret, ſi quælibet familia principalis haberet vnicam tantùm vocem, dependens verò ab illa, haberet plures. 5.

---

## *Carthaginen. decimarum.*

### Die Lunæ 17. Maij 1599.

SVMMARIVM.

3 *Decimarum ſolutio, de qua* in cap. nuper, de decimis, *debetur, ſi in priuilegio exemptionis non derogetur.*

4 *Clauſula*, ſublata, *& decretum irritans, ſuſpicionem tollit ſubreptionis, vel obreptionis.*

5 *Decimarum ſolutionis exemptio ex priuilegio, non extenditur vltra caſus priuilegij.*

6 *Priuilegium exemptionis ſolutionis decimarum habet implicitam communicationem virtualiter, derogationis.* c. nuper, de decimis.

7 *Derogationis poſitæ in priuilegio communicato, cenſentur repetitæ in priuilegio communicante.*

8 *Clauſula*, quorum tenores, *efficit, vt omnia poſſint de verbo ad verbum inſeri in priuilegio, ad quem refertur.*

## DECISIO DCCLXIV.

CVm Monaſterium S. Petri de la Noya, Ordinis Sancti Hieronymi, acquiſiuiſſet quædam prædia ab Alphonſo Vazquedano, arboribus mororum conſita, de quorum filiis antea Epiſcopus, & Capitulum decimas percipiebant, & Monaſterium vigore ſuorum priuilegiorum exemptionem prætenderet, ita vt amplius ad ſolutionem prædictarum decimarum non teneretur; lite primum ſuper eo articulo in partibus introducta anno 1582. coram Prouiſore Carthaginen. ille ad fauorem Epiſcopi & Capituli ann. 1584. pronuntiauit, & deinde Rota an. 1588. ſententia de partibus confirmauit, & mandatum de manutenendo prædictarum ſententiarum vigore Epiſcopo, & Capitulo conceſſit. 1.

1. Hæc deciſio fuit lata coram Gyptio extenſa per Peñ. vt patet infrà dec. 1090. n.5. vbi fuit receſſũ ab hac reſolutione, & ab aliis in præſenti cauſa factis.

2. Cæterùm, quia Monaſterium ſemper opponebat ſuam exemptionem, * & Epiſcopus, & Capitu

* de hoc art. vide Coccin. deciſ.279. & Seraph. dec. 1380. n 3.

* verba huius priuilegij referuntur infrà deciſ. 864.

† ab hac ſolutione receſsũ fuit infrà dec.1090.

Capitulum excipiebat de *cap. nuper, de decimis*; ideo dato deſuper dubio, eóque die 16. Decembris 1596. à bon.mem.D.Gyptio in Rota propoſito, non fuit capta reſolutio, propterea quòd pro parte Monaſterij præter priuilegia Gregorij XI. Martini V. & Pij IV. exhibuerat quandam nouam communicationem priuilegiorum, obtentam à fel.record.Sixto V. * quam Domini
3. conſiderari voluerunt, ideoque propoſita ite-
4. rum cauſa, die Lunæ 17. Maij ab eodem Domino Gyptio, concluſum fuit, Monaſterio non obſtare diſpoſitionem † *cap. nuper, de decimis*, reſpectu decimarum, in priuilegio Sixti V. contentarum, quia claris, & apertis verbis in priuilegio Sixti V. fuerat derogatum *dicto cap. nuper*, cum clauſulis ampliſſimis, & clauſula *ſublata*, & decreto irritanti, quibus iunctis, clauſula quòd non poſſit dari de ſubreptione, vel obreptione, partibus denegatur Audientia, * & iudicibus deficit iuriſdictio, Pariſius *conſil.*38.*num.*7. *lib.*4. Verallus *deciſ.*134.*num.*4.*part.*3. latè Villadiegus *tract.de legato quæſt.*7.*num.*23. & fuit ſæpe in Ro-
5. ta reſolutum, & ſignanter coram bon.mem.D.de Rubeis *in cauſa Calaguritana iuriſdictio*, die 13. Maij 1580. & coram Domino meo Pamphilio *in cauſa Nouarien.Canonicatus*, die 12.Febr.1583.

*adde Caualer. dec.430. n. 3. Seraph. dec.351.n.1. Mant. deciſ. 309. n. 3. & fuit dictum in Pamp.Archi. coram Pamphilio 19. Martij 1593. impreſ. per March. de commiſſ. p.2.pag.424.

† de hoc art. & de priuilegiis exemptionum ordinis S.Hieronymi, vide Rotã in vna Valentina decimarum 28.Nouemb. 1603. coram Lancellotto impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.1. pag. 639. & Caualer. deciſ.247 n.10. & 11.

Dictum autem fuit, † reſpectu decimarum in priuilegio Sixti V. contentarum, quia ſi aliquæ decimæ peterentur, à quarum ſolutione priuilegium non eximeret, tunc nihil obſtaret, quo minus deduci poſſet diſpoſitio *cap. nuper*, hæc enim exceptio non venit aduersùs diſpoſitionem exemptionis, ſed potiùs eſt conformis eiuſdem limitationi, & conſequenter, cùm priuilegium ſit reſtrictum ad decimas perſonales tantùm, non tribuet exemptionem à ſolutione aliarum, quales ſunt reales.

Neque refragabatur, quòd cùm Monaſterium niteretur communicatione, quæ non habet hanc
6. derogationem, poſſent Epiſcopus, & Capitulum opponere de *cap.nuper*, per priuilegium communicatiuum, non ſublato.

* de hoc art. vide Seraph. dec.605.n.4. & Rot. rec. p.2.dec.214. num.5.

Quia reſpondebatur primò, prædictam communicationem virtualiter habere implicitam derogationem, aliàs nihil operaretur, * præſer-
7. tim cùm priuilegium videretur ſpecialiter ob-
8. tentum, eo quòd hæſitabatur ſuper exemptione, quia non fuerat in indiuiduo *dicto cap. nuper* derogatum. Vnde communicando dictum priuilegium, emanatum pro tollenda hac difficultate, non videbatur dubitandum, an talis communicatio operaretur derogationem *cap.nuper*.

† hæc clauſula in hac materia non operatur expreſſam & indiuiduam mentionem, quando non fuit facta aliqua mentio de illo, de quo tractatur, vt fuit dictũ in Tolet. decimar. 20.Nouemb. 1605. coram Iuſto impreſ. per March. de com. p.2. pag.596.&in D.Valentina allegata ſuprà n. 2. vbi latè agit n.5. & ſeq.de hac clauſula.

Secundò reſpondebatur ex recepta regula, quòd derogationes poſitæ in priuilegio communicato, cenſentur repetitæ in priuilegio communicante. Caſarubias *tract. de communicat. priuil. car.*55. Mandoſius *tract.de priuil.ad inſtar.quæſt.*8. *num.*8. *verſic.& in terminis*; & maximè cùm priuilegium communicans communicaret cum omnibus, & ſingulis clauſulis, & decretis in eis contentis. gloſſa *in cap.vt circa. §.finali, in verb. omnia & ſingula, de elect. lib.*6. *cum ſimilibus*, vnà cum clauſula, † *quorum tenores*, quæ facit, vt omnia poſſent in dicto priuilegio de verbo ad verbum, inſeri.

Alia quæ in contrarium adducebantur, non videbantur ad rem pertinere, quia loquebantur in aliis terminis, nempe de ſolemnitatibus extrinſecis.

## *Papien. bonorum.*

### Die 17. Maij 1599.

### SVMMARIVM.

2 *Collegium Mediolanen. non habet priuilegium legitimandi filios, ex conſtitutione Pij V.*

3 *Illegitimi ſunt incapaces ſucceſſionis paternæ, ex conſtitutione Pij V.*

4 *Priuilegium confirmatorium aliorum, non ſe extendit ad reuocata, ſi non fiat ſpecialis mentio.*

6 *Clauſula*, quorum tenores, *nihil operatur, in his quæ ſunt contraria expreſſis.*

## DECISIO DCCLXV.

CVm anno 1589. Archidiaconus Papien. multa bona præbendæ Archidiaconalis locaſſet Mutio Scroſigno, pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus, non tamen perſonis, & locis à iure prohibitis, & anno 1593. Mutius nullis relictis filiis legitimis, ſed ſolo Franciſco Maria Soroſigno, filio naturali, ab vno ex Doctoribus Collegij Mediolanen. legitimato obiiſſet, & Archidiaconus dicta bona ad menſam ſuæ dignitatis reuerſa fuiſſe prætenderet, & ſuper eo ſententiam fauorabilem à Vicario Papienſi reportaſſet, quam poſtea anno 1598. Rota coram Domino meo Pamphilio cenſuit confirmandam, non obſtante alia ſententia reuocatoria, lata à quodam Canonico Papien. & Franciſcus prætenderet, ſe poſſe in dictis bonis ſuccedere, tanquam legitimatum à Collegio Mediolanen. vigore facultatis legitimandi eidem Collegio à fel. record. Pio Papa IV. conceſſa, quam putabat à Sixto V. confirmatam, non obſtante conſtitutio- 2.
ne Pij V. * contra illegitimos promulgata, dubitaui, an dicta conceſſio Pij IV. & confirmatio Sixti V. Franciſco ſuffragarentur, ita vt foret, vel non foret recedendum à deciſione contra ipſum facta coram Domino meo Pamphilio die 16. Ianuar.ann.1598. 1.

* habetur hæc conſt. in Bullar. Cherub.in conſt. Pij V.tom.2. conſt.117.& 118.pag.mihi 325. & de hac prohibitione vide Seraph. dec. 478.& 1358. & Rot.diuer. p.1.dec.487.

Et Domini Archidiacono Papien. ſolùm informante, pro ipſo contra Franciſcum Mariam (cuius Procurator ſæpe citatus, informare noluit) reſponderunt, nam confirmatio Sixti V. non poterat Franciſco ſuffragari, quia exceptis ſolùm priuilegiis Auditorum Rotæ & Aduocato- 3.
rum Conſiſtorialium, de quibus fit ſpecialis mentio, generaliter ſolùm confirmantur priuilegia à Pio IV. conceſſa Collegio Doctorum Mediolani, & conſequenter confirmatio * non potuit extendi ad priuilegium legitimandi, longè antea per Pium V. ſublatum, gloſſa *in l.ſi quis priore, in verb.ſpecialiter*, vbi Bartolus *num.*3.*ff.ad Trebell.* Iaſon *in l.doli num.*2.*ff.de verb. oblig.* Rolandus *conſil.*99.*num.*8. *volum.*2. Mohedanus *deciſ.*15.*num.*2.*de conceſſ. præben.* Ancharanus *conſil.*180.*num.*6.

* vide Rot. rec. p.1. deciſ.145.n.16.

Ex eo maximè, quia tam ex narratiua, quàm ex diſpoſitiua, videbatur clarè conſtare, tam de mente Collegij ſupplicantis, quàm Papæ confirmantis, quòd non ſe extenderet ad priuilegia reuocata; Papa enim in narratiua dicebat, quòd licèt Abbates, & Collegiales ſemper fuerint in poſſeſſione, vel quaſi gratiarum, priuilegiorum, &c. nihilominus, pro maiori illorum corroboratione cupiebant illa confirmari, & conſequenter petitio Collegij erat reſtricta ad gratias, & priuilegia, in quorum poſſeſſione reperiebatur, de quorum numero non erant iam reuocata.



In diſpoſitiua etiam Papa appoſuerat clauſulam reſtrictiuam, *quibus hucuſque vſi ſunt, & vtuntur*; * & conſequenter non intellexit, de gratiis reuocatis, quæ non poterant dici eſſe in vſu.

* priuilegiũ enim quod aliud interpretatur & extendit, intelligendum eſt ſecundũ qualitatem alterius, vt per Mantic. dec.94.n.3.

Rota, his etiam circunſcriptis implexa fuit hanc opinionem, quia erat neceſſaria mentio confirmati, ad effectum, vt non obſtante reuocatione, gratia valeret. Creſcentius *deciſ.*139. aliàs 8. *de præben.num.*1. Puteus *deciſ.*25.*de præben. in manuſcript.*

5. Non obſtabat aſſertio Papæ dicentis, nolle iſtas gratias Collegij Mediolanen. comprehendi, ſub quibuſcunque reuocationibus, etiam ſi de illis ſpecialis mentio fieret.

Quia reſpondebatur, id intelligi de gratiis validis, quas Papa confirmauit, non autem de inualidis, & reuocatis, quas noluit confirmare.

Præterea non obſtabat, quòd Papa vellet habere pro expreſſo tenore litterarum.

6. Quia reſpondebatur, clauſulam, *quorum teno-*
7. *res*, non operari in his, quæ ſunt contraria expreſſis, nec ſupplere defectum intentionis, * vt fuit deciſum *in cauſa Cauen. penſionis*, coram bon. mem. Cardinali Lancellotto, tunc Rotæ Auditore, die 19.Ianuar.1571.

* adde Seraphin. deciſ. 981. n. 8. & fuit dictum in Valentina decimarum 28.Nouemb. 1603. coram Lancellotto iuniore impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag.639.n.8.

Vnde cùm in caſu propoſito, haberent locum huiuſmodi limitationes, quòd Papa non intellexerit confirmare, niſi gratias validas, & in quarum poſſeſſione Collegium erat, & non inualidas, & reuocatas; ideo prædicta clauſula non operabatur ſuum effectum, & conſequenter, ſtandum fuerat in deciſis contra Franciſcum Mariam.

## *Brixien. penſionis.*

### Die Veneris 21. Maij 1599.

### SVMMARIVM.

2 *Sententia conditionalis non tranſit in rem iudicatam donec pendet conditio.*

5.6 *Appellatio de iure Canonico datur de ſententia ſpolij.*

7 *Clauſula*, ſine retardatione, *non datur, niſi in iudicio retinendæ, vel pro executione litterarum.*

8 *Iudicium ſpolij eſt magis priuilegiatum, quàm retinendæ.*

9 *Penſionarius ſpoliatus in perceptione penſionis, eſt reſtituendus ad ſtatum, quem habebat ante ſpolium.*

## DECISIO DCCLXVI.

1. VTraque parte informante, dubitaui, an eſſet locus arbitrio Rotæ, ita vt procedendum foret, cum clauſula, *ſine retardatione ſolutionis penſionis*; & licèt informantes pro Simeone Gutto, ex multis prætenderent recedendum à deciſis coram me in hac eadem cauſa, die 15. Martij proximè præteriti, * matura tamen diſcuſſione præmiſſa, Domini in deciſis ſtandum cenſuerunt, locum ſcilicet fuiſſe arbitrio Rotæ, ad effectum procedendi ſine retardatione ſolutionis penſionis, quia cùm conſenſus Leandri eſſet conditionalis, * & conditio non fuiſſet adimpleta, negotium remanebat in ſtatu antiquo, in quo erat ante conſenſum: & antiquo ſtatu conſiderato, procedendum erat ſine retardatione ſolutionis penſionis, ſtante quaſi poſſeſſione Leandri.

* ſuprà deciſ.749.

* Seraph.deciſ.25. Rota in Cauen.pẽſionis 30.Iunij 1609.coram Coccin. impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag.541.n.1. & 2.



Quia verò pro parte Simeonis multa opponebantur, ideo ſingulis fuit reſponſum.

Et primò ad illud, quòd penſio fuerat vulne- 
rata per ſententiam, quæ fecerat tranſitum in 2.
iudicatum, reſpondebatur, non fuiſſe vulneratam, cùm ſententia ſolùm contineret, quòd Rector retineret pro ſe 100. & de reliquis fructibus penſionem ſolueret. Vnde cùm poſſibile eſſet, quòd deductis 100. pro Rectore, remanſerit ſufficiens quantitas pro ſolutione penſionis; vt fuit deciſum in eadem cauſa coram Domino meo Mellino * die 6. Martij 1598. non poterat dici penſio per iſtam ſententiam vulneratam, maximè quia ab iſta ſententia fuerat appellatum, & commiſſa cauſa cum clauſula, *ſine retardatione ſolutionis penſionis*,

*habetur penes March. de commiſſ. p.1.pag.561. & 562.

Ad aliud de concordia inita anno 1583. re- 3.
ſpondebatur, non probari mandatum illius, qui eam fecit nomine Leandri, neque de illius ſubſecuta ratificatione conſtare; immo verò ex deductis pro Leandro videbatur doceri contrarium.

Ad caſſationem antiquæ penſionis, & redu- 4.
ctionem ad minorem ſummam, dicebatur non obſtare, quia aderat clauſula reſeruatoria penſionis in fauorem Scipionis * & non aliàs. Vnde cùm fuerit impugnata tranſactio, non ſolùm reſpectu Federici tranſlatarij, ſed etiam reſpectu Scipionis transferentis, penſio antiqua remanſit in ſuo robore, maximè cùm fuerit deciſum, Rectoris gratiam non fuiſſe iuſtificatam.

* vt in dicta Brixien.penſionis coram Mellino cõſtat n. 2. & ſuprà in d. dec.749.

Ad aliud de Leandro per multos annos pen- 5.
ſionem non exigente, placuit reſponſio data in alia deciſione. †

† ſuprà in dicta dec. 749. n.5.& 6.

Ad aliud de appellatione, quæ datur de iure Canonico à ſententia lata ſuper ſpolio, cùm non habeat locum Ægidiana, * & ideo non ſit procedendum, ſine retardatione ſolutionis penſionis.

*adde Cocc. dec.417.n.1. & 9. & deciſ. 446.n.4.

Reſpondebatur, quòd in materia penſionis 6.
reſeruatæ pro alimentis, non datur appellatio. Gigas *de penſionib. quæſt.* 83. & maximè in hoc caſu, ſtante clauſula, *ſine retardatione ſolutionis penſionis.*

Ad poſtremum de clauſula, *ſine retardatione*, 7.
quòd non detur, niſi in iudicio retinendæ, vel pro executione litterarum, reſpondebatur primò, hîc etiam peti litterarum executionem.

Secundò reſpondebatur, hanc clauſulam mul- 8.
to magis dari in iudicio ſpolij, quàm in iudicio retinendæ, cùm iudicium ſpolij ſit magis priuilegiatum, cùm in eo concurrant rationes, propter quas datur dicta clauſula, ſcilicet propter * malitiam recuſantis ſoluere penſionem, & propter reuerentiam Papæ mandantis eam ſolui, Staphilæus *de liter. grat. & inſtit. verſic. quòd verò.*

*adde Caualer.deciſ.78. n. 1. & 2. & habetur penes March. de commiſſ. p.1.pag.544.

Quinimo, hæc clauſula apponi ſolet ad hunc effectum, ne interim, qui eſt in poſſeſſione exi-

gendi, ſpolietur. Gambarus *de offic. & poteſt. legat. tit. de penſion. quæſt.* 36. *num.* 672. ideoque penſionarius debet reſtitui ad ſtatum, iuxta practicam Curiæ, per quam cauſæ ſuper inualiditate penſionis, (vt ait Gambarus *præcitato loco*) ſolent committi cum clauſula, *ſine retardatione*, ne interim penſionarius ſpolietur.

---

## *Portugallien. Vicariæ.*

### Die Veneris 21. Maij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Ordinarij narratiuæ non creditur, niſi in his quæ coram eodem vnico contextu fiunt.*

## DECISIO DCCLXVII.

1. DVbitaui, an erectio Vicariæ facta per Ordinarium Portugallen. anno 1588. eſſet valida & Rota, vtraque parte informante, inualidam eſſe cenſuit, ex hoc potiſſimum fundamento, in quo omnes Domini conſenſerunt, quia non conſtabat, quòd hæc Parochialis eſſet vnita Monaſterio aliunde, quàm ex aſſertione ipſius
2. Epiſcopi in erectione, & non creditur Ordinario * quoad narratiuam, in his, quæ coram eodem Ordinario vnico contextu non ſunt facta, Creſcentius *deciſ.* 157. aliàs 13. *de probat.* & fuit deciſum coram Achille *in vna Barcinonen.* de Montemelone die 12. Octobris 1554.

* adde Dur. dec. 74. n. 16. & ſeq. Cocc. dec. 30. n. 4.

---

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 24. Maij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Impubes non habet tutorem legitimum, niſi mater declaret, ſe nolle eſſe tutricem.*
3 *Tutor non tenetur ad intereſſe, niſi propter negligentiam, culpam, vel dolum.*
4 *Pupillares vſuræ vt debeantur, probanda ſunt aliqua requiſita.*
5 *Bonorum adminiſtratio tantùm non inducit ius, vt dicatur eam fuiſſe factam nomine tutorio, ſi alia requiſita non concurrant.*

## DECISIO DCCLXVIII.

1. ROta cenſuit, non deberi vſuras pupillares ex pecuniis redactis ex 75. locis Montis recuperationum, quæ de hæreditate bon. mem. Antonij Franciſci remanſerant in bonis Hieronymi Ceuli, illius patris, ex ſequentibus rationibus.

2. Primò, quia non erat probatum pro parte Dominæ Clariciæ, quæ tanquam hæres Antonij Franciſci prætendebat, ſibi deberi dictas vſuras, quòd Hieronymus eius auus fuerat tutor, vel geſſerat ſe pro tutore. *l. qui ſine*, vbi communiter ſcribentes, *ff. de negot. geſtis*, quinimo non videbatur fuiſſe tutor, cùm impubes non habeat tutorem legitimum, * niſi mater declarauerit, ſe nolle eſſe tutricem, vt poſt Bartolum, Baldum, Angelum, Salicetum, Fulgoſium, & alios, cum Paulo, tradit Corneus *in l. matres, n. 2. C. ad SC. Tertull.* vnde cùm Domina Octauia Maphea, mater Dominæ Clariciæ, non fecerit hanc declarationem, Hieronymus auus non fuit illius tutor.

* adde Seraphin. deciſ. 830. num. 11. & 12.

Secundò, quia Hieronymus diſpoſuerat de 3.
iſtis pecuniis, tanquam de ſuis, & qui habuerit iuſtam cauſam credendi eſſe ſuas, cùm Rota etiam multum dubitauerit, ideo ab vſuris pupillaribus veniebat etiam excuſandus, cùm tutor non teneatur ad intereſſe, * niſi propter negligentiam, culpam, vel dolum. *l. tutor. §. qui poſt, & l. tutor qui repertorium. ff. de admin. tut.* Gabriel *conſ.* 26. *num.* 9. *lib.* 1. prout in ſimili de tutore, qui habuit iuſtam cauſam credendi, ſe non fuiſſe tutorem, docuit Curtius iunior *conſil.* 239. *lib.* 3.

* adde Rot. rec. p. 2. dec. 762. n. 2. & 3.

Iuſta autem cauſa, ex qua Hieronymus credere potuit ſe tutorem, deducebatur ex eo, quòd ſtatim, mortuo Antonio Franciſco, Domina Claricia abducta fuerat à matre, nec morata ampliùs apud Hieronymum auum.

Tertiò vnus ex Dominis recenſuit, ad hunc 4.
effectum exigendi vſuras pupillares, probanda fuiſſe requiſita, * adducta per Paulum de Caſtro *in l. 3. §. vlt. ff. de eo quod certo loco*, per deciſ. Veralli 46. *lib.* 3. *in manuſcript.* & videtur aliàs Rota ſenſiſſe *in cauſa Auximana tutelæ*, coram Domino meo Gyptio, Gabriel *dicto conſil.* 26. *num.* 9. quæ requiſita cùm in hoc caſu non apparerent probata, ceſſabat debitum iſtarum vſurarum.

* adde infrà dec. 805. n. 2. & ſeq.

Atque ex his ferè ſoluebantur omnia deducta per informantes pro Domina Claricia.

Neque huic deciſioni refragabatur, quòd 5.
Hieronymus adminiſtrauerit bona Clariciæ, quia ex adminiſtratione, iuncta etiam fama, quòd quis tutorio nomine adminiſtret, non probatur tutela, niſi cætera requiſita concurrant. Socinus *conſil.* 153. *lib.* 2. Mohedanus *deciſ.* 22. aliàs 6. *de præſcript.* & conſequenter ſi Hieronymus non erat tutor, non debebat pecunias pupillares conuertere in lucrum, ad fauorem pupilli, Pariſius *conſil.* 86. *numer.* 5. *lib.* 1.

Et quamuis Domini ex prædictis pronuntia- 6.
uerint, non deberi vſuras pupillares, quæ dicuntur maximè vſuræ, ad quas dubium erat reſtrictum, * non tamen excluſerunt aliud genus lucri, vel intereſſe, quod iure Domina Claricia prætendere poterat ex dictis pecuniis, quæ cum Hieronymo, & Tiberio fuerint lucroſæ, non videbantur ſibi futuræ ſteriles.

* de quo infrà dec. 805.

---

## *Aquilana beneficij, ſeu Archipresbyteratus.*

### Die Veneris 28. Maij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Arbitrium Rotæ, ad effectum manutentionis, regulatur à iure.*
3 *Poſſidenti datur de iure manutentio.*
4 *Ceſſionarius poſſeſſionis, reſeruata ſibi proprietate, non dicitur poſſeſſor.*

DECI-



## DECISIO DCCLXIX.

1. * AD dubium vtraque parte informante propoſitum, an eſſet locus arbitrio, vel potiùs danda manutentio Ioanni Baptiſtæ Paſchali, prouiſo Apoſtolico, Rota reſpondit, arbitrio non fuiſſe locum, & Ioannem Baptiſtam manutenendum, † cùm ipſe vigore Breuis de capienda poſſeſſione nomine Cameræ, eam auctoritate legitimi iudicis apprehendiſſet. Nam cùm * arbitrium reguletur à iure, Cæſar de Graſſis *deciſ.* 101. *num.* 2. aliàs 8. *de ſentent. & re iudic.* Peregrinus *deciſ.* 239. *lib.* 2. Pariſius *conſil.* 56.
2. *num.* 5. *lib.* 1. non poterat in hoc caſu ei eſſe locus, contra Ioannem Baptiſtam poſſidentem, ſed potiùs pro ipſo, cùm poſſidenti † de iure manutentio debeatur. *l. 1. §. huius autem interdicti*, vbi Bartolus, *num. 1. ff. vti poſſidet.* Guido Papæ *quæſt.* 552. *num.* 8. Verallus *deciſ.* 198. *part.* 2.

*hæc deciſio habetur impreſſa per Marcheſ. de commiſ. p. 1. pag. 984.
† adde Caual. dec. 249. n. 2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.
* adde infrà deciſ. 1229. n. 2. in tom. 2. & ſuprà dec. 720. n. 1. & deciſ. 749. n. 7. & deciſ. 350. n. 9. vbi alias dec. annotaui, & Ludou. dec. 221. n. 1. & aliàs ſæpe.

3.
4.
Et præſertim in hoc caſu, in quo Præpoſiti, & Canonici Eccleſiæ S. Mariæ de Bagno die 26. Aprilis 1598. ceſſerunt etiam poſſeſſionem beneficij, de quo agebatur, eidem Ioanni Baptiſtæ, reſeruantes ſibi ſolùm ius ſuper proprietate. Menochius *tract. de retinendo, remedio* 3. *n.* 263. Natta *conſil.* 398. *num.* 38. *lib.* 2.

† adde Rot. diuer. p. 1. deciſ. 802. Lud. dec. 582. n. 1. & 2. & plures alias deciſ. allegat Poſt. de manu. obſeru. 17. n. 1. & ſeq.

---

## *Portalegren. vnionis.*

### Die Veneris 28. Maij 1599.

SVMMARIVM.

5 *Probatio facta ad vnionem annullandam, debet eſſe concludens, vt proſit.*
6 *Vnio vt annulletur, debet fieri cum probatione concludenti, & affirmatiua probatio, vt excludatur per negatiuam, concludenter eſt probanda.*

## DECISIO DCCLXX.

1. ROta iuſſerat diſputari dubium, an pro parte fratris Franciſci Sanchez probaretur, Collegium Floris Rotæ viuente infante Don Ludouico, Priore Prioratus Crat. Portugalliæ, vel poſtea non fuiſſe tam quoad ædificia perfectum, quàm quoad Collegiales Ordinis S. Ioannis Baptiſtæ eiectum, & probatum releuaret, ad effectum, vt appellatio per eundem facta, Monaſterio de Extremoz, adhuc ſubſiſtere non poſſet.

Et vtraque parte informante, reſpondit probationem Franciſci non ſuffragari, nec releuare ad effectum, vt applicatio facta Monaſterio de Extremoz non ſuſtineretur.

2. Nam quantum ad primam partem dubij, de non ædificiis Collegij, Franciſcus non videbatur eſſe in probatis, tum quia per teſtes Monialium, & præcipuè primum, ſextum, & octauum, probant, ædificia & opera facta eodem Ludouico infante inſtante, reddebantque bonam rationem ſui dicti, quia vel habitauerant in dicto Collegio, vel dicta ædificia diuiderant: tum, quia teſtes pro parte Franciſci examinati, de eiſdem ædificiis teſtificabantur.



Quantum ad ſecundam partem dubij de Col- 3.
legialibus, in dicto Collegio non conſtitutis, probatio Franciſci valde etiam nutabat, quia per eoſdem teſtes Monialium, & in primis ſextum, & octauum, probatur, in eodem Collegio habitaſſe fratres S. Ioannis, incedentes cum habitu clericali, & deferentes crucem.

Et quamuis aliqui teſtes deponerent, quòd in 4.
dicto Collegio ſupereſſent aliqua fabricanda, videlicet dormitorium, & refectorium, & quòd aliquæ domus nunquam fuerunt perfectæ, nihilominus tamen non excludebant taliter perfectionem reliquorum ædificiorum, vt in eis non potuiſſent habitare Collegiales, quos in dicto Collegio habitaſſe probabatur per teſtes.

Et eo magis ita cenſebatur, quia probatio 5.
Franciſci directa ad annullandam vnionem, debebat eſſe concludens. Rota *deciſ.* 8. & 9. *de except. in nouis.* Mohedanus *deciſ.* 130. *num.* 1. Pariſius *conſil.* 104. *num.* 2. & 6. & *ſequent. lib.* 4. ex prædictis autem, & aliis vtrinque deductis apparebat, probationem Franciſci non fuiſſe talem,
imò verò fuiſſe debilem, neque per ſuos teſtes 6.
excludi probationem affirmatiuam Monialium. Romanus *conſil.* 156. *num.* 2. Gabriel *de teſtibus, concluſ.* 4. *num.* 44. & conſequenter ſibi non ſuffragari ad effectum diſſoluendæ, vel probandæ inualidæ vnionis, cuius vigore Moniales erant in poſſeſſione fructuum, quos Franciſcus vindicare prætendebat.

Ad illud verò quod Franciſcus opponebat, 7.
quòd in hac propoſitione non agebatur de probationibus vtriuſque partis in concurſu, ſed de ſua tantùm probatione, & quòd propterea capienda erat reſolutio ſtrictè, iuxta probationes ſuas.

Reſpondebatur primò, quòd cùm in hac propoſitione præſupponerentur deciſiones iam factæ, & ipſe vellet iuuari deciſione aliàs facta ad ſuum fauorem, & æquitas poſtularet, vt Moniales ſuis quoque deciſionibus vterentur, quæ fortioribus rationibus nitebantur, nec debuit, nec potuit talis reſolutio capi, ſecundùm ſolam Franciſci intentionem.

Secundò reſpondebatur, quòd dubium à Rota 8.
datum, non erat reſtrictum ad ſolas Franciſci probationes, cùm in eo eſſet additum, & probatum releuaret, ad effectum, vt applicatio per eundem facta Monaſterio de Extremoz, adhuc ſubſiſtere non poſſet. Nam quamuis ex deductis pro Franciſco (ſi aliqua reſultaret probationis ſpecies) ea tamen adeò debilis erat, vt ad prædictum effectum non releuaret.

---

## *Maceraten. hæreditatis.*

### Die Mercurij 2. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Probationem probatam facit inſtrumentum authenticum.*
4 *Poſſeſſio concludenter probatur ex inſtrumento publico poſſeſſionis.*
8 *Prædij poſſeſſio probatur ex fructuum perceptione, & ex colonorum recognitione.*

9 *Fructuum ex perceptione, & recognitione colonorum, probatur prædij poſſeſſio.*

11 *Actione ſpolij intentata, poteſt ceſſionarius petere reſtitutionem, ceſſione non effectuata.*

12 *Reſtitutionem ſpolij poteſt petere ceſſionarius, ſi ceſſio non ſit effectuata.*

13 *Teſtes examinati in iudicio recuperandæ, proſunt in iudicio retinendæ.*

14 *Teſtes inducti ſuper articulis, & tota cauſa, probant quoad omnes iuris effectus.*

16 *Sequeſtrum appoſitum, ſi non intimetur parti, non parat ei præiudicium, quoad iuris effectus.*

17 *Sequeſtrum neminem priuat ſua poſſeſſione.*

18 *Reintegratio datur contra poſſidentem auctoritate iudicis, ſi iudex malè proceſſit in ſpolio.*

19 *Poſſeſſio animo retineri poteſt.*

20 *Poſſeſſione vnius partis hæreditatis acquiſitæ, non acquiritur poſſeſſio totius, ſed tantùm partis apprehenſæ.*

21 *Præſcriptio non datur contra actionem ſpolij.*

22 *A poſſeſſione non dicitur quis cedere ex facto proprio, niſi probetur poſſidentis negligentia.*

23 *Manutentio non datur de bonis non poſſeſſis.*

24 *Poſſeſſio defuncti continuatur in hæredes ex ſtatuto Ciuitanouæ, & Ferrarienſi.*

26 *Fideicommiſſi verbalis reſtitutio requiritur in primo, non in vlterioribus fideicommiſſarijs.*

## DECISIO DCCLXXI.

1\. CVm Aſcanius Vicus bona exiſtentia in oppidb, & territorio Ciuitanouæ, vigore fideicommiſſi inſtituti, à quondam Matthæo Vico, ad ſe pertinere prætenderet, die 26. Aprilis anni 1584. dictorum bonorum poſſeſſionem, iudicis auctoritate, nomine proprio accepit, in eáque ſæpe manuteneri petiit; poſtea tamen illam die 30. eiuſdem menſis, Ferretis, & Bonarellis de Anconia cedens, declarauit ſe eandem pro illis accepiſſe.

2\. Cum verò paulo pòſt, nouus Ciuitanouæ Gubernator, menſe Maio proximè ſequenti eiuſdem 1584. mandaſſet Barigello, vt in actualem prædictorum bonorum poſſeſſionem Margaritam, & alios hæredes, à quondam Capitaneo Franciſco inſtituto, immitteret, ipſique vigore eiuſdem mandati, à dicto Barigello immiſſi fuiſſent, poſt multos actus, in cauſa geſtos, cùm Aſcanius conquereretur, ſe ſpoliatum, cauſamque per particulare reſcriptum in Rota ſuper ſpolio commiſiſſet, dubitaui, an ei eſſet dandum mandatum de reintegrando, in poſſeſſionem eorundem bonorum; & dubio ſæpe propoſito tum ann. 1598. † tum die 19. Martij, & die 2. Iunij præſentis anni 1599. tandem partibus informantibus, poſt prolixam diſcuſſionem, Domini pro maiori parte cenſuerunt, Aſcanio dandum mandatum de reintegrando ad bona prædicta.

† ſuprà deciſ. 724.

3\. Potiſſima ratio fuit, quia conſtabat de poſſeſſione Aſcanij ex publico inſtrumento adeptæ poſſeſſionis, quòd cùm probationem * probatam fuiſſe dicatur, Gratus *conſil.* 122. *num.* 7. *lib.* 2. Decianus *conſil.* 66. *num.* 59. *lib.* 3. Alexander *conſil.* 37. *num.* 16. *lib.* 2. conſequenter, dicebatur
4\. concludenter probata poſſeſſio. † Socinus *conſil.* 205. *num.* 5. *lib.* 2. vt tanquam valida eſſet conſiderabilis, quantum ad omnes iuris effectus, ex eo quòd fuerat capta, alio tunc non exiſtente in poſſeſſione. * Rota *deciſ.* 21. *de reſtit. ſpoliat. in antiquis.* Verallus *deciſione* 334. *part.* 2. *per totam.*

* adde ſuprà dec. 667. n. 2. & infrà deciſ. 780. n. 3. Rot. rec. p. 1. dec. 634. n. 2. Duran. deciſ. 158. & deciſ. 185. n. 1. & deciſ. 128. n. 22. & aliàs ſæpe.

† adde ſuprà dec. 232. n. 2. Lud. dec. 46. num. 2.

* adde ſuprà dec. 708. n. 2. & 578. n. 1. & 2. & deciſ. 740. num. 2. Rot. rec. p. 1. dec. 92. n. 1. & deciſ. 339. n. 2. & deciſ. 138. 516. 652. & 660. Duran. deciſ. 138. n. 1. & aliàs ſæpe.

Prædicto inſtrumento, præter alios actus iudiciales, & extraiudiciales ſubſecutos, adſtipulabantur teſtes, tam pro Margarita, quàm pro Aſcanio examinati.

Primus teſtis Margaritæ, iuxta 13. interrogatorium, & ſuper 5. articulo.

Secundus teſtis iuxta 32. interrogatorium, & ſuper 10. articulo.

Primus teſtis Aſcanij iuxta 35. interrogatorium, & ſecundus iuxta 38. & tertius iuxta 30. 5.
qui conformiter teſtificabantur, Aſcanium pro ſe, & non pro Anconitanis poſſeſſionem accepiſſe, eundemque poſt adeptam poſſeſſionem conſtituiſſe homines armatos, pro illius cuſtodia à Monteforano, Sandionyſio, & Petignano.

Eundem Aſcanium tanquam Dominum fuiſ- 6.
ſe recognitum à colonis, probabant primus teſtis Margaritæ, ſuper ſecundo articulo, & ſecundus iuxta 15. & rurſus ſecundus teſtis Aſcanij iuxta 14. & ſecundus, & tertius iuxta 14. & quartus iuxta 15.

Quòd verò Aſcanius poſt captam poſſeſſio- 7.
nem, fructus ex dictis prædiis, à colonis acceperit, teſtificabantur primus teſtis Margaritæ ſuper 5. articulo, & ſecundus ſuper 2. & primus & ſecundus, & tertius teſtes Aſcanij ſuper 5. articulo, quorum conformis teſtificatio erat, *che li lauoratori daldi, che Aſcanio pre ſe il poſſeſſo, reſpondebano de tutti frutti ad Aſcanio, come à vero patrone, & poſſeſſore.*

Ex his enim omnibus, videlicet inſtrumento 8.
captæ poſſeſſionis, nomine proprio, ex colonorum recognitione, * & fructuum perceptione conſequebatur, Aſcanium certam, & indubitatam poſſeſſionem ſibi acquiſiuiſſe, lege *prædia*, vbi Bartolus *num.* 1. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Puteus *deciſ.* 360. *num.* 8. *lib.* 1. Menochius *tract. de retinenda, remed.* 3. *num.* 563. & 564. Purpuratus *conſil.* 202. *num.* 10. & 11. *lib.* 1. Natta *conſil.* 572. *num.* 21. *lib.* 3. & fuit iam in hac cauſa ſæpe conſtitutum, nempe die 27. Nouembr. 1584. & die 4. Iunij 1590. & die 18. Martij 1591. & die 30. Aprilis, & 25. Iunij 1593. coram Domino meo Pamphilio.

*adde Ludouiſ. dec. 138. & 160. n. 2. Dur. dec. 34. n. 20. & deciſ. 139. n. 2. & deciſ. 118. n. 3. & deciſ. 159. n. 2. & deciſ. 419. n. 14. Rot. recen. p. 1. deciſ. 106.

Cæterùm, quia agentes contra Aſcanium, videntes per prædicta concludenter probari primum extremum, multa opponebant, propter quæ aliquibus ex Dominis perſuaderi videbatur contraria ſententia, ideo ſuo ordine grauioribus difficultatibus fuit reſpondendum.

Primò ergo ad inſtrumentum, quo Aſcanius 9.
ceſſerat poſſeſſionem, à ſe captam Ferretis, & Bonarellis, declarando, ſe illam pro illis accepiſſe, propter quod, die 15. Decembr. 1595. coram Domino meo Pamphilio dictum fuerat, Aſcanium non fuiſſe reintegrandum, quia facto ſuo à poſſeſſione ceciderat, reſpondebatur primò, ceſſionem fuiſſe factam ob cauſam in inſtrumento ceſſionis expreſſam, nempe vt concordaret cum Bonarellis, qui ſibi promiſerant notabilem quorundam bonorum ſummam 3000. Ducatorum valorem excedentem, & conſequenter, non ſecuto adimplemento, * Aſcanio ceſſionis inſtrumentum non nocuiſſe.

* adde Rot. rec. p. 2. dec. 768. n. 10.





10\. Secundò reſpondebatur, ceſſionem non habuiſſe effectum, quia illius vigore, nec Bonarelli poſſederunt, nec Aſcanius deſiit poſſidere, quinimò, poſt dictam ceſſionem, & declarationem, in poſſeſſione continuauit multos actus poſſeſſorios exercendo, vſque ad diem commiſſi ſpolij: ita enim conformiter teſtificabantur primus, & ſecundus teſtes iuxta 50. & 51. interrogatorium, & tertius iuxta 58. ibi; *io ſo, che Aſcanio ſtette in poſſeſſo, ſe no tanto che vico ſin encarçerato, i lui ſene fuggi:* & quartus iuxta 48. & 58. *del meſe di Maggio Aſcanio façeua tagliar le legna nella poſſeſſione di San Dioniſio, & è ſtato continuamente in poſſeſſo della caſa, & beni, ſin tanto che vico ando piggione.*

11\. Et conſequenter ceſſione non effectuata, nec declarationis factæ erat habenda ratio. *l. quod iuris ff. de cond. ob cauſam,* Tiraquellus *in præfatione. l. ſi vnquam, num.* 167. *C. de reuocand. donation,* Corneus *conſil.* 180. *num.* 3. & *conſ.* 189. *n.* 6. *lib.* 2. & tenuit Rota *in cauſa Cæſarauguſtana alimentorum* 23. Ianuar. 1574. coram R.P. Domino Seraphino, * & nouiſſimè coram me, *in cauſa Romana adminiſtrationis bonorum de Cuppis*, 30. Octobris 1598. †

* habetur in impreſſis Seraphini dec. 211.

† ſuprà dec. 719. n. 14.

Nec Aſcanius poterat impediri, quominus actione ſpolij intentata, peteret reſtitutionem. Puteus *deciſ.* 14. *de reſtit. ſpoliat. in manuſcript.* Verallus *deciſ.* 6. *num.* 1. *parte* 3. Pariſius *conſ.* 5. *n.* 8. & 11. *lib.* 4.

12\. Tertiò dicebatur, Aſcanium in ceſſione non declaraſſe, ſe accepiſſe poſſeſſionem nomine Ferretorum, & Bonarellorum, ſed pro illis, vt indicaretur, non quo nomine fuerit acquiſita poſſeſſio, ſed ad quem finem. Baldus *in l.* 1. *num.* 18. *verſ. venio ad ſecundam*, ibi, *& verbum ſubiunctum pro illo, C. per quas perſon. nob. acquirit.* & fuit dictum *in Acheruntina fructuum*, die 2. Decembris 1580. coram bon. mem. Cardinali Lancelloto tunc Rotæ Auditore. Vnde cùm finis concordiæ non fuerit ſubſequutus inter Aſcanium, & Bonarellos, & Ferretos, ceſſio non nocuit Aſcanio poſſidenti.

Ad alteram oppoſitionem, quòd Aſcanius non acceperit poſſeſſionem nomine proprio, reſpondebatur, ex publico inſtrumento adeptæ poſſeſſionis ceſſare difficultatem, quia in eo ſcriptum erat, tam nomine ſuo proprio, quàm vice ſui fratris, actualem poſſeſſionem apprehendiſſe.

13\. Ad tertiam obiectionem contra teſtes Aſcanij, quòd non probarent in hoc iudicio recuperandæ, * quia fuerant examinati in iudicio retinendæ, ita vt non facerent fidem in iudicio reintegrandæ; immo fuiſſe inductos, & iuraſſe ſuper articulos, & tota cauſa, & conſequenter probare, † quoad omnes iuris effectus. Veſtrius *in praxi lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 9.

* adde ſuprà dec. 193. n. 2. vbi alias dec. annotaui.

† adde Lud. deciſ. 535. n. 13. & ſeq.

14\. Secundò reſpondebatur, iudicem coram quo fuerunt examinati, habuiſſe iuriſdictionem in vtroque iudicio, ſeu articulo, & ſuper tota cauſa fuerint, & propterea teſtes coram eo examinati in vtroque iudicio probare, maximè cùm ſuper tota cauſa fuerint examinati, *c. de teſtibus, extrà de teſtibus*, cum ibi notatis.

15\. Ad quartam oppoſitionem deductam ex eo, quòd cùm Aſcanius conſenſerit * ſequeſtro, non poterat modò petere reintegrationem ad priſtinam poſſeſſionem, ex quo eam videbatur habuiſſe pro derelicta? Reſpondebatur primò, poſſeſſionem fuiſſe ex decreto Rotæ ſequeſtratam, ſine præiudicio alicuius, etiam in poſſeſſorio, & ſequeſtrationem etiam temporaliter conſtitutam, donec liqueret, cui eſſet danda poſſeſſio.

* adde Coc. dec. 243. Rotam diu. p. 1. dec. 46.

Rurſus dicebatur, ſequeſtrum fuiſſe appoſi- 16.
tum inter Margaritam, Pellicanum, & alios collitigantes eo tempore, quo nondum Aſcanius in Rota comparuerat, cui cùm non fuerit præterea intimatum, non præſtat impedimentum, quo minus poſſeſſionem ſuam poſſet recuperare. Paleothus *deciſ.* 534.

Denique reſpondebatur, quòd cùm ſeque- 17.
ſtrum neminem priuet ſua poſſeſſione, * poterat Aſcanius, veniendo ad cauſam, & docendo de iure ſuo, obtinere in iudicio, ſpolij ſequeſtri reuocationem. Boërius *dec.* 172. *n.* 2.

* adde Rotã rec. p. 1. dec. 516. n. 2. & intellige de ſequeſtro neceſſariò, vt per Dur. dec. 380 n. 16. & 17. Coc. dec. 243. latè annot. ad deciſ. 9. Lud. 11. & dec. 437. n. 3. Cau. dec. 86. n. 6. & deciſ. 305. n. 2. ſecus in volũtario, vt per Coccin. dec. 243. Rot. diuerſ. p. 1. dec. 46.

Ad quintam obiectionem, quòd cùm Aſcanius fuerit expulſus iudicis auctoritate, non poſſet reintegrari reſpondebatur, quòd cùm iudex malè proceſſerit, & eo non citato † immiſſionem ad fauorem aduerſariorum decreuerit, reintegratio * competit etiam contra poſſidentem Iudicis auctoritate. Felinus *in cap. dilectus, num.* 1. *limitat.* 1. & 2. *de reſcript.* Crauetta *conſ.* 18. *num.* 8. & *conſ.* 140. *num.* 2. Socinus *conſ.* 11. *n.* 11. *lib.* 1. Rolandus *conſil.* 6. *num.* 34. *lib.* 2. Boërius *dec.* 238. *num.* 4. Gabriel *de reſtit ſpol. concluſ.* 10. *limitat.* 14. *num.* 109. & eo præſertim nomine, quia Aſcanius non habuit ſe pro ſpoliato, imò publicè profeſſus fuit, quòd non deſinebat animo poſſidere, & quòd ſperabat redire ad poſſidendum, 18.
ſicut poſſidebat, antequam fuiſſet ſpoliatus, ita deponebant teſtes, primus, tertius, & quartus, ſuper 16. artic. & ſecundus iuxta 30. interrogatorium Pellicani.

† adde Lud. dec. 105. n. 6. Durand. dec. 113. n. 5.

* adde Rotã rec. p. 2. dec. 53. & 85. n. 2. & Lud. deciſ. 198. n. 2. & dec. 209. n. 2. & deciſ. 362. n. 4.

Atque ex his reſpondebatur ad ſextam obiectionem, qua dicebatur, defuiſſe Aſcanio animum poſſidendi ob declarationem, quia Aſcanius nunquam deſiit animo † poſſidere, & illa declaratio facta in inſtrumento ceſſionis, potius fuit ad maiorem illius validitatem, caſu quo effectuaretur, ſecuto adimplemento, quàm ad in- 19.
dicandum animum Aſcanij, vt poſſeſſionem dimittere voluiſſet.

† quod ſufficit Dur. dec. 74. n. 45. & ſequ. & dec. 155. n. 23. & dec. 23. n. 15. & 16. & aliàs ſæpe.

Ad ſeptimam oppoſitionem, de poſſeſſione Cleliæ vxoris dicebatur, per illam non reddi inſtrumentalem Aſcanij poſſeſſionem, quia non fuit ab vxore capta particularis poſſeſſio bonorum, de quibus agebatur, & conſequenter per 20.
poſſeſſionem vnius partis hæreditatis, non acquiri poſſeſſionem bonorum totius hæreditatis, * ſed partis tantùm apprehenſæ. Iaſon *in l. poſſideri, n.* 31. *ff. de acquir. poſſeſſ.*

* adde infrà dec 801. n. 4. & Dur. deciſ. 62. n. 30.

Atque ex his tollebatur octaua oppoſitio de poſſeſſione domus capta per Bonarellos.

Ad nonam oppoſitionem de negligentia A- 21.
ſcanij, non petentis reintegrationem, per decem annos, reſpondebatur primò, contra actionem ſpolij non præſcribi, † *cap. reintegranda el* 1. & *cap. Epiſcopi* 3. *quæſt.* 1. Caſſadorus *deciſ.* 5. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Puteus *deciſ.* 115. *lib.* 1.

* quanto tẽpore præſcribatur actio ſpolij, vide apud Seraph. dec. 1360. & Rot. rec. p. 1. dec. 97. n. 1.

Rurſus dicebatur, non probari Aſcanij negligentia, per quam concluderetur, fuiſſe ab illo habitam poſſeſſionem pro derelicta, quod requiritur, ad effectum, vt facto proprio à poſ- 22.
ſeſſione cecidiſſe diceretur. Puteus *dicta dec.* 115. *num.* 16.

23. Ad decimam oppoſitionem de poſſeſſione capta per hæredes, Capitanei Franciſci Vici, antequam Aſcanius caperet poſſeſſionem, reſpondebatur, illum procedere reſpectu bonorum Maceratæ exiſtentium, de quibus modò non erat ſermo, non autem reſpectu bonorum exiſtentium in Ciuitanoua, quorum Aſcanius ex iudicis decreto, ante alios, ceperat poſſeſſionem, nam manutentio, quam hæredes petiuerant, non poterat procedere reſpectu bonorum Ciuitanouæ; quorum ipſi nondum acceperant poſſeſſionem, * vt fuit dictum in hac cauſa die 8. Februarij 1588. coram Domino meo Pamphilio.

*adde ſuprà dec.720.n.1. & deciſ.769. n.3.

24. Ad vndecimam obiectionem, de ſtatuto Ciuitanouæ, continuante poſſeſſionem defuncti in hæredes, reſpondebatur, hæredes Capitanei Franciſci, eo quòd erant forenſes, * non potuiſſe beneficio ſtatuti vti, quamuis ageretur de bonis ſitis in territorio ſtatuentium. Alexander *conſil.* 41. *numer.* 1. *&* 2. *lib.*7. Pariſius *conſil.* 12. *num.*26. *lib.*3. Ruinus *tract. quod extantib. maſcul. artic.*6. *num.*3. *per totum*, & fuit deciſum *in cauſa Terracinen. bonorum*, anno 1576. coram D. Cardinali Blanchetto tunc Rotæ Auditore, & de ſimili ſtatuto Ferrarienſi continuante poſſeſſionem in hæredes, fuit dictum coram Domino meo Pamphilio *in cauſa Imolen. bonorum*, die 10. Aprilis 1592. *& in cauſa Mediolanen. bonorum*, die 28. Martij, & die 5. Decembris 1594. coram Domino meo Millino.

*adde ſuprà dec.713.n.7. Coc.dec.111. n.5. & 6. & 21. Rot.diu. p.2.dec.295. n. 3. & latè annot.ad deciſ.279.Lud. n.25.

25. Ad duodecimam oppoſitionem, de inſtrumento celebrato die 14. Iulij 1584. inter Aſcanium, & hæredes Capitanei Franciſci reſpondebatur, ex ſerie illius tolli difficultatem, nam cùm eſſet reſtrictum ad bona mobilia Capitanei Franciſci, & ad legata ab eodem relicta (de quibus non erat lis) rem poterat ex eo inferri ad bona immobilia, per Matthæum fideicommiſſo ſuppoſita, de quorum poſſeſſione agebatur.

26. Ad poſtremam obiectionem de falſa cauſa poſſeſſionis Aſcanij, reſponſio patebat ex deciſionibus factis coram Domino meo Pamphilio, cui non obſtabat vitium oppoſitum ex eo, quòd Aſcanius debuiſſet illam capere de manu hæredis, * quia id non procedit in ſecundis fideicommiſſariis, quales erant iſti de Vicis. *l. penult,* §. *cùm autem*, vbi notant Bartolus & alij, *C. ad Trebell.* gloſſa *in l.* 1. §. *de illo*, vbi Ripa *numer.* 6. *&* 7. *ff. ad Trebell.* Cephalus *conſil.* 215. *num.* 27. & fuit deciſum *in cauſa Leodien. hæreditatis*, die 27. Ianuarij 1597. coram Domino meo Decano.*

*Seraphin. dec.371.n.1. & ſeq.

*habetur in impreſſis Seraphini dec. 1219.n.3.

Cùm itaque ex prædictis concludenter videretur remanere probatum primum extremum, & de ſecundo conſtaret ex litis ſuſtentatione, Verallus *deciſ.*350.*num.*2.*part.*2. Aſcanius veniebat redintegrandus.

---

## *Romana de Naris.*

### Die Veneris 7. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Locatio facta diuerſorum fundorum ſi ſit vna, & eadem, omnes fundi in ea comprehenduntur.*

4 *Verba contrahentium ſunt attendenda in contractibus.*

## DECISIO DCCLXXII.

1. LOcauerat anno 1590. Ioannes Antonius Narus Petroniis, & Zefiris caſale Montiſmelioris rublorum 405. quod ipſe ſolus tunc poſſidebat, vnà cum rublis 35. terræ, quæ idem Ioannes Antonius pro indiuiſo poſſidebat in alio vicino caſali, cum creditoribus Dominorum de Fabiis, & quoniam in ſecundo Capitulo dictæ locationis conuentum fuerat, *che le vltimo anno della locatione detto caſale, debba tutto reſtar, ſo do in modo tale, che non vi ſi poſſa metere arato, ne ſorte alcuna di ſementa, & mettendouiſi, ſia in arbitrio di eſſe locatore, ſenza altro decreto de gudire racogliere detta ſementa come ſua propria, & con tutto cio li ſudetti conditors ſiano tenuti di pagare il fitto.* Franciſcus Narus (cui poſt dictam locationem fuerat data poſſeſſio dicti caſalis pro medietate) prætendebat, factum locum dicto ſecundo Capitulo locationis ad ſuum fauorem ex eo, quòd Ioannes Antonius prædicta rubla 35. ſeminauerat, dubitaui, an diſpoſitio dicti Capituli ſecundæ locationis comprehenderet prædicta rubla 35. terræ, & Domini pro maiori parte comprehendere cenſuerunt.

2. Tum, quia locatio caſalis erat vna, & eadem cum rublis 35. ideoque eodem iure cenſenda videbatur, *l. iam hoc iure. ff. de vulgari.*

Tum, quia cùm ex inſtrumento locationis fuiſſet caſale, & rubla 35. diſcretiuè, & poſtea ſubderetur, *& de dicto caſali, illiuſque fructibus*, non facta mentione rublorum 35. ſatis videbatur, rubla 35. ſub caſali comprehenſa.

Tum præterea, quia niſi contrahentes intellexiſſent per illa, *& de dicto caſali*, tam caſale principale, quàm rubla 35. ſequeretur, quòd conductores voluerunt ſolùm ſibi reſeruare facultatem diſponendi de fructibus caſalis, & non de rublis 35. & propterea illa verba, *de dicto caſali*, rubla etiam 35. comprehendere videbantur.

Tum denique, quia in multis aliis capitulis inſtrumenti dictæ locationis, eodem modo contrahentes videbantur intellexiſſe.

4. Neque obſtabat, quòd in dicto capitulo ſecundo diceretur, *detto caſali*; quaſi ſolùm referrent ſe contrahentes ad caſale principale, quia reſpondebatur quòd cùm eadem ratio videretur, & vigeret in rublo 35. ex veriſimili mente * contrahentium, per dicta verba non cenſebantur excluſa. Decius *in l. qui per ſucceſſorem, num.* 4. *verſ. & hoc procedit.* vbi Cagnolus *num.* 9. *de regulis iuris.*

* quæ in contractibus principaliter eſt attendenda, vt fuit dictum ſuprà dec.602.n.4. vbi annotaui alias dec.

An autem Ioannes Antonius veniret excuſandus, particulariter erit videndum, nam cùm Rota dubitauerit de hoc articulo, ipſe quoque dubitando, potuit credere dicta rubla 35. non comprehendi ſub capitulo ſecundo locationis, ad effectum, vt euitet pœnam dicti capituli.





---

## *Eugubina diſmembrationis.*

### Die Veneris 7. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Executori litterarum Apoſtolicarum iudicio multum defertur de rebus ei commiſſis.*

3 *Quantitas modica non efficit inualidam aſſignationem bonorum, Rectori datam, ad eius ſuſtentationem.*

4 *Teſtium depoſitio per aſcenſum eſt æquiuoca.*

5 *Valor terrarum probatur ex eo, quòd conducantur terræ pro tali quantite.*

6 *Dos ab initio conſtituta Eccleſiæ, ſi proceſſu temporis non ſufficiat, non tenetur de nouo illa dotare patronus, ſi ab initio dedit bona competentia.*

## DECISIO DCCLXXIII.

1, ROta cenſuit, ſententiam latam ad fauorem Abbatis Nicolai Bilij fuiſſe confirmandam: nam cùm vigore litterarum fel. record. Gregorij XIII. iubentis erigi Vicariam perpetuam in Monaſterio Sancti Verecundi, cum onere curæ animarum, & pro illius dote diſmembrari, & ſeparari tot proprietates, & bona immobilia dicti Monaſterij, & eidem Vicariæ applicari, quorum fructus ad valorem annuum 100. ſcutorum aſcenderent, & Vicarius cum interuentu peritorum, & agrimenſorum, prædictam applicationem fecerit pro iſto actu, & proceſſu à Vicario * facto præſumendum erat, cùm in iſtis aſſignationibus iudicum executorum iudicio multum deferri ſoleat. Cagnolus *in l.* 2. *num.*257. *C. de reſcind. vendit.* Rolandus *conſ.*96.*n.*5.*lib.*2. Pariſius *conſ.*82.*num.*28.*lib.*3.

*adde Seraphin. dec. 173.n.1. & dec.550.n.1.

2. Itaque cùm iudex litterarum Apoſtolicarum executor, Vicario perpetuo prædictæ Vicariæ aſſignauerit eminas 28. grani, & quædam alia bona, ex quibus iudicio peritorum potuiſſent percipi fructus, aſcendentes ad valorum 100. ſcutorum, non poterat modò talis aſſignatio in dubium reuocari, * præſertim cùm pro parte Hieronymi Mamoletti, moderni Vicarij, non probaretur, quòd fructus, qui percipiebantur ex bonis Vicariæ aſſignatis, non aſcenderent † ad ſcuta 100.

*adde Rotam rec. p.2. dec.239.n.1.

†adde Lud. dec. 13. n.5. vbi ad propoſitum allegat hãc deciſ. & vide eundem Lud. dec.353.n.4. & 16.

Neque refragantur teſtes, à Hieronymo conducti, dicentes, quòd ſi fructibus terrarum Vicariæ aſſignatarum adderentur, triginta animæ frumenti quolibet anno, tunc redditus terrarum aſcenderunt ad valorum 100.

Quia reſpondebatur, quòd cùm præter alia
3. bona, eſſent aſſignatæ eminæ 28. à quo numero, vſque ad 30. erat modica quantitas, & tempore aſſignationis, iudex peritorum iudicium ſecutus; 28. eminas reputauerunt ſufficientes, non erat nunc ab illa aſſignatione recedendum, propter hanc teſtium aſſertionem. Cagnolus *dicta l.*2.*C. de reſcind. vendit, num.*259. *verſ. tertiò ſtandum eſt*; & maximè, cùm teſtes non dicerent, quòd 28. eminæ non ſufficerent; ſed quòd ſi fuiſſent 30. ſine dubio redditus aſcenderent ad valorem ſcutorum 100. cùm depoſitio teſtium per aſcenſum ſit æquiuoca, vt fuit deciſum *in cauſa*
*Auenionen. Præpoſituræ*, die 15. Maij 1594. coram 4.
Domino meo Litta.

Prædictam aſſignationem fuiſſe ſufficientem, arguebant affictus, ſiue locationes * ſubſequutæ pro ſcutis 90. quolibet anno, excepto quodam arboreto, ex quo colligebantur ſingulis annis 15. ſalmæ vini, & ſingulis tribus annis 15. eminæ frumenti.

*de hoc art. Lud.dec.101. n.1.& annot. n.5.Dur.dec. 250.n.3.Caual.dec.370. n.1.

Item oblatio facta à moderno Abbate, promittente ſe ſoluturum Vicario ſingulis annis ſcuta 100. ex hoc enim videtur probari verus terrarum valor, Iaſon *conſ.*59.*n.*4.*lib.*1.

Item taciturnitas * primi Vicarij ſpatio ſex annorum, & Hieronymi ſucceſſoris, moderni Vicarij ſpatio ſeptem annorum, qui non fuerant conqueſti de minus ſufficiente aſſignatione. 5.

*adde Mantic. deciſ.21. n.1.

Non obſtat alia prætenſio moderni Vicarij, dicentis; ſe non potuiſſe exigere integras eminas grani, aſſignatas ſuper prædiis, quia reſpondebatur, tempus aſſignationis, quo fuerant exigibiles, fuiſſe inſpiciendum, non quòd deinceps caſu fortè euenit, nam ſi proceſſu temporis dos ab initio conſtituta non ſufficiat, non propterea tenetur conſtituens ad ſupplendum. Rota *in vna Legionen. congruæ*, die 11. Octobris 1577. coram bon. mem. Cantuccio.* 6.

* habetur dec. 56. p.2. n. 7. in impreſſis diu.

Atque ex his cenſuerunt Domini ſententiam R.P.D. Ludouiſij, qui vtramque partem à petitis abſoluerat, confirmandam, dixerunt tamen, Vicario exhibendum inſtrumentum diſmembrationis, ſeu applicationis bonorum ſuæ Vicariæ, quo vti poſſet, ad cogendos debitores, vt ſibi perſoluerent redditus dictorum bonorum, Vicariæ applicatorum, abſque vlla contradictione, vel impedimento Monaſterij.

---

## *Brixien. Parochialis.*

### Die Mercurij 9. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Actus redditur nullus, forma non ſeruatâ.*

## DECISIO DCCLXXIV.

PRopoſita iſta cauſa, * vtraque parte informante, multum diſplicuit Dominis modus procedendi Orlandi de Barutiis, qui cùm priùs procuraſſet, ſibi à Petro de Beſutiis reſignari Parochialem, de qua agebatur, deinde ſoluta ſibi penſione, ante expeditionem litterarum denegabat ei penſionem ſoluere, eo quòd Petrus non expeditis litteris, penſionem ab Orlando recepiſſet, iuxta deciſionem in cauſa Sabinien. penſionis coram Domino Cardinali Mantica, tunc Rotæ Auditore die 14. Decembris 1594.* ita vt eodem tempore Petrus, & beneficio, & penſione remaneret priuatus. Itaque Rota, indemnitati pauperis Presbyteri conſulens, omnino cauſam concordari præcepit. 1. 2.

* de qua ſuprà dec.727.

* habetur in impreſſ. Mãticæ deciſ. 300. n.2. & adde infrà dec.875.n.4.

Die autem 7. Iulij iuſſit, Petro dari mandatum de manutenendo, in exactione ſuæ penſionis.

## *Salamantina, & Abulen. beneficiorum.*

### Die Mercurij 9. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

1 *Familiaritas requirit, ad effectum reſeruationis, mentem,& dentem.*

2 *Familiaritas, quæ ſit, collegitur ex qualitate perſonæ,& ex alijs requiſitis.*

3 *Nepos Cardinalis non dicitur ei deſeruire, etiam ſi commoretur in domo eius, ad effectum reſeruationis.*

4 *Cardinalis mens facit quem familiarem, ex animo inſeruiendi, vel non,& n.7.*

5 *Familiaris Cardinalis dicitur, qui eſt deputatus ab eo, ad aliquod honeſtum ſeruitium. & excluditur mens, ex actibus ad quos deputatur, num.6.*

### DECISIO DCCLXXV.

1\. ROta cenſuit, Don Ferdinandum Mexia de Mendoza non fuiſſe familiarem bon.mem. Cardinalis de Mendoza,ad effectum, vt beneficia per eius obitum vacantia, remanſerint reſeruata, nam cùm ad iſtum effectum requiratur mens, * & dens Sarnenſis in regula de impetran. beneficia vacan. per obitum famil. Cardinale *quæſt*.13. & ex qualitate perſonæ,receptione, & intentione ſeruiendi colligatur, quis ſit, vel non ſit familiaris, † in caſu propoſito, hæc omnia excludebant familiaritatem.

* adde Rot. rec.p.1. dec. 584 n.1.& 3. & in Hiſpalen. portionis 2. Maij 1614. coram Andrea impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.2. pag. 604. & vtrobique ad propoſitum allegatur hęc dec.

Primum, qualitas perſonæ Ferdinandi, qui cùm eſſet nepos Cardinalis ex ſorore, ex nobiliſſima progenie, licèt cum Cardinali conuiueret, non tamen morabatur in eius Palatio, tan-
2\. quam familiaris ſeruiens,ſed tanquam nepos, &
3\. ſanguine Cardinali coniunctus, neque Ferdinandus prætendebat Cardinali inſeruire tanquam familiaris, Sarnenſis *dicta quæſt*.13. Francus *in cap. finali, de verborum ſignific. numer*. 14. *lib*.6.

† de materia huius dec. videndus eſt Ludouiſ.dec. 166. n. 1. & ſequ. & latè annot.n.10.

Receptio etiam excludebat familiaritatem, quia Ferdinandus non fuerat receptus in Pala-
4\. tio Cardinalis,vt ſeruiret,ſed vt ſtuderet,& propterea deputatus illi fuerat Magiſter, qui eum in litteris humanioribus inſtrueret, ſicut quotidie actu inſtruebat, vnde cùm intentio * Cardinalis recipientis non fuiſſet, vt Ferdinandus deputaretur ad aliquod honeſtum ſeruitium,
5\. Cardinali impendendum, ceſſabat familiaritas, cùm ille dicatur familiaris in hac materia, qui deputatur ad aliquod honeſtum ſeruitium † impendendum. Francus *in dicto cap. finali, num*. 14. *de verbor. ſignific. lib* 6. Mandoſius *in regula de impetrand. per obitum familiar. Cardin. quæſt*. 10. *num*.3.

* adde Rot. rec.p.2. dec. 711.n.7. vbi ad propoſitũ allegat hanc dec.

† adde Rot. in vna Hiſpalen. Archidiaconatus 20. Februar. & 26. Iunij 1606. coram Iuſto impreſſas per Marcheſ. de commiſ.p.2. pag.463. vbi n. 2. ad propoſitum allegat hanc deciſ.& pag. 466.

Denique intentio recipientis, & recepti, familiaritatem penitus excludebant:nam reſpectu Cardinalis notum erat, eum non recepiſſe Ferdinandum, vt ſibi inſeruiret, ſed vt litteris operam daret, & ſtudia virtutum amplecteretur, & hanc Cardinalis intentionem probabat tractatus, & reputatio, quia neque Cardinalis tractabat Ferdinandum tanquam familiarem, neque Ferdinandus communiter reputabatur tanquam familiaris, vt teſtes aſſerebant, quod ſufficit ad 6.
excludendam familiaritatem, Simoneta *tractat. de reſeruationibus, quæſt*. 24. Bellamera *deciſ*.612.

Reſpectu Ferdinandi recepti,manifeſtius erat, eum non acceſſiſſe ad Palatium Cardinalis,tanquam familiarem,ſed tanquam nepotem.

Neque prædictis obſtabant deducta per in- 7.
formantes pro Ioanne Gaëtan, quòd Ferdinandus eſſet commenſalis Cardinalis, & viueret illius expenſis,& quædam eiuſdem Cardinalis imperata exequeretur, & coram eodem Cardinali ſtaret aperto capite, & ſimilia, quia reſpondebatur primò,quòd ceſſante animo vtriuſque,recipientis videlicet, & recepti, iſta omnia, non operantur familiaritatem. Sarnenſis *dicta quæſt*.13.

Secundò reſpondebatur, Ferdinandum iſta omnia præſtitiſſe, non tanquam familiarem,ſed tanquam nepotem.

Atque ex his reſpondebatur ad dicta teſtium, pro contraria parte examinatorum, quanquam non admodum vrgerent.

## *Papien. bonorum.*

### Die Lunæ 14. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

1 *Probata ſubſtantia rei probandæ, facilè probatur quantitas.*

3 *Relatio intelligenda eſt ad actum, ad quem referri poteſt.*

4 *Quantitas eadem bonorum præſumitur,ex quantitate penſionis ſolutæ,de eiſdem bonis.*

5 *Bonis diminutis, diminui ſolet pretium locationis.*

8 *Alienatio eſt quid facti,& ideo non præſumitur, niſi probetur ab eo,qui in ea ſe fundat.*

11 *Verba demonſtratiua inſtrumenti locationis differunt à verbis reſtrictiuis in eo poſitos.*

### DECISIO DCCLXXVI.

VTraque parte informante, Rota cenſuit, 1.
conſtare de quantitate terrarum ab Eccleſia locatarum Dominis de Beccaria, cùm enim ab Eccleſia eſſet probata bonorum locatorum identitas, & dominium, & ageretur ſolùm de quantitate probanda, leuiores probationes ſufficiunt,cùm ſubſtantia probata, facilè quantitas probari dicatur. gloſſa *in l.pictura.§.final.in verb. vniuerſa.ff.de legat*.1. Surdus *conſ.94.num*.25. *& ſequent.lib*.1.

Vnde cùm inueſtitura facta anno 1376. Pe- 2.
tro de Ferrariis pro ſe, & quibus dederit, eſſet de ſex petiis terræ perticarum,1169. ex quo quilibet manſus, in inueſtitura expreſſus, continet 200.perticas, & in eadem inueſtitura ſingulatim deſcriberentur fines cuiuſlibet petiæ, & poſtea ſecunda inueſtitura facta Dominis de Beccaria anno 1458. eſſet de omnibus, & ſingulis terris, proprietatibus, boſchis, & aliis quibuſcumque bonis in quotquot petiis, & numero exiſterent, & quibuſuis confinibus terminarentur, quæ



hactenus conſueuerunt tenere ad effectum, à Canonicali præbenda, ſucceſſores Petri de Ferrariis, & à quibus iidem ſucceſſores ceciderunt ob affictum non ſolutum, conſequens erat, vt illa ſecunda * locatio,nedum loqueretur de eiſdem bonis, (ſicut deciſum fuit,) ſed de eadem etiam bonorum quantitate, quæ continebatur in prima locatione,facta Petro de Ferrariis,cùm non appareret Petrum,ſeu eius ſucceſſores, alia bona à prædicta Canonicali Præbenda conduxiſſe, & eo præſertim nomine, quia negari non poterat, quin emphyteoſis Petro conceſſa, fuiſſet etiam ſtipulata pro ſucceſſoribus eius, etiam extraneis; hæc enim ſecunda locatio, ſeu inue-
3\. ſtitura, ad primam † (cùm de alia non conſtaret,)relationem habere videbatur. *l.aſſe toto.ff.de hæredibus inſtituen*. Tiraquell. *de legib. connubial. gloſſ. 7.numer*. 182. *& ſequent*. Pariſius *conſil*. 3. *num*.35.*lib*.1.

* quia regula eſt, ſecundam locationem, ſeu inueſtituram, recipere interpretationem à prima. Coccin. dec. 137.n.2. Mãtic. dec.373. n.1.& 2.

† adde Rot. rec.p.5. dec. 127. n. 9. & p.2.dec.555. n.11.

4\. Idem ſuadebat quantitas canonis, ſeu penſionis, quia vtraque locatio facta fuerat pro affictu 25. librarum Papienſium, cùm ex eadem quantitate penſionis, eadem bonorum quantitas arguatur. Natta *lib.3.num.6. in fine, lib*.1. & ſucceſſores etiam eandem quantitatem confeſſi
5\. videbantur, cùm eundem ſemper affictum perſoluerint, quem veriſimile erat diminutum fuiſſe, ſi bona in minori quantitate fuiſſent locata, cùm diminutis bonis,onus diminui conſueuerit. Corneus *conſil.24.num.16.lib*.3.

6\. Non obſtabat, quòd opponebatur per informantes pro Dominis de Beccaria, de poſſeſſione non tranſitoria in ſucceſſorem, niſi mediante apprehenſione; quia reſpondebatur, inueſtituram factam Dominis de Beccaria anno 1458. non loqui de terris, quæ poſſidebantur per ſucceſſores Petri de Ferrariis, ſed de bonis, quæ conſueuerunt præfati ſucceſſores Petri tenere in affictum, de quo loquebatur inueſtitura, qua nitebantur informantes pro Eccleſia.

Neque prædicta verba poterant referri ad alium affictum, ſeu ad aliam inueſtituram, quia de alia non conſtabat.

7\. Minus vrgebat alia oppoſitio, ex eo deducta, quòd cùm in inueſtitura Petri adeſſet clauſula, *& quibus dederit*, & conſequenter ille potuerit aliqua bona de ſpecificatis in inueſtitura alienare, non poterat dici, conſtare de aliqua certa quantitate.

8\. Quia reſpondebatur, quòd cùm alienatio ſit quid facti, non præſumitur, niſi probetur ab eo, qui in ea ſe fundat.*l.in bello.§.facti.ff.de captiu. & poſtlim. reuerſ*. in caſu autem propoſito per Dominos de Beccaria non probari.

9\. Similiter non obſtabat conſideratio de conceſſione facta Dominis de Beccaria, quæ non fuerat in emphyteuſim, ſicut illa facta Petro de Ferrariis,& ſucceſſoribus.

Quia non per hoc tollebatur, quin comprehenderet bona aliàs conceſſa ſucceſſoribus dicti Petri,& conſequenter,bona contenta in inueſtitura Petro facta.

10\. Poſtremò non obſtabant quædam ſolutiones,in quibus dicebatur,eas fieri pro certis proprietatibus,& terris, poſitis ad Boſchum de Ferrariis, quaſi inde probaretur, inueſtituram factam Dominis de Beccaria non fuiſſe tam generalem,aut talem,qualem prætendebant informantes pro Eccleſia.

Quoniam reſpondebatur, illa verba non re- 11.
ſtrictiuè, ſed demonſtratiuè fuiſſe accipienda, præſertim, cùm in illis ſpecificarentur etiam aliæ demonſtrationes, conuenientes prædictis inueſtituris. Crauetta *conſ.297.n.6*.

Ad alias obiectiones minus difficiles, placuerunt reſponſiones datæ per informantes pro Eccleſia.

## *Bononien. de Calderinis.*

### Die Lunæ 14. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

3 *Fidem facit liber rationum,ad fauorem ſcribentis, concurrentibus adminiculis.*

4 *Liber rationum ad fauorem ſcribentis nihil probat.*

6 *Iudicis atteſtatio,tendens ad iuſtificandam ſuam ſententiam, nihil probat.*

### DECISIO DCCLXXVII.

DIe 14. Nouembris 1598. * propoſita hac 1.
cauſa, Rota cenſuit, ſententiam latam à Prætore Bononienſi ad fauorem Dominorum de Calderinis fuiſſe infirmandam ex capite nullitatis, ex eo quòd cùm cauſa fuiſſet commiſſa Prætori,cum voto Auditorum Rotæ Bononien. & Vicarij decidenda, reperiebatur lata abſque voto Vicarij, eandem tamen ſententiam iuſtam fuiſſe pronuntiauit. Iterum verò ad inſtantiam Calderinorum die 15. Februar.præſentis * anni cauſa propoſita, ex nouiter deductis pro validitate eiuſdem ſententiæ deciſum fuit, & ordinatum, vt reſpectu iuſtitiæ iterum proponeretur, quod cùm vtraque parte informante in hac propoſitione factum fuiſſet, Domini, quoad iuſtitiam ſententiæ in deciſis permanſerunt, ex rationibus in dicta deciſione conſideratis.

* ſuprà dec. 721.n.3.

* ſuprà dec. 741.

Et quoniam potiſſimum fundamentum ſcri- 2.
bentium pro Domina Virginia Coſpia conſiſtebat in libro ſcripto à bon. mem. Cornelio de Sancto Petro, in quo, licèt Cornelius fateretur debitum librarum 2050. annotauerat tamen,deducendas fuiſſe libras 1275. habitas per Dominos de Calderinis à quondam Helena, dum viuebat, item lib. 492. quatuor vicibus ſolutas, & rurſus libras 25. ex quibus omnibus partitis conſurgebat ſumma librarum 1792.

Adnotabatur præterea in eodem libro, Do- 3.
minos de Calderinis remanſiſſe creditores in lib. 542. & Comitem Ioannem de Calderinis ei computo acquieuiſſe, ex quibus prætendebant informantes pro Domina Virginia, ſententiam fuiſſe iniuſtam, cùm non ſit nouum, librum priuatum, concurrentibus adminiculis, * ad fauorem ſcribentis fidem facere.Ioandes Andreas *ad Speculum tit.de inſtrument. edit. §. nunc videndum reſtat,in additione magna*, Albericus *in l. rationes, num.6.C.de probat*.

* adde Dur. dec.32.n.13. & deciſ.197. n.2. & deciſ. 352. Caual. dec.552.n.1. Rot.rec. p.1. dec.650.n.4.

Hoc tamen non placuit Dominis in hac fa-
cti ſpecie, cùm liber à Cornelio ſcriptus non 4.
haberet intitulationem,nec diem, nec menſem, & (quod erat præcipuum,) non appareret licentiatus (ſiue approbatus à foro mercatorum.

*Bonon.

* adde Rot. rec.p.2. dec. 558. n. 2. in fine,quæ loquitur in terminis huius ſtatuti, Mantic. dec.179. n.1.
† adde Cau. dec.651.n.9. Rot.rec.p.1. dec.690.n.6. Coc.dec.101. n. 11. & dec. 473. num.4. Mantic. dec. 299 n.6.& 7. & decif.363. n 2.

* Bononien. quo caſu vigore ſtatuti potuiſſet fides adhiberi ; ideoque ſtandum erat regulæ, quòd liber priuatus, † ſeu ſcriptura priuata nullum probationis gradum, nullamque penitus fidem,ad fauorem ſcribentis faceret. Baldus *in l. inſtrumenta,num.2.C.de probat.* Idem Baldus, Salicetus, & Paulus de Caſtro *in l. exemplo, C. de probat.* & tenuit Rota *in vna Romana extinctionis cenſus*, die 14. Aprilis 1584. * & præſertim in hoc articulo, in quo ex aduerſo producebantur libri Calderinorum, mercantiliter tenti, intitulati, & à foro mercatorum licentiati, & in iudicio ad inſtantiam Dominæ Virgineæ exhibiti, in quibus ſimilia computa non apparebant adnotata.

5.
* habetur 1. p.diuerſ.dec. 781.

Supradictis accedebat inuериſimilitudo ex partita ſolutionis lib. 1275. quæ prætendebatur à viuente Helena facta; quia reſtitutio dotis, poſt mortem ipſius, non autem ea adhuc viuente facienda erat, cùm non ſit veriſimile, Helenam voluiſſe reſtituere,quod minimè tunc reſtituere tenebatur.

6.
† adde Rot. rec.p.1. dec. 553.n.4.& 5. & deciſ.515. n. 11. & fuit dictũ in Romana Laudi 28.Iun.1613. coram Burato impreſſa per March. de commiſſ. p.1.pag.1135. n.7.& 8.

Atteſtatio † Scaglini non fuit habita in conſideratione, cùm tenderet ad iuſtificandam ſententiam à ſe latam, ſeu ferendam. Socinus *conſil.47.numer.15.lib.4.* Crauetta *conſil.48. numer.1.*

Ad alias obiectiones placuerunt Dominis reſponſiones,in alia deciſione datæ.

---

## *Romana Cenſuum de Romulis.*

### Die Veneris 18. Iunij 1599.

### SVMMARIVM.

2 *Eccleſia cum alterius iactura non debet locupletari.*
3 *Eccleſia eſt cultrix iuſtitiæ, & ideo non debet cuiquam præiudicare.*
4 *Venditio rei Eccleſiaſticæ eſt inualida, ſi non vertatur in vtilitatem Eccleſiæ.*
5.6 *Alienatio rei Eccleſiaſticæ, vt ſit valida, duo copulatiuè requiruntur, ſcilicet cauſa neceſſaria,& ipſius vtilitas.*
*& idem eſt in minore.*
8 *Cenſum impoſitum in Eccleſia tenentur ſoluere Canonici, ſi ſolutio ſit facta,tanquam vniuerſis, vel collegio.*

## DECISIO DCCLXXVIII.

1.
* habetur hæc dec. penes March. de commiſſ. p.1.pag.121. & iterũ pag. 865.& penes Cęcium poſt tract.de cenſibus deciſ. 287.
† ſuprà dec. 696.

PRæſuppoſita * deciſione in hac cauſa facta die 8. Iunij anni præteriti 1598. † per quam Capitulum, & Canonici Sanctorum Celſi, & Iuliani obtinuerant, declarari cenſus, de quibus agebatur, fuiſſe inualidos ex eo, quòd nec de ſolemnitate, nec de iuſta cauſa impoſitionis conſtabat; in hac propoſitione, ad inſtantiam Iuliani de Romulis dubitaui, an prædictum Capitulum,& Canonici, tenerentur reſtituere ſortem principalem ? & vtraque parte informante, Rota ad eam reſtituendam * teneri cenſuit,quia ſtante nullitate contractus, non erat æquum, Eccleſiam cum aliena iactura locupletari.gloſſ. *in l.iubemus,la 2.§.ſanè, in verb. acquirantur.C. de*

2.
* adde Dur. dec.256.n.5. & ſequ. Rot. diu.p.1. dec. 14.n.3.& ſequent.& deciſ.278. n.1.

*ſacroſ.Eccleſ.* gloſſa *in cap. ad audientiam, in verb. ad effugiendum, de rebus Eccleſ. non alienan.* cùm enim Eccleſia ſit cultrix iuſtitiæ, non debet cuiquam præiudicare. *cap.per tuas,de donation.* gloſſ. *final.in cap.1. de in integr.reſtit.* quod tunc in primis locum habet, quando locupletior facta eſt, Abbas *in cap.ſi quis Presbyter.de rebus Eccleſ. non alienan.in fine.* 3.

Quoniam verò informantes pro Eccleſia Sanctorum Celſi, & Iuliani prætendebant,non aliter eam teneri ad pretij prædictorum cenſuum reſtitutionem, niſi Iulianus de Romulis, qui illud ſibi reſtitui prætendebat, probaret, illud fuiſſe conuerſum in Eccleſiæ vtilitatem.Couarruuias *lib.2.variar.reſolut.cap.17. num.3.* propterea Domini ad hanc difficultatem diluendam, diſtinguebant duos caſus, ſicut aliàs Rota diſtinxerat *in vna Romana cenſus*, die 23. Ianuarij 1591. coram bon. mem. Marcello Bubalo. 4.

Primus caſus erat, quando fit venditio, vel alienatio rei Eccleſiaſticæ, aut minoris ex cauſa neceſſaria,pro ſoluendo ære alieno,& tunc emptor * ſollicitus eſſe debet, quòd pretium conuertatur in ſolutionem æris alieni,propter quod fuit facta venditio. Innocentius *in cap.2. num.1.* vbi communiter Canoniſtæ *de depoſ.* Abbas, & alij *in cap.quod quibuſdam, de fideiuſſor.* Couarruuias *lib.1.variar.reſolut.cap.17.num.5.* 5.

* Seraphin. dec.338.n.8.

Alter caſus erat, quando venditio fit non ex cauſa neceſſaria, ſed voluntaria, propter Eccleſiæ vtilitatem, quo caſu emptor rei Eccleſiaſticæ, vel minoris, non tenetur probare verſionem pretij in vtilitatem Eccleſiæ, vel minoris. Decius *conſil.36.numer.8. circa finem, & conſil.230.numer.3.* Crotus *conſil.4.numer.6. lib.1.* 6.

In propoſita facti ſpecie pronuntiatum eſt, locum fuiſſe ſecundo caſui, * quia Capitulum Sancti Celſi, ex cauſa voluntaria, propter Eccleſiæ vtilitatem, cenſus impoſuerat : acceperat enim pecunias cenſuales, ad rationem 7. pro centenario, vt extingueret alios cenſus impoſitos, ad rationem 8. & 10. pro centenario, & conſequenter, Iulianus de Romulis, iuxta regulam in ſecundo caſu conſtitutam, non tenebatur probare, pretium, ſeu pecuniam, quam tradiderat, in Eccleſiæ vtilitatem fuiſſe conuerſam.† 7.

*adde Rot. in vna Romana cenſus de Palutiis 20.Nouemb. 1600. coram Sacrato impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.1. pag.863. vbi n. 4. ad propoſitum allegat hanc dec.

Neque prædictis obſtabat, quòd eſſet agendum contra hæredes Canonicorum, qui impoſuerant cenſum, non autem contra Eccleſiam, quia reſpondebatur, id eſſe verum, ſi ſolutio fuiſſet facta Canonicis tanquam ſingulis, ſecus autem ſi tanquam vniuerſis, & Collegio, quia tunc reſtitutioni eſt locus, non probata verſione, iuxta prædictam diſtinctionem, *gloſſa final. in Authent. hoc ius porrectum, in verb. probet. C. de ſacroſanctis Eccleſ.* vbi Bartolus *num.17.* Idem Bartolus *in l. ciuitas, num.12. ff.ſi certum pet.* vbi Alexander *num.11.* & Ruinus *conſ.68. num.7.lib.1.* 8.

† vide infrà dec.1555.n. 10.& Rotam diu.p.1. dec. 14.n.6.

*Aſſiſien.*



---

## *Aſſiſien. molendini.*

### Die Veneris 18. Iunij 1599.

### SVMMARIVM.

7.8 *Tranſactio facta per hæredem putatiuum, non poteſt præiudicare hæredi legitimo.*
10 *Hæres verus repetit debitum hæreditarium, exactum per putatiuum hæredem.*
*quod limita,vt num.15.& 16.*
11 *Repetere non poteſt hæres verus, quod exegit non hæreditarium.*
12 *Indebitum quod fuit exactum à putatiuo hærede ex hæreditate, non tenetur reſtituere vero hæredi, qui erat putatiuus.*
13 *Hæres non eſt dominus crediti non hæreditarij.*
14 *Acquiſitum per hæredem, tanquam hæredem, ex re non hæreditaria, non tranſit ad fideicommiſſarium.*
17 *Tranſactio facta ex cauſa falſa,corruit.*
19 *Conditio iniqua inferri non poteſt alteri, per alterum.*
20 *Tranſactio facta cum Principe, vim habet legis.*
21 *Conuentio facta cum Principe ita ad alios extenditur,vt quoad contrahentes non ſit inutilis.*
22 *Fraudari quis non debet lucro,ex ſua diligentia, & negotiatione quæſito.*

## DECISIO DCCLXXIX.

1.
* hæc deciſio in Codice originali R. P. D. Peña notatur facta corã D. Gipſio, ſed extenſa per D. Peña.

VItâ * functo Guidone,filio Dominæ Genebræ Saluiatæ, Camera Apoſtolica caſtrorum Baſtiæ, & Hiſpelli, tanquam feudalium, & ad eam deuolutorum per lineam finitam,poſſeſſionem acceperat, vnà cum molendino, quaſi ſub feudo comprehenſo ; ſed quoniam Domina Genebra,auia paterna tutrix, & curatrix Aſtorini, ſupradicti Guidonis filij pupilli, prædictum molendinum prætendebat fuiſſe allodiale, cauſam ſpolij in Camera introduxerat, iuraque produxit, & teſtes examinauit, ad ſuam intentionem probandam.

2. Cæterùm, cùm pendente lite obiiſſet etiam Aſtorinus ſine filiis, relicta Domina Genebra auia paterna, & Domina Margarita S. Crucia matre Genebra, quæ litem nomine proprio ſuper molendino proſequebatur, auctoritate chirographi,manu fel.record. Gregorij XIV. ſubſignati, cum Camera Apoſtolica, perſoluta quadam pecuniarum ſumma, ſuper dicto molendino,tranſegit,& ſuper eo ab eadem Camera ceſſionem obtinuit.

3. Cùm verò Domina Genebra,etiam ante tranſactionem,tanquam auia paterna,hæreditatis, & omnium bonorum Aſtorini nepotis, poſſeſſionem fuiſſet adepta,ex aduerſo autem Margarita Sancta Crucia, Aſtorini filij hæreditatem ad ſe pertinere prætenderet, commiſſa cauſa in Rota, mandatum de immittendo obtinuit, in poſſeſſionem prædictæ hæreditatis pro medietate, reſeruata alia medietate Dominæ Genebræ auiæ paternæ vigore ſtatuti Peruſini.

4. Quoniam autem Margarita mandatum Rotale, etiam ſuper molendino tanquam allodiali, & hæreditario, à Commiſſario Cameræ exequi petebat, ex aduerſo autem Genebra prætendebat, eſſe feudale, & conſequenter ſub mandato Rotali non comprehendi,dato ſuper eo articulo dubio, Camera die 28.Ianuarij 1594. reſpondit, molendinum ante tranſactionem factam inter Cameram, & Genebram fuiſſe feudale,ſed moderandam fuiſſe inhibitionem, ad effectum de quo agebatur.

Qua reſolutione facta,& cauſa ad Rotam remiſſa, coram bon.mem. Gipſio diſputatum fuit, an chirographum cederet ad fauorem Genebræ, vel potiùs Margaritæ, & Rota die 2. Maij 1594. ad fauorem Margaritæ cedere reſpondit, quam deciſionem iterum confirmauit die 24. Ianuarij 1596.

Veruntamen, quia Domina Genebra valde conquerebatur de prædictis reſolutionibus,placuit Dominis,iuxta eius intentionem iterum illam audire ſuper tota cauſa. 5.

Vnde conſtitutis quibuſdam præſuppoſitis, videlicet tranſactione facta cum Camera die 5. Aprilis 1591.& deciſione Camerali facta die 28. Ianuarij 1594. quòd molendinum ante tranſactionem erat feudale;& aliis vtrinque deductis, datum fuit dubium generale, an eſſet recedendum à deciſis, quod fuit propoſitum die 6.Martij 1598. & tunc fuit cauſa dilata, quod iterum fuit propoſitum die 24.Maij 1599. & tunc ordinatum,quòd daretur reſolutio in ſequenti.

Die autem 28. eiuſdem menſis Maij cauſa propoſita, Domini videre volebant, an molendinum eſſet feudale,vel hæreditarium ; denique cùm per Dominam Genebram ſemper vrgeretur, declarari dubium cum dictis præſuppoſitis, tandem die 18. Iunij 1599. deciſum fuit,quòd ſi molendinum feudale fuerat ante tranſactionem, pertinebat ad Dominam Genebram : ſi autem erat hæreditarium, pertinebat ad Dominam Margaritam.

Quia verò Dominus Gieſius morte præuentus, deciſionem iuxta Dominorum ſuffragia componere non potuit,ego in illius locum ſubrogatus eam confeci.

Cùm enim cauſa diſputaretur cum præſuppoſito, quòd molendinum non eſſet hæreditarium, nec tanquam tale ſpectaret ad Dominam Margaritam, Aſtorini matrem, ſed potius cum præſuppoſito contrario, quod ante tranſactionem erat feudale, inde conſequebatur, tranſactionem initam inter Cameram, & Genebram, Margaritæ matri non ſuffragari, * & propterea recedendum à deciſis, per textum *in l. Imperatores, §. finali, ff. de tranſaction.* vbi eſt Clara deciſio, quòd tranſactio facta à putatiuo hærede, non prodeſt vero hæredi, & ratio l. eſt, quia nec cum vero hærede fuit tranſactum,nec putatiuus hæres illius nomine tranſegit, & propterea infert ibi gloſſa *in verb. non poſſe*, quòd putatiuus hæres, quidquid ex tranſactione acquirit ex ſua negotiatione, videtur acquirere, quod ipſum decidere videtur textus *in l. ſi tibi. §. cùm poſſeſſor, ff. de pactis*, vbi pactum putatiui hæredis nec nocet, nec prodeſt vero hæredi, quod in materia tranſactionis * indiſtinctè, & communiter amplexi videntur Bartolus, Angelus, Paulus de Caſtro, & Iaſon *in initio in dicta l. Imperatores.§.finali,ff.de tranſact.* 6. 7. 8.

* adde Rot. rec.p.2. dec. 256.n.6.&7.

* vt in d.deciſ. 256. in rec.p.2.n.6.

Neque huic reſolutioni obſtare, quæ in contrarium deducebantur. Nam primò, ad deciſiones in hac cauſa contra D. Genebram factas,ge- 9.

neraliter reſpondebatur,tunc fuiſſe præſuppoſitum, quòd molendinum erat hæreditarium, & conſequenter tanquam rem hæreditariam D. Margaritæ, veræ hæredi fuiſſe reſtituendam; nunc verò diſputari,cum contrario præſuppoſito, quòd molendinum non eſſet allodiale, ſed feudale.

10. Præterea reſpondebatur, non obſtare, quòd
fuerat dictum in deciſione facta die 2.Maij 1594. quòd verus hęres repetit debitum hæreditarium, exactũ per putatiuum hæredem. *l.ſi quid poſſeſſor. §.finali. & ibi* Odofredus,& Paulus de Caſtro,*ff. de petit. hæredit.* quia id non procedebat in hoc caſu,vbi fuerat acquiſitum molendinum non hęreditarium per D. Genebram, hæredem putatiuam,& hæres putatiuus exigens aliquid non hæreditarium,non tenetur illud reſtituere vero hæ-
11. redi. gloſſa *in d.l. Imperatores.§.finali, in verb.non
poſſe,verſ.vel dic,Mæuius accipiens,* per text. quem allegat *in l. ſi poſſeſſor* * *la* 1.*§.ait ſenatus,*ibi, *nam & Iulian.ff.de petit.hæred.*& declarat *ibidem* Odofredus *in dicto §. finali*, & poſt ipſum Paulus de Caſtro,& antiqui Doctores.

* aliàs eſt l. item veniũt. Papinianus, ff. de petit. hæredit.

12. Præterea non obſtabat gloſſ.*in dicta l.poſſeſſor.
§.ait Senatus,in verb.non debere,*dum dicit,reſtitui etiam indebitum,quod fuit exactum.

Quia reſpondebatur,gloſſam loqui de exigente indebitum nomine alieno, vtputa nomine Procuratoris;ſecus verò eſſe in hærede putatiuo, exigente tanquam domino, & nomine proprio, vt *ibidem* declarat Odofredus: tunc enim non tenetur reſtituere vero hæredi.

13. Primò non tenetur reſtituere actione reali;
quia verus hæres non eſt dominus crediti non hæreditarij exacti.

Secundò,non actione negotiorum geſtorum, quia putatiuus hæres non exegit illius nomine: vnde cùm molendinum non eſſet hæreditarium, ſicut præſupponebatur,non fuit acquiſitum Do-
14. minæ Margaritæ,& conſequenter non debuit ei
reſtitui, ad quod propoſitum videbatur poſſe applicari dictum Cornei *conſ.196. n.15. verſ. nec refert ſi contraxit. lib. 2.* affirmantis, acquiſitum per hæredem,tanquam hæredem,ex re non hæreditaria,non tranſire ad fideicommiſſum, quia non pertinebat ad hæreditatem. *l.ſi hæres la 1.ff. ad l.Falcidiam.*

Rurſus non obſtabat eadem gloſſa,quia text. *in d. l.ſi quid poſſeſſor. ff.de pet.hæredit.* ſimul cum aliis legibus per gloſſam allegatis *in dicto §.fin.*
15. *in verb. non poſſe*, procedunt, quando putatiuus
hæres aliquid exigit ſimpliciter,ſine nouo pacto, aut tranſactione,à debitore hæreditario, aut aliquid ex re hæreditaria acquiſiuit; ſecus verò, quando exegit ex tranſactione. gloſſa *in d.l.Imperatores.§.final.in verb.non poſſe. verſic. vel dic hîc ad ſecundam,*quam ſequuntur *ibi* Bartolus *in ſummario,& in reſolutione,*Baldus *in principio,*Angelus *in ſummario,* Paulus de Caſtro *verſ. vel ſi ſolutum eſt;*& Iaſon *prope finem,verſ.ratio tunc eſt,*cum quibus concordant Albericus,& Fulgoſius aſſerentes,hanc ſolutionem eſſe veriſſimam, quam nemo impugnat,& meritò,quia textus *in dicto §.finali*, ſine violatione non fert aliam expoſitionem,ex quibus conſequebatur,quòd cùm Genebra acquiſiuerit molendinum non hæreditarium, ex tranſactione non tenebatur illud reſtituere vero hæredi.

16. Ex eiſdem rationibus reſpondebatur ad aliud
fundamentum, quo vſa fuerat Rota die 2. Maij 1594.& die 24. Ianuar.1596. nempe, quòd cùm Domina Genebra tranſegerit tanquam hæres,& Papa illi tanquam hæredi, molendinum tradi iuſſerit,conſequenter molendinum tanquam acquiſitum hæreditati erat debitum, & reſtituendum Margaritæ; dicebant enim Domini, quòd etiam in dicto *§.finali, Mæuio tanquam hæredi numerata fuit,* &c. & Mæuius contemplatione hæreditatis, eandem pecuniam acceperat, ibi, *quaſi prætextu hæreditatis acceptum,*&c.& tranſactio fuit facta cum Mæuio,aſſerente,ſe hæredem,ibi, *cum Mæuio, qui ſe legitimum creditoris hæredem iactabat*, &c. & tamen Iuriſconſultus decidit quòd Mæuius non accepit gerendo negotium Septitij.

Rationes verò illæ, quòd fuerit ſolutum Mæuio, tanquam hæredi, & prætextu hæreditatis, dubitandi fuerunt in illo textu, vt indicant ibi Baldus,& Odofredus.

Et quanquam ex eo, quòd Domina Genebra 17.
non erat hæres, & tamen in tranſactione appellabatur hæres,poſſet fortaſſis inferri, tranſactionem corruere,tanquam factam ex falſa * cauſa, non poterat tamen inferri, quòd valeret in fauorem Margaritæ.

* adde ſuprà dec. 70. n.2. & dec.93. n. 4. Seraphin. deciſ.274. n. 10. & deciſ. 976. n. 1. & deciſ. 1190. n.3.Cau.dec. 944.n.5.

Sed neque illa ratio vrgebat,quòd Margarita poſſet vti tranſactione, ex eo, quòd illam ratam habuerat. gloſſa *in dicto §. finali, in verb.non poſſe, verſic.ſol. illud*, &c. quoniam eadem gloſſa declarat, iſtam ſolutionem procedere iuxta poſitionem primi caſus, nempe quando debitor ſoluerat Mæuio putatiuo hæredi ſortem debitam, vt habetur in gloſſa, *in verb.hæc ſolutio, in principio, & in verb. Mæuio.* & declarant *ibidem* Odofredus, & Iaſon *in principio*; & ideo cùm in hac facti ſpecie præſupponeretur, molendinum ſolutum non fuiſſe hæreditarium, ſed ex tranſactione acquiſitum, non applicabatur illa ſolutio: quinimo,cùm hîc de tranſactione ageretur, locum omnino habebat ſecunda inſpectio gloſſæ *in verb. vel dic hîc ad ſecundam,* quæ non recipit iſtam diſtinctionem ratificationis, aut non ratificationis.

Ad aliam rationem conſideratam die 2. Maij 18.
1594. quòd Papa per tranſactionem non intellexerat tollere ius Dominæ Margaritæ, reſpondebatur, id verum quidem eſſe, ſed nec voluiſſe nouum ius concedere,& propterea Margaritam conſiderandam in eodem ſtatu,in quo erat ante tranſactionem, ita vt poſſet vti iure ſuo contra Genebram, non tamen fundando ſe in dicta tranſactione.

Ad limitationem Iaſonis *in l.1.n.4.verſic.limi- 19.
ta.C.de tranſact.*vbi dixit, textum *in l.Imperatores. §.finali.ff.de tranſact.* non habere locum,quando tranſactio eſt facta cum Principe, & conſequenter, non poſſe applicari ad hunc caſum, in quo vigore reſcripti Papalis fuerat facta tranſactio, reſpondebatur multis modis.

Primò, quia ſi illa limitatio eſſet vera, tranſactio facta cum Principe deberet etiam nocere verò hæredi, quod eſt abſurdum, & iniquum, alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat. *l.non debet alteri,ff.de reg.iuris.*

Secundò reſpondebatur,quòd ſi tranſactio facta cum Principe, tanquam lex debet obſeruari, ſequebatur tranſactionem factam cum Genebra, effectum ſortiri debere,contra Margaritam,*l.bene à Zenone.C.de quadrien.præſcript.*

Poſtremò



20. Poſtremò reſpondebatur, limitationem illam
ea niti ratione, quam ibi ſubiunxerat idem Iaſon, quia conuentio facta cum Principe habet vim legis. *l.Cæſar,*vbi Bartolus *num.3.ff.de publican. & vectigal.* At conuentio facta cum Princi-
21. pe, ita ad alios extenditur, vt quoad contrahen-
tes non ſit inutilis, & ita prædicta iura loquuntur: in caſu autem propoſito, ſi tranſactio Mar-
22. garitæ prodeſſe deberet,inutilis Genebræ redde-
retur, quæ tamen non debet fraudari lucro, ex ſua diligentia, & negotiatione quæſito. *l.3.§. finali, ff. de tranſact.* habebit ergo ea limitatio locum in caſibus, quibus ſine iniuria aliorum poterit applicari.

Ad alias obiectiones minus difficiles,ex prædictis patebat ſolutio,remanebatque aditus apertus Dominæ Margaritæ ad probandum, molendinum fuiſſe allodiale, & hæreditarium, quo probato,obtineret contra Dominam Genegram.

---

## *Cæſarauguſtana penſionis.*

### Die Lunæ 21. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Probationes leuiores in iudicio manutentionis ſufficiunt.*
3 *Inſtrumentum publicum probationem probatam facit.*
4 *Pater eſt adminiſtrator bonorum filij minoris, & ideo acquirit quaſi poſſeſſionem pro illo.*
5 *Poſſeſſionem non probat inſtrumentum de recepto.*
6 *Numeratio vera probatur per confeſſionem receptionis in contanti.*
7 *Teſtes nulliter examinati faciunt aliquod adminiculum.*

### DECISIO DCCLXXX.

1. ROta cenſuit, Domino Matthiæ de Pujadas
dandum fuiſſe mandatum de manutenendo in poſſeſſione, ſeu quaſi exigendi penſionem 200. Ducator. ſibi Apoſtolica auctoritate reſer-
2. uatam menſe Auguſto an.1589.ſuper fructibus,
& diſtributionibus dignitatis, Eleemoſynariæ nuncupatæ,in Eccleſia Metropolitana Cæſarauguſt. de conſenſu Roderici Zapatæ, tunc illam obtinentis,vt conſtabat ex litteris deſuper expeditis, quam penſionem Matthias prætendebat exegiſſe vſque ad annum 1591.quo obierat Rodericus, & Hieronymus Gregorius in dignitate ſucceſſor,eam ſoluere recuſabat.

* adde Rot. in vna Regiẽ. penſionis 26. Iunij 1598. impreſſa per Marchеſ. de commiſſ.p.1. pag. 563. & hoc extende etiam ad ſolutionẽ partis termini, vt per Caual. dec.379.n.3. Durand.dec. 324.n.1.& 3.

† adde ſuprà deciſ.667. & 771. n. 1. & infrà 811. n. 8.&dec.839. n.7. & deciſ. 877.n.3.Duran.dec.211. n.1.Coc.dec. 44.n.1.& deciſ.220. n.3. & aliàs ſæpe.

Quoniam cùm de reſeruatione penſionis conſtaret ex tenore litterarum Apoſtolicarum,& in iudicio manutentionis ſufficiant leuiores probationes, Bartol. *in l.1.n.10.verſ.in iſto interdicto.C. quorum bonorum;*vbi Alex.*in additione,*incip.*Summaria cognitio.*Put.*dec.61.lib.3.* Paleothus *dec.14.* & ſatis ſit de vnica ſolutione * conſtare, ad effectum conſtituendi penſionarium in quaſi poſſeſſione exigendi;in caſu propoſito, ex publico inſtrumento vnius quietantiæ dictorum 200. pro duobus terminis facto menſe Auguſti 1591.dicebatur probari quaſi poſſeſſio; inſtrumentum enim publicum probationem † probatam facere dicitur. Gratus *conſ.122.num.7. lib.2.* Alexander *conſ.37.num.16.lib.2.*

Nec refragabatur,quòd prædictum quietantiæ 3.
inſtrumentum non fuerat factum per Matthiam, ſed per Matthiæ patrem, quia cùm tunc Mat-
thias eſſet minor 14.annis,potuit pater,tanquam 4.
legitimus adminiſtrator bonorum filij,acquirere quaſi poſſeſſionem pro eo, gloſſa *in l.2. in verb. legitimam.* vbi Arias Pinellus *part.2.n.63.& 64. C.de bonis matern.*

Nec refragabatur,quòd inſtrumentum conti- 5.
neret confeſſionem de recepto, quæ regulariter non probat poſſeſſionem; quia reſpondebatur primùm, non adfuiſſe ſimplicem confeſſionem de recepto,ſed realem, & actualem ſolutionem, cùm pater fateretur, ſe habuiſſe, & recepiſſe in contanti, quibus verbis ſignificatur vera numeratio,*Bald.*in l.ſi ex cautione,n.14.C.de non numer. pecun.* Bart.*in l.ſi ita ſtipulatus.§. Chryſogonus,n.3.* vbi Alexander *n.14.ff.de verb.obligat.*

* adde Dur. dec. 73. n.1. & 2.Coc.deciſ.302. n.5. Rot.rec. p.2. dec.404.n.1.

Secundò dicebatur, de ſtylo illarum partium ſolere fieri ſimiles quietantias,per modum con-
feſſionis de recepto, quæ vulgariter dicuntur 6.
apochæ, quamuis in promptu & numerata pecunia ſolutiones fiant, vt fuit deciſum in alia Cæſarauguſtana penſionis coram Domino Gypſio die 30.Ianuarij 1589.

Supradictis accedebant adminicula conſide- 7.
rata per informantes pro Matthia, in quibus erat,quòd deſumebatur ex dictis duorũ teſtium, qui licèt prætenderentur nulliter examinati,deſeruire tamen poterant pro adminiculo, vt fuit dictum *in cauſa Salamantina Iuriſdictionis,*die 27. Iunij 1582.† coram D.Seraphino,Rotæ Decano.

† habetur in impreſſis Seraphin. dec. 585. n. 2. & adde Ludou. dec.163.n.1. Rot. rec.p.2. dec. 18. n.3. Mãt. dec.95. n.9.Coc.dec. 31.num.9.& dec.173.n.4. & aliàs ſæpe.

Non obſtabant attentata,quia illa,quæ commiſſa fuerant in partibus,dicebantur purgata;ad illa verò, quæ prætendebantur commiſſa coram A.C.reſpondebatur,quòd cùm modò fuiſſet deciſum,A.C.non potuiſſe procedere; conſequen-
ter non poterat dici attentaſſe. 8.

Et ex hoc tollebatur deciſio coram Groppetio,contra Matthiam allegata, *in cauſa Firmana S.Sebaſtiani,* die 5.Decembris 1565.

---

## *Romana Saluiani interdicti.*

### Die Veneris 25. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Saluianum interdictum habet locum in bonis poſſeſſis tempore obligationis.*
3 *Interdictum Saluianum locum habet contra tertium poſſeſſorem bonorum poſſeſſorum, tempore hypothecæ,ab obligato.*
*etiamſi non præcedat excuſſio, contra principalem debitorem,num.4.* 1.

* habetur hæc dec.impreſſ.per Pacific poſt tr. de Salu. inter.dec.10.

### DECISIO DCCLXXXI.

AD dubium,* an Iacobo Goggio competeret Saluianum, & danda eſſet immiſſio in poſſeſſionem vineæ,de qua agebatur, donec ſibi eſſet ſatisfactum de ſcutis 650. in circa,à Dominico Inſiſura, ipſi Iacobo debitis, Rota vna tantùm parte informante;(quia Dominicus,& Fauſtus ſæpe citati,non comparuerunt,) affirmatiuè reſpondit; quia extrema ad Saluianum requiſita † apparebant probata, nam de obligatione Dominici,cum hypotheca ſuorum bonorum ad fauorem Iacobi,conſtabat ex iuribus in actis productis,

† ſcilicet creditũ cum hypotheca, Dur. dec.40. n.1. & ſequ. Rot. rec.p.2. dec.456.n.1. & fuit dictũ in Romana Salu.26.Nouemb. 1605. impreſſa per Pacif.poſt tr. de Salui. inter. deciſ. 5. n.6.& ſeq.

ductis,& in ſummario relatis. Quòd verò idem
2. Dominicus,tempore obligationis poſſediſſet vi-
neam, (de qua agebatur) probabant teſtes, * &
conſequenter erat locus Saluiano, contra bona
poſſidentes. † gloſſa *in* §. *quaſi Seruiana, in verb. quaſi,in fine, Inſtit.de action.gloſſa fin. in* §.*interdictum, Inſtitut.de interdict. gloſſa finalis,in l.*1.*C. de precar.* vbi Cynus,& alij,quod locum etiam ha-
3. bet contra tertium poſſeſſorem.* Bartolus *in l.*1.
4. *n.*1.*ff.de Saluian.interdict.* Socinus ſenior *conſ.*80. *num.*2. *lib.* 3. Rolandus *conſil.* 14. *num.* 18. *lib.*1. quod procedit,etiam ſi non præcedat aliqua excuſſio contra principalem debitorem. Surdus *conſ.*131.*num.*2.*lib.*1.

* adde Rot. rec.p.2. dec. 669.n.2. vbi allegatur hęc deciſio licèt ſit annotata de ann.1589.

† adde Rotā in vna Romana Saluia. 15. Decemb. 1614. coram Pamphilio impreſſa per Pacific. poſt tr. de Salui. inter. deciſ. 56.& dec.15. n.2.

* adde Rot. rec.p.1. dec. 294. n. 3. & 4.& p.2.dec. 324.n.2. Ludouiſ. deciſ. 495. n. 4. & vtrobique ad propoſitum allegatur hęc dec. Seraph. dec.935.n.3. & dec.1143. n.5.

## *Romana pecuniaria.*

### Die Veneris 25. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Scriptura manu ſcribentis recognita, contra eum probat.*
4 *Delegationi debiti vt ſit locus,quæ requirantur.*
5 *Debitum ſolutionem præcedere debet.*
6 *Mercatorum libris non ſtatur, nec pro tertio, nec contra tertium.*

### DECISIO DCCLXXXII.

1. POſt tranſacta computa, & factum generale ſaldum, & quietationem,die 1.Aprilis 1595. inter bonæ memoriæ Camillum Cerrinum, & Nicolaum Seppiam, eodem die idem Nicolaus declarauit, per ſcripturam manu propria confectam,ſe remanere debitorem ipſius Domini Camilli in ſcutis 1851.b.50.cùm verò, poſt aliquot menſes, Dominus Camilla inteſtatus deceſſiſſet, & Illuſtr.D.Saluſtria Cerrina de Creſcentiis,vnica illius filia legitima, & naturalis, quæ patris hæreditatem adiuerat,Nicolaum requiſiuiſſet,vt prædictam ſibi ſummam perſolueret,ad eamque ſoluendam in iudicio coram R. P. D. Ala, eſſet condemnatus, in gradu appellationis, dato dubio,an ſententia extra Rotam lata contra Nicolaum eſſet confirmanda, vel infirmanda, Rota confirmandam cenſuit, quia conſtabat de credito Dominæ Saluſtriæ ex apocha manu Nicolai
2. ſcripta, & ſubſcripta, quæ cùm eſſet recognita *contra ſcribentem probabat.*l.ſi ago.*§.*dotis.ff.de iure dot.* Iaſon *in l. ſi ita ſtipulatus.* §. *Chryſogonus, n.*2.*&* 12.*ff.de verbor.obligat.* Alexander *conſ.*147. *n.*3.*&* *conſ.*181.*n.*4.*lib.*2.

* adde Lud. dec.328.n.1. & 2.Durand. dec. 90. n.9. Rot.rec.p.1. dec.650.n.1. & p.2. deciſ. 158.n.7.

3. Prædictum verò clarum Nicolai debitum non excludebatur per epiſtolam ab eodem Nicolao ſcriptam,& Mazzenghis mercatoribus directum,pro ſumma ſcutorum 1851. quæ mercatores,ad D. Camilli creditum, in ſuis libris notauerunt, quaſi fuerit facta nouatio, ſeu delegatio,vt Camillus reciperet à Mazzenghis,quod à Nicolao vigore ſui chirographi recepturus erat, quoniam non concurrebant requiſita * ad delegationem,nam quamuis Camillus eſſet creditor Nicolai delegantis ad Mazzenghos, tamen non conſtabat, quòd Nicolaus eſſet creditor Mazzenghorum,nec quòd Camillus,& Mazzenghi, & Nicolaus delegationi conſenſerint, ſicut requiritur, vt delegationi fiat locus, Iaſon *in l. ſingularia,n.*36.*ff.ſi cert.pet.* Rota Genuenſis *deciſ.*2.
4. *num.*24. Oddus *conſ.*87.*num.*2. & fuit deciſum *in cauſa Romana, ſeu Bergomen. pecuniaria*, die 18. Decembris 1595. coram Domino Seraphino Rotæ Decano.*

* quæ debeāt eſſe hæc requiſita,vide Dur. dec. 390.n.5. Seraphin. dec. 1419.num.2. Rot.rec.p.1. dec.428.n.4.

* habetur in impreſſis Seraphin. dec. 1167.n.2.

Præterea omnis difficultas tollebatur ex ſolidatione facta inter Camillum, & Nicolaum, ex qua apparebat,Nicolaum die 1.Aprilis an.1595.
5. remanſiſſe debitorem Camilli,in ſcutis 1851.& tamen partita contrapoſita in libris Mazzenghorum mercatorum,ex cauſa prædictæ epiſtolæ cambij, apparebat creata; in menſe Martio eiuſdem anni 1595.& conſequenter,ante ſolidationem,& confeſſionem ipſius debiti,quod eſſe non poterat,cùm debitum ſolutionem præcedere debeat.

6. Denique cùm libris mercatorum* non ſtetur, nec pro tertio,nec contra tertium,Veral.*dec.*155. *p.*2. ex eis non poterat deſumi probatio,quæ vel Nicolao prodeſſet,vel D.Saluſtriæ noceret.

* adde ſuprà dec.777.n.4. Dur. dec.32. n.9. & deciſ, 128. n. 23. Ludouiſ.dec. 302.n.4.&5.

## *Anagnina molendini.*

### Die Lunæ 28. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

5 *Damnum ſentire debet ille, pro cuius cauſa fuit illatum,non verò qui eſt innocens.*
6 *Conductor promittens ſubminiſtrare omnia inſtrumenta neceſſaria in molendino,non remanet obligatus ad neceſſaria fluminis.*

### DECISIO DCCLXXXIII.

DIe 1.Aprilis 1595.Paulus Columbus loca- 1.
uit Auguſtino Vareſio molendinum Foliareti,ciuitatis Ananis ad 8.annos,cum promiſſione manutenendi illud in forma,& de euictione.

Viciſſim Auguſtinus promiſit, ſoluere pro penſione rubla quinque menſtrua, & ſuis ſumptibus omnia inſtrumenta neceſſaria, & dicto molendino ſeruientia ſubminiſtrare,exceptis tamen duobus lapidibus molaribus, & canali, & vlteriùs inſeruire diligenter hominibus de Acuto, aliàs liceret eidem Paulo alium molendinarium in eo ponere.

Eodem anno, & menſe Auguſt. Vareſius idem 2.
molendinum Dominico Geruaſio, cum eiſdem pactis, & capitulis ſublocauit, ſed cùm Acutini ad molendinum non accederent, ſicut antea accedere ſoliti fuerant,idque fuiſſet Paulo ſignificatum, ac Paulus reſpondiſſet, ſe diligenter curaturum, vt Acutini accederent,quòd tamen effectum non fuit.

Ac inſuper Paulum aliud molendinum reædi- 3.
ficaſſe in præiudiciū primi locati prætenderetur.

Et denique flumen inundatione aquarum,alueum, per quem ad molendinum locatum decurrebant aquæ,mutauiſſe diceretur,ac ſæpe inundatione iterata,multis menſibus ab opere molendi quieuiſſet, vt propterea Dominicus molendinis dimittere fuerit coactus, ex quo Paulus interpellatus, nec reficere illud, nec aquam ad ſolitum curſum reducere curauerat, cauſa per Paulum coram A. C. introducta vigore obligationis Cameralis, contra Dominicum obtinuit mandatum executiuum:contrà verò Dominicus, cùm



cùm per teſtes, & alias ſcripturas, prædicta impedimenta,coram eodem A.C. deduxiſſet,ac per definitam ſententiam declarauit, locationem prædictam fuiſſe reſcindendam,Dominicum abſoluendo,& Paulum in expenſis condemnando; reſeruato tamen iure agendi ſuper damno, & intereſſe.

4. In gradu appellationis dato dubio,an ſententia A. C. eſſet confirmanda, vel infirmanda, eóque vtraque parte informante propoſito, Rota infirmandam * cenſuit;nam impedimenta, quibus motus iudex,locationem reſcindendam pronuntiauerat, non videbantur (niſi meliùs probarentur,)releuantia.

* hæc reſolutio fuit cōfirmata infrà dec.831.

Nam quantum ad primum de Acutinis reſpondebatur primò, eorum reſpectu in inſtrumento locationis nihil à Paulo fuiſſe promiſſum.

Secundò dicebatur,Acutinos non fuiſſe obligatos, ad accedendum ad prædictum molendinum magis, quàm ad aliud, & conſequenter, ſi ad aliud molendinum acceſſerant, non videbatur Paulo locatori imputandum, quod maximè videbatur dicendum in hac facti ſpecie, cùm ex teſtibus à locatore examinatis affirmaretur, ideo Acutinos non acceſſiſſe, quòd à molendinario malè tractarentur.

5. Vnde cùm damnum non proueniret ex culpa Pauli locatoris, ſed Dominici conductoris, non Paulo, ſed Dominico erat imputandum. *l. ſi rem quam,*vbi gloſſa *in verb.amiſſa fuerit.ff.de euiction.* Socinus *conſ.*70.*num.*2.*lib.*3.

Ad ſecundum impedimentum, deductum ex alio molendino, ædificato per Paulum, reſpondebatur primò,non fuiſſe præiudiciale molendino locato,ex quo erat in alio loco longè remoto.

Secundò reſpondebatur, nedum tempore locationis, ſed longè antea, extitiſſe prædictum molendinum.

Tertiò dicebatur, pro parte Dominici non fuiſſe probatum quòd propter talem reædificationem ipſe paſſus fuerit aliquod damnum.

6. Ad tertium impedimentum, deductum ex inundatione fluminis,alueum mutantis,reſpondebatur, quòd ſi decurſus aquarum facilè potuit ad ſolitum alueum reduci, tunc conductoris impenſis id faciendum fuerat, vigore pactorum in inſtrumento contentorum; conductor enim expreſsè promiſerat,ſe ſuis ſumptibus inſtrumenta neceſſaria,& conuenientia molendino ſubminiſtraturum,ſecus autem videbatur dicendum,ſi flumen * ita prorſus mutauit alueum,vt vel impoſſibilis eſſet reductio curſus aquarum,ad ſolitum locum,vel ita difficilis, vt ſine notabili impenſa reduci non potuiſſet,nam quamuis conductor promiſiſſet ſuis ſumptibus ſubminiſtare omnia inſtrumenta,molendino neceſſaria,id intelligendum erat de aliis inſtrumentis, non de flumine,quod in hac facti ſpecie cenſebatur pars integralis molendini, quod non poterat comprehendi appellatione inſtrumentorum, neque ad hunc caſum mutationis aluei, vel rei peremptæ applicati.Natta *conſ.*449.*n.*16.*lib.*2.

* adde Rot. rec.p.1. dec. 473.n.3.

7. Et quamquam ex prædictis fuit concluſum, ſententiam A.C.reuocandam,non propterea fuit excluſus Dominicus à petitione remiſſionis affictus, vel aliorum damnorum, & intereſſe, vel à receſſu locationis, caſu quo ei locus eſſet de iure,de quo erat particulariter * videndum.

* de quo infrà dec. 831.



## *Romana redditionis adminiſtrationis.*

### Die Lunæ 28. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Tutor tenetur reddere rationem adminiſtrationis tutelæ.*
3 *Hæres adminiſtrationis,vel tutelæ,quam adminiſtrauit teſtator,tenetur reddere rationem.*

### DECISIO DCCLXXXIV.

VNa tantùm parte informante,Rota cenſuit; 1.
Dominam Cleopatram de Vrſis, tanquam hæredem Antoninæ, & Fabij Taurineti; teneri reddere legitimam rationem adminiſtrationis bonorum,quondam Lauinij de Vrſis,cùm enim ex inſtrumento acceptationis tutelæ appareret; Lauiniam tanquam legitimam tutricem acceptaſſe tutelam filiarum; item adiuiſſe Fabij hæreditatem Liuiæ, conſequens erat, vt Cleopatra
legitimam rationē ſuæ adminiſtrationis redde- 2.
re teneretur,cùm quilibet tutor,*& adminiſtrator ad hoc obligetur;Socin.*conſ.*2.*n.*5.*&* *conſ.*46. *n.*1.*lib.*1. Rota Ianuenſis *deciſ.*80.*n.*3.*&* 5.*&* 81. quod procedit, vt non ſolùm is,qui adminiſtrauit, ſed eius etiam hæres, rationem reddere te-
neatur. *l.omnes tutores.l.tutelæ,C.arbit.tut.l.*3.§.*hæc* 3.
*actio.ff.de negot.geſt.* Decius *conſ.*110.*n.*7.

* adde Seraphin. dec. 1408.n.1. & deciſ. 1473. n.3.Lud.dec. 334.n.7.

## *Cæſarauguſtana Canonicatus de Alcañiz.*

### Die Lunæ 28. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Manuteneri non poteſt,qui ſe habuit pro ſpoliato.*
3 *Mandatum de manutenendo non poteſt dari confitenti ſe non habere poſſeſſionem.*
5 *Spoliatum ſe eſſe, ſi quis confiteatur, non eſt ei concedendum mandatum de immittendo.*

### DECISIO DCCLXXXV.

DIe 1. Iulij anni præteriti 1598. * vna tan- 1.
tùm parte informante, Rota cenſuit, Ioanni Garciæ,prouiſo de Canonicatu,in Eccleſia de Alcañiz, à Camerario Eccleſiæ Metropolitanæ Cæſarauguſtan. fuiſſe dandum mandatum de manutenendo in poſſeſſione eiuſdem Canonicatus,non obſtantibus moleſtiis ſibi illatis à Petro
Perez de Peralta,qui eundem Canonicatum à Se- 2.
de Apoſtolica impetrauerat, & mandatum de immittendo in poſſeſſione ab A. C. vigore ſententiæ, ſuper executione litterarum obtinuerat.

* ſuprà dec. 708.

In hac autem propoſitione dato dubio, an à prædicta deciſione recedendum foret,ita vt prædictum mandatum Ioanni conceſſum eſſet reuocandum, Rota reuocandum cenſuit,quia cùm ſe habuerit pro ſpoliato, non poterat manuteneri. † Ferretus *conſ.*118. *n.*10. Verallus *dec.*42.*n.*2.*in manuſcript.* Puteus *dec.*419.*lib.*2.

† adde Lud. deciſ.546. n. 12.& Seraph. dec.1417.n.3. Coccin. dec. 150.n.1.quæ etiā habetur penes Marcheſ.de commiſſ.p.1.pag. 967. & pag. 1619.

Ioannem autem ſe pro ſpoliato habuiſſe,conſtabat ex ſua propria confeſſione, * data in reſponſione ad declaratoriam, ſibi intimatam, tunc enim reſponderat,ſe non habuiſſe quid dimitteret,cùm poſſeſſione fuiſſet ſpoliatus.

* adde Dur. dec.118.n.1.

4. Nec ſuffragabatur Ioanni,quòd proceſſus factus ab A.C. ad fauorem Petri fuiſſet nullus, ex quo A. C. proceſſit, non iuſtificata prius gratia Petri, quaſi propterea Petrus non potuerit acquirere poſſeſſionem,quia cùm Ioannes tempore executionis factæ ad fauorem Petri declarauerit, quòd non habebat poſſeſſionem, quia fuerat ſpoliatus, conſequenter Petrus, qui poſſeſſionem accepit,eam videbatur aſſecutus, non tam vigore ſententiæ A.C. quàm declarationis factæ à Ioanne, qui priùs amiſerat poſſeſſionem, & propter hanc declarationem, non poterat ei dari mandatum de manutenendo, vt fuit deciſum *in cauſa Burgen. obſeruationis ſtatuti*, die 14. Decembris ann.1573.coram bon.mem.Cardinali Lancellot. tunc Rotæ Auditore, & ſæpè aliàs.

5. Et quamuis Ioannes conteſtaretur,quòd non intenderat ſibi facere præiudicium in iure,quod habebat, id intelligebatur, reſpectu petitorij, non autem reſpectu poſſeſſionis, ad effectum, vt poſſet illam retinere, qua ſe ſpoliatum declarauerat.

## *Tiburtina Iuriſpatronatus.*

### Die Lunæ 5. Iulij 1599.

SVMMARIVM.

2 *Immiſſio poſſeſſionis danda eſt ſubrogato in iuribus defuncti.*

3 *Beneficij ſucceſſori vigore gratioſæ ſubrogationis transfertur, & continuatur poſſeſſio anteceſſoris.*

4 *Beneficium vacans in Curia eſt reſeruatum Sedi Apoſtolicæ.*

5 *Exceptio dominij,vt proſit in iudicio adipiſcendæ, probanda eſt in continenti.*

6 *Vſurpatio iuriſpatronatus præſumitur in potentatibus,& vniuerſitatibus.*

### DECISIO DCCLXXXVI.

1. Beneficio Sancti Syluestri, vacante in oppido vallis Frigidæ, Tiburtin. Diœceſis, per obitum bon.mem.Siluij Cardinalis Sauelli, fuit à Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. prouiſus Antonius Doctus, cui cùm petenti mandatum de immittendo, in eiuſdem beneficij poſſeſſionem vigore gratioſæ ſubrogationis in ius,& poſſeſſionem dicti Cardinalis, obſiſteret DominusTiberius Mutus,præſentatus à Domino Tiberio Vngio,prætenſo patrono eiuſdem beneficij, & Domino in temporalibus dicti oppidi, dubitaui, an Antonio Docto eſſet dandum mandatum de immittendo, vel potiùs Domino Tiberio Muto deberetur inſtitutio, & im-
2. miſſio, & Domini vtraque parte informante Antonio dandam immiſſionem concorditer cenſuerunt: cùm enim tum ex teſtibus, tum ex aſſertione Domini Tiberij Muti, in ſua præſentatione concludenter eſſet probatum, Cardinalem in poſſeſſione dicti beneficij obiiſſe, conſequenter Antonio gratioſè ſubrogato * debebatur immiſſio. Puteus *deciſ.*495.*lib.*2. Mohedanus *deciſ.*11.*vt lite penden.* Paleothus *deciſ.*119. quia Principis miniſterio, vigore gratioſæ ſubrogationis cenſetur eadem poſſeſſio tranſlata, & continuata in ſucceſſore. Ripa *in l.*1. *num.*37.*ff. de acquir.poſſeſſ.*Puteus *deciſ.*214.*lib.*1.& fuit pluries in Rota deciſum, & ſignanter *in cauſa Parmen. Prioratus*, die 21. Iunij 1589. coram me † vbi fuit etiam dictum, quòd poſſeſſione beneficij vacante,gratioſè ſubrogato datur immiſſio, abſque alia iuſtificatione, cùm tunc nemini præiudicium inferatur. 3.

* adde infrà dec.836.n.3. & dec.1232. Dur. dec.14. n.2. & deciſ. 204. n. 4. & deciſ.361. & 391.Lud.deciſ. 306. & 307. n. 8. & deciſ.394. & 426. Seraph. dec.596.
† ſuprà dec. 17.

Supradictis accedebat, quia in caſu propoſito conſtabat de reſeruatione clara, & indubitata, ex quo beneficium Cardinalis, ſimul & Epiſcopi, Roſanen. vacauerat * in Curia *cap.* 2. *de præbend. lib.* 6. Simonetta *tract. de reſeruat. quaſtion.* 27. *num.* 5. Caſſadorus *deciſ. de conſtitution.* 4.

* adde Rot. rec p.1. dec. 700.n.4.Duran.dec.263. n.13.& infrà dec.1589. n. 9.in tom.2.

Neque prædictis obſtabat præſentatio, qua nitebatur Dominus Mutus, quia præterquam quòd pro eius parte non exhibebatur aliquis legitimus titulus, ſed nuda tantùm præſentatio, abſque aliqua ſufficienti probatione iuriſpatronatus, reſpondebatur, gratioſè ſubrogatum in iure alicuius,quoad poſſeſſionem,immittendum eſſe in eandem poſſeſſionem,non obſtante quòd aliter excipiat de iurepatronatus, niſi in continenti † de eo doceatur, quia in iudicio adipiſcendæ obſtat exceptio dominij in continenti probanda.Puteus *deciſ.*7.*de cauſis poſſ.& propriet.* & fuit dictum *in cauſa Recanaten. beneficij S. Antonij*, die 25. Maij 1592. 5.

† adde Seraphin. dec. 596.n.6.

Rurſus dicebatur, eam prætenſionem iuriſpatronatus valde reddi turbidam, & ſuſpectam ex diſpoſitione Concilij Trident. *ſeſſ.* 25.*cap.* 9. *§. in his verò*, conſtituentis, pleniorem, & exactiorem requiri probationem * iuriſpatronatus in illis perſonis, & Vniuerſitatibus, in quibus id ius plerumque ex vſurpatione potiùs quæſitum præſumi ſolet. Concilij autem diſpoſitionem locum habere in omnibus Dominis habentibus iuriſdictionem temporalem perpetuam, ſæpe à Rota reſponſum eſt, & ſignanter *in cauſa Sabinen.beneficij*,die 28.Maij 1586.coram bon.mem. Gipſio, quod ipſum ſæpè etiam congregatio Dominorum Cardinalium ſacri Concilij interpretum,comprobauit. 6.

* adde ſuprà dec.165.n.2. & deciſ.252. n.2.vbi alias dec. annorau.& vide infrà dec.889. n.3.

Atque ex his fuit concluſum,Antonio Docto fuiſſe dandam immiſſionem.

## *Placentina Decanatus.*

### Die Lunæ 5. Iunij 1599.

SVMMARIVM.

3 *Teſtibus quibus aliàs fides non adhibetur propter impedimentum præſtitum in executione litterarum Apoſtolicarum, etiamſi nulliter ſint examinati.*

### DECISIO DCCLXXXVII.

1. Propoſita hac cauſa die 5.Iulij,ſolo Domino Balthaſare de Miranda, Decano Placentino informante ſuper dubio, an eſſet locus ſequeſtrationi fructuum & diſtributionum,iuxta conſtitutionem fel.record.Pij Papæ V.* incip.*Cordenobis eſt*,edita Romæ anno 1568.nihil fuit reſolutum, quia aliqui ex Dominis dubitabant, an in hoc caſu eſſet locus conſtitutioni, & ideo diligentiùs de ea re agendum Rota cenſuit.



* habetur hæc conſtitutio in Bull. Cherub. tomo 2.in conſtit.Pij V.mihi 252. vbi ſtatuitur, quod lite pẽdẽte, fructus beneficiorũ deponantur apud idoneã perſonam à iudice eligẽdã & de hoc art. & materia vide Gõzar.ad regulam 8. Canc. §.7. præmij vbi n. 22. ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Die tamen 13. Iulij in Congregatione tunc habita,Domini decreuerunt, quòd opponeretur ſequeſtrum, ſi conſtaret de impedimentis à Capitulo Placentino præſtitis; & cùm pro parte Decani fuiſſent producta præter miſſiuas litteras, aliquot inſtrumenta, ex quibus patebat, litteras Apoſtolicas ſuæ prouiſionis fuiſſe captas à miniſtris ſæcularibus, & ductas ad Conſilium Regium,non repugnantibus, ſed cooperantibus potiùs aliquibus Capitularibus, ideo datum, & relaxatum fuit ſequeſtrum, non obſtante, quòd ſcripturæ, & inſtrumenta prædicta eſſent minus authentica, quia in odium ſimilia attentantium datur fides ſcriptutis minus authenticis, † examinibus teſtium, & aliis probationibus minus legitimè factis, quibus aliàs non daretur fides, vt ſæpè Rota reſpondit,& ſignanter *in cauſa Carthaginen.portionum.* die 14.Nouembris 1594. coram Domino Seraphino Rotæ * Decano, *& in cauſa Ianuen.viridarij*, die 27.Februarij 1595. coram eodem, † *& in cauſa Ciuitaten. Scholaſtriæ*, die 24.Martij 1597. coram Domino Pamphilio, *& in alia Aſtoricen. Prioratus*, die 13. Maij 1598. coram Domino Litta, & denique in alia Lunen. Sarzanen. Canonicatus die 23. Octobris 1598. coram eodem Domino Seraphino * Rotæ Decano.

† adde Rot. diu. p.3. lib. 3. deciſ.124. n.3.& recen. p.1.dec.389. n.1.& 4. Ludouiſ. deciſ. 327.n.10.
* habetur in impreſſ. dec. 1094. n 2. & penes Marcheſ.de com. p.3.pag.115.
† habetur deciſ.1154.n.2.
* habetur deciſ. 1296. n.10.

## *Firmana Altaris Sancti Matthæi.*

### Die Lunæ 5. Iulij 1599.

### DECISIO DCCLXXXVIII.

1. Qvamuis ex deductis in hac cauſa pro parte Domini Richardi Riccioti Domini cenſentent,examen teſtium,de quo agebatur,fuiſſe validum, nihilominus, quia pro parte Ioſephi Sauini multa releuantia promittebantur deducenda,ideo viſum fuit dilato tantiſper negotio,vtraque parte informante iterum idem dubium diſcutere.

De hac cauſa infrà deciſ.858.

## *Romana domus, ſiue conſignationis ſcripturarum.*

### Die Lunæ 5. Iulij 1599.

### DECISIO DCCLXXXIX.

Svper dubio dato, an taliter conſtaret de impedimentis præſtitis Dominæ Lucretiæ Paleatiæ in partibus, nihil fuit reſolutum; Rota tamen ad faciliùs ſuperandas facti, & iuris difficultates occurrentes ordinauit, quòd darentur Lucretiæ ſcripturæ authenticæ, ſine præiudicio ſuorum iurium.

## *Tiraſonen. Coadiutoriæ.*

### Die Lunæ 8. Nouembris 1599.

SVMMARIVM.

3 *Coadiutori aſſignanda eſt eadem ſedes,in qua reperiebatur, tempore obitus coadiuti.*

5 *Sedes in qua reperiebatur coadiutor tempore mortis coadiuti debetur ei, & num.*2.

6 *Collatione noua non indiget coadiutor, tempore mortis coadiuti.*

7 *Coadiutori Canonicatus virtute coadiutoriæ acquiritur ius ad rem.*

8 *Morte coadiuti expirat primus titulus coadiutoriæ.*

10 *Coadiutori non ſuffragatur priuilegium iubilationis.*

11 *Coadiutus non perficit tempus iubilationis per coadiutorem.*

12 *Priuilegia aliunde competentia coadiuto,non admittit coadiutoria.*

13 *Priuilegium coadiutoriæ eſt facultatiuum coadiuto.*

14 *Priuilegium aliunde competens coadiuto, non communicatur coadiutori.*

15 *Iubilationis priuilegium acquiritur ex ſeruitio perſonali.*

### DECISIO DCCXC.

Cvm in deciſionibus factis coram me, in cauſa Salamantina coadiutoriæ anno 1593. * conſtitutæ eſſent aliquot concluſiones,quibus dirimebantur contentiones, nedum ſuper præcedentia, ſed ſuper aliis etiam rebus,& articulis, ortæ illarum occaſione in Eccleſia Tiraſonen. inter coadiutores, & alios Canonicos, excitatæ fuerunt aliquot dubitationes, quia cùm deſiderarent Rotæ iudicio terminari,me proponente, & pro vtraque parte Aduocatis ſcribentibus, & informantibus ſuper ſingulis, Rota ita reſpondendum cenſuit. 1.

* ſuprà deciſ.314. Habetur hæc deciſio apud Garc. de beneſ.4. p. c.5. n. 152. & ibi latè agit de materia huius dec. ann. 69. & etiam reperitur penes March. de com. p.1. pag. 361. & pag.466. vbi inſcribitur Taraconen.

† In cauſa Salamantina deciſum fuerat, Canonico coadiutori aſſignandam eſſe vltimo loco ſedem, poſt omnes Canonicos tempore ſuæ receptionis, & ingreſſus in Eccleſia; & quia huius concluſionis occaſione, in Eccleſia Tiraſonen.fuerat dubitatum, *an ſecuta morte coadiuti,coadiutori,qui tunc efficitur vetus Canonicus,& qui ex conſuetudine illius Eccleſiæ,in ingreſſu tenetur ſoluere certum quid, dum capit poſſeſſionem Canonicatus,iure proprio ſit aſſignanda vltima ſedes,ita vt Canonici,qui ingreſſi fuerunt in Eccleſiam, durante coadiutoria, tanquam magis antiqui, veniant præferendi. 2.

† vide infrà deciſ.856. in hac eadem cauſa.
*de hoc art. iuxta terminos ſtatuti huius noſtræ S. Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ vide noſtrum Canonicum Sarabia in tractat.de iuriſdict.adiunct. c.29. à c.18. & ferè per totum.

Ad hanc primam dubitationem, Domini conformiter reſponderunt,coadiutori aſſignandam eandem illam ſedem, in qua reperiebatur tempore obitus coadiuti, & conſequenter præferendum Canonicis,qui ingreſſi fuerant, poſteaquam illi fuerat ea ſedes aſſignata. 3.

Primò, quia iuxta ſtylum ordinatium ſimilium gratiarum,coadiutori conceduntur omnes prærogatiuæ † coadiuto competentes ratione Canonicatus, ſed ratione Canonicatus competit primò ſedes in infimo gradu, ſecundò in ſecundo, & ſic deinceps, vt habetur in deciſione 4.

† adde infrà dec.856.n.4.

5. Salamantina; * conſequenter coadiutori debet competere illa ſedes, in qua reperiebatur tempore obitus coadiuti, aliàs enim non haberet prærogatiuas coadiuto competentes, ratione Canonicatus.

* ſuprà in d. deciſ.314. & adde Rotam recen.part.1. dec.657.n.3.

Secundò, quia abſurdum eſſet, coadiutorem, qui fuerat prælatus aliis Canonicis poſt ipſum receptis, ratione antiquitatis, poſt obitum coadiuti, compelli iterum ad vltimum, ſeu infimum locum deſcendere.

6. Tertiò, quia tempore obitus coadiuti non requiritur pro coadiutore noua collatio, cùm abſque aliquo miniſterio, gratia coadiutoriæ ex primo iure ſibi conceſſo effectuetur, cùm Papa in iſtis coadiutoriis ex nunc, prout ex tunc, faciat collationem, vt fuit dictum coram me in cauſa Calaguritana Canonicatus die 1. Iulij
1592. * quamobrem coadiutori dicitur quæſitum ius ad rem in Canonicatu, quod eueniente ſucceſſione efficitur ius plenum, conſequenter
7. itaque ratione antiquitatis, & receptionis debet retineri ſuam ſedem; *cap.1.de maiorit.& obed.* & fuit dictum *in ea Vicen.præeminentiæ*, die 27. Aprilis 1578. coram bon.mem. Domino Gyptio.

* ſuprà dec. 244. n.18. & ſeq. & ferè per totam.

Poſtremò, hæc eadem ſententia ſatis videbatur iuris auctoritate munita *in l.1. & in l.ſancimus, C. de conſulibus lib.* 12. cum aliis traditis per Caſſanæum *in Catalog. glor. mundi p.* 10. *conſiderat.* 34.

8. Neque obſtabat, quòd poſt mortem coadiuti expiraret primus titulus coadiutoriæ, & videretur factus locus ſecundo titulo canoniæ, & conſequenter coadiutori, tanquam tunc effecto Canonico aſſignandam vltimam ſedem; quia reſpondebatur, difficultatem ceſſare ex forma coadiutoriæ, nam cùm Papa concedat coadiutori omnes prærogatiuas, ratione Canonicatus coadiuto competentes, inter quas vna eſt, vt habeat vltimam ſedem, & paulatim aſcendat, ideo ei eſt aſſignanda ſedes, in qua reperitur tempore obitus coadiuti.

9. Poſtremò non obſtabat, quòd de conſuetudine Eccleſiæ; * Canonicus pro ingreſſu teneatur certum quid ſoluere, & quòd coadiutores id ſoluunt, ſecuta morte coadiuti. Quia dicebatur, ex hoc non inferri ad ſedem, cùm iſta ſolutio reſpiceret tempus, quo Canonicus incipit gaudere fructibus Canonicatus.

* adde Rot. recen.part.1. dec.456. vbi n.15. receditur ab hac reſolutione & allegat hanc deciſ. & infrà deciſ.856.n.8.

Ad ſecundam dubitationem, an ſi Coadiutus fuerit exemptus à reſidentia per Iubilationem,
10. poſſet ſe iuuare huiuſmodi exemptione, dum habet coadiutorem, vt faciat fructus, diſtributiones, & alia emolumenta, etiam ſi coadiutor non reſideat.

Domini reſponderunt primò coadiutum non priuari priuilegio iubilationis iam quæſitæ.*

* Garcia de ben.4. p.c.5. n. 89. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Secundò dixerunt, priuilegium iubilationis non ſuffragari coadiutori.

Tertiò aſſeruerunt, coadiutum non perficere ſuam iubilationem, per ſeruitium coad-
11. iutoris.

12. Ratio primi fuit, quia coadiutoria non adimit coadiuto iura, & priuilegia aliunde ſibi competentia, nec receptionem coadiutoris, poſt acquiſitam exemptionem, beneficio iubilationis coadiuto debere præiudicare. Alexander *conſil.193. num. 11. verſic. in contrarium eſt veritas lib.* 2.

13. Item, quia priuilegium acquiſitum per iubilationem eſt facultatiuum; nam ſicut ſi vellet, poſſet coadiutus non obſtante coadiutoria perſonaliter inſeruire; & nihilominus non amitteret priuilegium, ſimiliter non amittit priuilegium, ſeruiendo per coadiutorem; cùm enim hoc priuilegium iubilationis detur ob ſeruitium iam præſtitum, non eſt coadiuto auferendum ex eo, quòd per coadiutorem poſſit in futurum inſeuire.

Ratio ſecundi fuit, quia per coadiutoriam 14.
non communicatur coadiutori priuilegium, aliunde competens coadiuto, quale eſt priuilegium acquiſitum per iubilationem, quod ſi competeret, ſequeretur abſurdum, vt coadiuto non teneretur inſeruire, quod videtur directò contra finem, ob quem datur coadiutor.

Ratio tertij fuit, quia cùm priuilegium iubilationis acquiratur ex ſeruitio perſonali, cu- 15.
ius ratione ſolet concedi, non poteſt ſeruitium perſonale coadiutoris conferre hoc coadiuto.

---

## *Regien. Prioratus.*

### Die Veneris 12. Nouembris 1599.

SVMMARIVM.

2 *Narratiuam gratiæ tenetur concludenter probare, qui ſe adſtringit ad eam.*

4 *Mandatum ad præſentandum arguit conſenſum patroni.*

7 *Reus quæ ſuæ intentionis ſunt tenetur probare, poſtquam actor ſuam gratiam iuſtificauit.*

## DECISIO DCCXCI.

IVſtificauerat Achilles Tacculus gratiam ſuæ 1.
impetrationis huius Prioratus, ſicut in aliis deciſionibus dictum fuerat; quoniam autem remanſerat ſibi iuſtificanda illa narratiua, in qua expreſſerat, quòd Dominus Camillus Boſſius falsò aſſeruerat, ſe præſentatum à maiori parte patronorum; ideo ſuper hoc articulo dato dubio, eóque ſæpe in Rota propoſito, & non reſoluto, denique in hac propoſitione Domini pro maiori parte tenuerunt, gratiam Achillis non fuiſſe iuſtificatam reſpectu prædictæ narratiuæ, quam ipſe tenebatur concludenter probare. Pu- 2.
teus *deciſ.266. lib.3.* * etiam ſi contineret negatiuam improbabilem, quia ſibi imputare debuerat Achilles, ſi ſe aſtrinxerat ad probandum, quod probare non poterat. Pariſius *conſil.* 138. *num.1. & 2. lib.4.* Gabriel *concluſ.6. num.* 12. *de probat.*

* adde ſuprà dec.612.n.7. vbi alias deciſ. annotaui.

Ex his autem quæ pro Achille deducebantur, non cenſebatur ſufficienter iuſtificata eius 3.
narratiua, quia etiamſi ei ſufficeret probare contrarium eius, quod Camillus expreſſerat, videlicet, quòd fuerat præſentatus à medietate patronorum, Achilles tamen non probabat concludenter, id non fuiſſe verum; licèt enim non appareret, quòd Procurator Tacculorum præſentauerat Camillum, niſi poſt ſignatam ſupplicationem, & hoc tamen non ſequebatur, quòd non potuerat præceſſiſſe præſentatio in partibus, vel in Curia, cùm non valeat huiuſmodi conſequentia, Procurator Patronorum ad præſentandum Camillum conſenſit gratiæ iam obtentæ per Camillum; ergo Camillus falsò aſſeruit ſe fuiſſe præſentatum à modernis Patronis, poſſibile enim erat, quòd tempore gratiæ à dictis patronis fuerit præſentatus: imò etiam ab eodem Procuratore, qui poſtea ad abundantiorem cautelam, conſenſerat eidem prouiſioni, maximè cùm illa præſentatio fuiſſet per compulſum producta.



Rurſus ad iſtum effectum ſufficiebat manda-
4. tum ad præſentandum, ex quo arguebatur talis conſenſus, * vt Papa potuerit induci ad concedendam gratiam.

* adde Duran.dec.165. n.20. Seraph. deciſ. 1165. n.11.

Præterea non probabatur per Tacculum eadem narratiua, ex eo quòd præſentatio videbatur ſpectare ad hanc familiam, tanquam ad Col-
5. legium, ſed tanquam vniuerſos; & conſequenter præſentatio Camilli redderetur inualida, ex eo quòd non appareret à Tacculis, qui Camillum præſentauerant, collegialiter facta, quoniam non apparebat ſufficienter probatum, hoc ius præſentandi pertinere ad familiam Tacculorum, tanquam ad Collegium; imò verò non deerant coniecturæ contrarium ſuadentes: minus quoque videbatur probatum, quòd præſentatio eſſet facienda in capita.

6. Cum itaque probatio Achillis non coarctaret negatiuam, quòd ſæpe ante ſignatam gratiam Camillus non fuerat præſentatus ab aliquo Patronorum, non poterit cenſeri ſufficiens ad iuſtificandam prædictam narratiuam.

Atque ex hoc potiſſimum fundamentum, quod Domini dixerunt eſſe irrefragabile, Achillis probatio cenſebatur æquiuoca, & inſufficiens.

7. Neque obſtabat, quòd dicta negatiua videretur ſatis probata ex reſolutione proceſſus, in quo non reperiebatur aliqua præſentatio facta à Patronis ad fauorem Camilli, præſertim ante ſignatam ſupplicationem, quia reſpondebatur, hanc concluſionem non habere locum, niſi poſtquam * actor ſuam gratiam iuſtificauerat, tunc enim reus, quæ ſuæ intentionis ſunt tenetur probare, & non priùs. Ægidius *deciſ.617.num.2.verſ. ſed puto.* Puteus *deciſ.406. num.2. lib.2.* & tenuit Rota *in cauſa Pampilonen. Prioratus de Vxue*, die 18. Decembr. 1595. coram Domino meo Mellino.

* adde ſuprà dec.577.n.2.

Cùm itaque Achilles actor adhuc ſuam gratiam in omnibus non iuſtificaſſet, nec quæ ſuæ intentionis erant, plenè & concludenter probauiſſet, non poterat per illam concluſionem obligare Camillum, reum, & poſſeſſorem ad docendum de iure ſuo.

---

## *Romana Saluiani interdicti.*

### Die Veneris 12. Nouembris 1599.

SVMMARIVM.

2 *Prohibitio alienandi comprehendi poteſt ſub generali hypotheca.*

3 *Bona emphyteuticaria pignorari poſſunt.*

4 *Bona emphyteuticaria veniunt ſub generali hypotheca.*

5 *Pignus ſi conſtituatur pro tanta quantitate, quod ceſſet ſpes luitionis, dicitur alienatio.*

## DECISIO DCCXCII.

IN hac cauſa die 22. Martij proximè præteriti, 1.
* fuerat deciſum, ſententiam latam † contra Dominos de S. Petro confirmandam, niſi conſtaret, domum (de qua agebatur) fuiſſe emphyteuticam, cum expreſſa prohibitione alienandi, & propterea in hac poſitione, dato dubio ſuper reſeruatione tunc facta, Rota cenſuit, non affuiſſe talem prohibitionem, vt domus non potuerit venire ſub generali hypotheca bonorum: nam cùm in inſtrumento conceſſionis emphyteuſis producto, non legeretur expreſſa prohibitio alienationis, potuit ſub generali hypotheca comprehendi, * gloſſa communiter recepta *in l. final. in verb. aliis, verſ. ſed certè, C. de iure emphyteut.* vbi Salicetus *num.6. in verb. hypothecat. verſ. quæro an latiùs*, Iaſon *num.* 78. Iulius Clarus *§. Emphyteuſis quæſt.18. verſ. & ideo etiam*, Berous *conſ.127. num.1. verſ. & hanc opinionem lib.* 1. & fuit deciſum *in cauſa Romana domorum*, die 3. Iunij 1577. coram bon. mem. Cardinali Lancelloto † verſ. tertia eſt concluſio.

* ſuprà deciſ.751.

† habetur hæc dec. impreſſ per Paciſ. poſt tractat. de Salu. inter. dec.99. licèt eam annotet de ann. 1592. & per Cenciū poſt tract. de cenſi. dec.77.

* adde ſuprà in d.dec.751. n.6. & Dur. dec.40.n.35. Ludou.deciſ. 256.n.5.& 8. & deciſ.271. n. 1. & 27. Coc. dec.51. n.5. vbi ad ad propoſitū allegat hanc deciſ.

Neque refragabatur præcipua ratio informantium pro Dominis de S.Petro, qui vt euitarent prædictam concluſionem, confugiebant ad 2.
tacitam alienationem, reſultantem ex natura 3.
contractus, vigore *l. final. C. de iure emphyt.* quia illa non eſt ſufficiens ad effectum, vt domus non cenſeretur comprehenſa in generali hypotheca bonorum, cùm bona emphyteuticaria pignorari poſſint, iuxta ſententiam, quam Rota tenuit in prædicta deciſione * coram Cardinali Lancelloto, tunc Rotæ Auditore, & eſt pulchra doctrina Baldi *in l. non dubitatur num.6. in fin. C. de iure emphyt.* & ratio eſt, quia textus in dicta *l. vltima*, non prohibet ſimpliciter alienationem, ſed venditionem, & iuris hypothecarij in alium tranſ- 4.
actionem, per pignus autem non fit huiuſmodi tranſlatio, quia remanet in bonis pignoratis, *l. pignus. C. de pignor.* & conſequenter, prædicto modo bona emphyteuticaria veniunt ſub generali hypotheca, quidquid voluit Alexander *conſil.16. num.4. lib.2.*

† habetur p.1. diuerſ. deciſ. 426. la primera.

* in d.deciſ. 426. la primera in impreſſis diuer. part.1.n.6.& ſeq.

Rurſus non obſtabat, quòd quando pignus 5.
conſtituitur pro tanta quantitate, quòd ceſſet ſpes luitionis, tunc dicitur alienatio, quia reſpondebatur, primum in hac facti ſpecie non probari concludenter, ceſſare iſtam ſpem luitionis.

Rurſus reſpondebatur, omnia bona fuiſſe 6.
obligata.

Atque ex prædictis patebat reſponſio ad deciſionem in cauſa Romana vineæ, coram Domino meo Seraphino Rotæ Decano die 26. Iunij 1598. * illa enim cùm loqueretur in caſu vbi aderat pacifica, & expreſſa † prohibitio alienandi, non poterat Dominis de S. Petro ſuffragari.

* in impreſſ. Seraphin. deciſ.1290.

† adde Rot. in Romana cenſus 16. Martij 1600. coram Iuſto impreſſa per Marcheſ. de commiſſ. p.1. pag.851. vbi n. 4. ad propoſitum allegat hanc deciſ. & vide Ludouiſ. dec. 227.n.7.

---

## *Mediolanen. decimarum.*

### Die Veneris 19. Nouembris 1599.

SVMMARIVM.

4 *Spolij iudicium poteſt intentare Eccleſia, pro bonis alienatis à Canonico.*

*Poſſeſſio*

5 *Poſſeſſio bonorum probatur ex inſtrumento conceſſionis eorum, & ſolutione canonis.*

6.7 *Conceſſio iuris decimandi, laico facta ſine ſolemnitatibus, à iure expreſſis, eſt nulla.*

## DECISIO DCCXCIII.

1. CONceſſerat Nicolaus de Caſtiliono, Canonicus S. Geneſij de Dairago, Mediolanen. diœceſis anno 1512. decimas, & ius decimandi fructus terrarum loci de Baſtriana, & alibi vbicunque exiſtentia, ad ſuum Canonicatum ſpectantia, in emphyteuſim perpetuam Franciſco Cribello, pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcunque, pro annuo canone lib. 125. cum pacto affrancandi, dummodo Sedis Apoſtolicæ auctoritas interueniret, & non aliter, nec alio modo.

2. Anno 1577. Ioannes Baptiſta Aldus, in prædicto Canonicatu ſucceſſor, contra Ioannem Franciſcum Cribellum, nepotem Franciſci primi acquirentis, ſuper nullitate prædictæ conceſſionis, & pro recuperatione decimarum, coram ordinario Mediolanenſi iudicio intentato, ſententiam fauorabilem reportauit, quam per duas alias ſententias in partibus confirmari obtinuit.

3. Cæterùm cùm cauſa introducta in Rota, R. P. D. meus Pamphilius eas ſententias, tanquam inualidas reuocaſſet, reſeruato tamen iure cognoſcendi cauſam in negotio principali, & interim dum inter Aldum, & Cribellos concordia tractaretur, Aldus vitâ functus eſſet, Franciſcus Porrus, in eodem Canonicatu ſucceſſor, prætendens omnia per Canonicos anteceſſores ſuos geſta, Eccleſiæ ſuæ fuiſſe valde damnoſa, cauſam ſuper ſpolio contra Cribellos commiſit, quo ſimiliter ab hac luce ſublato, Paulus Magiolinus, in eodem Canonicatu ſubrogatus, & pro ſuo iure ad cauſam admiſſus, poſt citatos Cribellos in partibus, & ſæpe eorum Procuratorem in vrbe, eiſque non reſpondentibus, ad ſolius Magiolini inſtantiam propoſito dubio in Rota, an ex dicta conceſſione decimarum anno 1512. Cribellis per Nicolaum facta, Magiolinus in Canonicatu ſucceſſor poſſet agere ſpolio ad effectum, vt Eccleſia ad terras, & ius decimandi conceſſa reſtitueretur, Rota nemine diſcrepante, pro Magiolino reſpondit; cùm enim tempore conceſſionis factæ per Nicolaum, Eccleſia exiſteret in poſſeſ-
4. ſione terrarum, & iuris decimandi alimentorum, potuit Magiolinus legitimus in dicta Eccleſia ſucceſſor nomine eiuſdem Eccleſiæ iudicium ſpolij * contra Cribellos intentare, quamuis facto ſui prædeceſſoris † Eccleſia à poſſeſſione cecidiſſet. *cap. in litteris, de reſtit. ſpoliat.* Rota *deciſ.* 1. *num.* 5. *de reſtit. ſpol. in nou.* Verallus *deciſ.* 170. *num.* 1. *& per totam, & deciſ.* 181. *part.* 3. & fuit deciſum *in cauſa Placentina decimarum*, die 5. Iunij 1586. coram bon mem. Bubalo, * & *in cauſa Conchen. limitum*, die 4. Martij 1596. coram Illuſtriſſimo Cardinali Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

*| adde Lud. dec. 116. n. 2. & annot. n. 5. & 6. Seraph. deciſ. 1417. n. 3.

† adde Lud. dec. 246. vbi latè annot.

* habetur impreſſa penes March. de commiſſ. p. 1. pag. 105.

5. Eccleſiæ verò poſſeſſionem cenſuit Rota probari ex inſtrumento conceſſionis bonorum, & iuris decimandi, de quibus agebatur vnà cum ſolutione canonis ſubſecuta. Rota *deciſ.* 1. *de fide inſtrumentorum, in antiq.* Felinus *in cap. inter dilectos num.* 8. *verſ. quæ procedunt, eodem tit.* Socinus *conſ.* 11. *n.* 5. *lib.* 3. Curtius ſenior *conſ.* 70. *num.* 10. *verſ. ſecundò omiſſi.*

Quibus accedebat productio ſcripturarum, facta per Cribellum anno 1578. coram Ordinario Papienſi, qui ad docendum de bono iure ſuo, citato Aldo, produxerat inſtrumentum conceſſionis ſibi factæ, vnà cum quietantiis ſolutionum; nam ſi Crihelli non fuiſſent verè conſecuti actualem poſſeſſionem percipiendi decimas, de terris ſibi ab Eccleſia conceſſis, nec canones ſoluiſſent, nec illos in futurum augere, aut ſoluere promiſiſſent.

Et eo magis pro reſtitutione in cauſa ſpolij 6.
Rota reſpondendum cenſuit, quia de nullitate conceſſionis manifeſtè conſtabat ex eo, quòd laico iuris decimandi * incapaci conceſſio facta fuerit abſque cauſa, & legitimis ſolemnitatibus. *cap. cauſam, de præſcript. cap. prohibemus, de decim.* & fuit deciſum *in cauſa Nouarien. decimarum*, die 14. Decembris 1592. coram bon. mem. Orano.

* adde Duran. dec. 205. n. 12. & 17. Cocc. deciſ. 485. n. 5.

Neque Cribellis poterat ſuffragari beneplacitum Apoſtolicum in conceſſione reſeruatum, quod nec oſtendebatur obtentum, nec præſumi poterat ex temporis diuturnitate, ab anno ſcilicet 1512. quia cùm Cribelli forent laici, & conſequenter omni tempore decimarum incapaces, vt decidit Rota *in vna Toletana decimarum de Tribuxena*, apud Guidobonum *deciſ.* 61. † ex curſu temporis non poterat præſumi Apoſtolica confirmatio, vt ſæpe fuit in Rota deciſum, & ſignanter *in ea Placentina decimarum*, die 30. Ianuarij 1586. coram bon. mem. Bubalo.

† adde Seraphin. deciſ. 1102. n. 1. & Rotam rec. p. 2. dec. 139. n. 10.

---

### *Abulen. beneficiorum.*

### Die Veneris 26. Nouembris 1599.

SVMMARIVM.

1 *Clauſula,* dummodo ad nos diſpoſitio hac vice pertineat, *facit, vt ſit neceſſarium iuſtificare reſeruationem.*

2 *Obitus, ad effectum reſeruationis prouenientis ex vacatione beneficij in menſe Apoſtolico, eſt plenè, & concludenter probandus.*

3.4 *Teſtes deponentes de fama per verbum,* eſt, *non probant tempus præteritum.*

## DECISIO DCCXCIV.

VNa tantùm parte informante, quia procedebatur per audientiam contradictarum, 1.
deciſum fuit in hac cauſa, gratiam Don Ferdinandi de Fozes non fuiſſe iuſtificatam, quia cùm haberet clauſulam, *dummodo ad nos diſpoſitio hac vice pertineat*, quæ facit, vt neceſſarium ſit, iuſtificare reſeruationem, vt fuit deciſum *in cauſa Ianuen. Canonicatus*, die 14. Octobris anno 1569. coram Oradino, ideo cùm ageretur ad effectum reſeruationis per obitum Ioannis Lopez de Soto in menſe Martij, Sede Epi- 2.
ſcopali vacante, plenè, & concludenter erat probandus * obitus in dicto menſe; tum quia agitur de præiudicio Ordinarij, tum quia tempus eſt fundamentum intentionis impetrantis, & propterea, non ſufficit probatio ſemiplena per publicam vocem, & famam, Puteus *dec.* 266. *lib.* 3. & fuit reſolutum *in cauſa Pampilonen. beneficij de Allo*, die 8. Martij 1587. coram Cantuccio & ſæpe * aliàs in pluribus cauſis.

* vide infrà dec. 853. n. 2. & dec. 1453. num. 4. in tom. 2. & Lud. dec. 37. & 103. n. 5. & Caual. dec. 33. n. 2.

* habetur p. 2. diuerſ. deciſ. 46. n. 3. & dec. 53. n. 2. & adde Coccin. dec. 87. n. 1. Rot. rec. p. 2. dec. 49. num. 1.

Ex his autem, quæ proponebantur pro Don Ferdinando, non apparebat talis certa, & concludens probatio, reſpectu obitus in dicto menſe, ſede Epiſcopali vacãte, quinimo neque ex dictis teſtium ſemiplena probatio conſurgere videbatur, cùm teſtificarentur de fama per verbum *eſt*, quod cùm ſit præſentis temporis, non ſufficit. Puteus *deciſione* 350. *lib.* 2. Verallus *deciſ.* 413. *part.* 2.

Doceant ergo informantes tam in facto, quàm in iure, iuſtificationem gratiæ iuxta ſeriem narratorum in ipſa, more Rotali ſeruato.

---

### *Brixien. penſionis.*

### Die Veneris 26. Nouembris 1599.

## DECISIO DCCXCV.

IN hac propoſitione multa ab vtraque parte deducebantur, digna conſideratione, & quoniam aliqui ex Dominis tenebant pro executione, ad fauorem Leandri, * iuxta deciſiones in hac cauſa factas, quæ firmæ conſiſtere videbantur, alij verò cenſebant, motiua adducta pro Simeone, Eccleſiæ Rectore, eſſe releuantia, non potuit capi aliqua reſolutio ab omnibus, tamen in hanc ſententiam itum eſt, vt Leandro daretur executio pro exactione lib. 200. & de reliquis videretur.

* ſuprà dec. 749. & 766.

---

### *Elboren. Commendæ.*

### Die Lunæ 29. Nouembris 1599.

## DECISIO DCCXCVI.

1. OBtinuerat commiſſionem in ſignatura gratiæ Rodericus de Britto, & illius vigore Didacus de Soſa, ſuus aduerſarius, obtinuerat citationem cum inhibitione, & quia Rodericus petebat vigore eiuſdem commiſſionis inhibitionem, ad effectum impediendi in partibus, ne aliquid in præiudicium litis in Rota cognoſcendæ innouaretur, & Didacus opponebat defectum mandati, quia non conſtabat in actis de legitimo Procuratore Roderici, cùm ſolùm compa-
2. ruiſſet quidam aſſertus Procurator; ideo dato dubio, an eſſet inhibendum, Rota reſpondit, inhibendum fuiſſe cum decreto, quòd non afficeret inhibitio, niſi poſt mandatum aſſerti Procuratoris illam obtinentis; vel poſt ratificationem principalis, ſicut fuit deciſum *in Rota coram Fantuccio*, die 4. Decemb. 1556. in vna Illerden. prætenſæ inhibitionis, quæ habetur apud Verallum *deciſ.* 390. incip. *Inhibitio datur, lib.* 1. *in manuſcript.*

---

### *Romana laudi.*

### Die Veneris 3. Decembris 1599.

SVMMARIVM.

3 *Arbitratoris in laudo, neceſſaria eſt partium citatio.*

4 *Laudum vltra compromiſſum trahi non poteſt.*

6 *Partes dantes folium album arbitratori ſubſcriptum, tacitè intelligunt, ſi laudum fuerit iuſtum.*

## DECISIO DCCXCVII.

HOratius de Albertis, & Angelica, & Magdalena de Porcachiis, ſorores Laureti de 1.
Porcachiis, qui bona ſua prædicto Horatio donauerat, compromiſſum fecerunt in Petrum Dominicum Rampiſcum tanquam arbitrum, & arbitratorem, vt quoad tertiam partem cuiuſdam domus, quam integram prædictæ mulieres prætendebant, ipſe litem, & controuerſiam inter ipſos de iure, & de facto terminaret, promittentes illius laudo ſtare, & ei propterea tradentes folium album, à partibus ſubſcriptum.

Cùm verò Petrus Dominicus non citato Ho- 2.
ratio, laudum tuliſſet, in quo pronuntiauit donationem nullam, & condemnauit Horatium ad reſtituendam tertiam partem domus, vnà cum penſionibus ab Horatio inde perceptis, & Horatius appellaſſet, & cauſa fuiſſet commiſſa R. P. D. de Grandis cum voto vnius Auditoris Rotæ decidenda, dubitaui, an laudum eſſet validum, & exequendum, & cauſa propoſita die 25. Iunij, & tunc dilata ex eo, quòd non fuerat Dominis datum compromiſſum, & laudum, iterum propoſita die 3. Decembris Domini concorditer pro Horatio informante reſponderunt, laudum fuiſſe nullum, & inualidum.

Nullitas erat clara, ex defectu citationis, quia 3.
in laudo arbitratoris requiritur partis citatio, * Bartolus *in l. ſi quis arbitratu num.* 7. *verſ. credò. ff. de verb. oblig.* idem Bartolus *conſil.* 166. incip. *Salamonicus de Spoleto, num.* 2. *part.* 2. Iacobus de Arena, Dinus, & Cinus *in l. final. C. de contrah. empt.* & fuit deciſum *in cauſa Florentina nullitatis laudi*, coram Domino meo Cordoua, die 28. Nouembr. 1597.

*adde Mant. dec. 258. n. 3. & deciſ. 299. num. 1.

Quibuſdam etiam Dominis placebat inuali- 4.
ditas eiuſdem laudi ex defectu iuriſdictionis, quia cùm compromiſſum videretur reſtrictum ad tertiam partem domus, non poterat iudex ſuper tota domo pronuntiare, * cùm laudum vltra compromiſſum trahi non poſſit. Bartolus *in l. Aquiliana num.* 4. *verſ. & quod prædicta. ff. de tranſact.* Ruinus *conſil.* 16. *num.* 24. *&* 25. *lib.* 2. Lanfrancus *tract. de arbitris diuiſ.* 7. *num.* 2. Socinus ſenior *conſ.* 104. *num.* 1. *lib.* 4. aliàs 220. *lib.* 2. *& conſ.* 105. *num.* 3. *eodem lib.* 4.

* adde Dur. dec. 200. n. 8. Rot. rec. p. 1. dec. 515. n. 1. & habetur penes Marcheſ. de com. p. 1. pag. 1135.

Non obſtabat folium album à partibus ſub- 5.
ſcriptum, & arbitratori traditum, quaſi quòd per hoc partes remiſerint ſe iudicio arbitratoris, vt poſſet validè abſque citatione, vel aliqua alia ſolemnitate ſeruata pronuntiare.

Quia reſpondebatur, quòd cùm illa ſubſcri- 6.
ptio habeat in ſe tacitam conditionem, ſi laudum fuerit iuſtum, & validum, Ruinus *conſ.* 16. *num.* 27.

num.27.lib.2. Socinus ſenior *conſ.24.num.3. lib.1.* ideo non operatur laudi poſtea lati approbationem. Felinus *in cap.quoniam contra, num.48.verſ. limita quintò, de probat. & in cap. cùm venerabilis num. 47. verſic.non obſtant, de except.* Gabriel *de præſumption. concluſ. 3. num. 28.* & conſequenter non obſtante dicta ſubſcriptione, potuit Horatius opponere de nullitate, & iniuſtitia laudi ad arbitrum boni viri. *l.cùm antea.C.de arbitris*, Ruinus *conſil.16.num.26.& ſeq.lib.2.* Gabriel *de arbitris concluſ.3. num.25. verſic.& amplia.*

---

## *Peruſina executionis.*

### Die Veneris 3. Decembris 1599.

SVMMARIVM.

2 *Exceptioni non adimplementi datur locus in contractu vtróque citróque obligatorio.*
3 *Correſpectiui contractus habent tacitam conditionem, vt vtraque pars teneatur adimplere, quod promiſit.*
4 *Exceptione non poteſt vti veniens contra conuentionem, etiam ſi excipientis non interſit.*
6 *Exceptio non adimplementi fundatur in defectu, & violatione fidei.*
7 *Fidem non ſeruanti, non eſt ſeruandum pactum.*
8 *Exceptio non adimplementi competit, etiam ſi in minimo non ſit adimpletum.*

## DECISIO DCCXCVIII.

1. QVia ex dote ſcutorum 6000. auri, * quam
* habetur hæc deciſio impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.1. pag.916.
comes Raimundus Balleonus, auctor Dominorum de Mareſcotis promiſit dare Ioannæ, eius ſorori, cùm nuptui traderetur D. Aſcanio Corneo, ſolùm fuerant ſoluta ſcuta 4600. in tot bonis, pro ea ſumma æſtimatis, & pro reſiduo, quod erat ſcutorum 1400. per plures annos, non ſoluto, ſub prætextu quòd Aſcanius non adimpleuerat promiſſa; (videlicet, quòd Ioanna nihil aliud peteret, prætextu cuiuſcunque legati, & quòd renuntiaret omnibus iuribus ſucceſſionis paternæ, & maternæ, & cæteris, quæ prætendere poſſet) Domini de Cornea tanquam hæredes prædictorum Aſcanij, & Ioannæ prætendebant interuſuria medij temporis, & Mareſcoti de non adimplemento excipiebant, ſuper quo dato dubio, die 17. Nouembris fuerat reſolutum, Dominis de Cornea prædictam exceptionem obſtitiſſe: ruſuſque Cornei replicarent, nihil tunc intereſſe Balleonorum habere huiuſmodi ratificationem, & renuntiationem, ideo dato dubio, an Dominis de Cornea competeret talis replicatio, & dato quòd competeret, an adeſſet tale intereſſe, per quod excluderentur ab exceptione non adimplementi, ad effectum, vt liqueret, vtrùm Mareſcotti tenerentur ad interuſuria medij temporis propter prædictum reſiduum dotis, competenti tempore non ſolutum, Rota, Mareſcottis tantùm informantibus, pro ipſis reſpondendum cenſuit: cùm enim ageretur ex contra-
2. tractu vltro citróque obligatorio, locus erat ex-
ceptioni * non adimplementi. *l.Iulianus.§.offerri. ff. de act. empt.* vbi communiter Doctores; hæc
* adde ſuprà dec.276.n.6. & Duran.deciſ.146.n.1.
enim exceptio non adimplementi oritur ex correſpectiuitate actuum à contrahentibus mutuo præſtandorum. Alexander *in l.cùm perſonas, la 2. num.2. C.de pactis*, vbi Decius *num. 6.* notum eſt
autem in correſpectiuis * vno ceſſante, alterum 3.
* adde ſuprà dec.348.n.3. vbi aliàs dec. annotaui.
ceſſare, quia ſubintelligitur tacita conditio, ſi alter ex parte ſua impleuerit. *l.quæro.§.interlocutorem. ff. locati l. cùm proponas la 2. C. de pactis*, vbi communiter Doctores, Rolandus *conſil.69.n.25. & 26.* Cephalus *conſil.407.num.14. lib.3.*

Nec Dominis de Cornea competebat replicatio, quòd Mareſcotorum non interſit impleri, 4.
quia reſpondebatur primò, hanc exceptionem non adimplementi competere, etiam ſi non interſit eorum, quibus verſa vice, ſeu reſpectiuè aliquid promiſſum fuerit, vt cenſuit Rota *in cauſa Vrbeuentana caſtrorum, die 22.Iunij* 1571.coram
bon.mem.Oradino.* 5.
* habetur p.1. diuer.dec. 210.& 211.

Secundò reſpondebatur ex his, quæ proponebantur, ſatis conſtitiſſe de intereſſe Mareſcottorum, exceptionem non adimplementi opponentium, & ſignanter ex eo, quod fuerat promiſſum Ioannam renuntiaturam legato ſcutorum 7000. ei à matre relictorum, pro quo conſequendo, poterat comes ipſam moleſtare.

Et eo maximè, quia exceptio non adimple- 6.
menti non tam eſt fundata in intereſſe, quàm in defectu, ſeu violatione fidei. Doctores *in dicta l. cùm proponas. C.de pactis*, vbi Bartolus *in ſummario*, Alexander *num. 2.* Iaſon *num. 2.* Decius 7.
*num. 3.* nam non ſeruanti fidem, aut pactum, non debet pactum ſeruari. Baldus *ibidem num. 1.*

Atque hinc ampliùs inferebatur, hanc exceptionem non adimplementi competere, etiamſi in minimo * non fuerit adimpletum. Doctores
* adde Lud. dec.261.n.3. vbi annotat. n. 6. tradit duas limitationes.
*in dicta l. cùm proponas. C. de pactis*, vbi Decius *num. 5. verſic. quartò ampliatur*, Curtius iunior *num. 2.* Puteus *deciſ. 340. lib. 1. & deciſ. 357. lib. 3.*

Neque proderat Dominis de Cornea pro- 9.
miſſio facta per Aſcanium, Ioannæ maritum, videlicet, quòd ipſa prædicta omnia adimpleuiſſet, quoniam hæc promiſſio non poterat operari liberationem à moleſtiis, quas Ioanna inferre poterat. Vnde cùm plurimum intereſſet, omnia promiſſa ſpecificè adimpleri, antequam reſiduum dotis perſolueretur, concorditer fuit deciſum, talem replicationem non competiuiſſe Dominis de Cornea, & de intereſſe Mareſcotorum conſtitiſſe, & propterea eos ad interuſuria prædicti dotis reſidui non teneri.

---

## *Veneta fœderis matrimonij.*

### Die Veneris 3. Decembris 1599.

SVMMARIVM.

2 *Semiplenam probationem, ad probandum matrimonium, facit diſpoſitio Parochi.*

## DECISIO DCCXCIX.

PRopoſui hanc cauſam, propter frequentem 1.
inſtantiam, & importunam ferè petitionem Procuratorum Dominorum de Cathaneis. Vnde dato dubio, an eſſet recedendum à deciſione in hac cauſa facta die 4.Decembr.1598. * ſuper
* ſuprà deciſ.729.
fœdere matrimonij, inter Dauidem, & Angelam, Domini ſteterunt in deciſis, videlicet de fœdere matrimonij



inter eos conſtitiſſe; cùm enim in hoc caſu ageretur ad effectum ſuccedendi, locus erat dicto Geminiani *conſ.27.n.8.* ſæpe à Rota approbato, aſſerentis, ſufficere leuiores probationes: in caſu autem propoſito pluſquam ſemiplenæ probationes aderant, cùm de contractu ma-
2. trimonij inter Dauidem, & Angelam deponeret
* adde ſuprà in d. deciſ. 729.n.2. vbi alias dec.annotaui, & fuit dictũ in Ferrarien. matr. 29. Aprilis 1511. coram Attrebaten. impreſſa per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.324.n.2.
*proprius Parochus, qui matrimonium celebrauerat. Puteus *dec.251.n.2.lib.2.* & eius dictum coadiuuabant alij teſtes de publica voce, & fama.

De prætenſis nullitatibus ex defectu citationis, & non ſeruatæ formæ remiſſoriæ, particulariter agi placuit, licèt Dominis viderentur facilè ſuperabiles, ex quo teſtes fuerunt examinati cum interrogatoriis partis, & in aliis inſtantiis nunquam fuit de illis oppoſitum, & nunc omnes teſtes erant mortui.

---

## *Maceraten. hæreditatis.*

### Die Veneris 15. Decembris 1599.

SVMMARIVM.

3 *Poſſeſſio certorum bonorum fideicommiſſo ſubiectorum capi poteſt ſine miniſterio hæredis. quod limita vt num.4.*
5 *Inſtitutionem hæredis importat verbum*, relinquo, *prolatum à teſtatore, pro filijs.*
6 *Hæreditatis poſſeſſionem propria auctoritate capere poteſt hæres, quando nihil eſt detrahendum de bonis hæreditarijs.*
7 *Contradictor legitimus dicitur poſſidens ex titulo habito à teſtatore, ante teſtamentum.*
8 *Legitima dicitur quota bonorum & ſic hæredes habent fundatam ſuam intentionem in quolibet corpore hæreditatis.*
9 *Reſtitutio eſt neceſſaria in primis fideicommiſſarijs.*
10 *Inſtitutio directa, vel fideicommiſſaria valde differunt inter ſe.*
11 *Repræſentatio filij pro patre mortuo, quando detur.*
12 *Reſtitutio hæreditatis requirit factum hæredis illius, qui tenetur reſtituere.*
13 *Repræſentationem excludit clauſula teſtatoris, vocans filios maſculos, filiorum maſculorum deſcendentes, cum clauſula*, ordine ſucceſſiuo.
14 *Obliquum dicitur verbum*, reſtituat, *à teſtatore in teſtamento poſitam.*
15 *Remedium reintegrandæ competit etiam nudo detentori.*
16 *Detentatio minus eſt, quàm poſſeſſio.*

1.
* ſuprà deciſ.771.
Non detur copia huius deciſ. partibus, quia illa omiſſa viſum fuit, alia breuiore, articulum concludere, prout in deciſione ſequente, hæc annotatio reperitur in C. origin. R.P.Peña.
†prout videbatur neceſſarium, pro quo vide infrà dec. 865. n. 6. & Rot. rec. p.1. dec. 115. & 520. n.11.

## DECISIO DCCC.

DIe 2.Iunij proximè præteriti, * pro maiori parte fuerat deciſum, Aſcanio Vico dandum fuiſſe mandatum de reintegrando, ad bona exiſtentia in oppido, & territorio Ciuitanouæ, quorum ipſe poſſeſſionem fuerat adeptus.

Die 8.Nouemb. cauſa iterum propoſita ſuper eiſdem, fuit dilata; rurſus verò die 24. eiuſdem menſis, licèt pro maiori parte Domini in deciſis permanere viderentur; quia tamen ab aliquibus fuerat dubitatum, an illa poſſeſſio fuiſſet vitioſa, propterea viſum fuit cauſam reſtringere ad illum articulum, an vitioſa foret cenſenda Aſcanij poſſeſſio, ad effectum, de quo agebatur, ex quo non fuerat capta de manu hæredis: quo articulo † in hac propoſitione diſcuſſo, Rota pro maiori



parte cenſuit, prædictam poſſeſſionem non fuiſſe vitioſam.

Quia verò informantes pro Aſcanio Vico 2.
opinabantur multis modis illam poſſeſſionem, tanquam legitimam potuiſſe defendi, qui tamen Dominis non placuerunt, propterea viſum fuit, per ſingulos breuiter diſcurrendo, indicare iuxta Dominorum ſuffragia, quid illi ſenſerint, vt ſi in poſterum de eiſdem dubitare contingat, intelligatur, quæ fuerit Rotæ ſententia.

Prætendebant ergo primum informantes pro 3.
Aſcanio Vico, poſſeſſionem potuiſſe licitè ſine aliquo vitio accipi, quia erat certorum bonorum, fideicommiſſo ſuppoſitorum; non autem fideicommiſſi vniuerſalis, Natta *conſ.234.num.3. & 4.verſ ſed in propoſito, & conſ.200.n.2.* Cuman. *conſil.61.n.3. in fine*, Iaſon *in l.non dubium num.4. limitat.3. verſ.tertiò notando. C.de legatis*, Menochius *de adipiſcenda.rem.2. num.83. in fine.*

Hoc motiuum non placuit Dominis, tum quia 4.
requireretur, quòd eſſet capta poſſeſſio, ante aditam hæreditatem, * vt loquitur Natta & alij, ſecus autem ſi poſt aditam hæreditatem; vt *in l.non eſt dubium. C. de legat.* & *ibi* Doctores, tum quia
* adde Lud. dec.206.n.6. & 7.
oportebat, quem eſſe inſtitutum in re certa, vt
loquitur Iaſon *præcitato loco*, quod non poterat 5.
huic caſui applicari, in quo teſtator fuerat locutus per verbum, *relinquo*, quod licèt prolatum inter filios poſſet importare hæredis inſtitutionem, etiam certæ quantitati adiectum, Alexander *conſ.105. num.18. lib.4.* id tamen procedit in caſibus, in quibus filij erant inſtituendi, aliàs non valuiſſet teſtamentum: ſecus tamen eſſe videbatur in propoſita facti ſpecie, vbi filij in alia parte 6.
teſtamenti fuerant vniuerſales hæredes inſtituti, & conſequenter, non poterat dici verſari difficultatem in fideicommiſſo particulari certorum bonorum.
* de hoc art. vide annota. Ludou.deciſ. 206. n.12. & 13. vbi alias deciſ.allegat & Seraphin. dec.271.n.5.
† habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 1259.n.5.

Secundò prætendebant, poſſeſſionem Aſcanij non fuiſſe vitioſam ex eo, quòd iuxta diſpoſitionem teſtatoris nihil fuerat de bonis detrahendum, * quo caſu, abſque aliqua reſtitutione eſt licitus ingreſſus, & poſſeſſio propria auctoritate capi poteſt. Pariſius *conſ.53.num.113. & ſeq.lib.3.* Rolandus *conſ. 8.num.21. lib.3.* Gabriel *tit.de fideicommiſſ.concluſ.5.num.7.* Peregrinus *tract. de fideicommiſſis art.2.n.59.& art.47.n.65.* & fuit reſolutum *in cauſa Leodien.de Glimes*, coram Domino meo Decano * die 27.Ianuarij 1597. 7. 8.
* adde Rot. in Romana legitimæ 12. Martij 1616. coram Veroſpio impreſſ. per Merlin. poſt tract.de leg.deciſ 56. & dec.113.
† adde Rot. in vna Romana legitimæ 17.Nou. 1614. coram Caual. & 21. Iunij 1615. coram Veroſpio, & in alia Peruſina de Alphan. 4. Decembris 1624. quę habentur penes Merlin. poſt tract. de legitima dec. 66.67.& 125. n.4.& 11.

Cæterùm hoc motiuum difficultatem pati videbatur, quia licèt teſtator prohibuerit omnem detractionem, & per aditionem hæreditatis videretur id onus acceptatum, tamen verum hoc eſt, quando adſunt alia bona, & in hoc non ſtatur aſſertioni teſtatoris, ſed onus probandi ſpectat ad fideicommiſſarium, nec ſufficit probare non ius hæredis, niſi fideicommiſſarius incontinenti probet ius ſuum; aliàs enim non cenſetur legitimus contradictor. Ita fuit deciſum in cauſa Romana caſalis die 18.Martij, 1577. coram bon. mem. Reboſterio, de iure autem Aſcanij non poterat dici perſpicuè conſtare.

Rurſus dicebatur, ratione legitimæ faciendas fuiſſe detractiones, & hæredes legitimæ habuiſſe intentionem fundatam in quolibet * corpore hęreditatis, cùm legitima ſit quota bonorum, quod † procedit etiam in bonis fideicommiſſo ſubiectis, nec tenentur hæredes probare non extare alia bona, vt fuit reſolutum *in cauſa Peruſina fideicom*

*deicommiſſi de Herculan.* coram bon.mem.Brauo; *& in cauſa Peruſina bonorum*, die 5.Iunij 1581.

9. Tertiò prædicta poſſeſſio prætendebatur vitioſitatis crimine carere, ex eo, quòd licèt reſtitutio requiratur in primis fideicommiſſariis, tamen in hoc caſu Aſcanius non erat primus fideicommiſſarius, ex eo quòd Vicus reſtituerat Vincētio & Philippo fratribus, & Vincentius reſtitueret Philippo: & rurſus Philippus reſtituerat Capitaneo Franciſco, nepoti Matthæi teſtatoris, qui Franciſcus in hoc fideicommiſſo particulari, cùm non potuerit ſubintrare in locum Hieron. patris, & ſuccedere cum patruis, locus fiebat diſpoſitioni *l. Gallus. §. quidam rectè, ff. de liber. & poſthumis*, ex quo aderat inſtitutio, in qua erat locatus, ex quibus patebat, Aſcanium non fuiſſe primum fideicommiſſarium, ſed longè vlteriorem.

10. Hæc difficultas ardua viſa fuit Dominis, & eius ſolutionem ab ea inſpectione pendere, an Capitaneus Franciſcus fuerit vocatus directè, vel per fideicommiſſum, vel ſaltem ſubintrare potuerit in locū patris, vigore repræſentationis, ſi enim ſucceſſerat teſtatori directo, vel vigore repræſentationis, verſabamur in primo fideicommiſſario, ſaltem reſpectu illius portionis; ſecus verò, ſi ſucceſſerat per fideicommiſſum, tunc enim Aſcanius eſſet ſecundus fideicommiſſarius; qua in re aliqui ex Dominis reſpectu primæ inſpectionis ferebantur in ſententiam negatiuam, vt Capitaneus Franciſcus non fuerit directè vocatus, tum quia fideicommiſſum erat particulare, (vt prætendebant informantes pro Aſcanio) non aderat neceſſitas inſtituendi, & ſatis erat, quòd teſtator inſtitutionem fecerit, iuxta conſilium Galli in inſtitutione vniuerſali, Ioannes de Anania *conſ. 37. num. 1. & 2.* tum quia in hac parte teſtator non inſtituerat filios hæredes, ſicut fecerat in inſtitutione vniuerſali: immò expreſsè apparet ex eius verbis, quòd eos non inſtituit hæredes in hoc fideicommiſſo.

Primò, quia prohibuit alienationem, per filios ſuos hæredes inſtituendos; ergo tunc non erant hæredes inſtituti.

Secundò, quia poſt factum fideicommiſſum appoſuit prouiſionem, vt bona prædicta in præcedentibus legatis contenta, & reſtitutioni ſubiecta, non minuerentur: & conſequenter teſtator intellexit, legare ſolùm cum onere reſtituendi.

11. Reſpectu alterius inſpectionis, concernentis repræſentationem, res videbatur magis difficilis, & intricata in ea ſpecie, quando pater, cuius perſonam filius vult repræſentare, prædeceſſit ante obitum teſtatoris, cùm pater ante mortem teſtatoris in hæreditate poſtea deferenda, nullum ius habere videatur: nam in hoc caſu receptior opinio videtur, quòd detur repræſentatio. Paulus de Caſtro *conſ. 164. n. 4. lib. 2.* circa hoc tamen nihil fuit firmatum, cùm hæc deducerentur ad effectum oſtēdendi, quod per iſta motiua dubia non poterat poſſeſſio Aſcanij à vitioſitate excuſari.

12. Quartò pro Aſcanio adducebatur, quia cùm in teſtamento Matthæi grauarentur ſuccedentes, ſequentibus reſtituere, per ipſos erat facienda reſtitutio, non autem per illorum hæredes.

Sed hoc motiuum eo potiſſimum nomine non placebat, quia cùm in reſtitutione requiratur factum per hæredem illius qui tenetur reſtituere, & à quo repræſentatur perſona defuncti, fieri debet.

Quintò, pro Aſcanio deducebatur diſpoſitio teſtatoris, vocantis filios filiorum maſculos deſcendentes cum clauſula, *ordine ſucceſſiuo*, per quam videbatur voluiſſe excludere repræſentationem. Pariſius *conſil. 38. num. 17. & conſ. 40. n. 19. & 20. lib. 2.* Peregrinus *tract. de fideicomm. art. 21. n. 21.* & conſequenter cùm in hoc caſu non deſignarentur certi ſucceſſores, facultas data videbatur capiendi poſſeſſionem propria auctoritate. 13.

Sed hoc argumentum eo potiſſimum nomine non placebat, quia contrarium ſuadere videbatur verbum *reſtituant*, in teſtamento Matthæi poſitum, quod eſt obliquum, *l. cohæredi. §. cùm filia. ff. de vulg. & pupill.* Pariſ. *conſ. 54. num. 12. lib. 3.* † & propterea hæreditas debuit capi de manu hæredis, licèt eſſent ſecundi fideicommiſſarij, nec bona poſſent peruenire, niſi ad vocatos. 14.

† Caual. dec. 106. n. 6. & dec. 516. n. 4.

Ex his potiſſimum conſiderationibus conſequebatur non fuiſſe omnino tuta fundamenta, quibus vtebantur informantes pro Aſcanio, ad tuendam illius poſſeſſionem, tanquā legitimam.

Et propterea deciſum fuit, illam non debuiſſe iudicari vitioſam ex eo, quòd non fuerat capta de manu hæredis; quia cùm reſpectu bonorum, (de quibus agebatur) non conſtaret de hæredibus, de quorum manu capi potuiſſet, licèt Aſcanius eſſet primus fideicommiſſarius, (quod tunc expreſsè negabatur ab informantibus, pro Aſcanio;) ſine vitio potuerat ingredi poſſeſſionem.

Rurſus præcedentes rationes, (ex quibus diſputatio reddebatur obſcura) ſuadebant, non fuiſſe interim Aſcanium prohibendum, reuerti ad poſſeſſionem quam acceperat.

Denique dicebatur, quòd ſi mero etiam, & nudo detentori competebat remedium, * *cap. redintegranda. 3. quæſt. 1.* Menochius *de recuperanda, remed. 1. num. 66.* multo magis competebat Aſcanio, qui iudicis auctoritate poſſeſſionem acceperat, cùm detentio minus ſit, quàm poſſeſſio. Alexander *in l. 1. num. 17. verſ. non obſtat tertio. ff. de acquir. poſſeſſ.* quibus etiam accedebant vulgares iuris regulæ, quòd nemo ſit ſua poſſeſſione priuandus, quòd ſpoliatus in primis eſt reſtituendus, & ſimiles. 15. 16.

*adde infrà in ſequent. dec. n. 6.

## *Maceraten. hæreditatis.*

## Die Veneris 15. Decembris 1599.

### SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſionem bonorum capere poteſt fideicommiſſarius, ſi non adſit hæres, à quo reſtitui poſſit.*

3 *Fideicommiſſi particularis poſſeſſionem capere non poteſt ſucceſſor in eo, propria auctoritate.*

4 *Poſſeſſio vniuſcuiuſque rei eſt capienda, nec ſufficit generalis acceptio, etiam ſi habeat animum apprehendendi omnia bona.*

### DECISIO DCCCI.

DIe 2. Iunij proximè præteriti, * pro maiori parte fuerat deciſum, Aſcanio Vico dandum fuiſſe mandatum de reintegrando ad bona exiſtentia in oppido, & territorio Ciuitanouæ, quorum ipſe poſſeſſionem fuerat adeptus. 1.

† Die 8. Nouembris, cauſa iterum propoſita ſuper eiſdem, fuit dilata, rurſus verò die 24. eiuſdem menſis, licèt pro maiori parte Domini in deciſis permanere viderentur, quia tamen ab aliquibus

* ſuprà deciſ. 771.

† hæc deciſio fuit latiùs extenſa in antecedente, & habetur impreſſa penes Farinac. poſt tom. 2. conſil. deciſ. 140.



quibus fuerat dubitatum, an illa poſſeſſio fuiſſet vitioſa, propterea viſum fuit, cauſam reſtringere ad illum articulum, an vitioſa foret cenſenda dicta poſſeſſio, ad effectum de quo agebatur; ex quo non fuerat capta de manu hæredis, quo articulo in hac propoſitione diſcuſſo, Rota pro maiori parte cenſuit, prædictam poſſeſſionem non fuiſſe vitioſam.

2. Quia cùm reſpectu bonorum, de quibus agebatur, non adeſſent hæredes, de quorum manu capi potuiſſet, propter diſpoſitionem teſtatoris mandantis, quòd hæc bona, neque ex teſtamento, neque abinteſtato, etiam quæ ad poſſeſſionem, poſſent deuenire ad alios, à teſtatore non vocatos, etiam ratione legitimæ, conſequenter inferebatur, quòd licèt Aſcanius fuiſſet primus fideicommiſſarius, (quod tamen expreſsè negabatur ab informantibus pro eodem Aſcanio,) ſine aliquo vitio potuerat propria etiam auctoritate † capere poſſeſſionem, cùm nullus adeſſet hæres, * à quo reſtitui poſſent, Baldus *in l. extraneum, num. 3. 4. & 5.* vbi Salicetus, & Iaſon *num. 4. & 5. C. de hæred. inſtit.* Romanus *conſil. 71. num. 1. in fine, verſ. & cum non ſit*, Alexander *conſil. 58. num. 2. verſ. ſed vxor legataria. lib. 3.* latè Menoch. qui plures allegat, *tract. de adipiſcen. remed. 2. n. 66. & 67. verſ. nam ex quo heres, quæſt. 17.*

† adde infrà dec. 865. n. 6. & annot. ad deciſ. 7. Lud. n. 13.

*adde annotat. ad deciſ. 205. Ludou. n. 10. vbi cū aliis allegat hanc deciſ. & vide Rot. recen. p. 1. dec. 115. n 3. Mār. dec. 311. n. 2.

Neque huic rationi refragabatur textus *in l. 1. ff. quorum bonorum*, aut Doctores allegati per informantes contra Aſcanium, ad probandum in fideicommiſſo particulari non poſſe capi poſſeſſionem propria auctoritate, quia diligenter inſpecti loquebantur in caſu, ac hac facti ſpecie longè diuerſo, videlicet, quando hæres reperitur † in poſſeſſione, ſecùs autem eſſe, quando hæredes non ſunt poſſeſſores, prout in hoc caſu, in quo quando Aſcanius accepit poſſeſſionem, auctore prætore, nullus poſſidebat hæres i eòque potuit etiam propria auctoritate poſſeſſionem capere, pro vt ſupradicta diſtinctione conſtituta latè comprobauit Antonius Gabrielius, qui plures Doctores cumulauit *tit. de acquiren. poſſeſſ. concluſ. 1. num. 98. limitat. 26.* quem ſequitur Andreas Gail *pract. obſeru. lib. 2. obſeruat. 129. num. 7.* 3.

† adde Rot. recen. part 2. dec. 276. n. 5.

4. Quinimò, licèt hæres accepiſſet poſſeſſionem bonorum, Maceratæ exiſtentium adhuc id non officeret poſſeſſioni Aſcanij captæ de bonis Ciuitanouæ conſiſtentibus, neque illam reddidiſſet vitioſam, quoniam vniuſcuiuſque rei poſſeſſio acquiri debet, nec ſufficit acquiſitio vnius, quamuis * fuerit capta animo apprehendendi omnia bona, *l. 3. in principio*, vbi gloſſ. *in verb. quamlibet, in fine. ff. de acquiren. poſſeſſ.* Pariſ. *conſil. 37. num. 17. lib. 3.* & tenuit Rota *in hac cauſa*, die 11. Maij 1587. coram Domino meo Pamphilio.

* adde ſuprà deciſ. 771. n. 20. & infrà dec. 809. n. 7.

5. Rurſus quo magis diſputatio reddebatur turbida ex rationibus deductis per informantes contra Aſcanium, eò magis perſuadebatur, illum interim iure non potuiſſe prohiberi reuerti ad ſuam poſſeſſionem, de qua clarè conſtabat per publicum inſtrumentum.

6. Denique dicebatur, quòd ſi mero, * & nudo detentori competebat remedium *c. reintegranda. 3. q. 1.* Menoch. *de recup. remed. 1. n. 66.* multò magis competebat Aſcanio, quia iudicis auctoritate poſſeſſionem acceperat, cùm detentio minus ſit, quàm poſſeſſio, Alexander *in l. 1. num. 17. verſ. non obſtat tertiò. ff. de acquir. poſſeſſ.* quibus etiam accedebant vulgares iuris regulæ, quòd nemo ſit ſua poſſeſſione probandus, quod ſpoliatus in primis eſt reſtituendus, & ſimiles.

* adde ſuprà in antecedēti dec. n. 15. & 16.

## *Bonon. ſucceſſionis de Paleothis.*

## Die Lunæ 20. Decembris 1599.

### SVMMARIVM.

2 *Mater tenetur inſtituere, vel ex hæredare nominatim filios, ac nepotes ſicut pater.*

3 *Teſtamentum maternum dicitur nullum, in quo mater nec inſtituit, nec exhæredauit nominatim filios, vel nepotes, & an id ſit verum ex ſtatuto Bononien. num. 4.*

5 *Qualitas ſtatutaria, ſi non verificatur, diſpoſitio ſtatuti non ſuffragatur.*

6 *Statutum correctorium iuris communis ſtrictè eſt interpretandum.*

8 *Caſus in ſtatuto non expreſſus, terminandus eſt per diſpoſitionem iuris communis.*

9 *Verbum, ſupradictum, in diſpoſitione poſitum, eſt indicatiuum, demonſtratiuum, & repetitiuum præcedentium.*

10 *Extenſio de perſona ad perſonam de iure prohibita eſt.*

11 *Neptis ex filia non excluditur ab hæreditate auiæ, propter nepotem maſculum, natum ſimiliter ex filia, & num. 7.*

### DECISIO DCCCII.

DEceſſerat ann. 1588. Eliſabetha Teſtina, relictis Dominis Galeatio, Genebra, & Camilla fratribus de Paleothis, nepotibus ex Leonia filia prædefuncta, & Gabriele de Graſſis, filio quondam Hippolytæ Paleothæ neptis eiuſdem Eliſabethæ ex eadem Leonia, eius filia. 1.

Et quoniam Eliſabetha, teſtamento condito (prædictis Genebra, Camilla, & Gabriele præteritis,) hæredem ſibi Dominum Galeatium inſtituerat, ab eiſdem præteritis contra D. Galeatium intentato iudicio, ſuper nullitate teſtamenti, ob prædictam præteritionem, cauſaque in hoc tribunali introducta, præſuppoſitis ſtatutis Bononien. & teſtamento Eliſabethæ, & ſuperuiuentia prædictorum Gabrielis, Genebræ, & aliorum præteritorum, dubitaui, an prædictum teſtamentum fuiſſet nullum? & Rota vtraque parte informante ob præteritionem nullum fuiſſe cenſuit. Ratio potiſſima fuit, quia mater, & aſcendentes lineæ maternæ, non ſecus tenentur inſtituere, aut nominatim exhæredare filios, & nepotes, ac pater, & aſcendentes lineæ paternæ, 2. gloſſ. *in §. exhæredatos, in verb. voluit, verſ. ſed hodie, in Auth. de hæred. & falcid.* gloſſa magna *in Auth. ex cauſa, verſ. ſi autem ſit præteritus, vel exhæredatus. C. de liber. præterit.* quam communiter approbatam teſtatur *ibidem* Iaſon *num. 1. verſ. breuiter communis eſt ſententia*, & hanc eſſe communem opinionem affirmat Viglius *in rubrica Inſtit. de inoff. teſtam. num. 4. verſ. & hæc quidem noua.* & Picus *in l. in quartam n. 10.* & *ibidem* Ripa *num. 143. ff ad l. falcid.* & alij, quos refert, & ſequitur Michaël Craſſus *tract. de ſucceſſione in §. teſtam quæſt. 36. n. 1. & 14.* & propterea de iure communi hodie tales liberi ſine cauſa præteriti, * teſtamentum matris, vel auiæ maternæ poſſunt dicere nullum. *§. aliud quoque capitulum*, vbi Angelus *num. 8. verſ. tamen hodie ſi mater, in Authent. vt cùm de appellatione* 3.

*adde Rot. diuer. part. 1. dec. 691. n. 3.

cognoſcitur, notatque *gloſſa* 1.*in l.filiam.C.de inoffic.teſtam.*& gloſſa *in* §.*mater,in verb.eis*.vbi Aretinus *notab.*2. *Inſtit.de exhæredat.liberorum.*

4. Quoniam verò informantes pro Domino
Galeatio nitebantur diſpoſitione ſtatuti Bononien. *tit. de ſucceſſ.liberor.patre, vel matre, vel alijs aſcendentibus deficientibus condito teſtamento,*§.*item dicimus*,quo cauetur, quòd ſi filiæ per maſculos, vel fœminas deſcendentes præteritæ fuerint ab ipſo teſtatore,& inſerta cauſa præteritionis, vel non extantibus maſculis ſupradictis inſtitutis, qui tales fœminas ab inteſtato repellerent ex forma ſtatutorum, nihilominus valeat teſtamentum: propterea Domini eodem ſtatuto diligenter conſiderato reſponderunt, illud prædictæ deciſioni non obſtitiſſe, quoniam loquebatur de maſculis, per maſculos deſcendentibus, quæ qualitas non conueniebat Domino Galeatio, cùm ipſe per fœminas etiam deſcenderet:
5. notum eſt autem, qualitate ſtatutaria non verificata, * ſtatutariam diſpoſitionem non ſuffragari. Baldus *conſil.*141.*num.* 3. *lib.* 1. Decius *conſil.*261. *num.*2. Pariſius *conſil.*152.*num.*5.*lib.*4. & tenuit Rota *in cauſa Peruſina reintegrationis*, coram me die 7. Februarij 1597. † & in cauſa Romana hæreditatis de Sellis die 19. Decembris 1597. coram Domino meo Pamphilio, quam interpretationem eo potiſſimum nomine Rota amplexabatur, quia cùm ſtatutum eſſet iuris
6. communis correctorium, * obſtrictè erat interpretandum, vt quo minus fieri poſſet, ipſum commune ius corrigeret, *l.præcipimus.de appellat. Authent.quas actiones. C.de ſacroſ.Eccleſ.*

* adde Dur. dec.19.n.11. & 15. & Seraphin. dec. 670. num. 1. Mant. deciſ. 163. n. 3. & dec.258.n.6. † ſuprà deciſ.584.n.3.

* adde ſuprà dec.615.n.3.

Supradictis accedebat ſententia inſignium Iuriſconſultorum, qui agentes de ſtatuto excludente deſcendentes fœminas,propter maſculos, ex maſculis deſcendentes, affirmarunt non ex-
7. cludi ab hæreditate auiæ neptem ex filia, propter nepotem maſculum, natum ſimiliter ex filia, ita enim cenſuerunt Iaſon *conſil.*55.*num.*14. *& ſeq.lib.*3. Ruinus *conſil.*18.*num.*4. *in fine,& ſeq. lib.*3.Gratus *conſil.*26.*num.*36. *verſ.*2.*principaliter, & ſeq.lib.*1.Pariſius *conſ.*49.*num.*19.*&* 20. *& conſil.*62. *num.*2. *&* 3. *lib.*3.

8. Præterea cùm caſus, de quo agebatur, non eſſet in ſtatuto expreſſus, definiri debuerat ſecundùm diſpoſitionem iuris communis,*vt deſcendentes ex linea materna,ſiue mares,ſiue fœminæ; data gradus paritate,æqualiter ſuccedere deberent aſcendentibus ſuis ab inteſtato.*l.maximum vitium. C. de liber.præter.* & in teſtamento eorundem aſcendentium ſimiliter deberent inſtitui, vel nominatim exhæredari, *dicto* §. *aliud quoque Capitulum, in Authent. vt cùm de appellatione cognoſcitur*, ſicut in terminis huius ſtatuti reſponderat Gratus *Iuriſconſultus Bononien. dicto conſil.*26.*num.*19.

* Rot.recen. p.1.dec.463. n. 4. & p. 2. dec.461.n.3. & deciſ.703. num.2.

9. Addebatur etiam,prædictum ſtatutum *in dicto* §.*item dicimus*,non obſcurè recipere ſupradictam interpretationem,conſideratis illis verbis,*extantibus maſculis ſupradictis inſtitutis*; illa enim verba,*ſupradictis* relationem habebant ad maſculos ſuperiùs†nominatos,& conſequenter ad maſculos deſcendentes per lineam maſculinam, quod in Domino Galeatio ex fœmina deſcendente, verificari non poterat, verba enim illa, *ſupradictis*, indicatiua demonſtratiua, & repetitiua ſunt præcedentium cum ſuis qualitatibus.*l.qui liberis.* §.*hæc verba*, vbi Bartolus *num.* 7.*ff. de vulgar. & pupill.l.talis ſcriptura,in fine,ff.de legat.*1.& reſtringunt diſpoſitionem ad perſonas dumtaxat expreſſas.Crauetta *conſ.*98.*num.*8.quod maximè locum habere videbatur in hac facti ſpecie, cùm ſtatutis Bononien.cautum ſit, vt reiectis extrinſecis interpretationibus,prout ſcripta ſunt intelligi debeant, ſicut etiam in ſimilibus cauſis Bononienſibus,& præſertim in illa de Beroaldis,& in alia de Arioſtis coram DD.meis Litta,& Corduba conſideratus fuerat, quod eſt etiam iuri communi conforme,quo regulariter prohiben- 10.
tur extenſiones de perſona ad perſonam.* Crauett.*conſ.*98.*num.*13.Gabriel *conſ.*69.*num.*28.*lib.*2. Gratus *d.conſ.*26. *num.*32. *& ſeq.*

† adde Dur. dec.286.n.1.

* adde Rot. recen.part.2. dec.507.n.3. & diuer. p.1. dec.383.n.9. Ludou.deciſ. 495.n.3.quã do autem detur extenſio de perſona ad perſonã, vide Seraph. dec.496.

Præterea illa ſtatuta verba, *vel aliquibus alijs inſtitutis, qui tales fœminas ab inteſtato repellerent, ex forma noſtrorum ſtatutorum*, neque prædictis mulieribus obeſſe, neque D. Galeatio prodeſſe poterant,cùm iuxta diſpoſitionem iuris communis,à Domino Galeatio in pari gradu exiſtente, à ſucceſſione auiæ non excluderentur.

Minus autem excludi poſſe videbantur, ex aliqua alia ſtatutaria diſpoſitione ciuitatis Bo- 11.
nonien. cùm ſtatutum de ſucceſſione liberorum patre, vel matre, vel aliis aſcendendentibus ab inteſtato morientibus,iuberet, inter deſcendentes ſeruari diſpoſitionem iuris communis, præterquam in caſu,quandò exiſterent deſcendentes maſculi per lineam maſculinam, tunc enim fœminas à quocunque dotatas, abſolutè à ſucceſſione patris,matris, aui, vel proaui excludendas conſtituit: hæc enim diſpoſitio eo potiſſimum nomine Domino Galeatio prodeſſe non poterat, quoniã licèt ipſe eſſet maſculus, non per lineam maſculinam, ſed per fœmineam deſcendebat.

Ad *conſil.*Iaſonis 115.*lib.*4. quo vtebantur in- 12.
formantes pro Domino Galeatio reſpondebatur,illud fuiſſe conceptum ſuper ſtatuto Brixienſi,differentem diſpoſitionem ab hoc ſtatuto Bononienſi continente:ſtatutum enim Brixiæ non apparebat reſtrictum ad matrem,neque ad bona auita paterna tantùm, quale erat Bononien. ſed generaliter loquebatur de qualibet hæreditate aſcendentium maſculorum,& fœminarum,vt ex themate, & ex aliis locis eiuſdem conſilij Iaſonis apparebat.

Præterea in illo conſilio excluſio fœminarum non erat facta fauore agnationis, vt conſtabat ex his quæ idem Iaſon tradebat in eodem conſilio,in tertio principali fundamento *n.*22.ſtatutum autem Bononienſe fauorem agnationis reſpexiſſe videbatur. Multis etiam aliis modis ad idem conſilium reſponderat Gratus *d. conſ.*26. *à n.*53.*vſque ad n.*59.quod alij etiam inſignes Doctores confutauerant,vt propterea meritò Peregrinus *tract.de fideicommiſſis art.*26.*n.*4.reſponderit, nunquam ſibi illud conſilium placuiſſe.

---

## *Corduben. gabellæ.*

### Die Lunæ 10. Ianuarij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Excommunicatio pro culpa incerta, aut non probata,ferri non poteſt.*

4 *Facere qui tenetur aliquid, eo ipſo non feciſſe cenſetur,ſi tempore quo facturus erat non facit.*

DECI



## DECISIO DCCCIII.

1. HÆc cauſa bis propoſita fuit,pro danda declaratoria contra Gubernatorem & iuratos ciuitatis Corduben.& non fuit capta reſolutio,quia aliqui ex Dominis multam habuerunt difficultatem, circa articulos ſequentes.

2. Primò, quia licèt per nouam commiſſionem à Capitulo Eccleſiæ Corduben.impetratam,ego habuiſſem iuriſdictionem, ad procedendum in cauſa;dubitabatur tamen,an poſſem iubere,exequi antiquas executoriales, quæ iam olim fuerant executæ, & operatæ ſuum effectum.

Et quamquam aliqui ex Dominis reſponderent, quòd bene poterant denuo exequi, ex quo habebant tractum ſucceſſiuum tum ratione cauſæ; cùm iurati continuarent in exigenda gabella à clero, & eam eidem clero ſtatutis temporibus non reſtituendo, tum quia ſemper remanebant * reliquiæ antiquæ litis, nihilominus tamen in contrarium vigebant rationes deciſionis, in hac cauſa factæ.

* quo caſu non ſunt executioni demandandæ executoriales, vt fuit dictum ſuprà dec.222. n.3. & deciſ. 735. n. 6. in hac eadem cauſa.

Præterea dubitabatur,etiam circa verificationem facti,quia licèt valde veriſimile viſum fuiſſet Dominis, quòd iurati à clero exigerent prædictam gabellam,eamque exactam non reſtituerent; nihilominus tamen circa hoc non oſtendebatur in proceſſu certa probatio, & conſequenter pro culpa incerta, * aut non probata,
3. non poterat ferri excommunicatio contra ipſos.

Et licèt replicaretur, quòd ſatis conſtare videbatur de culpa, & contrauentione, ex quo ci-
4. tati vigore vltimæ commiſſionis non comparuerunt ad reſpondendum, nec docuerunt de reſtitutione gabellæ, poſt intimatas executoriales, (cùm is qui tenetur certum aliquid facere, vel præſtare, eo ipſo non feciſſe,aut præſtitiſſe cenſeatur, quo denuntiatus debito tempore non præſtat,)tamen ad ferendam ſententiam excommunicationis, maior & euidentior culpæ probatio videbatur neceſſaria.

† adde ſuprà dec.735.n.5.

5. Ex his,& aliis reddebatur negotium dubium, & propterea ordinatum fuit, quòd viderentur antiquæ executoriales,ad effectum intelligendi, an poſſent exequi vigore vltimæ commiſſionis, quod ſi fieri non poſſet, nouus proceſſus per audientiam contradictarum inchoandus erat, eoque completo, & probatis probandis, ferenda ſententia, vt poſtea illius vigore nouæ executoriales relaxarentur.

---

## *Dertonen. Iuriſpatronatus.*

### Die Lunæ 10. Ianuarij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopo inſtituere debenti,non eſt præfixum tempus à iure,vt eo elapſo detur locus deuolutioni.*

2 *Patroni ſi diſcordant in præſentando, an detur deuolutio.*

3 *Inſtituere non debet Epiſcopus per deuolutionem, ſi lis ſit inter patronos in præſentatione.*

4 *OEconomum prouidebit Epiſcopus in beneficio litigioſo.*

## *DECISIO DCCCIV.

*hæc deciſio magis fuit de luce data infrà deciſ. 890. quando ſuper eiſdem fuit cauſa iterum propoſita.

1. PRopoſita hac cauſa,vtraque parte informante, Domini concorditer perſiſtendum cen-



ſuerunt in deciſis in eadem cauſa die 8. Februarij ſuperioris anni, * quod cùm Epiſcopo inſtituere debenti,non eſſet præfixum à iure aliquod tempus, quo elapſo fieret locus deuolutioni ad eius fauorem, non potuerit beneficium (de quo agitur) tanquam deuolutum conferre Carolo Antonio Loſtæ.

* ſuprà deciſ.737.

Cui deciſioni non refragabantur Zabarella 2.
*in cap.cùm vos,verſ.vnde iura,de officio ordinarij, & in Clementina plures.* §. *quibus,num.* 1. vbi Ioannes de Imola *col.*4. *verſ.ſi verò neutra, num.*7. & Ancharanus *num.*14. *de iurepatronatus*, & Lambertinus *lib.*2.*part.*2.*quæſt.*..*art.*30.*num.*7. *& ſeq.* aſſerentes,quòd quando eſt quæſtio inter præſentatos, vel inter Patronos præſentantes ſuper iure præſentandi; ea non finitur intra quatuor, vel ſex menſes,tunc Epiſcopus debet Eccleſiam ordinare, quia reſpondebatur, quòd non loquuntur ſimpliciter,ſed cum diſtinctione,vt Zabarella breuiter diſtinguit duos caſus,vnus eſt, quando facta præſentatione lis durat longo tempore inter præſentatos, & hoc caſu Epiſcopus non ordinabit Eccleſiam lite pendente,* ſed tantùm de OEconomo illi prouidebit,iuxta textum *in d. cap.cùm vos.*

* de quo ſuprà in d. deciſ.737. n.4. & infrà deciſ.890. n.9. vbi annotabo alias dec.

Alter caſus eſt, quando eſt quæſtio inter Patronos ſuper iurepatronatus,vt quia alter ab altero vindicat iuſpatronatus, vel negat alterum 3.
eſſe Patronum, & iſto caſu Epiſcopus † ordinat Eccleſiam,ſaluo iure euincentis, quod ipſum dicunt in effectu alij allegati, qui propterea non faciunt pro Carolo Antonio, imò eius intentionem oppugnant, cùm lis non eſſet hîc inter patronos, ſed inter præſentatos.

† adde Dur. dec.74.n.50. & 52. Mant. dec.107.n.1.

Quæ deducebantur per informantes pro Ca- 4.
rolo Antonio ad docendum, ipſum fuiſſe inſtituendum, ex quo habuerat maiorem numerum ſuffragiorum, non pertinebant ad hanc diſputationem, in qua ſtrictè agebatur de illo articulo, an eſſet factus locus deuolutioni.

---

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 14. Ianuarij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Ex adminiſtratione vt quis teneatur, duo ſunt probanda,ſcilicet,& quod geſſit,& quod fecit contemplatione alterius.*

3 *Moram incurrit debitor, ſi pro parte debitoris ſit ei interpellatum, quòd propter retardationem ſolutionis, damnum ei ſequatur.*

4 *Moram non incurrit, qui habet iuſtam cauſam dubitandi.*

5 *Negligens in procuranda vtilitate pupilli tenetur ſoluere vſuras lucri ceſſantis.*
*quod limita vt num.*6.

7 *Tutor diligentior in negotiatione ſuarum pecuniarum, quàm in pecunijs pupilli, non tenetur ſoluere vſuras,& intereſſe, propter negotiationem reſultantes.*

8 *Soluere non tenetur tutor lucrum proueniens ex pecunijs ſuis, ex eo quòd ſit diligentior in ſuis, quàm in pupilli pecunijs.*

## DECISIO DCCCV.

DIe 24.Maij * anni præteriti 1599.fuerat in 1.
hac cauſa deciſum, non deberi Dominæ Clariciæ

* ſuprà deciſ.768.

Claricię vſuras pupillares, ex pecuniis redactis ex 75.locis montis recuperationum,ſed tunc fuit dictum quòd videretur an deberetur aliquod genus lucri,vel intereſſe?ſuper quo articulo propoſito dubio in hac cauſa Domini * cenſuerunt non deberi aliquod intereſſe.

*habetur hæc dec.impreſſ. per Farin. poſt tomo 2. conſil. dec.142.licèt non annotetur corã quo ſit agitata.

Primò,quia non erat probatum pro parte Dominæ Claricię, Hieronymum auum fuiſſe adminiſtratorem bonorum eiuſdem Claricię,cùm nullum negotium ipſius contemplatione geſſiſſe probaretur,cùm ad effectum,vt quis de adminiſtratis,& geſtis teneatur, duo probari debeant, quòd geſſerit, & quòd contemplatione alterius geſſerit. Bart.*in l.ſi pupillo. §.item quæritur, num.*4. *verſ. habet ergo. ff. de negotijs geſtis*, Capicius *deciſ.*180.*num.*4. in caſu autem propoſito neutrum apparebat probatum.

2\. Secundò, quia nec bon. mem. Hieronymus, nec D. Tiberius, illius hæres, videbantur conſtituti in mora† reſtituendi dictas pecunias poſt litem motam, ad effectum, vt propter moram incurſam prætendi poſſet aliquod intereſſe lucri ceſſantis, quia pro parte Dominæ Claricię non probabatur,quòd ſi pecuniæ fuiſſent ſibi ſolutæ, cùm illis fuiſſet tantum lucrata, & quòd tunc in promptu eſſet occaſio pecunias implicandi,quod præcedente * proteſtatione pro parte creditoris interpoſita, ad notitiam debitoris deferendum erat,Paulus de Caſtro *in l.non vtique.§.nunc de officio num.*3.*in principio,ff.de eo quod cert.loco*, Afflictus *deciſ.*20.*num.*2.Cagnolus *in l.*1.*num.*37.*C.de ſent.quæ pro eo quod inter*, Chiſanen.*deciſ.*75.

†ſine qua nõ debẽtur vſuræ pupillares vt per Seraphin. deciſ.88.

*quæ eſt neceſſaria ad inducendam moram, vt per Rot. diu. p.2. dec. 69. n.13. Ludou. dec.5. n.7. & ſuprà dec.26. n.7. vbi aliàs deciſ. annotaui.

Similiter non poterat prætendi intereſſe, ratione damni emergentis, cùm non eſſet probatum dominam Clariciam paſſam aliquod damnum, ob pecunias ſibi non ſolutas.

3\. Tertiò, quia ſaltem reſpectu Domini Tiberij,
4\. negari non poterat,quin habuerit iuſtam cauſam credendi,† ſe non fuiſſe debitorem,cùm Hieronymus pater diſpoſuerit de iſtis pecuniis, tanquam de propriis, & Rota etiam multum dubitauerit,Curtius iunior *conſ.*239.*num.*28.*lib.*3.latè Hondedeus *conſ.*38.*num.*20.*& ſeq.lib.*2.

†& iuſta dubitatio excuſat à mora, vt per Mant. dec.78. n. 3. 5. & 8.

5\. Reſpectu Hieronymi, aliqui ex Dominis videbantur ſentire, maiorem fuiſſe difficultatem, quia cùm fuiſſet minoris debitor, debebat curare,quòd Claricię daretur alius tutor, quod cùm non fecerit,fuit in culpa,& propterea tenebatur ad vſuras, & intereſſe, non quia tutor, ſed quia negligens in procedendo, quòd conſtitueretur legitima perſona,cui fieret ſolutio,iuxta deciſionem Vincentij de Franchis *deciſ.*16.*n.*7.*&* 8. allegantem Fulgoſium & alios.

6\. Reſpondebatur tamen, quòd cùm Hieronymus diſpoſuerit de iſtis pecuniis, tanquam de ſuis, & crediderit eſſe ſuas, licèt reuera non eſſent, ſaltem propter iſtam opinionem videbatur excuſandus,præſertim cùm iſtæ pecuniæ in libris banchariæ eſſent ſcriptæ ab Antonio Franciſco, Claricię patre, ad creditum Hieronymi.

7\. Magis etiam vrgebat contra eundem Hieronymum,quia cùm ipſe more mercatorum pecunias ſuas ſemper in lucris collocauerit,ita etiam potuit collocare ,imò veriſimile eſt, collocaſſe pecunias Dominæ Claricię,& conſequenter tenebatur ad vſuras & intereſſe,gloſſ.*in l.quia aliena,* in verb.Purgatij, verſiculo itẽ quod, ff.de negotijs geſtis*.

*aliàs eſt liberto. §. qui aliena.

Sed reſpondebatur, non fuiſſe probatum aliquod lucrum cum pecuniis Dominæ Claricię; nec improbandum Hieronymum, qui maiorem diligentiam adhibuit in collocandis ſuis pecuniis, quàm pupillis, Paulus de Montepico *conſil.*65. *num.*29. *& ſeq.*

---

## *Firmana beneficij.*

### Die Mercurij 19. Ianuarij 1600.

### SVMMARIVM.

2 *Subrogatus in beneficio litigioſo, cui eſt relaxandum mandatum de immittendo, non tenetur verificare, niſi clericatum, & obitum anteceſſoris.*

3 *Clauſulæ generales gratiæ non gaudent aliquo priuilegio, ſed tanquam acceſſoriæ ſortiuntur naturam principalis gratiæ.*

4 *Clericatus probatur per famam.*

5 *Valor beneficij probatur per teſtes, deponentes de tempore attingente gratiam.*

6 *Beneficium de iure præſumitur ſimplex, donec non conſtet de contrario.*

7 *Obitus probatur per teſtes de fama, deponentes ad effectum probationis.*

*Teſtes deponentes de fama probant, ad effectum vacationis, ibid.*

8 *Ius patronatus probatur per continuatas præſentationes effectuatas.*

9 *Semiplena probatio ſufficit ad probandam originem ad obtinendum beneficium.*

10 *Gratia non iuſtificata efficit, vt non dicatur vacare beneficium per non iuſtificantem.*

12 *Beneficium ſi vacet per eum, qui gratiam non iuſtificauit, non datur vera vacatio per eum.*

### DECISIO DCCCVI.

VTraque parte informante,Rota primò cenſuit, Alexandr. Gerardinum debuiſſe iuſti- 1.
ficare ſuam gratiam, deinde verò pronuntiauit, eam fuiſſe iuſtificatam, exceptis duobus, paulo pòſt explicandis.Ratio primi fuit,quia licèt articulus verſaretur in ſubrogatione gratioſa de beneficio litigioſo, etiam quoad poſſeſſionem, in quam Gerardus erat immittendus vigore mandati Rotalis relaxati, & conſequenter Alexander ſubrogatus non videretur teneri iuſtificare niſi clericatum,& obitum ſui autoris,* & quòd erat relaxatum mandatum Rotale de immittendo,non autem cætera narrata in gratia,† Puteus *deciſ.*495.*num.*2.*lib.*2.Paleothus *deciſ.*119.Mohedanus *deciſ.*327. ſeu 11. *tit. vt lite pend.* & fuerat deciſum *in cauſa Burgen.de Pancorio*,die 24.Octobris 1588. coram bon.mem. D. Petro Franciſco Giptio; id tamen verum erat in gratia ſubrogationis, principaliter impetratæ, ſecus autem in ea quæ deſumitur ex clauſulis generalibus, iſta
enim quoad iuſtificationem non gaudet aliquo priuilegio; ſed tanquam acceſſoria ſortitur naturam gratiæ principalis, & ideo omnia in eo 2.
narrata ſunt iuſtificanda,quod ſæpe in Rota de- 3.
ciſum fuit, & ſignanter *in vna Bononien.Canonicatus*, die 19. Martij 1590. coram Domino meo Pamphilio, *& in cauſa Gerunden. præſtimonij*, die 13. Februar. 1593. coram Illuſtriſſimo Mantica, tunc Rotæ Auditore.

*adde infrà deciſ. 849. & 986.

† vide infrà deciſ.836.ex qua contrarium videtur deciſum vt ibi notatur num. 9. vide & Lud.deciſ. 32.& 103. & infrà deciſ. 836.& 901.



Ratio ſecundi dicti pendebat ex legitimis probationibus,quas Domino Alexandro affuiſſe dicebant; nam eius clericatus probatur per vnum teſtem,Guidobonus *deciſ.*133.cui accedebat adminiculum geſtationis habitus clericalis probatum per alios teſtes, cùm tamen ſufficeret quod deponerent de fama,* Verallus *deciſ.*277. *num.*6.*&* 8.*part.*1. Rota *deciſ.*13. *de probationibus, in antiq.*

*adde ſuprà dec.690.n.3.

5\. Narratiua valoris de non exceſſu 48. auri in auro de Camera, probatur per quatuor teſtes de viſu,& de publica voce, & fama * teſtificantes, quòd deductis oneribus per decem annos, computato fertili cum ſterili, prouentus beneficij non excedebant communem valorem Ducatorum 65. vel 70. monetæ de Marchia, quòd correſpondebat valori 48. vel 50. Ducatorum auri de Camera in gratia expreſſo, præſertim cùm attingerent tempus gratiæ, Verallus *deciſ.*277. *num.*7.*part.*1. Puteus *deciſ.*29.*lib.*1. quòd benefi-
6\. cium eſſet ſimplex non indigebat iuſtificatione, cùm de iure tale præſumatur, * Ægid.*deciſ.*675. quòd verò per clericos ſeculares regi conſueuerit,probant tres teſtes, Rota *deciſ.*2.*de præbend.in nouis*; Antonium Gerardutium fuiſſe præſentatum à Patronis,exiſtentibus in quaſi poſſeſſione præſentandi, ſufficienter remanebat probatum, ex deciſ.bon.mem. Orani, in hac cauſa facta die 20.Maij 1591.eundem Antonium præſentatum, deceſſiſſe menſe Martio anni 1592.legitimè vide-
7\. batur probatum per duos teſtes, deponentes de publica voce,quod ſufficiebat,* cùm ſimpliciter ageretur de probando obitu; non autem de eo probando in menſe reſeruato.

*adde ſuprà dec.399.n.5. vbi alias deciſ. annotaui,& vide infrà dec. 824. n.2.

*adde ſuprà dec.449.n.2. & infrà dec. 1576.n.4. in fine tom.2.

*adde Rota deciſ. 46. in impreſſ. diu. p.2.n.1.& ſequent. & ſuprà dec.511. n.1.

Quod beneficium adhuc vacabat, ex eo cenſebatur probatum, quòd Rota definierat, R. P. Dominum Antonium Diaz non iuſtificaſſe ſuam gratiam.

8\. Beneficium fuiſſe de iurepatronatus laicorum familiæ de Gerardinis ſatis conſtabat ex prædicta deciſ. bon. mem. Orani, in qua fuerat definitum,non potuiſſe ambigi, quin hoc beneficium eſſet de iurepatronatus familiæ de Gerardinis, ſtante antiqua illorum poſſeſſione, & multiplicatis præſentationibus,* cum inſtitutionibus ſubſecutis, Decius *conſ.*26.*num.*2. Crauetta *conſil.*322.*num.*2.Caſſadorus *deciſ.*6.*num.*1. *de iurepatron.*& corroborabatur ex ſententia Rotali deſuper lata.

*adde ſuprà dec. 34. n.3. & infrà dec. 816. n. 3. & ſequent.

9\. Cæteras habilitates Alexandri narratas,videlicet quòd eſſet oriundus † ex oppido Sancti Ægidij,Firmanæ diœceſis,& de legitimo matrimonio procreatus,ſufficienter probabant teſtes, ex quibus conſurgebat legitima probatio, cùm nihilominus ſemiplena ſufficeret. Rota *deciſ.*14. *de prob. in antiq.* Ægidius *deciſ.*114. Verallus *deciſ.*277.*parte* 1.

† adde ſuprà dec.662.n.3. vbi alias dec. annotaui.

Neque ſupradictis obſtat, quòd vacatio narrata per obitum Antonij Gerardutij, videretur conſumpta per prouiſionem Reuer. P. Domini Diaz.

10\. Quia reſpondetur, quòd cùm eius gratia non fuiſſet iuſtificata, non poterat conſumere vacationem, cùm id quod nullum eſt,nullum operetur effectum.

Præterea non oſtabat, quòd non appareret iuſtificata relaxatio mandati de immittendo, cùm non potuerit ſubſcribi, propter interpoſitam appellationem, quia reſpondebatur, in ſententia Rotali bon.mem. Orani, tale mandatum fuiſſe relaxatum, idque ſufficere ad iuſtificationem huius narratiuæ.

Gratia tamen non videbatur iuſtificata, quoad obitum Nicolai Gerardini anno 1590.

Secundò licèt quoad iuſpatronatus gratia eſſet iuſtificata ex deciſionibus in hac cauſa factis, ex inſtrumentis, & ex dictis teſtium, narratiua tamen quod eſſet ex fundatione, vel dotatione, non videbatur inde probata.

---

## *Bononien. bonorum Emphyteoticorum.*

### Die Lunæ 24. Ianuarij 1600.

### SVMMARIVM.

1 *Tranſportatio integra actorum præſumitur de iure,niſi de contrario doceatur.*

2 *Acta ſunt tranſportanda integraliter de iudice à quo,ad iudicem ad quem.*

3 *Iudex à quo tenetur remittere integraliter ad iudicem ad quem, omnia acta proceſſus, ſi interpoſita ſit appellatio.*

4.5 *Acta quæ non ſunt ad rem,non nocent,ſi in proceſſu de eis non conſtet.*

### DECISIO DCCCVII.

VTraque * parte informante, Rota cenſuit, 1.
conſtare de integra tranſportatione actorum,quæ in dubio integrè facta præſumitur,niſi de contrario doceatur.† Crauetta *conſil.*35.*n.*54. & ita ſæpe Rota iudicauit, & ſignanter *in vna Peruſina Capellæ*,die 7.Iunij 1596. coram Domino meo Litta.

*hæc deciſio habetur impreſſa per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec. 143.

† adde ſuprà dec.603.n.1. vbi alias deciſ.annotaui, quando autẽ nõ præſumatur integra actorũ tranſportatio, vide Dur. dec. 33.n.4. Lud. dec. 59.n.8.

In hac cauſa, informantes pro Dominis de Campegiis, ad ſupradictam præſumptionem euertendam, apponebant de non integra tranſportatione actorum ex eo, quòd coram Guber- 2.
natore Bononien.in iudicio ſpolij intentato per Campegios,contra Ludouiſios, fuerat pro parte Ludouiſiorum aliàs lata quædam ſententia, ad fauorem Epiſcopi Campegij, cum quadam declaratione, facta per eundem Epiſcopum, quòd volebat bona de quibus agebatur pro ſe retinere, & tamen acta in quibus fuerat illa ſententia fundata, nec in illo, nec in hoc iudicio nunc apparebant producta, quod tamen ex diſpoſitione * Concilij Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *§.præterea, de reformatione*, neceſſarium videbatur;cæterùm huic oppoſitioni reſpondebatur,ex prædicta Concilij diſpoſitione, non eſſe ne- 3.
ceſſariam tranſportationem,niſi in cauſis appellationum,ita vt neceſſariò tranſportari debeant acta tantùm facta coram iudice à quo, ad iudicem ad quem fuit appellatum, vt illis viſis pronunciare poſſit, approbando vel reprobando ſententiam latam à iudice à quo, ita enim ſæpe declarauit Congregatio Dominorum Cardinalium ſacri Concilij interpretum, & tenuit Rota in cauſa Conchen. limitum die 17. Iunij 1596. coram D.meo Pamphilio.

*ſuprà dec. 589. n. 7. & dec.619.

Præterea cùm iudicium, quo nunc partes co- 4.
ram me contendebant, eſſet diuerſum ab illo agitato

agitato 1541. ſuper quo fuerant latæ ſententiæ Rotales, quas Domini Ludouiſij non impugnabant, cùm eſſent iuſtæ, ex eo quòd Eccleſia declarauerat, voluiſſe bona pro ſe retinere, & conſequenter non eſſet agendum de illis actis, ideo illa acta non erant tranſportanda, * vel producenda per Ludouiſios.

* adde Dur. dec. 61. n. 5. & 6.

5. Neque obſtabat, quòd in hoc iudicio, Ludouiſij produxerint dictas ſententias, quaſi propterea compellerentur etiam illa acta tranſportare. quia reſpondebatur, id à Ludouiſiis fieri ad probandam * inueſtituram factam Campegiis, non habuiſſe effectum, produxerantque dictas ſententias, non vt illas impugnarent, ſed vt illis tanquam iuribus pro ſe facientibus vterentur; vnde cùm iſte actus tenderet ad alium finem, quàm ad improbandas, vel reuocandas dictas ſententias; propterea non tenebantur Ludouiſij tranſportare, vel producere acta, in quibus fuerant fundatæ.

* adde Lud. deciſ. 535. n. 10. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

## *Maceraten. Hæreditatis.*

### Die Veneris 28. Ianuarij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Ceſſio bonorum, in fauorem tertij facta conditionaliter. ante adimplementum conditionis non eſt exequenda, & n. 5.*
3 *Poſſidens ſi cedat poſſeſſioni, poſſeſſio acquiritur ceſſionario.*
*Sed reperitur apprehenſio, num. 4.*
*Cedenti ab extraneo ſpoliato, competit reintegratio, præſertim in profanis, ibid.*
5 *Poſſeſſio ſolo animo non acquiritur, ſed perditur.*
7 *Remedium ſpolij durat vltra decem annos.*

## DECISIO DCCCVIII.

1. Licèt hic articulus, an Aſcanius vicus facto proprio ceciderit à poſſeſſione bonorum in oppido de Ciuitanoua exiſtentium, quam die 26. Aprilis 1584. Auctore Prætore legitimè acceperat, plenè fuerit diſcuſſus, & tandem deciſus ad fauorem Aſcanij, in deciſione in hac cauſa facta * die 2. menſis Iunij anni proximè præteriti 1599. nihilominus tamen, ex abundanti, vt plenius ſatisfieret ſubtilibus quorundam dubitationibus, iterum fuit propoſitus, & Aſcanio tantùm informante, ad eius fauorem reſolutus; * nam informantes pro hæredibus Capitanei Franciſci, & pro Ferretis, quamuis multum exclamauerint, vt ſuper eo iterum audirentur, quaſdam tamen leues excuſationes obtendentes non informarunt, immo verò neque poſtea acceſſerunt ad capiendas informationes facti, & iuris, pro parte Aſcanij datas, vt eis poſſent reſpondere.

* ſuprà dec. 771.

* hæc reſolutio fuit cōfirmata infrà dec. 812.

2. In hac ergo propoſitione concluſum fuit, Aſcanium facto proprio non cecidiſſe à propria poſſeſſione, quominus ad eam veniret reſtituendus; primò enim non cecidit ab ea, (vt ex aduerſo prætendebatur) ex eo, quòd eam ceſſerat Ferretis, & Bonarellis de Ancona, quoniam ceſſio fuerat conditionalis, videlicet ſalua conuentione facta, & ſaluo credito, referendo ſe ad inſtrumentum ceſſionis, qua conditione non purificata, * ceſſio non potuit operari amiſſionem poſſeſſionis, ſed habetur potiùs pro non facta. *l. ſi quis ita ſtipulatus. ff. de verborum obligationibus.* Decius *conſ. 115. num. 2.*

* adde Seraphin. dec. 796. n. 3.

3. Rurſus non ceciderat ex eo, quòd per ſolam ceſſionem poſſidentis acquiratur poſſeſſio ceſſionario, quia vlteriùs requiritur apprehenſio, *l. cùm hæredes, ff. de acquirenda poſſeſſione.* Afflictus *deciſ. 299. n. 4.* Andreas Gail *lib. 2. pract. obſeruat. obſeruatione 152. num. 4.* vnde cùm nuſquam conſtaret Ferretos, & Bonarellos poſſeſſionem apprehendiſſe, quinimo ex deductis in deciſione in hac cauſa * facta prædicto die ſecundo Iunij apparebat, Aſcanium, & Bicum in ea permanſiſſe vſque ad tempus ſpolij, conſequenter inferebatur, neque ceſſam poſſeſſionem profuiſſe Ferretis, & Bonarellis, neque Aſcanio, & Vico ceſſionem præiudicaſſe, ad effectum, ne illis competeret reſtitutio, cùm exploratum ſit, non amit- 4.
ti poſſeſſionem tertio ceſſam, ſi tertius actu poſſeſſionem non apprehendat, & conſequenter cedenti ab extraneo expoliato competere reintegrationem, præſertim in profanis. Achilles *deciſ. 10. num. 4. de reſtituendis ſpolijs,* Rota *deciſ. 4. de rerum permutatione, in antiq.* Puteus *deciſ. 158. num. 3. lib. 3.* Pontanus *tractatu de ſpolijs, lib. 3. c. 1. num. 72.* Menochius *de retinend. remed. num. 265. & ſequentibus.*

* in d. deciſ. 771.

Præterea non ceciderat Aſcanius à poſſeſſione, ex regula quòd licèt ſolo animo non acquiratur poſſeſſio, ea tamen perditur ſolo animo. 5.
*l. 3. in principio, ff. de acquirenda poſſeſſione. l. cùm vnus, §. finali. ff. de bonis auctor. iudic. poſſiden.* quia Aſcanij animus non fuerit abdicare à ſe captam poſſeſſionem, niſi purificata conditione * appoſita in ceſſione, facta ad fauorem Ferretorum, & Bonarellorum de Ancona. Verallus *deciſ. 235.* incip. *Anſtante deputatione, lib. 1. in manuſcriptis;* vnde cùm ea ceſſio, propter non adimpletam conditionem, non fuerit effectum ſortita, pro infecta haberi debuit, quia reuera ceſſio fuit correſpectiua, ad promiſſionem factam per ceſſionarios, qua non adimpleta, non fuit amiſſa poſſeſſio, & Aſcanio ob non adimplementum competit remedium reintegrandæ. Puteus *deciſ. 15. de reſtit. ſpol. in manuſcriptis,* Alexander *conſ. 90. n. 7. verſ. item non impleuerunt, lib. 5.*

* adde infrà dec. 812. n. 6. & 7. in hac eadem cauſa.

Non adimplementum arguebat factum ceſſionariorum, qui eodem die à conuentione expreſsè receſſerunt, & paulo pòſt, abſolutionem à iuramento petiuerunt. 6.

Denique non cecidit facto proprio ex negligentia, ſeu taciturnitate Aſcanij, per decem annos non petentis reintegrationem, apud Socin. 7.
*in l. rem quæ nobis, num. 8. ff. de acquirenda poſſeſſ.* cuius dictum reprobat Hieronymus Gabriel *conſ. 36. num. 20. lib. 1.* & Menochius *de recuper. remed. 15. num. 97. & 98. vſque ad numerum 101.* notum eſt enim, remedium contra ſpolium maiori tempore durare, * Caſſadorus *deciſ. 5. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Puteus *dec. 115. lib. 1.* Præterea huic obiectioni plures aliæ reſponſiones fuerant datæ in alia deciſione.

* adde ſuprà in d. dec. 771. num. 21. vbi alias dec. annotaui.

Non præiudicauerat Aſcanio poſſeſſionis apprehenſio domus, per Bonarellos, quia ex ea non inferebatur ad poſſeſſionem prædiorum. Iaſon *l. 3. numer. 3. ff. de acquirenda poſſeſſione,* & fuit dictum in deciſione in hac cauſa



cauſa facta die 15. * Decembris anni præteriti.

* ſuprà dec. 801. & in d. deciſ. 771. n. 20.

## *Pampilonen. Abbatiæ.*

### Die Lunæ 31. Ianuarij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Notarij actuarij atteſtatio de integritate actorum facit plenam probationem.*
3 *Aſſertioni partis non creditur.*
4 *Negatiua reſponſio non continet affirmatiuam, in odium reſpondentis.*
5 *Notarius actuarius ſi extrahat proceſſum, non eſt opus alijs ſolemnitatibus.*

## DECISIO DCCCIX.

1. Vtraque * parte informante Rota cenſuit, proceſſum fuiſſe integrum, & legitimè extractum, nam pro integritate concurrebat primò præſumptio, quia proceſſus præſumuntur integri, vt fuit deciſum *in cauſa Veneta illegitimitatis,* † die 2. Maij 1597. coram me, & ſæpe aliàs.

* Habetur hæc dec. impreſſ. per Farin. poſt tō. 2. conſ. dec. 144.
† ſuprà dec. 603. n. 1.

2. Idem ſuadebat atteſtatio Notarij actuarij, * qui extraxerat vigore compulſorialium, & aſſerebat proceſſum integrum, Verallus *deciſ. 339. lib. 1. in manuſcriptis, & deciſ. 245. in fine, part. 2.*

* adde annota. ad dec. 59. Ludouiſ. n. 6. vbi allegat hāc dec.

3. Non probant defectum proceſſus oppoſitiones, coram iudice compulſore factæ à parte, quia de contentis in oppoſitionibus non apparebat, niſi ex eiuſdem partis aſſertione, cui tamen non creditur. *l. omnibus, C. de teſtibus,* Crauetta *conſil. 41. num. 2.*

Non obſtat quòd deficerent petitiones ſuper oculari viſione, & actus delegationis Vicarij generalis, in perſona officialis, quia non probatur huiuſmodi actus fuiſſe factos.

Rurſus non obſtabat, quòd iudex decreuerit, Ioanni dandum tranſumptum huiuſmodi actorum, propriis ipſius expenſis, quia ex hoc decreto non inferebatur, iſtos actus fuiſſe in hac cauſa factos.

4. Præterea non arguebat defectum reſponſio Procuratoris Martini, dicentis nihil deficere de ſubſtantialibus, & pertinentibus ad cauſam, quaſi hinc colligeretur, quædam deficere, non ſubſtantialia, nam præterquam quòd ille eſt communis loquendi vſus, illa reſponſio negatiua non continet affirmatiuam, in odium reſpondentis. Pedemontan. *deciſione 178. numer. 6. & 9.*

5. Eundem verò proceſſum fuiſſe legitimè extractum, conſtabat, quia fuerat habitus à Notario actuario, & propterea in extractione non erant neceſſariæ aliæ ſolemnitates. * Verallus 170. *part. 1.*

* adde Lud. dec. 38. n. 1. & deciſ. 454. n. 1. Rot. rec. p. 2. dec. 50. n. 1. & deciſ. 679. n. 2.

## *Tiburtina Caſtri Arſularum.*

### Die Lunæ 31. Ianuarij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Teſti deponenti inueriſimilia non creditur.*
4.5 *Teſti ſeſe contrarianti non creditur.*
6 *Teſtes deponentes de valore pretij vt concludant, debent deponere de communi pretio.*

## DECISIO DCCCX.

In hac cauſa die 12. Februarij 1596. fuerat deciſum, per teſtes Domini Lepidi Zambeccarij probari valorem frumenti tempore venditionis caſtri Arſularum, anno videlicet 1574. aſcendiſſe ad Iulios 36. pro ſingulo rublo, deinde dato dubio ſuper valore probato per teſtes; Domini Fabritij de Maximis, circumſcriptis eorum exceptionibus fuit dictum, valorem prædicti temporis fuiſſe Iuliorum 24. Cæterùm quia prædicti teſtes Domini Fabritij non probabant valorem aliquot annorum præcedentium, & ſequentium poſt annum 1574. ideo die 26. Iunij 1598. * fuit deciſum, valorem fuiſſe conſiderandum reſpectu aliquot annorum præcedentium, & ſubſequentium, & propterea Dominus Fabritius induxit alios teſtes ad probandum, quòd aliquot annis præcedentibus, & ſequentibus, valor frumenti fuerat 24. Iuliorum; ideoque dato dubio, quem valorem frumenti teſtes Romani Fabritij probarent, Rota reſpondit, iſtos teſtes non probare aliquem valorem. 1.

* ſuprà dec. 796. ferè per totam.

Nam primus teſtis iuxta 13. interrogatorium affirmabat, frumentum in Caſtro Arſularum, & locis circumuicinis anno 1573. & 1574. & 1575. & 1576. & 1577. ſemper communiter fuiſſe emptum, & venditum communi pretio Iuliorum 24. pro ſingulo rublo, & tamen paulo antea dixerat cum aliis teſtibus, pretium frumenti, & aliarum rerum mobilium ſolere ſingulis annis augeri, & minui. 2.

Idem iuxta 15. audacter teſtabatur, *che non e valuto piu di detto prezzo, & non poue eſſerere altrimente;* & conſequenter tanquam deponens inueriſimilia, non merebatur fidem. Felinus *in cap. quia veriſimile, num. 4. verſiculo & hinc eſt, de præſumptionibus.* Marſilius *conſ. 31. num. 27.* & teſti inueriſimilia * deponenti, Rota non ſolet adhibere fidem, vt in illa Anconitana reſciſſionis contractus coram Illuſtriſſimo Blanchetto, tunc Rotæ Auditore die 9. Maij 1588. & augebatur ſuſpicio contra teſtem, quia interrogatus de annis proximè præcedentibus, nempe 1570. 1571. 1572. dixerat, ſe non recordari, nec de annis 1578. & 1579. valde enim inueriſimile erat, ipſum recordari de antiquioribus annis, non autem de recentioribus. 3.

* adde ſuprà deciſ. 521. n. 13. & deciſ. 581. n. 10. & dec. 32. n. 7. Ludouiſ. dec. 414. n. 4. & dec. 510. n. 4. Seraph. dec. 230. n. 1.

Secundo teſti, tum quia contraria † deponere videbatur, non fuit data fides, nam iuxta 11. affirmabat, quòd non erat ſolitus emere, vel vendere frumentum, & iuxta 14. aſſeruerat, ſcire de dicto valore, *perche eſſo teſtimonio l'ha venduto, al medemo prezzo in quelli anni, cap. cùm tu, de teſtibus,* vbi gloſſa *in verb. benignè;* tum quia licèt dixerat, 4.

† adde Mār. dec. 130. n. 5. Rot. in vna Romana Caſalis 19. Iunij 1595. coram Litta impreſſa per Farin. poſt tom. 2. cōſ. dec. 100. n. 13. & aliàs ſæpe.

xerat, *che ſa il prezzo comun del ann.*1573. *nel Caſtillo D. Arſuli*, tamen non deponebat de communi valore in dicto loco, videlicet, quòd ita communiter venderetur, & emeretur ab aliis, nam teſtis ſolùm dicebat, à factore Domini caſtri Arſularum vidiſſe vendi, gloſſa *in l.2.in verb. Iudicio, circa finem, verſ. dic ergo inſpici.* vbi Panthaleon de Crema *num.*338. *verſ. item quanti poteſt vendi.C.de reſcind.vend.*& Pinellus *par.*3.*cap. finali,num.*17.& Natta *conſ.*332.*num.*2. poſt Doctores *in l.pretia rerum.ff.ad l.Falcid.*

5. Eodem defectu laborabat tertius teſtis, qui nihil deponebat de communi pretio, vel quòd ita communiter venderetur; præterea ex ſerie depoſitionis ipſius apparebat, ipſum neſciuiſſe, quid deponeret, ſed memoriter ſolum didiciſſe, quod anno 1574. & quatuor ſequentibus, pretium grani fuerat Iuliorum 24. interrogatus enim deinde,quid valeret anno 1576.& 1577.& 1578. affirmauit,ſe non recordari de milleſimis, & quòd ſolum recordabatur de anno 1574. quia vetula quædam id ſibi ſignificauerat; erat præterea ſibi contrarius, vt bene oſtendebatur per informantes.

Quartus teſtis aliorum dicta deſtruebat, cùm deponeret, quòd poſt annum 1574. ſemper pretium creuerat, & anno 1576. deponebat de ſcutis 3. tempore meſſis.

6. Sextus non probabat commune pretium in caſtro Arſularum, in tribus anni ante, & tribus poſt annum 1574.nam licèt deponeret de cauſa ſcientiæ, *por hauerlo comprato,& venduto*, non tamen dicebat quòd ita communiter emeretur, * & venderetur ab aliis, vltra quòd idem teſtis ex aliorum dictis videbatur reddi ſatis ſuſpectus; & eo etiam nomine non videbatur probare pro producẽte, quia deponebat pretium frumenti per tres annos, ante Annum ſanctum valuiſſe Iulios 24.& in ipſo Anno ſancto,& poſt Annum ſanctum, per annos quinque valuiſſe Iulios 30. & conſequenter non concludebat pro D. Fabritio, cùm quoad valorem ante Annum ſanctum neſciret explicare, qui eſſent illi anni, aſſerendo ſe neſcire computum milleſimi, Baldus *tract. de teſtibus,part.*3.*n.*4.

* adde ſuprà deciſ.592. n. 11.& Duran. dec.346.n.7. &ſeq.

Septimus teſtis cùm non deponeret de communi valore, nec diſtinctam, aut concludentem rationem afferret, ſed in confuſo loqueretur, quandoque de 24. quandoque de 28. & de 30. non probabat.

Atque ex his fuit concluſum, per iſtos teſtes non probari valorem, quos omnes, ſeries depoſitionis ipſorum arguebat inconſtantes, incertos, & ſibi contrarios, & de re ipſis ignota teſtificari conantes.

---

## *Romana pecuniaria extra Rotam.*

### Die Lunæ 21. Februarij 1600.

SVMMARIVM.

5 *Creditoris confeſſio de reſiduo debiti, ſatisfactionem inducit de alijs quantitatibus, ei debitis.*

*Mercatores cauti nunquam debent apponere in ſuis libris verbum*, pro reſto, *niſi quando facta fuit ſolutio de toto, n.*7.

*Dictio*, omnis, *eſt comprehenſura totius rei, & excluſiua nullius, n.*10.

6 *Quietantia de eo omni quod debetur,comprehendit etiam debitum ex teſtamento paterno,quod requirit ſpecialem mentionem.*

8 *Inſtrumentum facit probationem probatam.*

9 *Coniecturis non eſt locus contra publicum inſtrumentum.*

14 *Confeſſio de aliqua ſumma quando eſt perfecta, & abſoluta, licèt ſubdat, prout in conſtitutione, non dicitur relatiua, ſed ex ea poteſt ſequi condemnatio.*

15 *Generalis clauſula, & refutatio reſtringitur ad ſpecialem conditionem præcedentem.*

## DECISIO DCCCXI.

PRætendebat Alexander Raynerius, filius, & hæres Andreæ Raynerij, quondam Lugduni mercaturam exercentis, ſibi deberi magnam pecuniarum ſummam ab Illuſtriſſ. Domino Paulo Æmilio Vrſino bon. mem. Iordanis, & Valerij Vrſini ſucceſſore, ex eo quòd Andreas Raynerius, Iordano Vrſino in Gallia agenti multas pecunias pro vſibus ſuis tradidiſſet, & ad ſuam intentionem fundandam Alexander commemorabet tres crediti ſpecies cum prædicto Iordano, vnam lib. 8475. quam Andreas ſoluerat Nectolis,& Anciſis mercatoribus,qui eam ſummam Iordano numerauerant ſub fideiuſſione Andreæ Raynerij, de quo extabat inſtrumentum publicum. Alteram lib.20. m. gratis eidem Iordano mutuatatum,tertiam lib.18.m. quæ retinebantur ſuper cambiis, & ſolui debebant ab Archiepiſcopo Vrſino Iordanis fratre, addebatque quòd cùm Andreas pater ſuus,pro cautione prædictorum creditorum habuiſſet quædam mandamenta Regia crediti, *del gran partito*, æquantia, aut excedentia vniuerſam ſummam; vel forſan maiorem, veriſimile erat, eum prius voluiſſe procurare exactionem lib.18.m.pro quibus non habebat obligationem Cameralem, & quam ipſe ab aliis mercatoribus ad cambium acceperat, quàm aliarum pro quibus non patiebatur tam notabile intereſſe. 1.

Et cùm hæc cauſa die 7. Iunij proximè præteriti propoſita coram bon. mem. Orano fuiſſet reſtricta ad partitam ſolutam per Andream Nectolis,& Anciſis,an ea eſſet comprehenſa in litteris miſſiuis Iordano Vrſino die 20. Auguſti 1564. & in aliis litteris directis Archiepiſcopo Vrſino die 18.Decembris 1565.vità functo Orano;propoſita à me cauſa die 10.Decembris 1599. & die 24. Ianuarij 1600. & tunc propter diuerſas difficultates reſolutione non capta, tandem 21. Februarij cauſa iterum propoſita concluſum fuit,partitam, de qua in dubio,comprehenſam fuiſſe ſub prædictis litteris, eo tamen addito,vt videretur de recognitione litterarum,& an Raynerio præiudicarent. 2. 3.

Ratio potiſſima fuit, quoniam in prædictis litteris aderant verba valde ampla, & latè patentia,apta comprehendere omne genus crediti, & debiti,ibi, *Io mando à V.S.le ſue partite,in queſta parte, quali vedra, che per ogni reſto ſie ancor deuitrice do* 2041. & rurſus in aliis litteris ad Archie- 4.



piſcopum Vrſinum, *Prego la per tanto,eſſer contenta ſe impreghar ſi accio, io ſia vmborſato, di quanto reſto creditore,che ſono* 2131.

5. Illa enim verba, *per ogni reſto*, ſignificant ſatisfactionem * de cæteris quantitatibus, gloſſa *in l.ſi ex pluribus,in verb.reliqui*, vbi Imola *num.*2. *in fine,ff.de ſolution.* Paulus de Caſtro *in l.*2.*prope finem,num.*3.*verſ. videtur quòd ſic, C.de hæred.inſt.* vbi eleganter & verè affirmat, cautos mercatores, nunquam velle apponere in ſuis libris, ſeu ſcripturis, illud verbum, *pro reſto*, niſi quando fuiſſet facta ſolutio de toto. Iaſon *in l.ſi quidem, circa finem, num.*4. *verſ. limita niſi creditor, C. de tranſactionibus*, Berous *conſil.*192.*num.*8.*&* 9.*verſic.ergo perinde, lib.*1. & tenuit Rota *in vna Spoletana bonorum*, die 30.Ianuarij 1584. coram bon. mem. Bubalo, & iterum *in vna Romana reſidui dotis* 18.Februarij 1584.coram Illuſtriſſimo Arigonio,tunc Rotæ Auditore,& ſæpe aliàs, ſtante

* adde Seraphin. dec. 617.n.13. & deciſ. 1130. n.3. Rotã in Regien.penſionis 26.Iunij 1598.coram Orano impreſſa per Marcheſ. de commiſſ.p.1. pag.563.n.3.

6. maximè illa dictione vniuerſali, *ogni*, comprehenſoria * totius, & nullius excluſiua, Decius *in l.omnia,num.*2.*verſ.omne,de pluribus,ff.ſi certum petatur*, ibidem *conſilio* 30. *num.*4. *verſ. quia quæ omne*,& in terminis quietantiæ de omni,eo quod debetur,vt comprehendat etiam debitum ex teſtamento paterno,quod requirit ſpecialem mentionem, reſpondit Rota coram bon. mem. Oradino *in cauſa Aretina, ſeu Romana ceſſionis bonorum*, die 16.Martij 1571.

* adde Seraphin. dec. 205.n.2.

7. Supradictis accedebat,quia in mercatore prouido, & diligenti, hæc arguebant finale reſiduum; præſertim cùm inueriſimile videretur, Andream mercatorem adeò ſolicitum de recuperandis 2131. nihil fuiſſe dicturum de ſcutis ferè 2000. ſolutis Nectolis, & Anciſis, maximè cùm iam tunc Iordano mortuo, tempus exposceret,vt omnia computa ſolidarentur,& negotium terminaretur, ex quo facto deſumebatur etiam præcipuè coniectura, ad arguendam omnimodam omnium creditorum comprehenſionem, & ſolutionem, Afflictus *deciſ.*13. *num.*2. *verſ.ſi ergo ſibi ipſi*, Socinus *conſ.*89. *num.*5. *verſ. item adſunt lib.*3. Calcaneus *conſ.* 23. *num.*5. *verſ. ita dicamus*, Pariſius *conſil.* 137. *num.* 12. *&* 13. *lib.*4.

8. Neque ſupradictis obſtabant multa, quæ per informantes pro Alexandro Raynerio proponebantur, ad excludendam prædictam comprehenſionem, & in primis illud, quòd creditum Raynarij erat liquidum, cùm de eo conſtaret per publicum ſolutionis à ſe factæ inſtrumentum,quod facit probationem * probatam, Alexand. *conſ.*37. *num.*16. *in principio, lib.*2. Gratus *conſil.*122.*num.*7.*lib.*2.Decianus *conſil.*66.*num.*59. *lib.* 3. ex oppoſito autem de ſolutione non docebatur, niſi per coniecturas, quibus non erat locus aduerſus publicum inſtrumentum.

* adde ſuprà dec.667.n.2. & deciſ.771. n.3. & deciſ. 780. n. 3. & infrà 839. n. 7.&dec.877. n. 3. & aliàs ſæpe.

Quia reſpondebatur, immo potiùs conſtare de clara ſolutione, ex confeſſione † eiuſdem

9. mercatoris, ibi, *per ogni reſto*, quam propterea

10. ſuadebant coniecturæ, vnde patebat Vrſinos non niti ſolis coniecturis, ad excludendum publicum inſtrumentum.

† adde ſuprà dec.514.n.2.

Præterea ad aliam oppoſitionem,quòd vnum creditum teneretur ad cambium, aliud verò eſſet gratuitum, quale erat iſtud ſolutum Nectolis, & Anciſis, & in prædictis litteris ſolùm agi de decreto, quod tenebatur ſuper cambiis, & conſequenter in eis non fuiſſe comprehenſam hanc partitam, Nectolis ſolutam, reſpondebatur, quòd licèt admitteretur prædicta diſtinctio creditorum,pro parte tamen Raynerij non probabatur concludenter, quòd quædam tenerentur ſuper cambiis; alia verò non cambiarentur, quinimo ex communi vſu mercatorum videbatur argui contrarium, cùm ſoleant ad cambium accipere pecunias à debitoribus, debito tempore non ſolutas, quod licèt de iure facere non poſſint, de facto tamen ita facere conſueuerunt.

Rurſus non obſtabat, quòd licèt lib.5720. ex ſupradictis lib. 8475. fuiſſent ſolutæ per Andream, anno 1562. nihilominus non fuerat de illis reportata quietantia, niſi anno 1565. & cùm promiſſio releuationis Iordani. eſſet pro ſumma,quam Andreas ſoluiſſet, neceſſe erat illi priùs de certa ſolutione docere, antequam petere potuiſſet, & cùm Andreas non niſi per ſex menſes, poſt datam litterarum quietantiam reportaſſet, conſequenter videbatur inferri, prædictam ſummam non fuiſſe in dictis litteris comprehenſam. 11.

Quia cùm partita ſoluta Nectolis fuiſſet anno 1562. de lib. ſcilicet 5475. & in inſtrumento releuationis Iordani non caueretur, quòd probatio ſolutionis deberet fieri per publicum inſtrumentum, reſpondebatur, aliunde potuiſſe de ſolutione conſtare, nempe vel ex libris mercatorum, quibus fuerat facta ſolutio, vel aliunde, Andream autem Raynerium inſtrumentum quietantiæ procuraſſe, vel pro maiori eius cautela, contra Nectolos, & Anciſos non contentus, ſola annotatione facta in eorum libris, vel ad effectum, vt ſi iterum fuiſſet ineunda ratio computorum cum hæredibus Iordani, prædictam ſolutionem per publicum inſtrumentum faciliùs probare potuiſſet. 12.

Ad aliam oppoſitionem,quòd cùm ſimul cum litteris ſcriptis anno 1564. tranſmiſſæ fuerint partitæ, ibi, *Io mando à V. Exc. le ſue partite in queſta*, non fuerit ſatisfactum, exhibendo ſolas litteras, cum ſimul partitæ debuiſſent exhiberi. 13.

Reſpondebatur, quòd cùm ſumma contenta in partitis eſſet certa, & reſiduum debiti etiam certum,ibi,*per ogni reſto mi e anchora debitore di ſcuti* 2041. non erat neceſſaria exhibitio partitarum, Mohedanus *deciſ.*1. *de confeſſ.* vbi Rota cenſuit, quòd quando confeſſio de aliqua ſumma eſt perfecta,& abſoluta, licèt ſubdat, prout in conſtitutione, non dicitur relatiua, ſed ex ea poteſt ſequi condemnatio, idem rurſus tenuit Rota *in cauſa Eſina reſtitutionis dotis*, die 20. Decembris 1593.coram D.meo Millino. 14.

Ad conſil. Nattæ 546. *num.* 11. reſpondebatur,illud eſſe verum in caſu de quo ibi agebatur, vbi aderat debitor in decem ex cauſa mutui, & debitor ex alia cauſa in 20. nam tunc pactum factum cum debitore, de non petendo decem, & generaliter de omni,& toto eo,quod peti poterat, non tollit obligationem de petendis 20. quia generalis clauſula, & refutatio reſtringebatur ad ſpecialem conditionem præcedentem, de non petendis decem, quæ doctrina vix poterat huic themati applicari, in quo non præceſſerat aliqua ſpecialis pactio,ſeu ſatisfactio,& verba litterarum *per ogni reſto*, penitus excludebant iſtam interpretationem. 15.

Denique non obſtabat fides Garroni, & Stephani

16. phani Roſi, atteſtantium de faſciculo litterarum,& ſcripturarum ſuper computis bon. mem. Iordani Vrſini,ad effectum,vt Illuſtriſſimus Dominus Paulus Æmilius eas exhibere teneretur, ex quo non videbatur veriſimile, ſolas duas epiſtolas,(in dubio præſuppoſitas)extitiſſe, cæteras autem euanuiſſe.

Quia dicebatur, quòd licèt veriſimile fuiſſet extitiſſe penes bon. mem. Valerium Vrſinum, non autem ſic penes D. Paulum Æmilium, tertium, vel quartum ſucceſſorem, & denique id genus probationis ad fundandam intentionem Raynerij ſatis fuiſſe vagum,& incertum,& propterea concluſum, partitam ſolutam Nectolis, & Anciſis ſupradictis litteris fuiſſe comprehenſam.

## *Maceraten. Hæreditatis.*

### Die Mercurij 23. Februarij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Actus reciprocus non ſequuto effectu ex vna parte,non poteſt ſubſiſtere.*

2 *Poſſeſſio non amittitur vſque ad tempus ſpolij.*

4 *Poſſeſſio ſolo animo amittitur, etiamſi alteri non quæratur.*

*quod limita vt num.5.*

*Ceſſio ſi fiat conditionaliter, non amittitur poſſeſſio, donec adimpleatur conditio, & num.3.*

8 Conſtituti *clauſula in contractu poſita, ſi ſit acceſſoria,debet ſequi naturam contractus principalis.*

9 *Clauſula* conſtituti, *in contractu poſita, ſi ſit acceſſoria,ſequi debet naturam contractus principalis.*

*ſuprà dec. 808.

## DECISIO DCCCXII.

1\. Die 28. Ianuarij * proximè præteriti, Aſcanio Vico tantùm informante fuerat deciſum, ipſum facto proprio non cecidiſſe à poſſeſſione bonorum,quam acceperat,nunc ad inſtantiam Dominorum de Ferretis cauſa iterum propoſita,ac ipſis,& hæredibus Capitanei Franciſci Vici informantibus, Rota perſtitit in deciſis, † ex eiſdem rationibus in deciſione formatis, tum quia ceſſio ad fauorem Ferretorum non habuit effectum,tum quia ab eo receſſerunt Ferreti, & receſſum acceptauit Aſcanius, tum quia concordia fuit conditionalis, & correſpectiua, ibi, *& all' in contro*,& non ſequuto adimplemento, non potuit Aſcanio nocere ceſſio, Verallus *deciſ.*235*.num.*1*.part.*1. Crauetta *conſ.*153*.num.*8. *verſ. qui actus, & conſ.* 298. *num.* 13. *in principio*, nam notum eſt in correſpectiuis, vno ſublato, * aliud tolli. Crauetta *conſ.*179*. num.*13*. & conſil.*230*.num.*1.

† hæc reſolutio, & ſuprà in d. dec. 808. fuit reuocata in hac eadem cauſa 1.Iulij 1605.coram Iuſto,non ex motiuis allatis, ſed ex eo, quia non fuerũt citati Ferreti, qui erant in cauſa,licèt eſſẽt citati alij, litis cõſortes; nam omnes prætendebãt venire ex eodem fideicõmiſſo, & ex eo reputabatur eadẽ cauſa defenſionis, de quo videndus eſt Caualer.dec. 396.n.2. vbi allegat hanc deciſ. & de materia dictæ citationis quando plures ſunt in cauſa, annotaui ſuprà ad dec. 591. n.4.

*adde ſuprà dec.348.n.3. vbi annotaui alias dec.

2\. Neque obſtabat Aſcanio, quòd cùm ceſſerit poſſeſſionem Ferretis, eam amiſerat, & conſequenter non competebat ſibi remedium reintegrandæ, quia placuit reſponſio in deciſione data; † nam cùm Ferreti ceſſionarij non apprehenderint poſſeſſionem ceſſam, immo Aſcanius in ea permanſerit vſque ad tempus ſpolij,non amiſerat poſſeſſionem,Verallus *deciſ.*2*. lib.*1*. in manuſcriptis*, Achilles *deciſ.* 10*. num.*4*. de reſt.ſpol.* Puteus *deciſ.*158*.num.*3*.verſic. & ideo,lib.*3. Guidobonus *deciſ.*59.incip.*Vnus reſignauerat*, & fuit reſolutum *in cauſa Militen. beneficiorum Sancti Fantini*,* die 26.Iunij 1587.coram Domino meo Seraphino, *& in Abulen. & Zamoren. beneficiorum*,coram me † die 17.Iunij 1594.

† in d.deciſ. 808.n.3.&4.

* habetur in impreſſis Seraphini dec. 796.

† ſuprà dec. 388. n.7. & ſeq. vbi annotaui alias dec.

Neque obſtabat quòd iſta viderentur procedere in reſignatione, aut ceſſione iuris, non autem in ceſſione poſſeſſionis, quia reſpondebatur, etiam habere locum in ceſſione poſſeſſionis,vt patebat ex deciſionibus Rotalibus. 3.

Rurſus non obſtabat,quòd ſolo animo amittatur * poſſeſſio,*l.*3*.§.quod ſi,ff.de acquirenda poſſeſſione*, quia reſpondebatur, quòd licèt vera ſit concluſio, quòd quando quis intendit animo amittere poſſeſſionem, & in alium transferre, tunc ſolo animo amittitur, etiamſi alteri non quæratur, iuxta quam procedit dictum Bartoli *in l.quod meo, num.*2*. verſ. ſecus ſi ſpontanea voluntate tradat.ff.de acquirenda poſſeſſ.* & firmauit Rota apud Verallum *deciſ.*235. incip. *An ſtante deputatione, lib.*1*.in manuſcriptis, verſ.tertia concluſio fuit*; nihilominus tamen, ſi ſolùm quis intendit amittere donec in aliam transferat, tunc ſolo animo non amittitur poſſeſſio,vt formauit Rota apud Verallum *in prædicta deciſione*. 4. 5.

* Dur.deciſ. 132 n. 5. & dec.141.n.12. & deciſ.158. n.12. Caual. dec.390.n.6. & aliàs ſæpe.

In caſu propoſito Aſcanius licèt ceſſerit, non videbatur habuiſſe animum * amittendi, nec in alium transferendi,tum quia in ceſſione expreſsè cauet,ne præiudicaretur fideicommiſſo,quandocumque purificando, tum quia voluit ſibi præſtari promiſſa,& conſequenter, cùm per ceſſionem non amiſerit poſſeſſionem, ſibi competebat reſtitutio, quia nullo alio modo intelligitur facta ceſſio, quàm ſub conditione, ſi ceſſionarius adimpleuerit pro parte ſua,ita Alexander *in terminis, cap. redintegranda* 3*. q.*1*. conſ.*90*.n.*7*. verſ.item non impleuerat, lib.*5. aliàs *conſ.*33*. lib.*6*.* vnde cùm in caſu propoſito Ferreti nedum non adimpleuerint promiſſa Aſcanio cedenti, ſed, quod amplius eſt, à ceſſione receſſerint, nec bonorum ceſſorum poſſeſſionem aſſequuti fuerint, nec ipſi poterant prætendere poſſeſſionem, nec Aſcanij reſtitutionem impedire. Verallus *deciſ.* 349.incip.*In poſſeſſionem,part.*2. 6.

* & vt amittatur poſſeſſio,probãdus eſt animus verus, vel fictus illam amittendi,vt fuit dictum ſuprà deciſ. 118.n.9.

Et ex prædictis ferè tollebantur omnia deducta pro Ferretis, & in primis illud, quòd ceſſio eſſet ſimplex, quia immo erat conditionalis, & ſatis videbatur mirabilis prætenſio Ferretorum, prætendentium poſſeſſionem ex actu per ipſos reſoluto, & inobſeruato, ad Puteum *deciſ.*291*. num.*6*.verſ.quia ex actu,& deciſ.*343*. num.*3*. verſ. non tamen,lib.*3. 7.

Non obſtabat Aſcanio prætenſa negligentia decem annorum, ex doctrina Socini *in l. denique nobis, numer.* 8*. &* 9*.ff. de acquirenda poſſeſſione.*

Quia illa doctrina eſt reprobata. Gratus *conſil.*70*. num.*18*. lib.*2. Gabriel *conſil.* 36*. num.* 20*. verſic.ex quibus puto,lib.*1. & ſimilem opinionem vocat erroneam Curtius iun. *in l.*1*.C.de ſeruis fugitiuis,num.*27.

Ad clauſulam *Conſtituti*, quia nitebantur informantes pro Ferretis,ad perſuadendum, quòd licèt Aſcanius poſt ceſſionem retinuerit poſſeſſionem, illa tamen intelligebatur ad fauorem Ferretorum,quorum nomine Aſcanius in inſtrumento 8.



mento ceſſionis conſtituerat ſe poſſidere, reſpondebatur, illam tanquam acceſſionem * ad ceſſionem,nihil operari cùm induat conditiones contractus principalis, & propterea ſi contractus non ſubſiſtat, (vt in caſu propoſito) non ſubſiſtebat ceſſio, nec clauſula *conſtituti* acceſſoria aliquid poterat operari,Crauetta qui alios allegat *conſ.* 299*. num.*3. iſta enim clauſula non auget principalem conuentionem. Tiraquellus *tractatu de iure conſtitut. limitatione* 8*. numer.* 1*.* 2*.&* 3.

* adde Rot. diu.p.1. dec. 549.n.5.Duran.dec.134. n. 2. & fuit dictũ in vna retractus Palatij 19.Nouembr.1604. coram Pamphil.impreſſa per Marcheſ. de cõmiſſ.p.1.pag. 1095.n.6.

Ad deciſionem R.P.D. mei Pamphilij in hac cauſa factam, die 15. Decembris 1595. dicebatur, in ea non firmari, quòd Ferretis fuerit acquiſita poſſeſſio.

## *Abulen. Beneficiorum.*

### Die Lunæ 28. Februarij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Menſis Martius non eſt de reſeruatis.*

3 *Mors probatur ex teſtibus, aſſerentibus ſe vidiſſe actus accidentalis mortis.*

4 *Teſtis domeſticus deponens de morte ſui domini probat menſem, & annum, quo mortuus fuit.*

*Mors probatur per teſtem,aſſerentem ſe vidiſſe illum mortuum, ibid.& n.*1.

5 *Capitulum ſede vacante ſuccedit in iuriſdictione, per obitum Epiſcopi.*

## DECISIO DCCCXIII.

1\. Die 26. Nouembris proximè præteriti 1599. * fuerat deciſum contra Dominum Ferdinandum de Foces, eius gratiam non fuiſſe iuſtificatam, ad effectum probandi reſeruationem duorum beneficiorum diœceſis.Abulen.de Cantiberos,& Ontiberos,quia non fuerat ſufficienter probatus obitus Ioannis Lopez de Soto in menſe Martio anni 1596.nec vacatio Sedis Epiſcopalis Abulen.per obitum D.Hieronymi Manrique,Epiſcopi Abul. in eodem menſe, quamuis enim reſeruatio non reſultaret ex obitu Ioannis in menſe Martio, cùm is menſis non ſit de reſeruatis,reſultabat tamen ex eo, quòd in prædicto menſe Sedes Epiſcopalis vacaret,vt ex regula 1. Cancellariæ, ideoque erat concludenter probanda,cùm ageretur de tempore ſeruato, vt in prædicta deciſione * deductum fuerat.

* ſuprà dec. 794.

* ſuprà in d. dec.794.n.1. & 2.

2\. Cauſa ergo iterum propoſita,concluſum fuit, probari obitum Ioannis, & Sedis Epiſcopalis vacationem in prædicto menſe ex dicto ſexti & ſeptimi teſtis † ſuper 6. articulo, nam ſextus teſtis dicebat, ſcire ſe obitum Ioannis in dicto menſe in ciuitate Toletana, quia Ioannes fuerat amicus ſuus, & ab eo in teſtamento executor teſtamentarius nominatus, fueratque collega eiuſdem Collegij, addebatque idem teſtis, ſe poſt obitum Ioannis iuiſſe ad ciuitatem Toletanam, vbi inuenerat ipſum deceſſiſſe in prædicto menſe, & tanquam executorem teſtamentarium illius vltimam voluntatem executum fuiſſe, eiuſque bona vendidiſſe, inueniſſe præterea agnatos, veſtibus lugubribus indutos.

† adde Mantic. dec.338. n.1.& 2.



Idem deponebat ſeptimus teſtis, & aſſignabat rationem, quia Ioannes fuerat amicus ſuus, & Collegialis, & Doctor Vniuerſitatis de Alcala de Enares, vbi ſimul dederant operam litteris; hæc enim probatio obitus incerto menſe concludens, & certa viſa fuit, præſertim ſtante ſupradicta ratione dicti, quæ à teſtibus reddebatur. Bartolus *in l.* 2*. §. ſi dubitetur, num.* 1*.* 2*. &* 3*. ff. quemadmodum teſtament. aper.* à communiter enim accidentibus, ex talibus actibus, qui aſſeruntur ſubſequuti poſt mortem alicuius, probatur illius mors. Alexander *in l.* 1*. numer.*18*.verſ.quia quando agitur.ff.ſi certum petatur*, & Purpuratus *in l.bene eſt, num* 97*.ff. eod.tit.* Bartolus *in l. qui duos num.* 12*. verſ. & fortè ſi eſſet, ff.de rebus dubijs*, Crauetta *conſil.*127*. numer.* 17*. in fine.* 3.

Supradictis accedebat, quia prædicti duo teſtes deponebant de publica voce & fama, per verbum *fuit*, & *eſt*, ita vt circa obitum Ioannis certa,& concludens reſultaret probatio.

Quòd verò in eodem menſe Martij, in quo Ioannes obierat,Sedes Epiſcopalis vacaret, probabatur per primum teſtem ſuper eodem 6. articulo affirmantem, ſe vidiſſe Don Hieronymum mori * in prædicto menſe, quia fuerat eiuſdem Epiſcopi familiaris, & morabatur in eius domo tempore mortis, Bartolus *in dicta lege* 2*. §. ſi dubitetur, numer.* 2*. verſic. quia probatur per eos, qui viderunt eum mortuum, ff. quemadmodum teſtamenta aperiantur*, Fulgoſius *in l. ait Prætor. §. hæc verba, numer.* 1*. ff. de negotijs geſtis.* 4.

* adde infrà dec.816.n.2. & deciſ.939. n.1.Rot.rec. p.1.dec.101. n.5.Lud.dec. 37.n.4. Dur. dec.38.n.2.

Huic teſti accedebat octauus, † qui ſuper eodem ſexto articulo aſſerebat, in prædicto menſe Martij Sedem Epiſcopalem Abulen.per obitum D.Hieronymi Manrique fuiſſe vacantem, qui viderat iuriſdictionem Epiſcopalem exerceri per Vicarium à Capitulo conſtitutum,quod per obitum Epiſcopi in iuriſdictione ſuccedit, * gloſſa *in Clementina* 1*.de hæret.* 5.

† adde Seraphin. dec. 1199.n.1.

* adde ſuprà deciſ.128. n. 22. & deciſ. 699.n.3.

Iſtorum duorum teſtium probationem roborabat quartus teſtis, qui ſuper eodem ſexto articulo deponebat, eo menſe, Sedem Epiſcopalem Abulen. vacauiſſe per obitum dicti D. Hieronymi,quia teſtis qui erat Procurator negotiorum officij Sanctæ Inquiſitionis Hiſpaniæ, & Hieronymus fuerat Generalis Inquiſitor in Regnis Hiſpaniarum, per litteras ſibi ab Hiſpania miſſas,de eiuſdem Epiſcopi obitu fuerat certior redditus,Aufrerius *ad Capel. Toloſ. deciſ.*313*.n.*3*. verſ.vel per lapſum*,Bartolus *in l.ſiquidem,n.*2*.circa finem,C.ſolut.matrim.* 6.

## *Gerunden. Vini.*

### Die Veneris 3. Martij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Collatio Capituli in titulum beneficij non mutat antiquum dominium.*

2 *Capituli collatio de aliquo titulo beneficij non mutat antiquam obligationem.*

3 *Præſentatus in collatione beneficij videtur, renuntiare ſuo iuri.*

4 *Renuntiare videtur iuri ſuo in collatione beneficij,qui eſt præſens & tacet.*

4 *Dominium, & ius reſpectu tituli, non poteſt eſſe penes plures, reſpectu verò bonorum poteſt.*

5 *Vacationis enunciatiua in beneficio facit præſumptionem tituli Eccleſiaſtici.*

6 *Vacatio dicitur, non ſolùm in beneficialibus, ſed in alia quacumque ſpecie, ſecundùm ſubiectam materiam.*

7 *Beneficij Eccleſiaſtici eſſentia conſiſtit in perpetuitate.*

8 *Clauſula*, ſaluo iure, & dominio directo, *non tribuit ius, ſed præſeruat.*

## DECISIO DCCCXIV.

1. PRætendebant * Præpoſiti Eccleſiæ Gerund.
recedendum à deciſione contra ipſos facta
die 5. Maij 1599. † in qua Rota cenſuerat, conſta-
re de dominio Eccleſiæ, reſpectu bonorum Præ-
poſituris aſſignatorum, vnde cauſa propoſita ſu-
per eiſdem, Domini vno conſenſu in deciſis per-
manendum reſponderunt, ex rationibus, quibus
prædicta deciſio nitebatur; & propterea in hac
propoſitione potiſſima cura fuit, ſatisfacere qui-
buſdam magis præcipuis argumentis, quæ con-
tra deciſionem opponebantur.

* Habetur hæc deciſio impreſſa in rec. p. 2. dec. 25.
† ſuprà dec. 757.

2. Ad primum ergo argumentum, deſumptum
ex pluribus prouiſionibus iſtarum Præpoſitura-
rum Eccleſiæ Gerund. tam à Papa, quàm ab Epi-
ſcopis; & Capitulo factis in titulum beneficij, ex
quibus informantes pro Præpoſitis inferre co-
nabantur, Dominum Præpoſiturarum, propter
dictas prouiſiones, & collationes fuiſſe in Præ-
poſituras, & Præpoſitos tranſlatum, reſpondeba-
tur, ex collatione in titulum non tolli antiquum
dominium, Corneus * *conſ. 225. n. 2. circa finem,
verſic. non enim auferetur, lib.* 1. Rota *in ſimili cauſa
Vicen. augmenti*, die 14. Decembr. 1587. coram Il-
luſtriſſ. Blanchetto, tunc Rotæ Auditore; & con-
ſequenter collatio Capituli in titulum non mu-
tauit † antiquam obligationem, & propterea non
obſtabat conſil. Pariſij 76. *num.* 14. *lib.* 4. dicentis,
præſentem, & tacentem ex collatione, videri re-
3. nunciare iuri ſuo, quia Pariſius loquitur de iure
reſpectu tituli, hîc autem erat ſermo de iure, re-
ſpectu bonorum: notum eſt autem, inter vtrum-
que ius latum eſſe diſcrimen, cùm ius reſpectu
tituli non poſſit eſſe penes plures. Ius verò re-
4. ſpectu bonorum poſſet eſſe penes Capitulum,
tanquam Dominum, & reſpectu tituli penes
Præpoſitos.

* adde ſuprà deciſ. 557. n. 10. & Lud. dec. 29. n. 2. & de materia huius dec. in his Præpoſituris, vide Durand. dec. 340.
† vide infrà deciſ. 1435. in tō. 2. n. 3. vbi annotabo alias dec.

5. Ad alteram oppoſitionem, deſumptam ex eo,
quòd ab immemorabili tempore, iſtæ Præpoſi-
turæ erant beneficia Eccleſiaſtica perpetua, * &
non temporalia, quod perſuaderi videbatur ex
ipſo antiquo ſtatuto anni 1302. in quo contine-
batur, ex antiqua conſuetudine ab immemora-
bili tempore, iſtas Præpoſituras vacare, quod
erat ſignum Eccleſiaſtici perpetui beneficij, ex
doctrina Bonifacij de Vitalinis *in Clementina
vnica, de ſupplenda negligentia Prælat. n. 9 in prima
parte*; quibus accedebat, quòd anno 1254. ab Epi-
ſcopo fuerant relicta legata duabus Præpoſitu-
ris, quæ fieri ſic non potuiſſent, niſi iam tunc
fuiſſent beneficia erecta; reſpondebatur, inde
non inferri dominium earum, ab Eccleſia, ſeu
Capitulo fuiſſe abdicatum, præſertim cùm ver-
6. bum, *vacare*, aptum ſit comprehendere quam-
cumque vacationem, & ſecundùm ſubiectam
materiam intelligi debeat; nam & adminiſtratio
etiam finito tempore adminiſtrationis, vel mor-
tuo adminiſtratore, vacare dicitur; & in caſu pro-
poſito, ex verbis eiuſdem ſtatuti conſtabat, ver-
bum, *vacandi*, accipiendum iuxta materiam, de
qua ibi agebatur, videlicet quòd Epiſcopus, &
Capitulum poſſent imponere, ſeu addere aug-
mentum, ſeu aliquod onus conuertendum in
augmentum Canonicæ portionis, vel in vtilita-
tem Eccleſiæ, ſubtrahendo, & minuendo de vna,
& transferendo in aliam, Præpoſituris tamen
vacantibus. ex quibus verbis non poterat infer-
ri, Præpoſituras fuiſſe beneficia Eccleſiaſtica
perpetua, ſed potiùs adminiſtrationes, aliter
enim non potuiſſent Epiſcopus, & Capitulum
7. tam liberè de illis diſponere, cùm de eſſentia Ec-
cleſiaſtici beneficij ſit, quòd in perpetuum * con-
feratur, Abb. *conſ.* 47. *n.* 1. *verſ. item quia perpetuum,
lib.* 2. Bellamera *in cap. ſuper hoc n.* 17. *verſ. hoc enim
eſt proprium, de renunciat.* Ancharanus *in c. benefi-
cium, n.* 4. *verſ. Item quia, de regulis iuris, lib.* 6. Felin.
*in cap. in noſtra, n.* 9. *verſ. item quod detur, de reſcri-
ptis*, Selua *tr. de beneficijs, p.* 1. *q.* 1. *n.* 5. *verſ. item quia.*

* adde infrà deciſ. 823. n. 12. Coc. 180. n. 1. Rot. diu. p. 1. dec. 798. n. 4. Lud. dec. 77. n. 4. vbi allegat hanc dec. & in terminis harum Præpoſiturarum, allegando hanc dec. Durand. dec. 381. n. 7.

Quòd verò ad imponenda iſta onera tempus
vacationis expectaretur, id fiebat, vel propter
conuentiones initas cum Præpoſitis, ab initio
conſtitutis adminiſtratoribus, quibus durante
adminiſtratione non poterat nouum onus addi,
vel propter alias cauſas Epiſcopo, & Capitulo,
Præpoſiturarum Dominis, beneuiſas.

8. Ad tertiam oppoſitionem, deſumptam ex eo,
quòd Præpoſiti antiquiſſima poſſeſſione 100. &
200. annorum, potuerunt præſcribere quodcum-
que dominium directum, vel vtile, ad quod pro-
bandum informantes pro Præpoſitis recenſe-
bant, vltra decem inſtrumenta, etiam de nouo
producta, ex quibus apparebat, bona Præpoſitu-
rarum fuiſſe in emphyteuſim conceſſa cum his
enunciatiuis, videlicet quòd bona pertinebant
ad illas, tam iure directi, quàm vtilis dominij, &
quòd concedebantur, ſaluo directo dominio
Præpoſituræ; reſpondebatur primò, clauſulam,
*ſaluo iure & dominio directo*, Præpoſituræ ni-
hil tribuere, ſed potiùs præſeruare. * Caſſadorus
*deciſ.* 2. *n.* 2. *de reſeruat.* vbi id generaliter tradit
de clauſulis præſeruatiuis.

* & talis clauſula præſeruat, ſed nihil denuo inducit, ſicut cæteræ clauſulæ præſeruatiuæ, vt fuit dictum ſuprà deciſ. 732. n. 5. & dec. 738. n. 3. ſæpe deciſ. 206. n. 7. & ſeq.

Rurſus dicebatur, prædicta verba adiecta po-
tiùs fuiſſe cauſa declarationis, ad oſtendendum,
quòd illa bona in diuiſione fuerant aſſignata ei
Præpoſituræ; dominium autem ſemper remane-
bat penes Eccleſiam.

Poſtremò animaduertebatur, difficultatem
ceſſare potuiſſe ex antiqua Propoſiturarum ali-
quarum Eccleſiarum coronæ Aragonum (cui
iſta ſimilis videbatur inſtitutione, & ordinatio-
9. ne, ) olim enim Epiſcopus & Capitulum, vt li-
beriùs diuino cultui vacarent, omnia Eccleſiæ
bona in duodecim adminiſtrationes diuiſerant,
& ſingulæ adminiſtrationes fuerant ſingulis
adminiſtrationibus conceſſæ, vt quilibet Admi-
niſtrator in ſuo menſe de redditibus ſuæ admi-
niſtrationis neceſſaria Epiſcopo, & Capitulo, &
cæteris perſonis Eccleſiæ ſeruientibus ſubmini-
ſtraret, has adminiſtrationes decurſu temporis
Præpoſituras, & Adminiſtratores Præpoſitos
appellarunt; cuilibet verò adminiſtrationi, ſeu
Præpoſituræ peculiaria bona fuerunt aſſignata,
videlicet prædia, domus, cenſus & ſimilia, vt ſci-
ret quilibet Adminiſtrator, ſeu Præpoſitus, ad
prædictum effectum alendi perſonas Eccleſiæ,
vnde



vnde in ſuo menſe redditus eſſet exacturus; vnde
in conceſſionibus emphyteoticis, quæ fiebant de
bonis cuiuſlibet Præpoſituræ, verè dicebatur,
bona quoad vtrumque dominium ad Præpoſitu-
ras pertinere, & de directo dominio eorũ fuiſſe;
inde tamen non inferebatur, dominium fuiſſe
ab Eccleſia (cuius erant bona Præpoſituris aſſi-
gnata) abdicatum, cùm ſemper penes eandem Ec-
cleſiam integrum permanſiſſet, & permaneat.

10. Ad quartam oppoſitionem, directam contra
deciſionem, in qua fuerat dictum, quòd iſtæ præ-
poſituræ à Capitulo fuerant datæ in adminiſtra-
tionem temporalem, & fideiuſſores * de fideli-
ter adminiſtrando fuiſſe receptos ex prædicto
ſtatuto facto anno 1302. cuius contrarium in-
formantes pro Capitulo oſtẽdere nitebantur ex
eo, quòd in prædicto ſtatuto nihil tale contine-
batur, quinimo ex ſupradictis obiectionibus ap-
parebat, conceſſiones præpoſiturarum fuiſſe per-
petuas; reſpondebatur quòd licèt verbis expreſ-
ſis id non diceretur in ſtatuto; re tamen ipſa di-
cebatur, cùm ex pluribus actibus conſtaret, Præ-
poſitos non fuiſſe dominos, nec probaretur, eos
perpetuò ſolitos fuiſſe recipere adminiſtratio-
nes, quinimo cõtrarium videbatur verius, ex eo,
quòd Præpoſiti vigore ſtatuti, quolibet primo
die menſis, poſt facta Paſchalia, tenebantur ſuam
præpoſitionem firmare, & nullus poterat ad fir-
mandam ſuam Præpoſituram admitti, niſi ſuo
ſeruitio ſatisfeciſſet; item ordinabatur, quòd ſi
quiſpiam Præpoſitus nollet ſuam Præpoſituram
firmare, illa vacare cenſeretur, ex quibus omni-
bus temporalis potius, quàm perpetua admini-
ſtratio arguebatur.

* adde Dur. dec. 381. n. 4. vbi allegat hanc dec. & agit de his Prępoſituris.

11. Ad quintam oppoſitionem directam etiam
contra alterum deciſionis fundamentum, quo
fuerat dictum, Capitulum antiquiſſimis * tem-
poribus liberè & ſine contradictione diſpoſuiſſe
de bonis præpoſiturarum, cuius contrariũ oſten-
dere nitebantur informantes pro Præpoſitis ex
multis ſtatutis, in facto relatis, factis anno 1371.
vbi fuit reuocatum ſtatutum factum ab Epiſco-
po, & Capitulo ſuper pane de Fluxell à piſtori-
bus dando, item ann. 1359. fuit reuocatum aliud
ſtatutum, factum contra Præpoſitum Nouembr.
ſuper additamento illi facto. Item anno 1313.
ſtatutum factum ſuper traditione pecuniarum,
loco vini, anno 1312. ad quinquennium, contra-
dicentibus Præpoſitis, Epiſcopus & Capitulum
mutauerunt, vt eſſet perpetuum de conſenſus
Præpoſitorum. Item Epiſcopus, & Capitulum
acceptarunt gratiam illis factam, ſpecialiter à
Præpoſito de pane de *Sopar*, quatenus de certis
diebus intereſſent horis diuinis, ex quibus om-
nibus informantes pro Præpoſitis conabantur
inferre, dominium Præpoſiturarum fuiſſe penes
Præpoſitos, quia ſi fuiſſet penes Capitulum, &
habuiſſet liberam adminiſtrationem, nec ſtatuta
reuocata, nec gratiæ acceptatæ fuiſſent; reſpon-
debatur primò, ex prædictis non conſtare de tali
contradictione, quæ excluderet dominium Ca-
pituli; licèt enim ex prædictis actibus colligere-
tur, fuiſſe aliquo modo contradictum reſpectu
eorum, quæ expectabant ad ſtatum Præpoſito-
rum, & Præpoſiturarum, & illarum adminiſtra-
tionem, inde tamen non excludebatur Eccleſiæ
dominium, quinimo, neque ex eiſdem actibus
concludebatur, Præpoſitos habuiſſe, vel habere
talem ſtatum, per quem excluderetur admini-
ſtratio bonotum ad Eccleſiam ſpectantium, quæ
multis ſeculis oſtendebatur, ab Epiſcopo, & Ca-
pitulo regulata; vnde cùm deducta pro Canoni-
cis contra Præpoſitos multis modis præponde-
rare viderentur, argumentis Præpoſitorum, Ro-
ta in deciſis permanendum cenſuit.

* ſuprà in d. 757. n. 5. & ſeq.

---

### *Roſanen. Archipreſbyteratus.*

### Die Lunæ 6. Martij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Reſignatio facta non ſeruata forma conſtitutionis Pij V. de publica reſignatione eſt nulla ab ipſo initio.*

6 *Gratia ſecunda non infert præiudicium habenti primam conditionalem nam adimpleta conditione retrotrahitur ad tempus gratiæ.*

7 *Poſſeſſor beneficij non tenetur aliquid iuſtificare, ſed reo incumbit.*

## DECISIO DCCCXV.

VAcantem Eccleſiam Parochialem anno 1.
1576. Archipresbyteratum nuncupatam
oppidi Coriolani, Roſanen. Diœceſis per reſi-
gnationem Marci Antonij Abenante, in mani-
bus Romani Pontificis (quæ 4. Nonas Maij eiuſ-
dem anni Philippo Pythagoræ collata fuerat)
Marcus Antonius de Conciliis, Clericus eiuſ-
dem oppidi, die 14. Iunij 1595. impetrauit ob
non publicationem, iuxta formam conſtitutio-
nis Gregorij XIII. directis litteris Ordinario
Roſan. qui dum citato Pythagora prædictæ Pa-
rochialis poſſeſſore, & examinatis teſtibus, pro
verificandis narratis in litteris Martij Antonij,
& viſa ſententia Theſaurarij generalis Cameræ
Apoſtolicæ, ſuper priuatione prædictæ Paro-
chialis, illiuſque fructuum reſtitutione à die in-
truſionis, contra Pythagoram, propter prædi-
ctam non publicationem, gratiam Martij Anto-
nij examinaret, Pythagoras Calendis Mart. 1596.
eandem Parochialem, tanquam vacantem de-
nuo impetrauit, & die 31. Iulij eiuſdem anni
ſuam nouam prouiſionem publicauit.

Cæterùm, quia Marcus Antonius iſtam nouam 2.
Pythagoræ prouiſionem prætendebat, fuiſſe ſub-
reptitiam, tum quia Pythagoras non iuſtificaue-
rat valorem quorundam beneficiorum expreſ-
ſum; tum, quia nullam fecerat mentionem de
impetratione Martij Antonij, nec de lite in-
ter ipſos agitata; propterea idem Marcus An-
tonius V. Calendis Iunij 1598. ad publican-
dam ſuam gratiam, reſtitutionem in integrum
obtinuit, quam die 15. Auguſti eiuſdem anni
infra quatuor menſes, ſibi in gratia reſtitutionis
ad publicandum aſſignatos, publicauit.

His ita peractis, Ordinarius Caſſanenſis con- 3.
tra Marcum Antonium diffinitiuam ſententiam
ferens, Pythagoram reum conuentum abſoluit;
cauſa per appellationem introducta in Rota, du-
bitaui, an prædicta ſententia eſſet confirmanda,
vel infirmanda, & quamuis ſententia ex defectu
citationis videretur nulla, quia fuit lata, & pu-
blicata menſe Octobris 1598. & tamen non niſi
menſe Iunij præcedente, Marcus Antonius re-
periebatur ad ſententiam citatus, nihilominus
Rota, contra Marcum Antonium informantem

reſpondendum cenſuit, quia cùm reſignatio ad fauorem Pythagoræ eſſet facta tempore quo vigebat conſtitutio Pij V. * per quam ob non publicationem, non vacabat beneficium reſignatum, ſed ſolùm reddebatur inualida reſignatio, ideo non potuit Marcus Antonius Parochialem, tanquam vacantem ob non publicationem, iuxta conſtitutionem Gregorianam † impetrare, cùm impetratio intelligeretur futura valida adimpleta conditione publicationis, quæ in conſtitutione tacitè intelligitur, ad not. *in l. ſi quis accepto, ff. de cond. ob cauſ.* Rota *deciſ. 4. de rerum permut. in antiq.* & fuit dictum *in Aquilana Prioratus,* * die 2. Iunij 1581. coram bon. mem. Contuccio.

* habetur in Bullario Cherubini tom. 2. in cōſtit. Pij V. cōſtit. 58. quæ incipit, quãta Eccl. Dei, pag. mihi 253.
† habetur in Bullar. Cher. in conſt. Gregorij XIII. tom. 2. conſt. 85. quæ incipit, Humano vix, pag. mihi 469.

4. Nec propterea Marco Antonio ſuffragabatur confeſſio Pythagoræ, dicentis in ſua noua impetratione, ſe non publicaſſe reſignationem iuxta conſtitutionem tunc vigentem, videlicet Pij V. nam conſequenter intellexit ius remanſiſſe penes reſignationem; nec Parochialem vacaſſe iuxta conſtitutionem Gregorianam, ſicut Marcus Antonius expreſſerat.

* habetur dec. 149. p. 2. in impreſſis diuerſ.

5. Præterea ſi gratia ſecundæ nouæ prouiſionis Pythagoræ erat bona, inde excludebatur ſecunda gratia Marci Antonij, quæ erat poſterior, nec in ea fuerat facta mentio de noua prouiſione.

6. Non obſtabat quòd Pythagoras non fecerat mentionem mandati de prouidendo, ſeu de gratia Marci Antonij, quia reſpondebatur, quòd cùm iam longè antea fuiſſet elapſum tempus præſtitutum ad publicandum, gratia euanuerat, & ſine noua gratia non poterat ampliùs purificari, præſertim cùm per ſecundam gratiam non videatur poſſe inferri præiudicium habenti primam, quia ſequuta publicatione, retrotrahitur * ad diem datæ, & tollit gratias medio tempore conceſſas, Tholomæus *dec. 70. lib. 1.*

* adde ſuprà dec 249. n. 9. & 10.

Dubium etiam erat, an Marcus Antonius poſſet iuſtificare ſuam gratiam ex confeſſione † Pythagoræ, contenta in gratia, quam Marcus Antonius impugnabat.

† an confeſſio reſignatarij probet non publicationem, vide Ludou. deciſ. 288 & deciſ. 410. n. 4.

Rurſus non apparebat, quòd Marcus Antonius ſeruaſſet formam conſtitutionis in publicanda ſua gratia, quod tamen erat neceſſarium.

7. Atque ex his non potuit ei dari canonizatoria ſuæ prouiſionis, quam prætendebat, neque ſe poterat iuuare ex eo, quòd Pythagoræ gratia non videretur iuſtificata, quia cùm Pythagoras eſſet reus, & poſſeſſor non tenebatur aliquid iuſtificare, cùm ſufficeret ei vincere, per non ius Marci Antonij actoris.

## *Firmana beneficij.*

### Die Veneris 10. Martij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Mors probatur per duos teſtes, deponentes ſe vidiſſe deferre mortuum ad ſepulturam.*
3 *Ius patronatus probatur ex dotatione, vel fundatione, vel ex multiplicatis præſentationibus, vltrà hominum memoriam.*

### DECISIO DCCCXVI.

1. DIe 19. Ianuarij * proximè præteriti Rota cenſuit, gratiam Alexandri Getardini fuiſſe iuſtificatam, exceptis tamen duobus, nempe obitu Nicolai Gerardini anno 1590. & narratiua, quòd iuſpatronatus eſſet ex fundatione, & dotatione.

* ſuprà dec. 806.

2. In hac propoſitione concluſum fuit, obitum Nicolai anno 1590. ſufficienter probari per primum & tertium teſtes, ſuper 1. articulo deponentes, ſe prædicto anno vidiſſe Nicolaum mortuum deferri ad ſepulturam, Bartolus *in l. 2. §. ſi dubitetur, num. 2. verſ. vel vidi eum ſepeliri, ff. quemadm. teſtam. aperiantur,* Menochius *tractat. de adipiſcend. remed. 4. num. 675.* & fuit dictum coram me *in cauſa Abulen. beneficiorum,* * die 28. Februarij proximè præteriti, & conſequenter, gratiam Alexandri reſpectu iſtius narratiuæ ſufficienter fuiſſe iuſtificatam.

* ſuprà dec. 813. n. 4. vbi annotaui alias dec.

3. Reſpectu alterius narratiuæ dictum fuit, quòd Alexander produceret coram me in forma probanti inſtrumenta præſentationum, ex quibus reſultaret dicta iuſtificatio, iuxta deciſionem Congregationis interpretum ſacri Concilij Tridentini, qua dictum fuit, iuſpatronatus * ex fundatione, vel dotatione probari, ex multiplicatis præſentationibus per tempus ſupra hominum memoriam, tametſi nullum inſtrumentum fundationis, vel dotationis oſtendatur, quanquam etiam in dictis præſentationibus nulla appareret mentio facta fundationis, iuxta deciſionem Caſſadori 7. de iurepatronat.

* adde ſuprà dec. 34. n. 2. & deciſ. 536. n. 4. & 5. & dec. 806. n. 8. & aliàs ſæpe.

## *Hiſpalen. Præeminentiarum.*

### Die Lunæ 13. Martij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Præeminentiarum iuri, multum tribuit conſuetudo.*
4 *Loco primo nominatus in inſtrumento arguit, ſe habere in ſede præcedentiam.*
5 *Locus poſterior eſt honorabilior in proceſſionibus.*
6 *Teſtes magis ſpecificè in depoſitione loquentes ſunt præferendi.*

### DECISIO DCCCXVII.

1. PRæſuppoſitis mandato de manutenendo ab A.C. obtento, & ſententia lata per Ordinarium Hiſpalen. & teſtibus vtriuſque examinatis, & aliis pro vtraque parte adductis, dubitaui, an eſſet dandum mandatum de manutenendo Priori, & Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ S. Saluatoris Hiſpalen. vel Abbati, & Beneficiatis aliarum Eccleſiarum eiuſdem ciuitatis, quo ad præeminentiam, ſeu præcedentiam in proceſſionibus, & aliis actibus publicis: & Rota vtraque parte informante cenſuit, dandum fuiſſe mandatum de manutenendo, ita vt Abbas primo loco, Canonici verò Collegiatæ ſecundo: tertio autem loco Beneficiati incederent.

2. Reſpectu Abbatis, quod in primo, ſeu in præeminentiori loco incedere deberet, conſtabat ex teſtibus, pro eius parte examinatis, qui ſuper ſeptimo articulo teſtificabantur, quòd in omnibus proceſſionibus publicis, in quibus tam Abbas, quàm Canonici dictæ Eccleſiæ ſancti Saluatoris interuenerunt, ſemper Abbas habuerat locum inter duos vltimos portionarios Cathedralis Eccleſiæ Hiſpalen. & quod ante dictos Portionarios,



Portionarios, & conſequenter ante prædictum Abbatem incedere conſueuerunt duo ex Canonicis dictæ Eccleſiæ Sancti Saluatoris, & ante duos dictos Canonicos incedebant reliqui Beneficiati, & propterea Abbas erat in hac quaſi poſſeſſione præcedendi Canonicos Sancti Saluatoris manutenendus, Corneus *conſil. 193. n. 14. verſ. nec debet, lib. 2.* Menochius *conſ. 257. num. 54. & ſequentibus, lib. 3.* Baldus *in l. obſeruare. §. antequam, num. 3. verſic. vadat ergo primò, ff. de officio Proconſulis.*

3. Cùm enim Abbas iſta conſuetudine vtatur, ei erat concedendum mandatum, ratione enim conſuetudinis dicebatur habere iuris communis aſſiſtentiam, cùm ius in hac materia præeminentiarum, & præcedentiarum plurimum conſuetudini deferat. * Baldus *in cap. cùm olim, il 1. notab. 1. in principio, de conſuetud.* Felinus *in rub. de maiorit. & obed. num. 10. circa medium, verſ. quomodo autem cognoſcatur,* idem *in capite ſtatuimus, in principio, verſ. & de iuribus conſuetudinis eodem titulo,* Boërius *tractatu de auctor. magni Conſily, p. 1. num. 13. in fine,* Pariſius *conſ. 31. num. 39. lib. 4.* Decianus *conſil. 21. num. 6. in principio, lib. 1.* Rota *deciſ. 4. n. 2. & 3. de electione, in nouis;* quod ſæpe aliàs amplexa fuit, & ſignanter *in cauſa Oriolen. iuris ſedendi,* die 11. Decembris 1585. & die 24. Octobris 1586. coram Illuſtriſſ. Blanchetto, tunc Rotæ Auditore.

* adde Seraphin. dec. 335. n. 3. & deciſ. 716. n. 17. dec. 964. n. 1. Lud. dec. 124. n. 2. & latè annota. n. 4. Cau. dec. 650. n. 1. vbi ad propoſitū allegat hanc dec.

4. Et pro Abbate etiam faciebant quinque inſtrumenta antiqua celebrata cum interuentu Abbatis, & Canonicorum, in quibus primo loco ante Canonicos reperiebatur nominatus * Abbas. Notum eſt autem, præcedentiam etiam argui ex eo, quòd quis priori loco nominatur, gloſſa *in cap. bene quidem, in verb. Mediolanenſis 96. diſtinctione,* Decius *conſil. 161. num. 1. verſ. nam ex ordine litteræ,* Tiraquellus *de iure primogenit. quæſt. 19. num. 2.* Caſſaneus *in Catal. glor. mundi, parte 1. conſideratione 17. per totam.*

* adde Lud. dec. 310 n. 1. & 8. & annota. ad deciſ. 411. n. 5.

5. Certum eſt autem, in iſtis proceſſionibus & actibus, locum poſteriorem eſſe digniorem, * ſeu inceſſum, Caſſanæus *in Catal. glor. mundi, parte 4. conſiderat. 75.*

* adde ſuprà dec. 583. n. 2. & 3.

6. Neque Abbati obſtabant teſtes pro Canonicis examinati, teſtificantes Canonicos ſolitos præcedere Abbatem, & Beneficiatos in proceſſionibus, quia placuit illa conſideratio, quòd illi teſtes loquebantur ſatis confusè, & artificiosè de Abbate, & Beneficiatis ſimul, teſtes verò Abbatis loquutos magis diſtinctè & ſimpliciter, & conſequenter eos tanquam magis ſpecificè deponentes fuiſſe præferendos, * Crauetta *conſil. 249. num. 12. verſ. ideo teſtes Magdalena agentis,* Pariſius *conſil. 74. num. 45. lib. 1. & conſil 88. num. 31. lib. 3.* Decius *conſil. 448. numer. 37.* Gabriel *tit. de teſtibus, concluſ. 4. numer. 72. illatione 21.*

* adde ſuprà dec. 206. n. 3. & deciſ. 540. n. 4. & aliàs ſæpe.

7. Quòd verò poſt Abbatem ſecundo loco incederent Prior, & Canonici prædictæ Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Saluatoris, probant iidem teſtes *ſuper 7. articulo.*

Circa Beneficiatos, quod deberent tertio loco incedere, non aderat difficultas, cùm in hoc, vtriuſque partis teſtes conuenirent.

Atque ex his fuit concluſum, prædicto modo fuiſſe dandum mandatum de manutenendo.



## *Monaſterien. Iuris paſcendi.*

### Die Veneris 17. Martij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Teſtes deponentes de actibus à ſe geſtis, plenè probant.*
4 *Teſtes de affirmatiua plus probant, quàm denegatiua.*
5 *Teſtes deponentes veriſimiliora, ſunt præferendi.*
6 *Poſſeſſio media facilius præſumitur probata, ſi probentur extrema principij, & finis.*
7 *Teſtes numero plures ſunt præferendi paucioribus.*
8 *Prohibitio non ſufficit ad inducendum ius negatiuum, ſi ſimul non probetur ſcientia, & acquieſcientia partis.*
10 *Socius non poteſt diſponere, inuito ſocio, de re communi eorum, præterquam ad vſus deſtinatos.*

### DECISIO DCCCXVIII.

SVper iſta controuerſia, iam olim orta inter Nobiles de Nagel ex vna, & Bernardum Beuerforde, & deinde Ioann. Von der Reck, & litis conſortes ex altera parte, ſuper quaſi poſſeſſione, & iure paſcendi in prato Mulſteruelt Ordinarius Monaſterien. ad fauorem Ioannis Von der Reck ſententiam tulit in poſſeſſorio retinendæ, quam deinde decreto proceſſu per audientiam contradictarum bon. mem. Dominus de Rubeis, Rotæ Auditor confirmauit, & quamuis deinde coram bon. mem. Reboſterio die 19. Dec. 1580. & die 13. Martij 1581. dato dubio, an ſententia Rotalis contra Dominos de Nagel eſſet executioni demandanda, Rota cenſuerit ſententiam fuiſſe iuſtam, & procedendum ad illius executionem; nihilominus tamen, cùm poſtea ex factis nouis probationibus per Dominos de Nagel vigore remiſſoriæ à Rota obtentæ, die 13. Maij 1594. coram me * deciſum fuiſſet, conſtare de quaſi poſſeſſione D. Adolphi Nagel, & ſuorum anteceſſorum à tempore motæ litis, reſpectu iuris paſcendi in prædicto prato de Mulſteruelt, & propterea in ea fore manutenendum, meritò fuit executio prædictæ ſententiæ retardata. 1.

* ſuprà dec. 373.

2. Et quia cauſæ in hoc ſtatu conſtitutæ, deciſio pendebat à vigore probationum, ab vtraque parte factarum; ideo præſuppoſitis deciſionibus in hac cauſa factis, & teſtibus vtrinque examinatis, dubitaui, quæ probationes præualerent in hoc caſu ad effectum concedendi, vel impediendi executionem ſententiarum, latarum ad fauorem Domini Ioannis, & Rota vtraque parte informante, cauſa maturè diſcuſſa, cenſuit D. Adolphi Nagel probationes præualuiſſe, ad effectum impediendi prædictarum ſententiarum executionem. Cùm enim ex deciſionibus in hac cauſa factis (quæ nunc præſupponebantur) iam conſtaret de quaſi poſſeſſione & iure paſcendi D. Adolphi, eius probationes in concurſu, ex ſequentibus iudicatæ ſunt præferendæ.

3. Primò, quia teſtes Adolfi bene concludebant quaſi poſſeſſionem, & ius paſcendi Domini Adolfi, primus enim, & ſecundus in primo examine, iuxta 11. ſuper pactu animalium Adolfi, de propria actione * teſtificabantur, ea quietè & pacificè in prædicto prato pauiſſe, & primus teſtis addebat, id fuiſſe factum palàm, & publi-

* & teſtes deponentes de facto proprio ſūt præferendi. Lud. deciſ. 391. n. 11. & 50. & dec. 521. n. 2. & deciſ. 544. n. 18 Seraph. deciſ. 1163. n. 6. Rotam rec. p. 1. dec. 147. n. 6. & aliàs ſæpe.

CCc 3 cè

cè aliis videntibus, & comminantibus, & ad libitum nemine contradicente, ſeu reclamante.

Similiter tertius,quartus,decimus,& decimuſtertius,idem aſſerebant de viſu, abſque eo quòd audiuerint impedimenta, & decimus addebat, id factum compaſcentibus pecoribus D. Ioannis, & litis conſortum, & eorundem cuſtodibus permittentibus. Rurſus quintus, ſextus, ſeptimus, octauus, & vndecimus teſtes deponebant etiam de viſu,& addebant,paſcua ab animalibus carpta, quietè & pacificè aliis compaſcualibus ſcientibus,& compaſcentibus.

4. Prædictis teſtibus accedebant teſtes, vigore remiſſoriæ examinati, qui ſatis etiam concludenter eandem paſcendi quaſi poſſeſſionem probabant de facto proprio,etiam deponentes,prout fuit conſideratum in prædicta deciſione in hac cauſa facta die 13. Maij 1594.* & conſequenter ex his plena, & concludens reſultabat probatio, Cephalus, qui multos allegat, *conſil. 170. num.42.* & fuit nuper dictum *in vna Veneta illegitimitatis*,4.Decembris 1598.* coram me.

*ſuprà dec. 333.n.1.

*ſuprà dec. 729.

Secundò pro teſtibus Aldolfi, affirmatè deponentibus de eius iure paſcendi, faciebat vulgaris regula quòd magis creditur teſtibus affirmantibus,* quàm negantibus. Felinus *in cap.in noſtra,num.4.& 8.de teſtibus,* Gabriel *tit.de teſtibus,concl.4.num.1.*

*adde Lud. dec.449.n.3. Mantic. dec. 215.n.4. Seraphin. dec. 607.n.1.& 2. Rot.rec.p.2. dec.272 n.2. & aliàs ſæpe.

Tertiò cùm pratum controuerſum, pro maiori parte ſitum ſit in Parochia de Herbaren,cuius Parochianus erat Adolphus, (vt fuit conſideratum in prædicta deciſione) faciliùs præſu-
5. mebatur commune,& compaſcuum, quàm particulare alicuius priuati. Bartolus *in l. adeò, in principio,verſ. & idem erit in Eccleſia. ff. de acquirendo rerum dominio*, Cæpolla *de ſeruitut. vrbanorum præd. cap.75.num.3. verſ. ſi verò nihil*, Natta *conſ.672.num.17.&* 18.Couarruuias *in pract.quæſtio.cap.37.num.6.verſ. quod planè*; & conſequenter teſtes Adolphi deponentes de eius iure paſcendi in dicto prato, veriſimiliora deponere iudicabantur. Pariſius *conſil.67.num.13.verſic. nam veriſimiliora, lib.3.num.113.* & ideo meritò erant præferendi * Canoniſtæ in dicto *cap. in noſtra*, vbi Felinus *num.3. verſic. præferuntur etiam,de teſtibus*,Gabriel *de teſtibus,dicta concluſ.4.n.28.*

*adde Mantic. dec.244. n.1 & dec. 366.n.7.Rotam rec. p.1. deciſ. 5. n.7. Ludouiſ.dec. 239.n.2.

Quartò teſtes pro Domino Nagel inducti non ſolùm teſtificabantur de poſſeſſione Adriani, & Adolphi Nagel, ſed etiam de poſſeſſione
6. Gregorij Nagel, & anteceſſorum ſuorum, poſſidentium tempore motæ litis, quibus extremis probatis,poſſeſſio media † Adriani faciliùs præſumebatur probata, gloſſa *in cap. accedens, in verb. temporis, verſic. & ſic per primum, de conuerſ. coniugat.* Alciatus *tractatu de præſumptionibus, regula 2.præſumpt.22.per totam.*

†adde Cau. dec.408.n.7. Mantic. dec. 23.n.3. Rot. diu.p.1.dec. 598.n.9.

Denique teſtes Adolphi erant numero plu-
7. res,& conſequenter præferendi.* *l.ob carmen.§. fin.ff.de teſtibus, cap.in noſtra, de teſtibus,* Ruinus *conſ.145.n.1.lib.5.*

*adde Lud. dec.449.n.4. & deciſ.472. n.2.Rot.rec. dec.245.n.3. & deciſ.315. n.8. & deciſ. 459. n. 4. & p.1. dec. 83. n.2. & deciſ. 189. n. 2. & dec.299.n.2.

Neque ſupradictis obſtabant duo potiſſimum fundamenta, quibus nitebantur informantes pro Domino Ioanne. Primum quòd Ioannes à Paſcuis Aldolphum, & eius auctores excluſerit. Alterum quòd Adrianus, & eius auctores petiuerint licentiam à Ioanne, vel eius auctoribus, aperiendi portam, ſeu aditum, Fa-
8. langen nuncupatum, ad effectum vt circum habitantibus ad molendinum pateret aditus; nam quoad primum, reſpondebatur primò, quòd licèt aliqui teſtes Domini Ioannis id teſtificari viderentur, nihil tamen concludebant circa ſcientiam, & acquieſcentiam Dominorum de Nagel,cùm tamen notum ſit, in quaſi poſſeſſione iuris negatiui, non ſufficere ſolam prohibitionem, ſed requiri præterea ſcientiam, & acquieſcientiam partis, * Paulus de Caſtro *in l. qui liminibus, ff. de ſeruitutibus vrbanorum prædior. l.1. in fine, C. de ſeruit. & aqua*, & ibi Cinus *num.8. verſic. modò ita eſt*, Baldus *num.7. verſ. reſpondet gloſſa*, Salicetus *cap. cùm Eccleſia, num.3. verſic. & alter prohibet.* Ripa *in cap. cùm Eccleſia, num.9. verſic. in iſto caſu, de cauſa poſſeſſ. & propriet.* & fuit aliàs dictum in cauſa Saguntina mediæ annatæ 16.Iunij 1595.coram R.P.D.meo Litta.

*Lud.dec. 325.n.11. & dec.472.n.1.

Rurſus dicebatur, quòd cùm non conſtaret de 9.
dominio ſolius Domini Ioannis, neque de illius anteriori poſſeſſione, ex illius contradictione, & eiectione non potuit Ioannes acquirere talem poſſeſſionem, vt eius vigore poſſent expellere Dominos de Nagel, prout in prædicta deciſione, * coram me facta, fuit etiam conſideratum.

*ſuprà in d. dec 373.n.8. & ſeq.

Tertiò reſpondebatur ex teſtibus D. Adolphi conſtitiſſe de contraria eiectione, quibus (ex rationibus ſupradictis) videbatur magis credendum.

Quoad ſecundum de petita licentia per Do- 10.
minum Adrianum reſpondebatur, quòd licèt primus teſtis Domini Ioannis ſuper quinto, & quintus iuxta 15.& decimuſtertius ſuper eodem probarent, quòd ab Adriano fuerit licentia petita ponendi prædictam Falangen,ſeu portam in prato,ad effectum etiam vt ſinguli circa pratum habitantes, faciliùs poſſent per pratum ad molendinum Adriani accedere;non tamen apparebat probatum pactum, quòd Adrianus pro habenda dicta licentia promiſerit, quòd ſi ſua animalia aliquod damnum in prato darent, ipſe illud reſarcire teneretur. Primus enim,& quintus teſtes ſuper 6. articulo, qui de hac re deponebant, cùm de auditu tantùm deponerent, non probabant,& conſequenter ex ſola licentiæ petitione non inferebatur,quòd anteceſſores Ioannis, & litis conſortes fuerint domini dicti prati priuatiuè,quoad Adolphum Nagel,& eius anteceſſores,præſertim cùm licentia fuerit petita, vt habitantes circa pratum, (qui nullum fortaſſis in prato ius habebant) poſſent commodiùs per illud tranſire ad molendinum Adriani,hoc enim caſu conſocij licentia, de cuius intereſſe agebatur,exigenda erat, cùm de re communi, præterquam ad vſum deſtinatum,non poſſit ſocius inuito * ſocio diſponere. Ripa *in l.Labeo ait,n.13. & 14.in principio, ff.de legat.1.*Alex.*conſ.103.n.6. verſ.præterea non poteſt ſocius,lib.1.*Pariſius *conſ.75. n.26.in fine,lib.1.*

*adde Mantic. dec.45. n.7.

## *Ciuitaten. Decimarum.*

### Die Lunæ 20. Martij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Remiſſoria in profanis, in qualibet inſtantia concedi ſolet in gradu reſtitutionis in integrum, data articulorum releuantia.*

2 Remiſſoria



2 *Remiſſoria non datur poſt rem iudicatam, & ſemel tantum eſt concedenda, & ob ſuſpicionem poteſt denegari.*

3 *Teſtes nouiter non ſunt examinandi, nec admittendi, poſtquam ſuæ teſtificationes intelliguntur.*

4 *Monachi de iure communi incapaces ſunt exercitij curæ animarum.*

5 *Decimæ debentur iure parochialitatis.*

6 *Rota ſolet magis conſiderare rem, & effectum, quàm verba.*

## DECISIO DCCCXIX.

1. ROta cenſuit, non fuiſſe dandam remiſſoriam Abbati & Monaſterio de Charitate Ciuitaten.ad probandam, prædictum Monaſterium habere parochiam certis finibus diſtinctam,quia licèt in profanis in qualibet inſtantia, etiam in gradu reſtitutionis in integrum, * data articulorum releuantia concedi ſoleat: in hoc tamen caſu denegata fuit, quia omnes regulæ contra remiſſoriam extare videbuntur, prima, quia poſt rem iudicatam † non datur remiſſoria. Verallus *deciſ.51.lib.3.* altera,quia remiſſoria ſemel concedi ſolet.* Faſtolus *dub.28.* tertia quoniam ob ſuſpicionem denegatur.† Caſſadorus *deciſ.3. num.1. de dilat.* In hoc autem caſu non videbatur carere calumniæ ſuſpicione;cùm enim hæc cauſa primò in partibus, & rurſus in Rota coram pluribus Auditoribus, multis annis in multis inſtantiis fuiſſet diligenter inter partes agitata, & diſcuſſa, & multi teſtes examinati, & factæ probationes, ex quibus tandem contra prædictum Monaſterium fuerunt plures ſententiæ latæ, & deinde vigore remiſſoriæ à Monaſterio obtentæ, alij denuo teſtes fuerunt examinati, nec ei profuerint, conſequenter iſta noua remiſſoriæ petitio eò tendere videbatur,vt contra deciſiones factas, inſtructis teſtibus examinandis, noua probatio pararetur, & ideo meritò fuit denegata.* Romanus *conſil.273.num.3.verſ. nec in præmiſſa.* Felinus *in cap.de cætero,num.2. per totum, de re iudicata.* Gratus *conſil. 138. num. 29. lib.2.* Caſſadorus *deciſ.3.num.1.de dilat.* Verallus *deciſ.32.num.4.part.2.*

*adde Duran.dec. 121. n.27. Caual. dec.170.n.2. & deciſ.425. n.3. & deciſ. 469.n.3.

†adde Lud. dec.184.n.2. & 7.& deciſ. 211.n.1.Dur. dec.121.n.10. Caual. deciſ. 208. n. 1. & dec.250.n 3. & deciſ.281. n. 4. Seraph. deciſ. 1308. n.1.quod extende etiam poſt publicatione in proceſſu, vt fuit dictum ſuprà dec.604.n.2.

*adde Cocc. dec.339.n.2. Ludou.deciſ. 367. n. 2. & latè annota. num.4.

2.

3. Supradictis accedebat vulgaris regula, quòd poſt intellectas teſtificationes, reſultantes ex dictis teſtium, & poſt illarum diſcuſſionem ſuper eiſdem non admittuntur articuli, neque recipiuntur iidem, vel alij teſtes propter timorem ſubrogationis, *cap.fraternitatis,cap.cùm veniſſet,de teſtibus, Clementina final.de teſtibus.*

†adde Dur. dec.131.n.3. & deciſ.453. n.1. & deciſ. 462.n.3.Ludou. dec.48. n.7. & deciſ. 81.n.5. Rot. rec. p.2. dec. 491. n. 1. & dec.578.n.2.

Eandem ſuſpicionem augebant ſequentia. Primum,quia de iure communi,regulariter Monachi incapaces ſunt exercitij curæ†animarum,
4. quamquam ex Apoſtolicis priuilegiis eam exercere valeant.Præterea ex diſcuſſione huius cauſæ conſtiterat, prædictum Monaſterium de Charitate,Sacramenta confluenti populo adminiſtraſſe in ſua Eccleſia, de expreſſa licentia Ordinarij.

*adde ſuprà dec.376.n.2. vbi alias deciſ.annotaui. Caual. deciſ. 189. num. 1. Mant. deciſ. 474.n.5.

†adde Mant. dec.48.n.2.

Denique innotuerat, Monaſterium percipere conſueuiſſe decimas in loco de los Valles,ex eo, quòd ſucceſſerat cuidam nobili viro fratri Mexiæ,qui in dicto Monaſterio profeſſionem emiſerat.

Ex quibus inducti fuerunt Domini ad dene-
5. gandam remiſſoriam; iſta enim omnia ſuadebant, Monaſterium non habuiſſe talem Parochiam, vt iure parochialitatis ſibi decimæ deberentur.*

*cum decimæ debeantur Parochiæ vbi colliguntur, vt fuit dictum ſuprà deciſ. 55.n.6.& deciſ. 300. n.3. Duran.deciſ. 205.num.18. Caual. deciſ. 203. & 247. n.3. Coccin. dec.16.& 55. num.8.& deciſ.187.

Et conſequenter ſatis videbatur euanuiſſe fumus, quem in hac propoſitione præſtare conabantur informantes pro Monaſterio, collectum ex teſtibus nulliter examinatis, quos ſupradicta ſuſpectos arguebant.

Neque obſtat prætenſio Monaſterij deducta ex eo, quòd modò exhiberentur noui articuli, quoniam licèt diuerſis verbis eſſent concepti, eandem tamen rem continebant,& Rota potius conſiderabat rem ipſam, quàm verba.

## *Bononien. cenſus.*

### Die Lunæ 20. Martij 1600.

SVMMARIVM.

4 *Contractus venditionis eſt inualidus, ſi adſit prohibitio alienandi.*

5 *Reſciſſioni contractus venditionis datur locus, ſi deficiant conditiones in ea poſitæ.*

6 *Emptor poteſt reſcindere venditionem cenſus venditi pro libero, ſi ſit aliqua prohibitione adſtrictus non alienandi eum à poſſidente.*

7 *Pretij reſtitutionem poteſt petere emptor à venditore, & fideiuſſoribus pro re vendita prohibita alienandi.*

8 *Fideiuſſores tenentur adimplere promiſſa principalis obligati.*

9 *Fideiuſſores non tenentur ante ſequutam euictionem.*

## DECISIO DCCCXX.

*IMpoſuerat Dominus Comes Alexander de Pepulis anno 1596. annuum cenſum ſcutor. 960. monetæ Florentinæ ſuper quibuſdam bonis ſuis immobilibus, exiſtentibus in territorio Bononien.in Contradis Duratij S. Martini; & Molinellæ,eumque ſic impoſitum vendiderat Saluio Scarlatto, Nobili Florentino pro pretio ſcutor.12.m.ſimilium,aſſerens prædicta bona de ſui natura fructifera, nulli hypothecæ, vel fideicommiſſo purificato, vel purificando ſubiecta, ſed libera, franca, & allodialia fuiſſe, promiſeratque & ſe obligauerat ad legitimam dicti cenſus, & prædictorum bonorum defenſionem, & de euictione,ſecundùm formam prouiſionum Bononien. ann. 1466. editarum,nec non in ampliori forma Cameræ. 1.

*Habetur hæc deciſio impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſ. deciſ.150. & per Cencium poſt tract.de cenſibus deciſ.46.

Pro Comite Alexandro venditore, in eodem 2.
contractu fideiuſſerunt Ferdinandus Elephantucius, Comes Iulius de Pepulis & Camillus de Vendinellis,Procurator Dominorum Comitum Vgonis,& Rizzara de Pepulis, Andreas Bouius, & Iohnnes Petrus de Mangionis, Procurator Comitis Antonij de Iſolanis, ſe ipſos principaliter & in ſolidum, & vti expromiſſores pro dicta euictione, & legitima defenſione perpetuò duratura, etiam in caſu nullitatis, inualiditatis, vel reſciſſionis prædicti contractus, ex quauis cauſa, etiam incertitudinis in ampliori forma Cameræ obligante.

Cùm verò anno 1598. Saluius Scarlattus in- 3.
tellexiſſet, prædicta bona ſuper quibus cenſus

fuerat impoſitus, arctiſſimo fideicommiſſo quondam Comitis Romci de Pepulis, patris Comitum Alexandri,& Iulij fuiſſe ſubiecta,cum expreſſa prohibitione alienationis bonorum, ac etiam cum prohibitione detractionis legitimæ, & Trebellianicæ, contra eoſdem Comites Alexandrum & Iulium,coram A.C.ſuper reſtitutione ſortis principalis dicti cenſus iudicium intentauit ex eo,quòd res promiſſa non fuerat libera, & contractus attenta teſtatoris prohibitione fuerat inualidus.

4 Poſtquam autem A. C. mandatum executiuum,pro dicta ſorte principali deponenda decreuiſſet, cauſa introducta in Rota,dubitaui,an eſſet locus reſtitutioni ſcutor. 12. m. itaut Comes Alexander, & eius fideiuſſores tenerentur ad illorum reſtitutionem, & ſolo Scarlatto informante (quia pars ſæpiùs citata non curauit informare)Rota reſtitutioni fuiſſe locum, & Alexandrum principalem, & fideiuſſores teneri cenſuit.

5\. Cùm enim bona, ſuper quibus cenſus fuerat impoſitus, eſſent fideicommiſſo, & perpetuæ prohibitioni alienationi ſubiecta, non valuit contractus.*

* adde Rot. diuer.part 2. dec.121.n.5. & recen.p.2. dec.620.n.4. Seraph. dec. 757. n. 2. & ſeq. & deciſ. 785.n.1.& 7.

Et propterea potuit emptor reſcindere impoſitionem cenſus, & compellere venditorem ad pretium reſtituendum, Decius *conſil.*122. *num.*2. in finalibus verbis,*verſ.ex quibus concludo,& n.*11.
6\. Alexander *conſil.*63. *num.* 10. *verſ. etiam quando, lib.*6.& tenuit Rota *in vna Romana cenſus de Cuppis*, die 17. Martij 1577. coram Domino Seraphino† Oliuario,*& in alia Spoletana terrarum*,die 11.Decembris 1599. coram Domino Millino,& iterum in eadem die 7. Martij 1600. coram eodem, & ſæpe aliàs; cùm enim bona non poſſent dari libera, perinde eſt, ac ſi fuiſſent euicta, & conſequenter locus erat reſtitutioni pretij, * ſeu ſortis principalis. *l.ſi in venditione.ff. de euictionibus,l.ſuper empti, C.eod.tit.*

† habetur p. 1 diuerſ. deciſ.585. & in impreſſis Seraphini dec. 321. & vide ſup.dec.532. n.4.& procedit quia promiſſio fuit doloſa,& alteri præiudicialis, quod tamen non haberet locũ, ſi nullum præiudicium oriretur, vt fuit dictum ſuprà deciſ. 668.n.3.& 5.
* adde Rot. recen.part.2. dec.77. n. 2. & Lud.deciſ. 119. n. 1. & ſeq.

Similiter Scarlatus compellere poterat fideiuſſores ſibi obligatos, ex quauis cauſa, in caſu etiam inualiditatis, & reſciſſionis contractus. Decius *conſil.*30.*num.*4.*verſ.ſed in quæſtione*,Pariſius *conſil.*79.*num.*425.*& conſil.*97. *num.* 25. *lib.*2. Tiraquellus *de retractu lignag.*§.1. *gloſſa* 7.*n.*20.

Quod ſine difficultate dicendum videbatur in hoc caſu, in quo fideiuſſores de legitima euictione,& generali defenſione ſe obligauerant, qui propterea tenebantur promiſſa adimplere, Crauetta *conſil.*272. *num.*2. *&* 3.

Et licèt regulariter ante ſecutam † euictio-
7\. nem agi non poſſit, ea tamen regula limitatur
8\. multis modis, vt patet *in prædicta deciſione, in cauſa Romana de Cuppis*, in quibus vnus eſt, vt
9\. contra fideiuſſores promittentes rem tradi libe-
10\. ram, ante euictionem agi poſſit, gloſſa *in l. qui rem, in verb.non poteſt. C. de euictionibus.* Oſaſcus *deciſione* 24. *num.* 4. Decius *dicto conſilio* 102. *in fine.*

† adde Dur. dec.27 n. 5. & dec.50. n. 14. & deciſ. 209. num. 6. Cocc. deciſ. 100.n.1.Rot. recen part.2. dec.422.n.2. in fine.

Supradictis accedebat,quia fideiuſſorum obligatio erat etiam ſecundùm formam prouiſionum Bononien.quibus cauetur,vt bona debeant tradi libera. Alex.*conſil.*63. *num.*11. *lib.*6. Decius *conſil.*483. *num.*18.

## *Abulen. beneficiorum.*

### Die Lunæ 20. Martij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Communis æſtimatio probat valorem beneficij.*

## DECISIO DCCCXXI.

Die 28. Februarij * proximè præteriti fuit 1.
deciſum, gratiam Don Ferdinandi de Foca fuiſſe iuſtificatam quoad obitum Ioannis Lopez, & vacationem ſedis Epiſcopalis in menſe Martio anni 1596. in hac propoſitione Rota cenſuit, eandem gratiam fuiſſe iuſtificatam quo ad valorem beneficiorum de Hontiueros, & Cantiueros, nam tres teſtes ſuper nono articulo bene deponebant illorum valorem non excedere Ducatos 140 ſecundùm communem æſtimationem, deductis oneribus, Cæſar de Graſſis *deciſ.*91. *num.*1.

* ſuprà deciſ.813.

Item cenſuit, gratiam fuiſſe iuſtificatam re- 2.
ſpectu narratiuæ,quòd iſta beneficia non requirerent reſidentiam; id enim aſſerebant quartus, & ſextus teſtes ſuper 9.articulo.

Clericatus eiuſdem Ferdinandi probabatur ex litteris patentibus primæ tonſuræ, apud acta productis.

Valorem Decanatus quod non excederet 600. 3.
Ducatos auri de Camera computatis diſtributionibus, prout fuerat narratum, probabant quartus teſtis ſuper 11. articulo, & ſextus teſtis ſecundi examinis ſuper 11. articulo, qui reddebant bonam rationem ſcientiæ, quia conuerſati fuerant in Eccleſia Saguntina cum multis, qui bene ſciebant prædictum valorem; addebant quoque talem fuiſſe, & eſſe publicam vocem & famam.

Dixerunt tamen Domini,gratiam Ferdinandi 4.
non fuiſſe iuſtificatam reſpectu narratiuæ,quod obtineret Capellaniam in Eccleſia S. Andreæ Corduben. & quòd valor illius non excederet Ducatos 14. Item in eo, quòd eſſet oriundus ex ciuitate Cordubenſi,& quòd in in Curia moraretur tempore gratiæ.

## *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 14. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

2 *Diſputationes iam diſputatas Rota reijcit ne lites ſint infinitæ.*

## DECISIO DCCCXXII.

Petebant agentes pro D. Tiberio Ceulio, ſibi 1.
dari dubium,an conditiones,& pacta poſita in donatione,quam fecerat bon.mem.Hieronymus Ceulius Dominæ Clariciæ Ceuliæ, ipſius nepti, reiicerentur, vel non, de contractu prædictæ donationis; & quia agentes pro D.Claricia conquerebantur, dicentes, eam in hac re valde grauari,& dubium gratis peti, vel ad expeditionem cauſæ differendam, vel ſaltem ad reuocandas



das in dubium deciſiones in hac cauſa factas die 2.Decembris 1587. & die 9.Iunij 1589.* quibus fuerat firmatum,Clariciam non cecidiſſe à commodo dictæ donationis,& legati,propterea propoſitis memorialibus loco cauſæ, vtraque parte informante conſulti Domini reſponderunt, vt agentes pro Domino Ceulio declararent effectum dubij, quod petebant; item dicerent, de quibus conditionibus,& pactis reiiciendis intelligerent, vt ex effectu dubij poſſet Rota iudicare, an iſta diſputatio eſſet ſuper flua, quia primo obtutu videbatur,ſub diuerſis verbis contra ordinem ſæpè à S.D.N. datum, antiquas etiam deciſas reuolui diſputationes, & ideo per ſimilem declarationem iam aliàs Rota die 22.Iunij 1598. * reiecerat alterius ſimilis dubij diſputationem, quam petebant agentes pro D.Tiberio.

* ſuprà deciſ.31.
* adde ſuprà dec.700 n.3. & 728.n.2.

## *Parmen. Prioratus.*

### Die Veneris 14. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

2 *Beneficium ſitum intra Eccleſiam monaſterialem, regulare præſumitur, & num.*9.
3 *Beneficia de iure præſumuntur collatiua, non autem manualia.*
4 *Collationes Apoſtolicæ non mutant ſtatum beneficij de regulari in ſeculare.*
6 *Beneficij ſtatus vltimus, non conſtito de contrario, inducit præſumptionem ſimilis ſtatus de præterito.*
7 *Beneficia regularia, præſumuntur manualia.*
9 *Regulare præſumitur beneficium ſitum intra Eccleſiam monaſterialem.*
10 *Clericis ſecularibus poſſunt conferri beneficia ſecularia, ſita in Eccleſia monaſteriali.*
11 *Beneficia ſecularia poſſunt eſſe in Eccleſia regulari.*
12 *Collatio beneficij inducit perpetuitatem.*
13 *Vnio beneficij ſi fiat, ex eo non mutatur ſtatus eius, niſi expreſsè caueatur.*
15 *Inſtitutio,& deſtitutio pertinent potius ad beneficia perpetua, quàm ad manualia.*
16 *Collatio idem eſt, ac inſtitutio.*
17 *Enuntiatiua,quæ proficiſcitur à perſona,intereſſe habente, nihil probat.*
18 *Status vltimus eſt inſpiciendus in beneficialibus.*

## DECISIO DCCCXXIII.

1\. Die 21. Februarij, proximè præteriti, cùm vtraque parte informante propoſuiſſent cauſam ſuper dubio tunc dato,qualis eſſet ſtatus Prioratus, ante prouiſiones Apoſtolicas, viſum tunc fuit Dominis ordinare, vt Monachi Sancti Ioannis Euangeliſtæ informarent, omnibus ſimul iunctis, & videretur an Prioratus eſſet collatiuus,vel manualis. In hac itaque propoſitione,retento illo themate,quòd Prioratus eſſet re-
2\. gularis, pro qua regularitate multa concurrebant, nempe quòd eſſet ſitus intra Eccleſiam monaſterialem regularem, *cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu Monachorum*, quod in antiquo libro Franciſci Piloſi, Notarij Epiſcopatus, reponeretur inter beneficia dicti Monaſterij,ſpectantia ad prouiſionem Abbatis, & alia quæ fuerant conſiderata in hac cauſa die 5.Iunij 1595. coram bon.mem. Orano, Rota cenſuit, Prioratum eſſe collatiuum, ad effectum validitatis collationis de eo factæ, tanquam de reſeruato ad fauorem Santini Siluæ,in cuius locum, & ius, ſucceſſerat Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis SS. quatuor. nam illum eſſe perpetuò collatiuum ſuadebant multa in hac propoſitione deducta per informantes pro Domino Cardinale.

Primum, quia regulariter omnia beneficia 3.
præſumuntur collatiua, * non autem manualia, *cap.præcepta* 55.*diſtinctione*,gloſſa *in cap.veniens,in verb.ordinaſti, verſ.prælatura enim, de filijs Presbyterorum*, Calderinus *conſ.*26. *num.*1. *verſiculo nam collatio,de præbendis*. Selua *de beneficijs p.*5.*quæſt.*21. *num.*5. *verſ.& ratio aſſignatur.*

*adde Cocc. dec.180.n.1. & Lud.deciſ. 77. n 3. & 4. & vtrobique ad propoſitũ allegant hãc dec. Caualer. dec.72.n.3.

Item, quia aderant duæ collationes de hoc
prioratu,ab Abbate factæ,vna anno 1574.Ange- 4.
lo de Cariſioniſij, altera per eiuſdem Angeli obitum, facta cuidam fratri Euſebio anno 1591. in quibus cùm diceretur expreſsè, collationem huius Prioratus ex indultis, ſeu ex inueterata conſuetudine, ad Abbatem ſpectare, ab eóque conferri in titulum, conſequenter inferebatur, non manualem, ſed collatiuum eſſe cenſendum.

Tertiò idem ſuadebat ſtatus,ſeu poſſeſſio 40. 5.
† annorum,& vltrà eiuſdem Prioratus non tanquam manualis,ſed tanquam beneficij ſecularis, & collatiui,vigore prouiſionum de eo factarum, tanquam de beneficio perpetuo; quamquam enim iſta poſſeſſio quadragenaria fuerit vigore prouiſionum, & collationum Apoſtolicarum, quæ non mutant ſtatum beneficiorum, * Antonius de Butrio *in cap.porrecta num.* 2. *verſ. & ita dicit Paulus,de confirm.vtil.* Calderinus *dicto conſil.*26.*in fine, de præben.* nihilominus tamen,cùm non appareret ſufficienter probatus contrarius ſtatus manualitatis,ſatis inde oriebatur præſumptio ad credendum, antiquum ſtatum eiuſdem
Prioratus fuiſſe ſimilem huic vltimo, cùm vlti- 6.
mus ſtatus † non conſtito de contrario, inducat præſumptionem ſimilis ſtatus de præterito. *l.liberis §.finali.ff. de liberali cauſa*, Bartolus *in l. ſi prius num.* 18. *in principio, ff. de oper. nou. nunciat.* Baldus *in l.ex perſona num.*2.*C.de probat.*& fuit dictum in hac cauſa coram bon.mem.Orano.

† vide infrà deciſ.1355. à n.4.in tom.2. & deciſ.829. n.7.Caualer. dec 251.n.2. & deciſ 266. n 2. Mantic. dec.322.n.7. Rot. rec.p.2. dec. 71. n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. licèt annotetur de anno 1606.
* Rot.recen. p.2.dec.580. n. 7. & 8. & aliàs ſæpe.
†adde Caualer.dec. 389. n. 6. Seraph. deciſ. 1120. n.2. Rot.rec. p.2.dec.737. n. 3. & ſeq. & infrà dec. 1355. n.4. in tom.2.

Quibus ita conſtitutis, non obſtabant deducta in contrarium per informantes pro Monaſterio.

Nam ad primum, quòd beneficia regularia præſumuntur manualia, * Caſſadorus *deciſ.* 4. *num.*3. *in principio,de præben.* dicebatur primò, id
habere locum in beneficiis ſimplicibus,non au- 7.
tem in curatis (qualem aliquando fuiſſe hunc Prioratum conſtabat,) curata enim licèt regularia ſint, perpetua potiùs, quàm manualia præſumuntur *cap.in Lateranenſi.§ nos autem, verſ.inſtitutos verò, de præbend.* Selua *de beneficijs, præcitata* 3 *p quæſt.*2. *num.*3. *in principio*, Caſſadorus *d.deciſ.*4. *num.*3. *in principio, & num.*5. Bellamera *deciſ.* 203.

*adde annotat. ad deciſ. 109. Ludou. Caual. deciſ. 389 n.1 Rot. recen.part.1. dec.646.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Secundò reſpondebatur, iſtam præſumptio-
nem tolli ex pluribus collationibus factis, tum 8.
à Romanis Pontificibus, tum ab ipſiſmet Abbatibus, quibus collatum fuit hoc beneficium, tanquam perpetuum, non autem velut manuale.

Ruſſus

Rurſus ad illam obiectionem, quòd Abbates non potuerint Monaſterio præiudicare, efficiendo collatiuum hunc Prioratum, qui erat manualis, reſpondebatur, non fuiſſe probatam manualitatem, nec conſtitiſſe legitimè de antiquo manualitatis ſtatu.

9. Ad tertium deſumptum ex eo, quòd Prioratus reperiretur ſitus intra Eccleſiam monaſterialem, & conſequenter videretur Manualis, Caſſadorus *deciſ. 12. num. 9. de præben.*

10. Reſpondebatur primò, quòd etiam in Eccleſia regulari, poſſunt eſſe beneficia * ſecularia, quæ Clericis ſecularibus conferuntur, *cap. fin. §. præcipimus, per totum, de ſtatu Monach.* vbi Ancharanus *num. 15. verſ. ſic videtur, quòd talis*, & meliùs *num. 16. verſ. quia & Monachi*, Antonius de Butrio *num. 16. verſ. nam & Monachi.*

* adde Dur. dec. 92. n. 17.

11. Secundò reſpondebatur, cætera in principio huius deciſionis conſiderata manualitatem excludere. nam conſideratis collationibus factis ab Abbate de hoc Prioratu, tanquam de perpetuo, & vltimo eiuſdem Prioratus ſtatu probatio reſultans ex deductis pro parte Monaſterij cenſebatur ſatis debilis, & infirma, cùm non probaretur aliquis firmus manualitatis ſtatus.

12. Ad quartum deſumptum ex libro Franciſci Piloſi, enunciantis hoc beneficium eſſe in prædicto Morio, & ſpectare ad prouiſionem Abbatis, reſpondebatur, iſtam Notarij adnotationem, potiùs facere contra Monaſterium, cùm Notarius enuntiaret, quòd huius Eccleſiæ collatio pertineret ad Monaſterium, nam de natura collationis eſt, eſſe perpetuum, * non manualem, manualia enim impropriè conferri dicuntur, propriè autem, & verè conferuntur.

Beneficia perpetua, cùm de natura beneficiorum ſit perpetua eſſe, † Geminianus *conſil. 92. num. 8. in principio*, Zabarella *conſ. 57. num. 5. verſ. quando autem*, & *conſil. 105. num. 5. in principio*, Ioannes de Anania *conſil. 14. num. 4. verſicul. accedat.*

* adde Cocc. dec. 196. n. 3. Rot. diu. p. 1. dec. 798. n. 4.
† adde ſuprà dec. 814. n. 7. vbi alias deciſ. annotaui.

13. Ad quintum deſumptum ex quodam vetuſto inſtrumento anni 1230. in quo iſte Prioratus deſcribebatur inter curtes ipſius Monaſterij, & conſequenter inde videbatur inferri, illum tanquam Monaſterio eiuſdem Monaſterij factum grangiam, reſpondebatur primò, non inferri, quòd licèt fuerit Monaſterio vnitus, & incorporatus, propterea deſierit eſſe perpetuum * beneficium, cùm ſimul hæc conſiſtere poſſint, quod fuerit Monaſterium vnius, ſeu incorporatus, & quòd per Rectorem perpetuum regeretur, Ægidius *deciſ. 701. in tertia ratione, verſ. ſtat ergo*; in vnione enim, niſi expreſsè dicatur, non mutatur ſtatus. Nauarrus *conſil. 9. num. 7. verſic. nec illis obſtant.*

* adde Lud. dec. 112. n. 1. & 5. vbi allegat hanc deciſ. & Duran. dec. 92. n. 8.

14. Secundò reſpondebatur, quòd licèt in cauſa Aquilana Monaſterij anno 1577. fuerit deciſum, verbum, *grangia*, ſignificare vnionem, in eadem tamen poſtea fuit dictum, id verbum eſſe æquiuocum, & ideo ex eo non poſſe ſumi efficax argumentum, ad vnionem probandam, & ita fuit etiam poſtea reſolutum coram me *in cauſa Caputaquen. vnionis*, * die 27. Nouembris 1593. in fine.

* ſuprà dec. 337. n. 7.

15. Ad ſextum deſumptum ex alio inſtrumento antiquo anni 1359. in qua enuntiabatur, Prioratum pendere à Monaſterio, & eſſe de illius membris, eiuſque collationem, inſtitutionem, & deſtitutionem ad Abbatem pertinere, & conſequenter videri manualem. Reſpondebatur primò, inde non probari manualitatem, quia inſtitutio, & deſtitutio propriè etiam dicitur reſpectu beneficiorum perpetuorum, *cap. cùm ex iniuncto, in fine, verſiculo, ad cuius officium, de hæreticis.* gloſſa *in cap. vt commiſſi, in verb. honoribus, verſ. quia ſicut, de hæreticis lib. 6.*

Secundò dicebatur, ex eo inſtrumento potius inferri contra Monaſterium, cùm inſtitutionis nomen propriè in hac materia ſignificet collationem & titulum, Hoſtien. *de inſtitutionibus in principio, num. 2. verſ. & quandoque collatio num. 13. in principio*, Dinus *in reg. 1. de regulis iuris lib. 6.* 16.

Ad ſeptimum deſumptum ex alio vetuſto inſtrumento locationis anni 1400. in quo enuntiabatur, Prioratum hunc ad Abbatem pertinuiſſe, & ab illo fuiſſe habitum legitimum ordinem; reſpondebatur primò, in eo contineri vnicam enuntiatiuam, nec ex ea apparere, quòd Prioratus fuiſſet ab Abbate conceſſus, vt teneretur ad eius beneplacitum iuxta naturam manualitatis.

Rurſus dicebatur, locationem illam non apparuiſſe effectuatam.

Poſtremò addebatur, leuem fuiſſe eam coniecturam, cùm inſtrumenta nec locationem, nec dominium, nec poſſeſſionem probent, maximè cùm proficiſcuntur, (prout in caſu propoſito) à perſonis intereſſe habentibus. * 17.

* adde ſuprà dec. 431. n. 4. & Lud. in d. dec. 77. n. 8.

Et quamquam circa promiſſa potuiſſet eſſe aliqua difficultas, negari enim non poterat, quin pro parte Monaſterij proponerentur multa, conſideratione digna, cùm tamen effectus dubij propoſiti tenderet ad hunc finem, vt videretur, an iſte Prioratus comprehenderetur, vel non comprehenderetur ſub reſeruatione, & ad iſtum effectum inſpiciendus ſit vltimus ſtatus. * *cap. ſi iudex laicus. §. idem eſſe, verſ. iſque ſtatus, de ſentent. excomm.* Calderinus *conſ. 28. verſ. & ſtatus præſens*, & fuit ſæpe in Rota deciſum; & vltimus ſtatus faceret pro Cardinale, cùm Prioratus tanquam collatiuus fuiſſet profeſſus ab Angelo Cariſſimo, vltimo titulari, vtique pro Cardinali fuerat reſpondendum.

* adde ſuprà dec. 638. n. 8. vbi annotaui alias dec. & in deciſ. 713. num. 2.

---

## *Abulen. beneficiorum.*

### Die Lunæ 17. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

2 *Teſtes deponentes de fama, & voce, probant valorem beneficij, & originem.*

## DECISIO DCCCXXIV.

1.

Die 20. Martij * proximè præteriti fuit reſeruatum, an gratia Domini Ferdinandi eſſet iuſtificata reſpectu narratiuæ, quod obtineret Capellaniam in Eccleſia S. Andreæ Cordub. & quòd illius valor non excedebat Ducatos 14.
2.
& quòd eſſet oriundus † è ciuitate Corduben. & quòd moraretur in vrbe, tempore gratiæ, quam Rota nunc cenſuit iuſtificatam ex teſtibus examinatis de publica voce, * & fama deponentibus, ex quibus ad effectum iuſtificationis reſultat ſufficiens probatio, Bellamera *deciſ. 114. incip. Si impetus*, Verallus *deciſ. 217. num. 4. & per totam lib. 1.*

* ſuprà deciſ. 821. n. 4.
† adde ſuprà dec. 661. n. 3. vbi alias dec. annotaui.
* adde ſuprà dec. 612. n. 3. & 4. & deciſ. 702. n. 2. & dec. 712. n. 6. & infrà dec. 939. n. 4.



---

## *Peruſina executionis.*

### Die Lunæ 17. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

3 *Rati promiſſio cum pœna, intelligitur quatenus interſit.*

4 *Dotis fructus non ſunt reſtituendi, licèt ſolutio pecuniarum dotalium retineantur.*

## DECISIO DCCCXXV.

1. De hac cauſa, quam vtraque parte informante propoſui, aliqui ex Dominis dubitabant contra deciſionem in ea factam die 13. Decembris 1599. * ex ſequentibus.

* ſuprà deciſ. 798.

Primò, quia Aſcanius non tenebatur facere
2. ratificare Dominam Ioannam, niſi in actu ſolutionis integræ dotis, vnde defectus non adimplementi ei non poterat opponi, cùm priùs dos promiſſa debuiſſet à Comite ſolui, vt fuit in hac cauſa reſolutum die 11. Maij 1572. coram Domino meo Seraphino, *verſiculo, hîc verò videtur.*

3. Secundò, quia in promiſſione, de qua agebatur, videlicet rem ratam haberi ſemper inerat tacita conditio, quatenus ſtipulantis intereſſet, * per deciſionem Creſcentij 189. aliàs 17. de probationibus, incip. *Promittendi de rato, verſ. quia ſtipulatio iſta.*

* de hoc art. ſuprà in d. dec. 798. n. 5. & ſeq.

Tertiò, quia licèt Domini de Mareſcotis, pro-
4. pter non adimplementum, potuerint retinere principalem ſortem, non potuerunt tamen retinere fructus, quos ſuos non fecerunt, cùm non ſit eadem ratio retinendi fructus, quæ eſt retinendi ſolutionem pecuniæ. *l. finali. §. finali, in fine, ff. de fundo dotali*, Surdus *conſil. 101. num. 7. in fine, verſiculo, quia hoc idem ſeruatur, lib. 1.* Baldus *in l. 2. num. 3. in fine. C. de vſuris.*

---

## *Bononien. cenſus.*

### Die Lunæ 24. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

2 *Procurator, qui obligauit principalem, cùm ad id non haberet mandatum, ſi poſtea ratificauit principalis, valet obligatio.*

3 *Obligatio Cameralis non cenſetur appoſita, niſi exprimatur, præterquam in locis, vbi de ſtylo ſemper apponitur.*

4 *Executio non datur niſi pro expreſſis in inſtrumento.*

5 *Nota ſpeciali quæ ſunt digna, ſi non exprimantur, neglecta & omiſſa cenſentur.*

6 *Executiuè non poteſt procedi, per iuramentum præſtitum in obligatione.*

## DECISIO DCCCXXVI.

1.

* habetur hæc deciſio impreſſa per Cenciũ poſt tract. de cenſi. dec. 254.

In hac cauſa, * quam propoſui, vtraque parte informante ſuper dubio, an potuiſſet executiuè procedi contra Dominos Vgonem, & Ricardum de Pepulis, quos in inſtrumento cenſus in forma Cameræ obligauerat ſuus Procurator; ipſi tamen in mandato procuratorio non dederant Procuratori talem facultatem; difficultas fuit reſtricta ad ratificationem Dominorum de Pe-
pulis, ſi enim ipſi Procuratoris factum ratificauerunt, † contra ipſos poſſet procedi executiuè, & ex hoc capite tollebatur difficultas, ceſſante enim ratificatione, Domini ſignificabant, non potuiſſe executiuè procedi, ex ſequentibus. 2.

† de quo vide infrà deciſ. 887. n. 2.

Primò, quia obligatio Cameralis non ſolet apponi in ciuitate Bononienſi, & ideo niſi exprimatur * in inſtrumentis, non cenſetur appoſita, & de conſuetudine non apponendi prædictam obligationem Cameralem in ciuitate Bononienſi in inſtrumentis, niſi expreſsè de ea apponenda eſſet actum, teſtificabantur plures inſignes Notarij, & cauſidici Bononienſes. 3.

* adde Lud. dec. 345. n. 5.

Secundò, quia nec alio modo ſolet competere hæc via executiua, niſi pro expreſſis. † Baldus *in l. ab Anaſtaſio, num. 4. verſiculo, ſed hîc occurrit dubium. C. mandati*, Corneus *conſil. 141. num. 6. verſ. tamen quatenus. lib. 4.* Ruinus *conſil. 74. num. 5. verſiculo, ita in ſimili, & ferè in terminis lib. 4.* Tobias Nonius *conſil. 70. num. 1.* & propterea via executiua obligationis non datur, niſi pro illis, quæ expreſsè * leguntur in inſtrumento. Galeſius *tract. de obligationibus in forma Cameræ, quæſt. 5. tit. de vi inſtrumentorum obligat. Cameral. num. 4. verſ. ſed non propterea, & num. 15. in principio*, Rota *deciſ. 741. num. 11. in principio, part. 1.* † 4.

† adde Rot. diuer. part. 1. dec. 741. n. 11. & 12. Ludou. dec. 362. n. 5. Dur. dec. 37. num. 6.
* adde Rot. diuer. part. 2. dec. 131. n. 11. Seraph. dec. 955. n. 1. Duran. dec. 60. n. 15.
† in vna Romana dotis Veneris 11. Febr. 1593.

Tertiò, quia iſta qualitas obligationis Cameralis, per quam datur via executiua, digna erat ſpeciali nota, & ideo iuxta regulam vulgarem, ſi ea quæ ſunt digna ſpeciali nota, non exprimantur, neglecta, & omiſſa cenſentur, Gabriel *concl. 3.* 5.
*num. 27. de conſuetudine.*

Quartò non cogitur debitor facere inſtrumentum, cum additione talis obligationis, quia alteraretur eius obligatio, & grauaretur, cùm tollatur proceſſus per tres inſtantias. Tiraquellus, qui plures congerit in terminis *de retract. lignag. §. 29. gloſſa vltima, num. 2. verſ. quoniam ex hoc*, licèt *num. 3.* ſe referat ad conſuetudinem Galliæ, declarat Felinus *in cap. ſignificauit, num. 8. verſ. & adde Angelum de teſtibus.* 6.

Et conſequenter, cùm iſta qualitas non eſſet expreſſa in mandato, non poterat apponi obligatio Cameralis. Non obſtabat quòd propter iuramentum appoſitum poſſet agi executiuè, quia contrarium fuit deciſum *in cauſa Romana fructuum de Vellis*, coram D. Litta, & nuper die 21. præſentis menſis *in cauſa Bononien. bonorum de Tuſignanis*, coram D. Lancellotto.

Poſtremò non obſtabat ſtatutum Bononiæ, quia, vt fuit conſideratum *in dicta cauſa Bononien. de Tuſignanis*, eſt ordinatorium. 7.

---

## *Romana domus.*

### Die Lunæ 24. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

4 *Poſſeſſor ignorans pactum pœnale, ſi contrauiniat, non incidit in pœnam.*

5 *Fundans ſe in ſcientia, ad caducitatem inducendam*

*ducendam, tenetur illam concludenter probare.*
6 *Pœna vt ſit exequibilis, concludenter eſt probanda cauſa incurſionis.*
7 *Prohibitus alienare, poteſt donare.*
8 *Caducitas in primo poſſeſſore, non in ſucceſſore ignorante, eſt declaranda.*

## DECISIO DCCCXXVII.

1. ANno 1541. Carolus Sarracenus ſenior, pro ſe,& Anna ſua vxore,eorumque hæredibus,& ſucceſſoribus vſque ad tertiam generationem, ſub annuo canone Ducatorum 24. conduxit hanc domum ab Eccleſia Sancti Ludouici,cum expreſſione, quòd prima generatio inciperet ab ipſis coniugibus,& cum nonnullis aliis pactis,& in primis,quòd non poſſent prædictam domum cum melioramentis alienare, ſeu vendere ſine conſenſu, & expreſſa licentia Congregationis Sancti Ludouici; ex Carolo, & Anna nati fuerunt Carolus iunior, & Claudia, ex Claudia Ludouicus Monachus profeſſus in Religione Sanctorum Ioannis,& Pauli,& Archangela Monialis Ordinis Sanctæ Claræ, profeſſa in Monaſterio S. Mariæ Lauretanæ, in ciuitate Ananiæ.

2. Carolus iunior dum vixit, domum pacificè poſſedit,& anno 1597.reſeruatis ſibi quibuſdam bonis,ad effectum teſtandi,cætera donauit Hieronymo Aymeto, reſeruato ſibi vſufructu omnium bonorum donatorum, eius vita durante, cum clauſula, *& non aliàs.*

3. Condito præterea teſtamento, eundem Hieronymum hæredem vniuerſalem ſibi inſtituit: eodem anno, Carolo vitâ functo,Hieronymus, huius domus controuerſæ poſſeſſionem accepit cum expreſſa proteſtatione, quòd ſi per actum adeptionis poſſeſſionis, ſibi vel iuribus ſuis in aliquo præiudicaretur, haberetur pro non facto.

4. † Et quia nunc agentes pro Eccleſia S. Ludouici prætendebant, domum ad Eccleſiam deuolutam, ex eo potiſſimum, quòd ſine licentia, & conſenſu Congregationi fuerat alienata Carolo; ideo dato dubio, an eſſet factus locus caducitati,ad fauorem dictæ Eccleſiæ; Rota vtraque parte informante negatiuè reſpondit, quia cùm non appareret concludenter probata * ſcientia Caroli donantis, de illo pacto pœnali, ideo non erat locus deuolutioni. Immo Carolus probabiliter potuit pœnale pactum ignorare. *l.qui in alterius*, vbi Decius *num.*1.*&* 2.*verſ.ſimiliter ſi hæres emphyt. ff. de reg. iuris*, Iaſon *in l.*2.*n.*184. *verſ. tenenda eſt, C. de iure emphyt.* & cùm ageretur de
5. amiſſione iuris,fundans ſe in ſcientia, tenebatur illam concludenter, & non ex ſolis coniecturis probare, Decius *in dicta l.qui alterius num.*2.*verſ. Dominus*, Mohedanus *deciſ.* 160. *num.* 2. aliàs 4.
6. *de probat.*Nam ad effectum pœnæ,plena & certa probatio requiritur, † Puteus *deciſ.* 6. *de probat.* Felinus *in cap.quoniam.* §.*porrò, num.* 22. *verſ.quid vbi ad perdendum,vt lite non conteſtata*,& fuit deciſum *in cauſa Romana Secretariatus*, die 17. Februar.1592.coram Domino meo Decano,*quinimo data ſcientia, videbatur etiam excuſandus Carolus,quia pactum non erat in iure adeò certum, vt non potuerit oriri probabilis dubitandi cauſa,cùm magna ſit quæſtio,an prohibitus alienare,poſſit donare,& prohibitum alienare,poſſe
7. donare, etiam irrequiſito domino, tenuerint gloſſa *in l.finali, in verb.vendere, in principio, verſ. ſed an donare. C. de iure emphyt.* Baldus *in l. ſi domus.*§.*ſi fundus num.*2. *verſ.& non dicit*, vbi Iaſon *num.*32. *verſ.nunc autem*, Alexand.*num.*5. *verſ.dic quòd communis*,Paulus de Caſtro *num.*4. *in principio.ff.de legat.*1.Socinus iunior *conſil.*124.*num.*70. *verſ. & primo lib.*1. & alij, quos refert Corbolus *tract. de emphyt. tit. de cauſa priuat. ob alienat. irrequiſito domino, limitatione* 13. *num.* 1. *& per totum.*

8. Placuit etiam Dominis illud fundamentum, *quia cùm viuente Carolo,caducitas non fuerit declarata, non potuit deinde declarari, Achilles *deciſ.* 1.*de locato.* quod procedit etiam, quando dominus non declarauit contrà in obſeruantem, cùm hæc duo paria videantur, vt fuit reſolutum *in cauſa Lucana Emphpyteoſis*,die 25.Octobris 1568.coram bon. mem. Oradino, nec erat conſiderabilis ſcientia Caroli, ex eo deducta, quòd ipſe interuenire ſolebat in congregationibus Sancti Ludouici, quia potuit abfuiſſe,quando legebatur inſtrumentum conceſſionis huius domus factæ Carolo, eius patri,& cùm ipſe non fuiſſet inueſtitus, ſed ſucceſſiſſet primo inueſtito,probabiliter potuit ignorare pacta,in conceſſione appoſita.

Quoad Hieronymum verò particulatiter vellem videre, an & quo iure domus poſſit ab illo retineri.

†ab hoc verſiculo habetur hæc dec. impreſſa per Farinac. poſt tom.2. conſ. dec.151.

*adde Mant. dec. 37. n.8. & ſeq.& dec. 54.n.11. Seraphin. dec. 749.num.12. Rot. rec.p.1. dec.261.n.8.

† adde Seraphin. deciſ. 1356.n.1.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 972.n.10.

*adde Ludouiſ. dec.529. n.17.

---

*Romana conſignationis ſcripturarum.*

Die Veneris 28. Aprilis 1600.

SVMMARIVM.

2 *Actore non probante, reus eſt abſoluendus.*
3 *Ceſſionarius non tenetur præſtare nomen debitoris exigibile poſt ceſſionem. quod intellige vt num.*4.

## DECISIO DCCCXXVIII.

1. LIcèt Rota ordinaſſet, vt expedirem cauſam ad fauorem Franciſci Raymundi; nihilominus cùm nonnulla vtrinque deducerentur, quæ negotium reddebant ambiguum, dubitaui, an ad eius fauorem cauſa eſſet expedienda: & vtraque parte informante, negatiuè reſponſum fuit: nam quamuis Franciſcus, per fidem cuiuſdam Notarij docuiſſet, anno 1588. poſt obitum cuiuſdam Alberti, adfuiſſe bona hæreditaria dicti Alberti, pro indiuiſo poſſeſſa cum hæredibus, & filiis Ambroſij, eius germani fratris, aſcendentia ad ſcut.900.auri in auro,quæ prædicto anno fuerant data in ſolutum alteri cuidam Alberto creditori,per viam concordiæ, vnde inferre nitebatur Franciſcus, creditum ſcutor.698. ceſſum Lucretiæ,à Mercurio patre Franciſci non fuiſſe inane: nihilominus reſpondebatur, illam Notarij fidem ad prædictum effectum docendi de vera exiſtentia ſufficientis crediti, non facere plenam fidem.

Rurſus reſpondebatur,illud creditum potuiſſe



eſſe anterius, credito Lucretiæ ceſſo, qua anterioritate ſtante, creditum ceſſum omnino erat inexigibile. Poſtremò dicebatur,quòd licèt fuiſſet verum creditum,& exigibile,non tamen erat ſufficiens, cùm medietas tantùm, videlicet ſcut. 450.cedi potuerit, Lucretia autem exactura erat
2. ſcuta 698. & conſequenter dicebatur, non fuiſſe locum regulæ actore non probante,reum abſoluendum. *l.qui accuſare. C.de eden.*

3. Nec placuit Dominis,quòd Raymundus non teneretur præſtare nomen creditoris, exigibile poſt tempus ceſſionis. *l.pupilli debitor.* §.*ſoror.ff.de ſolutionibus*,Bartolus *in l.ſi cùm,*§.*ſi mulier,in principio, & verſiculo, quærit gloſſa*, vbi Paulus de Caſtro *verſ. in gloſſa prima*, vbi Alexander *num.* 4.
4. *verſ.ſed aduerte.ff.ſolut. matrim.* quia reſpondebatur primò, id procedere, quando ab initio fuit ceſſum creditori tale quale,& ceſſionarius etiam tale quale creditum acceptauit quod non erat in caſu propoſito,Paulus de Caſtro *in d.l.pupilli debitor,*§.*ſoror.ff. de ſolutionibus*; ſecundò reſpondebatur hîc concurrere mulieres læſionem,& propterea concluſum, cauſam non fuiſſe expediendam ad fauorem Franciſci,& articulos pro parte Lucretiæ datos admittendos,quia de ſtylo curiæ ſemper admittuntur.

---

*Tudertina Prioratus.*

Die Veneris 5. Maij 1600.

SVMMARIVM.

5 *Prouiſiones effectuatæ inducunt probationem qualitatis beneficij, & etiam per vnicum actum, ibidem.*
6 *Conſuetudo vt inducatur, requiritur temporis decurſus. cum titulo.*
7 *Commendari poteſt à Papa beneficium collatiuum.*
8 *Papales prouiſiones non mutant ſtatum prouiſionis.*
9 *Regulare beneficium ſi ſit conceſſum Clerico ſeculari, eſt nulla collatio.*

## DECISIO DCCCXXIX.

1. QVia Dominus Epiſcopus Tudertinus prætendebat conferre hunc Prioratum in titulum Clericis ſecularibus, ſibi bene viſis, præcedentibus edictis,pro concurſu faciendo,ex quo eidem Prioratui incumbit cura animarum: ex aduerſo autem D. Cardinalis Ruſticucius, qui tanquam Abbas Saxiuiui habebat à Sede Apoſtolica ſpeciale indultum commendandi omnia beneficia regularia illius Abbatiæ Clericis ſecularibus commendari ſolita, eundem Prioratum abſque concurſu commendare prætendebat,ideo dato dubio, an conſtaret Prioratum hunc eſſe ſolitum commendari. Rota vtraque parte informante affirmatiuè reſpondens, commendari ſolitum cenſuit.

2. Conſtabat enim primò ex litteris Apoſtolicis Clementis VII. Venturinum quendam, hunc Prioratum in Commendam habuiſſe, illumque in fauorem cuiuſdam Raymundi Fenilis Commendæ ceſſiſſe, & Raymundum vigore prioris
3. commendæ eundem Prioratum poſſediſſe, rurſus ex litteris Iulij Papæ III. ad fauorem Pauli



Æmilij Petrutij expeditis apparebat, Hortenſium Lambertum, qui Prioratum in Commendam retinebat, illum liberè reſignaſſe, & Commendæ ceſſiſſe, Papamque prædicto Paulo Æmilio prioratum commendaſſe.

Præterea ex productis litteris Gregorij XIII. 4.
conſtabat, quòd ceſſante Commenda per obitum Pauli Æmilij,Papa eundem Prioratum Camillo Gerono commendauerat.

Ex quibus actibus multiplicatis,* & per ſuc- 5.
ceſſiuas prouiſiones effectiuas, Oldradus *conſil.*229. *num.*1. *verſ. hoc autem*, apertè conſtabat, Prioratum ſolitum commendari, cùm ad inducendum ſolitum vnicus actus effectuatus ſufficiat, vt de communi teſtatur Decius, licèt ipſe contrarium teneat *in l.certi condictio.* § *ſi nummos num.*7.*ff.ſi certum petatur*, idem *in rubrica extrà de conſuetud num.*19.quamuis enim ad inducendam conſuetudinem requiratur certus temporis de-
curſus cum titulo, nihilominus tamen ſecus eſt, 6.
ad inducendum ſolitum,quod inducetur ex vno, * aut duobus vltimis actibus. *l. Mela.*§.*ſed ſi alimenta. ff.de alimentis & cibar.legat.* Felinus *in cap. eam te,num.*22. *verſ.benefacit,de reſcriptis*, Gozzadinus *conſil.*23. *num.* 5. & in terminis eſt deciſio Creſcentij 10.incip. *Præceptoria quadam*, aliàs 1. *de præbend.*

Neque obſtabat, quòd in dubio beneficium 7.
præſumatur collatiuum, quia non propterea inferebatur, non eſſe ſolitum commendari, cùm non ſit verum,quòd ex quo commendatur à Papa,non dicatur ampliùs beneficium collatiuum,
cùm notum ſit, Papales prouiſiones non mutare 8.
ſtatum beneficiorum, * Antonius de Butrio *in cap.porrecta, num.*1.*verſ.& ita dicit Paulus,de confirm.vtil.vel inutili*, Calderinus *conſil.*26.*in fine,de præbend.* & fuit nuper dictum † *in cauſa Parmen. prioratus*,14.Aprilis proximè præteriti coram me.

Præterea non obſtabat vltima collatio, facta de iſto Prioratu in titulum ſimplicis Parochialis per renunciationem, quia reſpondebatur, quòd cùm non eſſet in ea expreſſum,Prioratum eſſe regularem, & fuerit facta ad fauorem Cle-
rici ſecularis, eo ipſo erat nulla, * *Clement.ne in* 9.
*agro.*§.*ſanè Prioratus*,vbi Zabarella *num.*1. *verſic. ſoluit Paulus intelligendo, de ſtatu Monach.* Bellamera *deciſ.*76. incip. *Non expreſsè num.* 1. *& deciſ.*172.incip.*Collatio*,& conſequenter,ex iſto actu nullo, non potuit induci ſolitum. *l.*4. §.*condemnatum.ff.de re iud.l.quoties.ff.qui ſatiſd.cogant.*

* adde ſuprà deciſ. 443. n.12. Caual. dec. 80. ferè per totam.

* adde Rot. diuer.part.2. dec.160.n.5.

* adde ſuprà dec 823.n.5. Duran deciſ. 340.num.14. Caual. deciſ. 126.num.12. Seraph. dec. 799. n. 3. & deciſ. 1301. n.2. & deciſ. 1367.n.4.

† ſuprà in d. dec.823.n.5.

* adde ſuprà deciſ. 443. n.15. & infrà deciſ. 1487. n.1.in fine.

---

*Regien. expenſarum.*

Die Mercurij 10. Maij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Expenſas non poteſt petere victus in lite à victore.*
3 *Expenſarum condemnatio in vno iudicio, in alio non debentur.*
4 *Clauſula*,quam, & quas, *eſt apta comprehendere omne.*

## DECISIO DCCCXXX.

ADdubia vtraque parte informante propoſitum, quæ expenſæ venirent taxandæ in 1.
caſu de quo agebatur, Rota reſpondit diſtin-



guendo

guendo diuerſa iudicia,primum quoad expenſas factas in extractione, & productione ſcripturarum, & iurium, quando pendebat lis ſuper nullitate prouiſionis Domini Camilli Boſſij, & illius amotione à poſſeſſione Prioratus, in quo iudicio Tacculi ſuccubuerunt, & fuerunt condemnati in expenſis. Alterum iudicium fuit in cauſa alimentorum, quæ ob paupertatem Tac-
2. culi prætendebant.Et reſpectu primi iudicij non erat locus taxationi expenſarum contra Camillum victorem, ad fauorem Tacculi victi, quia victus non poteſt * à victore expenſas repetere, cùm potius victori ſint debitæ propter temeritatem victi litigantis, vt fuit aliàs dictum *in vna Larinen.* † *expenſarum 29. Nouembr.*1582. coram Domino meo Seraphino.

* adde Caual.dec.191. n.2.& 3.
† habetur in impreſſis diuer. p.1 dec. 730.n.3.

Nec obſtabat, quòd eadem iura fuiſſent per
3. Tacculos reproducta in iudicio alimentorum, quia non negabat Camillus, deberi expenſas prædictæ reproductionis, & totius regeſti, facti in iudicio alimentorum, ſed iùre negabat deberi expenſas illius prioris extractionis,factæ in iudicio diuerſo. *

* adde Rot. diuer.part.3. lib. 2. deciſ. 217.n.1.& 2.

Rurſus non obſtabat, quod commiſſio huius primi iudicij cum clauſula, *quam, & quas*, eſſet etiam apta comprehendere † omne ius, quia
4 iſta petitio non fuit ad ſpeciem deducta.

† adde Dur. dec.60.n.33. & 46.

Alterum iudicium fuit introductum ſuper cauſa alimentorum, quæ Antonius Maria, Ga-
5. ſpar,Cæſar & Achilles Tacculi tanquam pauperes,& patroni prætendebant conſequi à Camillo Boſſio, beneficij poſſeſſore, & reſpectu iſtius iudicij,in quo Camillus ſuccubuit,condemnandus fuit ad expenſas, non tamen integrè,ſed reſpectiuè, videlicet detrahendo portionem tangentem Cæſarem pro tempore, quo vicit, quia non fuit lata ſententia ad eius fauorem,cùm ſolùm loquatur de expenſis factis ab Antonio Maria, & Gaſpare.

Detrahenda quoque fuit portio, tangens Achillem, qui ſuccubuit in cauſa alimentorum, cum condemnatione in expenſis ad fauorem Camilli.

---

## *Anagnina Molendini.*

### Die Mercurij 10. Maij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Conductor ſi non probat notabile damnum rei conductæ, non poteſt retinere affictum.*
3 *Conductor,qui damnum ſentit in re conducta,tenetur illud reſarcire ex commodo aliorũ annorum.*
4 *Conductor tenetur reſarcire damnum locatori, ſi culpa ſua illud fuit factum.*
5 *Conductori competit reparatio modica.*
6 *Cauſa recedendi à locatione ſi non interſit, non poſſunt locator,neque conductor ab ea recedere.*

1.
## DECISIO DCCCXXXI.

SVper dubio reſeruato in deciſione * in hac cauſa facta die 28. Iunij 1599. an eſſet locus remiſſioni affictus, vel aliorum damnorum, & intereſſe, vel receſſui à locatione, Rota Paulo Columbo ſolùm informante, pro eodem Paulo reſpondit contra Dominicum Geruaſium, nam primò,reſpectu remiſſionis * affictus,ex duobus potiſſimum capitibus affirmatum fuit, ei non fuiſſe locum.Primò,quia pro parte Geruaſij non fuerat probatum notabile damnum, quod acceperat in molendino ſibi locato, neque propter non acceſſum Acutinorum ad molẽdinum, quos accedere debuiſſe non promiſerat Columbus in locatione: neque propter aliud molendinum à Paulo reædificatum, quod iam ante locationem Dominico factam, in alio loco longè remoto conſtructum apparebat: neque propter inundationem fluminis, alueum mutantis, ex quo Dominicus non probauerat reductionem aluei ad priſtinum ſtatutum,aut impoſſibiliter, aut diffi-
2. culter fieri potuiſſe, vt latiùs deductum fuerat in prædicta deciſione, † in hac cauſa facta, quæ Dominis placuit: notum eſt autem,non eſſe locum remiſſioni affictus, quando conductor non probat notabile damnum.Innoc.*in c.propter ſterilitatem,n.2. in princ.de locato*,Couar.*in pract.quæſt. c.30.n.1.verſ.non enim quandocumque,& verſ.quamobrem propius*, Roland.*conſ.*86.*n.*3. *verſ. ſed in terminis,lib.*3. Ruin.*conſil.*81. *num.*1. *verſ. ad hoc ergo*, Alexander *conſil.3.num.6. verſ.tamen non* Boſſius, *tract.de remiſſione mercedis n.3.& multis ſeqq.*

*ſuprà deciſ. 787.n.7.
† idem fuit deciſum in cauſa Romana remiſſionis affictus caſalis die 16. Iunij 1600. coram Millino.
† ſuprà in d. dec.723. vbi actum fuit de his articulis.

3. Secundò,quia licèt aliqua iuſta cauſa ad obtinendam remiſſionem affictus apparuiſſet probata, adhuc non releuaret, cùm ad hunc effectum probanda eſſet quantitas percepta in aliis annis, ex qua damnum in præcedentibus acceptum potuiſſet reſarciri: ſi enim in aliis annis conductor tot fructus ex re conducta perceperit,aut præcedens damnum reſarciri potuerit,tunc propter præcedentem læſionem, aut damnum acceptum non eſt locus remiſſioni,iuxta opinionem quam Rota ſolita eſt tenere, & tenuit in multis cauſis, & ſignanter *in cauſa Romana affictus caſilis*, die 8. Februarij 1593.coram bon.mem. Giptio, & rurſus *in cauſa Romana remiſſionis affictus*,coram Domino meo Litta die 14. Martij 1594. *& in cauſa Interamnen.affictus*,die 11.Decembr.1596. coram eodem, *& in cauſa Romana remiſſionis affictus*, die 19.Iunij 1598.coram Domino meo Corduba.

4. Reſpectu damnorum, & intereſſe reſponſum fuit,nihil potuiſſe Dominicum prætendere,tum quia de certa quantitate damni,vel intereſſe ipſius non conſtabat,tum quia non apparebat probatum,id damnum culpa,vel facto Pauli locatoris eueniſſe.**l.ſi fundus,verſ.nam & ſi colonus ff.locati*,Aretin.*conſ.*111.*n.*4.*in princ.* Pariſ.*conſ.*38.*n.*17. *verſ.& deducitur lib.*1. Iaſ. *conſ.*109.*n.*1. *verſ.quòd*
5. *ſi conductor*, maximè cùm Paulus locator ſolùm promiſerit in contractu locationis ſubminiſtrari Dominico conductori duos lapides molares, & manutenere canale ligneum: reliqua verò inſtrumenta molendini Dominicus ſuis ſumptibus comparare,& conſeruare teneretur, & ſicut alij conductores fecerant,eandem reparationem reficere,vt teſtes pro Paulo examinati teſtificabantur. Ex quibus etiam cùm probaretur, quòd in prædicta reparatione modica impenſa erat neceſſaria, conſequebatur, vt illa ad conductorem, non ad locatorem ſpectaret. Rolandus *conſ.* 28. *num.*25. *in princip. lib.*1. Natta *conſ.*449. *num.* 12. *verſ.ſecus ſi ſit parua, lib.*2.

* adde Lud. dec.235.n.2. & 6.

6. Reſpectu tertij,an eſſet locus receſſui locationis,negatiuè reſponſum fuit, ei non fuiſſe locum,poſtquam non conſtabat de legitima cauſa recedendi, Imola *in dicto cap. propter ſterilitatem, num.*30.*& 31.verſ.an autem conductor*, Boſſius *tit. de remiſſione mercedis,num.*48.qui plures allegat.





---

## *Pennen. beneficiorum.*

### Die Mercurij 10. Maij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Citata parte, & non comparente, neque allegante de ſuo iure, pronuntiandum eſt in fauorem poſſidentis.*

## DECISIO DCCCXXXII.

1. VAcantia beneficia ſimmplicia ſine cura in diœceſi Pennen.per obitum Ioannis Baptiſtæ Sterlichi menſe Decembri 1598. contulit S. D.N.Illuſtr.D.Cornelio fideli,intimo ſuo familiari,quorum vigore breuis A.C. fuit capta poſſeſſio,quam Camera poſt expeditas,& præſentatas litteras Apoſtolicas,eidem Cornelio,Apoſtolico prouiſo ceſſit, & conſignauit, & A.C.mandatum, etiam de immittendo eidem D.Cornelio conceſſit, cuius vigore actualem poſſeſſionem eorundem beneficiorum accepit, cumque innotuiſſet,quòd ad præſentationem quorundam aſſertorum patronorum prætendebantur, intruſi Hieron. Caſtilionus, Adrian.Brancatius, & alij, idem Cornelius obtento Monitorio ſuper manutentione ab A.C. tanquam executore deputato,vigore Breuis,eóque contra prædictos executo,ſeruatis ſeruandis, ab eodem A.C.mandatum de manutenendo,cum inſerta ceſſione Cameræ, ad ſuum fauorem facta obtinuit,nouamque poſſeſſionem apprehendit.

2. Cæterùm,cùm Cornelius cauſam etiam ex petitorio terminari cuperet, ea per commiſſionem ſuper iactationibus, & moleſtationibus prædictorum aduerſariorum in Rota introducta,contra eoſdem citatos,& non comparentes, decreto proceſſu per audientiam contradictarum, petebat declarari nullum ius aduerſariis competere, & conſequenter,ſe non moleſtandum,ſuper quo conſulta Rota cenſuit, Cornelij petitionem iuſtam; cùm enim de Apoſtolica prouiſione non dubitaretur, prædicta enim omnia apparebant in actis probata, & aduerſarij citati nihil deduxiſſent,aut allegaſſent ad docendum de iure ſuo, pro Cornelij poſſeſſore erat pronuntiandum.

---

## *Regien. Iuris patronatus.*

### Die Mercurij 19. Maij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Deſcendentia probatur per duas, vel tres enuntiatiuas, ex inſtrumentis reſultantes.*
*Enuntiatiuæ in duobus, vel pluribus inſtrumentis probant deſcendentiam.n.*5.
3 *Filiatio & aſcendentia probatur per teſtes,teſtificantes de tractatu,& communi reputatione,n.*6.
4 *Filiatio probatur ex teſtamento, in quo pater nominat talem, vt filium.*
7 *Baptiſmi liber probat filiationem.*

## DECISIO DCCCXXXIII.

1. VNa parte tantùm informante,videlicet Petro Aloyſio,& Iulio de Tacculis, dubitaui, an conſtaret, quòd Petrus Aloyſius, & Iulius Tacculis, qui præſentarunt Camillum Boſſium, eſſent compatroni, deſcenderentque à Petro de Tacculis, qui ann. 1393. præſentauerat ad hunc prioratum; & Rota cenſuit,conſtare de deſcendentia Petri Aloyſij à Petro antiquo, de deſcendentia autem Iulij particulariter fuiſſe videndum; Petrum verò Aloyſium deſcendiſſe ab antiquo Petro ſic oſtendebatur. Petrus genuit Aldericum,Aldericus genuit Balthaſarem, Balthaſar genuit alium Petrum, Petrus genuit alium Balthaſarem, Balthaſar autem genuit Petrum Aloyſium, de cuius deſcendentia quærebatur.

2. Aldericum fuiſſe Petri filium,probabatur primùm ex duabus enuntiatiuis antiquis diuerſorum inſtrumentorum,vnius videlicet anni 1429. vbi Georgia,vxor Petri in dimidia parte ſuorum bonorum hæredes vniuerſales ſibi inſtituerat Balthaſarem,Gaſparem,Melchiorem, & Aldericum filios ſupradicti Petri de Tacculis: & alterius anni 1455.in qua in receptione lib.500.dotis Catherinæ vxoris Alderici, Gaſpar Balthaſar, Melchior,& Aldericus enuntiabantur fratres,& filij Nobilis viri Petri de Tacculis:notum eſt autem,per duas,vel plures enuntiationes*antiquas diuerſorum inſtrumentorum probari deſcendentiam. Alexander *conſ.*90.*n.*10.*&* 11.*verſ.& per prædicta,lib.*6. Albenſis *conſ* 83 *n.*3. *verſ.vnde ſuccedit lib.*1.Dec.*conſ.*592.*num.*7.*verſ.nam verba.*

* adde ſuprà dec.275.n.5. Rot. rec.p.1. dec.176.

3. Enuntiatiuis iſtis aſtipulabantur teſtes anno 1503.examinati,teſtificantes de tractatu,& communi † reputatione, & conſequenter bene probabant filiationem. * gloſſa *in cap. tranſmiſſa, in verb.à vicinia*,vbi Antonius de Butrio *num.*4.*verſ. itemque,qui filij ſint legitimi.* Dec.*conſ.*54.*n.*3.*verſ. & hoc videtur, & conſil.*595. *num.*3. *&* 6. Barbatia *conſil.*14.*num* 34.*lib.*3. Pariſius *conſil.*10. *num.*57. *verſ.aliud indicium,& conſ.*13.*n.*9.*verſ.prout etiam.*

† filiatio ex quibus tractatibus probetur,vide notabilem deciſ. apud Rot.diu.p.1. dec.238.n.6. & ſeq.

Ab Alderico fuiſſe genitum Balthaſarem probabatur primò, † ex teſtamento eiuſdem Alderici,in quo, anno 1479. hæredes ſibi vniuerſales inſtituerat Ioannem Antonium,Balthaſarem, & Angelum Mariam de Tacculis, filios ſuos legi-
4. timos,& naturales,ex quo actu cùm ſit filio proportionabilis, & quaſi debitus probari filiationem docuerunt Antonius de Butrio *in cap.tranſmiſſa, num.*10. *verſic. aut nominat.* vbi Præpoſitus *num.*9.*in fine,verſ.aut nominat,qui filij ſint legitimi*, Aretinus *in cap.per tuas num.*23. *verſ.credo tamen*, vbi Felinus *num.*17. *verſ.ſecundum exemplum, de probat.* Gozadinus *conſil.* 13. *verſ.ſecus tamen eſt, num.*7. Ruinus *conſil.*53. *num.*6.*&* 7. *verſ. quia ex tali,lib.*5.Pariſius *conſ.*29.*num.*10. *verſ.qua coadiuuantur lib.* 2. & fuit reſolutum *in cauſa Peruſina bonorum die* 1.*Februarij* 1589.coram D.Cardinale Plato tunc Rotæ Auditore, * *& in cauſa Comen. Capellaniæ*,die 21.Ianuarij 1593.coram me.

* adde ſuprà dec.285.n.5. Coc. dec.64. Caual. deciſ. 46.n.2.& 3.
† adde Lud. dec.422.n.1. Cocc. deciſ. 105.n.3.Rotam rec. p.1. dec.472.n.4
* ſuprà deciſ. 275. & dec.630.

Huic probationi accedebat robur ex enun-
5. ciatiua donationis cuiuſdam Sacri Calicis factæ anno 1495. qua continebatur, Balthaſarem & Angelum Mariam fratres,& filios quondam Alderici de Tacculis,calicem fieri feciſſe,Crauetta *tract.de antiquit.tempor.p.*1.*§.ampliatur nunc memorata concluſio, num.* 14. *verſ. nam illa*; accedebant præterea teſtes de publica voce & fama,& communi reputatione, Decius *dicto conſil.*54. *num.*3. *verſ.& hoc videtur*, Gozadinus *conſil.* 12. *num.* 4. *verſ.ſecundò adduco.*

6. Quod verò Balthaſar genuerit alium Petrum, probabant teſtes de communi * reputatione, & fama,

*adde Mant. dec.317.n.1.

fama,& de tractatu à parentibus,ex quibus probatur filiatio,vt patet ex ſupradictis, quibus accedebat probatio eiuſdem filiationis, deſumpta ex libro baptiſmali, in quo notabatur, Petrum hunc fuiſſe baptizatum,tanquam filium Balthaſaris. Mandoſius *reg*.18. *quæſt*.10.*num*.3.*&* 4. & fuit in hac cauſa dictum coram Domino meo Millino, die 9.Aprilis 1592.

Præterea quòd iſte Petrus genuerit alium Bal-
7. thaſarem, probabant teſtes de publica voce & fama,& communi reputatione,Gozzadinus *prædicto conſ*.12.*n*.17.*verſ.quintò ſolus,& conſ*.13.*n*.34. *in principio*. Item ex libro baptiſmali, * vbi Balthaſar filius Petri de Tacculis notabatur baptizatus, die 9.Februarij 1523.

*adde Caua. dec.128.n.2. quando autem non probet liber parochi ad hũc effectum, vide Rot. rec. p.1.dec.289. n. 3. & hanc concluſionẽ extende vt etiam liber priuatus probet filiationem, Seraph. deciſ. 1331. n.8.Caualer. dec.123.n.1.

Denique,quòd iſte Balthaſar genuerit Petrum Aloyſium, probabatur concludenter ex teſtibus, & nota libri baptiſmalis, quia continebatur,Petrum Aloyſium, filium Balthaſaris de Tacculis fuiſſe baptizatum die 1.Ianuarij 1560.

Ex quibus fuit concluſum, ſatis ſufficienter probari, Petrum Aloyſium recto gradu deſcendere ab antiquo Petro de Tacculis.

---

## *Eugubina diſmembrationis.*

### Die Lunæ 15. Maij 1600.

### DECISIO DCCCXXXIV.

DOmini ad tollendam omnem controuerſiam inter R.P.D.Nicolaum Bilium,Commendatarium S.Verecundi, & Hieron.Mamoletum,voluerunt, quòd etiam pro præterita cauſa concordaretur,& ad iſtum effectum fuit ordinatum, quòd Mamoletus doceret de ſuis prætenſionibus ſuper eo,quod non potuerat exigere ab affictuariis terrarum ſuæ Vicariæ, in diſmembratione aſſignatarum.

---

## *Romàna pecuniaria.*

### Die Lunæ 15. Maij 1600.

### SVMMARIVM.

2 *Depoſita pecunia non dicitur, quæ datur ad aliquem finem, veluti ad alimenta præſtanda, & ad collocandas in matrimonio ſorores.*

4 *Confeſſio partis geminata de iure ciuili probat, etiam parte abſente.*

5 *Confeſſio partis facta incidenter, & ſine cauſa, probat.*

6 *Secus ſi ad interrogationem alterius.*

7.8 *Confeſſio partis ad vnum finem facta, alium operari non debet.*

### DECISIO DCCCXXXV.

1. DIe 3.Martij 1595.* fuerat in hac cauſa deciſum contra Dominum Onofrium Noccarinum,ſententiam A.C.fuiſſe reuocandam.

* ſuprà deciſ.430.

Rurſus verò, modò propoſita, Domini ſteterunt in deciſis,quia placuit deciſio tunc facta,& illa in primis fundamenta. Primum, quòd cùm confeſſio Matthiæ, qua vtebatur Onofrius, fuiſſet incidenter,& ad alium finem,& effectum facta, videlicet ad commendandum Onofrium, qui ad recognoſcenda plurima beneficia, quæ Matthias in ipſum fratrem, & ſorores contulerat', offerebat Matthiæ ſingulis menſibus redditus beneficij S.Petri,quod ſibi cum reſeruatione penſionis reſignauerat,non poterat operari obligationem ad reſtituendum pecunias, tanquam apud Matthiam depoſitas,Surdus *dec*.226.*num*.6. *verſ.& id quidem.*

Rurſus illud, quia cùm Matthias tunc Ono- 2.
frio, matri illius, & fratri alimenta præſtaret, & illius ſorores honeſto matrimonio collocaſſet,in eam cauſam,propter obligationem antidoralem potius, quàm in cauſam depoſiti conſignatæ Matthiæ pecuniæ cenſebantur. Berous *conſil*.56. *n*.10.*lib*.1.præſertim cùm nec verbum quidem dicerent teſtes pro Onofrio examinati de cauſa depoſiti.

Præterea cùm poſtquam Onofrius diſceſſe- 3.
rat de domo Matthiæ, idem Matthias illum in iudicio conueniſſet, ad ſoluendum ſibi penſionem, quam ſibi ſuper beneficio reſignato reſeruauerat, nihil oppoſuiſſet de prætenſo depoſito, veriſimile erat, Matthiam non fuiſſe Onofrij debitorem.

Non obſtabant in contrarium adducta,& præ- 4.
ſertim illud de geminata confeſſione,*quæ probat etiam de iure ciuili, etiam parte abſente facta.Felin.*in c.ſi cautio,n*.39.*in princ.de fide inſtrum.* Gabriel *de confeſſ. concl*.1. *limit*.12. *n*.59. & etiam ſine cauſa facta valet, Felin.*ibid.n*.14. item facta incidenter,Crauett.*de antiq.temp.p*.1.*§.propoſitum noſtrum n*.32. *verſ.pariter dicamus.* Quia reſpondebatur,quòd licèt confeſſiones geminatæ multum operentur, ad effectum probationis illius rei,quam continent confeſſiones,vt in caſu propoſito, ad effectum probandi Onofrium offerre ſolitum pecunias Matthiæ,& Matthiam illas ab Onofrio initio ſingulorum menſium recepiſſe: ſecus tamen eſt, ad inducendam obligationem, vel probationem obligationis Matthiæ,vt receptas pecunias,tanquam depoſitum reſtituere teneretur. Hæc enim inter ſe longè differunt, receptas fuiſſe pecunias, & eas fuiſſe receptas nomine depoſiti, & cum obligatione reſtituendi, quamquam enim vel de ſtricta iuris ratione, vel de æquitate canonica†ex confeſſione iſta geminata, receptio pecuniarum probaretur, ex ea tamen non erat probata cauſa depoſiti: & cùm de alia cauſa veriſimilior conſtaret, propter illam fuiſſe receptas pecunias abſque obligatione reſtituendi, veriſimilius erat.

* adde ſuprà in d. deciſ. 430.n.9.

† ſuprà deciſ. 118.n.7.& 8.

Et maximè in hoc caſu, vbi confeſſio fuerat 5.
facta ad interrogationem alterius, Abbas *in c.fin. num*.17.*verſ.& ideo dic, de ſucceſſ.ab inteſt.*

Itaque licèt teſtes probarent Matthiæ confeſſionem,confeſſio tamen receptionis non probat obligationem reſtituendi.Salicet.*in l*.1.*n*.24.*verſ. eſt enim confeſſio.C.de confeſſ.*Marſilius *in rub.C.de*
*probat.n*.84.*verſ.ſed contrarium.* Abb. *pro citato lo-* 6.
*co*; cùm confeſſio ad vnum finem facta, * alium operari non debeat,Decius *conſ*.310.*n*.4.Alciatus *conſ*.2.*n*.13.*tom*.1.*lib*.1.Surd.*deciſ*.250.*n*.6.*in fine.*

* adde ſuprà dec.430.n.7.

Quòd verò Matthiæ confeſſio ad alterius in- 7.
terrogationem fuiſſet emiſſa, conſtabat ex dicto ſecundi teſtis ſuper 7.dicentis *e melo diſſe a propoſito ch' io li dimandai, come ſi diportaua Onofrio.*

Atque ex his etiam tollebatur alia obiectio, 8.
quòd confeſſio Matthiæ eſſet adminiculata ex partitis extractis ex libro S.Petri, quoniam licèt ex illis induceretur præſumptio receptionis,non tamen inferebatur obligatio reſtitutionis.

*Miranden.*



---

## *Miranden. Parochialis.*

### Die Veneris 17. Maij 1600.

### SVMMARIVM.

3 *Gratioſa ſubrogatio habet locũ in beneficijs litigioſis.*

4 *Subrogatus gratioſè tria probare tenetur, nempe obitus defuncti in poſſeſſione,& ſuum Clericatum, & quòd beneficium erat reſeruatum, vel litigioſum.*

6.7 *Beneficium litigioſum,vel reſeruatum,nemo præter Papam poteſt conferre.*

8 *Subrogatus gratioſè in beneficio non reſeruato, vel litigioſo tenetur verificare omnia narrata.*

† ad obtinendũ in gratioſa ſubrogatione pro immiſſione in poſſeſſionem tria ſunt probanda,obitus defuncti in poſſeſſione, clericatus impetrantis, & quod beneficium ſit reſeruatũ aut litigioſum, vt patet ex hac deciſ. & infrà deciſ. 1232. n.2. & dec.1355. in tom.2 & deciſ. 849. & Caual. deciſ. 450.n.1. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ. & vide ſuprà deciſ. 234.n.2.

### DECISIO DCCCXXXVI.

† PEndente lite inter Emanuelem de Arce, Rectorem & poſſeſſorem Eccleſiæ Parochialis S.Leucadiæ,oppidi de Cercio Miranden. diœceſis, & Antonium de Reboredo, Emanuel obiit menſe Septembri anni 1599. & per eius obitum Franciſcus Sanchez,Nonis Martij 1600. fuit à Sede Apoſtolica de eadem Parochiali pro-
1 uiſus, cum gratioſa ſubrogatione in omni iure, & ad omne ius, ac etiam quoad poſſeſſionem Emanuelis. *

*hæc deciſio habetur impreſſa per Garc. de benef.6. p. c.4. num. 32. vbi agit de materia huius deciſ.

Et quia Franciſcus petebat immitti in poſſeſſionem vigore gratioſæ ſubrogationis, non principaliter in ſupplicatione narratæ, contrà verò prætendebat Antonius dicens, id habere locum, quando ſubrogatio principaliter impe-
2. tratur, & habet per ſe exiſtentiam; ſecus autem eſſe in ſubrogatione à prima gratia dependente, quæ deſumitur vel ex corpore gratiæ principalis,vel ex clauſulis generalibus:†tunc enim omnia narrata in tali gratioſa ſubrogatione eſſe iuſtificanda,ideo dato ſuper hoc dubio,an Franciſcus eſſet immittendus, Rota vtraque parte informante immittendum cenſuit.*

† vide infrà deciſ.490. n. 10. in tom.2. & Lud. dec. 103. n.2. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ.

* hæc reſolutio fuit cõfirmata infrà dec.901.

Cum præſuppoſito enim quòd gratioſa ſubrogatio propriè habet locum in beneficiis litigioſis, † Bonifacius de Vitalinis *in Clementina* 1. *num*.41. *verſ.& ideo,vt puto,vt lite penden.* Mohe-
3. danus *deciſ*.180. *in principio.*

† vide infrà deciſ. 1298. n. 3. Ludou. dec.307.Rotam rec. p.2. dec.116.n.2. & deciſ.197. n.1. & 252. n.6. vbi ad propoſitum allegant hãc deciſ. & p.1. dec.715.n.3. Cocc. deciſ. 431.n.5.

Rota *in cauſa Burgen.de Pancoruo*, die 28.Nouembris 1588.coram bon.mem.Gipſio; item in reſeruatis diſpoſitioni Papæ, & quòd gratioſè ſubrogatus * tria probare teneatur, nempe obitum defuncti, in poſſeſſione, ſuum Clericatum, & quòd beneficium ſit reſeruatum, vel litigioſum, de quibus in hoc caſu conſtabat.

Conſequenter diſtinguebantur tres caſus. Primus eſt, quando Papa ſubrogat gratioſè, ad beneficium litigioſum, ſiue reſeruatum, & tunc talis gratia, præter litem, aut reſeruationem, quæ ſunt huius gratiæ veluti fundamenta, non indi-
4. get alia iuſtificatione, † quàm Clericatus impe-
5. trantis, & poſſeſſionis decedentis, Mohedanus *dec*.292. incip.*Fuit dubium.in princip.verſ.ex parte altera,& deciſ*.323.incip.*Fuit reſolutum n*.1. *verſ.in ſecunda autem*.Put.*dec*.214.incip.*Fuit deciſum,n*.1. *lib*.1. Paleothus *dec*.103.incip.*Marcus Bodianus, circa medium,& deciſ*.119. incip. *Iuxta deciſionem, in principio*,Rota *in prædicta cauſa Burgen.de Pancoruo*,coram Gipſio,& ratio eſt,quia conferendo beneficium litigioſum, vel reſeruatum, nulli fit iniuria, cùm nemo præter Papam de illo poſſit diſponere, & illa gratia vim prouiſionis obtineat,ſi ille, qui obiit, fouebat bonum ius, vt declarat Vitalinus *præcitato loco num*.4. & fuit dictum *in prædicta cauſa Burgen.de Pancoruo*.Et hæc procedunt ſine difficultate,quando gratia ſubrogationis gratioſæ fuit principaliter,& per ſe petita, & obtenta, & litteræ deſuper expeditæ, & hoc modo videntur loqui deciſiones allegatæ.

* adde Dur. dec.14.n.1.& dec.191.n.2. & 406. 430. Ludouiſ. deciſ.394. 166. & 426. Rot. recen.part.2. dec. 187. & vtrobique ad propoſitum allegant hanc deciſ.

† adde Ludouiſ. dec. 32. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. & Rotam rec.p.2.dec.523.n.1.vbi etiam allegat hanc deciſ.



Alter caſus eſt,quando Papa facit gratiam de 7.
beneficio litigioſo, ſiue reſeruato, etiam cum gratioſa ſubrogatione quoad ius & poſſeſſionem defuncti,& impetratur ad partem,expediuit Bullas ſuper gratioſa ſubrogatione deſumpta, vel ex corpore,vel ex clauſulis generalibus eiuſdem ſupplicationis, & hoc caſu licèt non modò gratia ſubrogationis quoad duo prædicta, videlicet Clericatum, & poſſeſſionem, ſed omnia etiam narrata in gratia principali, iuſtificanda viderentur, nihilominus tamen Rota cenſuit; ſufficere iuſtificationem Clericatus, * & poſſeſſionis. Ratio fuit,quia agebatur de beneficio litigioſo,ſiue reſeruato, de quo cùm nemo præter Papam prouidere poſſit, nulli fit iniuria per talem prouiſionem, & conſequenter ſatis erat iuſtificare prædicta duo,prout requirit natura gratioſæ ſubrogationis.

* adde ſuprà dec.17.n.5. & Lud.deciſ. 394.n.1. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ.

Tertius caſus eſt, quando beneficium non eſt 8.
litigioſum,vel reſeruatum, ſeu aliàs affectum,& tunc ſi quis ad illud gratioſè ſubrogetur, omnia narrata in gratia ſubrogationis tenetur iuſtificare, † nam tunc ſubrogatio in beneficio non litigioſo habet vim collationis, & opus eſt eam iuſtificare,prout neceſſe eſt,iuſtificare aliam prouiſionem, & collationem, pro obtinenda canonizatoria,tum,quia huiuſmodi iuſtificatio venit in conſequentiam ipſius prouiſionis, vt fuit conſideratum in illa Burgen. de Pancoruo, tum quia per prouiſionẽ beneficij non litigioſi,vel non reſeruati,vel nõ affecti,iniuria inferri poteſt prouiſis ab ordinariis,ſeu aliis legitimis collatoribus.

† adde Mant. dec.71.n.6.

Ex quibus concluſerunt, Dominum Franci- 9.
ſcum fuiſſe immittendum,quamuis ſolùm iuſtificaſſet ſuum Clericatum,& poſſeſſionem Emanuelis in beneficio,tempore obitus,quia beneficium erat litigioſum, * iuxta deducta in primo & ſecundo caſu, & conſequenter vacillare deciſionem coram me factam in Firmana † beneficij die 19.Ianuarij 1600.

* adde Lud. in d. deciſ. 394.n.2.

† ſuprà deciſ. 806. & vide infrà deciſ. 901.

---

## *Lucana expenſarum.*

### Die Mercurij 24. Maij 1600.

### SVMMARIVM.

2 *Exceptio omnis ceſſat poſt ſententiam, quæ tranſiuit in rem iudicatam.*

3 *Inſtrumentum extractum ex archiuio communitatis, per Archiſtas, faciunt fidem,cùm cuſtodes archiuij ſubrogentur in locum Notariorum.*

4 *Statutum Lucanum diſponit,plenam fidem adhibendam eſſe copijs inſtrumentorum, extractis de manu alicuius ex duobus cuſtodibus archiuij, ac ſi eſſet extracta de manu alicuius publici Notarij rogati.*

 Littera

5 *Litteræ originales & patentes, cum ſigillo, & alijs ſolemnitatibus Epiſcopalibus plenè probant. & non indigent compulſoria, num.6.*
7 *Obſeruantia ſubſecuta poteſt efficere, vt detur fides ſcripturis, & inſtrumentis, aliàs minus ſolēnibus.*
8 *Termino tranſacto ad dicendum, contra iura producta, cenſentur admiſſa de partium conſenſu, ſi nihil per partem apponatur.*
9 *Exceptio generalis non releuat in his, quæ ſpecialiter ſunt excipienda.*

## DECISIO DCCCXXXVII.

1. VTraque parte informante, dubitaui, an iura de quibus agebatur, eſſent in forma probante, ad effectum euitandæ, vel non euitandæ ſolutionis expenſarum, quas prætendebat D. Iulius Menochius non debere ſoluere ex eo, quòd habuiſſet iuſtam cauſam litigandi ſuper hac Capellania, contra Franciſcum de Bonis, & contra ſe fuerat pronunciatum, & ſententiæ tranſiuerant in iudicatum, cum ſubſecuta executione, quo caſu regulariter ceſſat omnis exceptio, gloſſ.
2. *in l.1. verb.vti*, vbi notat Iaſon *num.* 1. *& num.*4. *verſ.ex quo habes, C.de iuris & facti ignor.* & Rota in forma probante eſſe cenſuit, quia licèt de aliquibus iuribus minus principalibus potuiſſet eſſe aliqua dubitatio, ea tamen in quibus conſiſtebat pondus cauſæ, ad victoriam obtinendam, erant in forma probante, nempe teſtamentum
3. continens fundationem Capellaniæ, quod fuerát extractum à Notario Archiuiſta, * à quo ſolent extrahi inſtrumenta, & ſcripturæ in Archiuo communitatis Lucanæ exiſtentia; præſertim cùm eſſet extractum ante intimatam citationem, ſuper lite mota. Alexand. *conſ.92. num.6. verſ. nam cùm ibi, lib.2.* Romanus *conſ.319. verſ. ſecundò probatur*; cùm cuſtodes Archiuij cenſeantur ſubrogati in locum Notariorum mortuorum. Zabarella *conſ.72.* incip. *Sigillatim, num.6. in fine.*

* adde ſuprà dec.678.n.4. vbi annotaui alias deciſ.

4. Idem iudicium erat de duobus aliis teſtamentis, extractis ab eodem Archiuo Lucano, ex quibus apparebat, ius patronatus Capellaniæ à fundatore in familiam de Martinis fuiſſe deriuatum: nam hæc etiam fidem facere dicebantur, quibus adſtipulabatur ſtatutum Lucanum *lib.* 3. *cap.* 42. quo cauetur, fidem plenariam adhibendam in iudicio, & extra, copiis inſtrumentorum, & actorum ſcriptis, & publicatis manu alicuius, ex duobus cuſtodibus, perinde ac ſi ſcripta forent manu Notarij rogati de tali ſcriptura, vel actis.

5. Literæ patentes duarum inſtitutionum, ad præſentationem Patronorum de Martinis anno 1565. & 1567. quæ fuerant ſortitæ effectum, cùm eſſent originales, cum debitis ſolemnitatibus, * ac ſigillis Epiſcopalibus, ſine dubio iudicatæ fuerunt authenticæ, & fidem facientes, *c.2.* ibi, *niſi per publicam, de fide inſtrum. cap. peruenit*, vbi gloſſa *in verb. ſigillo*, & Hoſtienſ. *num.3. verſ. nota quòd ſcriptura, de fideiuſſoribus.*

* adde Dur. dec.376.n.5. Rot. diu.p.1. dec.535.n.1.

6. Et ex prædictis patebat, quòd pro extractione prædictarum ſcripturarum non erant neceſſariæ litteræ compulſoriales, aut partis citatio, Zabarella *d.conſil.72. num.7. verſ. non ergo requiritur, & num.8. verſ. idem tamen*, Baldus *in cap.1. num.11. verſ. item ſumptum eſt, de fide inſtrument.* Felinus *in cap. ad audientiam, num.15. verſ. ſexta concluſio, de præſcriptionibus*, & fuit deciſum *in cauſa Caſalen. præpoſituræ*, die 4. Maij 1596. coram bon. mem. Giptio.

Poſtremò reſpectu iſtarum, & aliarum ſcri- 7.
pturarum, de quibus poterat dubitari, difficultatem tollebant ad prædictum effectum duo, primum obſeruantia ſubſecuta, quæ conſiderata etiam fuit in deciſione in hac cauſa facta die 20. Iunij 1597. coram Domino meo Decano, * hæc enim operatur, vt detur fides ſcripturis aliàs minus ſolemnibus, † Felinus *in d.cap. ad audientiam num.15. verſ. nona concluſio, de præſcriptio.* Crauetta *tract. de antiq. tempor. part.1. §.4. limitatur, num.14. & ſeq. verſ. quintò limitatur*, idem *conſ.101. num.4. verſ. facit, quod dicimus*, qui plurimos ad hoc allegat.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 1232. n.3. & dec.928. n.2. & deciſ.980. n.15. & dec. 1000. n.13. & dec. 133. n.5. & vide infrà deciſ. 1053. num. 7. in tom.2.

† adde annotat. ad deciſ. 469. Ludou. lit.B. vbi allegat alias deciſ. Caual, dec.122. n.5. & deciſ.641. n.9. & aliàs ſæpe.

Alterum, quòd in termino ad dicendum contra iura producta pro parte Iulij Menochij, nihil in toto proceſſu apparebat oppoſitum, Verallus *deciſ.234. num.2. part.* 3. quo caſu lata ſententia, iura de partium conſenſu cenſentur admiſſa, Doctores *in Authent. ſi quis in aliquo. C. de eden.* vbi Socinus *num.18. verſ. confirmatur*, Decius *num.27. verſ. decimo, & vltimo*, Felinus *in cap. vltimo num.7. verſ. fallit ſecundò, de fide inſtrumentorum*, Puteus *deciſ.415.* incip. *In vna Toletana lib.1.*

Neque obſtabat quòd fuerit dictum, genera- 8.
lia contrà, quia reſpondebatur, quòd pendente
cauſa, iſta exceptio generalis erat ſpecificanda, 9.
aliàs enim exceptio generalis non releuat, Bartolus *in l.1. num.7. verſ. dico quòd ſic. ff. de exceptio.* gloſſa *in cap. paſtoralis, in verb. poteſtate*, & *ibi* Felinus *num.13. in principio, de exceptionibus*, Alexand. *conſil.58. num.1. verſ. & omiſſis exceptionibus, lib.5.* ex generali enim oppoſitione, ſolùm præſeruatur ius ſpecificandi in proceſſu cauſæ. Veſtrius *in praxi lib.5. cap. vltimo num. 10. verſ. ampliùs ſeruatum eſt.*

Ex quibus fuit concluſum, ad prædictum effectum, iura, de quibus agebatur, ſatis ſuperque potuiſſe dici eſſe in forma probanti.

---

### *Romana bonorum de Ceulis.*

### Die Veneris 14. Iunij 1600.

## DECISIO DCCCXXXVIII.

AD multam importunitatem agentium pro 1.
D. Tiberio Ceulo feci verbum in Rota, ſuper dubio, quod ſibi dandum prætendebant, videlicet, an ipſe teneretur ad fructus, ſeu intereſſe pecuniarum redactarum ex 50. locis montium, & augmenti, à die contracti matrimonij per D. Clariciam Ceuliam, & quia ego valde dubitabam, an eſſet dandum, quia mutuatis tantùm verbis reuolui antiquas diſputationes, ſuſpicabar, ideo Domini dixerunt, dandum prædictum dubium, niſi aliàs, vel ſub eiſdem verbis, vel virtualiter ſub aliis, non fuiſſet deciſum.

Et propterea, quia adhibita diligentia, & viſis antiquis deciſionibus, in hac cauſa factis, eam videbatur deciſum die 31. Ianuarij, & die 3. Martij 1586. coram bon. mem. Orano, & tunc fuit dictum, Dominos non dubitaſſe, quin pro tota ſumma D. Clariciæ debita, fructus ad rationem ſeptem cum dimidio pro centenario, eidem Clariciæ deberentur, ideo nolui ſubſcribere, nec partibus diſputandum dare.





---

### *Romana fideicommiſſi.*

### Die Mercurij 14. Iunij 1600.

### SVMMARIVM.

7 *Inſtrumentum facit probationem probatam.*
8 *Donatio facta, cùm clauſula*, conſtituti, *& quòd tot ſint donationes, quot perſonæ, ipſo iure transfert dominium, & poſſeſſionem, in ſucceſſorem.*
9 *Interdictum*, Quorum bonorum, *non datur contra titulo poſſidentem.*
10 *Succeſſor maioratus, cui nihil eſt detrahendum, ſtatim eſt immittendus in poſſeſſione.*
11 *Maioratus ſucceſſor, cui nihil eſt detrahendum, ſtatim eſt immittendus in poſſeſſione, præcipuè, ſi ſint deſcendentes à donatario.*
12 *Fideicommiſſo ſubiecta bona ſtatim ſunt aſſignanda, & in poſſeſſionem illius immittendus immediatus ſucceſſor.*
13 *Poſſeſſio rei fideicommiſſo ſubiecta, per vocationem filiorum factam à teſtatore, donec diſputantur alia, tradenda eſt filijs fœminis, ex interdicto Quorum bonorum, & n.15.*
14 *Succeſſor habens fundatam intentionem, vt hæres, immittendus in poſſeſſionem omnium bonorum defuncti, etiam feudalium.*
17 *Donatio facta pluribus perſonis, admittit ius accreſcendi.*
18 *Immiſſio in poſſeſſionem non poteſt impediri, quando aliquid remanſurum eſt penes hæredem.*
19 *Legitima detrahitur de donatione hæreditaria.*
20 *Immiſſio in bonis hæreditarijs, fideicommiſſo ſubiectis, vt impediri non poſſit, quatuor requiruntur, ſcilicet, eſſe legitimum contradictorem, quòd poſſideret ſine vitio, quod in continenti dixit de ſuo titulo, & quòd nihil penes prætendentem maioratum ſit remanſurum.*

## DECISIO DCCCXXXIX.

* hæc annotatio reperitur in Codice originali R.P.D.Peña.

NOn eſt * danda fides exemplis, ſeu copiis non conuenientibus cum hoc diſcurſu originali, à me maturè iuxta contenta in actis emendato anno 1493. Virgilius Verſinus dona-
1. uit inter viuos, Georgio Santacruzio, pro ſe, & ſuis liberis, & nepotibus maſculis per virilem ſexum, vſque in infinitum, de gradu in gradum deſcendentibus, ad vnam proprietatem, perpetuamque hæreditatem, ac pleno iure, caſtrum Vrani, & Rotæ dirutum, & caſale Iſchiæ, cum eorum tenimentis, & aliis iuribus, voluitque tot cenſeri factas fuiſſe donationes, quot erant perſonæ, & gradus, ad quos bona donata transferrentur, quæ directè ad ipſos ſubſtitutæ, prædicto ordine deuoluerentur, eorum poſſeſſionem propria authoritate capere poſſent.

2. Anno 1498. Georgius cùm moreretur condito teſtamento, vniuerſales ſibi hæredes inſtituit Paulum, & Onofrium ſuos filios, quos ad inuicem ſubſtituit, perpetuumque fideicommiſſum ad fauorem maſculorum deſcendentium in infinitum fecit, prohibens quamcumque detractionem Falcidiæ, & Trebellianicæ, filiabus ſemper excluſis.

Paulo deinde ſine filiis vitâ functo, Onofrius 3.
etiam obiit anno 1546. condito teſtamento, in quo iure prælegati reliquit Epiſcopo Scipioni, eius filio primogenito, caſtrum Viani cum territorio, poſt cuius Epiſcopi obitum ad primogenituram vocauit alium primogenitum ex ſucceſſoribus ſuis, & primogenitos ſuorum ſucceſſorum in infinitum, in cæteris verò bonis eundem Scipionem, Georgium, Fabium, & Octauium filios æqualiter hæredes inſtituit, inuicemque ſubſtituit, fideicommiſſumque ad fauorum maſculorum, in perpetuùm deſcendentium fecit, prohibita ſimiliter detractione Falcidiæ, & Trebellianicæ, fœminis etiam ſemper excluſis, quas ſuis dotibus contentas eſſe voluit.

Anno 1563. Scipio, conſequuta poſſeſſione 4.
caſtri Viani, vigore prædictæ primogenituræ, cum prædictis fratribus deuenit ad diuiſionem cæterorum bonorum, confirmatoque teſtamento Onofrij patris conuentum fuit inter fratres, vt eidem Scipioni, per Georgium, Fabium, & Octauium ducata 1038. annua communiter ſoluerentur, cum reſeruatione ſpecialis hypothecæ caſalis Vaccarecciæ, & aliorum bonorum hæreditariorum.

Deinde Octauius, qui primò obiit, hæredem 5.
ſuum vniuerſalem ſibi Fabium inſtituit.

Rurſus obiit Scipio, qui Dominum Onofrium Santacruzium, ſuum ex Georgio fratre nepotem, (qui nunc eſt in cauſa) hæredem ſibi vniuerſalem fecit.

Præterea obiit Georgius, relictis prædicto Domino Onofrio, & Paulo ſuis filiis legitimis, & naturalibus.

Fabio anno 1596. vitâ functo, Onofrius, & Paulus Santacruzius omni meliori modo, ſine præiudicio quorumcumque ſuorum iurium, vacantem poſſeſſionem caſalis Rotæ adepti fuerunt; & quoniam vigore donationis, à Virgilio factæ, & teſtamentorum deinde conditorum, poſſeſſionem aliorum bonorum prætendebant; ex aduerſo autem Domina Hortenſia, & Veturia ſorores Santacruciæ filiæ legitimæ, & naturales Fabij, & conſequenter illius hæredes vniuerſales, quæ paternam hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij adiuerant, in poſſeſſionem caſtri Rotæ immitti petebant, vtraque parte informante dubitaui, cui eſſet danda immiſſio, in caſu, & ad effectum de quo agebatur; & quoniam Dominorum ſuffragia non erant conſentientia, propterea ordinatum fuit, vt ad donationis titulum cauſa reſtringeretur.

Difficultas enim cauſæ oriebatur ex eo, quòd 6.
pro vtraque cauſa, rationes ſatis acres proponebantur ad probandam litigantium intentionem; nam pro Dominis Onofrio, & Paulo conſiderabantur ſequentia.

Primum erat titulus Onofrij, & Pauli ex do- 7.
natione Virgilij deductus, de quo cùm conſtaret per publicum inſtrumentum, dicebatur continere probationem * probatam, & veritatem apparentem, Decius *conſil. 423. num.10. verſ. & inſtrumentum*, Gratus *conſ.108. num.2. in principio.* Natta *conſ.177. num.1. in principio*, Rolandus *conſil.75. num.19. lib.2.*

* adde ſuprà deciſ.771. & 780. vbi annotaui alias dec.

Rurſus cùm in donatione adeſſet clauſula 8.
*conſtituti*, † & in ea contineretur expreſsè, tot conferri donationes, quot eſſent perſonæ, ad

† adde Dur. dec 84 n.16. & 18 Cocc. dec.240.n.4.

quas eſſent bona peruentura, conſequenter mortuo Fabio ſine deſcendentibus maſculis, ipſo iure dominium & poſſeſſio dicti caſtri Rotæ, videbantur quæſita Onofrio, & Paulo à Georgio deſcendentibus, Decius *conſil.*239.*num.*8.*verſ.* & *ideo*, in caſu noſtro Bolognettus *conſ.*6.*num.*16. & 17.*verſ.propterquam.*

9. Atque hinc prætendebant informantes pro eiſdem Dominis Onofrio, & Paulo, excludere remedium à Domina Hortenſia, & Veturia intentatum, ex interdicto *Quorum bonorum*, quod non datur contra titulo poſſidentem, * Ripa *in l.*1.*num.*2.*verſ.ſed an vtile. ff. quorum bon.* Menochius *de adipiſcenda poſſeſſione, remedio* 1. *num.*60. *verſ.* & *non concedi.* Hieronymus Gabrielius *conſil.*31.*num.*2. *in principio, lib.*1. Verallus *deciſ.*98. incip. *Interdictum adipiſcendæ, lib.*1. *in manuſcriptis.*

* adde Coc. dec.386.n.2. Rot.rec. p.1. dec 671.n.1.

10. Conſiderabatur etiam, quia cùm nihil veniret detrahendum,* etiamſi iſti Domini actu non poſſiderent, in poſſeſſionem videbuntur immittendi, vel ſaltem in adepta poſſeſſione retinendi, & conſeruandi, Natta *conſil.*234.*num.*6. *in principio.*

* adde Lud. dec.206.n.8. & annota. ad 185.n.4.

11. Et præſertim in hoc caſu, in quo non dubitabatur, quin caſale Rotæ eſſet in donatione comprehenſum; & Onofrius, & Paulus eſſent maſculi, à donatario deſcendentes.

12. Pro eiſdem faciebat etiam inſtrumentum diuiſionis bonorum factæ inter Fabium, & alios filios Onofrij ſenioris, quæ remanſerunt ex eius hæreditate, cùm enim conſtaret de fideicommiſſo ad fauorem Onofrij, tanquam deſcendentis maſculi purificato, & bona de quibus agebatur eſſent fideicommittentium, non videbatur de immiſſione * dubitandum, Marzarius *de fideicomm.quæſt.*58.*num.*8. Peregrinus *tractatu de fideicommiſſis, art.*44.*n.*5.*in principio*, Socinus *conſ.*46.*num.*1.*in principio, lib.*3.

* adde Dur. dec.24.n.1.

13. Poſtremò dicebatur, quòd ſaltem cùm ſupradicta omnia requirerent altiorem indaginem, non poterat interim impediri immiſſio * Onofrio, & Paulo competens, vigore claræ donationis. Rolandus *conſ.*1.*n.*72. & 73. *lib.*1. & *conſ.*98. *num.*4.*lib.*3.

* adde Seraphin. dec. 616.n.10.

Ex aduerſo pro D. Hortenſia, & Veturia quòd eis competeret immiſſio, aliis Dominis videbantur vrgere ſequentia.

Primum, quia cùm eſſent filiæ Domini Fabij, vltimo loco ab inteſtato defuncti, nec filiatio reuocaretur in dubium, meritò debebatur eis immiſſio ex interdicto *Quorum bonorum, lib.*1. *C.quor. bonor.* Menochius *de adipiſcend. remed.*1. *num.*97. & 98. Bellonus *conſil.*35. *num.*2. *verſ. ſecundò datur.*

Quo remedio vti poteſt ſucceſſor etiam pro nuda detentatione, quam defunctus habebat. Bartolus *in dicta l.*1.*num.*12. *verſic.interdictum.C. quorum bonor.* Aretinus §. *quadruplici, num.*26. *in principio, Inſtitut. de actio.* Ripa *in l.*1. *numer.*18. *verſ. Stat igitur concluſio, ff. quorum bonorum*, Gabriel *conſil.*31. *numer.*5. *verſ. interdictum autem, lib.*1.

14. Præterea cùm Domina Hortenſia, & Veturia haberent fundatam intentionem, tanquam hæredes immitti debebant in poſſeſſionem omnium bonorum defuncti, etiamſi eſſent feudalia. Decius *conſil.*424.*num.*10. & 11.*verſ. vbi dicit quòd filia.*

Neque ipſis obſtabat donatio, cuius titulo nitebantur Domini Onofrius, & Paulus; quia cùm illa poſtularet altiorem indaginem, non poterat impedire immiſſionem Fabij, filiabus debitam, Rolandus *dicto conſil.*1.*num.*72. & 73. *lib.*1.*conſil.*98.*num.*4.*lib.*3. 15.

Quòd verò donatio magna diſcuſſione indigere videretur, ex eo patebat, quia meritò dubitari poterat, an progrederetur vltra nepotes, cùm verbum illud *liberis*, in donatione poſitum, videretur reſtringi per aliud verbum adiunctum, *nepotibus, l. ea tamen adiectio, ff. de legatis* 3. 16.

Quibus accedebat, quia teſtator in multis locis donationis, per informantes ponderatis, videbatur ſe ad nepotas reſtringere.

Rurſus dubitari etiam poterat, an vigore donationis fuiſſet factus locus iuri acreſcendi, cùm à principio donatio eſſet pluribus facta, ita vt tot donationes factæ cenſerentur, quot eſſent perſonæ. Decius *conſilio* 236. *in principio.* 17.

Propter detractionem etiam legitimæ, & melioramentorum dicebatur filiabus Fabij immiſſionem deberi; nam quando aliquid remanſurum eſt penes hæredem, non poteſt impediri immiſſio. Rolandus *conſil.* 2. *num.* 42. & 43. *lib.* 3. 18.

De iſta enim donatione hæreditaria legitima erat detrahenda. Ruinus *conſil.*113. *num.*33. *lib.*2. Capicius *deciſ.* 2. *num.* 2. & 3. & 4. Boërius *deciſione* 204. *numer.* 13. Molina *de Hiſpanor. primogen. lib.*1. *cap.* 11. *numer.* 29. *verſ. nam quamuis.* 19.

* adde Lud. dec.539.n.2. & 3. & latè annot. n.19.

Ex quibus inferebatur, Onofrium, & Paulum non potuiſſe impedire immiſſionem, quia non poterat verè dici, quòd pro ipſis ſtarent quatuor illa requiſita, quòd eſſent legitimi contradictores, quòd poſſiderent ſine vitio, quòd in continenti docerent de iure ſuo, & quòd nihil penes ſorores hæredes eſſet remanſurum, Menochius *de adipiſcend. remed.* 4. *numer.* 634. & *ſequentib.* 20.

Atque hæc vtrinque conſiderabantur, reſpectu immiſſionis caſtri Rotæ: nam quoad alia bona, in donatione Virgilij Vrſini non comprehenſa, & per Fabium tempore obitus poſſeſſa, Hortenſiæ & Veturiæ dicebatur competere immiſſio, per regulas conſtitutas ad fauorem ipſarum.

Et ex his fuit concluſum, vt cauſa reſtringeretur ad titulum donationis, quo potiſſimum nitebantur Onofrius, & Paulus. Ego verò libentiùs ſuaderem concordiam, cùm agatur inter perſonas ſanguinis vinculo coniunctas, & graues difficultates in cauſæ proſecutione ſeſe offerant, non ſine magnis impenſis diſcutiendæ.

De prætenſo quodam Fabij teſtamento non fuit habita ratio, quia tempore propoſitionis huius cauſæ non erat productum in actis.

*Veneta*



## *Veneta Illegitimitatis.*

### Die Veneris 16. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Nullitas eſt, ſi non citetur pars, ad dicendum contra articulos, ad videndum iurare teſtes, etſi non ſeruatur forma delegationis.*

2 *Citatio ad dicendum contra articulos, non eſt neceſſaria, ſi ſint admiſſi cum termino ad deponendum, parte præſente.*

3.4 *Iudicis monitio facta parti, ad videndum iurare teſtes, habet vim citationis.*

## DECISIO DCCCXL.

1. VTraque parte informante propoſui dubium, ſuper tribus nullitatibus oppoſitis contra examen teſtium Alphonſi Catandi, nempe ob defectum citationis ad dicendum contra articulos, & videndum iurare teſtes, & ob non ſeruatam formam Remiſſoriæ, ſiue delegationis.

2. Et quoad primam nullitatem, ex defectu citationis ad dicendum contra articulos, dictum fuit, eam non obſtare, nam ex quo articuli fuerunt producti, & admiſſi cum termino ad opponendum, parte præſente, * non fuit neceſſaria alia citatio. Geminianus *in cap. fin. num.* 12. *verſ.Item cùm effectus, de elect.lib.*6. Alexander *conſil.*122.*num.*2.*verſ.ideo iura, lib.*2. Decius *conſ.*449. *num.*8.*verſic. præterea dato*, Capicius *deciſ.*1.*n.*37. *verſ. niſi dicamus*, Caſſadorus *deciſ.*2. *num.*3.*verſ. item quando pars.* & in ſpecie fuit deciſum in cauſa Calagurritana oblationum die 26. Martij 1590. coram D. Comitulo.

* adde ſuprà dec. 84. n.3. & ſeq. & dec. 699.n.3. & 4. & deciſ.722. n.3. Durand. dec.305.n.7.

3. Ad ſecundam nullitatem reſponſum fuit non obſtare, cùm ex ſerie facti conſtaret, Procuratorem Cathaneorum præſentem, à iudice fuiſſe monitum, vt intereſſet ad videndum produci, induci, & iurare teſtes coram iudice examinatore, ad id deputato, iſta enim monitio * iudicis, facta præſente Procuratore, fuit ſufficiens pro citatione. Geminianus *in dicto cap. finali, num.*13. *verſ.nota iſtud dictum, de election. lib.*6. præſertim cùm Procurator Cathaneorum petiuerit ſpecificari nomina teſtium.

* adde ſuprà dec 409.n.2. Durand.dec. 198. n. 19. Coc dec 79. n.3. & deciſ. 141. n. 4. & vbi creditur Notario atteſtanti de tali monitione, Durand.dec. 205.n.1.& 2.

Tertia nullitas, ex defectu citationis ad videndum iurare teſtes iuxta formam delegationis, viſa fuit Dominis releuans, nam cùm iudex cauſæ commiſerit iudici delegato, vt durante termino probatorio, & citato Ludouico, ſiue altero ex fratribus ad intereſſendum, & videndum iurare teſtes, delegatus eam formam ſeruare tenebatur, † *cap. cùm dilecta, verſ. dictum inſuper, de reſcript.* quæ tamen non apparebat obſeruata, quia non reperiebatur citatus Ludouicus coram ſubdelegato ad videndum iurare teſtes, *cap. in nomine Domini*, vbi Decius *num.*28.*verſ.* & *expediendo, de teſtibus l. ſi quando, C. eodem.* Rota *deciſ. prima, num.*3. & 4. *de fide inſtrum. in nouis, verſic. hinc eſt, quòd productio.*

4. † adde ſuprà dec.721.n.4. vbi annotaui alias dec.

## *Bononien. Executionis.*

### Die Veneris 16. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Executiuo iudicio procedi non poteſt contra tertium poſſeſſorem.*

3 *Executio eſt reuocanda, ſi iudex alius declarauerit non eſſe procedendum in ea.*

## DECISIO DCCCXLI.

EXecutionem factam auctoritate generalis Auditoris Bononien. ſuper apotheca poſſeſſa per Dominum Camilium Boccaferreum, ad inſtantiam R. P. D. Ioannis Ludouici ab Armis, vigore obligationis Cameralis, idem Auditor, inſtante eodem Camillo, reuocauit, & Rota vtraque parte informante, me cauſam extra Rotam proponente, dictam reuocationem, ſiue ſententiam vltimo loco latam, ad fauorem Camilli confirmandam cenſuit, pronuncians non fuiſſe locum executioni obligationis Cameralis, ad fauorem Dominij Armij, quanquam de iuſtitia particulariter videndum voluerit, tum quia cùm lata fuiſſet ſententia contra Dominum Armium, vulnerata remanſit obligatio in forma Cameræ, & ideo non potuit ad illius executionem procedi, vt ſæpe fuit reſolutum, & nouiſſimè *in cauſa Romana* * *de Perbenedictis*, coram Domino meo Litta. 1.

* habetur in rec.p.2. dec. 28.n.1.

Tum præterea, quia contra tertium poſſeſſorem, † qualis erat Dominus Camillus, non poterat agi iudicio executiuo. Bald. *in l.* 1. *num.*6. *verſ. ſecus ſi agitur. C. commun. de legatis*, Iaſon *in l. quædam* §. 1. *num.*7. *verſ. hinc eſt. ff. de eden.* Galleſius *prædicto tractat. ad* 2. *partic. primæ partis, quæſtion.*3. *numer.* 3. *verſ. ſed contra particularem.* 2.

† adde Dur. dec. 15. n.8. & dec.37. n. 7. & dec.50. n.1. Lud.22. n.1. & deciſ. 330.n.2.

Nec dubitabatur de validitate reuocationis, factæ per eundem iudicem, qui priùs decreuerat immiſſionem in apothecam contra D. Camillum, qui cùm Camillus coram iudice de iure ſuo docuerit, potuit iudex declarare executionem reuocandam. *l. à Diuo Pio* §. *ſi ſuper rebus*, & *ibi* gloſſa *in verb. fiat*, vbi notant Bartolus *n.*7. *verſ. Ego dico*, Imola *num.*15. Alex. *num.*1. & Iaſon *num.*19.*verſ. tertiò in quantum ff. de re iudicata*, & Couarruuias *in pract. quæſt. cap.* 16. *num.* 3. *verſ. quartus caſus.* 3.

## *Regien. Iuriſpatronatus.*

### Die Lunæ 19. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Genealogia probatur per enuntiatiuas inſtrumentorum.*

*Inſtrumentis enuntiantibus genealogiam probatur deſcendentia, ibid.*

2 *Filiatio probatur per teſtes de communi reputatione.*

4 *Scriptura dicitur antiqua ad probandam filiationem, licèt non excedat centum annos.*

*6 Patro*

6 *Patroni veri dicuntur, qui per centum annos præſentarunt.*

## DECISIO DCCCXLII.

1. IN deciſione in hac cauſa * facta die 10. Maij fuit reſeruatum videre de deſcendentia Iulij, à Petro Faculo antiquo, qui præſentauerat, vigore iuriſpatronatus anno 1398. & Rota Iulio Tacculo informante, pro ipſo reſpondendum cenſuit, nam quòd Petrus antiquus genuiſſet Balthaſarem, qui præſentauerat anno 1440. probabatur ex tribus enumeratiuis * trium inſtrumentorum antiquorum. Alexander *conſil.* 90. *num.* 10. & 11. *verſ. & per prædicta, lib.* 6. Decius *conſil.* 595. *num.* 7. *verſic. nam verba.* Item ex teſtibus de communi reputatione & tractatu examinatis anno 1503. qui ita teſtificantes probant filiationem,

2. † gloſſa *in cap. ex tranſmiſſa, in verb. à vicinia*, vbi Antonius de Butrio *num.* 4. *verſ. Item quod, qui filij ſint legitimi.* Decius *conſil.* 54. *num.* 3. *verſ. & hoc videtur*, Pariſius *conſ.* 10. *n.* 57. *verſ. aliud indicium*, cum aliis allegatis in hac cauſa prædicto die facta.

* ſuprà dec. 833.

* ex quibus ſatis probatur, vt fuit dictum ſuprà dec. 833. n. 2. vbi annotaui alias dec.

† adde ſuprà in d. deciſ. 833. n. 6. & 7.

Quòd verò Balthaſar genuiſſet Ludouicum, probabatur ex eiſdem teſtibus, deponentibus de communi reputatione, & fama, ex his enim probatur filiatio, vt latè fuit dictum in altera deciſione.

3. Dictis teſtium accedebant duæ enunciatiuæ duorum antiquorum inſtrumentorum an. 1459. & anni 1504. quæ vltima ad effectum probandæ filiationis cenſetur antiqua, licèt non excedat 100. annos. * Pariſius *conſil.* 23. *num.* 252. *lib.* 1. Puteus *deciſ.* 518. *num.* 2. *verſic. cùm igitur, lib.* 2.

* Rota rec. p. 2. dec. 534. n. 2.

4. Quòd ex Ludouico deſcendiſſet Matthæus Maria, probabatur primùm, per vnam enunciatiuam ſententiæ latæ anno 1504. & per alteram libri Baptiſmalis, in quibus Matthæus Maria enunciabatur filius Ludouici de Tacculis, quibus accedebant teſtes de communi reputatione deponentes, qui licèt eſſent in alia cauſa examinati, magnum tamen faciebant adminiculum ad veritatem prædictarum enunciatiuarum.

5. Præterea, quòd Matthæus Maria genuiſſet Iulium, qui præſentauerat anno 1338. & Iulius genuiſſet Flaminium, & ex Flaminio genitus fuerit Iulius, qui petebat declarari ſe eſſe compatronum, probabatur ex teſtibus poſtremò loco examinatis, deponentibus ſigillatim per ſingulos gradus diſtinctos de certa ſcientia, de publica voce, & fama, & communi reputatione, & nominatione, & tractatu apparentibus, item ex libro Baptiſmali, ex quibus omnibus ſufficienter probari filiationem non dubitabatur.

6. Denique ex prædictis inferebatur, Petrum Aloyſium, & Iulium de Tacculis ab antiquo Petro recto ordine deſcendentes, fuiſſe compatronos, cùm illi patroni eſſe dicantur, quorum anteceſſores per centum annos præſentarunt, * vt in terminis dicit, Caſſadorus *deciſ.* 2. *num.* 5. & 6. *de probatione.* Abbas *in cap. querelam, num.* 9. *in principio, de elect.* Idem *conſil.* 76. *in primo dubio, in principio, part.* 2. & meliùs *conſil.* 106. *num.* 1. *verſic. ſed dicti Parochiani, lib.* 1. Felinus *in cap. cauſam, num.* 7. *verſic. puto ſuſtentabilem, de præſcript.* & fuit reſolutum *in Gerunden. beneficij*, 20. Iunij 1597. coram bon. mem. Orano, & *in Foroliuien. iuriſpatronatus*, coram Illuſtriſſimo Blanchetto, in qua fuit dictum, ſufficere ſpatium 80. annorum. Quæ omnia ex quaſi poſſeſſione præſentandi roborabantur, cùm producerentur aliquot præſentationes anni 1440. & 1515. & 1538. & 1583.

* ad probandũ iuſpatronatus in antiquis ſufficiunt inſtrumẽta 70. vel 80. annorũ, vt per Cau. dec. 518. n. 4.

---

## *Bononien. bonorum Emphyticorum.*

### Die Lunæ 19. Iunij 1600.

### SVMMARIVM.

5 *Inueſtitura bonorum poteſt fieri alteri, quando dominus directus eſt ſpretus.*

*Emphytheoſis ſi ſit finita per generationem, vel caducata, poteſt alius de familia petere renouationem inueſtituræ, n.* 11.

7 *Emphyteoſi finita, ſi Eccleſia vult illam pro ſe retinere, non tenetur pro agnatis defuncti renouare, ſed alijs concedere, præferendus eſt agnatus.*

8 *Culpam qui allegat in ſolutione canonis, tenetur illam probare.*

9 *Dictio*, tantùm, *eſt taxatiua quoad comprehenſionem actus, cui eſt appoſita.*

10 *Emphyteoſis renouatio facienda eſt infra annum, qui currit à die ſcientiæ.*

12 *Alienari ſolitum probatur, vel per duas locationes cum curſu 40. annorum, vel per vnum ſolemniter factum.*

13 *Ratum dicitur, quando ille qui potuit contradicere, non contradixit.*

## DECISIO DCCCXLIII.

CVm anno 1505. Annibal de Saxuno acce- 1.
piſſet ab Eccleſia Bononien. in emphyteuſim bona, de quibus agebatur, pro ſe, & ſuis filiis maſculis tantùm, & poſt Annibalem eadem poſſediſſet, Vincentius, eius filius, qui tandem obiit relictis ſororibus, illæ fratris hæreditatem adeuntes, bonorum emphyteoticorum, ſimul in hæreditate repertorum, poſſeſſionem acceperunt, tunc verò bon. mem. Alexander Campegius, Epiſcopus Bononienſis, nomine Eccleſiæ iudicio Bononiæ inſtituto, contra prædictas ſorores, ſuper recuperatione bonorum pendente lite, & ſororibus in poſſeſſione exiſtentibus, Rodulpho Campegio, fratri eadem bona conceſſit, eoque ſine filiis decedente, illa ad filios quondam Antonij Mariæ Campegij peruenire voluit.

Cùm autem ſorores allegarent, ſe tanquam 2.
hæredes defuncti, per cuius obitum linea finita fuerat, de eiſdem bonis inueſtiendas, Epiſcopus per Procuratorem declarauit, velle ſe ea bona pro Eccleſiaſtica retinere: quamobrem ſorores coactæ fuerunt bonorum poſſeſſionem dimittere.

Cæterùm, cùm poſt Alexandrum, & Ioan- 3.
nem, Epiſcopos Bononienſes de familia Campegiorum, Gabriel Cardinalis Paleothus eidem Eccleſiæ præfectus, rem geſtam intellexiſſet, quaſi corrigendo, & tollendo grauamen indebitè



ſororibus illatum, Dominis Ludouiſiis, Nobilibus Bononienſibus, ab vna ex prædictis ſororibus deſcendentibus, aliis conſenſum præbentibus, eadem bona in emphyteuſim contulit, eoſdem in eorum poſſeſſionem realiter inducendo.

4. Cauſa deinde introducta in Rota, & inter Ludouiſios, & Campegios diu ventilata, & multis deſuper factis deciſionibus, quibus duo potiſſimum concludebantur: primum inueſtituram factam Campegiis fuiſſe iniuſtam: alterum poſſeſſionem Antonij Mariæ Campegij, quatenus verè poſſediſſet, non fuiſſe releuantem. Denique poſtquam coram me, qui in locum bon. mem. Reboſterij ſucceſſeram, multæ diſputationes inter Campegios, & Ludouiſios habitæ fuiſſent, tandem cæteris omnibus omiſſis, iubente Rota, omnis controuerſia ad hoc dubium deducta fuit, an prædicta bona Ludouiſiis, vel Campegiis adiudicanda forent: Rota verò vtraque parte informante, Ludouiſiis adiudicanda cenſuit.

5. Cùm enim per obitum Vincentij Saſuni, & finitam lineam, bona eſſent ad Eccleſiam deuoluta, ſororibus Vincentij emphyteuſim petentibus concedi debuerant, iuxta doctrinam Bartoli, communiter receptam *in l.* 1. *§. permittitur, num.* 1. *verſ. & hoc nota pro emphyteuſi. ff. de aqua quotidiana, & æſtiua*, hoc enim æquitas ſuo

6. quaſi iure poſtulare videtur, qua inſpecta, rectè potuit Eccleſia * ſpreta inueſtitura Campegiis facta, tanquam iniuſta, aliam debitam facere ad fauorem illius, qui fuerat inueſtiendus. Gozzadinus *conſil.* 86. *num.* 24. *verſ. non obſtat quòd doctrina*, Ruinus *conſil.* 161. *num.* 36. *verſ. nec dictis fideicommiſſarijs, lib.* 1. Pariſius *conſil.* 28. *num.* 4. *verſ. contraria autem, lib.* 1. Riminaldus iunior *conſil.* 444. *num.* 49. *verſ. ad ſecundum reſpondetur, lib.* 4. quorum multorum aliorum Doctorum placita ſæpe Rota amplexa eſt in hac materia, & ſignanter *in cauſa Lucana emphyteoſis*, die 6. Iunij 1567. coram bon. mem. Oradino, & in ea Cerbien. bonorum die 23. Martij 1583. coram Domino meo Seraphino, * & in hac eadem cauſa coram bon. mem. Reboſterio die 10. Decembris 1582.

* adde ſuprà dec. 639. n. 6. & 7.

* in impreſſis Seraphini dec. 610. n. 1. & 2. habetur p. 2. diu. dec. 195.

7. Ex quibus hæc diſtinctio communiter recepta videtur, vt emphyteuſi finita, ſi Eccleſia vult illam pro ſe retinere, † non teneatur agnatis defuncti renouare; ſi autem non vult retinere, ſed aliis concedere, tunc præferendus ſit agnatus * illius, cui fuerat priùs res Eccleſiæ in emphyteuſim conceſſa, Abbas *cap. bonæ el* 2. *num.* 28. *verſ. hoc dictum, de poſtulat. Prælat.* Curtius ſenior *conſil.* 48. *num.* 48. *verſ. ſecundò reſpondetur*, Gozzadinus *conſil.* 39. *verſ. non obſtat quòd illa opinio, num.* 18. & ſunt deciſiones apud Verallum 303. & 304. *parte* 1. vbi Rota *in caſu tunc contingenti ita definiuit.*

† adde Mantic. deciſ. 10. n. 1. & 6.

* adde Dur. dec. 334. n. 1. & 2. & deciſ. 431. n. 1.

Cùm itaque Domini Ludouiſij deſcendentes à ſororibus de Saxuno peterent emphyteuſim, non poterat illis iure denegari.

8. Neque obſtabat oppoſitio Campegiorum, quòd ſupradicta diſtinctio non procedat, quando emphyteuſis deuoluitur ad Eccleſiam culpa inueſtiti, ob canonem non ſolutum, prout in caſu propoſito, reuerſa prætendebatur, tunc enim non eſſe inueſtiendos proximiores petentes, cenſuerunt Doctores relati per Clarum *in §. emphyteuſis, quæſt.* 43. *num.* 3. *verſic. quinimo*, & per Verallum *dicta deciſ.* 304. *parte* 1. quia reſpondebatur, ad Campegios id allegantes pertinere onus culpæ probandæ. *l. ei qui ff. de probationibus*; hactenus autem in actis probatæ non apparuiſſe.

Rurſus non obſtabat, quòd cùm antiqua inueſtitura eſſet pro maſculis tantùm, præter intentionem primorum contrahentium, videbatur illam modò concedere fœminis, vel deſcen-
dentibus ab illis. Quia reſpondebatur illam ta- 9.
xatiuam, *tantùm*, operari quidem quoad comprehenſionem, vt maſculi ſolùm comprehenſi intelligantur in emphyteuſi, nihil tamen operari reſpectu renouationis, vt fuit deciſum *in cauſa Brixien. feudi*, coram bon. mem. Bubalo die 16. Maij 1592. & *in hac cauſa*, die 10. Decembris 1582. coram bon. mem. Reboſterio.*

* habetur in impreſſis diuer. p. 2. dec. 198.

Præterea non obſtabat, quòd renouatio debuiſſet infra annum peti, † vt poſt Bartolum
tradit Romanus *conſil.* 12. *num.* 6. quia reſponde- 10.
batur, in caſu propoſito, vel infra annum fuiſſe petitam, vel ſaltem impeditam per ſpecioſam Epiſcopi Campegij reſponſionem, dicentis, ſe velle bona pro Eccleſia retinere, quod tamen aliter ſe habuiſſe euentus ſubſequutus demonſtrauit, cùm Epiſcopus alteri, videlicet fratri, bona emphyteutica conceſſerit. Vnde cùm tempus anni non currat niſi à die ſcientiæ, Alexander *conſil.* 79. *num.* 11. *verſ. Si verò exceſſerint, lib.* 1. Curtius iunior *conſ.* 142. *num.* 3. *verſic. nec dicat quiſpiam*, & alij, quos refert Corbulus *tractat. de emphytheuſi, tit. de cauſ. priuat. ob non petit. inueſtit.* conſequenter ignorantibus; ſe potuiſſe petere, non currebat annus, & ſatis excluditur culpa, & negligentia petendi, ex quo cùm ſuperuenit, inueſtituram petiuerunt.

† adde Seraphin. dec. 610. num. 10. Rot. rec. p. 1. dec. 305. n. 5. Durand. dec. 431. n. 3.

Ad aliam verò propoſitam obiectionem, 11.
quòd cùm Eccleſia haberet tres ſententias ſuper deuolutione, Campegiis debebant adiudicari bona, quibus ab Epiſcopo fuerant conceſſa, reſpondebatur, ſententias non fuiſſe latas propter non ſolutum canonem, ſed ſolùm propter lineam finitam, & propterea locum fuiſſe ſuperiori diſtinctioni, vt potuiſſet quidem bona retinere, * ſi voluiſſet, ob finitam lineam, tamen ſi aliis concedenda fuiſſent, agnatis defuncti inueſtiti, concedi potius, quàm aliis debuiſſet.

* quãdo non poſſit Eccleſia retinere bona, vide Rot. rec. p. 2. dec. 11.

Rurſus non obſtabat, quòd in conceſſione fa-
cta Ludouiſiis, non eſſet ſeruata forma Paulinæ; 12.
quia reſpondebatur, eam non habere locum in ſolitis concedi. Bartolus *in Authent. qui rem. num.* 7. *C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, Iulius Clarus *§. emphyteuſis, quæſt.* 28. *num.* 6. *verſ. aut verò erat ſolita*, & ſæpe à Rota reſponſum eſt *in vna Romana deuolutionis domus*, coram Seraphino * die 30. Octobris 1602. fuit dictum, ſolitum debere probari, vel per duas locationes, non ſolemnes cum curſu 40. annorum, vel per vnam locationem ſolemnem. Rota *deciſ.* 160. *num.* 5. *parte* 2. *diuerſorum.*

* habetur in impreſſis deciſ. 1451. n. 2. & dec. 434.

Ad difficultatem excitatam contra inueſtitu- 13.
ram, Ludouiſiis conceſſam, ex eo quòd non conſtaret de mandato Aſtorgij Paleotli, Eccleſiæ nomine inueſtituram concedentis, reſpondebatur primò, ex facto ceſſare, cùm de illius mandato doceretur. Secundò reſpondebatur, conceſſionem ab Eccleſia fuiſſe ratificatam. *cap.*

*ratiha*

ratihationem, de reg. iuris lib. 6. Mohedanus *deciſ.* 8. *de procur.* Eccleſiam verò eam conceſſionem ratam habuiſſe conſtabat ex eo, quòd nec Campegiis fauerat, nec Ludouiſiis repugnauerat. *l. Paulus, ff. rem ratam haberi.*

14. Poſtremò non obſtabat pactum, in prima conceſſione appoſitum, quòd Epiſcopus, Archiepiſcopus poſt caduertatem poſſet, cui voluiſſet, emphyteuſim concedere; quia reſpondebatur primò, pactum reſpexiſſe alias aduerſitates prouenientes ex culpa emphyteotarum. Secundò reſpondebatur, quòd licèt fuiſſet generaliter appoſitum, & omnia reſpiceret, adhuc tamen debuerat intelligi, ſeruato iuris ordine, ne propter tale pactum, ſublatum cenſeretur ius agnatis, de iure competens, vt in ſimili ferè caſu deciſum conſtabat *in vna Fauentina bonorum*, die 16. Octobris 1562. coram Oradino, relata apud Verallum *dec.* 124. *lib.* 2. in manuſcriptis, incip. *Stante locatione*, & fuit dictum *in cauſa Ceſenaten. bonorum*, coram bon. mem. Bubalo die 15. Februarij 1588.

## *Virdunen. Iuriſdictionis.*

### Die Veneris 23. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Contumacibus infligenda eſt excommunicatio.*

2 *Interdictum Eccleſiaſticum vt imponatur, præcedere debet contumacia.*

3 *Vniuerſitas, ſiue Collegium non excommunicatur, ſed interdicitur.*

4 *Excommunicatio perſonis imponitur, interdictum verò Collegijs, & Vniuerſitatibus, propter contumaciam.*

5 *Appellatio friuola non ſuſpendit excommunicationem.*

## DECISIO DCCCXLIV.

1. VTraque parte informante deciſum fuit, Capitulum Eccleſiæ Virdunen. interdicendum, & Archiuiſtam, Secretarium, & alios officiales archiuij eiuſdem Eccleſiæ declarandos fuiſſe excommunicatos, niſi infra menſem parerent monitorio Rotæ, ac liberè, & ſine vllo impedimento directè, vel indirectè præſtito ad inſtantiam Decani permitterent extrahi inſtrumenta, & ſcripturas, pro quibus extrahendis conceſſæ fuerant Decano compulſoriales, & ipſis Capitulo, & Officialibus archiuij cum monitorio pœnali cenſurarum legitimè intimatæ: ſtante enim iſtorum inobedientia, * & contumacia, meritò erant cenſuris Eccleſiaſticis ſupponendi, *cap. duo ſunt*, vbi gloſſa, *in verb. videbatur 96. diſtinctione.* Abbas *in cap.* 1. *num.* 10. *verſ. nota contumaciam, de iudice.* Felinus *in rubrica de ſentent. excommunicationis, num.* 1. *verſ. item dicit.*

* adde ſuprà dec. 561. n. 3. & deciſ. 730. n. 2.

2. Reſpectu Capituli clarum erat propter ſuam contumaciam, fuiſſe Eccleſiaſtico interdicto ſupponendum, *cap. Clericis, §. nos igitur, verſ. vniuerſitates, de immunitate Eccleſiar. lib.* 6. *cap. Romana §. in vniuerſitatem, & cap. ſi ciuitas, de ſententia excommunicationis, lib.* 6. quibus iuribus cautum extat, Vniuerſitates & Collegia non excommunicari, interdici tamen, ob contumaciam, & inobedientiam. 3.

4. Reſpectu Archiuiſtæ, Secretarij, & aliorum ſingulorum Officialium archiuij, propter eandem inobedientiam parendi mandatis Rotæ, locus erat excommunicationi, *dicto cap. Clericis, §. nos igitur, de immunitate Eccleſiaſtica, lib. 6. cap. Romana, de ſentent. excommunicationis eodem libro.*

5. Neque obſtabat interpoſita appellatio, quia erat in caſu non appellabili à decreto executionis compulſorialium, ideoque tanquam friuola, & calumnioſa interpoſita, vel ad denegandam, vel protrahendam obedientiam veniebat reiicienda. *cap. cùm appellationibus, lib.* 6. Verallus *dec.* 328. *num.* 2. *part.* 1.

6. Contra iudicem compulſorialem, qui cùm priùs cœpiſſet exequi litteras compulſoriales contra Capitulum, deinde vel prece, vel pretio, vel metu inductus, ab executione ceſſauerat, licèt informantes pro Decano id prætenderent, noluit tamen Rota dare declarationem, quia Domini Auditores ſeniores dicebant, non eſſe de ſtylo; iniunxerunt tamen mihi, ſi pars inſtaret, vt ad illum ſcriberem, partim arguendo eius negligentiam, partim verò hortando, vt animoſius agendo, mandata Rotalia exequeretur.

## *Romana de Naris.*

### Die Veneris 23. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Pactum pœnale ſi interſit, propter probabile dubium, locus datur executioni.*

3 *Cauſa quælibet excuſata pacto conuentionali.*

4 *Condemnatio pro damno eſt facienda, pro contrauentione pacti.*

## DECISIO DCCCXLV.

IN deciſione in hac cauſa facta die 7. Iunij 1599. * fuerat reſeruatum particulariter videre, an Dominus Ioannes Antonius veniret excuſandus à pœna contenta in ſecundo Capitulo locationis, factæ anno 1590. Dominis Petroniis & Zefiriis, quo fuerat conuentum, *che le vltimo anno della locatione, detto Caſale delba tuto reſtare, ſodo in modo tale, che non viſi poſſa mettere aratione ſorte alcuna di ſementa, & metendo, viſi ſice in arbitrio di eſſo locatore, ſenza altro decreto di Guidice raccogliere, detta ſementa, come ſua propria, & con tutto cio li ſudeti condutori, ſiano tenuti pagare li affiti.* & Domini vtraque parte informante excuſandum cenſuerunt ab expenſis, qua fecit pro recollectione fructuum perceptorum, ex 35. rublis, quia ſi pactum erat pœnale, (vt quibuſdam videbatur) tunc propter probabile dubium locus erat excuſationi. * Puteus *deciſ.* 248. *in fine, & deciſ.* 401. *lib.* 3. Verallus *deciſ.* 233. *num.* 7. *&* 8. *parte* 1.

1. * ſuprà dec. 772. n. 5.

* cum ſine dolo non incurratur, vt fuit dictũ in Caſalen. ſeu nullius 15. Febru. 1588. corã Comitulo impreſſ. per Farinac. poſt conſil. dec. 30. n. 6. & ſuprà dec. 827. n. 4.

Idem erat iudicium ſi pactum continebat pœnam



2. pœnam conuentionalem, à qua quælibet cauſa excuſat. * *l. qui Romæ §. duo fratres*, vbi Ripa *num.* 14. *verſ. tertiò intellige*, & Crotus *in repetit. num.* 37. *verſ. & mouet. ff. de verborum ſignificatione*, Tobias *conſilio* 111. *numer.* 30. *verſ. quia multipliciter*, ad quam pœnam de ſtylo Rotæ non fit condemnatio, niſi quatenus intereſt, id eſt,

* Cau. dec. 81. num. 3. & habetur in rec. p. 2. dec. 268. Seraph. deciſ. 1238. n. 10.

3. pro concurrente quantitate damni, & intereſſe, vt cenſuit Rota *in vna Romana contrauentionis*, die 26. Octobris 1598. coram bon. mem. Orano.

4. Sed hæc firmarunt Domini in hoc caſu reſpectu expenſarum tantùm, à quibus D. Ioannem Antonium excuſandum dixerunt, quia reſpectu ſeminis nihil fuit deciſum, cùm Domini maiorem circa hunc articulum agnouiſſent difficultatem.

## *Brixien. Penſionis.*

### Die Veneris 23. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Spolij actio datur in his tantùm, in quibus quis eſt ſpoliatus.*

## DECISIO DCCCXLVI.

1. HÆc cauſa, vtraque parte informante, fuit ſæpe propoſita ſuper dubio, an penſio eſſet Domino Leandro integrè perſoluenda in libris 450. vel potiùs in minori ſumma, & propter multas difficultates per informantes excitatas die 10. Martij, Domini voluerunt, quòd cauſa concordaretur, etiam pro tempore præterito: nam pro futuro partes conuenerant, quòd Leander perciperet omnes fructus beneficij, ſolutis 100. tantùm pro Rectore; ſed quia concordia non potuit habere effectum, die 5. Iunij, cauſa iterum propoſita, fuit dilata, & ordinatum, quòd informaretur ſuper reductione penſionis, etiam ad effectum ſpolij. Vnde partibus iterum informantibus, die 14. Iunij cauſa fuit dilata, quia nulla reductio validè facta probata

2. ſufficienter apparebat. Rurſus die 23. Iunij cauſa ventilata, dictum fuit, conſtare de poſſeſſione Leandri, quoad ſummam lib. 450. quia die 6. Martij 1598. coram Domino meo Millino reſolutum fuerat, primum extremum probari ex confeſſionibus anteceſſoris Rectoris in beneficio, & aliis adminiculis, tunc deductis, & conſequenter Leandro competere actionem * ſpolij.

* ſuprà dec. 766. n. 7. & 8.

3. Re verò maturiùs conſiderata, & actis cauſæ denuo viſis, vix potuit reſolutio firmari, quia poſſeſſio Leandri, reſpectu exactionis lib. 450. videbatur quodammodo turbida; ideoque die 7. Iulij Domini ordinarunt, relaxari mandatum pro lib. 350. tantùm, quia reſpectu iſtius ſummæ clara erat poſſeſſio Leandri, idque à die motæ litis, iuxta tenorem ſententiæ Domini Millini.



## *Gerunden. beneficij de Ceruiano.*

### Die Lunæ 26. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Sequeſtro locus datur, quando lata eſt ſententia contra poſſeſſorem, vel in petitorio, vel in poſſeſſorio.*

4 *Sententia lata pro poſſeſſore, defendit illum à ſequeſtro, ſi faceret præſumptionem contra ſententiam in petitorio.*

## DECISIO DCCCXLVII.

DE vacante beneficio S. Michaëlis de Ceruiano fuerat authoritate Apoſtolica prouiſus D. Franciſcus Maya, ad cuius fauorem, conceſſo Breui Camerali, A. C. pronunciauit, Franciſcum in illius poſſeſſionem fuiſſe immittendum, & ab ea expellendum Michaëlem Folgons, à Patronis prædicti beneficij præſentatum, qui vigore præſentationis inſtitutum, eiuſdem beneficij poſſeſſionem acceperat. 1.

Sed quia cauſa introducta in Rota, contra Franciſcum fuerat lata ſententia, quia declarabatur, A. C. nulliter proceſſiſſe, & Franciſcum teneri ad dimittendam poſſeſſionem beneficij, & ad fructus inde perceptos Michaëli reſtituendos, qui propterea petebat apponi ſequeſtrum, ideo propoſito dubio, an foret apponendum, Rota Michaële ſolùm informante, apponendum cenſuit. *Clementina* 1. *de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct.* vnde ſumitur communis, & recepta regula quòd poſt primam ſententiam latam in petitorio, vel poſſeſſorio ſuper beneficio contra poſſeſſorem, locus eſt ſequeſtro. * Puteus *dec.* 347. *num.* 1. *verſ. & vna ſententia, lib.* 3. Verallus *deciſ.* 152. *num.* 2. *verſic ratio eſt, parte* 3. 2.

* adde infrà dec. 855. n. 1. & 2. quod extende etiam ſi quis in poſſeſſorio obtinuerit tres ſententias conformes, vt fuit dictum ſupr. dec. 247. n. 3.

Neque huic deciſioni obſtabat oppoſitio, quòd illa Clementina non habeat locum, quando pro poſſeſſore apud Sedem Apoſtolicam fuit priùs pronunciatum, vt ſcribit ibidem Zabarella *num.* 23. *quæſt.* 4. quia reſpondebatur primò, doctrinam Zabarellæ poſſe habere locum, quando prima ſententia eſſet lata in eodem iudicio, ſecus ſi in diuerſo, vt quia ſuccumbens in petitorio, obtinuiſſet tres ſententias * in poſſeſſorio, nam iſtæ ſententiæ licèt tres, non defenderent poſſeſſorem in petitorio ſuccumbentem à ſequeſtro, Simoneta *dec.* 81. inc. *Fuit aliàs coram me concluſum*, Caſſ. *dec.* 2. *verſ. & ideo alia, de ſequæſtr. poſſ. & fruct.* & conſequenter Franciſcus, qui vnicam ſententiam ab A. C. ſuper poſſeſſorio adipiſcendæ in executionem Breuis reportauerat, non poterat impedire ſequeſtrationem petitam, vigore ſententiæ Rotalis, latæ in iudicio petitorio. 3.

* adde ſuprà in d. deciſ. 247. n. 2. & 3.

Secundò reſpondebatur, tunc ſententiam latam pro poſſeſſore defendere illum à ſequeſtro, quando faceret præſumptionem contra ſententiam in petitorio: ſecus autem quando non faceret talem præſumptionem, Caſſadorus *dicta deciſ.* 2. *numer.* 2. *verſ. & cùm ratio, de ſequeſtrat. poſſeſſ. & fruct.* Puteus *deciſ.* 343. *num.* 1. *in principio, lib.* 3. 4.

In caſu autem propoſito, ſatis notum videbatur,

tur, ſententiam A.C. executoris Breuis, non potuiſſe parere talem præſumptionem contra ſententiam Rotalem poſt cauſam bene diſcuſſam, & conſequenter non poſſe impediri appoſitionem ſequeſtri.

---

## *Capuana Rectoriæ.*

### Die Lunæ 26. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Manutentio eſt danda primo poſſidenti, & non ſecundo, qui turbidè cepit poſſeſſionem.*

4 *Poſſeſſio capta alio poſſidente, tanquam inſtrumentalis non eſt manutenibilis.*

5 *Poſſidere quoad percipiendos fructus aliud eſt, quàm eſſe in poſſeſſione.*

6 *Poſſeſſio prima reſpiciens alium finem, non impedit effectum ſecundæ poſſeſſionis ad alium finem captæ.*

*Poſſeſſiones duæ reſpicientes diuerſos reſpectus capi poſſunt, ibid.*

7 *Poſſeſſio capta contra decretum irritans, non habet effectum iuris.*

8 *Decretum irritans non operatur, quando non eſt poſitum ſuper certo corpore beneficij, vel in reſeruatione.*

## DECISIO DCCCXLVIII.

1. VAcantem Eccleſiam Parochialem, ſiue Rectoriam Sancti Ioannis Capuan. facto concurſu, S. D. N. Clemens Papa Octauus eam contulit Franciſco Quarello, tanquam magis idoneo in concurſu reperto, qui expeditis litteris ab executore in ipſis dato, in eiuſdem Rectoriæ poſſeſſionem immiſſus fuit die 10. Februarij anni 1590.

2. Paulus Bonifacius à Sede Apoſtolica de eadem Rectoria, tanquam de ſimplici beneficio prouiſus, eiuſdem poſſeſſionem accepit de manu Nuntij Apoſtolici die 18. eiuſdem menſis Februarij. Cauſa introducta in Rota, cùm vterque manutentionem prætenderet, Franciſcus quidem ex eo, quòd priùs poſſeſſionem acceperat miniſterio executoris in litteris dati. Paulus verò ex eo, quòd manu Nuntij Apoſtolici poſſeſſionem acceperat, quæ licèt eſſet poſterior, manutenenda tamen videbatur, ex quo Nuntius Apoſtolicus Regni Neapolitani menſe Iulio anni 1599. quando vacauit Rectoria, illius poſſeſſionem acceperat nomine Cameræ, vigore litterarum Apoſtolicarum Pij IV. & Pij V. quibus cauetur, vt prouiſi de beneficiis Eccleſiaſticis de manu Nuntij Apoſtolici poſſeſſionem capere teneantur, aliàs talis poſſeſſio nullius ſit roboris, vel momenti, nullumque ius prouiſis per poſſeſſionem aliter captam acquiratur.

* adde Dur. dec. 4. n. 3. & ſeq. & deciſ. 114. n. 2. & dec. 118. n. 1. & 5. & deciſ. 330. n. 3. & aliàs ſæpe quod extende, etiãſi poſterior eſſet titulata, & anterior nõ, vt per Lud. dec. 40. n. 5. & 6. & deciſ. 323. n. 7.

3. Super qua controuerſia propoſito dubio, cui eſſet dandum mandatum de manutenendo; Rota vtraque parte in informante Franciſco dandum cenſuit; tum quia eius poſſeſſio erat anterior, * & conſequenter Pauli poſſeſſio poſtea capta, dicebatur clandeſtina, & turbatiua. † Bart. *in l. ſi duo, n. 4. in principio, verſ. ſi verò teſtes.* Felinus *in cap. licèt cauſam, n. 1. in principio, de probat.* quod vſu frequenti Rotæ receptum eſt, tum quia poſſeſſio Pauli capta alio poſſidente tanquam inſtrumentalis * non erat manutenibilis, vt ſæpe 4. etiam Rota conſtituit, & ſignanter *in cauſa Parmen. Prioratus,* die 20. Iunij 1592. coram D. Corduba, & *in cauſa Alexandrina S. Stephani,* die 3. Februarij 1587. coram Domino Litta.

† adde Dur. dec. 4. n. 7. & dec. 84. n. 4. & deciſ. 138. n. 4. Caũ. dec. 2. n. 3. & dec. 44. n. 5. & deciſ. 161. n. 2. & deciſ. 185. n. 6. & deciſ. 478. n. 3. & aliàs ſæpe.

* adde Lud. dec. 6. Caual. dec. 14. n. 1. quod limita ſi ſit capta auctoritate iudicis, quia tunc inſtrumẽtalis poſſeſſio eſt manutenibilis, vt per annota. ad deciſ. Ludou. 268. n. 11.

Neque huic deciſioni obſtabat poſſeſſio, antea per Nuncium capta, quia reſpondebatur, Nuntij poſſeſſionem propriè referri ad alium finem, videlicet percipiendi fructus, & ideo Nuntium poſſidere potius, quàm eſſe in poſſeſſione. *l. ſi quis ante,* vbi notat Imola *num. 2.* & Alexãd. *num. 7. ff. de acquirenda poſſeſſione,* & Abbas *in cap. Piſanis, de reſtitutione ſpol.* & Neuizanus *conſ. 81. num. 21. verſ. ergo pro nunc,* Puteus *deciſ. 337. n. 2. in fine, & 3. verſ. ideo verum lib. 3.* & conſequenter 5. non impedire poſſeſſionem reſpicientem alium 6. finem, videlicet effectum tituli beneficialis, quem potiſſimum reſpiciebat poſſeſſio per Franciſcum capta, præſertim cùm vtraque diuerſis reſpectibus ſuſtineri poſſit, vt in reſeruatario, & titulari extat deciſio Cæſaris de Graſſis 5. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet. num. 2. & 3.*

Rurſus non obſtabat poſſeſſioni Franciſci 7. decretum irritans, contentum in conſtitutione Pij V. quoniam reſpondebatur, quòd licèt verum ſit, poſſeſſionem captam contra decretum non habere iuris effectum, * vt fuit deciſum coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Octauo, tunc Rotæ Auditore *in cauſa Pampilonen. Parochialis,* die 21. Decembr. 1575. nihilominus tamen, cùm hæc facti ſpecies in aliis terminis verſaretur, non ſubiacebat decreto, aliàs inficienti titulum & poſſeſſionem, cùm conſtitutio Pij V. tenderet ad effectum ne Commiſſarius defraudaretur, quod ſatis eiuſdem conſtitutionis verba indicare videbantur, ibi, *& aliter capta poſſeſſio, nullius ſit roboris, vel momenti, ac prouiſis ipſis nullum ius per eam acquiri, neque eis vllatenus ſuffragari poſſit.* Vnde licèt poſſeſſio nullius eſſet roboris ad effectum acquiſitionis iuris, vt fructibus percipi poſſint, tamen non impeditur prouiſus, quominus poſſideat ad effectum iuris, cùm non ſit infectus titulus, vel poſſeſſio, ſed actus poſſeſſionis, nec propterea inducitur aliqua reſeruatio, * quæ titulum, & poſſeſſionem inficiat, *cap. 1. vt lite penden. lib. 6.* Caſſadorus *deciſ. 1. verſ. & cùm titulus, de reſtitutione ſpoliatorum,* Gabriel *de clauſulis, concl. 3. n. 15. verſ. & idem eſt.*

* adde Rot. rec. p. 1. dec. 613. Cau. deciſ. 8. n. 1. & dec. 126. n. 3. & deciſ. 278. n. 5.

* & dum dubitatur, an ſit aliqua reſeruatio, poſſeſſor eſt manutenendus, non obſtante decreto irritante, vt fuit dictũ in Barẽ. Prioratus 18. Martij 1603. coram Sacrato, impreſſa per Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 985. & pag. 991. n. 3. & 4.

Ex quibus conſtat, decretum irritans non operari, quando non eſt poſitum ſuper certo corpore † beneficij, vel in reſeruatione. 8.

† adde Rot. diu. p. 3. lib. 2. dec. 56. & rec. p. 2. dec. 423. n. 5. & dec. 525. n. 6.

Atque his fuit concluſum, poſſeſſionem Franciſci non potuiſſe dici infectam, & illam Pauli remanſiſſe inſtrumentalem, & conſequenter Franciſco fuiſſe dandum mandatum de manutenendo.

---

## *Firmana beneficij.*

### Die Lunæ 26. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

1 *Subrogatus gratioſè in beneficio litigioſo tenetur probare Clericatum, & narrata in ſubrogatione.*

DECI



## DECISIO DCCCXLIX.

1. ALexandro Gerardino ſolùm informante Rota cenſuit, gratiam ſubrogationis ipſius Alexandri non egere alia iuſtificatione, quàm Clericatus eiuſdem Alexandri, & poſſeſſionis Antonij Guarducij, ſui auctoris, ad cuius ius, & poſſeſſionem fuerat ſubrogatus, quia cùm beneficium eſſet litigioſum, Alexander qui illud impetrauerat cum gratioſa ſubrogatione non tenebatur alia narrata in gratia iuſtificare, præter Clericatum ſuum, & poſſeſſionem ſui auctoris, tempore obitus, iuxta deciſionem nuper coram me factam *in cauſa Miranden. Parochialis,* * die 17. Maij proximè præteriti.

* ſuprà dec. 836. n. 4. & adde Caual. dec. 450. n. 1. & deciſ. 459. n. 1. & deciſ. 483. n. 1. & deciſ. 502. & 559. & 608.

An autem Alexander eſſet immittendus, particulariter erat videndum, quia Antonius Guarducius, in cuius locum fuerat ſubrogatus, non obierat in poſſeſſione, quamuis habuiſſet mandatum de immittendo: tum etiam, quia R. P. D. Diaz prætendebat, ſe habere ſimilem gratiam gratioſæ ſubrogationis.

---

## *Rauennaten. Domorum.*

### Die Mercurij 28. Iunij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Sententia lata pendente termino inhibitionis iudicis à quo, eſt attentata.*

4 *Inhibitio Rotæ ſiue iuſta, ſiue iniuſta, eſt timenda.*

5 *Tribunalis ſupremi inhibitiones an ſint iuſtæ, vel iniuſtæ, non decet iudicare.*

6 *Attentare non dicitur iudex inhibitus, ſi pronunciet extra caſus inhibitionis.*

7 *Secus tamen ſi ſint connexi cauſæ principali.*

## DECISIO DCCCL.

1. INtroducta cauſa coram A. C. ad inſtantiam Nicolai de Porta, & litis conſortum, contra Spadularinos, ſuper reſtitutione bonorum in teſtamento Balthaſaris de Porta contentorum, ſub prætextu, quòd in dicto teſtamento adeſſet fideicommiſſum purificatum. Idem Auditor die 12. Nouembris 1599. diffinitiuè pronuntiauit, eueniſſe caſum fideicommiſſi, & Spadularinos teneri ad reſtitutionem bonorum.

2. Cumque ab hac ſententia fuiſſet appellatum, & cauſa in Rota commiſſa, vnà cum annexis, connexis, ac toto negotio principali, & clauſula, *quam & quas,* die 16. Decembris eiuſdem anni inhibitum fuit A.C. qui die 17. eiuſdem menſis, mox ſequenti, habito per eundem Auditorem termino ad ſententiam, non obſtante proteſtatione Spadularinorum, quòd huiuſmodi cauſa pendebat in Rota propter appellationem interpoſitam. Idem Auditor eadem die pronuntiauit, bene fuiſſe per iudices de partibus iudicatum ad fauorem Dominorum de Portis, & conſequenter eos fuiſſe immittendos in poſſeſſionem domus, ſeu domorum, de quibus in dicto teſtamento. Cæterùm cùm ab hac etiam ſententia fuiſſet appellatum, & cauſa attentatorum mihi commiſſa, dubitaui, an hæc ſecunda ſententia fuiſſet attentata, ita vt eſſet, vel non eſſet procedendum ad executionem trium conformium, & Rota vtraque parte informante attentatam fuiſſe cenſuit, quia fuit lata vno die poſt inhi- 3. bitionem * Rotalem præſentatam, Achilles *deciſ. 29. num. 1. de appellatio.* Verallus *deciſ. 93. parte 2.* Puteus *deciſ. 395. num. 1. lib. 2.* quod maximè procedit in inhibitionibus à Rota emanatis, quas ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas timendas † maiores noſtri tradiderunt. Rota *deciſ. 26. in fine, de appellatio. in antiq.* Verallus *dicta deciſ. 93. part. 2.* quod ſemper vſu frequenti receptum fuit, tam in Curia, quàm extra Curiam. In Curia quidem, quia cùm ſit facilis ad Principem aditus pro reformatione inhibitionum, non eſt ferendum quòd alij iudices poſt inhibitionem Rotæ procedere audeant, ad quos non pertinet iudicare de vi Rotalium inhibitionum. Extra Curiam verò multo magis, cùm non deceat aperire viam iudicibus cuiuſcumque ſunt generis, & qualitatis, vt iudicare præſumant, aut interpretari inhibitiones * ſupremi Tribunalis, Achilles *dicta deciſ. 29. num. 6. de appellat.* 4. 5.

* adde Lud. dec. 243. n. 1. & deciſ. 435. Durand. dec. 104. n. 4. Caual. dec. 574. n. 1. & hoc procedit etiamſi partes præſtarẽt cõſenſum in iuriſdictionẽ, vt per Lud. in d. deciſ. 243. n. 4. & fuit dictum infrà deciſ. 1225. n. 6. & dec. 926. n. 3. in tom. 2.

Neque obſtabat prætenſio Dominorum de 6. Porta, quòd hæc ſecunda ſententia non ſubiaceret vitio attentatorum, ex quo fuit lata ſuper diuerſo † iudicio, videlicet ſuper reſtitutione domorum, quia reſpondebatur primò, commiſſionem Rotalem fuiſſe generalem, complectentem omne genus cauſæ, & conſequenter A.C. remanſiſſe impeditum, quominus procedere potuiſſe in cauſa domorum, & propter hanc etiam connexitatem, proculdubio ſententiam fuiſſe attentatam, Lancellottus *de attentatis appellat. penden. lib. 2. cap. 12. limitatione 2. n. 36. verſ. tertio limitatur, & cap. 2. de attentatis, poſt inhibit. dicta p. 2. cap. 20. limitatione 5. num. 5. & 6.*

† adde ſuprà dec. 36. n. 6. & infrà dec. 878. n. 4. & aliàs ſæpe, vt per Dur. dec. 312. n. 1. Caual. dec. 544. n. 2. Coc. dec. 14. n. 9. & deciſ. 171. & 315. & 399.

* adde infrà dec. 926. n. 8.

† adde Lud. dec. 345. n. 1. & 6.

Secundò reſpondebatur, quòd licèt primò in 7. partibus fuiſſet ſuper domibus ſeparatum iudicium agitatum, poſtea tamen fuit introductum iudicium vniuerſale ſuper omnibus bonis, quod traxit ad ſe iudicium particulare, illudque ſilee fecit, quod cùm per generalem commiſſionem fuerit ad Rotam deuolutum, non licuit poſt inhibitionem * de cauſa particulari iudicare, cùm etiam ſecundùm iuris Ordinem diſcuſſio vniuerſalis iudicij ſuper fideicommiſſo, & eius purificatione, & liquidatione præcedere debuiſſet, iuxta gloſſ. *in l. 1. in verb. vt proinde. ff. de eden.* quam approbauit Rota *in cauſa Romana fideicommiſſi de Gallis,* die 1. Iunij 1594. coram D. meo Pamphilio.

* Rota rec. p. 1. dec. 124. n. 5.

---

## *Elboren. Commendæ.*

### Die Lunæ 3. Iulij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Compenſatio iuſta debiti eſt admittenda, ad euitandam pœnam, pro debito inflictam.*

## DECISIO DCCCLI.

1. VAcantem commendam de vera Cruce Elboren. Diœceſis anno 1597. iure ancianitatis ſibi conferri petebat Don Didacus de Souſa, Nobilis Luſitanus: ſed Rodericus Brito, qui Didacum ancianitate proximus ſequebatur, eam (excluſo Didaco, tanquam incapace) ad ſe ſpectare

ſtare prætendebat. Hinc lite orta, Magnus Religionis Magiſter eam dirimendam Commiſſariis committendam cenſuit, qui die 11. Martij 1597. contra Didacum pronunciarunt, tanquam incapacem propter debitum, quo tenebatur communi ærario.

2. In gradu appellationis, ſecundò contra eundem Didacum pronunciatum eſt, ex quo repe-
riebatur debitor communis ærarij in ſcutis 34. tales enim debitores ſtabilimenta Religionis declarant ſæpe incapaces. Didacus cauſa in Rota commiſſa, dubium dari obtinuit, an ſententiæ de partibus eſſent confirmandæ, vel infirmandæ. Et licèt ſuper eo multa deducerentur per informantes pro vtraque parte, ex quibus nonnulla extra dubium prorſus vagabantur, & Domini ſuper diuerſis articulis, per informantes propoſitis, diuerſa ſentirent: denique tamen ab omnibus in hanc ſententiam itum eſt, vt vltima ſententia (ad quam ſe reſtrinxiſſe videbantur iudices Commiſſarij) fuiſſet reuocanda, cum præſuppoſito, quòd Don Didacus eſſet creditor communis ærarij in maiori, vel æquiualenti ſumma: tunc
3. enim, ad euitandam pœnam ipſo iure cenſeba-
tur inducta compenſatio.* gloſſa *in l. ſi conſtat, in verb. ipſo iure, in fine. C. de compenſationibus*, vbi Bartolus *n.*6. Baldus *n.*7. Paulus de Caſtro *n.*2. & *ibi* communiter Doctores, Alexander *conſ.* 85. *n.*4. *lib.*3. *& conſ.*74. *num.*4. *lib.*5. Crotus *conſ.*95. *n.*23. *verſ. nam vbi.* Gozzadinus *conſ.*69. *n.*2. *verſ. tamen fallit*, Tiraquellus *de retract. conſanguini.* §.3. *gloſſa* 3. *n.*8. *verſ. nam licèt*, Socinus *conſ.*179. *n.*4. *verſ. quinta, & vltima concluſio, lib.*2, *& conſ.*99. *n.*5. *verſ. & hæc opinio eſt rationabilis & vera lib.*1. Roland. *conſ.*87. *n.*28. *verſ. quia licèt, lib.*1. Guidopapæ *dec.*171. *n.*5. *verſ. quia in pœnalibus.*

* quæ fundatur in æquitate, & debet admitti vbi aliàs non erat admittenda, vt per Lud. dec. 342. n. 3. & 4.

De veritate autem præſuppoſiti particulariter erat videndum, quod cùm in facto conſiſteret, probandum erat, à D. Didaco in eo ſe fundante.

*Pampilonen. Parochialis.*

Die Lunæ 3. Iulij 1600.

SVMMARIVM.

3 *Sententia eſt nulla, ſi proferatur, nulla ex partibus inſtante.*

4 *Concluſio in cauſa ſi per partes fiat, habet vim citationis, ad probationem ſententiæ.*

5 *Citatio circunducta, non dicitur citatio, quia euanuit.*

## DECISIO DCCCLII.

1. VAcante Eccleſia Parochiali de Cicurmayor
Pamelonen. diœceſis, quidam ex incolis, ad quos illius iuſpatronatus pertinere dicitur, Ioannem de Aracuri, alij Martinum Gonnium nominarunt, ab Epiſcopo inſtituendum, quamobrem orta inter eos lite coram Officiali Pampilonenſi, vtrinque fuerunt examinati teſtes, vt probationes receptæ, & poſtquam ad multos actus deuentum fuiſſet, & die 14. Aprilis an. 1598. Promotor fiſcalis Curiæ Epiſcopalis comparuiſſet, negaſſetque Eccleſiam eſſe de iurepatronatus, tandem poſtquam Epiſcopus recepiſſet etiam quorumdam teſtium examen, poſtea die 17. eiuſdem menſis Aprilis, ad fauorem Ioannis ſententiam tulit. Cauſa verò per appellationem introducta in Rota, dubitaui, an ſententia Ordinarij eſſet confirmanda, vel infirmanda; & Domini vtraque parte informante reuocandam ſententiam cenſuerunt.

Primò, quia fuit lata nemine * inſtante; im- 2.
mo verò ambabus partibus abſentibus. Cæſar de Graſſis *deciſ.*37. *num.*4. *verſ. tertiò quoniam.* Iaſon *in l. properandum, §. & ſi n.*5. *C. de iudicijs*, Crauetta *conſil.*270. *num.*1. *verſiculo imò dicitur*, Vantius *de nullit. tit. ex defectu proceſſus, num.*98. & fuit deciſum coram me *in cauſa Comen.* † *Capellaniæ*, die 28. Ianuarij 1591.

* adde ſuprà deciſ. 596. n. 11. vbi annotaui alias deciſ. & hoc eſt verum etiáſi iudex aſſerat ſententiam fuiſſe prolatam ad inſtantiã vnius partis, vt fuit dictum ſupr. dec. 127. n. 2. & 3. & deciſ. 164. n. 2.

Secundò fuit nulla ex defectu citationis, 3.
* *l.*1. *§. item cùm ff. quæ ſentent. ſine appell. reſcind.* gloſſa *in cap. cùm contumaciæ, in verb. reſpondeat, de hæret. lib.*6.

† ſuprà in d. dec. 127.
* adde ſuprà dec. 364. n. 4. & deciſ. 368. n. 4. & deciſ. 433. n. 5. & aliàs ſæpe.

Neque ſententia tanquam valida poterat ſuſtineri ex eo, quòd die 27. Februarij 1597. fuerat in cauſa concluſum, & concluſio in cauſa de ſtylo illarum partium habeat vim citationis.

Quia reſpondebatur, quòd cùm poſtea Epiſcopus de ſe cauſam euocauerit, & aliquot actus iudiciales fecerit, † præcedens concluſio in cauſa, tanquam circumducta, non potuit deſeruire pro valida citatione, ſicut citatio ipſa circumducta euaneſcit. Rota *deciſ.*1. *num.*1. *de teſtibus, in nouis, & deciſ.* 12. incipit, *Nota ſi poſt renunciationem,* 4.
*de renunciatione, in antiquis*; & conſequenter 5.
abſque alia noua citatione, ſeu concluſione in cauſa, non potuit Epiſcopus validè pronunciare. Cæſar de Graſſis *deciſ.*11. *num.*2. *verſ. defectus autem de ſentent. & re indic.* Felinus *in cap. cùm dilectus, num.*17. *verſ. & index, de fide inſtrument.* Alexander *conſil.*72. *num.*7. *verſ. item ſi poſt, lib.*3. Afflictus *dec.* 115. *n.*2. *in principio.* Pariſius *conſ.*107. *num.*101. *&* 102. *lib.*3.

† adde ſuprà dec. 596. n. 5. vbi annotaui alias deciſ. quibus adde Ludouiſ. dec. 457. n. 5. & 6. vbi ad propoſitum allegat hanc dec.

*Salamantina beneficij de Arapiles.*

Die Lunæ 3. Iulij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Reſeruatio beneficij concludenter eſt probanda, ad effectum obtinendi gratiam.*

3 *Probatio ſemiplena ſufficit ad probandum obitum beneficiarij, ſed non ad probandum tempus obitus, ad effectum reſeruationis, quia tunc plena, & concludens eſt neceſſaria.*

## DECISIO DCCCLIII.

DOn Gaſpar de Valentia decimo Calendas 1.
Auguſti anni 1593. impetrauit à Sede Apoſtolica hoc beneficium, cum narratiua, quòd vacaſſet in menſe Apoſtolico, ſcilicet Martio eiuſdem anni, Epiſcopo Salamantino tunc alternatiua gaudente. Prior Salamantinus vigore litterarum expeditarum, & ſibi præſentatarum Gaſparem induxit in eiuſdem beneficij poſſeſſionem, expulſo inde Doctore Michaële Santafe, qui auctoritate ordinaria prouiſus, idem beneficium poſſidebat; præterea idem Gaſpar die 1. Ianuarij 1594. impetrauit Breue in fauorem litterarum,



rum, quo Papa cõmittebat A.C. vt poſtquam litteræ Apoſtolicæ ſibi fuiſſent præſentatæ, & conſtaret, quòd Ioannes Vincentius obiiſſet in poſſeſſione huius beneficij in prædicto menſe Martio 1593. & quòd Epiſcopus Salamantinus alternatiua tunc gauderet, Gaſparem in poſſeſſionem beneficij immitteret. Et quoniam A. C. ad fauorem Gaſparis pronunciauit, & Michaël à ſententia appellando cauſam commiſit in Rota, cum clauſula, *parito Breui*, dubitaui, an ſententia A.C. eſſet confirmanda, vel infirmanda? & Rota vtraque parte informante reuocandam cenſuit. Ratio potiſſima fuit, quia illa clauſula, conſtito quòd Ioannes Vincentius obierit in menſe Martio, ſolùm iuſtificabatur per teſtes de
2. publica voce, & fama, quod non ſufficiebat cùm
reſeruatio deberet concludenter * probari, quia tempus, ex quo prætendebatur oriri reſeruatio, quod eſt fundamentum impetrantis, debet concludenter probari, & non ſufficit ſemiplena probatio per publicam vocem, & famam. Puteus *deciſ.*266. *num.*3. *lib.*3. Rota *in vna Pampilonen. beneficij de Allo*, die 8. Martij 1587. coram Cantuccio, & in cauſa Giennen. Canonicatus die 11. Martij 1587. coram Reboſterio, & nuper coram me in cauſa † Abulen. beneficiorum die 26. Nouembris 1599.

* vide infrà deciſ. 1453. n. 4. & adde Rotã in vna Toletan. Capellaniæ 30. Octob. 1601. impreſſa per Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 348. vbi ad propoſitũ allegat hanc deciſ. & Dur. dec. 340 n. 2. & 3. qui alias dec. allegat.

Ex quibus colligitur hæc diſtinctio, quam ſemper Rota ſequi conſueuit; quia aut agitur de probando obitu alicuius, ad effectum iuſtifica-
3. tionis gratiæ, * & tunc ſufficit ſemiplena pro-
batio per teſtes, deponentes de publica voce & fama, aut agitur de probando tempore obitus, ſeu de obitu in tempore certo, & tunc requiritur plena & concludens probatio, iuxta doctrinam Baldi *conſ.*68. incipit, *Ad euidentiam, n.*3. *in fine, lib.*3. Put. *dicta dec.*266. *in fine, lib.*3. Paleothus *dec.* 146. incipit, *Dubium an probetur*; & in hoc decipiuntur Practici forenſes in Tribunali A. C. qui in reſeruatis admittunt leuem illam probatio-
4. nem, per teſtes de publica voce, & fama, cùm
plenam, * & concludentem exigere debeant, vt iuſtum iudicium faciant.

† ſuprà dec. 794.
* adde Lud. dec. 37. n. 1. Cau. dec. 33. n. 2.

Immo nec teſtes, quibus vtebantur informantes pro Gaſpare, concludenter probabant famam, cùm deponerent per verbum, *eſt*, Verallus *deciſ.*413. *p.*2. & fuit deciſum coram me *in prædicta cauſa Abulen.* † *beneficiorum.*

* adde Rot. rec p. 2. dec. 49. n. 1. quod limita quando ordinarius, nec ab eo prouiſus eſt in cauſa, quia tunc probatur per teſtes de publica voce, & fama, vt per Cau. dec. 87. n. 2. & Lud. dec. 103. n. 6. qui plures dec. allegat.

Quæ dicebantur per informantes pro Gaſpare de Valencia contra Doctorem Santafe, quòd ipſe non paruiſſet Breui, habenti clauſulam, *parito Breui*, ex facto tollebantur, quia reſpectu poſſeſſionis beneficij realiter illam Michaël dimiſerat in Eccleſia Parochiali, oppidi de Arapiles, Salamantin. diœceſis.

5.
† ſuprà dec. 794. n. 3.

Reſpectu fructuum ſatisfactum etiam fuerat per cedulam mercatoris, depoſitam penes Notarium cauſæ, quam Procurator Gaſparis acceptauerat.

6. An autem Michaël, tanquam ſpoliatus, venerit reſtituendus ad priſtinam poſſeſſionem, particulariter erat videndum, cùm enim poſſeſſionem dimiſiſſet, ab illa cecidiſſe videbatur, quamuis id feciſſet metu cenſurarum, ita vt omiſſo iudicio poſſeſſorio, in petitorio de iuribus ſuis agere deberet, vt fuit deciſum *in cauſa * Meliten. S. Fantini*, die 10. Nouembris 1586. coram Domino meo Decano, *& in cauſa Abulen. Parochialis*, anno 1593. coram Domino meo Millino.

* in impreſſ. Seraph. dec. 756. n. 1. & 6.



*Poſnanien. Parochialis.*

Die Lunæ 3. Iulij 1600.

SVMMARIVM.

2 *Spolio qui agit in beneficialibus, debet habere titulum coloratum.*

3 *Negatiua eſt concludenter probanda, vt proficiat.*

4 *Probatio negatiuæ non concluditur ex eo, quòd ex parte allegante illam, non probetur, ſi aliunde probari poteſt.*

5 *Beneplacitum Apoſtolicum in alienatione præſumitur ex curſu temporis, maximè ſtante ſcientia Papæ, & obſeruantia longiſſimi temporis.*

6 *Negotium diſcuti in petitorio ſi partes conueniant, tacitè renunciant poſſeſſorium.*

8 *Excipiens non fatetur intentionem agentis.*

## DECISIO DCCCLIV.

DIe 6. Ianuarij 1598. fuit in hac cauſa deci- 1.
ſum, * ſententias contra Matthæum latas, fuiſſe reuocandas, & conſequenter ipſum fuiſſe reſtituendum. Et in hac propoſitione Rota vtraque parte informante in deciſis ſtandum cenſuit, non obſtantibus his, quæ pro Staniſlao contra deciſionem proponebantur, quæ ad duo potiſſimum capita reducebantur.

* ſuprà dec. 659.

Primum erat, quia non conſtabat de titulo co- 2.
lorato Matthæi, agentis ſpolio, prout requiritur, * beneficialibus, Mohedinus *deciſ.*337. Peregrinus *deciſ.*52. *lib.*1. cum tempore prouiſionis non doceret, ſe fuiſſe examinatum iuxta conſtitutionem Pij V. de Collatione Parochiali.

* adde Coc. dec. 312. n. 3. Mantic. dec. 356. n. 6.

Sed reſponſum fuit, hanc negatiuam, quòd 3.
Matthæus non eſſet examinandus, ab Staniſlao opponente, * fuiſſe concludenter probandam, Decius *conſ.*649. *n.*9. *verſ. non obſtat*, Natta *conſil.* 199. *n.*13. *verſ. ſed quicumque*, Iaſon *in l. in illa ſtipulatione, n.*14. *& ſeq. ff. de verb. obligat.*

* adde Mãt. dec. 230. n. 6. Seraph. dec. 889. n. 1.

Nec ex eo poterat dici probata, quòd in lit- 4.
teris prouiſionis Matthæi nulla fieret mentio de examine, quia cùm examen præcedere debuiſſet prouiſionem, ex tenore litterarum prouiſionis non poterat probari illa negatiua, * cùm aliunde probari potuerit, *c. in præſentia, verſic. quia cùm conſtet, de probationibus, l. non hoc. C. vnde legitimi.*

* adde Rot. rec. p. 2. dec. 323. n. 1. & 4. (quæ loquitur in terminis concurſus.) Coc. deciſ. 317. n. 3. & 4.

Et placuit Dominis ſimile de beneplacito Apoſtolico, quòd non probatur, non interueniſſe, ex inſpectione inſtrumenti alienationis, cùm potuerit præcedere, vel ſubſequi, vt fuit dictum *in cauſa Romana Caſalis Longhezæ*, die 28. Iunij
5. 1593. coram Domino meo Seraphino, † vbi fuit dictum ita perpetuò Rotam obſeruaſſe. Puteus *deciſ.*365. *n.*3. *&* 7. *lib.*2. Caſſadorus *deciſ.*3. *n.*7. *in principio, de procurat.*

† habetur in impreſſis Seraphini dec. 1042. n. 2. & dec. 792.

Alterum obiectionis caput fuit, quia cùm 6.
Matthæus fuiſſet paſſus diſcuti negotium in petitorio, conſequenter * videbatur renunciaſſe iudicio poſſeſſorio recuperandæ, *c.*1. vbi gloſſa *in verb. contentionem. de reſtit. ſpol.* Ripa *in l. naturaliter, §. nihil commune, num.*72. *verſ. ſed dubitatur. ff. de acquir. poſſ.*

* adde Lud. dec. 131. n. 7. & 8. Seraph. dec. 458. n. 1.

Sed reſpondebatur, quòd licèt pro parte Mat- 7.
thæi fuiſſent dati articuli ad probanda impedimenta, quominus infra annum ad ſacros Ordi-

nes promoueri potuerit,teſteſque propterea examinauerit, id tamen non fecit animo recedendi à iudicio ſpolij intentato, ſed ad effectum docendi,titulum ſuum non fuiſſe redactum ad non titulum:cùm enim Staniſlaus oppopuiſſet, Matthæi titulum fuiſſe diſcoloratum,& conſequenter redactum ad non titulum,& propterea Matthæus excipiendo coactus fuiſſet iuſta impedimenta deducere,per articulos, petitorium reſpicientes,cùm illi reſpicerent alium finem,nempe tueri titulum pro poſſeſſorio , non poterat inde colligi aliqua poſſeſſorij renunciatio, præſertim, cùm in dubio cenſerentur dati ad colorandum titulum , qui deſeruiret actioni intentatæ ſuper ſpolio , non autem vt iuri ſuo in poſſeſſorio renunciaret, *cap. ſuper hoc, de renunciat.* Alex. *conſil.*206.*n.*2.*verſ. quia cùm ſit dubium,lib.* 7.

8. Quibus accedebat,quia regulariter excipiens non fatetur intentionem agentis , ſicut nec replicans intentionem excipientis. Baldus *in l. exceptionem,num.*21.*verſ. Doctores dicunt. C. de probation.* Pariſius *conſ.*125.*n.*18.*verſ.licèt enim,lib.*1.

---

## *Gerunden. beneficij.*

### Die Veneris 13. Octobris 1600.

SVMMARIVM.

1 *Sententia vna lata,vel in petitorio,vel poſſeſſorio, in beneficio ſequeſtrandi ſunt fructus.*
3 *Poſſeſſor qui contra ſe habet vnam ſententiam, ſiue in petitorio , vel poſſeſſorio , non poteſt euitare ſequeſtrum.*
4 *Executio litterarum Apoſtolicarum non facit beneficium litigioſum.*
5 *Auditor Cameræ non eſt iudex cauſarum beneficialium.*
6 Clementina 1. de ſequeſtr. poſſ. & fruct. *tantùm loquitur de Rotæ Auditoribus.*
7 Clementina Auditor, de reſcriptis, & Clementina 1.de ſequeſtr.poſſ.& fruct.*non habent locum in Auditore Cameræ.*
8 *Clauſulæ , parito breui , ſatis fit , quando pars cum effectu etiam per æquipollens ſatisfacit.*
9 *Sententia nulla,vel iniuſta,lata contra poſſeſſorem beneficij producit effectum ſequeſtri.*

## DECISIO DCCCLV.

1. * ſuprà dec. 847.

QVoniam in hac cauſa die 26.Iunij proximè * præteriti,vna tantùm parte informante, fuerat deciſum,ſequeſtrum fuiſſe apponendum; ideo petente Domino Franciſco Maya,cauſa iterum vtraque parte informante propoſita, & R. P. D. Hermanno Ortembergo, Germano,Rotæ Auditore deſignato , pro veritate etiam Dominos informante , Rota in deciſis perſiſtendum cenſuit , quia concurrebat diſpoſitio *Clementinæ primæ,de ſequeſtr.poſſeſſionis,& fruct.* qua cauetur, quòd poſt primam ſententiam , latam in petitorio,vel poſſeſſorio ſuper beneficio contra poſſeſſorem,ſequeſtrum * veniat apponendum.

* adde ſuprà in d. deciſ. 847.n.2.

Neque obſtabant deducta per informantes
2. pro Franciſco , & primò quòd ſententia Rotalis non eſſet lata in petitorio , cùm non adiudicaret beneficium Michaëli, quia reſpondebatur , ſatis eſſe,quòd fuerit lata ad fauorem Michaëlis petitoris;quia ſiue ſit lata in petitorio,ſiue in poſſeſſorio,apud Sedem ſemper apponitur ſequeſtrum, *dicta Clementina* 1. ibi, *in petitorio , vel poſſeſſorio,* Puteus *deciſ.*343. *num.*1.*&* 4. *lib.*2. vbi eſt ſermo de ſententia lata in poſſeſſorio.

Secundò non obſtabat aliud motiuum , ſæpe culcatum ab informantibus pro Franciſco,quòd 3. præceſſerat alia ſententia , lata ab A. C. contra Michaëlem petitorem , ad fauorem Franciſci poſſeſſoris.

Quia reſpondebatur primò,prout in alia propoſitione fuerat iam in deciſione * reſponſum, quòd ſententia A. C. fuit lata ſuper executione Breuis,& ſic ſuper poſſeſſione,quo caſu non impedit appoſitionem ſequeſtri:nam ad hunc effectum , oportet quòd primò ſententia ſit lata in petitorio.Caſſador.*dec.*2.incip.*Fuit in vna,n.*1.*de ſequeſtr.poſſ.& fruct.*Simoneta *dec.*81.inc.*Concluſum fuit coram me.* Vnde cùm Franciſcus poſſeſſor non haberet pro ſe ſententiam in petitorio, 4. * non poterat euitare ſequeſtrum,maximè cùm in illo iudicio coram A. C. nihil deductum fuerit, niſi pro executione literarum in forma Breuis , ita vt conſequenter beneficium non fuerit effectum litigioſum , iuxta doctrinam Baldi *in Authent. litigioſa, num.*1. *verſ. quia quando beneficium. C.de litigioſis,* & fuit dictum coram R.P.D. meo Pamphilio *in cauſa Mediolanenſi Capellaniæ,* die 17.Octobris 1595.

* ſuprà in d. dec.847.n.3. & 4.

* adde infrà deciſ. 1059. num. 1. in tom.2.

Itaque illa ſententia A.C. ſeu potiùs prouiſio ſuper excutione Breuis, nullam potuit facere præſumptionem boni iuris, ad fauorem Franciſci,Veſtrius *præcitato loco.* 5.

Secundò reſpondebatur , ſententiam Rotalem , proculdubio fuiſſe in petitorio , reſpectu poſſeſſoris, quia cùm pronunciaret, beneficium eſſe de iurepatronatus , nullum ius competebat poſſeſſori, ceſſante videlicet omni reſeruatione.

Tertiò reſpondebatur,(& meliùs,)vigore ſententiarum ab A.C. latarum , non poſſe fieri locum prædictæ Clementinæ I. quia cùm A. C. non ſit iudex cauſarum * beneficialium, ipſius ſententiæ ſuper beneficiis, ſiue in poſſeſſorio,ſiue in petitorio, ſemper ſunt nullæ, & inualidæ, ex defectu iuriſdictionis, vt ſæpe cenſuit Rota, & ſignanter *in cauſa Caſertana beneficij* , die 5. Maij 1595.coram Illuſtriſſimo Blanchetto,tunc Rotæ Auditore , & conſequenter non poſſunt facere præſumptionem boni iuris.

* adde Lud. dec.118.n.4. vbi annot. n. 7. ad propoſitum allegat hãc dec. Caual.dec.32.& dec.224.n.1. Durand.dec. 138.n.3.Romam rec. p.1. dec.271.n.4. quando autē poſſit procedere A.C. in cauſa beneficiali , vide Coccin. dec. 169. vbi n.1. allegat hanc dec.& habetur impreſſa per Marcheſ. de commiſſ. p.1.pag.953.

Quibus accedebat , quòd cùm prædicta Clementina dirigatur locorum Ordinariis,quia pud aliquam perſonam idoneam debent facere beneficiorum ſequeſtrum, & vigore Innocentianæ illa Clementina extendatur ad Rotæ Auditores, conſequenter neceſſariò infertur, Clementinam eſſe intelligendam de ſententiis latis ab Auditoribus ſacri Palatij,quod ſatis etiam videtur intellexiſſe, gloſſa *in Clement. Auditor, in verb. deputatus,de reſcript.*

Quamobrem , neque diſpoſitio *dictæ Clementinæ I.de ſequeſtr.poſſ.& fruct. neque Clement. Auditor, de reſcript.* † habent locum in A. C. vigore 6. ſuarum facultatum , cùm hoc in illis non reperiatur ſcriptum,nec poterit A.C.vti diſpoſitione 7. iſtarum Clementinarum,niſi per ſpeciale reſcriptum, * id illi à Sanctiſſimo committatur.

* adde Mãt. dec.231.n.3.

Non obſtabat quod tertio loco opponebatur , ex eo , quòd hæc cauſa fuerat commiſſa R. 8. P.Domino meo Seraphino cum clauſula , *parito breui* , & quòd cùm iſta clauſula cenſeatur repetita in commiſſione mihi facta , non poſſent vlteriùs procedi.

* adde Rot. diu. p.3. lib. 2. dec.97. & dec.149.n.2.



Quia reſpondebatur, effectum iſtius clauſulæ fuiſſe conſummatum per paritionem,& per ſententiam Rotalem,poſt paritionem latam contra poſſeſſorem , quæ produxit effectum ſequeſtri. Caſſadorus *d.deciſ.*2. *in principio , de ſequeſtr.poſſ. & fruct.*

9. Poſtremò non obſtabant deducta contra ſententiam Rotalem , ex eo , quòd deficeret titulus coloratus , quia reſpondebatur, quòd præterquam quòd optio producta poterat nedum pro colorato,ſed etiam pro vero titulo deſeruire,iſta exceptio reſpiciebat iniuſtitiam ſententiæ , quæ licèt iniuſta, vel nulla, producit effectum ſequeſtri, *dicta Clementina* 1. §.*fin. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* vbi Vitallinus *in* §.*non obſtante, num.*5 *verſ. concludo contra gloſſam,* Verallus *deciſ.*156. *num.*1. *&* 2.*p.*3.

---

## *Tiraſonen. Coadiutoriæ.*

### Die Veneris 27. Octobris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Qualitates, & prærogatiuæ ſuperuenientes non debent tollere ſtatum honorificum præcedentem.*
3 *Finis, habens neceſſariam conſequentiam ad principium, debet trahi ad illud.*
4 *Coadiutoria cum clauſula , ex nunc pro vt ex tunc , concedit coadiutori omnes prærogatiuas quas habet principalis, ratione canonicatus.*
5 *Conſul poſtea factus Patritius præferendus eſt ei, qui poſtea factus fuit Patritius.*
6 *Dignitas,ſeu officium præcedens ad ſequentem dignitatem , præſtat prærogatiuam antiquitatis.*
7 *Coadiutor,licèt tempore mortis coadiuti capiat nouam poſſeſſionem,potius dicitur continuatio antecedentis, quàm noua poſſeſſio.*
8 *Conſuetudo vt probetur , requiritur diuturnitas temporum,& actuum continuatio.*
9 *Conſenſus vnius non præiudicat aliis , non conſentientibus.*
10 *Statutum Eccleſiæ vt ſit validum , requiritur Epiſcopi conſenſus.*
11 *Argumentum de vna gratia ad aliam non valet, ſi non concedatur cum eiſdem clauſulis.*

## DECISIO DCCCLVI.

1. * ſuprà deciſ.790.

DIe 8.Nouembris 1599.* fuit conformiter, in hac cauſa reſponſum, Canonico Coadiutori aſſignandam eandem illam ſedem, in qua reperiebatur tempore obitus coadiuti , & conſequenter præferendum Canonicis , qui ingreſſi fuerant , poſtquam illi fuerat eadem ſedes aſſignata,† nunc petentibus multum RR. Patribus DD.Canonicis ſtrictè,quoad ſedem,iterum cauſa propoſita, & vtraque parte informante, Rota in deciſis perſiſtendum cenſuit , ex rationibus deductis in deciſione tunc facta , & præſertim ex illa,quia nimis videretur abſurdum, Coadiutorem qui fuerat prælatus aliis Canonicis , poſt ipſum receptis , rationi antiquitatis poſt obitum coadiuti compelli, ad vltimum , & infimum locum deſcendere,* ſic enim mortuo coadiuto efficeretur deterioris conditionis, quàm fuiſſet eo viuente , cùm contrarium potiùs iure videretur conſtituendum,quia qualitates, & prærogatiuæ ſuperuenientes , non debent tollere ſtatum honorificum præcedentem. *l. per adoptionem ff.de adoptionibus.l.falſa demonſtratio.*§.1 *ff.de condit.& demonſtrat.* cùm qualitates ſuperuenientes potius debeant dare cauſam adiectionis , quàm permutationis. Cephalus *conſ.* 331. *num.*21. *verſ. & potius* , Tiraquellus (qui multos congerit) *tract. de nobilit.cap.*6. *num.*49. *verſ.ex quo notat.* & præſertim in hoc caſu, in quo, cùm finis habeat neceſſariam conſequentiam ad principium,debet trahi ad illud,*l.* 1. §.*Seio ff.de minor.*

† de hoc art. vide noſtrũ Canonicum Sarauiam de iuriſdictione adiũctorum c.29. & ſuprà in cauſa Salamantina coadiutoriæ dec.314.

2. * de hoc art. latè agit Garcia de ben.4. p.c.5.à n.65. & n.70. allegat hanc deciſ. & in ſequentibus eã impugnat.

3.

Quod apertiùs ſuadebat clauſula in iſtis Coadiutoriis apponi ſolita, videlicet , *ex nunc prout ex tunc*, per quam conceduntur Coadiutori omnes prærogatiuæ, & honores,quos habebat*coadiutus ratione Canonicatus, inter quos non eſt dubium contineri locum , ſiue ſedem, & conſequenter antiquitatem coadiuti : prædicta enim clauſula operatur,vt actus ab ipſo principio cenſeatur habere ſuum effectum,vt perinde ſit cenſendus , ac ſi à principio fuiſſet facta collatio de canonicatu. Creſcentius *deciſ.*7.*num.*12.*verſ.quibus tamen, de conceſſione præbend.* quibus adſtipulantur tradita per Tiraquellum *de retract. conuention.* §.2.*gloſſa vnica,num.* 86. *verſ. dubitum , inquam.* 4.

* adde ſuprà in d. deciſ. 790.n.4.

Multum placuit etiam Dominis poſtrema ratio* *in deciſ.*conſiderata,*ex l.*1.*& ex l.ſancimus.C. de conſul.lib.*12.quibus cauetur,priùs Conſulem, & poſtea Patritium , præferendum illi, qui ante eum effectus fuerat Patritius, quia dignitas , ſeu officium præcedens , ad ſequentem dignitatem præſtat prærogatiuam antiquitatis, ſeu anterioritatis. Vnde bene etiam applicabatur ſimile à Doctoribus commemoratum de Licentiato poſtea Doctorato , præferendo illi , qui medio tempore fuerat Doctor effectus. Socin.*conſil.*70. *num.*1. *verſ.primo, per textum lib.*4.

5. * ſuprà in d. dec.790.n.7.

6.

Supradictis accedebat,quia in caſu propoſito poſt mortem coadiuti non requirebatur noua inſtallatio , vnde illa poſſeſſio Canonico Coadiutori tradita,potius cenſebatur mutatio ex cauſa ſuperueniente , quàm noua poſſeſſio, immo potiùs videbatur quædam continuatio antecedentis poſſeſſionis. Hippolytus Riminald.*conſ.*230. *num.*8. *verſ.poſito,lib.*2. 7.

Non obſtabat decretum factum in Capitulo Tiraſonen.anno 1562. contra quendam Franciſcum Coadiutorem,ex quo prætendebant informantes pro RR. DD. Canonicis deducere conſuetudinem , vel legem ſtatutariam in Eccleſia Tiraſonenſi ; in ſimilibus inuiolabiliter obſeruandam. 8.

Quia reſpondebatur primum reſpectu conſuetudinis * non apparuiſſe probata requiſita ad illam inducendam , videlicet diuturnitatem temporis & actuum frequentiam. † Bartolus *in l.*2.*quæſt.*28.*num.*32.*qua ſit longa conſuetudo,* Alex. *conſ.*45. *num.*3. *lib.*2. Abbas *conſ.*53. *num.*4. *lib.*2. reſpectu autem validi ſtatuti dicebatur, non potuiſſe Canonicis ſuffragari illud decretum, tum quia apparebat factum in illo caſu particulari conſentiente illo Franciſco tunc Coadiutore,& conſequẽter non potuiſſe præiudicare aliis Coadiutoribus nonconſentientibus. Pariſ.*conſ.* 5. *num.*15.

* vide de hoc motiuo , & materia huius dec. Rot. rec.p.1. dec. 456.n.15.vbi ad propoſitũ allegat hanc dec. & ſuprà dec.790.n.9. † adde ſuprà dec.147.n.2. vbi annotatur alias dec. & Rot. rec.p.1. dec.255.n.4. & deciſ.497. n.2.p.2.

9. num. 15. in principio, lib. 1. idem conſ. 1029. num. 36.
10. verſ. præterea non conſenſerant, lib. 3. cum quia decretum fuerat inualidum ex defectu iuriſdictionis, quia cùm non interueniret Epiſcopi authoritas, non potuit indicere perpetuum ſtatutum, gloſſa communiter recepta in cap. 2. in verbo ſtatutum, verſ. ſolet dici, de verborum ſignificatione lib. 6. Oldradus conſil. 252. num. 4. verſ. ergo cùm prædictum.

11. Poſtremò dicebatur, quòd cùm non appareret, an illa antiqua Conſtitutio anni 1562. habuiſſet eaſdem clauſulas, quas habebat hæc, de qua nunc agebatur, non poterat ex illa aliquid efficaciter deduci contra iſtam, cùm in ſpecie, eadem facti qualitas probari debuiſſet, Cæmerca conſil. 96. num. 4. verſ. circa ſecundum. Gabriel conſil. 56. num. 10. verſ. quia conſuetudo lib. 2. Cæſar de Graſſis deciſ. 117. num. 4. verſ. vnde cùm iſta.

## *Bononien. penſionis.*

### Die Veneris 27. Octobris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Poſſeſſio exigendi penſionem ab anteceſſore, tranſit in ſucceſſorem.*
3 *Teſtis vnus ſufficit in iudicio poſſeſſorio, ad effectum manutentionis.*
4 *Confeſſio partis diluit depoſitiones teſtium, ſi contra illa committit.*
7 *Stipulatio penſionis non cenſetur facta, ſi literæ non ſint expeditæ.*
10 *Exceptiones contra teſtes non admittuntur in iudicio poſſeſſorio.*

11. *Habetur hæc dec. impreſſa per Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 617.

### DECISIO DCCCLVII.

* CVm Marcus Falconerius Eccleſiam Parochialem oppidi Campiglioni Bononien. diœceſis, vulgo Archipreſbyteratum nuncupatam, ad fauorem Marci Antonij Genatij anno 1592. in manibus Papæ reſignaſſet, reſeruata ſibi annua penſione Ducatorum 100. monetæ, quam penſionem prætendebat ſibi fuiſſe ſolutam ab eodem Marco, mediante Federico eius fratre, & conſequenter eandem ſibi fuiſſe ſoluendam ab Euangeliſta Camerario, qui defuncto Marco Antonio in eadem Parochiali ſucceſſerat, dubitaui an Marco eſſet dandum mandatum de manutenendo, in exactione penſionis, & cauſa propoſita extra Rotam (Auditor enim ſuffragium meum deſiderauerat, quod ego non niſi conſultis Dominis dare volueram) Rota cenſuit, non fuiſſe dandum.

2. * adde ſuprà dec. 717. num. Rot. rec. p. 2. dec. 491. n. 1. & aliàs ſæpe, an autem caſis quaſi poſſeſſio præſtationis penſionis, vide Rot. rec. p. 1. dec. 122. n. 11. & in Calaguritan. penſionis 2. Martij 1592. coram Cordube, & in Brixien. penſionis 17. Maij 1594. impreſſas per Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag. 521. & pag. 561.

Quamuis enim concederetur, poſſeſſionem exigendi penſionem ab anteceſſore, tranſire in ſucceſſorem * in beneficio. Puteus *deciſ. 151. incip. Dubitaui, in vna Elboren. lib. 3.* Gigas *tract. de penſion. quæſt. 47. num. 10. verſ. quintò ſciendum.*

3. † adde ſuprà in d. dec. 717. n. 1. & Lud. dec. 438. n. 2. & annot. ad dec. 160. n. 3. Caual. deciſ. 44. n. 3.

Et in hoc iudicio poſſeſſorio, ad effectum manutentionis ſufficere vnum teſtem, † Bartolus *in l. 1. num. 10. verſ. in iſto interdicto*, vbi Alex. *in addit. verſ. ſummaria cognitio. C. quorum bonorum*, quia in eo ſufficiunt leuiores probationes. Bartolus *præcitato loco, in fine*, & pro poſſeſſione Marij teſtificaretur Federicus, frater Marci Antonij Reſignatarij, dicentis, ſe de ordine eiuſdem Marci Antonij ſoluiſſe Marco Falconerio ſcuta 100. ex cauſa penſionis, Marco reſeruatæ ſuper dicta Parochiali.

Nihilominus tamen, in contrarium extabat confeſſio eiuſdem Marij dicentis, *chi non hauena riceputo penſione alcuna mente, dal detto Marco Antonio*, per illam enim confeſſionem, * adeò ſibi præiudicauerat, vt per illam infringeretur probatio dicti teſtis, & aliorum deponentium de auditu, & fide communitatis. Romanus *conſil. 391. incip. Propoſitæ conſultatio, num. 8.* Robertus Maranta *in tract. de ordine iudic. in quinto actu, parte 6. iudicij, num. 21. & ſequentibus*, quod habet locum, licèt confeſſio eſſet in alio iudicio, & inter alios facta. Ægidius *deciſ. 3.* Veſtallus *deciſ. 208. num. 6. p. 2.* Guido Papæ *dec. 254. incip. Confeſſio per aliquem, in principio.* 4.

* confeſſio enim partis prægualet multis teſtibus. Dur. dec. 90. n. 8. & 214. n. 3. & 4. & de hoc art. in hac eadem cauſa, vide Ludou. deciſ. 357. vbi n. 3. allegat, & interpretatur hanc notitiam, & habetur d. dec. impreſſa per Farinac. poſt tom. 2. conſil. dec. 291.

Neque obſtabat, quòd illa Marij confeſſio prætenderetur ambigua, ex quo licèt dixiſſet, ſe non recepiſſe penſionem à Marco Antonio, non inferebatur, quòd non potuerit illam exigere à Federico, Marci Antonij fratre.

Quia reſpondebatur, prædictam confeſſionem non potuiſſe recipere hunc intellectum. Primò, quia dum Marius affirmabat, ſe non exegiſſe à Marco Antonio, ſatis excludebat ſolutionem à Federico factam, qui dicebat, ſe ſoluiſſe de ordine fratris. Secundò dicebatur, illam interpretationem repugnare rationi, quam ſtatim à ſua confeſſione reddebat Marius, ſubdebat enim ſe non exegiſſe, quia non erant adimpletæ ſolemnitates conſtitutionis Pij V. & quia ipſe ſemper tanquam Archipreſbyter præſentauerat in ſua Eccleſia, & in ſuo loco Archipreſbyterali, iſtæ enim rationes ſuadebant, Marcum neque ab vno, neque ab alio penſionem exegiſſe. 5.

Plures etiam coniecturæ vrgebant non exactionem. Prima, quia literæ Apoſtolicæ non fuerant expeditæ, * tempore quo prætendebatur facta ſolutio, & ſtante clauſula nullitatis penſionis, ſi exigeretur ante expeditionem literarum, ſatis veriſimile erat, penſionem non fuiſſe exactam, vt in his terminis, ad effectum excludendi mandatum de manutenendo, fuit deciſum *in cauſa Parmen. penſionis*, die 16. Martij 1562. coram bon. mem. Sarmiento. 6.

* & ſine eis non poteſt ſolui penſio, aliàs erit nulla, vt per Ludou. deciſ. 440. n. 1. & latè annota. num. 8.

Altera coniectura erat, quia teſtificatio Federici videbatur ſuſpecta, tanquam facta in iudicio Camerali, ad effectum diminuendi, ſeu exuenandi ſpolium. 8.

Tertia, quia Marcus confitebatur, ſe ignorare, an Marcus Antonius cœperit poſſeſſionem, & an Federicus haberet quietantiam, quam hodie potuiſſet oſtendere.

Quarta, quia Federicus dicebat, Marcum Antonium per octo dies extitiſſe in poſſeſſione, & conſequenter videbatur inueriſimilis penſionis exactio.

Non obſtabat, quòd in hoc iudicio poſſeſſorio ſufficiat vnus teſtis, præſertim cùm adminiculis, quia reſpondebatur, id eſſe verum, quando non adeſt in contrarium confeſſio principalis, vel aliæ coniecturæ, vt in caſu propoſito. 9.

Rurſus non obſtabat quòd in hoc iudicio non admittantur exceptiones * contra teſtes; quia id habet locum quando non ſunt probatæ, nec apparent contrarietates. Geminianus *in c. 2. §. fin. de teſtib. lib. 6.* quem refert & ſequitur Decius *conſ. 8. num. 8. verſ. vbi ingerit*, dicebatur etiam id 10.

*adde Ludouiſ. dec. 449. n. 10. & 11. Caual. deciſ. 44. n. 4. & deciſ. 223. n. 2. Seraph. dec. 391. n. 2.



id non habere locum in probatione priuilegiata, puta per vnum teſtem, tunc enim requiritur, quòd nihil releuans in contrarium deducatur.

## *Firmana Altaris.*

### Die Lunæ 30. Octobris 1600.

SVMMARIVM.

3 *Dicto primo teſtis eſt ſtandum, & ſecundum dictum in præiudicium partis, cuius eſt ius quæſitum, non attenditur.*
4 *Dictum primum teſtis debilitatur per ſecundum contrarium, quoad fidem probationis.*
6 *Atteſtatio teſtis facta ex iudicio criminali, non præiudicat parti, ſi non citetur.*
7 *Teſtibus declaratis pro falſis, fides non adhibetur.*

### DECISIO DCCCLVIII.

1. POſt tres ſententias Rotales, latas contra Ricciardum Ricciotum ex eo, quòd non probauerat, beneficium, ſiue Altare, quod impetrauerat ob deuolutionem ad Sedem Apoſtolicam, fuiſſe deuolutum; idem Ricciardus in iudicio reſtitutionis in integrum per tres teſtes, Euangeliſtam, Sacripartem, & Regulum, quos ipſe adductos ad Curiam examinari curauerat, à R. P. D. meó Litta, ſententiam fauorabilem trium Rotalium conformium reuocatoriam reportauit, per illos enim tres teſtes, in gradu reſtitutionis probauit Hieronymam Martiam, & Felicem oppidi Montiſgranarij Firmanæ diœceſis, ad quas ius patronatus pertinebat, habuiſſe ſcientiam obitus Lepidi Cari, in die 20. Octobris 1591. & conſequenter, præſentationem factam per ipſas, de Ioſepho Sauino die 24. Februarij anni ſubſequentis 1592. quatuor videlicet diebus elapſis, poſt quatuor menſes ad præſentandum de iure competentes, fuiſſe extra tempus, & conſequenter beneficium deuolutum.

2. Cæterùm cùm ad notitiam Ioſephi perueniſſet, illos teſtes in alia cauſa depoſuiſſe falſum, &

3. tanquam falſarios cum fiſco Firmano, pro certa ſumma, vt legitimam pœnam luitarent, conueniſſe, curaſſetque illos in carcerem detrudi, medioque iuramento (excepto Regulo, qui aufugerat) confeſſos depoſuiſſe falſum, dicentes, à Regulo fuiſſe ad vrbem deductos, ad effectum, vt de ſcientia mulierum ſtatim poſt obitum Lepidi deponerent, proceſſu iſto in actis producto, dubitaui, an ſententia Rotalis, vltimo loco lata ad fauorem Riccioti, eſſet confirmanda, vel infirmanda, quod licèt eſſet generale, cùm tamen reſtringeretur ad præfatos teſtes, Rota, vtraque parte informante, non potuiſſe ex illis teſtibus confirmari cenſuit, niſi coadiuuarentur.

* adde Rot. diuer. part. 1. dec. 346. n. 2. & in Parmen. ſtatus 23. Martij 1601. coram Millino impreſſ. per Farin. poſt tom. 2. conſil. dec. 163. n. 2. & in alia coram Comitulo in tom. 1. deciſ. 60. n. 12. vbi annot. litt. E. & de hoc art. vide Ludou. dec. 230. n. 2. & annotat. n. 10.

Licèt enim regulariter ſtetur * primo dicto teſtis, & ſecundum dictum in præiudicium partis, cuius eſt ius quæſitum, non attendatur, Rota *deciſ. 19. incip. Si teſtis iuratus, de teſtibus, in nouis.*

4. Doctores communiter *in cap. cùm in tua*, & *ibi* Felinus *num. 4. verſ. ſecunda concluſio, de teſtibus*; nihilominus tamen primum † dictum debilitatur per ſecundum, quoad fidem probationis. Abbas *in dicto cap. cùm in tua, num. 9. verſ. aut ex interuallo*, Decius *conſ. 189. num. 12. verſ. tertiò ad dictum*, Clarus *in practicis criminalibus quæſt. 53. verſ. tertius eſt caſus*, latè Gabriel *de crimin. concluſione 29. num. 1. verſ. contrarium*, & eſt deciſio Cæſaris de Graſſis 77. aliàs 8. *num. 2. verſ. tamen primum, tit. de teſtibus.*

† adde Rot. recen. p. 1. deciſ. 167. n. 10.

Quod eo magis procedebat in hoc caſu, quia ſecundum dictum fuit habitum in tortura, & poſt legitimum interuallum ratificatum, in qua facti ſpecie ſtandum eſſe ſimpliciter dicto ſecundo cenſuerunt, Bartolus *in l. eos num. 2. verſ. ideo. ff. ad legem Corneliam de falſ.* Romanus *conſil. 505. num. 3. verſ. aliquando in eo*, Alexander *conſil. 63. num. 4. lib. 1.* Crauetta *conſ. 75. num. 32. verſ. nam videmus*, Gabriel *de crimin. concluſ. 31. num. 7. verſ. ſublimita niſi ſecundum.* 5.

Supradictis accedebant coniecturæ indicantes inueriſimilitudinem primi dicti, in quibus vna erat, quia teſtes dicebant, ſe præcisè recordari diem quo à prædictis mulieribus audiuerant de obitu Lepidi, qui ante annos quinque contigerat, & tamen negabant ſe recordari crimina, pro quibus fuerant carcerati. 6.

Non obſtabat, quòd iſta atteſtatio teſtium facta in iudicio criminali, non deberet præiudicare * Ricciotto non citato, *l. 2. C. de fide inſtrumentorum*, Bartolus *in l. Lucius num. 1. verſic. nota ergo, ff. de his qui notantur infamia.* Quia præterquam quòd Ricciotus videbatur habuiſſe ſcientiam dicti examinis, & proceſſus criminalis, vt teſtabatur Notarius actuarius, & conſequenter erat locus deciſioni *in cauſa Tudertina pecuniaria*, coram Domino meo Decano * die 19. Ianuarij 1598. (quod tamen Domini non firmarunt.) reſpondebatur diſtinguendo duos caſus. Primus erat, an Ricciotus poſſet vti dictis teſtibus, ob falſitatem condemnatis, & reſpectu huius caſus admittebatur, illum, non obſtante proceſſu criminali, iſtis teſtibus vti potuiſſe, quia cùm non fuerit citatus ad illum proceſſum criminalem, ſibi non præiudicabat, Abbas *conſ. 16. num. 8. verſ. item pari, lib. 2.* Roland. *conſ. 13. num. 10. verſ. nam ſi dicti, lib. 2.* & fuit nuper deciſum coram Domino meo Decano * *in cauſa Parmen. ſtatus.*

*adde Mant. dec. 145. n. 1.

* habetur in impreſſis Seraph. deciſ. 2259. n. 5.

* habetur in impreſſis Seraphin. deciſ. 1349. n. 4.

Alter caſus erat, vtrùm ſtante illo proceſſu criminali, & teſtium condemnatione in eo contenta propter falſitatem, iudex poſſet, aut deberet talibus teſtibus adhibere fidem, & reſpectu iſtius caſus exploratum erat, non fuiſſe eis adhibendam fidem, quia fuerunt declarati falſi, † & infames. Paulus de Caſtro *in l. 2. num. 10. verſ. nam tunc, C. de fide inſtrument.* & hoc reſpectu parum intererat, an Ricciotus fuerit, vel non fuerit citatus. 7.

† adde Rot. recen part. 2. dec. 615. n. 1. in hac eadē cauſa vbi allegatur hæc deciſ. & Seraph. deciſ. 1299. n. 1.

## *Curzolen. fructuum.*

### Die Lunæ 30. Octobris 1600.

### DECISIO DCCCLIX.

AGebat Raphaël de Gabrielis contra Franciſcum Ardentinum, ad conſequendos fructus, quos perceperat tempore, quo detinuerat Canonicatum Eccleſiæ Curzolen. quem Rota

Rota per tres ſententias conformes ad Raphaëlem pertinere pronuntiauerat, & quoniam excepto vino, nulli fructus apparebant liquidati, reſpectu autem vini aliquibus ex Dominis non placebat probatio liquidationis, ideo cùm cauſa ageretur inter Clericos, ſatis pauperes, Domini mandarunt eam concordari.

## *Romana domus Sancti Ludouici.*

### Die Lunæ 6. Nouembris 1600.

### DECISIO DCCCLX.

1. VNa tantùm parte informante, (quia Dominus Hieronymus Aymettus ſæpe citatus, noluit informare,) propoſui dubium à Rota datum, an, & quo potuiſſet Hieronymus retinere domum, de qua agebatur? & Domini cauſa diſcuſſa, cenſuerunt, Hieronymo ex ſua perſona non competere aliquod ius, quod ſibi poſſit ſuffragari: num autem haberet aliquod ius à fratribus S. Ioannis, & Pauli de Vrbe, vel à Monialibus S. Mariæ de Laureto, ciuitatis Ananiæ, Rota * particulariter videre voluit.

* de quo infrà dec. 870.

## *Placentina voti.*

### Die Lunæ 6. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Capitulum quando prætendit acquirere aliquod ius contra Epiſcopum, tunc eſt præſcriptio neceſſaria, & non conſuetudo.*
3 *Collatio beneficij an pertineat ad Epiſcopum, vel Capitulum, ſtandum eſt conſuetudini.*
4 *Suffragium Epiſcopi tantum valet, quantum totius Capituli de iure communi in collationibus beneficiorum ad eos pertinente.*
5 *Conſuetudo, & præſcriptio in iure Canonico confunduntur.*

### DECISIO DCCCLXI.

1. CVm poſt factam deciſionem in hac cauſa, die 26. Aprilis 1599. * in qua fuerat reſolutum, articulum controuerſum verſari in præſcriptione, non autem conſuetudine, propoſuiſſem aliud dubium ſuper probatione præſcriptionis, excitata fuit difficultas contra prædictam deciſionem, ex quadam deciſione facta in cauſa Fauentina iuris conferendi coram bon. mem. Vicecomite die 4. Iulij 1584. & propterea placuit Dominis, vt iterum hæc cauſa proponeretur ſuper prædicta deciſione facta die 26. Aprilis 1599. in hac autem propoſitione vtraque parte informante Rota in deciſis perſiſtendum cenſuit, ex rationibus copioſè in deciſione deductis.

* ſuprà deciſ. 754.

2. Quibus etiam accedebat aliud non contemnendum fundamentum, quia vbicunque Capitulum prætendit acquirere aliquod ius contra Epiſcopum (vt in propoſita facti ſpecie) tunc eſt præſcriptio, * & non conſuetudo, vt in terminis *gloſſa 3. in cap. 3. de conſuetudin. lib. 6.* & *ibi* Ancharanus *num. 3. verſ. licèt è conuerſo* Geminianus *num. 5. verſ. quantum ad ſecundum*, Abbas *in cap. cùm Eccleſia Vulterana, num. 6. verſ. aduerte, de elect.*

* adde ſuprà in d. deciſ. 754. n. 5. & infrà deciſ. 1145 n. 1. in tom. 2. Ludouiſ. dec. 191. n. 4. vbi annot. n. 6. Seraphin. dec. 410. n. 1.

Prædictis ita firmiter conſtitutis, † non obſtabant deciſiones Caſſadori 22. *de præbend.* & 4. *de conceſſione præbendæ*, & Fauentina *iuris conferendi*, coram Vicecomite, quia reſpondebatur, illas habere locum in caſibus dubiis, & ambiguis, quando ſcilicet incertum eſt, an & quomodo collatio præbendarum exiſtentium in Cathedrali, ſpectet ad Epiſcopum, vel à Capitulum, vel ad vtrumque, tunc enim attenditur Eccleſiæ conſuetudo; * per quam dirimitur controuerſia orta inter Doctores, ſuper pertinentia collationis, vt patet ex ſerie deciſionum Caſſadori.

† de hoc art. latè agit Garcia de benef. 5. p. c. 4. ferè per totum & n. 99. ad propoſitum allegat hanc deciſ.

3. * adde Caual. dec. 238. n. 1. & 2. & ſequent.

4. In caſu autem propoſito, cùm ab initio fuerit certum, per ſtatutum fundamentale Eccleſiæ Placentinæ, ad vtrumque videlicet Epiſcopum, & Capitulum pertinuiſſe collationem, conſequens erat, vt iuxta iuris communis diſpoſitionem, tantum deberet eſſe ſolius Epiſcopi ſuffragium, * quantum totius Capituli, quod & iura Canonica & ciuilia ſuadebant, iura quidem Canonica *in cap. Paſtoralis, in principio, de reſcript.* vbi gloſſa *in verb. plures, verſ. ſimile eſt, cap. ſcriptum. §. & ſi partes, de elect.* vbi notat Abbas *num. 6. verſ. item ſi Prælatus, cap. poſtulaſti. §. & quod breuiter, de conceſſione præbendæ*, vbi gloſſa *in verb. ſed vt Canonicas, Clementina Plures, de iure patronatus.* Iura autem ciuilia *in l. liber homo, §. Titius. ff. de hæred. inſtituend. l. ſi pater filio. ff. de vulgar. & pupill. l. ſi quis Titio. ff. de vſufruct. accreſcen.* ex quibus tandem inferebatur, prætenſam conſuetudinem Capituli, poſt ius quæſitum Epiſcopo in communione, vigore ſtatuti fundamentalis, non potuiſſe dici conſuetudinem, ſed præſcriptionem, ex illa potiſſima, & validiſſima ratione, quia agebatur de auferendo iure Epiſcopo competenti.

* adde ſuprà dec. 623. n. 5. & 7.

5. Præterea ad deciſionem in cauſa Fauentina magis in ſpecie fuit reſponſum, in ea nihil in ſpecie fuiſſe cogitatum de differentia conſuetudinis, & præſcriptionis, quia nec agebatur de tanto, vel de quanto Epiſcopi ſuffragio, ſed generaliter dixit de conſuetudine relata ad textum *in cap. cùm Eccleſia Vulterana, de elect.* & notum eſt in iure Canonico, vocabula conſuetudinis, & præſcriptionis ſæpe confundi, * *cap. cùm dilectus*, & *ibi* gloſſa *in verb. præiudicet, de conſuetudine, cap. 3. eodem titulo, lib. 6.* cuius confuſionis meminit Abbas *in cap. fin. num. 20. verſ. ſcias tamen, de conſuetudin.* quam confeſſionem, abuſionem vocabulorum vocat Franciſcus Aretinus *conſil. 23. num. 11. verſic.* vbi Iuriſconſultus, & indefinitam locutionem Paulus de Caſtro *in l. cùm de conſuetudine. ff. de legibus*, Baldus *de præſcriptio. part. 1. quæſt. 10. num. 11. verſ. Canoniſtæ tamen.*

* adde ſuprà in d. deciſ. 754. n. 9. & ſequent.

*Peruſina*



## *Peruſina dotis.*

### Die Veneris 10. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

1 *Statuti Peruſini forma circa ſubhaſtationem, & executionem inſtrumentorum ponitur.*
2 *Statuti forma ad vnguem eſt obſeruanda.*

### DECISIO DCCCLXII.

1. VTraque parte informante propoſui cauſam ſuper eiſdem, an executio, & ſubhaſtatio poſſent ſuſtineri, & Domini omiſſa nunc diſcuſſione aliarum rationum deductarum in deciſione in hac cauſa facta die 1. Iulij † 1598. in deciſis perſiſtendum cenſuerunt ex eo, quòd reſiduum pretij ſubhaſtationis non fuerat depoſitum iuxta formam ſtatuti Peruſini, quia in ſecundo volumine ſtatutorum Peruſij, *rub. 69. de executione inſtrumentorum, ſententiarum, & laudorum*, ſub pœna nullitatis cauetur, vt ſatisfacto creditore, reſiduum pretij intra 15. dies deponatur penes idoneum mercatorum, & depoſitum notificetur ipſi debitori per publicum baiulum, ſiue nuntium ciuitatis: cùm ergo creditum, pro quo fuit facta ſubhaſtatio, eſſet florenorum 1000. & expenſæ aſcenderent ad florenos 40. & venditio fuerit facta pro florenis 1100. reſiduum debuit deponi, & Lucretiæ notificari, quod cùm non fuerit factum, omnia tanquam inualidè geſta, veniebant reuocanda, forma enim

* ſuprà deciſ. 710.

2. ſtatuti * ad vnguem debuit obſeruari. Baldus *in l. ordo, num. 8. verſ. nota quòd ſi ſtatutum, C. de executio. rei iudicata, & in tract. de feud. in cap. 1. num. 2. verſ. quia cùm iſta forma*, Alex. *conſ. 42. num. 16. verſ. & ſemper forma, lib. 1.*

* adde ſuprà dec. 239. n. 6. & deciſ. 327. n. 2. & d. dec. 710. n. 7.

### Die Lunæ 4. Decembris 1600.

Cùm poſt factam hanc deciſionem vellem expedire cauſam ad fauorem Lucretiæ, deprehendi, in hac ſubhaſtatione nullum in pecunia numerata interueniſſe pretium, ſed rem fuiſſe actam, prout notatur in folio ſequenti, vnde conſultis Dominis, num etiam in hac facti ſpecie eſſet locus ſtatuto Peruſino, & rationi, de qua in deciſione, * & Domini locum fuiſſe dixerunt, ideoque cauſam expediendam.

* in d. deciſ. 710.

## *Peruſina dotis.*

### Die Veneris 10. Nouembris 1600.

### DECISIO DCCCLXIII.

BOna de quibus agitur, fuerunt ſubhaſtata, & deliberata Iacobo Fano Peruſino, pro pretio florenorum 1000. in extract. A.C. folio 291. & ſequentibus.

Iacobus emptor non ſoluit dictum pretium in pecunia, ſed promiſit ſoluere, vel remittere iura Franciſco Almenæ, ad cuius inſtantiam bona vendebantur, prout effectualiter ceſſit *folio 294.*

Franciſcus acceptauit dictam retroceſſionem bonorum emptorum per Iacobum, pro dicto pretio florenorum 1100.

In toto hoc facto non reperitur, interueniſſe pecunia numerata, neque ex actis apparet, quòd vel Iacobus emptor, vel Franciſcus illius ceſſionarius, reſiduum pretij depoſuerit facta æſtimatione iuxta ſtatutum Peruſinum.

## *Carthaginen. decimarum.*

### Die Veneris 10. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Fructus arborum ſunt decimæ reales.*
3 *Priuilegium reale conceſſum rebus, tranſit cum ipſis, ad quos res peruenit.*
4 *Decimarum exemptio facta perſonis pro rebus, non tranſit ad colonos.*
7 *Priuilegium recipit interpretationem limitatiuam, & reſtrictiuam, ſed non deſtrictiuam.*

### DECISIO DCCCLXIX.

FElicis recordationis * Sixtus Papa V. ad preces glorioſæ memoriæ Philippi, Hiſpaniarum Regis Catholici, eius nominis II. ann. 1589. conceſſerat priuilegium exemptionis à ſolutione decimarum, Monaſterio S. Laurentij el Real, Ordinis S. Hieronymi, ſub his verbis. *Omnia, & ſingula, poſſeſſiones, res, & bona mobilia, & immobilia, & redditus annuos eiuſdem Monaſterij, tam per prædictum Philippum Regem eidem Monaſterio hactenus conceſſa, & aſſignata, ac per ipſum, & quoſcunque alios de cætero quomodolibet concedenda, & aſſignanda, quàm per Priorem, & Conuentum prædictos hactenus empta, & decreto emenda, cuiuſque qualitatis, & quantitatis exiſtant, ſeu fuerint à ſolutione quarumcunque decimarum perſonalium tantùm, authoritate Apoſtolica perpetuò eximimus, & liberamus*, &c. & deinde adiecit, derogationem *cap. nuper. de decimis*, & cum Monaſterium S. Petri de la Noya, extra mœnia ciuitatis Carthaginen. eiuſdem Ordinis prætenderet, ſe vigore dicti priuilegij exemptum à ſolutione decimæ foliorum maiorum, ex prædio culto, vbi hæc folia colligebantur, & Epiſcopus, & Capitulum contrarium prætenderent, dato dubio, an prædictum priuilegium comprehenderet exemptionem decimarum, de quibus controuertebatur, eóque bis propoſito, die nempe 21. Aprilis & 5. die Maij proximè præteriti: & propter diſſidentes Dominorum ſententias, reſolutione non capta. Denique in hac propoſitione, non obſtante, quòd tres ex Dominis affirmarent intellectum priuilegij datum ab ſcribentibus, & ſentientibus pro Monaſterio, expreſsè repugnare verbis eiuſdem priuilegij, ex clara illa taxatiua *perſonalium tantùm*, & quod propterea non poterat comprehendere decimas, de quibus agebatur, quæ cùm eſſent fructus arborum, erant reales, *cap. ad Apoſtolicæ, de decimis.* Rebuffus *de decimis, quæſt. 3. num. 32.* & aliis rationibus pro eadem opinione grauiter ponderatis, pro maiori parte vicit quinque aliorum Dominorum affirmatiua ſententia, * pro qua aſſerenda recenſebantur primò tria genera priuilegiorum, eximentium à ſolutione decimarum.

1. * de hac cauſa & eius materia, vide ſuprà deciſ. 764. vbi aliqua annotaui.

2. * quæ fuit confirmata infrà deciſ. 911. in tom. 2. à quibus poſtea fuit receſsū infrà deciſ. 1090. in tom. 2.

Vnum

3. Vnum reale, conceſſum rebus, tranſiens cum ipſis, ad quos res peruenit. Rota *deciſ.*4. *num.*1. *verſ.aut priuilegium, de priuileg. in antiquis.* Bellamera *in rep.Clementin.Religioſi num.*239. *verſ.Ber de Boſqueto, de decimis.*

4. Alterum conceſſum perſonis pro rebus, quòd à ſolutione decimarum eximit bona, quæ propriis manibus, vel ſumptibus coluntur, itaut quàndo colono partiario colenda traduntur, priuilegiati tantùm pars exempta cenſeatur, & ſi ad pecuniam locentur, in nihilo exempta remaneant. Rota *dicta deciſ.*4. *num.*1. *verſ. ſi autem ſit perſonale, de priuileg.in antiq.* Puteus *deciſ.*522. *num.*2.*&* 3. gloſſa *in Clementina* 1.*in verb. excolendas, in fine, de decimis,* vbi Bellamera *num.*240.*verſic.& ideo, & num.*241. *verſ.ſed pone.*

5. Tertium, quod conceditur perſonis tantùm, vt ex aucupio, venatione, piſcatione, & ſimilibus. Rebuffus *tract.de decimis quæſt.*8. *num.*23. *&* 24.

6. His prænotatis, pro affirmatiua ponderabantur illa priuilegij verba, *omnia, & ſingula, poſſeſſiones, res, & bona,* quibus indicabatur, ſecundùm priuilegij genus conceſſum, ſcilicet perſonis Monachorum pro rebus, idque ſignificari per illa verba, *perſonalium tantùm*; quamquam enim priuilegium verſaretur circa res, illud tamen non egrederetur perſonas ad dictam deciſ. Putei 522.*lib.* 2. idque ad maiorem declarationem, quia ſi priuilegium intelligeretur fuiſſe reale, nec eſſent addita illa verba, *perſonalium tantùm,* extenderetur ad colonos, gloſſa *in dicta Clementina* 1.*in verb.excolendas, verſ.puto ponderanda,* vbi Cardinalis *quæſt.*20.*&* 21.*de decim.*Rota *dicta deciſ.*4. *de priuil.in antiquis.*

7. Dicebatur præterea, quòd niſi prædicto modo intelligeretur priuilegium, vel eſſet inane, vel deſtructiuum, quia Monachi non indigebant exemptione à decimis perſonalibus tantùm, quam iam habebant, Rebuffus *tract. de decimis quæſt.*14. *num.*41.*in principio,* quia licèt priuilegia recipiant interpretationem limitatiuam, & reſtrictiuam, non tamen recipiunt deſtructiuam, Bellamera *deciſ.*738. incip. *Si qua, num.*2.*verſ.hoc idem.*

* de quo ſuprà dec.764.

Poſtremò conſiderabatur derogatio. * *cap. nuper, de decimis,* quod loquitur de decimis prædialibus, ex iſta enim derogatione arguebatur mens Papæ, volentis concedere exemptionem à decimis prædialibus, habito tamen reſpectu ad perſonas.

---

## *Foroliuien. de Monſignanis.*

### Die Veneris 17. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

5 *Clauſula*, arbitrio Rotæ, *eſt temperatiua rigoris iuris.*

6 *Fideicommiſſarij debent capere fideicommiſſum de manu hæredis grauati, iuſtificato fideicommiſſo.*

7 *Spoliatus eſt reſtituendus, etiam antequam procedatur ad executionem negotij principalis, etiam quoad fructus, expenſas, & damna.*

11 *Clarum non dicitur, quod in controuerſiam deducitur.*

12 *Circuitus admittitur, quando abſque legum violatione eſt neceſſarius ad negotium.*

13 *Circuitus admittitur in odium ſpoliantium, quando non datur violatio legum.*

## DECISIO DCCCLXV.

CVm per obitum Pauli de Monſignanis anno 1591. qui Eliſabetham vnicam filiam pupillam reliquerat, Fabritius, & Alexander de Monſignanis prætendentes multa bona per Paulum poſſeſſa, fideicommiſſo à quodam Alexandro de Monſignanis inducto, fuiſſe ſubiecta, propria authoritate, omnium ferè bonorum immobilium prædicti Pauli occupauiſſet, anno mox ſequenti Illuſtriſſimus Cardinalis Mantica, tunc Rotæ Auditor, cui cauſa per Monſignanos commiſſa fuerat, contra pupillam minus legitimè citatam, & indefenſam, ad fauorem Monſignanorum pronuntiauit, & mandatum de immittendo relaxauit. 1.

2. Cauſa reuocationis huius executionis & reſtitutionis omnium bonorum, eidem Auditori pro parte pupillæ commiſſa, Auditor diſcuſſis pupillæ iuribus reſpectu bonorum quæ fideicommiſſo prætendebantur non ſubiecta, * executionem reuocauit, & mandatum de reintegrando pupillam relaxauit, reſeruato iure procedendi ad reſtitutionem aliorum bonorum, Monſignanoſque ad reſtitutionem fructuum, damnorum, & expenſarum condemnauit.

* habetur hæc deciſ. in impreſſis Manticæ deciſ.303.

3. In gradu appellationis R. P. D. meus Litta, cauſæ diſcuſſione maturè præmiſſa, & factis deſuper deciſionibus, ſub die 11. Decembris 1595. & die 12. Februarij 1596. ad poſſeſſionem aliorum bonorum cum ſimili condemnatione, Eliſabetham reintegrauit.

4. Interim, cùm ſententiæ in rem iudicatam tranſiuiſſent, & teſtes ſuper liquidatione fructuum, & damnorum, vigore Remiſſoriæ in partibus fuiſſent examinati, & proceſſus liquidationis ad Curiam tranſmiſſus, datumque dubium, ad quam ſummam fructus, damna, expenſæ, & intereſſe forent liquidanda, Monſignani ſignaturam Sanctiſſimi adeuntes ſupplicarunt, vt reſeruata huiuſmodi liquidatione in fine litis, ſimul, & ſemel vnica ſententia, omni appellatione remota, cauſa in petitorio ſuper fideicommiſſo cognoſceretur, & terminaretur. Cùm autem Sanctiſſimus omnia arbitrio Rotæ commiſiſſet, dubitaui, an eſſet locus arbitrio, † ad effectum de quo agebatur, videlicet vt ſecundùm petitionem Monſignanorum, liquidationis cauſa in finem litis foret reiicienda, & Rota vtraque parte informante non fuiſſe locum arbitrio

† adde infrà deciſ. 1304. num.5.

5. cenſuit. nam licèt clauſula, *arbitrio Rotæ,* aliquid de iuris rigore remittat, * vt ſæpe in hoc Tribunali dici ſolet, in hac tamen facti ſpecie iudicatum fuit, nullam extitiſſe cauſam, quæ à iuris regulis recedendum ſuaderet, & conſequenter receptas regulas fuiſſe amplectendas. Primam, vt arbitrium foret regulandum ſecundùm iuris communis diſpoſitionem, & ita reſcriptum Sanctiſſimi intelligendum prout de iure Cæſar de Graſſis *deciſione* 100. *num.* 7. *&* 8. *& deciſ.*101. *num.*2.

* adde ſuprà dec.680.n.2. & 5.& deciſ. 749. n. 7. & aliàs ſæpe.

6. Alteram fideicommiſſarios debere capere fideicommiſſum de manu * hæredis grauati, probatis probandis, hoc eſt, fideicommiſſo iuſtificato,

* adde ſuprà dec.801.n.2. vbi annotaui alias deciſ.



& quòd bona petita eſſent in bonis fideicommittentis, Peregrinus *tractatu de fideicommiſſ. articulo* 43. *num.* 1. *& articulo* 44. *num.* 1. Abba Mandelus *conſilio* 6. *num.* 3. *verſiculo verum eſt, lib.*1. Petrus Antonius à Petra *tract. de fideicommiſſ. quæſt.* 11. *num.* 1. *verſic. hæc enim requiſita.*

7. Tertiam, * ſpoliatum ante omnia eſſe reſtituendum, & conſequenter antequam procederetur ad diſcuſſionem negotij principalis, *l. ſi quis ad ſe. C. ad legem Iuliam de vi publ. cap. in literis, de reſtitut. ſpoliatorum.* cui regulæ eſt locus, etiam reſpectu fructuum, expenſarum, damnorum, & intereſſe paſſorum propter ſpolium, *cap. accedens el* 1. *in fine, vt lite non conteſt. cap. grauis, de reſtitutione ſpoliatorum.* Ripa *in l. naturaliter. §. nihil commune, num.* 50. *verſ. ſextò amplia. ff. de acquirenda poſſeſſione, cap. conquerente,* vbi Baldus, *num.* 1. *verſic. in textu ibi integrè, de reſtitutione ſpoliatorum,* Rota *deciſ.* 15. *in principio, de reſtitutione ſpoliatorum in nouis,* Puteus *deciſ.* 298. incip. *In vna Aſſa Ciriaten. in fine, lib.* 2. Verallus *deciſ.* 150. *num.* 7. *verſ. ſed in iſtis, parte* 1. *& deciſ.* 171. *num.* 3. *&* 184. *parte* 3. Gabriel *de reſtitutione ſpoliatorum, concluſ.* 1. *num.* 11. *verſic. ſecundo amplia,* Cæſar de Graſſis *deciſione* 2. *num.* 5. *verſicul. niſi fructibus integrè ſolutis, eodem titulo.*

* adde ſuprà dec.659.n.3. & infrà dec. 916. n. 5. in hac eadem cauſa. Cocc. dec.311.n.4. & aliàs ſæpe.

Vnde cùm Sanctiſſimus reſcripſerit cum clauſula, *Arbitrio Rotæ,* id arbitrium ſecundùm prædictas regulas formare oportuit.

8. Neque refragabantur deducta pro Monſignanis, & in primis illud, quòd cùm non dubitaretur de fideicommiſſo ad fauorem maſculorum inducto, ſatis dicebatur de ipſorum bono iure conſtare, vt fieret locus arbitrio; quia reſpondebatur, de fideicommiſſo conſtare, dubitari tamen, an bona à Paulo relicta Eliſabethæ filiæ hæredi, quibus per Monſignanos fuerat ſpoliata, in bonis fideicommittentis extitiſſent, vt iam in hac cauſa deciſum fuerat.

9. Minus obſtabat allegata diuiſio bonorum, per Monſignanos prætendentes conſtare de identitate bonorum Alexandri, primi fideicommittentis, facta die 7. Februarij 1561. inter Euangeliſtam, & Paulum, Petrum, Franciſcum, & Marcum Antonium, poſt obitum Alexandri per ſeptem menſes ante tranſactionem, ex qua prætendebant Monſignani probare bonorum identitatem, ad effectum excluſionis ſpolij, * & docendi de ſuo bono iure, quia reſpondebatur, in facto fuiſſe erratum, ex eo quòd tranſactio impugnata per Monſignanos ſuper diuiſione facienda, fuit facta die 15. Iunij, & 20. Auguſti 1562. Diuiſio autem bonorum in executione dictæ tranſactionis fuit facta die 7. Octobris eiuſdem anni, vt patebat ex libro manu Euangeliſtæ ſcripto, pag. 11. & 12. ex inſtrumento manu Serlactantij Rolandini ibi enuntiato, vt in proceſſu *folio* 163. vbi non per notas numerales, ſed per continentiam litterarum reperiebatur ſcriptum ſic, *die verò ſeptima menſis Octobris.* ex quibus repellebatur prætenſio Monſignanorum contendentium, diuerſionem fuiſſe factam ante tranſactionem, videlicet ante menſem Aprilis 1562. vt conſequenter inferrent identitatem bonorum probari aliunde, quàm ex tranſactione, quia reuera de nulla tali diuiſione conſtabat per legitimum aliquod inſtrumentum, aut legitimam aliam probationem.

* de quo art. infrà deciſ. 916. in hac eadem cauſa in tom.2.

10. Sed neque id probabatur ex notula menſurationis prædij Maliano, in proceſſu de partibus *fol.* 138. *pag.* 2. ibi, *& occanella parte della hæredita à detto mi Aleſſandro,* quia illa non erat diuiſio, ſed menſuratio dicti prædij, & ex illa notula potiùs inferebatur fidem illam fuiſſe factam poſt diuiſionem, quia in diuiſione facta die 7. Octobris 1562. expreſsè partes conuenerunt, vt fieret ſubdiuiſio tertiæ partis, aſſignatæ hæreditati Alexandri, in tres alias partes, & conſequenter prædicta ſubdiuiſio non potuit fieri ante principalem diuiſionem factam die 7. Octobris eiuſdem anni 1562.

Poſtremò cùm ante concluſionem in cauſa non poſſet liquidò conſtare de petitorio, & conſequenter nec de bono iure Monſignanorum, Rota *deciſ.* 16. *num.* 2. *de reſtitutione ſpoliatorum in nouis,* non poterat eſſe locus arbitrio, ad eorum fauorem: nam ex iuribus negatis, vel ſuper quibus non eſt concluſum in cauſa, non poteſt fieri res clara, nec probari dominium ſpoliatorum ad effectum, vt non ſit locus purgationi ſpolij, cùm id ſit contra

11. definitas regulas iuris; quibus accedebat, quia ad prædictum effectum, etiam iura de ſui natura clara, non cenſentur clara, quando deducuntur in controuerſiam, Bartolus *in l. ſi cauſa cognita num.* 2. *verſ. idem credo,* & *ibi* Alexander *num.* 3. *verſ. nota quòd reſtitutio,* Ruinus *in l.*1. *num.* 13. *verſ.non obſtat etiam. ff.de oper.nou. nunciat. & conſil.* 37. *num.* 10. *verſic. vel ſecundò, lib.* 4. Decius *conſil.* 351. *num.* 9. Menochius *de recuper. remedio* 1. *num.* 225. *verſic. non inferior tamen.*

12. Atque ex his etiam ceſſabant deducta per informantes pro Monſignanis, de euitando circuitu, prætendentes propterea fructuum, expenſarum, & damnorum reſtitutionem differendam vſque ad finem cauſæ, quoniam ſi pro illis erat ferenda ſententia, recuperaturi erant, quæ nunc reſtituere compellebantur, & conſequenter ad euitandum circuitum, locum fore arbitrio, ad ipſorum fauorem.

13. Quoniam reſpondebatur, id non habere locum, quando circuitus non ſunt inutiles, tunc enim abſque legum violatione admittuntur, Cardinalis *in Clementina Auditor quæſt.* 14. *n.*16. *verſ.vbi nota quòd, de reſcript.* Ripa *in l.*1. *num.*25. *verſ.iſta regula. ff.de leg.* 1. Tiraquellus *de retract. conuent.* §.2. *gloſſa vnica, num.* 71. *verſic. ſed & locum.* quod maximè habet locum in odium ſpoliantium.

---

## *Prænestina Caſtanearum.*

### Die Lunæ 20. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Iuramentum in litem defertur, quando adeſt aliqua probatio.*

## DECISIO DCCCLXVI.

1. IN cauſa Præneſtina Caſtanearum, quam propoſui vtraque parte informante, poſt multam diſcuſſionem, Rota cenſuit, quòd cauſa reſtringeretur ad primam partem dubij, an deberentur damna, & intereſſe, quæ conſequi prætendebant communitas Capranicenſis: nam ſi diceretur non deberi, fruſtrà ſuſcipiebatur diſputatio ſuper quantitate: quòd ſi affirmatiuè reſponderetur deberi, tunc de quantitate erat videndum, circa quam Domini in hac poſitione multam habuerunt difficultatem; cenſebant enim, non adeſſe ſufficientem probationem, ad aliquam quantitatem liquidandam, vt deinde poſſet deferri iuramentum * in litem, ideóque Capranicenſes vberiores probationes parare debuiſſe.

*adde Mant. c.6. n. 11. deciſ.124. 12. Caual. c.103.n.1.

## *Oriolen. fructuum.*

### Die Veneris 24. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Teſtium examen eſt nullum poſt ſententiam, quæ tranſiuit in rem iudicatam.*

3 *Rei iudicatæ ſi partes renunciant, datur locus appellationi.*

4 *Teſtes examinati in loco non determinato ad examen, ſunt nulliter examinati.*

5 *Teſtium examen licèt contineat nullitatem, purgatur per exhibitionem interrogatoriorum factam à parte, qui poterat opponere.*

6 *Maritus poteſt agere pro vxore ſine mandato.*

8 *Teſtes iurati, & examinati extra terminum, nihil valent.*

9 *Examinati teſtes extra terminum, ſi in tempore iurarunt, valet eorum depoſitio.*

## DECISIO DCCCLXVII.

1. ADuerſùs examen teſtium, vigore remiſſoriæ examinatorum, ad inſtantiam hæredum Fabritij de Riquelme, contra Doctorem Ioannem Baptiſtam Viues, ad probandam conſuetudinem vniuerſalem diœceſis Orolien. qua fuerat inductum, vt fructus primi anni vacantium beneficiorum non percipiat nouus beneficiatus, ſed illi ſpectent ad hæredes * beneficiati defuncti, opponebantur quatuor potiſſimum nullitates.

*de hac conſuetudine, vide Seraph. dec. 1053. & dec.1159.

Prima ex defectu iuriſdictionis deducta
2. ex eo, quòd cùm à ſententia Domini mei Decani non fuiſſet in tempore appellatum, conſequenter examen ſubſequutum erat nullum.

3. Sed ad hanc fuit reſponſum, rei iudicatæ fuiſſe renuutiatum, & inde cenſeri conſenſum appellationi. Doctores *in cap. cùm Bartolus*, vbi Innocentius *num.4. verſ. vel dic quòd licèt à principio, de iudic.* Puteus *deciſ.* 202. incip. *Fuit reſolutum, lib.* 2.

4. Secundò opponebatur nullitas ex eo, quòd teſtes fuerant examinati in loco non concordato, videlicet * in ciuitate Murtiæ, cùm tamen in Curia fuiſſe concordatum de ciuitate Carthaginenſi.

*adde Lud. 518. n. 10. & annot. n. 12. Caual. deciſ. 254. n. 1. & dec. 510. n. 5. Rot. rec. p. 2. dec. 655. n. 3.

Sed fuit reſponſum, ciuitatem Carthaginenſem authoritate Apoſtolica fuiſſe tranſlatam in oppidum Murtiæ, propter portum ædificatum à Carolo V. & apud Murtiam, oppidum nempe vicinum, & opportunum, fuiſſe eiectam Cathedralem, vbi reſidet Epiſcopus cum clero, ac inibi etiam conſiſtunt tribunalia Sanctæ Inquiſitionis, & Curiæ ſecularis; & propterea examen non potuiſſe dici inualidum, cùm fuerit factus in loco ſubrogato, qui cenſetur idem cum eo, cui facta fuit ſubrogatio. Innocentius *in cap.* 2. *num.* 2. *verſ. & idem videtur, de noui oper. nunciat.* Boërius *deciſ.* 212. *num.* 4. *verſ. volens etiam*, Gabriel *de reg. iuris, concluſ.* 2. *num.* 27. *verſ. Octauò amplia*, & fuit reſolutum *in cauſa Toletana fructuum de Bogas* die 1. Iulij 1587. coram Domino meo Pamphilio, & coram me, *& in alia Toletana decimarum de Sazedon*, die 13. Iunij 1590.*

*ſuprà dec. 117. n. 6. & 7. & adde Mantic. deciſ. 9. n. 3. & 4.

Rurſus dicebatur difficultatem ceſſare ex eo, quòd Procurator Ioannis Baptiſtæ citatus in ciuitate Murciæ ad comparendum coram iudice Remiſſoriali, ad videndum deputari lo-
cum, & horam Audientiæ, comparuit, & petita actorum copia, dedit interrogatoria, præmiſſa proteſtatione, quòd ſuper illis teſtes examinarentur, nulla alia contradictione facta, Abbas *in cap. bonæ, il* 1. *num.* 17. *verſic. ex qua habes, de elect.* Verallus *deciſ.* 293. *num.* 2. *verſic. dicuntur bene, parte* 3. vbi per exhibitionem interrogatoriorum * ſuſtinetur examen teſtium, licèt de citatione non conſtet. 5.

*adde Cocc. dec.66. n. 3. Seraph. dec. 308. Rot. recen. p.1. dec. 393. n. 4. & 17. & infrà dec.886.n.3.

Tertia opponebatur nullitas, ex eo, quòd aliquot teſtes fuerant inducti à Balthaſare Fuentes, de cuius mandato non conſtabat.

Sed reſpondebatur, quòd cùm ille Balthaſar eſſet maritus vnius ex hæredibus Fabritij de Requelme, potuit ſine mandato * agere pro vxore. *l. maritus. C. de procurat.* Tiraquellus *de retract. lignag.* §. 9. *gloſſa* 1. *num.* 1. *in principio*; & talia per maritum geſta profuerunt aliis cohæredibus. *l. ſed hæ. ff. de procurat.* Ripa *in cap. cùm M. num.* 60. *in princip. de conſtit.* & licèt hæc doctrina in bonis receptitiis, marito non traditis, viderentur pati difficultatem, ex traditis à Mynſingero *obſeruat.* 53. *num.* 5. *verſic. in receptitijs, centuria* 3. nihilominus in hac facti ſpecie videbatur ſublata ex duobus. 6.

*adde Caua ler. dec.527. n. 5. Seraph. deciſ. 1327. num.4.

Primò, quia ſi maritus agat velut Procurator vxoris, non habeat mandatum, proceſſus non redditur inualidus, vt notat præcitato loco Mynſingerus *num.* 6. *verſic. illud quoque.* Secundò, quia iudex interpoſuit decretum ſuper admittendo marito in hoc iudicio, & non fuit à parte contradictum. 7.

Quarta, & poſtrema nullitas opponebatur ex eo, quòd aliquot teſtes iurauerant, † & examinati fuerant extra terminum. Sed iſta tollebatur ex proceſſu, quia nouus terminus fuerat conceſſus die 22. Iunij, vſque ad diem 23. & omnes teſtes iurauerunt in iſto termino. Quòd ſi aliqui fuerunt poſtea examinati, ſufficiebat eos in tempore iuraſſe. * Rota *deciſ.* 3. *in principio*, incip. *Licèt in remiſſione, de teſtibus in nouis, & deciſ.* 3. incip. *Nota quòd vbi, de dilat. in antiq.* Rota *deciſ.* 13. *num.* 4. *verſ. in contrarium, de probat. in nouis*, Biſnietus *deciſ.* 1. *num.* 1. *de teſtibus*, Baldus *in l. ſi quando, num.* 18. *verſ. ſextò dubitatur, C. de teſtibus*, Boërius *dec.* 294. *num.* 19. *verſ. ſed ſi teſtes, & num.* 20. *verſ. vnde communis.* 8.

†adde Cocc. deciſ. 316. n.21. Ludou. dec.429.n.5.

*adde Seraphin. deciſ. 857. n. 4. & 21. Caual. deciſ. 394. n.4.



Aderat præterea alia prorogatio ad tres menſes, & ſic durabat terminus vſque ad diem 27. Ianuarij 1598.

## *Gerunden. vini.*

### Die Mercurij 24. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Statuere poteſt ſuper rebus, qui habet dominium illarum.*

*& à ſimili reuocare antiqua ſtatuta & facere nouas, num.* 3.

4 *Statuta, quæ de ſui natura ſunt reuocabilia, fieri poſſunt, vt alimenta debita in ſpeciebus mutentur in pecuniam, & è conuerſo.*

5 *Statutum factum cum conſenſu vnius, ſine nouo illius conſenſu reuocari non poteſt.*

6.7 *Conſenſus illius requiritur ad reuocationem ſtatuti, in quo conſenſit, præcipuè ſi fuit conditum ad inſtar contractus.*

8 *Statutum tunc tranſit in contractum, quando ſtatuentes aliquid concedunt, & ex aduerſo ſtatuentibus aliquid datur.*

10 *Statuta dicuntur perpetua, quando non ſunt ad præfinitum & limitatum tempus.*

11 *Lex debet eſſe perpetua.*

12 *Adminiſtratores bonorum non poſſunt præſcribere ius adminiſtrationis.*

13 *Factori ſi promittat dominus certam mercedem, poteſt poſt annum illam reuocare.*

14 *Soluendum aliquid certum ſi eſt conſtitutum per partes non recipit mutationem.*

15 *Donans non tenetur de euictione.*

## DECISIO DCCCLXVIII.

1. EPiſcopus * & Capitulum Gerunden. tanquam domini bonorum, ſuper quibus fuerant inſtitutæ Præpoſituræ in Eccleſia Gerunden. anno 1312. conſtituerunt, vt Præpoſiti tenerentur ad annos quinque, proximè futuros, loco certæ quantitatis vini, quæ vnicuique præbendato dari ſolebat, dare certam quantitatem pecuniarum pro pretio prædicti vini. Idem ſtatutum anno mox ſequenti 1313. Epiſcopus & Capitulum perpetuum effecerunt, conſtituentes vt quinquennalis illa ordinatio perpetuò ſeruari deberet. Cùm verò ſucceſſu temporis pretia rerum creuiſſent, & prædicta pecuniarum quantitas, olim pro emendo vino taxata non ſufficeret. Epiſcopus, & Capitulum indemnitati Præbendatorum conſulere volentes, reuocato antiquo ſtatuto condito anno 1313. conſtituerunt vt in futurum, Præpoſiti loco prædictarum pecuniarum traderent illam vini quantitatem, quæ ann. 1313. tempore condito ſtatuti perpetui tradi conſueuerat. Et quoniam Præpoſiti reclamauerant, cauſa commiſſa in Rota ſuper validitate huius vltimæ ordinationis, Domini primum videre voluerunt, an dominium bonorum Præ-
poſituratum eſſet penes Capitulum, quod penes Capitulum eſſe fuit bis deciſum; * demum pro maiori cauſæ elucidatione, dubitaui, an Capitulum non vocatis Præpoſitis, ſeu ipſis inuitis, & contradicentibus, potuerit reuocare prædictum antiquum ſtatutum; & Rota vtraque parte informante reuocare potuiſſe cenſuit, cùm enim non ſolùm in hac cauſa, ſed in pluribus etiam aliis ſæpe fuerit in hoc tribunali deciſum, * dominium bonorum Præpoſiturarum eſſe penes Epiſcopum, & Capitulum, conſequenter ad eos ſpectabat ſuper his ſtatuere & ordinare: † gloſſa communiter recepta *in cap. conſtitutionem*, §. *cæterùm, in verb. ſtatutum, verſic. ſi verò, de verbor. ſignificatione, lib.* 6. vbi Geminianus *num.* 4. *verſic. gloſſa in verb. ſtatutum*, Francus *num.* 1. *in principio*, Ancharanus *in repetion. cap.* 1. *num.* 99. *verſic. alij dicunt, de conſtitution.* vbi Antonius de Butrio, & Doctores communiter *in cap. cùm omnes, de conſtitut.* vbi Antonius de Butrio *num.* 25. *verſic. dic in concernentibus.* Abbas *num.* 4. *in principio*, Ioannes de Imola *num.* 13. *verſic. ſi verò Capitulum.* Felinus *num.* 9. *verſic. vbi autem Canonici*; & eo-
dem modo * poterant ſtatuta iam, & ordinata tollere, & reuocare. Bartolus *in l. omnes populi, quæſt.* 3. *principali, num.* 33. *verſic. iuxta prædicta quæro, an in recuſando. ff. de iuſt. & iure*, Paulus de Caſtro *in l. priuilegia num.* 3. *verſ. ſed miror, C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, Abbas *conſil.* 25. *num.* 5. *verſic. & diſtinguit, lib.* 2. Alexand. *conſil.* 47. *num.* 1. *in principio, lib.* 7. Decius *in cap. nouit, num.* 88. *verſic. cùm de ſua
natura, de iudicijs*, talia enim ſtatuta quæ de ſui natura ſunt reuocabilia, fieri poſſunt, vt alimenta debita in ſpeciebus mutentur in pecuniam, & è conuerſo, *l. cùm hi* §. *penultimo, de tranſactio.* 2. 3. 4.

*ſuprà dec. 757. & 814.

*adde Lud. deciſ.29. vbi ad propoſitū allegat hanc deciſ.

† adde Seraphin. deciſ. 707. n. 4. & ſequent.

*adde Seraphin. deciſ. 590.n.2. Duran.dec.291. n 24.

Ad potiſſimam obiectionem, quam faciebant informantes pro Præpoſitis de ſtatuto antiquo anni 1313. in quo, cùm Præpoſiti tunc conſenſerint, diceretur tranſiuiſſe in contractum, vt propterea ſine conſenſu † ſimili reuocari non potuerint, Bartolus *in l. omnes populi num.* 29. *verſ. diſtingue, ff. de iuſt. & iure*, Alex. *conſil.* 101. *num.* 1. *verſ. & idem tenet, lib.* 1. Barbatia *conſil.* 2. *num.* 12. *verſ. ergo ſequitur, lib.* 4. Romanus *conſil.* 116. *in principio, verſ. primò quia*, Cardinalis *conſil.* 85. *num.* 4. *verſic. illud ſtatutum*, Felinus *in cap.* 1. *num.* 19. *verſic. alius caſus, de conſtit.* 5.

† adde Duran.dec.291. n.39. vbi allegat hanc deciſ.

Informantes pro Epiſcopo & Capitulo varias conabantur aſſignare reſponſiones; quidam negabant conſenſum illum importaſſe contractum: alij dicebant, non conſenſiſſe omnes Præpoſitos. Ruſus aiebant, eum conſenſum fuiſſe adhibitum non de neceſſitate, ſed à bene eſſe, per doctrinam Baldi *in cap. cùm omnes, num.* 30. *verſicul. aut conſilium, de conſtitutione.* vt tandem inferret, Epiſcopum, & Capitulum potuiſſe id ſtatutum reuocare. 6.

Sed Domini difficultatem agnoſcentes, profundiùs rem conſiderantes, magis appoſitè reſpondebant, ex eo facto, nullam reſpectu Capituli 7.

*habetur hæc deciſio in recen.p.2. dec.34.

pituli, & Epiſcopi inductam fuiſſe obligationem, ad recipiendam perpetuò pecuniam, * licèt ad ſoluendam pecuniam Præpoſiti ſe obligauerint; nam licèt per ſtatutum obligatio ſoluendi in ſpeciebus fuerit nouata: non tamen fuit nouata reſpectu Epiſcopi, & Capituli, cùm id non fuerit expreſſum per textum *in l. ſi conuenerit. ff. de pact.* vbi notant Bartolus *verſic. aut hoc non expreſsè*, Paulus de Caſtro *num.* 4. *verſic. aut non fuit actum expreſsè*, Baldus *num.* 1. *verſic. nota quòd licet.* qui addit, id habere locum, etiam in correlatiuis, quando non fuit actum per modum recedendi à priori iure, vt in caſu propoſito: nam Epiſcopus, & Capitulum non ita egerunt, vt à iuribus ſuis recederent, ideoque pactum adiectum ſolutioni, non efficit, vt ſtatutum tranſiuerit in contractum, quamuis Præpoſiti conſenſum ſuum adhibuerint, ille enim conſenſus Præpoſitorum ſimplicis potius acceptationis, quàm contractus irreuocabilis naturam inducit, non ſecus ac quando Princeps fert legem, & Populus illam acceptat; lex enim non ſumit robur ab illo populi conſenſu, nec conſenſus operatur, vt Princeps non poſſit legem ex noua cauſa ſuperueniente, ſine conſenſu eiuſdem populi mutare, aut reuocare.

* de hoc art. vide Seraph. deciſ. 179. & deciſ. 211. & dec. 745.

8. Poſtremò addebatur, tunc ſtatutum dici tranſire in contractum, quando ſtatuentes aliquid concedunt, & ex aduerſo ſtatuentibus aliquid datur, ſeu ad aliquid fit obligatio, itaut ab vtraque parte aliquid ſit adimplendum, vt quando ſtatutum concedit immunitatem forenſibus, euntibus ad habitandum in aliquo loco. Bartolus *in l. quod ſemel num.* 1. *verſ. ex qua habes. ff. de decret. ab ord. faciend.*

9. In caſu autem propoſito, ſtatuentes nihil conceſſerunt, ſed ſolùm mutauerunt onus iniunctum, & mutationi conſenſerunt Præpoſiti, quamuis non eſſet neceſſarius eorum conſenſus.

10. Præterea non obſtabat obiectio de perpetuitate ſtatuti, quaſi propterea mutari non potuerit, vel debuerit, quia reſpondebatur, ſtatuta dici perpetua, non quia neceſſariò ſint perpetuò duratura, ſed quia non ſunt ad præfinitum, & limitatum tempus: tunc enim licèt ſint reuocabilia ad beneplacitum, tamen reuocabilia dicuntur. *l. Iuriſperitos, in principio. ff. de excuſ. tutor.* vbi Bartolus *in principio*, Decius *conſilio* 204. *num.* 5. *verſiculo ſicut dicitur de eo.*

11. Præterea licèt de natura legis ſit, vt ſit perpetua, *l. hac edictali, C. de ſecund. nupt. l. generaliter, C. de inſtit. & ſubſtitutio*, nihilominus à poteſtatem habente poteſt reuocari.

12. Ad ea quæ dicebantur de obſeruantia tanti temporis, inducentis ſtatutum, & præſcriptionem reſpectu ſolutionis certæ quantitatis, reſpondebatur, non habere locum in adminiſtratore, * qui nullo iure proprio poſſidet. Crauetta *conſil.* 27. *num.* 5. *verſic. vbi poſſidens*, tales erant Præpoſiti in hac facti ſpecie, cùm haberent adminiſtrationem bonorum, ad Eccleſiam ſpectantium ratione dominij.

* adde ſuprà dec. 757. n. 6.

13. Ad *cap.* 1. *de feud. guard.* quo cauetur, dominum promittentem mercedem factori ſuo, poſſe reuocari poſt annum, niſi certum tempus ſit aſſignatum, licèt vix potuiſſet intelligi quid inde poſſet inferri contra Epiſcopum, & Capitulum, ad effectum, vt non poſſent ſtatutum conditum reuocare: dicebatur tamen, quòd ſi domini ibi promiſerat pro certo tempore, id, quia promiſit, ſeruare debuit, cùm promiſſio ipſum reſpiceret, & Prætor dicat, *pacta ſeruabo, l.* 1. *ff. de pact.* in caſu autem propoſito, tempus perpetuum potiùs reſpiciebat Præpoſitos, cùm non caueretur, quòd Epiſcopus, & Capitulum prædictum ſtatutum perpetuò ſeruare tenerentur.

Poſtremò non obſtabat gloſſa *in cap. quanto, in verb. diligentia, de cenſibus*, quæ vult quòd ſi aliquid certum eſt conſtitutum ſoluendum, non recipit mutationem, quia procedit retento illo themate, in quo procuratio fuerat promiſſa fratribus ex liberalitate, ibi, *liberaliter exhiberet.* tunc enim ſi fuit promiſſa in quantitate, ideo non poteſt augeri, * quia donans non tenetur de euictione. *l. ad res donatas. ff. de ædil. edict.* ſed in hac facti ſpecie, procuratio, ſeu præſtatio non proueniebat ex liberalitate, & arbitrio Præpoſitorum, ſed ex neceſſitate, quia Epiſcopus, & Capitulum ſic conſtituerunt ſuper bonis ſuis, & Præpoſiti ſoluerunt non de re propria, ſed aliena, cùm dominium non ſit ipſorum, ſed Eccleſiæ.

* adde Duran. dec. 285. n. 33. & 81. Ludou. dec. 340. n. 4. vbi annot. n. 12. adducit aliquas fallentias de hac regula.

---

## *Romana de Naris.*

### Die Veneris 24. Nouembris 1600.

## DECISIO DCCCLXIX.

VTraque parte informante ſuper memorialibus datis, Domini audita relatione, & deciſionibus factis, & ſtatu cauſæ, & conſiderata in primis deciſione facta die 26. Octobris 1598. * dixerunt, non fuiſſe reuocandam ſuperſeſſoriam, aliàs Ioanni Antonio Naro conceſſam, ad effectum vt Franciſcus potuiſſet exequi mandatum executiuum contra eundem Ioannem pro reſiduo ſcutorum 578. quia certum erat, Franciſcum medietatem montium reſtituturum, vel eorum valorem ſoluturum Ioanni Antonio fratri.

* ſuprà deciſ. 718.

---

## *Romana domus Sancti Ludouici.*

### Die Lunæ 27. Nouembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Vindicare poſſunt à quocunque poſſeſſore domus, qui habent inueſtituram illius, ex beneficio concedentis.*

4 *Inueſtitura facta pro maſculis, & fœminis, hæ admittuntur deficientibus illis.*

5 *Fœminæ ordine ſucceſſiuo poſt maſculos vocatæ, cenſentur excluſæ, exiſtentibus maſculis, & non aliter.*

6 *Fœmina excluſa virtute ſtatuti, ſemper cenſetur excluſa.*

7 *Fœminæ regulariter ad feuda non vocantur.*

*Emphy*



8 *Emphyteuſis eſt capax fœmina.*

9 *Actus, & potentia æquiparantur in vocatis ad ſucceſſionem feudi.*

*Potentia, & actus æquiparantur in vocatis ad ſucceſſionem feudi, ibid.*

10 *Religioſi ſunt incapaces ſucceſſionis, ſi Monaſterium, vel Religio ſit incapax.*

## DECISIO DCCCLXX.

1. PRopoſita hac cauſa ſuper dubio dato, vtraque parte informante Rota cenſuit, Dominum Hieronymum Aimettum habuiſſe ius Ludouici Monachi Sanctorum Ioannis & Pauli de vrbe, & Archangelæ Monialis Sanctæ Mariæ de Laureto, ciuitatis Ananiæ, quòd ſibi ſuffragaretur, niſi eis obſtaret caducitas.

2. Ratio potiſſima fuit, quia ex tenore inueſtituræ patebat, ipſos fuiſſe in ea comprehenſos, cùm domus fuiſſet conceſſa Carolo Sarraceno, & Annæ coniugibus ad tertiam generationem vtriuſque ſexus ipſorum; ex Carolo enim, & Anna nati fuerunt Carolus Sarracenus iunior, & Claudia, & ex Claudia, & Raynaldo coniugibus, nati fuerunt prædicti Ludouicus Monachus, & Archangela Monialis, & conſequenter erant comprehenſi in inueſtitura, & dicebatur ius habere ex beneficio concedentis, itaut domum poſſint etiam à quocunque vindicare, *cap.* 1. *de alienat. paterni feudi.* Paulus de Caſtro *conſil.* 300. incip. *Viſo quodam proceſſu, num.* 2. *lib.* 2. Decius *conſil.* 58. *num.* 3. *verſic. non obſtant*, & in terminis de nepotibus, & filiis primi acquirentis ad tertiam generationem tradit Corneus *conſ.* 219. *num.* 5. *verſ. his tamen non obſtantibus, lib.* 2.

3. Non obſtabat, quòd frater Ludouicus, & Archangela deſcenderent ex Claudia matre, ſemel excluſa à Carolo minore eius fratre, vigore ſtatuti vrbis *lib.* 1. *cap.* 145. conſtituentis, quòd ſi quis deceſſerit inteſtatus, relictis filiis maſculis, ſeu filio, vel nepote, ex filio maſculo ſibi præmortuo, ſuperſtitibus filiabus, vna, vel pluribus maritatis, tunc ipſæ filiæ nuptæ in aliquo non ſuccedant patri, vel matri, ex quo inferebant informantes pro Eccleſia Sancti Ludouici, Claudiam à patre, & fratre maritatam, & dotatam remanſiſſe penitus excluſam ab omni paterna hæreditate, vt propterea ab inteſtato fuerit Carolo iunior integraliter delata, & ideo nullum ius à Claudia potuiſſe defluere in Ludouicum Monachum, & Monialem.

4. Quia reſponſum fuit, quòd ſtante inueſtitura pro maſculis, & fœminis, (vt in caſu propoſito) ſtatutum excluſiuum fœminarum, nihil aliud operatur, niſi vt primo loco cenſeantur vocati maſculi, poſtea verò fœminæ, * iuxta receptam opinionem Bartoli *in l. vt iuriſiurandi. §. ſi liberi, num.* 5. *verſic. tunc enim prædicta. ff. de oper. libert.* Curtius iunior *conſ.* 171. *num.* 3. *in principio*, Socinus iunior *conſil.* 104. *num.* 11. *verſic. dico enim, lib.* 2. *& conſilio* 79. *num.* 2. *verſic. aut ex ſecundo, lib.* 4. Paulus de Caſtro *dicto conſil.* 300. *lib.* 2. Iulius Clarus *in §. Emphyteuſis, quæſt.* 32. *num.* 4. *verſic. ſed pone.*

*adde Cocc. dec. 32. n. 3. vbi ad propoſitum allegat hanc dec. & Caualler. dec. 557. n. 5. Duran. dec. 431. n. 7. & deciſ. 334. num. 3.

5. Cùm ergo Claudia eſſet in inueſtitura comprehenſa; & ex ſtatuti diſpoſitione fœminæ ordine ſucceſſiuo poſt maſculos vocatæ cenſerentur, non poterat Claudia dici excluſa à fratre, immo fratre deficiente, ius vigore inueſtituræ, Claudiæ competens, non fuit ab ſtatuto ſublatum. Claudiæ enim (quæ ſimul cum fratre ſucceſſiſſet in emphyteuſi niſi ſtatutum obſtaret) cenſebatur reſeruatum ius vigore inueſtituræ, vt poſt fratrem admitti deberet, non ad portionem ſuam, à qua dicebatur excluſa, ſed ad totum, ad quod ordine ſucceſſiuo cenſebatur vocata, vt bene declarat Socinus iunior *dicto conſilio* 104. *num.* 11. *verſic. aliquando ergo quæritur, lib.* 2. *& conſilio* 79. *numer.* 4. *lib.* 4.

Et quia articulus erat exemplaris, Domini 6.
magis declarando tres potiſſimum caſus cenſebant conſiderandos. Primus erat reſpectu bonorum paternorum, ſiue hæreditatis paternæ, vel maternæ, in quo Corneus *conſil.* 37. *num.* 2. *in fine, lib.* 3. Beroius *conſil.* 105. *num.* 1. *in principio lib.* 1. affirmant, fœminam vigore ſtatuti ſemel excluſam, * ſemper excluſam remanere debere. Bartolus tamen *in l. finali.* §. 1. *num.* 3. *ff. ad Tertull.* & Baldus *in cap.* 1. §. 1. *num.* 3. *verſic. ſecus ſi ſtatutum, tit. Epiſcopum, vel Abbatem, in vſib. feud.* diſtinguunt conſiderantes, an ſtatutum loquatur per verba ſignificantia temporalitatem, vel perpetuitatem, de quo fuit latè dictum coràm me *in cauſa Peruſina reintegrationis*, die 6. Nouembris 1595. * ſed iſte non erat caſus noſter.

* de hoc art. vide Rotam recen. par. 1. dec. 155. n. 4. & ſeq.

* ſuprà deciſ. 469. n. 3. & ſeq.

7. Alter caſus erat reſpectu bonorum feudalium, in quibus cum regulariter fœminæ † non comprehendantur, ſemel excluſæ, ſemper cenſentur excluſæ: vigore enim iuris communis ad feuda non vocantur. Socinus iunior *dicto conſil.* 104. *num.* 12. *verſic. poteſt etiam, lib.* 2. latè Surdus *deciſ.* 95. *num.* 25. *verſic. nec mouet.* Et cùm nec iſte eſſet caſus de quo agebatur, non ſatis ad rem faciebant Doctores allegati per informantes pro Eccleſia Sancti Ludouici, qui loquebantur in feudo, in quo ſi conceſſio ſit facta pro maſculis, & fœminis, habet locum regula, quòd fœmina ſemel excluſa, perpetuò remanere debeat excluſa, & ſolùm admittatur, quando à principio non extabat maſculus.

† adde Seraphin. deciſ. 1487. num. 2. Rot. rec. p. 2. dec. 415. n. 4. in fine, quando autē fœmina ſit capax feudi, vide Caual. deciſ. 634. n. 2. & habetur in rec. p. 2. dec. 362. Seraph. deciſ. 1105. n. 10. Rot. recen. p. 1. dec. 663. n. 13.

Tertius caſus erat, reſpectu bonorum emphy- 8.
teoticorum, qui erat caſus noſter, in quo fuit dictum, quòd cùm fœmina ſit capax emphyteuſis, & admitti debuiſſet ſimul cum maſculo, niſi ſtatutum vetaret: ſublato maſculo, fœmina poteſt in emphyteuſi integraliter * ſuccedere, vt Socinus iunior *d. conſil.* 104. *num.* 12. *in principio*, & Surdus *deciſ.* 95. *num.* 12. *in principio*, deſtinguentes inter feudum, & emphyteoſim bene declarant.

* adde Dur. dec. 295. n. 5. Rot. recen. p. 1. dec. 663. n. 18.

9. Rurſus non obſtabat dicere Ludouicum Monachum, & Archangelam, nec Caroli ſenioris, nec Caroli iunioris fuiſſe hæredes, quia ſatis erat, ex diſpoſitione iuris cenſeri hæredes, Caroli iunioris, quamuis ipſe Carolus iunior extraneum inſtitueret, vt fuit conſideratum *in cauſa Camerinen. domus*, die 4. Iunij 1593. coram bon. mem. Giptio, in hac enim materia non tam actus, quàm potentia inſpici ſolet, ne ſit in poteſtate vnius vocati, aliis vocatis præiudicare.

10. Poſtremò non obſtabat quòd frater Ludouicus, & Archangela fuiſſent expreſsè religionem profeſſi, vt conſequenter cenſerentur inſucceſſibiles: nam reſpondebatur, eorum Monaſteria
* adde ſuprà dec.739.
eſſe ſucceſſionum capacia, * & poſſe ſaltem Ludouico, & Archangela viuentibus bona retinere. Burſatus *conſilio* 60. *num.* 33. *verſic. ſexto loco.*

---

## *Placentina Decanatus.*

### Die Lunæ 4. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio beneficij in Cathedrali, ſi non ſit capta capitulariter, non eſt manutenibilis.*
*etſi ſit capta de mandato executoris, num.* 2.
3 *Subrogatio gratioſa non ſufficit ad effectum manutentionis, ſine apprehenſione.*
*Sed ſtantibus impedimentis partis, eſt manutenibilis poſſeſſio, num.* 4.
5 *Capitulariter ſi non ſit capta poſſeſſio in cathedrali non valet, & aliqui limitant ad Canonicatus tantùm.*
6 *Executor poteſt procedere contra Capitulum cathedralis, ſi renuat tradere poſſeſſionem.*
7 *Executiua via poteſt impediri, ſi compareant legitimi contradictores.*
8 *Executiua via ceſſat, vbi datur concurſus ſimilium gratiarum.*

### DECISIO DCCCLXXI.

1. PRopoſui dubium, an Balthaſari de Miranda eſſet dandum mandatum de manutenendo in poſſeſſione Decanatus, quam accepit non capitulariter, ſed de manu cuiuſdam Domini Solani, Canonici eiuſdem Eccleſiæ, cui Apoſtolicus Nuntius commiſerat, vt eam ſibi traderet,
2. ob contumaciam recuſantium parere mandatis Apoſtolicis, in prædicta poſſeſſione tradenda, & non fuit capta reſolutio propter diſſidentes Dominorum ſententias; quidam enim dicebant, prædictam poſſeſſionem non fuiſſe manutenibilem, quia iuxta opinionem, quam Rota ſeruat, non intelligitur acquiſita, niſi tradatur capitulariter.* Caſſadorus *dec.8.n.2.verſ. aliter nunquam, de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* quod procedit, etiamſi poſſeſſio fuerit tradita de mandato executoris, vt† eſt deciſio Paleothi 293. incip. *Aliàs concluſum fuerat.* Addebantque non ſuffragari Mirandæ
* adde ſuprà dec.617.n.6. & 7. Rotam recen.part.2. dec.523.n.1. & deciſ.701. n.5. Coccin. dec.212.n.7. & deciſ.235. n. 11. & dec. 353.n.2.
† adde Rot. rec. p.1. dec. 633.n.1.
3. gratioſam ſubrogationem, etiam quo ad poſſeſſionem defuncti, quia ſubrogatio gratioſa
4. non ſufficit, ad effectum manutentionis, ſine† apprehenſione actualis poſſeſſionis, vt fuit dictum
5. in pluribus cauſis.

Alij dicebant, locum fuiſſe manutentioni ad fauorem Mirandæ ſtantibus impedimentis præſtitis * à Capitulo, Biſnietus *deciſ.* 8. *de reſtitutione ſpoliatorum*, Felinus *in cap. cùm omnes, num.*27. *verſ. ſecunda declaratio, in fine, de conſtitutionibus*, Afflictus *deciſ.*302. *num.* 1. *verſ. & præſupponitur*; & Domini qui tenebant hanc partem, addebant quòd deciſio Caſſadori 8. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* affirmans quòd poſſeſſio debeat capitulariter capi, procedit in poſſeſſione Canonicatus, non autem in adeptione poſſeſſionis dignitatis, vt fuit reſolutum *in cauſa Papien. præpoſituræ*, die 5. Martij 1584. coram bon. mem. Reboſterio, & conſequenter Mirandæ poſſeſſionem captam de manu Canonici, vigore mandati emanati à Nuncio Apoſtolico fuiſſe manutenibilem.
*ita fuit deciſum in hac cauſa infrà deciſ.929. in rom.2. & adde Ludouiſ. dec.364.n.2. vbi ad propoſitum allegat hanc deciſ. & latè annot. ibid. litt.B. Caual. dec.359.n.2. & ſeq.

6. Alij ſentiebant, mediam quaſi viam eligendam, videlicet, vt Miranda meliùs iuſtificatis Capituli contradictionibus, & impedimentis immitteretur in poſſeſſionem per ſententiam excommunicationis, cùm ſubſecuta declaratoria contra Capitulum ſi nollet poſſeſſionem tradere. Puteus *deciſ.*271. *num.*7. *verſ. & poſſeſſor. lib.*3. per textum *in cap. pro illorum, de præbendis*, & tenuit Rota *in vna Calciaten. portionis*, coram Illuſtriſſimo Blanchetto, tunc Rotæ Auditore, die 9. Decembris 1591. æquum enim erat videre, an Capitulum haberet iuſtam cauſam contradicendi: nam informantes pro Capitulo dicebant, ipſum non reſtitiſſe, neque reſiſtere reſpectu tituli Decanatus, Mirandæ competentis, quamuis reſiſteret reſpectu duarum præbendarum, authoritate Apoſtolica à Decanatu diſmembratarum, & applicatarum duobus Canonicatibus, vulgariter de Vento nuncupatis. Cùm enim iſti Canonici haberent parem titulum Apoſtolicum, tanquam legitimi contradictores, videbantur admittendi, ad impediendam viam executiuam à Miranda intentatam. Puteus *dec.*32. *lib.*1. quia vbi datur concurſus ſimilium gratiarum, via executiua ceſſat.* Mohedanus *deciſ.*13. incip. *Reſolutum fuit per Dominos, vt lite pendente*, per doctrinam Bartoli *in l. fin. §. ſin autem, num.*22. *C. de edict. diui Adriani tollen.* quamuis alij ex Dominis dicerent, iſtam exceptionem diſmembrationis fructuum, tanquam reſpicientem petitorium, non debuiſſe retardare poſſeſſionem Mirandæ, niſi in continenti probari poſſet.
* adde Lud. dec. 46. n. 6. Caual. deciſ. 211. num. 5. Mant. deciſ. 71. n. 7.

---

## *Lucana Molendini.*

### Die Lunæ 4. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

3 *Subdelegatus antequam ei præſententur litteræ ſubdelegationis, etiamſi ſint conceſſæ, non poteſt procedere in cauſa.*
4 *Iudici non creditur, etiamſi dicat, viſis actis, niſi de his conſtet in proceſſu.*
5 *Productio ſubdelegationis facienda eſt in principio cauſæ, & non prodeſt, ſi poſtea fiat, etiamſi ſit producta in proceſſu.*
6 *Iudex ordinarius ſi ſe aſtringat in ſententia, ad delegationem ſibi factam in eadem cauſa, non vtitur iuriſdictione ordinaria.*

### DECISIO DCCCLXXII.

ANno 1555. Præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ 1.
S. Miniati, Lucanæ diœceſis, molendinum quoddam conceſſit in emphyteuſim Onofrio de Bracciis. Vicarius Lucan. paratis probationibus, dictam conceſſionem vigore literarum, *ſi in euidentem*, in Eccleſiæ vtilitatem ceſſiſſe declarauit, & confirmauit, anno 1592. Modernus Præ- 2.
poſitus coram eodem Vicario Lucan. prædictum contractum emphyteuſis, tanquam læſiuum



declarari poſtulauit, & in hoc iudicio fuerunt latæ tres ſententiæ. Prima à Vicario Lucano, in qua Zenobium, & Onofrium Braccios abſoluit, reſeruato iure ipſi Præpoſito petendi reſtitutionem in integrum, ex cap. læſionis. Secunda ab Auditoribus Nuntij, in qua per viam reſtitutionis in integrum prædictum contractum, tanquam Eccleſiæ damnoſum reſciderunt. Tertia à Vicario Florentiæ, tanquam ſubdelegato à iudice ſynodali, de Legato Apoſtolico, qui reuocauit ſententiam reſciſſionis, & contractum tanquam Eccleſiæ damnoſum declarauit inualidum.

2. Braccij ab hac vltima ſententia appellantes, cauſas appellationis, & nullitatis introduxerunt in Rota, & quoniam in primis allegabant nullitatem ſecundæ, & tertiæ ſententiæ, ideo ſuper hoc dato dubio, vtraque parte informante Rota cenſuit, tertiam, ſiue vltimam ſententiam, latam à iudice ſubdelegato fuiſſe nullam ex defectu iuriſdictionis: nam cùm Vicarius Florentinus proceſſiſſet in cauſa, tanquam ſubdelegatus à iudice ſynodali, neque
3. litteræ patentes ſubdelegationis fuiſſent coram eo productæ, ante productionem * earum, etiamſi verè fuiſſet ſubdelegatus, non habuit iuriſdictionem, ad validè pronunciandum, cùm abſque illis non eſſet certus de ſua iuriſdictione, Felinus *in cap. eam te, numer.* 21. *verſ. fallit quartò, de reſcript.* Rota *deciſ.* 21. *numer.* 3. *verſ. alij & maior, de conceſſione præbendæ, & deciſ.* 6. *numer.* 1. *verſic. delegatus enim, de officio delegat. in nouis, & deciſ.* 4. incipit, *Pronunciatio facta, eodem titulo, in antiquis.* Creſcentius *deciſione* 5. *numer.* 4. *verſ. tamen quia executor, de fide inſtrument. & deciſ.* 13. incipit, *Penſionis tranſlatio, de conceſſione Præbendæ*, Achilles *deciſione* 2. *num.*2. *verſic. & quia iuriſdictio, de officio delegat.* Verallus *deciſ.* 114. *& deciſ.* 402. *numer.*2. *part.*2. *& deciſ.*38. *part.*3. vbi ait hunc defectum eſſe inſanabilem, & fuit deciſum coram me *in cauſa Tuden.* * *beneficij del Roſal*, die 11. Decembris 1594.
* adde Seraphin. dec. 1010. num. 2. Rotã in vna Legion. iuriſdictionis 5. Decembr. 1607. coram Lancellotto impreſſa per Marcheſ. de commiſſ. p.1. pag.1218.
* ſuprà dec. 416.n.2. vbi annotaui alias dec.

Neque obſtabat, quòd iudices Rotæ Florentinæ, quorum ſuffragium fuerat requiſitum, in ſua relatione dicerent, & viſa ſubdelegatione facta in perſonam N. qui prædictos
4. Rotæ Florentinæ Auditores, ſibi loco Aſſeſſorum elegerat, quaſi quòd inde neceſſariò ſequeretur, iudicem ſubdelegatum habuiſſe penes ſe, & oſtendiſſe Aſſeſſoribus litteras patentes ſuæ ſubdelegationis, quoniam reſpondebatur, neque iudici credi, licèt dicat, viſis actis, niſi de his conſtet in proceſſu. * Innocentius *in cap. quoniam contra, num.* 8. *verſ. item attende, de approbat.* Baldus *conſ.*363. *num.*3. *verſ. nec creditur, lib.*4.
* adde ſuprà dec.577.n.8. Rot.rec.p.2. dec.214.n.1.

5. Nec proderat ad ſanandum prædictum defectum, quòd nunc de ſubdelegatione conſtaret in actis, quia tempore iudicij, coram ſubdelegato agitati, conſtare debuerat, ita vt productio deinde facta non ſufficiat. Baldus *in l. eum qui, numer.* 5. *verſ. gloſſæ noſtræ dicunt, ff. de iuriſdict. omnium iudic.* vbi concludit, id eſſe de ſubſtantia ſubdelegationis. Felinus *in cap. ſuſcitatus, num.*3. *verſ. pro tanto dixi, de reſcript.* Romanus *conſilio* 553. *numer.* 8. *verſ. ſecundo, ex textu.*

Poſtremò non obſtabat, quòd Vicarius haberet etiam iuriſdictionem ordinariam, cuius 6.
reſpectu poſſet ſuſtineri ſententia.

Quoniam reſpondebatur, quòd cùm ipſe ſe reſtrinxerit ad delegatum, nec conſtaret de ſua delegatione, non poterat ſententia à nullitate defendi, vt fuit etiam obſeruatum in prædicta deciſione facta *in cauſa Tuden.* * *beneficij de Roſal.*
* ſuprà in d. deciſ. 416. n.12.

Atque ex hoc capite dicebatur nulla, & inualida prædicta tertia ſententia. 7.

Reſpectu ſecundæ ſententiæ latæ à Nuncio, non potuit capi reſolutio, cùm vix potuiſſet dignoſci, quomodo res ſe haberet, opponebatur enim contra ſecundam ſententiam nullitas ex eo, quòd non fuerat productus proceſſus, & ſententia, *ſi in euidentem*, coram Nuncio, & licèt reſponderetur primò, coram iudice primæ inſtantiæ, die 14. Iunij 1593. fuiſſe productum inſtrumentum libelli, vnà cum beneplacito Apoſtolico, & cum ſententia confirmatoria, obtenta à Procuratore Bracciorum in proceſſu de partibus *folio* 82. *pag.*2. & integrum proceſſum, *ſi in euidentem*, apparere regiſtratum in eodem proceſſu à folio 131. vſque ad fol. 160.

Tamen pro parte Bracciorum replicabatur, quòd à folio 114. pag. 2. vbi erat ſignum, & ſigillum Notarij, vſque ad folium 131. non ſequebatur continuata actorum inſertio, ſed potiùs quædam foliorum volantium adiunctio, cum mutatione numeri in ſingulis foliis, quæ videbantur arguere recenter id factum, nec productum coram Nuncio, qui ſecundam ſententiam tulerat; proponebatur tamen conſiderandum pro parte Præpoſiti, quòd proceſſus contentus fol. 114. & proceſſus contentus fol. 131. videbatur ſcriptus eiuſdem Notarij manu: acta tamen contenta à fol. 115. vſque ad fol. 131. videbantur manu alterius Notarij ſcripta.

Et propter has difficultates nihil fuit firmatum, reſpectu nullitatis aut validitatis ſecundæ ſententiæ, latæ à Nuncio ob tranſportationem, aut non tranſportationem actorum.

---

## *Romana Donationis de Grandis.*

### Die Lunæ 11. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

6 *Solemnitates requiſitæ in donatione, per mulierem factam marito ex ſtatuto, ſunt obſeruandæ vt valeat donatio.*

### DECISIO DCCCLXXIII.

ANno 1573. Dominus Alexander de Gran- 1.
dis donauit bona ſua Dominæ Læliæ Maſſæ vxori ſuæ, & inter cætera, domum ſitam in vrbe in regionibus Columbinæ, & Campi Martij, & hanc donationem Rota declarauit vali- 2.
dam, die 27. Aprilis 1592.*
* ſuprà dec. 215.

Domina Lælia bona ſibi à marito donata retrodonauit eidem marito anno 1587. & hanc

retrodonationem Rota declarauit inualidam die 22. Iunij 1592. *

Anno 1590. Lælia pro liberando merito ab ære alieno, ſupradictam domum eidem retrodonauit, & conſenſit illius venditioni, factæ bon. mem. Domino Auguſtino Pinello, qui multis creditoribus Alexandri pretium perſoluit, & poſſeſſionem prædictæ domus accepit. Cùm verò Domina Lælia iudicium mouiſſet aduersùs Dominos Pinellos, ſuper recuperatione domus, vigore donationis ſibi factæ, vtraque parte informante, dubitaui, an prædicta donatio Læliæ, & filiis ſuis ſuffragaretur.

*ſuprà dec. 239. propter defectum ſolemnitatum, quæ eodem modo requiruntur ſicut in donatione, vt latè fuit dictum in d. decif. 239. n. 2. & ſeq.

3. Et cùm in hoc articulo informantes pro Lælia contra Pinellos niterentur prima donatione, à Rota canonizata, informantes verò pro Pinellis exciperent de conſenſu per Dominam Læliam præſtito in venditione dictæ domus, multæ fuerunt excitatæ difficultates, in quibus ſequentes videbantur magis præcipuæ.

4. Prima reſpiciebat nullitatem decreti iudicialis, in conſenſu Læliæ adhibiti; an fuiſſet adhibitum cum cauſæ cognitione, & cæteris requiſitis à ſtatuto vrbis *lib.1.cap.151.*

5. Altera concernebat intereſſe filiorum Læliæ, an eis eſſet vigore donationis factæ per Alexandrum, Læliæ matri acquiſitum tale ius reale, vt conſenſus maternus non potuerit eis non conſentientibus præiudicare.

6. Tertia reſpiciebat adimplementum eorum, quæ in conſenſu continebantur.

Occaſione iſtarum difficultatum interſerebantur aliæ fortaſſis non minus difficiles, ita vt vnica præpoſitione non poſſent declarari: quamobrem Domini vno conſenſu cenſuerunt, vt cauſa reſtringeretur, & primo loco videretur, an retrodonatio Læliæ, de qua agebatur, facta anno 1590. eſſet nulla, & inualida, ex eo quòd prætendebant Domini de Grandis non fuiſſe ſeruatas ſolemnitates * ſtatuti vrbis.

*quibus deficientibus donatio, & retrodonatio ſunt nullę, vt fuit dictum ſuprà decif. 230. & decif. 756. n. 2.

## Pennen. Beneficiorum.

### Die Lunæ 11. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Beneficia libera præſumuntur, & non iuriſpatronatus, donec non probetur contrarium.*

## DECISIO DCCCLXXIV.

1. PEr obitum Ioannis Baptiſtæ Sterlich, Protonotarij Apoſtolici, vacarunt octo ſequentia beneficia.

Abbatia Sancti Marci, aliàs Sanctæ Mariæ ad Plebem, nuncupata de Scorrano,

Eccleſia Sancti Ioannis, & Sanctæ Iuſtæ in feudo Mortulæ,

Eccleſia Sancti Leonardi in territorio caſtri Peti,

Eccleſia Sancti Laurentij, in feudo Serræ,

Eccleſia Sancti Benedicti in feudo Serræ,

Eccleſia Sanctæ Mariæ, Sancti Saluatoris, Sancti Benedicti, Sancti Petri, Sancti Martini annexorum in feudo Rhodij Roſarum,

Eccleſia Sanctæ Mariæ in Gattopio, Sancti Vincentij, Sanctæ Mariæ à Geneprio, Sancti Martini, Sancti Georgij, & Sancti Petri à Cottiano, & annexorum in feudo Tezzano,

Eccleſia Sancti Michaëlis in Fino, & Sancti Auguſtini ac Sancti Polij, & annexorum in feudis Tozzani, & Podij Camardenſis.

Ea à Sede Apoſtolica impetrauit Illuſtriſſimis Dominus Cornelius fidelis, & cum Dominus Rodolphus Sterlich, & alij laici prætenderent, eſſe de iurepatronatus, in hac propoſitione, Domino Cornelio tantùm informante dubitaui, ſuper quatuor primis beneficiis, an eſſent de iurepatronatus? & Rota negatiuè reſpondit, quia cùm ex iuribus, & inſtrumentis, hactenus pro parte Domini Rodolphi, & aliorum oſtenſis, non conſtaret de aliquo patronatu, legitimè probato, locus erat regulæ iuris, vt beneficia libera præſumantur. * Innocentius *in cap. cum venerabilis, numer. 9. verſ. & ſi non appareat, de exceptionibus*, Archidiaconus *in cap. nullus, numer. 3. verſ. ſed ſi non apparet, 16. quæſtion. 7.* & eſt regula in Rota receptiſſima. 2.

*adde ſuprà decif. 257. n. 12. & decif. 449. n. 2.

De reliquis quatuor beneficiis particulariter erat videndum.

## Brixien. Penſionis.

### Die Lunæ 11. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

4 *Forma non ſeruata, actus dicitur nullus.*

5 *Clauſula annullatiua penſionis, appoſita in decreto, inducit formam.*

6 *Penſione grauare beneficia, non pendet à facto, & conſenſu partium, ſed à poteſtate Papæ.*

7 *Obligatio non oritur in futurum ex ſolutionibus præcedentibus.*

8 *Malitia non præſumitur, ſi non probetur.*

## DECISIO DCCCLXXV.

PEtrus Beſucius Eccleſiam Parochialem, quam obtinebat, reſignauit in manibus Papæ anno 1586. ad fauorem Orlandi Barutij, reſeruata ſibi annua penſione ducat. 30. auri, & in reſeruatione fuit appoſitum decretum, quòd teneretur litteras expedire ante exactionem penſionis, aliàs prædicta penſio eo ipſo eſſet nulla. 1.

Orlandus per nouem annos continuos, bona fide penſionem perſoluit Berutio, qui anno 1595. litteras ſuper reſeruatione penſionis expediuit, in forma, Rationi congruit, ſub dat. die Coronationis Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ VIII. anno 1592. 2.

Orlandus, cùm litteras ſibi intimatas, & prædictum decretum vidiſſet, conſideraſſetque, 3.



que, recentem earum expeditionem, penſionem ſoluere recuſauit, vnde cauſa primùm agitata coram Ordinario, & deinde in Curia coram A. C. Auditor penſionem inualidam declarauit, propter illius exactionem, ante expeditionem litterarum.

4. Cauſa in Rota introducta, & conceſſa Beſutio manutentione in exactione penſionis, quia de eius poſſeſſione conſtabat, dato dubio ſuper eius validitate, Rota nemine contradicente, pro Orlando informante reſpondendum cenſuit, penſionem fuiſſe nullam.

Nam decretum erat clarum quòd non poſſet exigi, litteris non expeditis, ſub pœna nullitatis; vnde cùm ante expeditas litteras exegiſſet, penſio fuit nulla, ſicut in ſimilibus caſibus Rota deciderat *in cauſa Veronen. penſionis*, die 1. Iulij 1591. coram Domino meo Millino, *& in cauſa Sabinen. penſionis*, die 12. Decembris 1594. coram Illuſtriſſimo Mantica, * tunc Rotæ Auditore.

*habetur in impreſſ. Mãticæ 300. & vide decif. 286. ipſius, & adde ſuprà dec. 774. n. 2. Ludouiſ. dec. 440. n. 1. & annot. n. 8.

Ratio fuit, quia clauſula annullatiua penſionis, appoſita in decreto inducit formam. † Baldus *in l. 1. ff. de lib. & poſthum.* Socinus iunior *conſil. 71. numer. 22. lib. 1.* notum eſt tamen, actum ſub certa forma celebrandum, ea non ſeruata, celebratum eſſe nullum. *l. 1. §. ſi quis ita. ff. de verbor. obligat. l. cùm hæ, §. ſi prætor. ff. de tranſactio. cap. quia propter, de elect. cap. ſine exceptione 12. quæſt. 2. à cap. 1. de Baptiſmo*, & tradit latè Albertus Brunus *tract. de forma, tit. de potentia, & effectibus formæ, in vltimo effectu formæ, pag. 50. col. 1. & ſequent.*

5. †adde Rot. in Veronen. penſionis 3. Iulij 1592. & 30. Octobris 1593. coram Millino, quæ habentur penes Marcheſ. de commiſſ. p. 1. pag 611. & pag. 627.

6. Neque ad ſanandum iſtum defectum, & reddendam penſionem validam, proderat Orlandi factum, ſcienter penſionem ſoluentis ante expeditionem litterarum: quia quamuis iſta Orlandi ſcientia probaretur, adhuc non poſſet penſio ſemel effecta nulla, reuiuiſcere, quia facere penſionem validam, & grauare penſione beneficia, non pendet à facto, ſiue conſenſu partium, ſed à poteſtate Papæ. * Verallus *deciſ. 309. numer. 2. verſ. quia validare, parte 2.* Sarmien. *in compend. vtriuſque ſignat. numer. 87.* & per ſolutiones præcedentes non oritur obligatio in futurum. *l. ſi certis annis, C. de pact.* Pariſius *conſil. 52. num. 15. verſ. cui etiam, lib. 1.*

*adde annot. ad decif. 440. Ludou. n. 8.

7. Supradictis accedebat, quòd Orlandus, qui penſionem ſoluerat ante expeditionem litterarum, litteras credebat expeditas, nam ſi eas non expeditas ſciuiſſet, non ſoluiſſet per tot annos, ſed citiùs nullitatem oppoſuiſſet.

8. Quòd verò Orlandus ſoluerit malitioſè, intelligendo litteras non eſſe expeditas, vt ſic inuitaret Petrum ad incidendum in pœnam nullitatis penſionis, non probatur, nec debuit præſumi. *l. quoties. §. qui dolo. ff. de probationibus.* Fulgoſius *conſ. 126. num. 2. in principio.*

## Romana de Capicuzuchis.

### Die Veneris 15. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

4 *Excluſi cenſentur hæredes, ſi per ius accreſcendi aliis competunt bona.*

5 *Dictio, cuilibet, tribuit actum omnibus nominatis in ſolidum.*

6 *Dictio, quandiu vixeritis, poſita in donatione, facta duobus, includit ius accreſcendi vnius ad alterum.*

7 *Tranſmiſſionem ad hæredem non admittit dictio poſita in inſtrumento, quandiu vixeritis.*

8 *Donatum à Principe duobus, ad conſortem potius, quàm ad perſonam aliam peruenire debet.*

9 *Emphyteoſis duobus fratribus, & cuilibet eorum conceſſa, vno deficiente, alter in ea ſuccedit.*

10 *Dictio, cum, aliquando acceſſoriè; & non principaliter copulat.*

## DECISIO DCCCLXXVI.

FElicis recordationis Pius Papa IV. officium, ſeu lecturam Titij Lucij, vulgò lecturam conſeruatorum vrbis nuncupatam, tunc vacantem, Vincentio Capicuzucho, Antimi Æmilij, & Tarquinij Petri conceſſerat ad vitam Vincentij, & dicti Antimi, ipſius filij, Gregorius XIII. Vincentio, & Antimo omnia emolumenta prædictæ lecturæ, eiſdem Vincentio, & Antimo, non obſtante Pij V. inhibitione, ne perſoluerentur, perſolui mandauit. 1.

Anno 1575. Vincentio vitâ functo, & ſuperſtitibus Antimo Æmilio, & Tarquinio filiis, idem Gregorius XIII. cum conſenſu Antimi, ad quem ſolum poſt obitum patris emolumenta lecturæ pertinebant ex conceſſione Pij IV. motu proprio eandem lecturæ conceſſionem, & omnia in litteris Pij IV. contenta ad vitas Æmilij, & Tarquinij ampliauit, prædictumque officium, ſeu lecturam ad eorum, & cuiuſlibet eorum vitam, cum omnibus, & ſingulis honoribus, & emolumentis conceſſit, & aſſignauit, ita vt liceret eis quandiu viuerent, & illi ex eis, qui ſuperuiuerent, totam prouiſionem, & omnia emolumenta prædictæ lecturæ, æquis portionibus diuidere, aut in communi retinere, & poſſidere. 2.

Vigore huius vltimæ conceſſionis, Antonius, & Tarquinius, & Æmilius dum vixerunt, concorditer prædicti officij emolumenta perceperunt, & inter ſe diuiſerunt, idemque factum fuit poſt mortem Antimi inter Æmilium, & Tarquinium vſque ad Æmilij obitum.

Anno 1599. Æmilius moriturus, teſtamento condito, hæredes inſtituit quinque filias fœminas, & licèt conſeruatores vrbis prætenderent, per obitum Æmilij vacare lecturam, & de illa potuiſſe diſponere, viſa tamen conceſſione 3.

ſione Apoſtolica ad fauorem Tarquinij abſti-
nuerunt, & Tarquinio emolumenta lecturæ
perſolui mandarunt; ſed quia prædictæ filiæ,
& hæredes Æmilij poſt obitum patris, medie-
tatem prouentuum dictæ lecturæ ad ſe ſpectare
prætendebant, contrarium Tarquino præten-
dente, integrè ad ſe ſpectare; ideo dato dubio,
an officium lecturæ poſt mortem Æmilij ſpe-
ctaret ad Tarquinum tantùm, vel potiùs medie-
tas fructuum ad filias, Æmilij hæredes tran-
ſiuiſſet, Rota vtraque parte informante, offi-
cium in totum ſpectare ad Tarquinum, cum
omnibus emolumentis, reſpondit. Gregorius
enim XIII. in conceſſione, totam prouiſionem
voluit pertinere ad conceſſionarios, quandiu
vixerint, vel ad illum ex illis, qui vixerit; vn-
de cùm Tarquinius fuerit in conceſſione com-
prehenſus, & nominatus, & ſolus ſuperuiue-
ret, ad illum ſolum debuit officium lecturæ
cum emolumentis pertinere: nam poſt mor-
4. tem Æmilij fratris, factus fuit locus iuri ac-
*adde Coc. dec.199.n.8. & Cau. dec. 219.n.3. & ſeq. & habetur in recen. p.1.dec.435.
creſcendi, * ſeu non decreſcendi, ad fauorem
Tarquinij, & conſequenter filiæ Æmilij, ve-
nientes ad ſucceſſionem hæreditatis Æmilij,
remanſerunt excluſæ. *l. 1. C. quando non peten.*
Iaſon *in l. re coniuncti*, *numer.* 162. *verſic. ſecus
quando*, & *ibi* Ripa *numer.* 155. *verſ. iſta ratio.
ff. de legat.* 3. Cephalus *conſil.* 59. *num.* 41. *verſ.
præſertim quia*, Surdus *conſilio* 120. *numer.* 24.
*in fine*.

5. Iuri autem accreſcendi factum fuiſſe locum,
ſuadebat illa dictio *cuiuſlibet*, quæ tribuit actum
*adde Dur. dec.301.n.1.
omnibus in ſolidum. * Ancharanus *conſil.* 245.
*numer.* 3. *verſ. ſed in illo*, Alexander *conſil.* 30. *nu-
mer.* 9. *verſ. ſed ita eſt*, *lib.* 1. Socinus iunior *con-
ſil.* 70. *numer.* 1. *verſiculo tamen quando*, *lib.* 1. Go-
zadinus *conſilio* 26. *numer.* 38. *verſ. tertiò pon-
dero*, Decius *conſilio* 73. *numer.* 16. *in principio*,
*lib.* 2.

6. Idem deducebatur ex illis verbis, *quandiu
vixeritis*, quæ non ſolùm includunt ius Tar-
quinij, quia important ius accreſcendi, Ale-
xander *dicto conſil.* 31. *numer.* 9. *verſ. quartò vi-
detur*, Iaſon *conſil.* 117. *num.* 3. *verſ. tertiò princi-
paliter*, *lib.* 4. Decianus *dicto conſil.* 73. *num.* 15.
*in principio*, ſed etiam excludunt ius filiarum,
quia cùm importent temporalitatem, Alexan-
der *conſil.* 173. *num.* 2. *in principio*, *lib.* 5. Ripa *in
l. hæredes mei*, *§. cùm ita*, *num.* 68. *verſ. aut ver-
bum determinat*, *ff. ad Trebell.* Natta *conſil.* 459.
*num.* 16. *verſ. & dicit ibi lib.* 2. non admittunt
tranſmiſſionem ad hæredes, Alexander & Ri-
pa *præcitatis locis*, vbi etiam Zanchus *num.* 167.
Carolus *de iure emphyteut. titul. de cauſis priuat.
ob lineam finit. numer.* 89. *verſ. nam hæc verba*,
eandem ſententiam definiſſe videbatur textus
*in l. vnica*, *C. ſi liberalit. Imperial. ſocius ſine hæ-
red. deceſſ. lib.* 10. vbi donatum à Principe, ad
conſortem potius, quàm ad perſonam aliam,
ſors decedentis perueniſſe debere decernitur,
& *ibi* Bartolus *num.* 1. *verſ. tu dic.* ad tollendam
difficultatem, quæ fieri poſſet in dictione, *hæ-
redis*, prudenter admonuit, conſiderandam
eſſe qualitatem rei conceſſæ, quæ cùm in caſu
propoſito eſſet lectura Titi Liuij ad fœmi-
nas non tranſitoria; perinde, reſpectu lecturæ,
cenſendus erat Æmilius, ac ſi ſine hærede de-
ceſſiſſet.

Placebat etiam ſimile de emphyteuſi, duo-
bus fratribus, & cuilibet, ipſorum conceſſa, 9.
quæ propter verbum, *cuilibet*, * quod tribuit
*adde Rot. diu.p.1. dec. 411.n.2.
actum vnicuique in ſolidum, vno fratre defi-
ciente, alter in ea ſuccedit, per ius non decre-
ſcendi. Alexander *conſil.* 22. *numer.* 11. *verſ. quia
illa dictio*, *lib.* 5. Berous *conſil.* 72. *numer.* 15. *verſ.
quoniam diſtributiuum*, *lib.* 1. Socinus ſenior
*conſilio* 66. *numer.* 14. *verſ. primum tenendum*,
*lib.* 1.

Neque mulieribus ſuffragabatur, quòd ipſæ 10.
eſſent fructuum, & emolumentorum capaces,
quia reſpondebatur, Papam principaliter con-
ceſſiſſe lecturæ officium, emolumenta verò
conſequenter, & acceſſoriè, quod indicabant
verba illa, *cum omnibus, & ſingulis honoribus,
& oneribus, & emolumentis.* illa enim dictio, *cùm*,
* acceſſoriè copulat, *l.* 1. *&* 2. *ff. de pecul. legato*,
*adde noſtrum Regẽtem Seſſe decif.124.n.20. Rot.diu p.1. dec.709.n.9.
Corneus *conſil.* 78. *numer.* 2. *verſ. nam coniunctio*,
*lib.* 2. Purpuratus *conſilio* 547. *num.* 15. *verſ. quæ
dictio*, cum, Natta *conſilio* 573. *numer.* 14. *verſ.
quia coniunctio*, Crotus *conſil.* 400. *num.* 26. *verſ.
nam illa dictio*, *lib.* 3.

---

## *Reatina Depoſiti.*

### Die 18. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

3 *Inſtrumentum publicum habet probationem probatam.*

5 *Via executiua non habet locum in his, quæ veniunt ex interpretatione iuris.*

7 *Taciturnitas plurium annorum, in petendo debitum, inducit aliquas coniecturas contra creditorem.*

## DECISIO DCCCLXXVII.

ANno 1581. * Petrus Vincentius de San- 1.
*habetur hæc dec.impreſſa per Marcheſ. de commiſ.p.2. pag.147.
ctis depoſuerat penes Agamenonem Di-
lectum de Reate Ducatos 1000. auri in auro,
reſtituendos ad eius beneplacitum, & deſuper
fuerat etiam confectum publicum inſtrumen-
tum, rogatum per Curtium Piancianum, Nota-
rium Reatinum, cum iuramento, & obligatio-
ne Camerali.

Petro Vincentio vitâ functo, Marcellus de 2.
Sanctis, nepos, & hæres illius, depoſitum ab
hæredibus Agamenonis, tunc etiam defun-
cti, repetebat, quos reſtitutionem aut recuſan-
tes, aut differentes conuenit coram A. C. exe-
cutiuè, agendo contra ipſos vigore obliga-
tionis Cameralis; A. C. mandatum executi-
uum relaxauit, quod Reuerendiſſ. Pater Domi-
nus Marcheſianus reuocauit, in gradu appel-
lationis dubitaui, an inſtrumentum depoſiti
publicatum ab eodem Notario, qui de eo fue-
rat rogatus, releuaret ad effectum de quo age-
*hæc reſolut.fuit confirmata infrà decif.914. in tom.2.
batur, & Rota vtraque parte informante re-
leuare cenſuit. * Primò, quia erat in forma pro-
banti, & habebat omnia requiſita ad publi-
cum inſtrumentum, & conſequenter dicebatur 3.
continere probationem probatam. † Baldus
† adde ſuprà dec.811.n.8. & decif.839. n.7. & aliàs ſæpe.
*in l. interſt. notab. vltimo*, *C. de ſolutionibus*, De-
cius *conſil.* 36. *numer.* 2. *verſ. nam inſtrumentum*,
& dicitur facere rem certam, Bartolus *in l.* 1.
*num.* 8.



*numer.* 8. *verſ. reſponde primò. ff. de noui operis
nunciatione.*

4. Secundò, quia ceſſabat illa grauis oppoſi-
tio, quæ fiebat coram A. C. vbi non fuerat pro-
ductum inſtrumentum depoſiti, publicatum ab
eodem Notario, ſed ſolum quoddam ſumptum
ex notis originalibus prædicti Notarij defun-
cti extractum, & publicatum per Archiuiſtam,
cui ſumpto licèt A. C. adhibuerit fidem, &
mandatum executiuum eius vigore relaxaue-
rit, iuſtiùs proceſſiſſe videbatur Dominus Mar-
cheſanus, iudex ab eodem A. C. poſtea depu-
tatus, qui dictam executionem reuocauit, iſta
enim difficultas ſatis coram me videbatur ſub-
lata, in quo non aderat defectus ſubſcriptio-
nis Notarij, cùm foret productum inſtrumen-
tum publicatum, & ſubſcriptum ab eodem No-
tario rogato.

5. Atque ex his fuit concluſum, inſtrumen-
tum releuare; cæterùm quia informantes pro
Marcello inſiſtebant viæ executiuæ, ex aduer-
ſo autem informantes pro Paulo, & Ægidio
de Dilectis prætendebant, viam executiuam
ceſſaſſe ex eo, quòd obligatio Cameralis fue-
rat vulnerata per ſententiam Domini Mar-
cheſani, ideo de hoc videbatur particulariter
agendum, & videndum, an per dictam ſenten-
tiam eſſet vulnerata obligatio Cameralis, vel
ſolum decretum, ſeu mandatum executiuum
A. C. nam regula eſt, quòd ſolo decreto vul-
nerato, non intelligitur vulnerata obligatio
Cameralis, ad effectum enim vt obligatio Ca-
meralis cenſeatur vulnerata, non ſufficit vul-
nerare decretum, ſiue mandatum executiuum,
quod ſi vulneratum ſit, non extenditur ad vul-
nerandam obligationem, vt fuit deciſum *in
*habetur in impreſſis diuerſ.p.2.dec. 132.n.14. & 15.
cauſa Romana cenſus*, * die 27. Iunij 1580. coram
bon. mem. Cantuccio.

Rurſus, vulnerata fuerat obligatio Came-
ralis, & negotium reductum ad viam ordina-
6. riam, licèt inſtrumentum releuaret, adhuc ta-
men remanebant aliquot primariæ difficulta-
tes diluendæ, deſumptæ ex coniecturis, relatis
per informantes pro Dilectis, in quibus mihi
ſequentes videbantur vrgentiores.

7. Prima, quia aderat taciturnitas 16. * anno-
*adde Mantic. dec.266. n.5. & ſuprà dec.138.n.3.
rum, quo toto tempore non videbatur veriſi-
mile, Petrum Vincentium diſtuliſſe petere
ſuum depoſitum, ad Pariſium *conſil.* 137. *num.* 12.
*verſ. aduertendum inſuper*, *lib.* 4. Afflictum *dec.* 13.
*num.* 21. *verſ. nona coniectura.*

8. Altera, quia Agamenon ſuperuixerat vſque
ad annum 1591. decem videlicet annis poſt
receptum depoſitum, vnde ſi Petrus Vincen-
tius non rehabuiſſet illud, viuente Agame-
none, non erat veriſimile, poſt obitum Aga-
menonis dilaturum petere ab ipſius hæredibus,
Socinus ſenior *conſ.* 80. *num.* 5. *verſ. item adſunt*,
*lib.* 3. Afflictus *dicta dec.* 13. *num.* 21.

9. Tertia deſumebatur ex inueriſimilitudine
tantæ quantitatis, habito præſertim reſpectu
ad perſonam Petri Vincentij, non admodum
diuitis, & loci ciuitatis, videlicet Reatinæ, vbi
non facilè haberi ſolent tot aurea ſcuta. Poſtre-
ma difficultas oriebatur ex præſumptione 16.
annorum, quam contra ſimilia depoſitorum in-
ſtrumenta inducit ſtatutum Reatinum, & ſimi-
liter ſtatutum Vrbis.

Itaque, licèt prædictum inſtrumentum rele-
uaret, ego non auderem illi dare executionem,
ante habita conſilia Dominorum ſuper iſtis
difficultatibus.

---

## *Oſcen. Portionis.*

### Die Lunæ 18. Decembris 1600.

SVMMARIVM.

2 *Grauatum qui ſe ſentit, ſi non appellat, acquieſcere dicitur.*

3 *Litteris reaggrauatorijs locus non datur, niſi præuia citatione, ad videndum ſe excommunicare.*

4 *Inhibitio Rotalis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, eſt timenda.*

## DECISIO DCCCLXXVIII.

PEtebantur à Petro Ludouico Lopez, lit- 1.
teræ reaggrauatoriæ cenſurarum, contra
Michaëlem Guargam, & Porcionarios Eccle-
ſiæ de Abiego, quia cùm Petrus fuiſſet proui-
ſus à Papa, & habuiſſet poſſeſſionem ab exe-
cutore, Michaël ſub prætextu, quòd portio
eſſet de iurepatronatus Regio, & ad illam
præſentatus, obtinuerat committi cauſam Vi-
cario Illerden. qui incipiens ab executione,
fructus ſequeſtrari mandauerat, & à Ludoui-
co appellante cauſa mihi fuerat commiſſa,
qui ſequeſtrum reuocaueram, & mandatum
de manutenendo Ludouico conceſſeram: &
quia Michaël, & portionarij non paruerunt
reſpectu poſſeſſionis, & contra ſequeſtrarios
reſpectu reſtitutionis fructuum fuerat conceſ- 2.
ſa declaratoria, * cuius timore, facta intima-
*ſuprà dec. 730.
tione paruerunt: interim Michaël eadem por-
tione impetrata, tanquam vacante ob non
expreſſionem veri valoris in gratia Ludoui-
ci, & executio litterarum fuit directa Vica-
rio Illerden. cum clauſula, *Vocatis vocandis*,
Ludouicus re intellecta, obtinuit à me inhi-
beri, vigore litis pendentiæ, qua non obſtan-
te, Vicarius tulit ſententiam, & mandatum
de immittendo ad fauorem Michaëlis con-
ceſſit, cuius vigore à portionariis poſſeſſio-
nem portionis, & à Ludouico fructus habuit,
quos antea Ludouicus receperat vigore man-
dati Rotalis de manutenendo; dato itaque du- 3.
bio, an litteræ reaggrauatoriæ eſſent conce-
dendæ contra Guargam, & portionarios, Pe-
tro tantùm informante Rota contra ipſum
reſpondit, non fuiſſe concedendas, quia cùm
ex ſerie facti conſtaret, portionarios, & ſe-
queſtrarios mandatis Rotæ obtemperaſſe, nec
penes eos extitiſſe poſſeſſionem portionis, aut
fructus, ſed vtrumque tranſlatum fuiſſe in
Michaëlem, vigore mandati de immittendo,
eidem conceſſi à Vicario Illerden. in execu-
tionem nouæ gratiæ, nec Petrum Ludouicum
ab eo mandato, & traditione poſſeſſionis ap-
pellaſſe, ſicut facere debuerat, ſi ſe grauatum
ſentiebat, aliàs enim acquieuiſſe cenſebatur,
gloſſa magna *in cap. cùm ceſſante, in fine, de
appellat.* non erat modò locus iſtis litteris re-
aggrauatoriis, maximè cùm reaggrauatoriæ
non

4. non dentur niſi præuia citatione * ad videndum, ſe excommunicari. Veſtrius *in praxi lib.2. cap.4. num.8. verſ. Reus poſtmodum*, quod in hoc caſu factum non fuerat.

Neque obſtabat, quòd iſta fuerint facta in præiudicium inhibitionis Rotalis, quam ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, † timere oportet. Quia reſpondebatur, non ideo fieri locum reaggrauatoriæ, contra procedentes poſt inhibitionem, licèt Petrus potuiſſet petere prædicta reuocari, tanquam attentata, *cap. non ſolùm, de appellationibus, lib.6.*

Et quamuis ex his fuerit concluſum, non fuiſſe locum reaggrauatoriæ, non tamen ſequebatur, dandam abſolutionem ab excommunicatione, quam petebant informantes pro beneficiatis: de hoc enim particulariter erat videndum.

* adde Rot. in Salmantina cenſurarũ 14. Ianuarij 1594. coram Cord. impr. per Marcheſ. de cõm. p.2. pag.520 n.5.

† adde ſuprà dec. 36. n.6. & deciſ.850. n.4. & aliàs ſæpe.

*F I N I S.*

UNIVERSITATIS DE GRANADA

INDEX

# INDEX

## Rerum, & materiarum, quæ hoc primo Tomo continentur.

*Prior numerus deciſionem notat, poſterior eſt marginalis.*

A

*Abbas.*

ABBAS ob non promotionem ad ſacros Ordines, nec eſt priuatus Abbatiâ ipſo iure, nec venit priuandus. 594.2
quod intellige vt ib.3,10

*Abſens.*

Abſenti, vel ignoranti, ac nemine pro eis recipiente non dicitur res legitimè tradita, vt dominium acquiratur. 6.8
Abſenti, quomodo ſit actitandus proceſſus. 405.5
Abſenti facta præſentatio intra tempus datum patronis ad præſentandum, vt valeat, ratificanda eſt. 627.3
Abſenti poteſt fieri præſentatio ad beneficium per litteras. 627.4
Abſentiarum groſſa, & diſtributiones debentur reſidentibus, & culpâ ſuâ non impeditis. 556.2

*Abſolutio.*

Abſolutio ab excommunicatione, licèt nulliter impenſa, ſuſtinetur, nec debet dari reintruſio ſine cauſæ cognitione. 224.1
quod limita vt ibid.2
Abſolutio à cenſuris latis in Curia non datur niſi causâ cognitâ. 224.8
Abſolutio cenſurarum ad reincidentiam danda eſt, dum diſcutitur iuſtitia, vel iniuſtitia negotij. 240.8
Abſolutio iuramenti ad effectum agendi, requirit partis citationem. 133.3,4
Abſolutionem poteſt obtinere ab excommunicatione, qui habet principale intereſſe. 224.7
Abſoluere non poteſt commiſſarius reum, pendente termino ad dicendum contra commiſſionem. 224.4

*Abſtinendi verb.*

Abſtinere ſe ab aliquo actu de iure, idem eſt ac omnino repudiare illum. 739.9

*Acceptatio.*

Acceptatio ſententiæ, intelligitur cum ſuis qualitatibus. 490.6

*Acceſſus.*

Acceſſus differt à regreſſu. 61.9,11
Acceſſus ad præbendam ob ceſſationem ſolutionis penſionis ſi ponatur in gratia, ſi non valet acceſſus, præbenda peti non poteſt. 569.13

*Acceſſorium.*

Acceſſoria, & incidens cauſa appellatur in ſucceſſione, quæ opponitur ratione illegitimitatis. 229.4

*Acquiſitum.*

Acquiſita nomine defuncti, cenſentur acquiſita & nomine hæredum ſanguinis. 56.7
quod intellige vt ibid.8
Acquiſita per vxorem conſtante matrimonio cenſentur de bonis mariti, & ſunt ſubiecta eius debitis. 599.2,3
Acquiſitum per hæredem, vt talem, ex re non hæreditaria, non tranſit ad fideicommiſſum. 779.14

*Acquieſcentia.*

Acquieſcentia, & ſcientia partis, eſt neceſſaria ad probandum ius negatiuum, aliquid non faciendi. 818.8

*Accreſcendi ius.*

Accreſcendi ius datur in donatione factâ pluribus perſonis. 839.17

*Actio.*

Actio, quæ denotat communionem cuiuſlibet actus inter plures perſonas, condemnatio, vel abſolutio illius, comprehendit omnes. 2.7
Actio ſpolij non cadit ſub præſcriptione. 771.21
Actio ſpolij datur in his tantùm, in quibus quis eſt ſpoliatus. 846.2,3
Actio hypothecaria, de qua *in l.1. C. commun. de legatis*, non datur pro rebus hæredis, ſed teſtatoris. 123.21
Actiones ſemper manent penes cedentem, ſi ceſſio non habuerit effectum. 133.5
Actio perſonalis non rem, ſed perſonam tantùm ſequitur. 51.22,23
Actionis iure peti poteſt acceſſio dotis, vel augmentum eius, etiam poſt ſolutam ſortem principalem. 451.4
Actiones perſonales, ſpatio triginta annorum præſcribuntur. 721.7
Actiones reales pro iuribus incorporalibus competere poſſunt. 478.7
Actionem perpetuat iuramentum vſque ad quadraginta annos. 721.10,11
Actione ſpolij intentatâ, poteſt ceſſionarius petere reſtitutionem, ceſſione non effectuatâ. 771.11

*Actor.*

Actor tunc poteſt variare in executiuis, & iudices diuerſos adire, quando reus conuentus eſt contumax. 3.8

Actor in eo quod fundat ſuam intentionem, probare tenetur. 130.4,6

Actor tenetur probare ſuam intentionem antequam reus opponat ſuam exceptionem. 188.2 & hoc clarè. 195.6 & 209.2

Actor intentans aliquam qualitatem exiſtere in beneficio, tenetur illam probare. 351.2

Actor fundans ſuam intentionem in aliquo actu, tenetur illum concludenter probare. 361.1

Actor, qui agit ad priuationem beneficij, tenetur concludenter probare ſuam intentionem, aliàs præſumitur pro reo. 361.4

Actor tenetur iuſtificare titulum contra poſſeſſorem reum, etiam ſi contra eum iam obtinuerit ſententiam. 431.3

Actor ſi iuſtificauit ſuam gratiam, fit reus, & ideo reus conuentus, factus fuit actor quoad hunc effectum, quia tenetur ſuam gratiam iuſtificare. 577.2 & 791.7

Actor vt vincat, tenetur probare ſuam intentionem. 584.4

Actoris intentionem excludit exceptio rei. 313.9

Actore non probante, reus eſt abſoluendus. 350.2 & 648.2

Actori per reum regulariter de iure non ſunt ſubminiſtrandæ expenſæ. 350.8

Actor attentare dicitur poſt citationem decretam. 137.10

*Actus.*

Actus nominandi factus per patronum, eſt quoddam initium ad inſtitutionem, & per illum ſolum non transfertur ius innominatum. 4.4

Actus, quando eſt nullus propter incapacitatem illius, cuius fauore, vel gratia fuit factus, non firmatur per capacitatem ſuper venientem. 12.8

Actus effectuatus, ſi per tempus longum non impugnetur, præſumitur habuiſſe omnes ſolemnitates. 228.6

Actus celebratus ſecundùm leges, voluntarius, & licitus potius, quàm illicitus debet præſumi. 259.9

Actus, qui indiget confirmatione ſuperioris, ſi ſit factus eo præſente, non poſſunt partes recedere. 354.1

quod fallit vt ibid.2

Actus contrarius ſi adſit, interrumpitur immemorabilis. 366.2 & 376.3 & 704.4

Actus ſucceſſiuus, & non momentaneus puniendi, & carcerandi, inducit iuriſdictionem, & approbationem punitorum. 386.4

Actus negatiuus in facto proprio negantis conſiſtens, probatur ex eius aſſertione. 477.3

Actus æquiuocus poteſt ſanari per alium non æquiuocum. 558.3

Actus præſumitur factus ad inſtantiam illius cuius fauorem reſpicit. 697.13

Actus humani menſurantur ex voluntate, & poteſtate agentis. 739.8

Actus redditur nullus, formâ illius non ſeruatâ. 774.2

Actus reciprocus, non ſecuto effectu ex vna parte non ſuſtinetur. 812.1,6,7

Actus nullus non tribuit ius. 829.9

Actus, & potentia æquiparantur in vocatis ad ſucceſſionem feudi. 870.9

Actus ſub certa formâ celebrandus, illâ non ſeruatâ eſt nullus. 875.5

Actus voluntarius obligationem non inducit. 739.5

*Acta.*

Acta, quæ non ſunt ad rem, non nocent, ſi in proceſſu de eis non conſtet. 807.4,5

Acta ſunt tranſportanda integraliter de iudice à quo, ad iudicem ad quem. 807.2,3 & 589.7

Acta extraiudicialia non tenetur portare appellans. 127.3

Acta, ſi ſint geſta coram iudice, & ipſe teſtetur de eis, ſtandum eſt aſſertioni illius. 164.2 & 127.3

Acta facta in poſſeſſorio, non probant in petitorio. 431.9

Acta originalia, ſi non tranſportantur, ſed relatio iudicis compulſorialis, vel notarij, non faciunt fidem. 681.2

Acta proceſſus rem clarè demonſtrant. 477.4

Actorum ob non tranſportationem, impeditur exercitium iuriſdictionis iudicis, licèt geſta omnino nulla dici non poſſint. 89.3 & 675.2

Actorum tranſportatio integra præſumitur facta ex proceſſu, niſi contrarium probetur. 603.1 & 807.1 & 809.1

Actum non valere aliud eſt, quàm actum non nocere, qui non eſt citatus. 38.7

Actualis alienatio voluntaria rei legatæ extinguit legatum, ſed non voluntas. 19.13

*Accuſator.*

Accuſatori maleuolo non creditur. 581.7

*Adeundi verb.*

Adeundo hæreditatem, hæres dicitur quaſi contrahere cum creditoribus. 723.5

*Adipiſcendi verb.*

Adipiſcendi in iudicio exceptio dominij oppoſita, vt proſit, in continenti eſt probanda. 786.5

*Adminiſtratio.*

Adminiſtrationis ratio reddeunda eſt in loco vbi facta fuit adminiſtratio. 13.2

quod intellige vt ibid.3

Adminiſtrationis qualitas, quòd adminiſtretur à laico, vel Eccleſiaſtico, non facit illam laicalem vel Eccleſiaſticam, ſed ſolus modus inſtituendi. 125.8

Adminiſtrationis ratio, vt ſit legitima, debet fieri cum inuentario, & libro rationum. 377.1

Adminiſtrationem plenam rei alienæ qui habet, poteſt eam locare, ita vt dominus eius cogatur ſtare locationi. 18.5

Adminiſtrationem Capellæ ſi impetrat laicus, reddit ipſam laicalem. 125.3

Adminiſtrationem fructuum ſi fecerit quis, poteſt ex ea expenſas factas deducere. 175.3

Adminiſtratio bonorum certa pio onere à laico inſtituta, non eſt beneficium Eccleſiaſticum. 125.4

Adminiſtratio bonorum pupilli non inducit ius, quod ſit facta nomine tutorio, ſi alia requiſita non concurrant. 768.5

ex Adminiſtratione vt quis teneatur, duo ſunt probanda, & quod geſſit, & quod fuit contemplatione alterius. 805.2

*Adminiſtrator.*

Adminiſtrator, & creditor illius, cuius bona adminiſtrat, præſumitur ſibi ſatisfeciſſe. 97.2,3

quod intellige vt 522.4,5



Adminiſtrator bonorum incognitus à teſtatore, tenetur ſatiſdare. 753.5

Adminiſtrator bonorum filij non debet eſſe pater ære alieno grauatus. 753.7

Adminiſtrator, vel tutor tenetur reddere rationem tutelæ, vel curæ. 784.2

Adminiſtratores bonorum non poſſunt præſcribere ius adminiſtrationis. 868.12

Adminiſtrantes, temporales cuſtodes, & non domini dicuntur. 757.6

*Admiſſio.*

Admiſſio, vel repulſio articulorum, licèt non ſit à iudice interlocuta, ex quo teſtes ſuper illis examinantur, tacitè admittuntur. 119.3

Admiſſione factâ ad probandum; ſi pars probat, eo ipſo in integrum videtur reſtituta. 45.4

*Adulterium.*

Adulterium ſolum non inducit impedimentum ad contrahendum cum adultera. 210.2 & 211.2

Adulterium non inducit impedimentum cum adultera, niſi præcedat promiſſis viuente vxore, vel marito. 210.4

vel fuerit machinata mors. 211.5

*Æs.*

Æs alienum contractum poſt donationem, ſimulationem excludit. 323.10

*Æquiuocum.*

Æquiuocus actus poteſt ſanari per alium non æquiuocum. 558.3

*Ætas.*

Ætas viginti duo annorum requiritur ad obtinendam dignitatem in Cathedrali. 569.9

*Ægidiana.*

Ægidiana non habet locum in ſententia manifeſtè iniuſta, & iniqua. 7.6

*Æſtimatio.*

Æſtimatio tractuum debet fieri ſecundùm qualitatem collectam in tribus proximioribus annis antecedentibus. 176.1

quod intellige vt ibid.2

Æſtimatio ſecunda rei non debet fieri, ſi perlongum tempus prima fuerit facta, & pars non reclamauerit. 454.7

Æſtimatio, ſeu valor debet ſolui, qui tempore ſolutionis exiſtit, ſi in obligatione deducatur certa moneta. 5.3

Æſtimatione rei factâ à partibus, ſi vna non reclamat, tacitè approbat illam. 454.2,3

*Affectio.*

Affectio non conſideratur in beneficiis iuriſpatronatus laicorum, per appoſitionem manus Sanctiſſimi. 627.9

*Affictum.*

Affictum non remittitur conductori pro re conducta, ſi non probauerit notabile damnum. 831.2

*Affixio.*

Affixio citationis non eſt neceſſaria. 380.10

*Affinitas.*

Affinitas ex illicita copula, non probatur per confeſſionem vnius partis coeuntis. 306.2

Affinitatis præſumptio oritur ex actibus indicantibus carnalem copulam, ad prolis ſuſceptionem. 298.7

*Affirmatiua.*

Affirmatiua, vt excludatur per negatiuam, concludenter eſt probanda. 770.6



*Agendi verb.*

Agere quis non poteſt ante diem debiti. 174.3

Agentis intentionem non fatetur excipiens. 854.7,8

Agente vno contra plures, poteſt ferri ſententia in vnum, & non contra alium. 2.8

Agente vno actione ſpolij, quandoque denegatur. 50.7

*Agnata.*

Agnata non dicitur auia nepti ex filio. 207.4

Agnata patris dicitur filia. 349.9

*Agnatio.*

Agnationis paternæ conſeruatio reſpicit vtilitatem publicam. 349.7

Agnationis fauor, quoad ſucceſſionem, non intelligitur in ſtatuto, ſi in eo non exprimatur. 456.12

Agnationis in ſucceſſione neptis ex filio, excludit ſubſtitutum. 471.8

Agnationis conſideratio non extenditur vltra caſum à teſtatore expreſſum. 615.4

Agnationis fauor, ſi non exprimatur in ſtatuto, ab illo arguere non licet. 615.5

*Alcantara, &c.*

Alcantaræ, Calatrauæ, & Monteſæ milites non ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. 538.1

ſed quid ſint. ibid.2,3

*Alendi verb.*

Alendi filios onus tranſit ad hæredes, & ad fiſcum, quãdo bona patris confiſcantur. 364.3,5 & 419.3

Alendi liberos onus tranſit in emptorem hæreditatis. 419.9 & ſeqq.

Alere tenetur auus neptem intra domum, ſed non extra. 621.2 & 656.1

*Allegans.*

Allegant non eſſe virginem mulierem, incumbit onus probandi. 76.2

*Alienatio.*

Alienatio actualis voluntaria rei legatæ, licèt extinguat legatum, attamen ſi non ſequatur, ſubſiſtit. 19.13

Alienatio rerum Eccleſiaſticarum eſt prohibita, vbi vſu eſt recepta Extrauagans, *Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. alie. vel non.* 322.6

Alienatio facta in fraudem creditorum, reuocatur non ſolum reſpectu creditorum tunc exiſtentium, ſed etiam futurorum. 322.7

Alienatio bonorum non valet, ſi teſtator prohibuerit, ne alienentur bona, ſed quod in familia conſeruentur. 544.11

Alienatio facta ſaluo, & reſeruato conſenſu domini decreti, & non aliàs, valet, & præſeruat incurſionem deuolutionis. 670.2

Alienatio rerum Eccleſiaſticarum valida eſt, ſi redundet in meliorem, & maiorem vtilitatem eius. 693.3

Alienatio eſt quid facti, & ideo non præſumitur niſi probetur ab eo, qui in ea ſe fundat. 776.8

Alienatio rerum Eccleſiaſticarum requirit ſimul ſolemnitatem, & iuſtam cauſam, & ſi vnum deficit, totum corruit. 696.2,4 & 778.5,6

quod idem eſt in minore. ibid.

Alienatio bonorum ſi ſit facienda cum conſenſu conſanguineorum ex ſtatuto, vel aliàs, conſanguinei non transferunt dominiũ, ſed alienant. 728.21

Alienatio rei facta in perſonam vocatam ad fideicommiſſum, ſubſiſtit, niſi teſtator dixerit quòd bona conſeruentur in familia. 489.3,4

# Index Rerum.


Alienationis prohibitio, ſi fiat ſub pœna, tenet alienatio, licèt pœna debeatur. 51.3,4,20
Alienationis nuda prohibitio ſine cauſa, dicitur nuda prohibitio. 106.7
Alienationis rerum Eccleſiaſticarum beneplacitum Apoſtolicum, nõ præſumitur, niſi probetur. 696.6
Alienationem bonorum hæreditatis poteſt teſtator prohibere. 51.5
quod intellige vt ibid.6,7.& 85.3
Alienationem factam eſſe cum beneplacito Apoſtolico præſumitur; maximè ſtante ſcientiâ Papæ & obſeruantiâ longiſſimi temporis. 854.5
Alienationes factæ à decoctis per vnum annum, & quindecim dies ante decoctionem, præſumuntur fictæ. 742.9
Alienandi prohibitio ſi facta ſit, ſi alienetur res, tenet alienatio, & transfertur dominium ſtricto iuris rigore. 123.4,5
Alienare vbi quis prohibetur, etiam prohibetur actum facere, per quem alienatio ſequatur. 663.5
Alienare poteſt bona grauatus fideicommiſſo conditionali, donec conditio aduenerit. 676.3
Alienare prohibitus, poteſt donare, etiam irrequiſito domino. 827.7
Alienari ſolitum probatur, vel per duas locationes cum curſu quadraginta annorum, vel per vnum actum ſolemniter factum. 843.12

*Alimentum.*

Alimenta non tenetur præſtare pater filio extra domum, niſi probatâ causâ, cur in ea non moretur. 184.3
Alimenta, qui petit extra domum eius cui petuntur, plus dicitur petere. 184.5
Alimenta ſunt taxanda pro modo facultatum, & qualitate perſonarum. 184.6
quod relinquitur arbitrio iudicis. 691.5
Alimenta debentur filiis quomodolibet illegitimis. 364.1
Alimenta præſtare, eſt iuris naturalis, & ideo tranſit in hæredes, & ceſſionarios. 364.3,8,9
Alimenta præſtare filiis Clericorum, prohibetur ex conſtitutione Pij V. 364.10
quod intellige vt ibid.11
Alimenta præſtare filiis etiam illegitimis, neque pacto, neque conſuetudine, neque lege tolli poteſt. 364.13 & 419.5
Alimenta, & ſumptus litis, eâ pendente, debentur filio à patre, etiam in filio naturali. 378.1,2
Alimenta ſi petat filius, habet fundatã intentionem paupertatis, donec contrarium probetur. 378.4
Alimenta præſtare, diuerſum eſt à litis expenſis. 387.2
Alimenta præſtare qui condemnatus fuit, per conſequens tenetur ad litis expenſas. 387.1
Alimenta & litis expenſæ taxandæ ſunt iuxta vires patrimonij. 387.3
Alimenta non diminuunt ſolutiones factæ fiſco. 419.1
Alimenta tenetur præſtare filiis ſucceſſor in bonis patris, pro modo facultatum. 419.4. & 464.3,4
Alimenta cui debentur ex bonis confiſcatis, non poteſt fiſcus facere ius eius deterius. 419.4
Alimenta ſunt præſtanda ſpuriis. 429.2
licèt non tam ſplendida ſicut legitimis. 4
Alimenta debentur filio, ſed non niſi à tempore petitionis. 464.5,6.& 510.2
quod limita vt ibid.3
Alimenta vt debeantur, duo copulatiuè requiruntur, ſcilicet, paupertas, & bonum ius petendi. 495.1
Alimenta & litis expenſæ debentur filiæ cum de hæreditate paterna tractatur. 508.2
Alimenta tenetur præſtare pater filio, qui prodigaliter diſſipauit, quod ei aſſignauit loco alimentorum. 527.3
Alimenta vt præſtentur Patrono ex beneficio, tenetur probare ſummam ſuam egeſtatem. 541.2
Alimenta vt præſtare teneatur auus nepti, tenetur hæc illum interpellare. 625.4,5
Alimenta ſunt præſtanda filiæ habenti præſumptionem aliquam boni iuris. 647.3
Alimenta præſtandi cauſam qui allegat, tenetur illam probare. 656.7
Alimenta ſunt præſtanda patrono ex beneficio, ſi ad inopiam venerit. 541.8.& 660.2
ſed non ex capitalibus, ſed ex redditibus. 691.3
Alimentorum quantitas, & qualitas arbitrio iudicis relinquitur. 184.9
Alimentorum cauſa non admittit compenſationem. 527.1,4
Alimentorum cauſa eſt valde priuilegiata. 527.2
Alimentis maioribus indigent nobiles, quàm ignobiles. 541.7
Alimentandi obligatio eſt onus reale tranſiens cum bonis ad quemcumque præuenientibus. 378.3

*Alternatiua.*

Alternatiua ſufficit ſi in vna parte verificetur. 216.4,5.& 613.3
Alternatiua non habet locum, quando ius conferendi ſpectat ad inferiores collatores. 367.2

*Ambiguum.*

Ambiguum non dicitur cum in verbis nulla ſit difficultas. 875.4

*Anima.*

Animarum curam exercentes debent eſſe docti, & ſunt incapaces rudes, & ignari. 444.5

*Annus.*

Anni 30. non ſufficiunt ad inducendam præſcriptionem contra Eccleſiam; ſed requiruntur quadraginta continuati. 5.5
Annus Pontificis incipit à die coronationis, non à die Aſſumptionis. 288.2
Annum neque diem, de iure licèt non habeat ſcriptura priuata, tamen valebit. 554.9
Annus ſolaris fuit redactus ad verum, & naturalem curſum ex conſtitutione Gregorij. 654.6
Annua præſtatio, & vniformis ex cauſa expreſſa, inducit præſumptionem iuris, ſi per decem annos continuos ſit ſoluta. 183.4

*Annexio.*

Annexio beneficij eſt quid facti, & ideo non præſumitur niſi probetur; & qui illam prætendit incumbit ei onus probandi. 677.2,3

*Antiquum.*

Antiquæ ſcripturæ, vt ei fides adhibeatur non eſt opus probare Notarium eſſe talem tempore confectionis eius. 59.5
Antiquitatem ſcripturæ ſola data non probat. 59.6

*Anteceſſor.*

Anteceſſoris in beneficio confeſſio, non nocet ſucceſſori. 736.3,5,6
Anteceſſoris quaſi poſſeſſio exigendi penſionem, vt releuet ſucceſſorem ab onere iuſtificandi, debet eſſe triginta annorum. 752.3






*Anterior.*

Anterior, qui eſt poſſeſſione, manutenendus eſt, etiamſi poſterior agat de nullitate. 76.2

*Appellatio.*

Appellatio in habitu, quoad effectum, idem operatur ac in actu. 10.4
Appellatio interpoſita poſt quindecim dies eſt nulla. 28.7
Appellatio ab interlocutoria interpoſita debet iuſtificari ex primis actis, & non ex aliis. 106.5
Appellatio non datur de iure ciuili ex momentanea poſſeſſione. 160.2
Apppellatio, quæ fuit de lata virtute reuerentialium, non operatur effectum ſuſpenſiuum, ſed deuolutiuum. 160.4
Appellatio admittitur à mala electione, & à grauamine. 267.6
Appellatio ob inualiditatem præſentationis ex defectu poteſtatis præſentantium, non ſuſpendit neque retardat poſſeſſionem. 267.7
Appellatio iudicialis ſuſpendit; ſed non extra iudicialis. 267.8
Appellatio vt valeat, exprimenda eſt cauſa grauaminis. 334.4
quod fallit in iudicio ſummariiſſimo, in quo proceditur ſine ſtrepitu iudicij. ibid.5.& 360.2,3,4
Appellatio admittitur in poſſeſſorio, propter præiudicium irreparabile. 334.8
Appellatio non admittitur in inſtitutione beneficij, & ſi virtute eius capiatur poſſeſſio, eſt attentata. 542.3
Appellatio datur, ſi non admittatur exceptio ob melioramenta, & etiam datur remedium ſpolij, & via nullitatis. 334.9,10
Appellatio interpoſita in tempore, operatur vt quis non priuetur poſſeſſione. 388.9
Appellatio iuſtificata à iure ab interlocutoria, operatur vt non poſſit opponi ſequeſtrum. 405.7
Appellatio recipit declarationem ex proſecutis. 454.4
Appellatio de iure Canonico datur de ſententia ſpolij. 776.5
quod limita vt ibid.6
Appellatio friuola non ſuſpendit excommunicationem. 844.5
Appellatione pendente, manutenendus eſt poſſeſſor in exigendis penſionibus rei litigioſæ, etiamſi poſſeſſio ſit contra ius. 3.1
Appellatione pendente, ſi capta ſit poſſeſſio, non eſt manutenibilis. 267.2,9 & 514.1
ſed eſt ſequeſtranda. 542.2,4
Appellatione ſuſpenditur ſententia, & reducit cauſam ad ſtatum in quo prius erat. 577.2
& quidquid ſit ea pendente eſt attentatum. 169.2
Appellatione interpoſitâ tenetur iudex à quo integraliter remittere ad iudicem ad quem omnia acta proceſſus. 807.3
Appellatione actorum continetur examen teſtium, & ſcripturarum, vt ſoluatur pro expenſis quidquid in eis fuerit conſumptum. 30.7
Appellatione hæredum veniunt etiam extranei in materia ad quoſcumque tranſitoria. 56.16,17
Appellatione filiorum non comprehenduntur adoptiui. 73.4,5
Appellatione liberorum veniunt omnes deſcendentes. 559.3,6
Appellatione filiorum in emphyteuſi veniunt nepotes. 223.4,5




Appellatione deſcendentium intelliguntur omnes; qui naſcituri ſunt vſque in infinitum. 94.4
Appellatione fructuum, reddituum, & emolumentorum non veniunt quotidianæ diſtributiones. 66.4.
niſi addatur, & obuentionum. 216.2
Appellatione fructum, non veniunt incerta. 181.2
Appellatione beneficiorum in materia priuationis non veniunt penſiones. 403.9.& ſeqq.
Appellationi detulit iudex, qui dedit reuerentiales. 160.3
Appellationi locus datur, poſtquam tranſiuit ſententia in iudicatũ, ſi partes renuntiauerint. 876.3
Appellans non tenetur tranſportare acta extraiudicialia. 127.3
Appellans, ad iudicem appellationis tenetur omnia acta tranſportare. 629.2 & 762.2
Appellatum fuiſſe, prout in cedula, ſi teſtetur Notarius, creditur ei. 438.8
Appellari ſi renuat pars, videtur approbare ſententiam. 454.3
Appellationis dies, & non commiſſionis, attenditur vt deſerta, vel non dicatur appellatio. 570.2

*Apocha.*

Apocha ſi non ſit ſubſcripta à parte, vel roborata ex fide teſtium, non probat. 276.2
Apocha non probat ſi non ſit ſubſcripta à parte; licèt ſcribens aſſerat de partium volunrate ſcripſiſſe, quod extenditur etiamſi Notarius idem aſſerat. 276.3,4
Apocha pro debito, ſi non adſit, non præſumitur factam eſſe ſolutionem. 721.16

*Appoſitio.*

Appoſitio manus Papæ non inducit affectionem in beneficiis iuriſpatronatus. 627.9
Appoſitio ſigni rei venditæ ab emptore poſita, inducit traditionem, & poſſeſſionem. 6.9

*Apoſtoli.*

Apoſtolicis in prouiſionibus non eſt neceſſarium exprimere verba profeſſionis, niſi ſtylus id ſuadeat. 487.4
Apoſtolicæ prouiſiones cùm effectu ſortiuntur inducunt effectuationem gratiæ. 761.6
Apoſtoli executoriales, nec teſtimoniales non dantur contra ſententiam, quæ tranſiuit in iudicatum. 48.1

*Approbatio.*

Approbatio, vel reprobatio opinionum, & doctrinarum, præſertim ad Eccleſiaſticam materiam pertinentium, pertinet ad Romanum Pontificem. 480.44

*Apprehenſio.*

Apprehenſio vniuſcuiuſque rei, eſt neceſſaria ad capiendam poſſeſſionem, & non ſufficit animus. 801.4
Apprehenſio eſt neceſſaria ad effectum manutentionis in ſubrogatione gratioſa; ſed ſtantibus impedimentis partis erit manutenibilis poſſeſſio. 871.3,4

*Arbitrator.*

Arbitratoris in laudo, neceſſaria eſt partium citatio. 797.3

*Arbitrium.*

Arbitrium Rotæ intelligendum eſt, prout de iure. 769.2
Arbitrium iudicis menſurandum eſt ex regulis iuris, non autem ex mera voluntate. 644.2

Arbitrium boni viri, indicat dictio, bene videbitur, in mandato poſita. 216.11
Arbitrio iudicis relinquitur paupertatis cognitio. 680.1

*Archiuium.*

Archiuij ſcriptura vt faciat fidem, ante extractionem recognoſcenda eſt, & citatio præmittenda. 633.5,6

*Archiepiſcopus.*

Archiepiſcopalis iuriſdictio transfertur ex Pallij traditione. 761.5
Archiepiſcopus de iure habet fundatam intentionem, vt poſſit exercere ius Metropoliticum ſuper Eccleſiam ſuffraganeam. 546.7.& 571.2

*Archipresbyter.*

Archipresbyteratus dignitas habet annexam curam iuriſdictionalem; & ideo incompatibilis cum Parochiali. 204.6

*Arduum.*

Ardua non veniunt in generali mandato. 30.7
Argumentatio de toto ad partem valet, etiam reſpectu temporis. 334.12

*Argumentum.*

Argumentum non ſequitur, eſt quis legitimus; ergo ſucceſſiblis. 229.10
Argumentum de poſſeſſione ad dominium non eſt validum. 466.7
Argumentum ſumptum ab excluſione perſonæ mactæ, non eſt validum. 471.12
Argumentum à ſimili quãdoque ſumi poteſt. 554.8
Argumentum non valet de vno caſu particulari ad alios vniuerſales. 734.11
Argumentum de vna gratia ad aliam, non valet, ſi non ſit conceſſa cum eiſdem clauſulis. 856.11

*Ars.*

Artem quam pater exercuit, non debet filius excuſare exercitium illius. 541.6

*Articulus.*

Articulus quando verſatur in materia fauorabili, appellatione Capituli venit Epiſcopus. 2.4
in Articulo poſſeſſionis admittitur articulus proprietatis ad iuſtificandam poſſeſſionem. 139.8
Articuli dati in vltima audientia præſumuntur calumnioſi. 395.2
Articuli vt dicantur pertinentes ad cauſam, ſufficit ſi præſumptiuè cohæreãt cauſæ principali. 440.2
Articuli, ſi pertineant ad cauſam, etiamſi crimen contineant, non ſunt reſecandi. 440.3
Articuli cum non ponantur per modum obiectus, ſed ad alium finem, iſte eſt attendendus, vt non deleantur. 440.3
Articuli ſi ſint releuantes conceditur remiſſoria in qualibet inſtantia in profanis. 372. & 568.2. & 595.2
Articulo vno releuante, cæteri ſunt admittendi. 595.5

*Aſcendentia.*

Aſcendentia probatur per teſtes deponentes de tractatu, & communi reputatione. 833.3,6

*Aſſecutio.*

Aſſecutio ſecundi beneficij ſi non habeat effectum, non vacat primum obtentum, licèt ſit conceſſum mandatum de capienda poſſeſſione. 61.5,6

*Aſſertio.*

Aſſertio ſola vendentis rem aſſerentis eſſe grauatam cenſu, non probat impoſitionem. 121.2
quod intellige vt ibid. 3
Aſſertio erronea partis ei non nocet. 215.12.&239.7
Aſſertio partium, tertio non nocet. 400.6
Aſſertio iudicis in ſententia dicentis ſibi conſtare de iurepatronatus, cum aliis adminiculis probat illud. 129.3
Aſſertioni Notarij ſtandum eſt, in his quæ ad eius munus pertinent, donec probetur contrarium. 459.2
Aſſertioni ſolæ Cardinalis non creditur. 220.5
Aſſertioni donantis ſtatur, dummodo hæc ſubſiſtere poſſit. 637.5
Aſſertioni iudicis ſtandum eſt, ſi acta ſint geſta coram eo, & non coram alio. 127.3
Aſſertioni partis non creditur. 809.3

*Aſſiſtentia.*

Aſſiſtentiam iuris qui habet manutenendus eſt. 720.2,7

*Attentatum.*

Attentatum eſt quidquid poſt inhibitionem prouidetur. 36.7 & 169.1
Attentatum eſt quidquid poſt appellationem fit. 169.2 & 405.4
Attentatum eſt geſtum intra tempus ad appellandum. 198.3,4 & 531.2,3.& 534.1
Attentatum ratione expenſarum non euitatur per oblationem vnius Iulij, vel offerendo ſe paratum ſoluere; ſed priùs ſunt liquidandi fructus, & expenſæ. 225.4,5 & 251.6
Attentatum purgatur ſi iudex reuocet, quod prouidit appellatione pendente. 531.4
& quidquid fit dicitur attentatum. 707.4
Attentata poſſeſſio non meretur commodum poſſeſſionis. 209.4
Attentata dicitur poſſeſſio capta per vim. 225.2
Attentata non dicitur poſſeſſio capta ex mandato iudicis de manutenendo, licèt ſi expenſæ non ſint ſolutæ poſſint dari. 225.3
Attentata ſuſpendunt cauſam. 225.8
Attentata ſunt purganda prius, vt procedi poſſit ad vlteriora proceſſus. 251.2
ex Attentatis condemnatus, non poteſt procedere in negotio principali petitorij, niſi purgatis illis. 251.9
Attentata non dicitur poſſeſſio, ſi pars conſentiat in eius acceptione. 480.39
Attentata non dicitur poſſeſſio capta intra tempus ad appellandum, vbi adeſt conſtitutio, vel conſuetudo, id ita diſponens. 626.2
Attentata dicitur ſententia lata per iudicem inhibitum à iudice competente. 849.3
Attentata ſunt reuocanda, non obſtante re iudicata, per viam nullitatis. 542.6
Attentata poſſeſſio nullum producit effectum, nec priuat alium poſſeſſorem ſua poſſeſſione. 400.5
Attenta eſt poſſeſſio capta appellatione pendente, & infra terminum ad appellandum. 514.1
etiam accedente authoritate Ordinarij inſtituentis. 267.3,4,5
Attentata non reſultant ex actu proueniente ex facto tertij, contra alium non dantem impedimentum, nec aliquid operantem. 531.5
Attentatorum, vel recuperandæ remedium non poteſt intentare, qui priùs intentauit illud retinendæ. 251.5
Attentatorum iudicium ſuſpendit omne illud, etiam ſpolij. 251.8
Attentatorum vitium non ſanat exceptio rei iudicatæ per viam nullitatis. 542.6




Index Rerum.


Attentare poteſt actor poſt citationem decretam. 137.10
Attentare non dicitur iudex inhibitus, ſi pronunciet extra caſus inhibitionis; ſecus tamen ſi ſint connexi cauſæ principali. 850.6,7
Attentans tenetur reſarcire expenſas. 237.3,4

*Atteſtatio.*

Atteſtatio iudicis ad iuſtificandam ſuam ſententiam non probat. 777.6
Atteſtatio teſtis facta in iudicio criminali non præiudicat parti, ſi non citetur. 858.6

*Auditor.*

Auditor Cameræ habet facultatem reaſſumendi ſibi cauſas dependentes ab obligatione Camerali. 169.3
quod intellige vt ibid.4
Auditor Cameræ Apoſtolicæ poteſt eligi ad exequendas literas ſpretis aliis iudicibus. 312.3
Auditor Cameræ eſt executor quarumcunque literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, & cum quibuſuis clauſulis. 608.2
Auditoris Cameræ Breue, vel Monitorium de capienda poſſeſſione, alio exiſtente in ea, reſoluitur in citationem. 617.2
Auditores Rotæ ſunt iudices Ordinarij in cauſis eis commiſſis. 342.2

*Aureus.*

Aureus ſcutus non augetur, nec minuitur propter augmentum, vel decrementum cæterarum inferiorum monetarum. 592.2,5,14

*Auia.*

Auia non dicitur cognata nepti ex filio. 207.4

*Auus.*

Auus non tenetur dotare neptem, quando ſuperſunt bona patris illius, quæ ſufficiant ad eam dotandam. 531.5
Auus neptem intra domum ſuam alere tenetur, ſed non extra. 621.2
quod intellige vt ibid.3
Auus, vt alimenta præſtare teneatur nepti, interpellandus eſt. 621.4,5 & 656.4

B

*Bancharia.*

Bancharia ex ſui natura, apta eſt comprehendere futuras acceſſiones, & incrementa. 397.2,4

*Baptiſmus.*

Baptiſmi liber probat filiationem. 833.6,7
Baptizatus dubiè debet iterum baptizari. 444.8

*Beneficium.*

Beneficium vacat per aſſecutionem ſecundi incompatibilis cum effectu. 61.3,5,6.& 308.1,4
& primum litigioſum vacat per ſecundum non litigioſum. 303.5
Beneficium litigioſum, pendente lite, non poteſt Epiſcopus prouidere. 98.3
Beneficium Eccleſiaſticum ſine authoritate Epiſcopi non poteſt erigi. 125.6
Beneficium obtinens, ſolum tenetur verificare narrata. 511.2
Beneficium Eccleſiaſticum, vt effectum habeat, requirit habere perſonam prouidentem, perpetuitatem, locum, & dotem. 125.7
Beneficium habens, præſumitur de iure ex eo ſe poſſe ſuſtentare, niſi contrarium probetur. 182.5
Beneficium qui impetrat, tenetur verificare narrata à tempore datæ. 187.3
Beneficium poſſidens per decennium, etiam ſi ab initio ſit nulla gratia, præſumitur diſpenſatus. 192.3
Beneficium fit litigioſum per commiſſionem cauſæ in Rota, & ſemper dicitur litigioſum, donec extinguatur lis, etiam ſi vna pars moriatur. 208.2,3
in Beneficialibus, tituli multiplicati poſſunt, & per acceptationem vnius, non cenſetur alteri renuntiatum. 221.4 & 317.5
Beneficium non facit litigioſum, controuerſia in poſſeſſione. 234.5
Beneficium accipiens tenetur lege naturali ad antidora. 270.4
Beneficium vt ſit litigioſum ex clauſula, *ſi neutri*, debet eſſe de tempore gratiæ. 330.2
Beneficium litigioſum reſpectu vnius, non dicitur reſpectu alterius, nec ſi vna pars cedat. 350.3,4
Beneficium curatum ad effectum inducendi incompatibilitatem efficit cura iuriſdictionalis; licet propriè dici non poſſit, ſi non habeat reſidentiam. 315.4,5 & 374.2
Beneficium regulare datum in commendam non poteſt Epiſcopus venire. 374.5
Beneficium purè reſignatum tanquam liberum conferri poteſt; ſecus ſi conditionaliter. 388.6,7,8
Beneficium an ſit regulare, vel ſeculare, colligitur ex obſeruantia ſubſecuta. 443.12
Beneficium de iure, in dubio præſumitur liberum; & alleganti eſſe iuris patronatus, incumbit onus probandi. 449.2
Beneficium præſumitur liberum, donec contrarium probetur. 463.3
Beneficium non habens, præferendus eſt habenti; & ad hunc effectum, inſpiciendum eſt tempus inſtitutionis, & non præſentationis. 496.3,4
Beneficium ſimplex, vt quis obtineat, non requiritur beneficiatum habere maiorem habilitatem, quàm requiſitam ad ſacerdotium. 496.5
Beneficium iuriſpatronatus obtentum à Sede Apoſtolica, non facta mentione illius, reddit gratiam nullam. 543.2
Beneficium non dicitur litigioſum ſi agatur ſuper nullitate ſententiæ. 591.5,6
Beneficium, in dubio præſumitur ſimplex. 653.1 & 806.6
Beneficium probatur eſſe ſimplex ex præſentationibus factis. 653.2
Beneficium non dicitur deuolutum, ſi lis inter patronos oriatur ex præſentatione patronorum, quo durante extinguitur tempus. 737.4
Beneficium vnitum perdit ſuam primam naturam, & aſſumit, quam habet cui eſt vnitum. 743.6
Beneficium vacans in Curia eſt reſeruatum Sedi Apoſtolicæ. 786.4
Beneficium, ſi vacet per eum, qui gratiam non iuſtificauit, non eſt vera vacatio per eum. 806.10
Beneficium ſitum intra Eccleſiam monaſterialem regulare præſumitur. 823.2,9
Beneficium collatiuum poteſt à Papa commendari. 829.7
Beneficium litigioſum, vel reſeruatum eſſe, obitum defuncti in poſſeſſione, & clericatum illius tenetur probare gratioſe ſubrogatus. 836.4
Beneficium litigioſum ſolus Papa poteſt conferre. 836.6,7
Beneficium litigioſum non facit executio literarum Apoſtolicarum. 875.4

Beneficij præſentatio de iure debet fieri coram Ordinario; licèt de conſuetudine poſſit fieri coram inferioribus collatoribus. 228.2,3

Beneficij reſeruatio probatur ex literis officij. 230.4

Beneficij titulum habens, reputatur vt beneficiarius. 232.9

Beneficij gratia expectatiua, facta cum clauſula; infra menſem à die vacationis duxeris acceptandum, eſt pura. 244.19

Beneficij præſentatio non poteſt fieri niſi vacet. 251.1 in addit.

Beneficij deſtitutio pertinet de iure ad quos ſpectat inſtitutio. 260.4

Beneficij valor probandus eſt de tempore prouiſionis. 268.2

Beneficij valor æſtimandus eſt in portatis, ſiue in redditibus. 268.3

Beneficij acceptatione vacat primum curatum, quod quis obtinebat. 303.1,4

Beneficij in conſtructione, vel fundatione, ſi nihil ſit exceptum, vel reſeruatum ius patronatus, eſt tranſitorium ad quoſcunque ſucceſſores, etiam fœminas. 329.4

Beneficij fundatores poſſunt in fundatione reſeruare iuſpatronatus ad fauorem certarum perſonarum, quibus deficientibus, beneficium remanet liberum. 329.3

Beneficij poſſeſſi, vt curati reſignatio valet, etiam ſi in ea non exprimatur talis qualitas. 352.3

Beneficij poſſeſſio habita per aliquot annos, inducit præſumptionem tituli validi. 352.4

Beneficij valor probatur ex libro Cameræ ſeu taxæ Eccleſiæ. 374.3

Beneficij ſtatus probatur ex reſignationibus. 374.6

Beneficij fructus, licet ſint percepti à conductore, & conſumpti, ſi tamen beneficiatus non commiſceat eos cum ſuis, pertinent ad ſucceſſorem. 390.4,5

Beneficij valor probatur per publicam vocem & famam. 399.5

nam ſufficit ſemiplena probatio. 702.2 & 712.6

Beneficij ad priuationem ſi agatur, citandus eſt principalis, & non procurator. 404.2

Beneficij iuriſpatronatus reſignatio ſpreto patrono, non valet. 417.2

Beneficij iuriſpatronatus reſignatio, ſine conſenſu Patroni, non tollit ius, quod habet reſignans. 417.3

Beneficij vnio facta non reuocatur per ſecundam, niſi adhibita cauſæ cognitione. 441.2

Beneficij in præſentatione, habetur fundata intentio ex quaſi poſſeſſione. 463.4

Beneficij valor probatur per tres teſtes de auditu. 477.5

Beneficij poſſeſſor ſemper præſumitur percepiſſe fructus. 485.3

Beneficij vacatio cum ſemiplena probatione, probatur; ſed non reſeruatio. 511.1

Beneficij lis mota ſuper, poſſeſſorio non efficit illud litigioſum. 525.6

Beneficij titulus litigatur coram executore, ſi petatur nullum ius ad vnam partem pertinere. 525.7

Beneficij poſſeſſio eſt ſequeſtranda, ſi capiatur appellatione pendente. 542.2,4

Beneficij priuationi, & locus ſit ratione delicti, requiritur concludens probatio. 581.2 & 658.5 & 861.1,2 & in tom.2.dec.1019.2

Beneficij poſſeſſio in Cathedralibus vt ſit valida, capienda eſt capitulariter; etiam ſi fiat virtute Breuis Apoſtolici iuſſu executoris in eo deputati. 617.6,7 & 872.1,2

Beneficij impetratio non iuſtificatur per vacationes de facto, etiam alternatiuè narratas; ſed requiritur de iure ſaltem probatio vnius. 632.2

Beneficij conferendi quaſi poſſeſſio eſt magni momenti ad inducendum titulum. 638.2

Beneficij valor probatur per fructus perceptos per quinque annos ante, & poſt impetrationem. 706.6

Beneficij qualitas iudicanda eſt ex ſtatu vltimo. 713.2

Beneficij litigioſi fructus ſunt reſeruandi, ſi lis ſit contra Capitulum. 733.8

Beneficij ſucceſſor non tenetur ſoluere penſiones decurſas anteceſſoris, niſi conſtito de diligentiis factis contra anteceſſorem. 748.4

Beneficij titulus, licèt mutetur, non tamen mutatur dominium bonorum. 757.10

Beneficij ſucceſſori, virtute gratioſæ ſubrogationis, cenſetur tranſlata & continuata eadem poſſeſſio. 786.3

Beneficij Eccleſiaſtici licentia conſiſtit in perpetuitate. 814.7

Beneficij valor probatur per communem æſtimationem. 821.1,3

Beneficij ſtatus de regulari in ſæculare, non mutatur per collationes Apoſtolicas. 823.4 & 729.8

Beneficij vltimus ſtatus facit præſumptionem ſimilis ſtatus de præterito, non conſtito de contrario. 823.6

Beneficij vnio non mutat ſtatum illius. 823.13

Beneficij qualitas probatur per prouiſiones effectuatas, & ſaltem per vnam. 829.5

Beneficio collatio an pertineat ad Epiſcopum, vel Capitulum, ſtandum eſt conſuetudini. 861.3

Beneficiis dotatis ſi aliquid ſuperuenit, dicitur ditatio, non verò dotis conſtitutio. 73.7

Beneficij valor debet probari in loco, vbi exiſtunt redditus. 268.3

Beneficio iuriſpatronatus extincto, deuolutio fit ad Epiſcopum de iure communi. 443.13

Beneficia omnia, de iure præſumuntur libera. 257.12

Beneficia non ſunt conferenda non Clerico. 264.8

Beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia, poteſt ille vnire; non tamen ſi pertineant ad inferiores collatores, etiam ſi in ſuis diœceſibus exiſtant. 293.2,3

Beneficia ſpectantia ad collationem inferiorum, & Eccleſias collegiatas, non poteſt Epiſcopus vnire partibus non citatis, nec quæ ſunt iuriſpatronatus. 293.4

Beneficia vacantia in menſe Apoſtolico non poteſt Ordinarius vnire. 319.2

Beneficia, quæ ex indulto particulari conceduntur alicui communitati; vel vniuerſitati, non comprehenduntur in regula reſeruatoria. 391.2

Beneficia vnire non poteſt vicarius generalis Epiſcopi ſine ſpeciali mandato. 441.4

Beneficia ex ſua primæua ſtatus diſpoſitione, ſunt reſeruata Pontifici, & Epiſcopis. 436.13

Beneficia adhærentia maioratui, tranſeunt ad ſucceſſorem. 463.5

Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferenda





da ſunt de iure à titulari. 569.2 & 666.2

Beneficia iuriſpatronatus non poteſt Ordinarius prouidere. 750.8

Beneficia regularia præſumuntur manualia. 823.7

licèt de iure ſecularia præſumantur collatiua, & non manualia. 623.3

Beneficia regularia per regulares, & in regularibus ſunt diſponenda. 443.15

Beneficia ſæcularia poſſunt eſſe in Eccleſia regulari. 823.10

Beneficia libera præſumuntur, & non iuriſpatronatus, donec contrarium non probetur. 874.2

Beneficia penſionibus grauare non pendet à conſenſu partium, ſed à voluntate Papæ. 875.6

Beneficiorum fructus non incorporati cum aliis bonis beneficiati, ſunt Eccleſiaſtici, & ſic pertinent ad ſucceſſorem beneficij. 390.1,2

Beneficiorum ſunt inhabiles filij hæreticorum vſque ad ſecundam generationem. 403.8 & ſequentibus.

Beneficiorum permutationes conuentionales ſolus Papa poteſt admittere. 549.4

Beneficiorum duorum, vel plurium vnio, non concluditur ex eo, quòd ab vno poſſideantur. 677.8

Beneficiorum omnimoda diſpoſitio Papæ datur. 572.8

Beneficiis non eſt ipſo iure priuatus Clericus concubinarius, etiam publicus. 581.1

*Beneficiarius.*

Beneficiarij participantes de fructibus Eccleſiæ, ad omnia eius onera concurrere tenentur. 186.4,5

Beneficiarij conſenſuss eſt neceſſarius ad aliquid innouandum circa beneficium. 757.9

Beneficiarij æquiparantur vſufructuariis, & poſſunt diſponere de fructibus. 600.9

quod limita vt ibid.10

*Beneficiatus.*

Beneficiato conſentienti penſionem non infertur præiudicium. 610.2

*Beneplacitum.*

Beneplacitum Apoſtolicum in alienatione, præſumitur ex curſu temporis; maximè ſtante ſcientia Papæ, & obſeruantia longiſſimi temporis. 854.5

*Beneuiſum.*

Beneuiſum non dicitur, quod præter rationem fit. 616.12

*Bigamus.*

Bigamus penſionem acquirere non poteſt. 387.12

*Bona fides.*

Bonæ fidei poſſeſſores vt poſſint percipere fructus, debent ex omni parte habere bonam fidem. 152.2

Bona fides generatur ex iuſto titulo, vel ſaltem putatiuo. 518.2

Bona fides in gerente negotium alicuius, oritur ex iuſta credulitate, quam habere poteſt. 518.3

Bona fides requiritur etiam in præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum. 515.2

Bona fides, quæ non excuſat à condemnatione expenſarum, nec excuſabit ad illarum recuperationem. 518.5

*Bona patrimonialia.*

Bona patrimonialia præſumuntur, quæ habet Clericus, ſi ſint exigui redditus Eccleſiaſtici ab eo poſſeſſi. 159.2

Bona patris de iure ad filios debent peruenire. 215.3

*Bona hæretici.*

Bona hæretici ſunt confiſcata ipſo iure. 304.7

Bona non præſumuntur fideicommiſſo ſubiecta, niſi fideicommiſſarius oſtendat, fuiſſe à teſtatore poſſeſſa, vel in eius dominio. 379.2

*Bona hypothecata, & alia.*

Bona hypothecata doti, non ſubiacent fideicommiſſo. 379.3

Bona alia quando non exiſtunt, habet locum remedium authent. res quæ. C. communia de legatis. 379.4

Bona ſi dilapidanda eſſe timentur per poſſeſſorem, datur locus ſequeſtro. 394.2

Bona fideicommiſſo ſubiecta non poteſt alienare hæres, qui tenetur reſtituere ea. 512.1 & 544.11

Bona data in dotem promiſſam in certa quantitate, faciunt emptionem, licet non conſtet de æſtimatione. 588.2

Bona empta conſtante matrimonio, præſumuntur empta de bonis mariti. 599.1

Bona emphyteoticaria pignorari poſſunt & veniunt ſub generali hypotheca. 792.3,4

Bona certa, fideicommiſſo ſubiecta, poteſt capere fideicommiſſarius ſine hæredis miniſterio. 800.3

quod limita vt ibid.4

Bonorum hæreditatis poteſt teſtator prohibere alienationem. 85.3 & 51.5

quod intellige vt ibid.6,7

Bonorum identitas probatur per emphyteoſim, ſi vnica demonſtratione deſignari poteſt. 263.3

Bonorum vſurpatione probata iuriſpatronatus, amittit patronus ius illius. 322.2

Bonorum inuentarium debet fieri, quando adeſt tertius habens intereſſe in ſucceſſione illorum, etiam ſi ſit in modico præiudicatio. 383.2,3,4

Bonorum non liquidatorum non poteſt timeri dilapidatio. 394.6

Bonorum identitas deſumitur ex inuentario, in quo ſunt ſcripta bona. 500.2,7

Bonorum donatorum à patre filio, vt ille accipiat reditus, tenetur reddere rationem. 728.13

Bonorum adminiſtrator incognitus à teſtatore tenetur ſatiſdare. 753.5

Bonorum adminiſtratio non dicitur facta nomine tutoris, ſi alia requiſita non concurrant. 768.5

Bonorum Eccleſiaſticorum Clerici diſſipatores poſſunt cogi à iudicibus ſecularibus, vt deſiſtant, ſi Eccleſiaſticus ſit negligens. 480.20

Bonorum fideicommiſſo ſubiectorum poſſeſſio eſt tradenda immediato ſucceſſori. 836.6,7

Bonis diminutis, diminui ſolet pretium locationis. 776.5

*Breue.*

Breue obtentum ad capiendam poſſeſſionem dicitur ſubreptitium, ſi non narretur beneficium eſſe litigioſum. 208.4

Breue de capienda poſſeſſione nomine Cameræ, regulariter fundatur in reſeruatione menſis Apoſtolici. 617.5

*Bulla.*

Bulla pontificia continens vnam enuntiatiuam antiquiſſimam non probat. 205.2


Bulla

Bulla conceſſa ad partis ſupplicationem non probat, tanquam orta à perſona ſuſpecta. 205.4
quod intellige vt ibid.5,6
Bulla in cœna Domini derogat conſuetudines, etiam immemorabiles. 481.5
Bulla in cœna Domini excommunicat impedientes Prælatos, vti ſua iuriſdictione, & Eccleſiaſticos recurrentes ad Cancellarias, vel tribunalia ſecularia. 480.18 & 484.2
Bullæ repertæ in regiſtro Bullarum Romæ, & per archiuiſtam tranſumptatæ datur fides. 681.1

C

*Cadauer.*

Cadauera mortuorum de iure extra Eccleſiam, & non intra, ſunt ſepelienda. 154.2
Cadauera defunctorum antiquitus intra Eccleſiam non poterant ſepeliri, ſed hodie de iure admittuntur. 199.5,6

*Caducitas.*

Caducitatis pœna cenſetur remiſſa à parte per actus contrarios, ex quibus veniebat iniungenda. 470.9
Caducitas in primo poſſeſſore, non in ſecundo ignorante habet locum. 827.8
Caducitas non inducitur ſi domino directo nullum præiudicium inferatur. 670.3,5

*Calatraua, &c.*

Calatrauæ, Alcantaræ, & de Monteſa milites ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. 537.6
Calatrauæ milites etiam vxorati ſunt capaces penſionum. 619.8

*Calculus.*

Calculi error probandus eſt euidenter, ab eo qui eum allegat. 447.2

*Calumnia.*

Calumnioſa præſumitur exceptio ſi in vltima audientia proponatur. 395.2
Calumniæ ſuſpicio ſi adſit, deneganda eſt remiſſoria. 553.1
Calumnioſa præſumitur lis, ſi intentetur ab eo, qui cum parte pactum ſuper ea iniuit. 350.3

*Camera.*

Cameræ auditor eſt executor quarumcunque literarum Apoſtolicarum. 608.1
Camera quid faciat ex ſtylo non eſt inſpiciendum, ſed quod iudex facere tenetur. 413.1
Cameralis obligationis executionem impedit exceptatio ſolutionis, vel nouæ conuentionis. 620.7
Cameralis obligatio non venit pro his, quæ veniunt ex iuris interpretatione, ſi allegentur per viam actionis, ſecus ſi per exceptionis. 826.4

*Cancellaria.*

Cancellaria conſueuit expedire literas pro regularibus cum narratiua profeſſionis emiſſæ. 487.5
quod intellige vt ibid.6

*Canonizatio.*

Canonizationem gratiæ debet præcedere priuatio beneficij, in impetratione eius facta. 418.7

*Canonicus.*

Canonici, ſede vacante, nihil poſſunt lucrari de bonis, & emolumentis Epiſcopatus, ſed fideliter ſunt reſeruanda ſucceſſori.
Canonicus non poteſt reſeruare onus annexum Canonicatui. 9.3 186.2
Canonicus participans de fructibus, tenetur ad expenſas, & onera Eccleſiæ. 186.3
Canonicus iniuſte incarceratus, excommunicatus, aut ſuſpenſus, habendus eſt pro præſente in Eccleſia. 635.3
Canonici ſunt membra Capituli, & Epiſcopus caput illius. 754.15

*Canon.*

Canonem fundi qui ſoluit, tacite fatetur illum poſſidere. 744.4,5

*Canonicatus.*

Canonicatus optione factâ, bona ad eum pertinentia mutantur, ſed prior titulus canonicalis retinetur. 596.3
Canonicatus cum parochiali ſi obtineatur, datur electio prouiſo, quod maluerit. 61.8

*Capellania.*

Capellania fundata cum pacto vt ſit incompatibilis cum alia, debet obſeruari talis conditio. 163.2

*Capitulum.*

Capitulum, ſede vacante, tenetur infra octo dies conſtituere Vicarium cum certo ſalatio. 108.10
Capitulum ſede vacante ſuccedit Epiſcopo in iuriſdictione Epiſcopali. 128.22 & 813.5
Capitulum ſi prætendit aliquod ius contra Epiſcopum, præſcriptione, & non conſuetudine id probare tenetur. 861.2 & tom.2. 1145.1
Capitula Eccleſiarum non poſſunt ſtatuere ſine Epiſcopo in præiudicium eius, & circa negotia concernentia iura eius, & ſtatutum vniuerſale ipſius Eccleſiæ. 39.10 & 754.15
ſed circa negotia ſua ſingularia bene poſſunt ſtatuere. 39.9
Capituli collatio de aliquo beneficio ex ea non mutat antiquam obligationem. 814.2
Capitulariter ſi non ſit capta poſſeſſio in cathedralibus, non valet; licèt aliqui limitent ad Canonicatus tantum. 871.5

*Carceratus.*

Carceratus ex propria culpa tenetur ſoluere expenſas, & damna quæ ratione carceris ſequentur. 237.2

*Cardinalis.*

Cardinalis aſſertioni ſolæ non creditur. 220.5
Cardinalis mens facit quem familiarem ex animo inſeruiendi, vel non. 775.4,7
Cardinalis indultum continens verba generalia, & prægnantia, extenditur ad omnia. 396.2

*Caſus.*

Caſus mixtus tunc continetur ſub ſimplici, quando minus corrigitur ius commune. 88.6
quod intellige vt ibid.7,8
Caſus omiſſus ſtatuti, regulandus eſt ſecundùm diſpoſitionem iuris communis. 456.9 & 639.10
Caſus pendens à lege, vel ſtatuto vetere, vel præcedente, præteritus dicitur. 605.3
Caſus in ſtatuto expreſſus terminandus eſt per diſpoſitionem iuris communis. 982.8
Caſus comprehenſiui, & non extenſiui excluduntur in conſtitutionibus per ſuperiorem factis. 654.3

*Cauſa.*

Cauſa quando concernit ad totum Capitulum, vt vniuerſum, non vt ad ſingulas perſonas, procurator eius dicitur habere ſufficiens mandatum reſpectu Epiſcopi, ſi venerit ad cauſam tanquam vnus ex Canonicis. 2.2




Index Rerum.


Cauſa finalis legis inducit valorem ipſius. 9.5
Cauſâ ceſſante, propter quam relinquitur legatum, cenſetur extinctum. 19.7
Cauſa quælibet excuſat à mora. 27.2
Cauſa quælibet non eſt ſufficiens ad præſtandum iuſtum impedimentum, ſed illa tantum quæ eſt immediata, vt non fiat quod fieri debebatur. 37.3
Cauſa remota, vel proxima excuſat à mora, per regulam, Quidquid eſt cauſa cauſæ, &c. 37.9
Cauſa finalis dicitur illa quæ cohæret diſpoſitioni. 70.5
Cauſa probabilis ſit non adſit non præſumitur. 156.11
ex Cauſa neceſſaria præſumitur ſolutio diuturna facta piæ cauſæ. 183.6
Cauſa ſpolij de iure Canonico eſt perpetua. 238.10
Cauſa priuilegij ceſſante, & illud ceſſat. 117.4
Cauſa appoſita in obligatione, ſi vera non ſit, vitiatur obligatio. 70.10
Cauſa penſionis eſt profana cùm in ſola temporalitate conſiſtat. 189.5
Cauſam ſolutionis non probat decennalis ſolutio, niſi exprimatur. 183.3
Cauſa finalis, & principalis ex verbis procemij cognoſcitur. 229.2
Cauſæ principalis in ſucceſſione conſiderantur hæreditas & bona ipſius. 229.3
Cauſa acceſſoria, & incidens appellatur, quæ opponitur ratione illegitimitatis. 229.4
Cauſa quæ opponitur per modum exceptionis contra principalem cauſam, quæ agebatur, eſt incidens & acceſſoria. 229.6
Cauſa grauaminis exprimenda eſt in appellatione, vt ſuſtineatur. 334.4
Cauſa iuriſpatronatus, dicitur profana. 343.3
Cauſa non dicitur concluſa, ſi iudex admittat partes ad aliquid dicendum. 596.4
Cauſam contra Prælatum regularem poteſt vnus Monachus ſolus pro ſuo intereſſe proſequi. 649.2
Cauſa ſimulationis, ſi non probetur, non præſumitur. 728.28
Cauſa recedendi à locatione, ſi non adſit, non poſſunt recedere locator, & conductor ab ea. 831.6
Cauſa quæ continet diuerſos articulos, ſi copulatiuè detur, intelligitur æquè principaliter ad omnes commiſſa. 576.4
Cauſa alimentorum non admittit compenſationem. 527.1,4
Cauſa quælibet excuſat à pacto conuentionali. 845.3
Cauſa actus quando eſt vniuerſalis, magis attenditur illa, quam exercitium. 699.5
Cauſæ duæ finales, ſi concurrant in lege, vna ceſſante, ſubſiſtit altera. 9.6
Cauſæ dependentes, & connexæ dicuntur, quando ſententia lata in vna, aliam iuuat, & poſſunt parere exceptionem rei iudicatæ. 169.5
Cauſæ principali omnia tribuuntur. 229.8
Cauſæ concluſio ſola non ſufficit ad ferendam ſententiam, ſine partium citatione. 596.6
Cauſæ concluſio eſt neceſſaria, vt iudex poſſit ſententiam proferre, etiam ſi à parte non petatur. 596.10
Cauſæ expreſſæ ad abundatiorem cautelam validitatis donationis factæ, non debent contrarium effectum operari. 637.9
Cauſæ criminales requirunt exactiſſimas probationes. 658.4
Cauſæ duæ diuerſæ ſi in vno proceſſu actitentur, duæ citationes ſunt faciendæ neceſſariò. 279.2
Cauſarum beneficialium non eſt Iudex Auditor Cameræ. 855.5
Cauſas dependentes ab obligatione Camerali poteſt Auditor Cameræ ad ſe reaſſumere. 169.3
quod intellige vt ibid.4
Cauſas poſſeſſorias rei ſpiritualis, vel quaſi, poſſe tractari, & decidi per iudices ſæculares, tenent aliqui Doctores. 48.9
ſed alij contrà ibid.10
Cauſis ex duabus ad idem ſimul concurrentibus celerior cauſa perficit effectum. 105.10
Cauſam principalem quomodocunque adminiculent articuli, ad eam dicuntur pertinere. 440.2
Cauſam qui dedit, fruſtra eam opponit. 26.5
Cauſam præſtandi alimenta qui allegat, tenetur eam concludenter probare. 656.7

*Cautela.*

Cautelam ad inducendum cenſum. 742.4

*Cautio.*

Cautio non expirat poſt latam ſententiam, etiam in cauſa appellationis. 551.2
Cautionem præſtare tenetur qui eſt obligatus per teſtamentum ad hæreditatis reſtitutionem. 565.2, 3
Cautionem, qui præſtare tenetur, ſatisfacit, ſi deponat quod cauere tenebatur. 565.4
Cautionem de iudicato ſoluendo, non tenetur præſtare reus, vel actor lite pendente. 748.5 & tom.2.1164.8

*Cedendi verb.*

Cedere poteſt quis ius, quod prætendit, etiamſi non poſſideat. 39.5
Cedere debet maior minori, dum eſt in domo minoris. 261.11
Cedens nomen debitoris tenetur docere de exiſtentia debiti. 513.2
Cedenti ab extraneo ſpoliato competit reintegratio, præſertim in profanis. 808.4

*Celebrandi verb.*

Celebrare poteſt rector aliquibus vicibus in anno per alium. 408.2

*Cenſus.*

Cenſus annuus impoſitus cum clauſula, de aſſecurando in quemcunque caſum fortuitum, eſt vſurarius. 155.2
Cenſus iuſto pretio vendi poteſt, & non eſt vſura. 155.6
Cenſus natura eſt vt perempta re, ſuper qua eſt impoſitus, confeſtim ſit extinctus. 155.3, 9,10
Cenſus natura eſt, vt qui eum imponit, poſſit agere ad penſionem, non verò vt reddatur proprietas quando velit. 155.5
Cenſus impoſitus ante conſtitutionem Pij V. non ſeruatis conditionibus ipſius, valet, & non eſt vſurarius. 155.7
Cenſus impoſitus cum pacto quòd ſi per ſex menſes non ſoluatur, poſſit peti principale, non eſt vſurarius. 155.14,15
Cenſus impoſitus cum pacto, vt etiam ſi fructus in prædio, ſuper quo conſtituitur, non percipiantur, debeatur, eſt validus. 155.10.11

Cenſus impoſitus cum pacto, vt non ſit redimibilis, eſt vſurarius. 155.18
Cenſus cum conſtituitur ex conſtitutione Pij V. debet eſſe ſuper re certa & indiuidua. 217.6
Cenſum petens debet exhibere liberos, & inſtrumenta, quibus conuentus vti poſſit. 254.2
Cenſus ſiue redditus annuus, vel vitalitius iuxta conſtitutionem Pij V. licitus eſt. 307.7,8
Cenſus & iuris illius emptor, non eſt propriè creditor. 478.5
Cenſus vt valeat, debet imponi ex conſtitutione Pij V. ſuper re naturâ ſuâ fructiferâ. 532.2
Cenſus impoſitus in fundo, in quo iam erat alius, ſubſiſtit; licèt fundus non æquiualeat, tamen ſubſiſtit, & competit actio, vt res liberetur vel faciat conſentire habentem intereſſe. 532.3,4
Cenſus Eccleſiaſtici impoſitio ſine ſolemnitate, & iuſta cauſa non valet. 696.3,4
Cenſus extinguitur per conſolidationem dominij fundi, in quo erat impoſitus. 217.2
Cenſus vt extinctus dicatur, requiritur actus retro-ſimilis. 524.9
Cenſus ſi imponatur cum clauſula, quod non ſint grauata bona hypothecata aliis, ſi non poſſit ſuſtineri quia ſunt alij cenſus, dabitur imponenti mandatum ad recuperandam ſortem. 668.4
Cenſus impoſitio vt ſit legitima, requirit pecuniam numeratam coram Notario, & teſtibus, & aliter facta, eſt vſura. 742.2,3
Cenſus impoſitus in Eccleſia ſine ſolemnitatibus à iure requiſitis, eſt nullus, & reſtituendus. 778.2
Cenſum impoſitum in Eccleſia tenentur ſoluere Canonici, ſi ſolutio ſit facienda vt ſingulis. 778.8

*Cenſura.*

Cenſuræ ſunt iuſtificandæ ex probationibus, ante promulgationem factis. 240.2
Cenſura, ſuper doctrinas, & opiniones, præſertim Eccleſiaſticas, vt approbentur, vel reprobentur, pertinet ad Pontificem. 480.44

*Certitudo.*

Certitudine ſtante non eſt locus argumentis, maximè in tertij præiudicium. 8.2
Certum quid ſi petatur, in eo ſtatu ſoluendum eſt, in quo erat tempore petitionis, & obligationis libelli. 8.3

*Ceſſio.*

Ceſſante cauſâ ceſſat effectus. 9.5 & 551.7
Ceſſio ſi non habuerit effectum, ſemper remanent actiones penes cedentem. 133.5
Ceſſio prioris creditoris tacita, vel expreſſa requiritur, vt eius fideiuſſor ſoluat ſecundo creditori, aliàs non liberabitur à fideiuſſione. 326.3
quod limita vt ibid.4
Ceſſio tacita ſufficit ad extinctionem fideiuſſionis. 478.1
quod intellige vt ibid.2
Ceſſio bonorum in fauorem tertij facta conditionaliter ante implementum conditionis non eſt exequenda. 808.2,5
Ceſſio ex cauſa donationis non præſumitur ſimulata. 728.29
Ceſſio ſi fiat conditionaliter non amittitur poſſeſſio, donec adimpleatur conditio. 812.3,6,7
Ceſſione poſſeſſoris legitimè factâ extinguitur lis circa poſſeſſionem. 931.3
Vide *Cedo*.

*Ceſſionarius.*

Ceſſionarius penſionis reſeruata ſibi proprietate non dicitur poſſeſſor. 769.4
Ceſſionarius non tenetur præſtare nomen debitoris exigibile poſt ceſſionem. 827.8
Ceſſionario non impeditur actio ſpolij, ſi ceſſio non ſit effectuata. 771.11,12
Ceſſionario acquiritur poſſeſſio, ſi cedat poſſidens, ſed requiritur apprehenſio. 808.3,4
